BB FA 9

Per a la descripció d´aquests volums, vegeu Rogent-Duran, Bibliografia de les impressions lul.lianes (BB XIII 154).

El pla inicial de l´obra eren 10 volums, dels quals només es publicaren les sèries de l´I al VI i del IX al X; per tant, romangueren inèdits els volums VII i VIII.

MISSIONERS DELS SAGRATS COR
BIBLIOTECA CATALANA

BEATI
RAYMUNDI
LULLI
OPERA OMNIA.

BEATI
RAYMUNDI
LULLI
DOCTORIS ILLUMINATI
ET
MARTYRIS
OPERA.

QUINQUE SÆCULORUM VICISSITUDINIBUS
ILLÆSA ET INTEGRA SERVATA,

Ex omnibus Terrarum Orbis partibus jam collecta, recognita, à mendis
purgata, & in unum corpus adunata, in quibus ipſemet B. Author exponit
admirandam & non humanâ induſtriâ ſed ſuperno Lumine acquiſitam Scientiam Scientiarum & Artem
Artium, à non paucis in vanum impugnatam, à multis laudabiliter inveſtigatam, & ex parte
inventam, à nemine verò ad ſupremum perfectionis apicem niſi à ſolo
Divo Authore perductam.

IN QUA

DEUS ET CREATURA, INFINITUM ET FINITUM
miro modo confluunt in unum Opus Sapientiæ & Scientiæ,
Sapientibus & Prudentibus hujus Sæculi abſconditum,
Parvulis autem revelatum & manifeſtum.

Comprehenditur primis quatuor Tomis Methodus hactenus
incognita Syntheſeos & Analyſeos ſpecioſæ univerſaliſſima realis & intentionalis, naturalis & artificialis, quâ per ſupremas primitivas veras & neceſſarias Demonſtrationes non ſolùm Principia ſingularum Scientiarum & Artium ſed & earum Principiata menſurantur, profundiſſima Naturæ & Artis Secreta revelantur, Ars Combinatoria naturalis numeros, ordines & leges principiorum univerſalium & particularium eorúmque habitudines, proprietates, actiones & paſſiones &c. explicans exhibetur. In reliquis verò Tomis ipſius Scientiæ & Artis Uſus in ſingulis Scientiis & Artibus particularibus mirificè demonſtratur; his clauditur, quidquid in hac mortali Vita humanus Intellectus attingere & Voluntas capere poteſt.

CUM PRIVILEGIO SACRÆ CÆSAREÆ MAJESTATIS,
ET PERMISSU SUPERIORUM.

BEATI RAYMUNDI LULLI DOCTORIS ILLUMINATI ET MARTYRIS OPERUM

TOMUS I.

In quo continentur ſequentes Tractatus:

Ars Magna & Major ſeu Ars Compendioſa inveniendi Veritatem.
Ars Univerſalis ſeu Lectura ſuper Artem Compend. inveniendi Verit.
Liber Principiorum Theologiæ.
Liber Principiorum Philoſophiæ.
Liber Principiorum Juris.
Liber Principiorum Medicinæ.



Anno Salutis Domini M DCC XXI.

MOGUNTIÆ,
EX OFFICINA TYPOGRAPHICA MAYERIANA,
Per JOANNEM GEORGIUM HÄFFNER.

MISSIONERS DELS SAGRATS COES BALEAR BIBLIOTECA

PRIVILEGIUM CÆSAREUM.

CAROLUS Sextus Divinâ favente Clementiâ Electus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, ac Germaniæ, Hiſpaniarum, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ, &c. Rex, Archi-Dux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ & Wirtembergæ, Comes Tyrolis, &c. Agnoſcimus & notum facimus tenore præſentium univerſis, quòd, cùm Noſter & Sacri Romani Imperii fidelis dilectus Ivo Salzinger Sacerdos Nobis humillimè exhibuerit inſignia Privilegia ad promovendam Raymundi Lullii Doctrinam olim à ſereniſſimis Aragoniæ & Hiſpaniæ Regibus ALPHONSO nimirùm Anno milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo nono, à FERDINANDO Anno milleſimo quadringenteſimo octuageſimo tertio, & Anno milleſimo quingenteſimo tertio, nec non à CAROLO V. Anno milleſimo quingenteſimo vigeſimo ſexto, & à PHILIPPO Anno milleſimo quingenteſimo nonageſimo ſeptimo reſpectivè conceſſa & confirmata, prætereáque expoſuerit, ſe prædicti Doctoris Tractatus & Volumina omnium Scientiarum & Artium à viginti Annis ſummo ſtudio & labore collectos in ordinem redegiſſe & nunc in publici utilitatem prælo committendos decreviſſe, vereri autem, nè alii iſthanc editionem in maximum ſui præjudicium imitentur, ac propterea Nobis ſupplicaverit, ut ſibi contra ejusmodi circumventiones Privilegio Noſtro Cæſareo conſulere dignaremur: Nos juſtis ejusdem Ivonis Precibus clementer annuendum cenſuerimus, quemadmodum vigore præſentium annuimus; ac proindè omnibus & ſingulis Typographis, Bibliopolis, Bibliopegis, & aliis quibuscunque negotiationem librariam exercentibus firmiter inhibemus, vetamus, & interdicimus, nè eorum quisquam intra proximos duodecim Annos à Die hujus Privilegii numerandos præmemorata Opera Lulliana intra Sacri Romani Imperii Regnorum, aut quarumcunque Ditionum Noſtrarum hæreditariarum fines ſimili aut alio quopiam Typo vel formâ recudere, aliò recudenda dare, alibíve impreſſa apportare, vendere vel diſtrahere, clam vel palam citra voluntatem & expreſſum à prædicto Ivone Salzinger in Scriptis obtentum Conſenſum præſumat; ſi quis verò Interdictum hoc Noſtrum Cæſareum violare aut transgredi auſus fuerit,

eum

eum non modò ejusmodi Operibus perperam quippè recusis & adductis à suprafato Impetrante ubicunque sivè propriâ Authoritate sivè Magistratûs auxilio vendicandis de facto privandum; sed & pœnâ insuper viginti marcarum auri puri Fisco Nostro Cæsareo & Parti læsæ ex æquo pendendâ irremissibiliter decernimus mulctandum; dummodò tamen hujus Privilegii Nostri Cæsarei tenor pro publica quorumcunque notitia in fronte librorum impressus exhibeatur, & consueta quinque Exemplaria singulorum Operum Lullianorum Arcanæ Nostræ Cancellariæ Imperiali Aulicæ transmittantur. Mandamus idcircò universis & singulis Nostris & Sacri Romani Imperii Regnorúmque & Dominiorum Nostrorum hæreditariorum Subditis, cujuscunque Statûs, Gradûs, Ordinis, Conditionis, Dignitatis, aut Præeminentiæ existant, tam Ecclesiasticis quàm Sæcularibus, præsertim verò in Magistratu constitutis, ac aliis Jus & Justitiam administrantibus, nè quemquam Privilegium hoc Nostrum temerè & impunè violare patiantur, quin potiùs transgressores præscriptâ pœnâ plecti, aliísque modis idoneis coërceri curent, quatenùs & ipsi eandem mulctam evitare voluerint. Harum Testimonio literarum manu Nostrâ Subscriptarum, & Sigilli Nostri Cæsarei appressione munitarum. Quæ dabantur in Civitate Nostra Viennæ die vigesimâ sextâ Februarii Anno millesimo septingentesimo decimo octavo, Regnorum Nostrorum Romani septimo, Hispanicorum decimo quinto, Hungarici & Bohemici verò pariter septimo.

Carolus.

L.S.

Vt Frid. Car. Com. de Schönborn.

Ad Mandatum Sacræ Cæsareæ
Majestatis proprium

Petrus Josephus Dolberg, mpria.

(o)

Censura Ordinarii.

NOvum & antiquum hoc Lumen universale Mundi, primum intellige hunc Tomum Operum Divi Raymundi Lulli Doctoris cœlitùs (ût piè & prudenter creditur, & evidens mihi minimo inter multos est) Illuminati, Luminaris Magni super Candelabrum veræ ac Sanctæ DEI Ecclesiæ positi, ad Illuminationem omnium, qui in domo & extra domum sunt, universalis Monarchæ omnium Artium ac Scientiarum Beati DEI Martyris Agnitione Veritatis Illuminatissimi, Ardore Charitatis Inflammatissimi, Humilitate Profundissimi, Spiritu Contemplationis Altissimi, hunc inquam Tomum primum sepositis omnibus præjudiciis, quibus tanquam cognoscendæ veritatis obicibus intellectum & voluntatem, quantúm potui, liberam & immunem reddidi, ut ad ferendum justum Judicium tantò magis essem dispositus, secundùm quòd concrediti Muneris Ratio & Sapientiæ Studium necessariò exigit, studiosè perlustravi, evolvi, legi, relegi, & penetrandis ejusdem supra modum admirandis, nec à sæculo in simili forma auditis aut visis primitivis Principiis generalibus certissimis, verissimis ac securissimis in Artem omnibus sæculis stupendam non nisi divinâ Virtute redactis per plurium Annorum curriculum vel ipsa etiam Originalia conferendo, me totum consecravi & impendi; & experientia utpote optima rerum Magistra me docuit & convicit, & per gratiam DEI accedente sedulâ lectione certissimè agnovi, in Libris Beati Doctoris & primo hoc Tomo comprehendi sublimem Sapientiam divinitùs inspiratam, & esse non hominum, sed admirabile Opus & incomparabile Donum DEI excelsi, & Thesaurum inæstimabilem Altitudinis Divitiarum Sapientiæ & Scientiæ ejus, præordinatum ad maximam Consolationem & Exaltationem ac Propagationem iteratamque Prædicationem generalem Apostolicam Orthodoxæ Fidei, Sanctæ Matris Ecclesiæ Romanæ, & Sacri Romani Imperii, omniumque Ordinum ac Statuum tam Politicorum quàm Ecclesiasticorum & omnium Artium & Scientiarum Monarchicæ Unitatis Perfectionem, ad Exstirpationem omnium Hæresum ac errorum, ad reducendum totum mundum in bonum statum, esse verum & genuinum Organum universale sciendi, & illius Authori justissimo titulo competere Encomia per Reges & Sapientes de illo enuntiata, quæ in fine Privilegiorum ante Memoriale Collationis & in Testimoniis Virorum Illustrium hoc Tomo referuntur: paucis, censeo, esse Viam compendiosam omnium Bonorum sensualium & intellectualium, naturalium & supernaturalium, Gratiæ & Gloriæ. Atque hoc Testimonium præsentemque Approbationem præmisso acuratiori examine ac scrutinio gratis pro Gloria DEI, ut probanda probentur, & improbanda improbentur, juxta tenorem & vigorem Constitutionis novissimi Concilii Tridentini & ante hoc Lateranensis, post tot tantorum tam Pietate insignium, quàm Doctrina & Nobilitate illustrium Virorum ex variis Statibus authentica & gravissima Testimonia, Censuras & Approbationes ac Vindicias contra calumnias, & post interpositam Authoritatem ipsius Sacrosancti Concilii Tridentini mandantis, Authoris Nomen & Libros ex Catalogo Librorum prohibitorum jure expungi, divino Operi ex Facultate & Authoritate Eminentissimi Ordinarii clementissimè concessa impertiri nullatenus dubito, & id ipsum ad omnis Scientiæ, Veritatis ac Vitæ absolutissimam perfectionem, & Christianæ ac politicæ Reipublicæ majus Incrementum, publicamque utilitatem unicè expedire, & maximè expetendum esse, & Introductionem præclarissimi Editoris & Discipuli Catholicissimis Principiis Operis principalis Divi Doctoris per omnia consentire arbitror, neque in Introductione neque in Opere principali quidquam contra Veritatem, sanam Rationem, bonam Religionem & orthodoxam Fidem; veram Pietatem aut bonos Mores, utilitatem publicam, divinam Gloriam aut ullum excogitabile verum Bonum potui deprehendere, sed potiùs ex oppositio judicare debui, & ista præallegata & omnia pariter bona honesta, jucunda & utilia in utroque potentissimè doceri, efficacissimè induci ac promoveri. Ob quæ innumera vera & magna Bona omni æstimatione, approbatio-

batione, commendatione, applauſu, propagatione, publicâ luce & communi omnium ſaluberrimo uſu, lectione ac ſtudio hoc grande Opus & Donum DEI dignissimum eſſe cenſeo. Qui Tomus primus complectitur primò Introductionem ad faciliorem & profundiorem intelligentiam ipſius Operis principalis, numeris omnibus abſolutiſſimam Inſtructionem, Secretorum Artis Revelationem, Vitam Beati Doctoris, Vindicias, Privilegia in favorem Doctrinæ Lullianæ, Cenſuras & Teſtimonia Regum & aliorum Virorum illuſtrium, & ſi quæ ſint alia à præclariſſimo Compilatore & Editore providè inſerta. Secundò in Opere Principali ipſius Illuminati Doctoris continet primò Artem Majorem ſive Compendioſam inveniendi Veritatem Figuris ſenſualibus intellectui pro meliori captu ſubſervientibus pulcherrimè interdiſtinctam. Secundò Lecturam ſuper Artem prædictam pleniſſimè elucidantem omnes Combinationes Principiorum, & ad particularia inveſtiganda & demonſtranda divinâ prorſus Methodo applicantem. Tertiò denique in quatuor Libris Principia ſpecifica quatuor Scientiarum principalium, nempe Theologiæ, Philoſophiæ, Juris & Medicinæ, quod eſt perfectiſſimum Syſtema ſciendi.

Moguntiæ 7timâ Septembris 1722.

Franciſcus Philippus Wolff, Seminarii Electoral. Moguntini Studiorum Director ac Cenſor Librorum Ordinarius.

SERENISSIMO AC POTENTISSIMO DOMINO D. CAROLO PHILIPPO COMITI PALATINO RHENI, SACRI ROMANI IMPERII *ARCHITHESAURARIO ET ELECTORI, Bavariæ, Juliæ, Cliviæ ac Montium Duci, Principi Möerſiæ, Comiti Veldentiæ, Sponhemii, Marchiæ, Ravensburgi, Domino in Ravenſtein &c.*

PRodit tandem Serenitatis Tuæ Electoralis Auſpiciis Opus Æternitati ſacrum, Opus tot jam ſæculorum famâ celebre redditum, quod Amor Amatorum Sapientiæ & Scientiæ, ac Timor Adverſariorum in univerſum orbem diſperſit, tantóque tempore latere compulit, Opus mirabili modo de Cœlo primitùs datum (ſi Beato Authori habenda fides) mirabiliori conſervatum in hæc uſque tempora, tot Virorum Illuſtrium Doctrinâ & Pietate conſpicuorum ſtudiis

ac

ac laboribus excultum, defensum, vindicatum à calumniis, elucidatum Commentariis, tot Sacræ Romanæ Ecclesiæ Præsulum Authoritatibus roboratum, tot Principum ac Regum Favoribus commendatum, munitum Privilegiis, miris celebratum Elogiis, sub Glorioſisſimo Regimine Invictisſimi quondam Principis & Imperatoris CAROLI Quinti enatum potisſimè in lucem, nunc sub ejusdem Nominis ejusdémque Gloriæ Hærede Glorioſisſimo & Invictisſimo Principe ac Augustisſimo Romanorum Imperatore CAROLO Sexto quasi renatum, totiq; terrarum orbi expoſitum. Prodit (inquam) propitio Numine, Tuóque, Serenisſime Elector, Conſpectui se offert Opus Operum Beati RAYMUNDI LULLI Doctoris Illuminati ac Martyris: Tuum enim se totum agnoſcit, dum in Te Clementisſimo Principe veneratur alterum suum Genitorem Serenisſimum Dominum Fratrem ter beatæ Memoriæ Piisſimum & Sapientisſimum Principem & Electorem JOANNEM WILHELMUM: notum enim non ambigo Serenitati Tuæ Electorali quantâ solicitudine, quantâ benevolentiâ, munificentiâ & largitate secundarit Collectionem & Editionem Divi hujus Operis, quot votis optarit cernere ejus perfectionem, quanto amore arserit erga hanc sacram Scientiam, quantâ veneratione coluerit utrumque genus sacrarum Reliquiarum hujus Illuminati Doctoris & Glorioſisſimi Martyris, nempe & eas, quas chartis consignatas Beatus reliquit posteris, & eas, quas sacri sui Corporis Exuvias possedit dono ipsi transmissas Barcinone ab Illustrisſima Domina Comitissa de la Manresana de nobili Herilium ejusdémque Pii RAYMUNDI Familia cum insigni antiquisſimorum Manuscriptorum copia. Notum pariter Serenitati Tuæ Electorali arbitror, quantâ propensione, quàm laudabili zelo prosecutus sit prælaudatus Clementisſimus Princeps & Elector non solùm Germanæ suæ Patriæ commoda, quin potiùs vastisſimo Regii Animi sui ambitu complexus sit universalis Reipublicæ universalem quoque Utilitatem; hinc nimis arctam judicabat liberalitatem, si suis tantùm Subditis, si tantùm Patriæ, si solùm Imperio foret proficuus, si consuleret deteriori

riori solùm parti neglectâ præcipuâ (volo dicere) si humano generi faveret dono aliquo temporali, quo corpus bearetur corruptioni tandem obnoxium, nisi simul Animarum perpetuò duratura felicitas omni conatu, omnibus viribus promovenda ipsi cordi esset; quod cùm nullâ ratione meliùs & efficaciùs in effectum duci posse persuasum haberet Perspicacisſimus Elector, quàm Opere, quo universum scibile & amabile, necessarium, utile, delectabile, terrenum, cœleste, & quidquid denique humani cordis vota possent suis limitibus claudere, comprehenderetur, inexplicabili fervore conatus est accelerare tanti Operis promulgationem; præsertim cùm non vanâ unius hominis persuasione, sed laudabilisſimo totóque orbe notisſimo undecim Regum Hiſpaniæ Exemplo, Virorum insuper Doctisſimorum hortatu & stimulis inductus fuerit ad tam arduum licèt & vix humeris suis non impar negotium aggrediendum. Libet hìc unius saltem Illustris Authoris subjungere sententiam, quâ supradicta confirmem; is est R. P. Sollerius è Societate JESU, unus eorum Patrum, quorum lucubrationibus vastisſimum & celeberrimum Opus intitulatum (Acta Sanctorum) continuatur; hìc præclarisſimus Author in Dedicatoria Martyrologio Usuardi Antverpiæ impresso Anno 1714. præfixa sic alloquitur Serenisſimum Electorem: *Volvebam Animo singulariſſimam illam Tuam erga eum Sanctum Venerationem, quem primo meo in Actis Sanctorum illustrandis conatu exornaveram: RAYMUNDUM LULLUM loquor, magnum divini ac humani Amoris Specimen, magnum tum immensis laboribus pro Fide Catholica susceptis ac profuso Sanguine sigillatis, tum Libris scribendis Naturæ simul ac Gratiæ Prodigium. Recentiſſima erat eximia Tua hujus Sancti occasione in me benevolentia, cujus Memoriam quàm gratam servem, palam & ubique jucundiſſimâ animi recordatione profiteor. Sine me hic Princeps Sereniſſime orbi universo propalare, quod universus obstupescat: susceptam à Te Viri Beati portentosique Operum omnium, dignam Te solo Principe,*

post

poſt quatuor fermè ſæcula editionem. Quid ego hìc prædicem ſolicitudinem tuam in Operibus undecunque conquirendis, accerſendis, colligendis, quid miſſos quaquaverſum eruditos Viros, qui ea è bibliothecarum ſcriniis ſemiſepulta eruerent, quid expenſas in rem Nomini tuo glorioſiſſimam factas & porrò faciendas ſub DEI ter optimi maximi ipſiúsque Beati Martyris Auſpiciis; audacter dicam, id in hac re, Princeps Sereniſſime, à Te præſtitum fuiſſe, quod Princeps nullus, non Rex, non Cæſar hactenus aggredi auſi fuerint, ut ſingulari providentiâ Gloriæ Tuæ jam ſatis quaquaverſum diffuſæ cumulus hic ampliſſimus accederet. Neſcio, quid ego ampliùs dictis ſubminiſtrare potuiſſem, quo efficaciùs Animum tanti Principis in omne bonum propenſiſſimum impellerem: ſed neque ſic & ſuo deſiderio & ſecuritati Operis ſatis proviſum arbitrabatur incomparabilis Princeps; nam cùm ipſum non lateret varietas temporum & ex illa profluentes caſus, quibus omni laude dignisſimum ſuum propoſitum poſſet incaſſum reddi, præterea ſciret, tantam molem ædificii ſpirituali & corporali ſtructurâ compaginatam firmam ſtare non poſſe, niſi duplici quoque fundamento, h. e. ſæculari & eccleſiaſticâ Poteſtate & Protectione ſtabilitaretur, neminémque ſciret Studiis ſuis & piisſimæ Intentioni comparem, niſi Eminentisſimum ac Reverendisſimum Principem ac Dominum D. LOTHARIUM FRANCISCUM Sanctæ Sedis Moguntinæ Archi-Epiſcopum S. R. I. per Germaniam Archi-Cancellarium & Principem Electorem ac Epiſcopum Bambergenſem, in cujus inſuper Reſidentia Electorali, ſcilicet, Urbe Moguntinâ præfatum Opus typis parabatur, protinus me direxit ad Aulam præfati Eminentisſimi & Reverendisſimi Principis, datis ad ſuam Celſitudinem Electoralem humaniſſimis & amore plenisſimis Literis, quibus illi commendaret, ejúsque ſacræ Tutelæ concrederet prælaudatum Opus: & ſanè non ſinè ſingulari divina Providentia actum arbitror; nam ex eo tempore ſua Celſitudo Electoralis omni Clementiâ & Fa-*

& Favore dignata eſt non ſolùm Opus ipſum proſequi, ſed & me ejus inutile inſtrumentum, cujus humili informatione de præſtantia & inexplicabili utilitate Operis certificata tantum Animi Curæque impendit Cauſæ Lullianæ poſt lugubrem ex hac vita diſceſſum toties laudati Sereniſſimi Electoris Palatini vix non ſimul animam agentis, ut me tanto infortunio exanimatum ſuâ innatâ Clementia in ſpem erexerit, ſub umbra Gratioſiſſimæ ſuæ Protectionis laborem reaſſumere & continuare fecerit, exoptatum diu, & hactenus, vivente ſcilicet Sereniſſimo Electore Palatino, non obtentum Privilegium Cæſareum ab Altefata ſua Sacra Cæſarea Majeſtate ſuo Potentisſimo Patrocinio & Gratioſiſſimo Interventu obtinuerit, me inſuper omnibus neceſſariis providerit generoſiſſimâ & nunquam ſatis deprædicandâ Benignitate; ut proin omnium hominum me ingratisſimum autumarem, ſi tanti Principis felicisſimam Memoriam non omnibus viribus conarer oblivioni temporum ſurripere.

Quod itaque Sereniſſimus Elector Clementisſimus quondam Dominus meus morte præventus abſolvere non potuit tot curis, tot ſumptibus, hoc jam gratis Tuæ Serenitatis Electoralis Gratioſiſſimis Manibus humillimè offero, eâ ſpe & fiduciâ, non fore ingratum hoc Munus, quod Serenitas Tua Electoralis non ab alio, niſi ab amantisſimo Domino Fratre piisſimæ Memoriæ Sereniſſimo Electore Palatino, licèt alienis, ſcilicet, indigni ſui ſervuli manibus recipit; non enim patietur Serenitas Tua Electoralis tam pretioſam ſibi Memoriam Sereniſſimi Domini Fratris fato ſimul extingui, qui in præſenti Opere non tam propriam, quàm Serenitatis Tuæ totiusque Domûs Palatinæ cum ingenti & inextinguibili Gloria conatus eſt perennare: animavit me inſuper gratioſiſſimum Alloquium Serenitatis Tuæ Electoralis, quo me ipſamet dignata eſt ad celerem Operis Editionem hortari & incitare, dum Heidelbergæ Clementisſimas Manus Electorales demisſisſimè exoſculari, operúmque texturam ac ſeriem ſibi præmonſtrari & exponi gratioſiſſimè acceptum habuit. Non ignoro, com-

plures

plures fuiſſe, & forſan impoſterum futuros eſſe, qui inutilem cenſeant & ſuperfluam (ne dicam) noxiam hanc Librorum farraginem, qui collatorum in illos ſumptuum accuſent exorbitantiam, & dicent: ut quid perditio hæc? qui mallent modicas has (ſi Operis magnitudini commenſurentur) expenſas in meliores uſus (ût putant) elocatas; horum certè exiguæ informationi & iſtorum Librorum notitiæ modicóque affectui erga Sapientiam & veritatis certitudinem danda eſt venia; non enim ſcire videntur, nil magìs proprium & conveniens eſſe Viris Principibus, *quàm magnificè tractare Sapientiam*, cùm hâc ſolâ omne Regimen ſumat robur & firmamentum: hac ſe diſtinguunt à reliqua hominum ſorte, & impreſſam in ſe Divinitatis Imaginem lucidiùs oſtentant, hac moderantur Populos, condunt Leges, ampliant potentiam, dejiciunt hoſtes, adminiſtrant juſtitiam, ſubditorum & exterorum devinciunt animos, trahunt admirationem, lucrantur venerationem, hac ſibi ſtatuas erigunt ære firmiores, palatia conſtruunt ruinis temporum non obnoxia; uno verbo Gloriam ſuam futuris conſecrant ſæculis nunquam intermorituram.

Sed ne ſoli tempori videar patrocinari, dum ea celebro, quæ illi inhærent, cum eóque tandem defluunt in abyſſum æternitatis, præterit enim figura hujus mundi; alterum donum eſt Sapientiæ omnibus antea commemoratis longè anteferendum, nempe *Pietas*, quæ parvo eſt in pretio, niſi cognoſcatur ejus valor eximius; hunc autem detegit Sapientia, ejus radices, truncum, branchas, ramos, folia, flores & fructus (ſunt verba Divi mei Magiſtri) exponendo: hæc eſt illa celebris Arbor, quæ comparanda eſt Ligno Vitæ, quæ fert fructus in Vitam æternam, quæ ſalvat Animam à ſecunda morte; quid enim prodeſt homini, ſi mundum univerſum lucretur, Animæ verò ſuæ detrimentum patiatur? hæc eſt illa vera Sapientia ſupradictæ Sapientiæ filia, quâ, qui bene uſi ſunt, amicitiæ DEI participes facti ſunt; hæc majorem laudem & commodum confert Principi omni voce Populi, omni Pompâ & Splendore Regni, omni Divitiarum magnitudine, bello-

bellorum gloriâ, amicorum fœderum fulcimine. Hanc proin docuit Sapientia in Libris B. Doctoris mei contenta Sapientiſſimum & Piiſſimum Principem & Electorem Gratioſiſſimum quondam Dominum meum JOANNEM WILHELMUM; à quibus, ſcilicet, Sapientia & Pietate ſolis ipſum tanquam Principum Decus & inſigne Pietatis Exemplar laudare obligor, & ſufficienter laudare valeo ſinè metu adulationis, eo ſcilicet tempore, ubi nec laudatum tentare poteſt elatio, nec laudantem adulatio: nam etſi millenis aliis titulis me Clementiſſimo huic Principi devinctiſſimum profitear (utpote cujus manſuetudo, humanitas, affabilitas, benignitas, ſinceritas & candor mentis, humilitas erga etiam infimæ ſortis homines vix non limites agnatæ Dignitatis excedens nemini ferè magìs quàm mihi conſcia, quámque in tot aliis & in me ipſo dignatus eſt exercere) ad laudes ipſius affatim enuntiandas (quid commemorem Reverentiam erga Dignitatem Sacerdotalem, quam etiam in iis ſuſpicere & venerari non omiſit, qui hoc charactere inſigniti illum vitâ compari non condecorarunt) hæc omnia tamen non adæquant conceptum Animæ meæ impreſſum, & quotidie, dum vixero, oculis meis obverſantem, de Pietate, quam erga Dominum ſuum è Cruce pendentem & Beatiſſimam ejus Genitricem ſingulis diebus bis exhibuit, & matutino & veſpertino ſcilicet tempore, dum in Genua provolutus ad binas uſque horas cum lacrymis & altâ voce ſuorum delictorum veniam divinámque Gratiam exorabat, me plerumque ſpectante & præ teneritudine animi collacrymante: quid taceam, quòd idem Devotiſſimus & Humillimus Elector Clementiſſimus meus Dominus dignatus eſt mecum evolvere à capite ad calcem non unâ, ſed pluribus vicibus, notum illum jam per totam Germaniam & utiliſſimum Librum de Vita & Paſſione Domini, ejúsque integerrimæ & à labe originali præſervatæ Matris Virginis Hiſpano Idiomate conſcriptum à Venerabili Sorore Maria de JESU Ord. S. Franc. Abbatiſſa Conv. de Agreda; cujus Libri lectione Cor ipſius miro modo exultabat, & inflammabatur ad inſequenda veſtigia Domini

ſui

ſui patientis & Virginis Matris compatientis. Neque hoc de Pietate ipſius maximè conſpicua ſilere me convenit, quòd Theologiam Cordis (Librum Gallico Idiomate editum, & à me ipſi ſubminiſtratum) adeò ſibi familiarem reddiderit, ut vix ullâ die à lectione illius ſuperſederit; ſciebat enim Sapientiſſimus Princeps, quòd mundi corde beati prædicentur, quia DEUM eſſent viſuri, quæ vera eſt Sapientia & Scientia, cui nulla alia poteſt æquiparari: ſed quid mutuo aliena, cùm propria mihi ſuppetant è Penu Lulliana deprompta? perlegebat Glorioſi Recordii Elector attentiſſimè Libros Beati RAYMUNDI non modò de Philoſophicis agentes, ſed & de Theologicis, præſertim Theologiam Myſticam tractantibus, qualis eſt Divinus planè Liber Contemplationis, cujus Capita ſparſim (prout nempe Rubricarum expetita ſignabat materia) à me è Lemovicenſi latinè reddita Gratioſiſſimis illius Obtutibus ſubdebantur: & hac lectione provocatus nil magis Animo ſpirare videbatur, quàm Libri hujus vaſto Volumine turgentis præmaturam editionem; utpote cujus Doctrinâ ſacrâ & fortiſſimis Argumentis præviderat Chriſtianam Rempublicam innumeris Bonis ſpiritualibus exornandam. Hæc ſunt veræ Pietatis Inſignia, Sereniſſime Elector, quæ perpetua animi mei gratitudo de Principe verè Pio, verè Catholico erigere me jubet, non appenſa Pyramidibus ſepulchralibus, ſed Chriſtianorum Principum & Virorum literatorum, præſertim verò Tuæ Serenitatis Electoralis Memoriæ commiſſa; hæc ſunt Opera illuſtria, quibus Principum illuſtratur vita, condecoratur mors, quæ non fato delentur; ſi enim Opera illorum ſequuntur illos, quænam Opera ſecuta ſint tam Glorioſum, tam Magnanimum, Pium & Juſtum Principem poſteritati expoſuit Opere hoc Lulliano poſt ſe in terris relicto, quo omnia mala opera radicitùs evellerentur, & futuris temporibus omnia bona copioſè floreſcerent.

Quis igitur ambigat, Serenitatem Tuam Electoralem, in cujus ſereniſſima Fronte relucet Fraterna Clementia, cujus Cordi implantata eſt par inclinatio ad omne bonum, cujus

cujus ſublimis Perſpicacia eodem, ſi non majori, viget ardore promovendæ Scientiæ & Sapientiæ, non ſolùm omni Clementiâ recepturam Libros à Sereniſſimo Domino Fratre feliciori (ſit venia verbo) partu mundo prognatos, quàm Liberos, quibus Sereniſſimam Domum Electoralem Palatinam ſervabit immortalem, ſed & ſuâ potentiſſimâ Protectione eosdem malevolorum machinationibus erepturam, Sereniſſimis quoque duobus Fratribus commendaturam, ſcilicet Sereniſſimo ac Reverendiſſimo Domino D. LUDOVICO FRANCISCO Principi & Electori Trevirenſi, ac Sereniſſimo & Reverendiſſimo Domino D. ALEXANDRO SIGISMUNDO Epiſcopo Auguſtano: cujus præmemorati Clementiſſimi Principis & Electoris Animus huic Operi minimè averſus vel inde mihi conſtat, quòd & vivente adhuc Sereniſſimo piiſſimæ Memoriæ Electore, dum ad ſuam Serenitatem Electoralem Gratioſiſſimus mihi pateret Acceſſus, & Clementiſſimas præberet Aures, quando ſuæ Serenitati Electorali conabar humillimè exponere Contenta Operum Illuminati Doctoris; quâ narratione ſingularem videbatur complacentiam præferre: & noviſſimè, quando ſua Serenitas Electoralis diverterat ad Aulam Eminentiſſimi ac Reverendiſſimi Principis & Electoris Moguntini, ac à me primos quatuor Tomos Operis ferè ad calcem perductos ſuæ Serenitati Electorali humillimè præſentatos Gratioſiſſimo Oculo perluſtraverat; annexo inſuper Gratioſiſſimo Indulto, ut (ſi Sereniſſimo Electori Palatino non eſſet adverſum) ſuæ Serenitati dedicarem prælaudatum Volumen de Contemplatione. Similem favorem Operibus hiſce exhibendum non vanè auguror à Sereniſſimo & Reverendiſſimo Domino Epiſcopo Auguſtano, ſi modò ſua Serenitas aliquam horum notitiam dignabitur recipere; hac enim ratione accidet, ut funiculus hic triplex difficilè rumpatur, accedente inſuper Authoritate Auguſtiſſimi Imperatoris Operi præfixâ, ad quam tanquam ſupremam & finalem in terris

terris Gloriam Serenisſimæ Domûs Palatinæ mirâ DEI Providentiâ hoc Opus devolutum eſſe credibile eſt, nempe ut Alis Romanæ Aquilæ defendatur ab unguibus ululârum, & in altum efferatur, non ampliùs deprimendum. Hac porrò Clementiâ reſtituetur Divo Authori Honor vel iniquitate adverſariorum ablatus, vel ſiniſtrâ innocentum informatione detentus, paulatímque ſedem figet in Virorum Illuſtrium Animis ſublimis hæc Scientia, quæ non aliam ob cauſam hactenus tenebris involuta judicari potuit, niſi quia illius Lumen de ſe Sole clarius adunatum non erat, ſed per radios à ſe ſejunctos (volo dicere) per particulas in totum terrarum orbem diſperſum. Hac Humanitate erga B. RAYMUNDUM ejúsque cœlitùs acceptam Doctrinam conciliabit ſibi Serenitas Tua Electoralis mutuos è Cœlo favores, Patrocinio videlicet hujus Beati; & qui ſe publicis Tabulis glorioſo ipſius Sepulchro Palmæ Majoricarum affixis humano generi commendavit ſub Titulo *Diſpoſitoris Sanitatis*, elargietur Tuæ Serenitati Electorali Salutem Corporis, & Salutem Animæ ab Amato ſuo efficacisſimè exorabit.

Ego exiguus tanti Doctoris Diſcipulus non habeo, quod de meo apponam, niſi Vota & Sacrificia pro diuturna incolumitate Serenitatis Tuæ Electoralis, felicíque ac longævo Regimine: ne tamen quis me arguat, quaſi Librum Principibus clauſum, & ſolummodò Doctis apertum Serenitati Tuæ Electorali obtulerim, dignetur (humillimè rogo) Serenitas Tua frontem illius inſpicere (eſt enim ſcriptus intus & foris) ac ſedecim Reginas & Imperatrices Artis auſcultari, ipſæ de ſe loquantur, ætatem habent; hoc enim luſu joco-ſerio horis ſucceſſivis poterit Tua Serenitas Electoralis Animum curis civilibus prægravatum exonerare, Mentémque altisſimarum, utiliſſimarum & Principe dignarum Veritatum pabulo reficere; eſt enim adeò facunda & fœcunda harum Imperatricum non garrulitas & ſuper-

ſupervacua confabulatio, ſed profundisſima ratiocinatio, & ſecretarum Veritatum revelatio, ut illæ ſolæ ſufficiant ad occupandum Intellectum Serenitatis Tuæ Electoralis, ſi vel mille Annis Vitam prorogaret, ſingulósque dies non alio, quàm hoc nobili ſtudio conſumeret. DEUS conſervet Tuam Serenitatem Electoralem, ût voveo & opto, ac permaneo

SERENITATIS TUÆ ELECTORALIS

Humillimus, devotisſimus, obligatisſimus
& fideliſſimus Servus Ivo Salzinger
Sacerdos.

LIBER
REGUM ET PRINCIPUM.

SUb quadam Arbore veris Discipulis Raymundi nota, quæ duos tantùm fert fructus, unum rubeum, & alterum album ad sanitatem Gentium, ad quos ascendunt per quatuor scalas, & ad quendam Fontem in duo se flumina dividentem, quorum unum est in claritate adamantis, alterum in rubedine sanguinis, consederunt sedecim Reginæ & Imperatrices, & loquebantur de Regimine hujus mundi, proferebatque una illarum hæc verba: O utinam Reges & Principes scirent valorem Sapientiæ, quàm bona esset Ordinatio & Dominium in hoc mundo, & quantò magìs conarentur procurare multiplicationem boni publici, quàm privati, & augmentare possessiones bonorum æternorum, quàm ambire acquisitionem Regnorum transitoriorum! dum sic loquebatur & suspirabat, convenerunt omnes ad hoc, ut discurrerent de præstantia & utilitate Sapientiæ, déque Modo eam acquirendi & multiplicandi; itaque secundùm ordinem incepit

BONITAS.

1. *AIt igitur Bonitas: ego sum Dignitas, per quam Reges & Principes benè regunt & imperant populo; sed quia hoc nescirent facere sinè Sapientia, manifestum est, quòd non esset bonum, si essem sinè Sapientia. Interrogat Sapientia Bonitatem, quomodo bona esset hæc argumentatio? Sortes est bonus & sapiens, & est Rex, ergò est bonus sapiens Rex. Respondet Bonitas, per conversionem simplicem Bonitatis, Sapientiæ & Dominii.*

2. *Duos inimicos habeo (ait Bonitas) bonum apparens & malum apparens; in primo amant homines meum inimicum occultum sub mea figura, in secundo odiunt homines me latentem sub figura mei inimici: unde sinè Sapientia nescirem me defendere contra astutiam illius.*

3. *Ait Bonitas: scire malum & bonum non est malum, sed amare malum & bonum est malum; ex quo patet, quòd Sapientia in me Bonitate potest sibi amorem æqualem facere, sed non in meo contrario.*

4. *Cùm majus bonum sit magìs amabile, quàm minus, & majus malum magìs odibile, quàm minus, idcirco (ait Bonitas) per Sapientiam possunt Principes cognoscere majora bona & majora mala, & per voluntatem eligere majora bona ex libertate, & minora mala ex necessitate.*

MAG-

MAGNITUDO.

1. *AIt Magnitudo: ego dicor de Bonitate & malitia, nam homines me utuntur ad nominandam magnam Bonitatem & magnam malitiam, sed non sum realiter nisi in Bonitate; nam si essem in malitia, aut ego essem nihil sicut malitia, aut malitia esset aliquid sicut ego: est ergò mirabile, quare me utantur homines contra meam naturam? Respondit Sapientia, si homines non uterentur se contra suam naturam, non uterentur te contra tuam naturam; nam cùm tu sis pars hominum, quoties pervertitur totum, necessariò pervertitur pars.*

2. *Inquit Magnitudo: si mundus hic esset immensus, ût putare videtur Cartesius, necessariò esset æternus; quia ejus Duratio esset immensa, & per consequens æqualis Magnitudini; si verò Duratio mundi esset minor, & Magnitudo major, tota Differentia Magnitudinis à Duratione esset in nihilo; quia non duraret: scisnè Sapientia, quid per hoc velim dicere? scio, ait Sapientia, nempe quòd DEUS creando mundum fecerit illum æqualem in Magnitudine & Duratione, ut daret Principibus exemplum, ne magnificarent id, quod non posset durare.*

3. *Ait Magnitudo: illa Potestas est magna, quæ potest bonum, quod vult, sed illa potestas est major, quæ non vult malum, quod potest; ergò illa erit maxima, quæ potest & vult omne bonum, & non potest nec vult ullum malum; & hæc est divina Potestas: optimè dicis, ait Sapientia: hæc est norma Regum & Principum magnificandi suam Potestatem.*

4. *Quærit Magnitudo à Sapientia, quænam est ratio, quare ego sim quandoque major in subjecto, quàm tu Sapientia, cùm tamen ex natura nostra simus æquales? Respondit Sapientia: hoc fit per accidens, aut enim natura exaltat te, & deprimit me, aut exaltat me, & deprimit te; sed hoc per sensuale, & non per intellectuale; nam per intellectuale sumus semper æquales, ût nosti: quod si sic non esset, nullus Princeps indigeret consilio, nec ullus subditus esset sapiens; & hæc inæqualitas est Principibus causa se humiliandi.*

DURATIO.

1. *DIcit Duratio: ego sum imago Æternitatis, & quia Æternitas est DEUS, ego sum imago DEI; cùm ergò DEUS sit Spiritus, & non corpus, & omne corpus sit de nihilo, quantò magìs ascendo ad spirituale, tantò magìs accedo ad DEUM, & quantò magìs descendo ad corporale, tantò magìs accedo ad nihil: unde ergò provenit, quòd Principes me plerumque magìs conentur multiplicare in corporalibus, quàm in spiritualibus?*

2. *Quæ-*

2. *Quærit Sapientia à Duratione, cùm regnare ſit amabile, & ſervire ſit odibile, & regnare per non durare transmutetur in ſervire, quare tu Duratio non facis ſemper durare in Principibus ipſum regnare? Reſpondit Duratio: quia non ſemper habeo*
a. Eccl. 10. v. 8. Virtutem *durandi, & tu Sapientia bene ſcis, quòd (a) propter injuſtitiam, quæ eſt vitium, transferuntur Regna; & ideo (ait Duratio) quare tu Sapientia non doces Principes Virtutem? Excuſat ſe Sapientia, & ait: Principes in Juventute multa pulchra & delectabilia addiſcunt, & habent magiſtros ſaltandi, digladiandi, equitandi, ludendi &c.; ſed ego quandoque hominem non habeo, qui me Principi reddat amabilem.*

3. *Inquit Duratio: ego magìs duro in duro, quàm in molli per unum modum, & magìs duro in molli, quàm in duro per alterum modum; & ſi hoc non eſſet ita, non magìs duraret ſilex, quàm vinum, quod citò convertitur in acetum, & non magìs duraret argentum vivum, quàm lignum, quod citiùs putreſcit, quàm argentum vivum: & tu Sapientia ſcis, quòd ſapienter hoc facio. Ait Sapientia: ſcio, quòd Juſtitia Principum ſit dura, & Miſericordia Principum ſit mollis: & quia una & altera eſt neceſſaria, utraque convenit cum Duratione.*

4. *Ait Duratio: ego duro, quia poſſum durare; namſi non poſſem durare, non durarem; & ideo in DEO ſum idem cum Poteſtate & Infinitate, ut poſſim infinitè durare. Dic Sapientia, quid hoc ſignificat in creatura? Reſpondet Sapientia: hoc monſtrant Principes, qui ideo conantur augmentare ſuam Poteſtatem, ut augeant Durationem ſuorum Regnorum: bene (ait Duratio) ſed nunquid magìs conſulerent Durationi, ſi multiplicarent intrinſecè ſuam Poteſtatem, quàm extrinſecè; cùm omnis actio ad intrà ſit fortior, quàm ad extrà?*

POTESTAS.

1. *QUantò magìs ſum libera (ait Poteſtas) tantò magìs ſum potens; ideo major ſum in Principe, quàm in ſubdito: & ideo quò magìs Princeps eſt liber, eò magìs eſt potens; ſed quia Princeps eſt potens per poteſtatem, & non per ſe ipſum, & DEUS eſt ſuprema Poteſtas, oportet, Principem tantùm eſſe ſubditum DEO, quantùm eſt liber à ſubditis.*

2. *Ait Poteſtas, Potentes, qui potenter agunt tormentis (belli-*
b. Sap. 6. v. 7. *cis) contra Juſtitiam, (b) potenter tormenta patientur propter injuriam; & ſi hoc non eſſet ita, injuria eſſet major agendo, quàm Juſtitia; quod eſt impoſſibile: nam ſi eſſet poſſibile, ſuprema Poteſtas eſſet contraria Juſtitiæ; & ſi eſſet, eſſet contraria ſibi ipſi; & hoc eſt impoſſibile.*

3. *In-*

3. *Inquit Poteſtas, quantò magìs ſum remota à Sapientia, tantò minor ſum, & quantò magìs ſum propinqua Sapientiæ, tantò major ſum, ſed in habitu tantùm; ſed quantò magìs ſum remota à voluntate, tantò minor ſum in actu, & quantò magìs ſum propinqua voluntati, tantò major ſum in actu.*

4. *Ait Poteſtas: ego major ſum per Amorem, quàm per timorem; quia per Amorem poſſum vincere volentes, ſed per timorem cogor vincere nolentes; & ideo per Amorem ago naturaliter, ſed per timorem contra naturam: ſapienter ergò agunt Principes (ait Sapientia) qui, quamdiu poſſunt, exercent Poteſtatem Amoris, quàm Poteſtatem timoris.*

VOLUNTAS ſeu AMOR.

1. *QUia homines poſſunt velle bonum & malum (ait Voluntas) eſt bonum, quòd non poſſunt omne, quod volunt; quia facerent plura & adhuc majora mala, quàm faciant; hinc (inquit Sapientia) bona eſt ignorantia: & quomodo hoc? (ait Voluntas) Quia ignorantia (reſpondet Sapientia) convenit cum impotentia.*

2. *Ait Amor: ego ſum maximus amicus hominis, & maximus inimicus; ſum maximus amicus hominis in hoc, quia naturaliter non amo niſi bonum hominis, & majus bonum magìs amo, quàm minus: ſum maximus inimicus hominis in hoc, quia ſum domeſticus ejus, (c) & quia inimici hominis domeſtici ejus, & ego inter domeſticos ſum ſupremus: ergò.*
c. Matth. 10. v. 36.

3. *Inquit Amor: quia omne bonum eſt amabile, & omne pulchrum eſt bonum, ideo omne pulchrum eſt amabile; & quia omne majus bonum eſt magìs amabile, & verum eſt majus bonum, quàm pulchrum, ideo verum eſt magìs amabile, quàm pulchrum: unde ergò provenit (ait Amor ad Sapientiam) quòd homines ament magìs pulchra, quàm vera? Reſpondet Sapientia: quia homines magìs utuntur viſu ſenſuali, quàm intellectuali; ſi enim clauderent oculos ſenſuales, & aperirent oculos intellectuales, utique viderent, quòd, quia fallax (d) Gratia & vana eſt pulchritudo, non diu manet; Veritas (e) autem Domini manet in æternum.*
d. Prov. 31. v. 30.
e. Pſ. 116. v. 2.

4. *Eſt mirabile (ait Amor) in Magnete ego & meum contrarium ſumus in eodem puncto, ſed quando ego ſum actu, illud eſt in potentia, & è converſo: & quando Magnes in medio ſecatur in duas partes, tunc in una parte ego devenio in potentiam: quid hoc ſignificat Sapientia? Reſpondet Sapientia: quamdiu creatura eſt unita cum ſuo Creatore, tamdiu eſt in illius Amore, ſed quamprimùm ſeparatur ab illo, convertitur amor in odium ſinè alteratione Creatoris.*

VIR-

VIRTUS.

1. *AIt Virtus: ego ſum major in minoritate, & minor in majoritate; quia in minoritate materiæ ſum intenſa, & in majoritate materiæ extenſa; & ideo concordo cum Humilitate, & ſum contraria ſuperbiæ.*

f. Sap. 1. v. 4. 2. *Manifeſtum eſt (inquit Virtus) quòd (f) in malevolam Animam non intret Sapientia; ex quo infertur, quòd in virtuoſam Animam non intret inſipientia; quod eſſet impoſſibile, ſi ego poſſem eſſe ſinè Sapientia, aut Sapientia ſinè me.*

3. *Ait Virtus: quantò magìs ego creſco, tantò magìs materia decreſcit, & quantò magìs materia creſcit, tantò magìs ego decreſco; & hoc eſſet falſum, ſi Syſtema Carteſii eſſet verum: quid tum (ait Sapientia)? ſi hoc eſſet falſum, quod dixi (replicat Virtus) utique ſequeretur, quòd in DEO non eſſet Virtus, cùm in DEO non ſit materia, vel quòd ego, quantò magìs recederem à materia, non magìs aſſimilarer ſupremæ Virtuti.*

4. *Inquit Virtus: ſi totus mundus eſſet palea, ego in una ſcintilla ignîs totum mundum poſſem convertere in ignem; & ſi una libra plumbi à centro terræ diſtaret infinitè, & caderet deorſum verſùs centrum terræ, ego in infinitum multiplicarem motum & velocitatem; & hoc ſciunt ruſtici & Philoſophi: dic mihi ergò Sapientia, ſi Philoſophi negant, quòd idem facere poſſim in ſingulis ſubjectis naturalibus per actionem permanentem, quod in prædictis poſſum facere per actionem tranſeuntem, per quid diſtinguuntur à ruſticis? Reſpondet Sapientia: hoc pete ab illis, ego ſum amica Philoſophorum.*

VERITAS.

1. *INquit Veritas, quia hominibus ſum maximè neceſſaria, per neceſſitatem ſum hominibus maximè demonſtrabilis; & quia in omnibus rebus eſt neceſſitas, ſicut in omnibus eſt Veritas, miror, quare tam pauci me cognoſcant? Ait Sapientia,*

g. Joan. 18. v. 38. *quia non ſapienter quærunt à Sapientia (g) quid eſt Veritas?*

2. *Dicit Veritas: ego in Aula hujus Mundi ſum maximè ne-*

h. Prov. 31. v. 21. *ceſſaria, & maximè impoſſibilis; nam cùm ſim nuda, & (h) omnes domeſtici ejus ſint veſtiti duplicibus, nolunt me recipere niſi ſub*

i. 1. Reg. c. 17. v. 39. *duplici habitu; & quia (i) non poſſum ſic incedere, ejicior foras, & locum meum occupat mea æmula, quæ me mentitur ſub habitu ſimulationis, adulationis, hypocriſis: nam ſimulatio tegit falſum ſub habitu veritatis, adulatio malum ſub habitu bonitatis, hypocriſis vitium ſub habitu virtutis; & quia primus miniſter aulæ, ſcilicet amor proprius, eſt amicus illius, facilè ab illo admitttitur.*

3. *Ait*

3. *Ait Veritas: quia (k) Veritas de terra orta eſt, & Juſtitia de Cœlo proſpexit, & eſt tanta diſtantia inter Cœlum & terram, non eſt mirum, quòd in terra Juſtitia & Veritas tam rarò conveniant: ergò nec mirum eſt, ait Sapientia, quòd falſitas & Juſtitia in Cœlo non conveniant.*

k. Pſ. 84 v. 12.

4. *Omnes me quærunt (inquit Veritas) ſed quia ferè (l) omnes quærunt, quæ ſua ſunt, pauci me inveniunt; & quia (m) ego Gloriam meam non quæro, & (*) Gloriam præcedit Humilitas, nemo ſe vult mecum humiliare: in quo ergò (quærit Sapientia) deberent homines ſe humiliare, ut te invenirent? Reſpondet Veritas, in me affirmando, & in te negando. Quomodo hoc eſt poſſibile? (ait Sapientia) facilè (regerit Veritas) negando te in ſe ipſis, & affirmando me extra ſe ipſos.*

l. Phil. 2. v. 21. m. Joan. 8. v. 50. * Prov. 15. v. 33.

GLORIA.

1. *AIt Gloria: ego non ſum in Principe, ſed in Dignitate Principis; & ideo quando Princeps moritur ego non morior (n) neque deſcendit cum eo Gloria ejus, ſed de uno ſubjecto tranſeo in aliud, ût materia de una forma in aliam: & ſi hoc Principes ſæpe conſiderarent, me non nimis amarent; ſed eſt alia Gloria in Principe, quæ eſt forma Principis, cujus ego ſum figura, hanc deberent amare; nam illa Principes reddit immortales.*

n. Pſ. 48. v. 18.

2. *Inquit Gloria: olim ego inſequebar me fugientes, nec poteram illos attingere, quamvìs velociſſimè currerem, nunc me inſequuntur fugientem; & quia ego ſum vacua, & per conſequens levis, & ad curſum diſpoſita, illi verò pleni rebus terrenis & graves, quocunque conatu currant, non attingunt niſi meam umbram.*

3. *Ego & Humilitas (ait Gloria) ſumus in contrario motu; nam ego aſcendo, & illa deſcendit; nec propter hoc una alteri eſt contraria, dummodò ſimus æquales; nam ſi gravitas & levitas, quæ ſunt contrariæ qualitates, poſſunt convenire æqualiter in medio, & per hoc perficiunt ſuum ſubjectum, diſponendo illud ad motum circularem, qui eſt perfectior motu recto, quantò magìs ego & Humilitas concordantes æqualiter in ſubjecto poſſumus perficere ſubjectum, reddendo illud immobile.*

4. *Ait Gloria: quia habitus, quem homines induunt, eſt habitus artificialis, & habitus, quo vegetabilia veſtiuntur, eſt habitus naturalis, & naturale eſt nobilius, quàm artificiale, ideo (o) Salomon in omni Gloria ſua non erat veſtitus ſicut unum lilium agri; ſed quia habitus fœni agri hodie eſt, (p) & cras*

o. Math. 6. v. 29. p. ibid. v. 30.

cras in clibanum mittitur, & per consequens corrumpitur, & habitus Virtutum potest perpetuò durare, malè agunt, qui majorem Gloriam quærunt in habitu corporis, quàm in habitu Animæ.

PERFECTIO.

1. *DIcit Perfectio: per me* esse *est remotum à privatione, & per meum contrarium* esse *est propinquum privationi; & tamen in creatura non possum esse sinè meo contrario: ergò si non essem extra creaturam, sequeretur, quòd ego & meum oppositum respectu ipsius esse essemus æquales: & si hoc esset verum, Princeps non esset nobilior, quàm subditus, cùm in esse sint æquales.*

2. *Inquit Perfectio: qui dicunt, quòd mundus esset magìs perfectus, si in mundo totum esset bonum, & nullum esset malum, implicitè affirmant, aut quòd Creator mundi non sciverit, aut non voluerit, aut non potuerit mundum magìs perficere; si non scivisset, non esset infinitè sapiens, si non potuisset, non esset infinitè potens, si non voluisset, non esset infinitè largus. Objicit Sapientia: DEUS est infinitè liber, ergò potuit mundum facere, sicut ipsi placuit. Verum est, respondet Perfectio, sed quia ego & Magnitudo & Libertas sumus idem in DEO, ideo DEUS liberè fecit mundum in tam magna Perfectione, quòd nulla creatura possit excogitare alium mundum hoc magìs perfectum.*

3. *Dicas ergò Perfectio (petit Sapientia), quomodo potes esse major per bonum & malum, quàm per bonum tantùm? Respondet Perfectio: nunquid est major perfectio facere bonum ex malo, quàm facere bonum ex bono; nam facere bonum ex bono, est facere aliquid ex aliquo, sed facere bonum ex malo, est facere aliquid ex nihilo, quod est solius DEI: & nonnè tu ipsamet*
q. Math. 5. v. 48. *Sapientia dixisti: (q) Estote perfecti, sicut & Pater vester cœlestis perfectus est, qui solem suum oriri facit super bonos & malos?*

4. *Ait Perfectio ad Sapientiam: cùm antea simus locutæ de Libertate DEI, quæ est infinita Perfectio, & est idem cum omnibus Dignitatibus DEI, quare non dicis, quòd DEUS scivit vel non scivit, potuit vel non potuit mundum perfectiorem facere, sicut dicis, quòd DEUS voluit vel non voluit illum perfectiorem facere? Respondet Sapientia: solve mihi sequentem quæstionem, & ego tibi solvam præcedentem: cùm major sit Perfectio scire id necessariò, quod est liberè futurum, quàm quod est necessariò futurum, quomodo ego scio liberè futura? Risit Perfectio, & tacuit.*

JUSTI-

JUSTITIA.

1. *AIt Justitia: si nulla esset Justitia, nulla esset injuria; sed etiam si nulla esset injuria, tamen esset Justitia: quomodo hoc probas? infert Sapientia: facilè, replicat Justitia: facere contra Justitiam est injuria, sed si nulla esset Justitia, nemo faceret contra Justitiam, ergò nemo faceret injuriam: sed si nulla esset injuria, nihil esset, cui Justitia esset contraria, esset tamen aliquid, cum quo Justitia concordaret, scilicet, meritum: ex quo infertur, quòd Justitia non cogat, esse injuriam.*

2. *Dicit Justitia: si justum est dare pro finito merito infinitam Gloriam, ergò etiam justum est dare pro finita culpa infinitam pœnam: quod si non, sequeretur, quòd haberem minorem potestatem in opposito, quàm in proposito; & hoc est impossibile, cùm sim infinita: unde malè dicunt, qui dicunt, quòd pœna damnatorum debeat habere finem, & nesciunt, quid significet in hoc mundo pœna capitis.*

3. *Interrogabat Sapientia Justitiam, quomodo cognosceretur bonus Judex? facilè (respondet Justitia) sicut cognoscitur bona Religio. Et quomodo cognoscitur bona Religio? (repetit Sapientia) per Miracula (ait Justitia); nulla enim mala Religio potest Miracula facere. Sed quodnam est Miraculum boni Judicis? (iterum petit Sapientia) non diligere munera (ait Justitia) est majus Miraculum, quod Judici convenit; nam quia munera*
r. Deut. 16. v. 19. *(r) excæcant oculos sapientum, non recipere munera æquivalet sapientes de cæcis facere videntes. Ulteriùs pergit quærere Sapientia, quomodo cognoscitur verus Judex? Respondet Justitia: sicut cognoscitur vera Religio. Et quomodo hæc cognoscitur? per infallibilitatem; nulla enim falsa Religio potest esse infallibilis: unde verus Judex est ille, qui est tam sapiens, ut non possit falli, & tam bonus, ut non velit fallere: (s) Quis est hic, & laudabimus eum? fecit enim multa mirabilia in vita sua.*
s. Eccl. 10. v. 9.

4. *Inquit Justitia: est Justitia, quòd DEUS sit misericors, & est Misericordia, quòd DEUS sit justus: & per hoc demonstratur, quòd Misericordia mihi non sit contraria, nec ego Misericordiæ: est verum, ait Sapientia; sed est major Justitia, quòd DEUS sit misericors erga suam Justitiam, quàm erga injuriam creaturarum, & est major Misericordia, quòd DEUS sit justus erga suam Misericordiam, quàm erga Justitiam creaturarum; & hæc per allegoriam dicta sunto.*

LAR-

LARGITAS.

1. *DOnare, ubi non est donandum, est prodigalitas, ait Largitas; & non donare, ubi est donandum, est avaritia; ergò donare, ubi est donandum, & non donare, ubi non est donandum, est Largitas: & quia sinè Sapientia difficilè est discernere inter hæc tria, & convenit, Principes esse largos, ideo convenit, Principes esse sapientes.*

2. *Plus dare, quàm dandum est, est vitium, minus dare, quàm dandum est, etiam est vitium, ergò nec plus nec minus dare est Virtus; sed nec plus nec minus dare convenit cum æqualitate, & æqualitas cum Justitia, ergò ego (inquit Largitas) convenio cum Justitia.*

3. *Quia DEUS dat totum, quod habet, non est avarus, & quia retinet totum, quod habet, non est prodigus, ergò est largus; & quia quod dat & retinet est infinitum, DEUS est infinitè largus: quid sequitur? ait Sapientia: hoc sequitur, respondet Largitas, quòd Principes non debeant tantum dare, ut ipsi egeant, nec tantum retinere, quasi soli deberent vivere.*

4. *Quia Magnes tantum expellit per unum polum, quantum attrahit per alterum, & è converso, ideo durat Virtus Magnetis in illo, & non minuitur: quid hoc vult dicere? ait Largitas ad Sapientiam. Respondet Sapientia, quòd Principes, qui secundùm proportionem ad Justitiam recipiunt à subditis, & dant subditis, nunquam deficiant opibus.*

MISERICORDIA.

1. *INquit Misericordia, qui est misericors erga illum, qui facit injuriam, est injustus erga illum, qui patitur injuriam; & qui est justus erga illum, qui patitur injuriam, non est misericors erga illum, qui facit injuriam: hinc quæritur, quomodo DEUS potuit Angelum peccantem damnare, & hominem peccantem salvare? Respondet Sapientia, solutio hujus quæstionis data est §. 4. Justitiæ; & per hoc patet, quomodo unus paragraphus connectitur cum altero, & unus revelat secreta alterius.*

2. *Ait Misericordia: ego & Justitia soror mea in DEO necessariò sumus æquales, sed in creatura contingenter; quia quandoque ego sum major, & illa minor, quandoque illa major, & ego minor: per quid? quærit Sapientia: ego (replicat Misericordia) per Humilitatem, & Justitia per superbiam; quia quantò major est superbia, tantò magis punit illam Justitia, & quantò major est Humilitas, tantò magis illi condonat Misericordia.*

3. *Per*

3. *Per Justitiam ego sum magna, ait Misericordia, per Humilitatem sum major, per Patientiam sum maxima: quomodo? petit Sapientia: per Justitiam satisfecit DEUS pro homine, quæ est magna Misericordia; per Humilitatem DEUS factus est Homo pro homine, quæ est major Misericordia; per Patientiam DEUS passus est ab homine pro homine, quæ est maxima Misericordia: ubi est ille Princeps, qui velit imitari hanc Misericordiam?*

4. *Ait Misericordia: quia finis est melior, quàm principium, ideo ex uno malo principio potest sequi duplex bonus finis: dic Sapientia, quomodo? Respondet Sapientia: ex malo culpæ sequitur malum pœnæ, & ex malo pœnæ sequitur bonum Justitiæ; sic pariter ex malo culpæ sequitur bonum Pœnitentiæ, & ex bono Pœnitentiæ sequitur bonum Misericordiæ.*

HUMILITAS.

1. (t) *QUi se humiliat, inquit Humilitas, exaltabitur; sed Intellectus se humiliat in hoc mundo credendo, quod non intelligit de DEO, ergò exaltabitur in hoc mundo intelligendo: non sequitur, opponit Sapientia, sed in altero mundo: imò sequitur, repetit Humilitas, quia reliquit omnia, quæ naturaliter habuit intelligendo, & secutus est DEUM credendo; ergò hìc (u) centuplum accipiet, & ibi Vitam æternam possidebit.*

t. Math. 23. v. 12.

u. Math. 19. v. 27.

2. *Ego sum Virtus, ait Humilitas, & tamen per vitium defendor contra vitium, quod est mirabile: sapienter à DEO sic ordinatum est; (infert Sapientia) nam cùm tu sis Virtus, & (*) Virtus in infirmitate perficiatur, per consequens tuum oppositum in infirmitate deficit: & in hoc latet secretum, quomodo Princeps possit augere suam potentiam per duas sibi contrarias potentias.*

* 2. Cor. 12. v. 9.

3. *Quærit Humilitas à Sapientia, quomodo possit fieri major, per minorem, an per majorem? Respondet Sapientia, per utrumque, per minorem potes fieri major, quia major est Humilitas humiliare se minori, quàm majori, ut per se patet: & major est Humilitas humiliare se DEO, quàm creaturæ; & si non esset major Humilitas, sequeretur, quòd DEUS, qui est major, quàm creatura, non daret Humilitati majorem nobilitatem, quàm creaturæ; & hoc est impossibile.*

4. *Omnis Superbia est vitium, dicit Humilitas, sed non omnis Humilitas est Virtus: quare? interrogat Sapientia: (x) quia est, qui nequiter se humiliat, respondet Humilitas: quo-*

x. Eccl. 19. v. 23.

modo

modo ergò potest cognosci vera Humilitas & distingui à falsa? per me, inquit Sapientia; nam nullus superbus est sapiens, & nullus sapiens est superbus.

DOMINIUM.

1. *Alt Dominium: si dominari Animo suo non esset majus Dominium, quàm Dominari populis, non* (y) *esset melior Vir prudens, quàm Vir fortis, & qui dominatur Animo suo, expugnatore urbium.*

y. Prov. 16. v. 32.

2. *Qui est Dominus, & non dominatur, inquit Dominium, habet Dominium in potentia, & servitutem in actu; & qui dominatur aliis, & non sibi, est Dominus in alieno territorio, & servus in proprio.*

3. *Dicit Dominium:* (z) *si mei non fuerint dominati, tunc immaculatum ero: quærit Sapientia, qui sunt tui? Respondet Dominium, mei subditi & ministri: & quos habes subditos ac ministros? rogat Sapientia: habeo quatuor ministros, ait Dominium, unum subordinatum alteri; horum primus & supremus est imaginativa, secundus sensitiva, tertius vegetativa, quartus elementativa, & quilibet horum ministrorum habet suos subditos sibi iterum subordinatos; & quamdiu hæc ordinatio subsistit, tamdiu & ego subsisto.*

z. Ps. 18. v. 14.

4. *Ait Dominium: habere Dominium, & non scire dominari, est habere equum, & non scire equitare: inquit Sapientia: scire dominari, & non habere Dominium, est scire equitare, & non habere equum: ergò (inquit Dominium) felix est Dominus, qui habet sapientes consiliarios, sed (addit Sapientia) felicior est Dominus, qui ipsemet est sapiens.*

PATIENTIA.

1. *Dicit Patientia: quantò major est passio in creatura, tantò major potest esse Patientia; & quantò major est Patientia, tantò minor est passio: primum membrum per se patet, secundum membrum demonstratur; quia in DEO est infinita Patientia, & nulla passio: mirabile secretum, ait Sapientia, mundo incredibile, quia incognitum.*

2. *Ait Patientia: quia non omne agere convenit cum Perfectione, non omne pati convenit cum defectu, & è converso; nam quia Patientia convenit cum Perfectione, & aliqua passio convenit cum Patientia, ideo aliqua passio convenit cum Perfectione.*

3. *In-*

3. *Inquit Patientia: aurum in igne patitur, & non alteratur; & quia non alteratur, tantum agit, quantum patitur; sic patiens: hæc est pulchra metaphora (ait Sapientia) (a) quis sapiens, & intelliget ista?*

a. Ose. 14. v. 10.

4. *Passio est causa mortificationis, & mortificatio est causa multiplicationis Patientiæ; nam (b) nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert: quem fructum? (quærit Sapientia) possessionem Animæ; (respondet Patientia) nam (c) in Patientia vestra possidebitis Animas vestras.*

b. Joan. c. 12. v. 24.

c. Luc. c. 21. v. 19.

Postquam quindecim Reginæ & Imperatrices sermonem compleverant, rogabant Sapientiam, ut ipsa quoque dignaretur suam sententiam adjungere; cùm sinè illa omne, quod dixissent, non posset habere complementum.

Gratias retulit Sapientia, & ait: si placet vobis, ego complebo sermonem vestrum.

SAPIENTIA.

1. *Itaque ait Sapientia:* (d) *meum principium est timor Domini, ergò meus finis est Dominus: ex quo sequitur, quòd ego sum media inter principium & finem; & quia Princeps est subditus Domini, & Dominus subditorum, per me poterit habere finem in Domino, & principium in suis subditis.*

d. Ps. 110. v. 10.

2. *Inter me & stultitiam est contrarietas & concordantia (ait Sapientia) (e) Sapientia enim hujus mundi stultitia est apud DEUM, & (f) quod stultum est DEI, sapientius est hominibus: ex quo patet, quòd inter prædictam Sapientiam & Sapientiam, stultitiam & stultitiam sit contrarietas sinè concordantia.*

e. 1. ad Cor. 3. v. 19.

f. 1. ad Cor. 1. v. 25.

3. *Ait Sapientia:* (g) *qui stultus est, serviet sapienti, ergò qui sapiens est, dominabitur stulto; sed* (h) *stultorum infinitus est numerus, ergò sapiens dominabitur infinito numero.*

g. Prov. 11. v. 29.

h. Eccl. 1. v. 15.

4. *Inquit Sapientia, in DEO sum una tantùm, & sum infinita actu; in creatura sum etiam una tantùm, & sum infinita potentiâ, & in hoc latet magnum secretum;* (i) *in me est Spiritus intelligentiæ sanctus, unicus, multiplex, subtilis, dissertus, mobilis, incoinquinatus, certus, suavis, amans bonum, acutus, quem nihil vetat, benefaciens, humanus, benignus, stabilis, securus, omnem habens virtutem, omnia prospiciens, & qui capiat omnes Spiritus,*

i. Lib. Sap. c. 7. v. 22 23.

k. v. 24. tus, intelligibilis, mundus, ſubtilis, (k) attingens ubique
l. v. 27. propter ſuam munditiam; & cùm ſim una tantùm (l) omnia
m. c. 8. poſſum, & in me permanens omnia innovo; (m) attingo à fi-
v. 1.
n. v. 5. ne uſque ad finem fortiter, & diſpono omnia ſuaviter: (n) ſi
divitiæ appetuntur in vita, quid Sapientiâ locupletius, quæ
o. c. 7. v. operatur omnia? (o) infinitus enim theſaurus eſt hominibus;
14.
p. v. 8. (p) ſi multitudinem Scientiæ deſiderat quis, ſcio præterita, &
de futuris æſtimo, ſcio verſutias ſermonum, & diſſolutiones
q. c. 8. v. argumentorum: (q) ſi Juſtitiam quis diligit, labores mei
7. magnas habent virtutes; ſobrietatem enim & prudentiam do-
ceo & Juſtitiam & Virtutem, quibus utilius nihil eſt homini-
r. c. 7. v. bus in vita: (r) præterea Amicos DEI & Prophetas con-
27. & 28. ſtituo, neminem enim diligit DEUS, niſi eum, qui cum Sa-
s. c. 6. v. pientia inhabitat. (s) Ad vos ergò Reges ſunt hi ſermones mei,
10. ut diſcatis Sapientiam. Poſtquam Sapientia finiſſet hæc ver-
t. Apoc. ba, dixerunt omnes reliquæ Imperatrices, quòd (t)
c. 22. v. verba illius vera eſſent & fideliſſima.
6.



Beatus Raymundus Lullus
Doctor Illuminatus et Martyr

I.F. Douven Equ.s del.

D. Rossetti Equ.s

DEO
UNI IN ESSENTIA,
ET
TRINO IN PERSONIS,
PATRI
Æternæ POTESTATI, à qua Opus sumit Initium,
FILIO
Infinitæ SAPIENTIÆ, in quam ultimò terminatur,
SPIRITUI SANCTO
Immenso AMORI, quo inspirante fuit datum,
ut Potestas & Sapientia per Amorem perficiatur in Tempore,
& compleatur in Æternitate.

In Persona sui Magistri B. RAYMUNDI LULLI Doctoris Illuminati & Martyris Gloriosissimi Gratias agit, offert & commendat Opus minimus & indignus ejusdem Discipulus.

I. *DEUS magne super omnem magnitudinem, fortis super omnem fortitudinem: cùm hic Liber sit divisus in tot & tam peregrinas Rationes, & in tam novas Probationes & adeò necessarias, & cùm hic Liber, DOMINE, sit mundo adeò necessarius, quia est occasio & causa Confirmationis veræ Fidei, & Demonstrationis verarum Rationum, & ad multiplicandam Devotionem in te amando, laudando, honorando, tibi serviendo & obediendo, & cùm tuus Servus per tuum Auxilium & cum tua Gratia perfecerit & compleverit hunc Librum, ideo tibi DOMINE reddit Gratias & Gratiarum Actiones de hoc Libro: unde osculatur terram, & elevat suas manus & oculos ad Cœlum cum corde humili & devoto, & dicit: Gloria, Laus, Reverentia & Honor per omne tempus tibi detur & fiat DOMINE DEUS, qui fecisti tantam gratiam tuo Subdito, quòd pervenerit ad Perfectionem & Finem hujus Operis & Artis.*

2. *Quod Opus & Ars fuit tuo Subdito opus valde magni laboris & periculi ſenſualis & intellectualis; nam quemadmodum magnum pondus gravat dorſum animalis, ſic per longitudinem & ſubtilitatem & novas ac multas Rationes tuus Subditus habuit multas pœnas, labores & pericula, & pertulit multas injurias & ludibria ab hominibus: unde cùm hoc ita ſit, & cùm tu tanto & tam longo tempore me conſervaveris & adjuveris, & cùm ego, quì ſum homo miſer & peccator, pauper in poteſtate & ſcientia, totam meam Fiduciam & Spem in te poſuerim, ideo de totis meis viribus ſenſualibus & intellectualibus tibi DOMINE Gratias reddo, dando tibi omnem laudem & Honorem de meis viribus ſenſualibus & intellectualibus in præſentia tui ſancti glorioſi Altaris.*

3. *Maxima gratitudo & gratiarum actio, quas vaſallus poteſt facere ſuo Domino de bono & de auxilio, quod recipit ab illo, eſt, ut illi attribuat omne bonum, & ſibi ipſi omnem defectum, quem facit, & ut ad amandum, laudandum ſuum Dominum, & illi ſerviendum & placendum ſe faciat ſubditum, ſervum & captivum virtutum, & militem vincendi ac ſuperandi vitia & peccata, quæ ſuo Domino diſplicent: unde cùm hoc ita ſit, tuus Subditus, quì per te eſt adeò honoratus, adjutus, amatus & beneficiatus, ad te honorandum, amandum, laudandum & tibi ſerviendum & obediendum ſe ſubmittit & ſubjicit virtutibus, & ſe facit inimicum vitiorum; & ut poſſit frui gratiâ, quam illi feciſti, eſt ſua major voluntas in ſuſtinendo pro tuo amore injurias, ludibria, labores, pœnas & mortem; & cùm totum hoc non poſſit mihi ſufficere ad faciendas tibi Gratias, ideo ad faciendas adhuc majores Gratias mea Anima vult recolere & intelligere, quòd memoria eſt terminata in memorando, & intellectus in intelligendo, & os in enarrando, & oculi in videndo, & aures in audiendo, & manus in ſcribendo Gratias, quæ deberent eſſe majores ſinè omni comparatione, quàm ſufficiant omnia iſta.*

4. *Sanctificate DOMINE, cui deberet fieri honor in illis, quì te inhonorant: quemadmodum in iſto Opere mea Anima in confidentia tui auxilii recolebat, intelligebat & volebat ſupra terminos ſui recolere, intelligere & velle, & hoc faciebat per Dona & Auxilia, quæ habebat de te, ſic tibi debet agere Gratias & Laudes ultra terminos ſuarum intellectualitatum & ſenſualitatum corporis, confidens in tuis Donis, Auxiliis & Gratiis, quas Gratias & Laudes mea Anima tibi DOMINE vult agere de meis viribus ſenſualibus & intellectualibus, ut pro tuo amore meum corpus tradatur morti & laboribus, & mea Anima adoret & laudet ſuum honoratum DOMINUM in Trinitate, Creatorem, Recreatorem & Glorificatorem, conceptum de S. Spiritu, natum ex Virgine &c.*

5. *Glorioſe DOMINE, non ſolùm tuus Servus eſt tibi obligatus, ut tibi retribuat Gratias de hoc Libro, ſed etiam de omnibus bonis*

bonis, & ceſſationibus malorum, quæ in illo ſunt, & quorum hic Liber erit cauſa & occaſio: etiam tantò magìs, quia non ſolùm dediſti hunc Librum in meam memoriam, intellectum & voluntatem, ſed donaſti mihi per hunc Librum multas virtutes, & ſanaſti ac mundaſti me de multis gravibus peccatis: unde benedictus ſis tu DOMINE DEUS, quia quando intravi in hunc Librum, mea memoria, intellectus & voluntas erat pauper, miſer, vilis & culpabilis, modò cum hoc Libro tantùm ampliaſti, ditaſti & purificaſti meam memoriam, intellectum & voluntatem, quòd, undecunque veniat quæſtio, vel tentatio, vel vitium, vel dubitatio, ad omnia ſufficiat iſte Liber memoriæ, quæ recolit, intellectui, quì intelligit, & voluntati, quæ amat hunc Librum; quod tantùm dicimus ad majorem ornatum Operis, quia nos potiùs accuſamus de vitiis, quæ ſunt in nobis; unde nec noſtrum nomen ſcribimus in hoc opere, per quod ſignificatur, quòd non jactemus nos de poſſeſſione virtutum, nec nos laudamus ad habendam vanam gloriam, ſèd hoc facimus, ut Opus inde ſit melius.

6. *Glorioſe DOMINE, ſi tuus Servus habet valde magnam ſatisfactionem & valde magnum gaudium, quòd ſit exemtus à laboribus & periculis, in quibus tamdiu ſtetit propter hunc Librum, nondum eſt exemtus à magnis conſiderationibus & deſideriis, quæ habet, ut hic Liber per hunc mundum diſtribuatur in multis locis, & ut veniat in manus Hominum Amatorum Veritatis, & defendatur contra homines amatores falſitatis, qui mordent & reprehendunt veritatem, & ſunt ſervi & ſubditi acediæ & vanæ gloriæ: unde cùm ego ſim Homo, affirmo & confiteor, quòd nullum bonum, quod ſit in hoc Opere, venerit à me, & cùm non habeam audaciam ſcribendi meum nomen in hoc Opere ratione meæ vilitatis, & Nobilitatis ac Sanctitatis hujus Operis, & cùm mea intentio, quam habui in hoc Opere, non ſit, ut ſim dives, nec honoratus, nec exaltatus, nec laudatus in hoc mundo, quare igitur propter meam vilitatem & miſeriam eſt ullus inimicus, qui mordeat falsè hunc Librum? cùm Opus non ſit meum, nec de me, in illis rebus, in quibus eſt bonum. Unde benedictus ſis tu DOMINE DEUS, quia ſi ego & omnes illi, quì dabunt progreſſum huìc Operì, ſumus adeò obligati ad habendas & agendas tibi Gratias de hoc Opere, quanta igitur DOMINE erit indignatio, quam tu debes habere erga omnes illos, quì cum falſa intentione & falſis rationibus ac invidia ſunt contrarii huìc Operi & Bonis, quæ poſſunt ſequi per iſtud Opus.*

7. *Miſericors DOMINE, plene Miſericordiâ & Veniâ, à quo omnis Gratia & omne Bonum venit: quantò majus & melius eſt hoc Opus, & quantùm ego ſum homo vilis & miſer & pauper in omnibus bonis, tantùm ſum obligatus, ut tibi habeam & agam*

Gratias,

Gratias, & tantò meliùs apparet, hoc Opus esse tuum, quàm meum, in Bono, quod est in hoc Opere; & (si in illo est aliquis error) tantúm apparet, esse meum, & non tuum; quia si ego essem homo magnæ Scientiæ & Authoritatis, non tam bene & tantâ differentiâ significaretur, quòd bonum hujus Operis esset de te, & malum (si quod est) de me, sicut significatur per hoc, quòd sum homo sinè scientia, vilis, miser peccator, culpabilis & sinè ulla auctoritate & honore: unde cùm tu DOMINE ita volueris ordinare & demonstrare, caveant sibi mordaces & reprehensores veritatis, amatores falsitatis, ne mordeant & reprehendant istud Opus, quia si hoc faciunt, erunt contra tuam voluntatem & ordinationem, per quam contrarietatem pervenit homo ad ignem & tormenta perdurabilia.

8. *Humilis DOMINE, plene Gratiâ: quemadmodum ego multoties putavi perire in hoc Libro propter meam fragilitatem, quæ est valde magna & misera, & propter longam continuationem, & propter magnas subtilitates hujus Operis, sic intravi in valde magnam sollicitudinem & pavorem, ne hoc Opus pereat, & ne destruatur ab hominibus malis & falsis & modicæ conscientiæ, & propter vilitatem, miseriam & exiguam auctoritatem, quæ est in me: unde convenit, quòd æquè nunc confidam & sperem in te, quòd salvabis & custodies hoc tuum Opus, quantò magìs confidebam in te in ipso Opere, antequam erat perfectum: & quia nullus homo potest magìs obligare suum bonum Dominum, quàm si confidat in illo in suis magnis necessitatibus, ideo tuus Servus omninò confidit in tua Potestate, Sapientia & Voluntate, ut custodiant & defendant hoc Opus à malignis reprehensoribus, & ut de hoc Opere facias hoc, quod potest tua Potestas, & scit tua Sapientia, quod est ad Gloriam, Laudem, Honorificentiam & Honorem tuæ Potestatis & Sapientiæ: quando autem per istum modum spei me volo securum reddere de hoc Opere, & meus intellectus intelligit, quòd quantúm ad me, mihi perinde est, sivè promoveatur, sive non, tunc venit mea voluntas, quæ tam vehementer amat tuum Honorem, quòd illam non potest satiare mea spes, quia fidelis Amator tantúm debet amare Honorem sui Amati, quòd obliviscatur habere suum lucrum præ magna voluntate, ut faciat, suum Amatum habere Honorem & Honorificentiam.*

9. *Juste DOMINE, sensualiter sentimus, & intellectualiter intelligimus, quòd sicut culter non est contemnendus propter fabrum ferrarium, quousque videatur acies cultri, sic hoc Opus non est contemnendum propter me, nec in me, quousque videatur malum vel erroneum (si tamen ullus error vel vitium in illo sit): unde qui vult spernere vel destruere hoc Opus, intelligat meam intentionem, quæ in hoc Opere non fuit in damnum cujusquam, sed*

sed est ad dandam tuî Laudem, & Exaltationem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ: & respiciat bonitatem Rubricarum, (in Libris, in quibus sunt) & videat, utrùm probent hoc, quod significant: & id, quod est malum (si quod est) ex hoc Opere ejiciant, & meliorent id, quod potest meliorari, & relinquant id, quod est bonum, & quod nullum damnum dat. Unde benedictus sis tu DOMINE DEUS, quia tantúm mihi cordi est hoc Opus, & tantúm intravit in amorem meæ Animæ, quòd illud commendo tuæ Sanctæ DEITATI & HUMANITATI, & commendo Dominæ Sanctæ MARIÆ Virgini gloriosæ &c.: unde benedictus sis tu DOMINE DEUS, quia tibi & omnibus Virtutibus Cœli & omnibus fidelibus Christianis & Amatoribus Veritatis commendo hoc Opus, ut illud custodiant, defendant & multiplicent in illis rebus, in quibus meæ vires sensuales & intellectuales nec mea fama potest sufficere ad illud custodiendum & defendendum contra dæmones & falsos reprehensores. Unde Gloria & Benedictio sit, DOMINE DEUS, tuæ Sanctæ Misericordiæ & Justitiæ; quia si est ullum bonum, quod merear per mea merita (si tamen aliqua habeo) & si placet tuæ Misericordiæ, quòd in ulla re mihi velis facere gratiam, peto à te DOMINE gratiam, & rogo omnes Sanctos, ut te orent, ut mihi debeas satisfacere & facere gratiam in hoc Opere, & ut hoc, quod mihi deberes dare, des ad Exaltationem & Multiplicationem hujus Operis, ut cum illo te laudemus, honoremus, amemus, tibi serviamus & obediamus, & recipiamus perdurabilem Gloriam & Benedictionem de te, qui es noster glorioſus DEUS.

Benedictio & Gloria, DOMINE DEUS, detur omnibus illis, qui te adorabunt & contemplabuntur cum hoc Opere, & qui pro me paupere peccatore vitioso, culpabili & misero te rogabunt, & qui promovebunt hoc Opus ad Gloriam & Laudem tuam, qui es noster honoratus DOMINUS DEUS JESUS CHRISTUS. Amen. Doctor Illum. Lib. 5. Cont. cap. 366. p. 4.

)( )(

AD

AD

PERILLUSTRES ET MAGNIFICOS VIROS
CIVITATIS ET REGNI BALEARIS CONSULES,
UNIVERSITATIS AC DOCTRINÆ LULLIANÆ

TUTELARES AC PATRONOS,

NEC NON

Ejusdem Inclytæ ac Celeberrimæ Universitatis Lullianæ

RECTOREM MAGNIFICUM,

DECANUM,

Et quatuor Facultatum Thomisticæ, Scotisticæ, Suaristicæ & Lullisticæ toto Orbe nominatarum Doctores, Professores, Magistros ac Baccalaureos, totumque Magistratum Literarium, Dominos suos plurimùm Venerandos.

Exhortatio Discipuli.

Date veniam Perillustres, Sapientissimi & Doctissimi Viri, Domini Patroni ac Professores mei, ut Vos alloquar Discipulus verbis, quibus usus est Doctor Gentium ad sapientes Athenarum Philosophos; cùm enim Doctor hic à DEO illuminatus nova quædam & inaudita illis enarraret (Athenienses autem omnes & Advenæ hospites ad nihil aliud vacabant, nisi aut dicere aut audire aliquid novi) apprehensum eum & ad Areopagum ductum, dixerunt: possumus scire, quæ est hæc nova, quæ à te dicitur Doctrina? nova enim quædam infers auribus nostris, volumus ergò scire, quidnam velint hæc esse? *„stans autem Paulus in medio „Areopagi, ait: Viri Athenienses, per omnia quasi superstitio„siores vos video, præteriens enim, & videns Simulacra vestra, „inveni Aram, in qua scriptum erat, Ignoto DEO. Quod er„gò ignorantes colitis, hoc ego annuncio vobis, Act. Apost. cap. 17.: non etenim dubito, dum vobis humillimè offero sacra Monumenta Doctoris Illuminati & Martyris Invictissimi B. RAYMUNDI LULLI Concivis ac Patroni vestri, labore plusquam viginti annorum per universum orbem congregata, & vetustati, æmulorum invidiæ, amatorum nimiæ tenacitati erepta, continuis vigi-*

liis pervolutata, collata, restituta, & nunc luci publicæ de novo exposita, quin si videritis in hoc Opere nova, curiosa valde, arcana & abdita, in hunc usque diem non solùm ipsismet hujus sacræ Artis ac Scientiæ Professoribus posteris & Doctrinæ Defensoribus incognita, sed velut absona, & tanto Doctore indigna verbo & calamo impugnata; non, inquam, dubito, quin eàdem, si non majori, cupiditate à me Discipulo Doctoris Illuminati & omnium vestrûm minimo postulabitis rationem ejus, quam novam Vobis profero, Doctrinæ.

Dum igitur sollicitus mecum pensito, quomodo habeat caput responsum meum? Eccl. 33., *mentéque perlustro Urbem vestram & Templum, in quo reposita sunt B. Magistri mei Lipsana, en occurrit, non quidem Ara ignoto DEO erecta, sed gloriosum B. Martyris Sepulchrum, & sub eo septem Simulacra non Ethnicorum, sed Artium & Scientiarum antiquissima, quæ primo intuitu muta credita, sed attentiùs demum considerata videbantur omnia viva, mutuò secum colloquentia, & accusantia nostram ingratitudinem, qui in nostrum proprium damnum, non unâ die, sed tot jam sæculis illa sinimus illic otiosa stare, nec conducimus ad effodiendum immensum & inexplicabilem illum Thesaurum Sapientiæ & Scientiæ in Agro hujus Operis hactenus absconditum: admirans ego & (ût animus hominum boni est avidus) desiderans habere notitiam nominati Thesauri, quæsivi ab illis, quo loco esset absconditus? respondit prima Statua, quæ est Grammaticæ, illum significari per duas Statuas superiores à latere tumbæ positas; hoc ipsum Logica demonstrabat, & Rhetorica persuadebat: ascendi ergò ad duas Statuas superiores, & petii, ut revelarent mihi Arcana suarum proprietatum, quarum prima stans ad dextrum latus me amandavit ad cap. 10. Evang. S. Mat. ejusque vers. 7.; altera stans ad lævam, jussit, me legere v. 8.; revolutà itáque sacrâ Paginâ, inveni dicto cap. vers. 7.:* Euntes autem prædicate &c.; *& vers. 8.* Infirmos curate &c., *ex quibus verbis intellexi, primam significare* Theologiam, *secundam verò* Philosophiam: *cujus ultimi me persuadebat Astronomia: nam figura, quam Statua ad lævam posita manu tenebat, ex Astronomia erat desumpta, significans per quatuor literas A. B. C. D. ad angulos Figuræ positas quatuor Elementa, & per duos Circulos Signorum & Planetarum duos motus naturæ, per libram verò in centro situatam, æqualitatem; quæ omnia Astronomia revelarat esse pertinentia ad Medicinam: hoc ipsum confirmarat Inscriptio addita:* Dispositor sum Sanitatis, *qualis erat Doctor Illuminatus, dum vixerat, naturaliter per Philosophiam, & supernaturaliter per Theologiam; nunc autem uterque supernaturaliter.*

Postquam hæc omnia perceperam, gavisus sum quidem ex una

una parte gaudio magno valde, quòd invenieram Agrum tanto tempore quæsitum, in quo latebat absconditus Thesaurus adeò pretiosus, mecumque statui vendere universa, quæ antea habueram, ut emerem Agrum istum, sed ex altera parte non minùs vehementer indolui, memoriam tanti Doni primis sacræ Artis Discipulis & Professoribus (ût Scripta illorum testantur) optimè noti per tot sæcula posteris fuisse ereptam, vel (si fas est dicere) ab ipsis potiùs neglectam ac vilipensam: unde me obtuli præfatis septem Statuis, quòd, si me bearent tanto Munere, mihique in labore tanti Operis opem suam non negarent, essem paratus omnes meas vires, quascunq; divinâ largitate possideo, totamque meam vitam excolendo huic Agro, eruendo divino huic Thesauro, ac in bonum publicum totius universi distribuendo impendere: quod cùm omnes septem unanimiter annuissent, datâque dexterâ spopondissent, confestim me ad ipsum Opus accinxi, nulli parcens labori, nec me subtrahens oneri, vel evitans obvias adversitates, ludibria ac sinistra judicia hominum, quæ mihi non defutura facilè prævidere poteram, dæmone omnes suas vires exerente, ne Opus Christianæ Reipublicæ adeò prosperum ac proficuum lucem aspiceret; sed confidens in Auxilio & Assistentia illius, cujus potestati nemo potest resistere, & cujus voluntati obediunt omnia, cujusque Sapientia omnia gubernat, qui me sinè ullo meo merito mirabili suâ providentiâ ad hanc coloniam vocare dignatus est, & per me vilissimum & tam arduo negotio minimè idoneum instrumentum nobilissimum hoc Opus immensâ suâ bonitate his ultimis sæculis voluit mundo palam facere, quo ante sæcula fidelissimum suum Servum B. RAYMUNDUM LULLUM divinitùs illustraverat, ut eò magis omnibus innotesceret; quòd, quæ sunt stulta &c., & infirma &c., & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit DEUS, & ea, quæ non sunt, ut ea, quæ sunt, destrueret, Epist. ad Cor. 1. cap. 1. v. 27. & 28., *scilicet errores, ignorantias, vitia & peccata, quæ dominantur in mundo, tandem superatis innumeris difficultatibus primum Operis Tomum (quem statim subsequentur alii tres, jam ferè ad calcem perducti) formis impressoriis absolvi.*

Scitote proin Patres ac Patroni plurimùm venerandi, Doctrinam hanc meam, tam in Perspiciliis, quàm in Revelatione Secretorum Artis, forsan novam vobis apparentem, non esse meam, nil enim de meo in illa invenietis, si alienam à stylo Magistri dicendi vel scribendi formam excipiatis; nam omnia ex Arte vel Libris illius desumpta sunt: admittite igitur, ut primum censum exantlati laboris, scilicet hunc primum Tomum, demissimè vobis offeram, proferamque de Thesauro tamdiu abscondito nova & vetera; & qui mecum profitemini Vos zelosos Gloriæ magni DEI nostri ejusque Famuli & Amici B. RAYMUNDI LULLI Doctoris Illuminati, recipite sub Tutelam vestram glorioſissima ejus

Opera, quorum nunc illustrior notitia non solùm Vobis commendabit, sed etiam demonstrabit, quanto Honore quantâque Veneratione dignus sit, quem ipsemet Rex Regum sic honorare voluit, quemque aliqui Vestrorum Lullianæ Artis Professorum, etiam ignorantes Secreta Artis illius, tantum hucusque coluerunt: hoc etenim mei nunc est instituti & propositi, ut annunciem Vobis vestrammet Gloriam, Decus & Ornamentum toto, quà patet, Orbe diffundendum: laudent Vos & Vestram Insulam alii, ornentque Palmam innumeris aliis palmis, mihi sufficit una major omnibus, cui omnes reliquæ subdunt fasces, quoniam Spiritum Deorum habet, & Scientia Intelligentiáque ac Sapientia amplio-res inventæ sunt in illa, Dan. 5. v. 14., *quàm in omnibus Insulis maris & Regionibus universæ terræ; præcellit namque Montem Pieridum Mons Randa, dumque DEO canent organa RAYMUNDI Vestri septem ordinibus fistularum suaviter sonantia, silebit sistrum Vatis Delphici,* nec in tibiis Viri beneplacitum erit ei, Psal. 46.: *porrò cùm ad extremas hasce oras illorum vox pertigerit, piè ominari me convenit, jam tempus advenisse, quo in omnem terram exibit sonus eorum.*

Vos itaque Viri Perillustres, Fundatores & Patroni Almæ Universitatis Lullianæ, Vos quoque Viri Sapientes & Magnifici, Doctores & Professores quatuor dictarum Facultatum manus amicas commodate, & Opus Vestris Servitiis ab ipsomet B. RAYMUNDO ac à me consecratum approbate, defendite, augmentate, & secundùm præscriptam ab Illuminato Doctore methodum in hoc Tomo demonstratam deinceps publicè profiteri facite: hâc enim ratione accidet, ut Doctrina, ob profunditatem suam ferè omnibus impenetrabilis habita, paulatim Vestrâ Elucidatione illuminet, & abstergat nostras tenebras, eumque suâ universalitate proferat usum in universo mundo, quem Divus Author toties nobis adpromisit.

Ego verò unam hanc à Vobis Gratiam exoro, ut laborum meorum, amore quoque Vestrî partim exactorum, partim adhuc perferendorum præmium referam, scilicet locum vel infimum inter veros ac fideles Illum. Doctoris Vestri Discipulos possidere: hoc enim favore mihi addetis animum, ad accelerandam Editionem Reliquorum Tomorum, quorum singulos veluti gratitudinis meæ tesseram, quâ breviori viâ potero, ad Vos destinabo, ut Bibliotheca Universitatis Vestræ perenne habeat Documentum, quid amor scientiæ & sapientiæ per Vos in exteras nationes propagatus in nos potuerit, dum tanto nitore, tantis sumptibus integrum Opus Doct. Illum. Vobis refundimus, quod Antecessores nostri exteri à Vobis per partes successivè accipientes Vobis & ipsis ferè inutile reddiderunt. DEUS conservet Des Vas Perill. & Magn. ût oro & opto.

)( )( )(

Annotationes Discipuli in sequentem Vitam Beati.

Nota 1. Quod in toto Opere fecimus, eligendo certa, & dimittendo incerta, hoc etiam in Vita Beati observare libuit; nam inter tot & tantos Scriptores, quos recenset R. P. Jac. Custurerius S. J. Dissert. 2. cap. 8. fol. 474. in Historia B. RAYMUNDI Linguâ Hispanâ Majoricæ editâ Anno 1700. numero viginti & ultra, quosque ferè omnes vidimus & habuimus, Anonymum secuti sumus, tum quòd reliquos omnes tempore præcederet, & ab ipsismet PP. Custurerio ac Sollerio Vitæ & Actorum Beati Scriptoribus coævus haberetur, tum quòd simplicitate & ingenuitate styli magis esset conformis stylo operis.

Nota 2. Hujus autem Vitæ à prætato Anonymo scriptæ nacti sumus quinque diversa transumpta omnia antiquissima; unum impressum, quod habetur in Actis Beati à R. P. Sollerio S. J. Antverpiæ typis datum Anno 1708. ipsi à dicto R. P. Custurerio communicatum, sed ex parte mutilum; aliud Barcinone, aliud Româ ex Bibliotheca Divi Isidori; alia duo Parisiis, scil. ex Bibliotheca PP. Doctrinæ Christ. & Biblioth. D. de Montarsis: consentiunt omnia quatuor exactè: & cùm unum & alterum horum Exemplarium referat eundem characterem, quem in Actis Illum. Doctoris R. P. Sollier exhibet, eandem cum illo antiquitatem spirant: mirum proin, qua ratione contigerit, quòd in primo totum Caput tertium usque ad n. 5. illius omissum sit, an studio, an vitio temporum, ignoro; neque suspicari convenit, his ultimis Exemplaribus à posteris aliquid additum, quod non fuisset in primo, tum quia huic suspicioni obsistit & concordantia Exemplarium diversis locis receptorum, & par antiquitas, tum, quia in primo interruptio historiæ & hiatus punctis notatus manifestè indicant, aliquid deesse.

Nota 3. Cùm Capite 3. referatur, D. Authorem cœlitus vocatum ad Ordinem S. Dominici, eundemque ad conservandam suam Artem voluisse ingredi Ordinem S. Francisci, nec ex citato Capite constet, ad unum vel alterum Ordinem illum fuisse admissum, ego quoque nil certi ex hac Vita eruere vel statuere potui; relinquens aliorum judicio, an ad hunc, an ad alium Ordinem transierit, quod ex documentis aliunde desumendis probare oportet.

Nota 4. Esse valde probabile, Scriptorem hujus Vitæ Anonymum Coævum ante obitum B. RAYMUNDI jam vitâ functum, aliàs enim ultimam partem hujus Vitæ, scil. Martyrii Beati, non præterisset intactam.

Nota 5. Non esse certum, ubinam hæc Vita scripta sit, non enim cum R. P. Sollerio legendum *in Francia*, sed *instantiâ*, ût unanimiter exemplaria loquuntur.

Nota 6. Denique, quæ in Disputationibus cum Saracenis hìc relatis duriuscula sonare videntur hujus adhuc methodi inexpertis, lævigentur quidem, non tamen rationibus ad placitum adductis, sed vel per textus ex aliis Operibus D. Authoris desumptos, vel per rationes ex Arte D. Authoris petitas: nàm cognitis Fundamentis Artis & textibus Authoris inter se combinatis videbitur, quòd nil extra est oleam, nil intra est in nuce duri.

(I)

VITA BEATI RAYMUNDI LULLI DOCTORIS ILLUMINATI ET MARTYRIS.

Ad Honorem, Laudem & Amorem solius Domini DEI nostri JESU Christi Raymundus quorundam suorum Amicorum Religiosorum devictus instantiâ narravit, scribique permisit ista, quæ sequuntur hìc, *de sua Conversione ad Pœnitentiam, & de aliquibus Gestis ejus.*

CAPUT I.

Nobilitas Raymundi, profanus Amor, quinâ Apparitione Christi crucifixi Conversio, Desiderium Martyrii, Intentio faciendi Librum ad convertendos Infideles, impetrandi Monasteria ad discendas Linguas Orientales; Exemplo S. Francisci animatus vendit omnia, Iter sacrum instituit ad diversa loca, Domum reversus vilem Habitum assumit, addiscit Grammaticam, & Linguam Arabicam ab empto Saraceno, à quo propè occiditur.

1. RAYMUNDUS Senescallus mensæ Regis Majoricarum, dum Juvenis adhuc vanis cantilenis seu carminibus componendis & aliis lasciviis sæculi nimìs esset deditus, sedebat quadam nocte juxta suum lectum paratus ad dictandum & scribendum in suo vulgari unam cantilenam de quadam Domina, quam tunc amore fatuo diligebat: dum igitur prædictam cantilenam inciperet scribere, respiciens à dextris vidit Dominum JESUM Christum tanquam pendentem in Cruce, quo viso timuit, & relictis, quæ habebat in manibus, suum lectum, ut dormiret, intravit: in crastino verò surgens, & ad vanitates solitas rediens, nihil de visione illa curabat, imò citò oblitus est.

2. Quasi post octo dies postea in loco, quo priùs, & quasi horâ eâdem iterum se aptavit ad scribendum & perficiendum cantilenam suam prædictam; cui Dominus iterum in Cruce apparuit, sicut antea; ipse verò tunc plùs territus, quàm primò, lectum suum intrans, ût aliàs, obdormivit; sed adhuc in crastino negligens apparitionem sibi factam suam lasciviam non dimisit; imò post paululum suam cantilenam inchoatam nitebatur perficere, donec sibi tertiò & quartò successivè diebus interpositis aliquibus Salvator semper in forma, quâ primitùs, appareret.

3. In quarta ergò vel etiam in quinta vice, sicut plùs creditur, eâdem apparitione sibi factâ nimiùm territus intravit suum lectum, secum totâ illâ nocte cogitando tractans, quidnam visiones istæ toties iteratæ significare deberent? hinc sibi quoque dictabat conscientia, quòd istæ apparitiones nihil aliud intenderent, nisi, ut ipse mox relicto mundo deserviret Domino JESU Christo ex tunc integrè; illinc verò sua conscientia reum se sæpiùs & indignum Christi servitio acclamabat; sicque super his nunc secum disputans, nunc attentiùs DEUM orans, laboriosam illam noctem duxit insomnem: denique dante Patre luminum consideravit Christi mansuetudinem, patientiam & misericordiam, quàm habuit & habet circa quoslibet peccatores; & sic tandem certissimè intellexit, DEUM velle, quòd RAYMUNDUS relinqueret mundum, Christóque corde ex tunc integrè deserviret.

§ Cœpit

4. Cœpit ergò intra se cogitando tractare, quod esset servitium maximè DEO placens; & sibi visum est, quòd nemo posset facere Christo melius sive majus servitium, quàm pro amore & honore illius vitam & Animam suam dare; & hoc in convertendo ad ipsius cultum & servitium Saracenos, qui suâ multitudine Christianos undique circumcingunt: sed inter hæc ad se reversus intellexit, se habere nullam scientiam ad tantum negotium, utpote qui nec etiam de Grammatica aliquid nisi fortè minimum didicisset: unde mente consternatus multùm cœpit dolere.

5. Verùm dum ipse mente lugubri hæc devolveret, ecce, nesciebat ipse quomodo, sed scit DEUS, intravit cor ejus vehemens ac implens quoddam dictamen mentis, quòd ipse facturus esset postea unum Librum præstantem & meliorem de mundo contra errores infidelium: veruntamen cùm ipse super tali Libro faciendo nec materiam nec formam videret adhuc aliquam, neque modum, maximè mirabatur; quantò tamen ipse super hoc plùs & sæpiùs mirabatur, tantò fortiùs instinctus ille seu dictamen faciendi prædictum Librum intra se crescebat.

6. Sed rursus considerans, quòd, licèt Dominus DEUS sibi processu temporis faciendi prædictum Librum gratiam largiretur, parum tamen vel nihil ipse solus posset facere; inde præsertim, cùm ipse Linguam Arabicam, quæ Saracenorum est propria, penitus ignoraret. Sed ampliùs sibi venit in mentem, quòd iret ad Papam, ad Reges etiam & Principes Christianos, ad excitandum eos, ac impetrandum apud ipsos, quòd constituerent in diversis Regnis seu Provinciis ad hoc aptis Monasteria, in quibus electæ Personæ religiosæ & aliæ ad hoc idoneæ ponerentur ad addiscendum prædictorum Saracenorum & aliorum Infidelium Idiomata, ut ex eis de viris ibidem convenienter instructis in promptu semper possent assumi & mitti Personæ idoneæ ad prædicandum & manifestandum prædictis Saracenis & aliis Infidelibus ipsam, quæ est in Christiana Fide, Catholicam Veritatem.

7. His igitur *tribus supradictis Articulis* in animo suo firmiter jam conceptis, videlicet *de Morte tolleranda pro Christo, convertendo ad ejus servitium Infideles, de Libro supradicto (si daret DEUS) etiam faciendo, nec non de Monasteriis impetrandis pro diversis Linguagiis addiscendis*, ût superiùs est prætactum, in crastino mox ascendit ad Ecclesiam, quæ non longè ab eo distabat, Dominum JESUM Christum devotè, flens largiter, exoravit, quatenus hæc prædicta tria, quæ ipse misericorditer inspiraverat suo cordi, ad effectum sibi placitum dignaretur perducere.

8. Post hæc ad sua reversus, cùm nimis esset adhuc imbutus vitâ & lasciviâ sæculari, in prædictis tribus conceptis negotiis prosequendis per tres subsequentes menses, scilicet usque ad sequens Festum Sancti Francisci, satis fuit tepidus & remissus: sed in eodem Festo, prædicante quodam Episcopo apud Fratres Minores Civitatis Majoricarum, ipso RAYMUNDO præsente, quomodo videlicet prædictus Sanctus Franciscus reliquerit & rejecerit omnia, ut soli Christo firmiùs inserviret &c., & ipse RAYMUNDUS tunc Sancti Francisci provocatus exemplo venditis mox possessionibus suis, reservatis tamen inde paucis ad sustentationem suæ conjugis ac suorum liberorum, committens se totum Christo, abiit cum intentione nunquam revertendi ad propria, & ad Sanctam Mariam de Ruppis amatore, ad Sanctum Jacobum, & ad diversa alia loca sancta, causâ Dominum exorandi & suos Sanctos pro sua directione in illis tribus, quæ DEUS, ût suprà dictum, inspiraverat suo cordi.

9. Completâ ergò prædictâ Peregrinatione, paravit iter arripere Parisios causâ addiscendi ibi Grammaticam, & aliquam aliam scientiam suo proposito congruam; sed ab hoc itinere Parentes & sui amici, & maximè Frater Raymundus de Ordine Prædicatorum, qui quondam Domini Gregorii IX. compilaverat Decretales, suis persuasionibus & consiliis diverterunt, & eum ad Civitatem suam Majoricarum scilicet redire fecerunt.

10. Cùmque venisset illuc, relictis vestibus solemnioribus, quibus usque tunc usus erat, assumpsit sibi vilem Habitum de grossiore panno, quem ipse poterat invenire; & sic in eadem Civitate didicit partem de Grammatica, emptóque sibi ibidem quodam Saraceno Linguam Arabicam didicit ab eodem. Deinde post novem Annos contigit, quòd Saracenus ille, RAYMUNDO quâdam die absente, nomen Christi blasphemaret, quod cùm reversus cognovisset RAYMUNDUS ab iis, qui blasphemiam audiverant, nimio Fidei zelo motus percussit illum Saracenum in ore, fronte & facie: Saracenus verò rancore nimio inde concepto ex tunc cœpit mente tractare, quomodo suum Dominum posset occidere.

11. Cùmque ipse clam procurato sibi gladio quodam die videret sedentem suum Dominum solum, irruit in eum subitò, simul ipsum prædicto gladio percutiens, & cum rugitu terribili acclamans, tu moriturus es: sed RAYMUNDUS, licèt tunc ferientis brachium, quo tunc gladius tenebatur, ût DEO placuit, aliqualiter repulisset, vulnus tamen grave, licèt non lethale, super stomachum ex ferientis ictu recepit: prævalens tamen ipse viribus, illum Saracenum sibi subtravit, gladiúmque violenter abstulit ab eodem. Deinde accurrente Familiâ, prohibuit RAYMUNDUS, ne Saracenum interficerent; permisit tamen, quòd ligatus poneretur in carcere, donec ipse deliberasset apud se, quid de illo foret potissimè faciendum; severum namque sibi fuit visum, illum perimere, quo docente sibi Linguam multùm optatam, scilicet Arabicam, jam sciebat; dimittere verò illum, vel tenere diutiùs, metuebat, sciens, quòd ipse non cessaret ex tunc in mortem ipsius machinari.

12. Perplexus igitur circa istud, ascendit ad Abbatiam quandam, quæ prope erat, orans ibidem DEUM super hac re instantissimè per tres dies; quibus completis admirans, quòd, adhuc in suo corde prætactâ perplexitate remanente, Dominus, ût sibi videbatur, ipsius orationem nullatenus exaudisset; mœstus ad suam domum rediit: cùmque illuc veniens se divertisset ad carcerem, ut suum captivum inviseret, invenit, quòd ipse fune, quo ligatus fuit, jugulaverat semet ipsum: reddidit ergò RAYMUNDUS gratias DEO, lætus, quòd & à nece prædicti Saraceni servaverat manus ejus innoxias, & eum à perplexitate illa gravi, pro qua paulò antè ipsum anxiùs exoraverat, liberaverat.

CAPUT II.

Ascendit in Montem, illuminatur à DEO ad faciendam Artem, quam scribit in Abbatia; quâ perfectâ redit ad Montem, visitatur à Pastore, vocatur à Rege Majoricarum Monspellium, approbatur ejus Volumen Contemplationum, legit ibi publicè suam Artem Demonstrativam, impetrat à Rege Monasterium, proficiscitur Romam, Parisios, redit Monspellium, ubi legit Artem Inventivam, pergit Genuam, repetit Romam, à qua redit Genuam trajecturus ad convertendos Saracenos, ejus Gaudium, Timor, Tentatio, Infirmitas.

1. POsthæc RAYMUNDUS ascendit in Montem quendam de Randa, qui non longè distabat à sua domo, causâ DEUM ibidem tranquilliùs contemplandi; in quo, cùm jam stetisset non plenè per octo dies, accidit quâdam die, cùm ipse staret ibi Cœlos attentè respiciens, quòd subitò Dominus illustraverit suam mentem, dans eidem formam & modum faciendi Librum, de quo suprà dicitur, contra errores infidelium; de quo RAYMUNDUS immensas gratias reddens Altissimo descendit de Monte illo, reversúsque mox ad Abbatiam regalem supradictam cœpit ibidem ordinare & facere Librum illum, vocans ipsum primò *Artem Majorem*, sed postea *Artem Generalem*; sub qua Arte posteà plures, ût infrà sequitur, fecit Libros, in eisdem multa generalia principia & magis specialia, secundùm capacitatem simplicium, prout experientia eum jam docuerat, explicando. Postquam ergò RAYMUNDUS, stans in prædicta Abbatia, composuerat suum Librum, ascendit iterum in prædictum Montem, & in eodem loco, in quo steterant pedes ejus, dum sibi in illo Monte Dominus ostenderat modum Artis, Eremitorium fieri sibi fecit, habitans in eodem jugiter per quatuor menses & ampliùs, diu noctúque DEUM deprecans, ut ipsum & Artem, quam sibi dederat, ad suum honorem & ad Ecclesiæ suæ profectum per misericordiam suam dirigeret prosperè.

2. Dum igitur ipse staret sic in memorato Eremitorio, venit ad eum quidam Pastor ovium, adolescens hilari facie & venustâ, dicens ei sub una hora tot & tanta bona de DEO & de Cœlestibus, de Angelis

ſcilicet & de aliis, ſcilicet, quot & quanta, ût ſibi videbatur, unus quicunque alius homo vix per duos dies integros fuiſſet locutus; „videnſque Paſtor ille Libros Raymundi, deoſculatus eſt eos flexis genibus, „ſuis lachrymis rigans eosdem, *dixitque Raymundo, quòd per illos Libros multa bona Chriſti Eccleſiæ provenirent.* Benedixit etiam Paſtor ille Raymundo multis benedictionibus, tanquam propheticis, ſignans Caput & totum Corpus ejus Signaculo ſanctæ Crucis, & receſſit: Raymundus verò, conſiderans hæc omnia, mirabatur; nam Paſtorem illum nunquam ipſe viderat aliàs, nec de ipſo audiverat quidquam loqui.

3. Poſt hæc Rex Majoricarum, audito, quòd Raymundus jam feciſſet quosdam Libros bonos, mandavit pro ipſo, quòd veniret ad Montem Peſſulanum, ubi Rex ipſe tunc erat; cùmque veniſſet Raymundus illuc, fecit Rex examinari per quendam Fratrem de Ordine Minorum Libros ipſius; ſpecialiter autem Meditationes quasdam, quas ipſe fecerat in Devotione ſuper omnes Dies Anni, XXX. Paragraphos ſpeciales diebus ſingulis aſſignando; quas Meditationes Philoſophiâ & Devotione Catholicâ plenas non ſinè admiratione reperit Frater ille. Fecit igitur Raymundus ſub prædicta Arte ſibi data in Monte in Civitate illa Librum unum, vocans eundem *Artem Demonſtrativam*, quam etiam legit ibidem publicè, fecítque ſuper eundem ſuam Lecturam, in qua declarat, quòd prima Forma & prima Materia conſtituant Chaos elementale, & quòd ipſa quinque Univerſalia & decem Prædicamenta ab ipſo Chaos deſcendant, & contineantur in eodem ſecundùm Catholicam & Theologicam Veritatem.

4. Sub eodem tempore impetravit etiam Raymundus à prædicto Rege Majoricarum, unum Monaſterium conſtrui in ſuo Regno, & dotari ſufficientibus Poſſeſſionibus, ac in eodem tredecim Fratres Minores inſtitui, qui ibidem diſcerent Linguam Arabicam pro convertendis Infidelibus, ût ſuperiùs dictum eſt & expreſſum; quibus, nec non & aliis ſuccedentibus aliis in eodem Monaſterio perpetuò prædictis Poſſeſſionibus ad eorum neceſſaria miniſtrarentur ſingulis Annis quingenti Floreni.

5. Poſt hæc ivit Raymundus ad Curiam Romanam, causâ impetrandi, ſi poſſet, à Domino Papa & Cardinalibus hujusmodi Monaſteria pro addiſcendis Linguagiis per Mundum inſtitui; ſed cùm ipſe ad Curiam perveniſſet, invenit Papam tunc recenter mortuum, ſcilicet Dominum Honorium IV. Papam: propter quod derelictâ Curiâ direxit verſùs Pariſios ſuos greſſus ad communicandam ibi Mundo, quam ſibi dederat DEUS, Artem.

6. Veniens ergò Raymundus Pariſios tempore Cancellarii Bertholdi, legit in Aula ſua Commentarium Artis Generalis de ſpeciali Præcepto prædicti Cancellarii, perlectóque Pariſiis illo Commentario, ac ibidem viſo numero Scholarium, rediit ad Montem Peſſulanum, ubi de novo publicè Artem legit, & fecit etiam Librum unum, vocans eundem *Artem Veritatis Inventivam*; ponendo in ipſo Libro, nec non & in omnibus aliis Libris, quos ex tunc fecit, quatuor Figuras tantùm, reſecatis ſeu potiùs diſſimulatis propter fragilitatem humani Intellectûs, quam fuerat expertus Pariſiis, XII. Figuris ex ſedecim, quæ priùs erant in Arte ſua: quibus omnibus in Monte Peſſulano ritè expletis, iter arripiens venit ad Genuam, ubi non multam moram faciens, prædictum Librum *Artis Inventivæ tranſtulit in Arabicum:* quo facto direxit ad Romanam Curiam greſſus ſuos, cupiens ibidem, ût aliàs, impetrare, Monaſteria fieri per Mundum pro diverſis Linguis, ût ſuprà dicitur, addiſcendis; ſed ibi tunc propter impedimenta Curiæ parùm circa ſuum intentum proficiens deliberato conſilio progreſſus venit ad Genuam, ut inde transfretaret in terram Saracenorum, ad experiendum, utrùm ipſe ſaltem ſolus in aliquo poſſet proficere apud ipſos, conferendo cum Sapientibus eorum, & manifeſtando eisdem ſecundùm Artem ſibi datam à DEO Filii DEI Incarnationem, nec non & Divinarum Perſonarum in ſumma Unitate Eſſentiæ beatiſſimam Trinitatem, quam ipſi Saraceni non credunt, imò cæci, nos Chriſtianos tres Deos colere, aſſerunt.

7. Cùmque apud Genuenſes citò divulgatum eſſet, quòd Raymundus jam venerat ad transfretandum in terram Saracenorum causâ convertendi eos ad Fidem Chriſti, ſi poſſet, multùm ædificatus eſt inde populus, ſperavitque, quòd DEUS per ipſum aliquod bonum notabile faceret apud ipſos ſupra Saracenos; audiverant enim Genuenſes, ipſum Raymundum poſt Converſionem ipſius ad Pœnitentiam accepiſſe in quodam Monte divinitùs Scientiam quandam ſanctam pro Converſione Infidelium. Sed cùm Dominus ſic Raymundum tanto gaudio populi, quaſi quodam diluculo, viſitaſſet, eundem tentatione graviſſimâ ſubitò cœpit probare; nam cùm ad transfretandum, ſicut prætangitur, Navigium & alia parata fuiſſent omnia, omnésque Libri ſui in Navi cum neceſſariis aliis introducti, venit ex quibusdam occaſionibus ſibi tanquam fixum quid in mente, ſcilicet, quòd, ſi ipſe tranſiret ad Saracenos, illi mox eum in adventu ſuo trucidarent, vel ad minùs carceri perpetuò manciparent: quare Raymundus timens pelli ſuæ (ſicut in Paſſione Chriſti Domini S. Petrus Apoſtolus) oblitusque ſui propoſiti ſupradicti, quòd

ſcilicet mori pro Chriſto ſtatuerat in convertendo ad cultum ejus Infideles, Genuæ, quodam detentus inerti timore, remanſit; ſicque forſitan, ne inaniter de ſe præſumeret, permittente vel diſpenſante Domino, interim derelictus eſt: verùm recedente jam de Genua prædicto navigio, videns mox ſuper hoc, quòd ipſe remanendo ſic enormiter dediſſet populo ſcandalum, contra finem in deſperationem penitùs incidit, æſtimando certiſſimè, ſe propter hoc à DEO fore damnandum; propter quod tactus eſt tanto dolore cordis, ut in corpore febricitando graviſſimè ægrotaverit, ſicque Genuæ languens diutiùs, nec alicui cauſam ſui doloris aperiens, ferè ad nihilum redactus eſt.

CAPUT III.

Vocatur ad ſacrum Ordinem ipſo Die Pentecoſtes, ejus Ambiguitas, Tentatio mirâ Apparitione, format Teſtamentum, confitetur & ſumit S. Euchariſtiam; ut Artem à DEO ipſi datam ſalvaret, ad ſalvandum Proximum, eligit potiùs ſuam damnationem, adhuc infirmus conſcendit Navem iturus ad Saracenos, recuperat Sanitatem Corporis, & Serenitatem Conſcientiæ.

1. DEnique adveniente Die ſanctâ Feſti Pentecoſtes fecit ſe portari ſeu duci ad Eccleſiam Fratrum Prædicatorum, dumque Fratres audiret Hymnum, *Veni Creator*, cantantes, ingemiſcens ait intra ſe: nunquid non Spiritus iſte Sanctus me poſſet ſalvare? ſicque debilis ductus ſeu portatus in dormitorium Fratrum ſuper quendam lectum ibidem ſe projecit: cùmque ſic ibi jacens ſurſum reſpiceret, vidit in ipſius domûs cacumine lucem quandam parvulam, quaſi ſtellam pallidam, audivitque de loco ſtellæ vocem, quæ ſibi talia verba dixit: *in Ordine iſto poteſ ſalvari*; ſicque Raymundus mittens pro Fratribus illius domûs eorum habitu mox indui petiit; ſed Fratres propter abſentiam Prioris hoc facere diſtulerunt.

2. Reverſus igitur Raymundus in hoſpitium ſuum reduxit in memoriam, quòd Fratres Minores Artem, quam ſibi Dominus priùs dederat in Monte, plùs peracceptando dilexerant, quàm Prædicatores præfati, quamobrem ſperans, quòd iſti Fratres Minores efficaciùs Artem prædictam ad honorem Domini noſtri JESU Chriſti, & utilitatem ſuæ Eccleſiæ promoverent, cogitavit, quòd ipſe dimiſſis Prædicatoribus intraret Ordinem Fratrum Minorum. Dumque hoc ipſe mente tractaret, apparuit juxta ipſum quaſi pendens in pariete cingulum ſivè chorda una, quali ſe cingunt ipſi Minores; dumque ſuper hac viſione vix eſſet ad horulam conſolatus, reſpiciens à longè ſupra ſe vidit lucem illam, ſivè ſtellam pallidam, quam ipſe, ſicut prædicitur, apud Prædicatores jacens in lectulo priùs viderat, audivitque illam ſtellam veluti comminando dicentem ſic ei: *nunquid non dixi tibi, quòd tu ſolummodo in Ordine Prædicatorum Fratrum poſſis ſalvari*, vide ergò, quid feceris.

3. Raymundus igitur conſiderans hinc ſuî damnationem, niſi ipſe cum Prædicatoribus, hinc Artis & Librorum, quos fecerat, perditionem, niſi ipſe cum Fratribus Minoribus moraretur, elegit (quod erat ſupermirabile) damnationem ſui ipſius æternam potiùs, quàm ut Ars prædicta, quam noverat ſe accepiſſe à DEO ad multorum Salvationem & DEI Honorem præcipuè, perderetur; & ſic non obſtante reclamatione ſtellæ prædictæ miſit pro Guardiano Fratrum Minorum, à quo petiit eorum Habitum ſibi dari; quem ſibi Guardianus daturum ſe promiſit, quando ipſe propinquior foret morti.

4. Raymundus, licèt ergò desperans, quòd DEUS ipsum salvare vellet, voluit tamen, ne à Fratribus aut à populo hæreticus crederetur, confiteri superficialiter, Testamentumque condere, quod & fecit; cùmque Sacerdos Corpus Christi ad suam præsentiam attulisset, ac illud ante faciem Raymundi rectè stans eidem conferret, sensit ipse Raymundus quasi per impulsus manûs cujusdam hominis suam faciem, quam tunc rectam tenuerat, ad dextrum suum humerum retorqueri, videbaturquè sibi, quòd simul & eâdem horâ Corpus Christi sibi tunc à Sacerdote oblatum transmigrando in oppositum, scilicet ad humerum suum sinistrum, talia sibi diceret: pœnam condignam patieris, si tu me sic nunc susceperis: sed Raymundus firmus in iis, quæ apud se suprà decreverat, videlicet, se potiùs æternaliter velle damnari, quàm ut per malam famam suî periret Ars ad Honorem DEI & Salvationem multorum revelata, sensit iterum velut per manum hominis adhuc versam suam faciem retorqueri ad rectum; in qua etiam rectitudine videns tunc Corpus Domini in manibus Sacerdotis mox in terram de suo lectulo corruit, osculatusque est pedem ipsius Sacerdotis; sicque tunc Corpus Christi susscepit, ad hoc, ut ipse saltem sub tali devotione ficta salvaret Artem prædictam. O mirabilis tentatio! seu potiùs, ût videtur, divinæ probationis dispensatio; Abraham Patriarcha contra spem olim in spem credidit, iste verò Artem seu Doctrinam, per quam multi converterentur ad intelligendum & amandum & recolendum DEUM, propriæ salvationi constanter præferens, velut sol nube tectus, dum nihilominus ardens in se, sub quadam suæ mentis obumbratione de DEO modo mirabili desperando, DEUM & proximum propter DEUM infinities plus, quàm se ipsum, diligere probatus est, ût evidenter colligitur ex prædictis.

5. Dum igitur adhuc Raymundus sic corporis & Animæ gravi languore detineretur, pervenit ad eum rumor, quòd Galea quædam stans in portu se paraverat ad transeundum ad Tunicium; quo audito ipse quasi gravi somno evigilans se mox in eandem navim cum Libris suis fecit portari: sed amici sui videntes, eum in mortis janua existentem, illi compatientes, ipsum etiam invitum de navi (quòd multùm doluit) extraxerunt. Veruntamen Raymundus non longè post iterum intellecto, quòd quædam alia navis, quam Genuenses vulgariter barcam vocant, ad prædictam Civitatem seu Regnum Saracenorum, scilicet Tunicium, se parasset ituram, fecit se cum Libris & aliis suis necessariis contra amicorum suorum voluntates & consilia in illam barcam deferri; moxque cùm nautæ de portu exeuntes inciperent navigare, Raymundus serenitatem conscientiæ, quam sub obnubilatione supradicta se crediderat amisisse, subitò lætus in Domino Sancti Spiritûs illustratione & misericordiâ recuperavit unà cum sui corporis languidi sospitate; in tantum, quòd ipse infra dies pauciſſimos mirantibus cunctis, qui secum venerant, & etiam semetipso, sensit se in adeò bono statu mentis & corporis, sicut antea fuerat in tota præterita vita sua.

CAPUT IV.

Tunicii portum ingreditur, disputat cum Saracenis, incarceratur & Morti destinatur, deinde Opprobriis & Verberibus affectus è Regno expellitur, lapidandus, si rediret, denique Navigio delatus Neapolim ibi legit suam Artem.

1. Redditis igitur inde DEO gratiis debitis, citò posteà subintraverunt portum Tunicii, ascendentesque in terram intraverunt Civitatem: Raymundus ergò, convocatis paulatim de die in diem peritioribus in Lege Mahometi, inter alia dixit eis, se bene scire Rationes Legis Christianorum in omnibus suis Articulis, & ad hoc venisse, quòd ipse auditis rationibus Legis eorum, scilicet Mahometi, si inveniret illas habitâ inter ipsos super his collatione validiores, quàm rationes Christianorum, converteretur ad sectam eorum: cùmque sic de die in diem plures ac peritiores in Lege Mahometi ad eum confluerent, ostendentes eidem rationes Legis suæ, ut sic eum ad sectam eorum converterent, ipse rationibus eorum leviter satisfaciens, ita dixit: illam Fidem tenere decet quemlibet sapientem, quæ DEO æterno, quem credunt cuncti Sapientes mundi, attribuit majorem bonitatem, potestatem, gloriam & perfectionem &

& cætera hujusmodi, & hæc omnia in majori æqualitate & concordantia. Illa etiam Fides de DEO laudabilior est, quæ inter DEUM, qui est summa & prima Causa, & inter ejus effectum ponit majorem concordantiam seu convenientiam; sed ego per ea, quæ mihi proposita sunt à vobis, jam adverto, quòd vos omnes Saraceni, qui estis sub Lege Mahometi, non intelligitis, in prædictis & aliis hujusmodi divinis Dignitatibus esse actus proprios intrinsecos & æternos, sinè quibus ipsæ fuissent otiosæ ab æterno: actus verò bonitatis dico, bonificativum, bonificabile, bonificare, actus etiam magnitudinis sunt magnificativum, magnificabile, magnificare; & sic de aliis omnibus divinis Dignitatibus supradictis & consimilibus: sed quia vos istos actus prædictos duabus solummodo divinis Dignitatibus seu Rationibus attribuitis, ût jam video, sapientiæ videlicet & voluntati, manifestum est ergò hoc, quòd vos in omnibus aliis supradictis divinis Rationibus, bonitate scilicet & magnitudine &c. relinquitis otiositatem, ac per consequens inæqualitatem ac discordiam inter easdem ponitis; quod non licet: per prædictarum enim Dignitatum, Rationum seu Attributorum substantiales Actus intrinsecos & æternos æqualiter & concordanter acceptos, ût decet, probant evidenter Christiani, in una simplicissima divina Essentia & Natura esse Trinitatem Personarũ, scil. Patris & Filii & S. Spiritûs.

2. Quod & ego per Artem quandam cuidam Eremitæ Christiano nuper divinitùs (ût creditur) revelatam vobis demonstrare potero claris Rationibus, Domino largiente, si vos mecum super iis volueritis paucis diebus animo tranquillo conferre; apparebit etiam vobis, si placet, rationabilissimè per eandem Artem, quomodo in Incarnatione Filii DEI per participationem, scilicet unionem Creatoris & Creaturæ in una Persona Christi, prima & summa Causa cum suo effectu rationabilissimè convenit & concordat; & quomodo etiam maximè & nobilissimè hoc apparet in Passione ejusdem Filii DEI Christi, quam ipse ex parte Humanitatis assumptæ sustinuit suâ voluntariâ & misericordissimâ dignatione pro nobis peccatoribus redimendis à peccato & corruptione primi parentis, ac reducendis ad statum glorioſæ fruitionis divinæ; propter quem & ad quem statum finaliter nos homines fecit DEUS benedictus.

3. Cùm igitur super talibus jam illustrare videretur Raymundus infidelium mentes, contigit, ut quidam inter Saracenos non parùm famosus, qui & verba & intentionem Raymundi perceperat, cum hortamine supplicaret Regi, quatenùs hunc hominem, qui gentem Saracenorum nitebatur subvertere, nec non ausu temerario Legem Mahometi perimere, capite juberet truncari; super qua re dum foret celebratum consilium, præfato viro famoso plurimisque aliis instigantibus, jam inclinabatur Regis voluntas in necem Raymundi; quod videns quidam eorum prudens atque scientificus conatus est tanto sceleri obviare, suadendo Regi, non fore sibi honorabile, ut talem virum interficeret, qui, quamvis Legem suam Christianam studeret diffundere, tamen copiosâ maturitate bonitatis & prudentiæ videbatur pollere; addens, quòd etiam bonus reputaretur Saracenus, qui ad Christianos auderet ingredi, causâ imprimendi Saracenorum Legem cordibus aliorum. Rex autem hujusmodi sermonibus & consimilibus acquiescens destitit à morte Raymundi, veruntamen jussit continuò, ut expelleretur à Regno Tunicii: cùm ergò extraheretur de Carcere, passus est à multis multa opprobria, verbera & ærumnas.

4. Denique tamen deductus est ad quandam navem Genuensium proximè recessuram; & dum processisset, edictum est à Rege, ut penitùs lapidaretur, si quomodo ampliùs reperiretur in Patria Tunicensium: quapropter Raymundus in immensum dolebat; dispoſuerat enim viros famosæ reputationis & alios quàm plurimos ad Baptismum, quos ante suum recessum toto animo affectabat perducere ad completum Lumen Fidei Orthodoxæ: cùm autem hujusmodi perplexitatis aculeo vir DEI teneretur afflictus, factum est, ut navis illa, super quam deductus fuerat, proficiscceretur ad propria; quod videns Raymundus, imminere sibi tribulationes undique sentiebat; nam si recederet, videbat animas, quas jam dispoſuerat Cultui Christiano, in laqueum relabi damnationis æternæ; si verò remanere præsumeret, jam Saracenorum in ejus mortem paratam insaniam cognoscebat. Ardens quippe totus DEI amore non timebat mortis pericula subintrare; si tamen ex hoc posset consequi Animabus effectum aliqualem salutis; & relictâ nave recedente quandam aliam in eodem portu latenter intravit;

sperabat

sperabat enim, si aliquo modo posset venire ad terram absque impedimento impetûs bestialis eorum, quòd in supradictis opus bonum, quod inceperat, consummaret.

5. His igitur sic se habentibus accidit, quendam Christianum in gestu & habitu similem Raymundo transire per Civitatem, quem suspicati Saraceni fore Raymundum apprehenderunt; qui dum vellent eum lapidare, clamabat homo ille dicens: non sum ego Raymundus; & investigantes sciverunt, Raymundum esse in navi, evasitque ille de manibus eorum: remansit itaque Raymundus ibidem tribus septimanis, qui videns, se nihil posse ibi pro Christi servitio adimplere, pervenit Neapolim, ibique legens Artem suam moratus est usque ad Electionem Domini Papæ Cœlestini V.

CAPUT V.

Instituit Iter ad Curiam Romanam, supplicat summo Pontifici, repetit Genuam, alloquitur Regem Majoricarum, redit Parisios, iterum publicè legit suam Artem, Regique fit supplex, regreditur Majoricas, transfretat in Cyprum, cum Rege confert, infirmatur & intoxicatur, Famagustæ à Magistro Templi recipitur, & convalescit, revertitur Genuam, hinc Parisios, posteà Lugdunum ad Summum Pontificem.

1. Post hæc ivit Raymundus ad Curiam Romanam, ut aliquid impetraret sibi diu affectatum, sicut superiùs est expressum, pro Christi Fide à Domino Papa; ibique Libros composuit: aliquo verò tempore retroacto Domino Cœlestino Papæ V. successit Dominus Bonifacius Papa VIII., cui etiam totis viribus conatus est supplicare Raymundus pro aliquibus utilitatibus Fidei Christianæ; & quamvis multas angustias frequenter sequendo summum Pontificem pateretur, ab intentione tamen nullatenus desinebat, sperans, ut indubitanter ipsum exaudire dignaretur; quia non pro bono proprio vel præbenda, sed incessanter pro bono publico Catholicæ Fidei supplicabat.

2. Denique tamen videns Raymundus, se à summo Pontifice aliquid obtinere non posse, profectus est ad Civitatem Genuæ, ubi Libros aliquos compilavit. Demum advenit ad Regem Majoricarum, & habito invicem colloquio arripuit iter Parisios, ibique Artem suam publicè legens Libros quàm plurimos compilavit. Postea Regem allocutus est, supplicans ei super quibusdam perutilibus Ecclesiæ sanctæ DEI; sed videns, se parum vel nihil super talibus obtinere, regressus est Majoricas, ubi trahens moram conatus est tam Disputationibus quàm & Prædicationibus trahere Saracenos innumeros ibi morantes in viam salutis, fecit & ibidem Libros nonnullos.

3. Factum est ergò, dum Raymundus talibus insudaret laboribus, ut nova discurrerent, videlicet, quòd Imperator Tartarorum Cassanus Regnum Syriæ fuisset aggressus, illudque totum suo Dominio ambiret; quod cùm audisset etiam Raymundus, inventâ navi paratâ transfretavit usque Cyprum, ibique reperit, nova illa penitùs esse falsa: videns ergò Raymundus, se frustratum esse ab intentione, quâ venerat, cœpit viam aliam perscrutari, quâ posset tempus à DEO sibi præstitum non in otio sed magis in Opere DEO accepto proximóque proficuo consumere: condiderat sibi enim cordi pervigili consilium illud Apostoli dicentis: *Bonum autem facientes non deficiamus, tempore enim suo metemus non deficientes:* & Prophetæ dicentis: *Euntes ibant & flebant mittentes semina sua, venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos.*

4. Accessit itaque Raymundus ad Regem Cypri, affectu multo supplicans ei, quatenus quosdam Infideles atque Schismaticos, videlicet, Jacobinos, Nestorinos, Mominas coarctaret ad suam Prædicationem nec non Disputationem venire: cum hoc etiam supplicavit, quòd facto eo, quod ibi posset, ad ædificationem prædictorum Rex Cypri vellet eum mittere ad Soldanum, qui Saracenus est, atque ad Regem Ægypti & Syriæ, ut eos sanctâ Fide Catholicâ informaret: Rex autem de iis omnibus non curavit. Tunc Raymundus confidens in illo, qui dat verbum evangelizantibus virtute multâ, Prædicationibus & Disputationibus apud illos cœpit cum solo DEI auxilio viriliter operari; sed tandem Prædicationibus & Doctrinis insistens corporali infirmitate non modicâ gravatus est. Duo autem illi serviebant, Clericus scilicet & famulus, qui non ponentes DEUM ante conspectum suum, suæ salutis immemores, cogitaverunt Viri DEI

DEI bona sceleribus manibus extorquere; & dum se cognosceret per illos *toxicatum*, Raymundus eos à suo servitio mansueto corde fugavit.

5. Perveniens Famagustam est receptus hilariter per Magistrum Templi, qui erat in Civitate de Limisson, stans in domo ejus, quousque recuperasset pristinam sanitatem. Post hæc autem Raymundus transfretans Genuam quàm plures edidit ibi Libros. Deinde profectus est Parisios, & Artem suam efficaciter ibi legit, & Libros plurimos compilavit. Tempore igitur Domini Clementis Papæ V. à Civitate Parisiensi recedens pervenit Lugdunum, ibique residens summo Pontifici supplicabat de re pro Fide uberrimæ bonitatis, scilicet, ut ipse Dominus Papa juberet Monasteria fieri, in quibus constituerentur viri devoti & apti, qui diversarum Gentium Idiomata addiscentes possent universis Infidelibus prædicare Evangelium, juxta Mandatum Domini dicentis: *Ite in Mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ:* quæ quidem supplicatio tam Domino Papæ quàm Cardinalibus modicum fuit curæ.

CAPUT VI.

Revertitur Majoricas, Mare transit Bugiam ad Saracenos, disputat cum illis de Fide, incarceratur, componit Librum, expellitur Bugiâ.

1. Hinc Raymundus regressus Majoricas transfretavit ad quandam terram Saracenorum, quæ vocatur Bugia, in cujus Civitatis solemni platea stans Raymundus clamabat altâ voce, prorumpens in hæc verba: Lex Christianorum est vera, sancta & DEO accepta, Lex autem Saracenorum falsa & erronea; & hoc sum paratus probare: dum verò hæc talia dicens ad Fidem Christi Paganorum jam assistentem multitudinem Idiomate Saracenico hortaretur, irruerunt multi nefandis manibus super eum, volentes ipsum penitus lapidare: quibus sic sævientibus contra eum Antistes sive Episcopus Civitatis nuncios mittens jubet, sibi hominem hunc duci; cujus conspectui Raymundo præsentato ait Episcopus: cur tantâ fuisti fatuitate detentus, ut legem veram Mahometi præsumpseris impugnare? nescis, sic quemlibet hoc præsumentem subjacere sententiæ capitali? Respondit Raymundus: verus Christi servus expertus Fidei Catholicæ Veritatem mortis corporalis pericula timere non debet, ubi Vitæ spiritualis gratiam potest Animabus Infidelium adipisci.

2. Cui Episcopus dixit: si ergò credis, Legem Christi esse veram, Legem verò Mahometi falsam consideras, Rationem necessariam hoc probantem adducas (erat enim Episcopus ille famosus in Philosophia) Raymundus autem respondit: conveniamus ambo in aliquo communi, deinde Rationem necessariam tibi dabo; quod cùm placuisset Episcopo, interrogavit eum Raymundus, dicens: estnè DEUS perfectè bonus? Respondit Episcopus, quòd sic: tunc Raymundus volens probare Trinitatem sic cœpit arguere: Omne Ens perfectè bonum est in se ita perfectum, quòd non indigeat facere bonum extra se, atque mendicare; tu dicis, quòd DEUS sit perfectè bonus ab æterno & in æternum; ergò non indiget mendicare & facere bonum extra se: quia si sic, tunc non esset perfectè bonus simpliciter; & quia tu negas Beatissimam Trinitatem, posito, quòd non sit, DEUS non fuit perfectè bonus ab æterno, usque quo produxit bonum mundum in tempore: tu autem credis Creationem mundi, & ideo DEUS fuit magis perfectus in bonitate, quando creavit mundum in tempore, quàm ante; cùm bonitas sit magis bona diffundendo se, quàm existendo otiosa; hoc autem habeo pro te: pro me verò habeo, quòd bonitas ab æterno in æternum sit diffusiva; & hoc est de ratione boni, quòd sui ipsius sit diffusivum: quoniam DEUS Pater bonus de sua bonitate generat bonum Filium, & ab utroque bonus Sanctus Spiritus est spiratus.

3. Igitur Episcopus ratione hujusmodi stupefactus neque unam instantiam replicavit; sed eum jussit statim carceri mancipari: multitudo autem Saracenorum foris stabat, exspectans eum occidere; veruntamen exit Edictum ab Episcopo, ut in mortem hujus Viri nullatenus conspirarent; intendebat enim ipse dictum Virum exponere morti condignæ: Raymundus igitur exiens domum Episcopi eundo ad carcerem hinc quidem concussus ictibus baculorum, hinc manuum, inde verò per barbam, quæ sibi prolixa fuerat, acriter tractus, reclusus est apud latrinam carceris latronum, ubi per aliquod tempus pœnabilem vitam duxit: postea verò positus est in quadam domicula ejusdem carceris.

4. Die verò crastinâ congregati sunt Clerici Legis coram Episcopo, petentes ipsum interficere; inito verò Consilio generali, qualiter

liter eum perderent, determinabatur per majorem partem, ut adduceretur Raymundus; & si percipere possent, eum esse Virum scientificum, penitus interficeretur; si verò foret homo insipiens & stultus, dimitterent eum tanquam stultũ: quòd audiens quidam eorum, qui transfretaverat Genuâ Tunicium cum Raymundo, quíque audiverat sermones atque Rationes suas frequenter, ait ad eos: videte, ne hic in prætorium præsentetur, tales siquidem contra Legem nostram Rationes movebit, quas difficile vel impossibile erit nobis solvere. Tunc verò concordantes, quòd non adduceretur, pauco tempore retroacto ipsum mutaverunt in carcerem sæveriorem: demum congregati Genuenses & Catalani inibi existentes impetraverunt, ut in locum decentiorem poneretur; quod & factum est.

5. Stetit ergò Raymundus per dimidium Anni carceratus ibidem, ad quem venientes Clerici vel nuntii Episcopi frequenter, ut eum ad legem Mahometi converterent, promittebant ei uxores, honores, domum & pecuniam copiosam; fundatus autem supra firmam petram Vir DEI Raymundus ajebat: Ego, si credere volueritis in Dominum JESUM Christum, istamque Legem erroneam curabitis profligare, divitias summas vobis & Vitam æternam promitto. Dum verò talibus frequenter insisterent, concordaverunt facere quilibet unum Librum, ubi utraque pars suam Legem, quibus posset, Rationibus efficacioribus confirmaret; insuper qui Rationibus firmioribus uteretur, Lex ejus verior crederetur. Et cùm Raymundus jam suo Libro daret efficacem operam, factum est, ut ex parte Regis Bugiæ mitteretur, qui in Civitate Contextinæ tunc temporis residebat, quatenus Raymundus de Bugia visis literis pelleretur.

CAPUT VII.

Navem Pisam petit, sed facto Naufragio Libris que deperditis cum Socio portum attingit in barca, componit Artem Generalem, molitur Ordinem Religiosorum Militum contra Saracenos, Pisa tendit Genuam, ubi offertur illi Pecunia ad recuperandam Terram sanctam, pergit Avenionem, dein Parisios, ubi denuò leget suam Artem & Libros, insequitur Averroistas, adit Viennam ad Generale Concilium.

1. Ascendens ergò Navim quandam in portu illo, præceptum est Domino dictæ Navis, ut in terra illa non sineret hunc Virum ampliùs remeare: dum ergò Navis illa jam transfretaret, accidit, ut supra Portum Pisanorum valida tempestas Maris insurgeret (erant enim decem Milliaribus remoti à Portu præfato) & cùm Navis undique pateretur gravissimos procellarum impulsus, denique naufragium patientes, aliqui námque mortui & submersi sunt, alii verò auxilio DEI prævio evaserunt; inter quos Raymundus & Socius ejus omnibus Libris & raupâ deperditis quasi nudus super barcam ad maris supremi Littora pevenerat: & perveniens in Civitatem Pisanam quidam ex civibus ipsum honorificè susceperunt, ubi Vir DEI, licèt jam esset antiquus & debilis, semper tamen labori pro Christo insistens *Artem suam Generalem ultimatam* perfecit; cujus quidem Artis nec non aliorum Librorum suorum immensâ efficaciâ, recognitione sapidâ & perfectâ dignus est, qui non hujus mundi gloriam vel vanam Philosophiam, sed DEI firmam dilectionem & sapientiam tanquam finem ultimum & summum Bonum intenderit.

2. Completâ igitur Arte prædictâ multísque ibidem Libris aliis consummatis Communitatem Civitatis Pisanæ volens ad Christi servitium incitare, proposuit eorum consilio, bonum fore, ut in eodem Ordine constituerentur Religiosi Milites Christiani, ad hoc scilicet ordinati, ut propter recuperandam Terram sanctam continuum prælium exhiberent perfidis Saracenis; cujus grato eloquio gratóque monito condescendentes literas summo Pontifici & Cardinalibus super hujusmodi salutari negotio conscripserunt. Istis verò literis impetratis in Civitate Pisana Genuam iter arripuit, consimilesque literas impetravit; ubi ad eum devotæ Matronæ atque Viduæ plurimæ concurrentes, aliíque Civitatis ejusdem Nobiles promiserunt ei triginta quinque millia Florenorum in auxilium Terræ sanctæ. Separatus itáque Genuâ pervenit ad Papam Avenionæ tunc temporis residentem; videns autem, se de proposito suo ibidem aliquid obtinere non posse, Parisios iter arripuit, ubi & Artem suam publicè legit, & alios Libros quàm plurimos, quos fecerat temporibus retroactis: interfuit autem Lecturæ suæ tam Magistrorum quàm etiam Scholarium multitudo;

titudo; quibus non solùm Philosophicis Rationibus exhibebat roboratam Doctrinam, verùm etiam altis Principiis & Doctrinis Fidei Christianæ mirum in modum confirmatam Sapientiam proferebat.

3. Sed quia propter dicta Commentatoris Aristotelis, scilicet Averrois, videbat quàm plurimos à Veritatis rectitudine præcipuè Fidei Catholicæ nonnullos deviare, dicentes: Fidem Christianam quantum ad modum intelligendi esse impossibilem, sed opinabantur, eam veram esse quantum ad modum credendi, cùm sint Christianorum collegio complantati, ideo Raymundus viâ demonstrativâ & scientificâ hujusmodi conceptum eorum nitens improbare eos ad redargutionem multipliciter reducebat; quoniam si Fides Catholica secundùm modum intelligendi est improbabilis, impossibile est, quòd sit vera; super quo siquidem Libros fecit.

4. Post hæc autem sciens Raymundus, fore à sanctissimo Patre Domino Clemente Papa V. generale Concilũ celebrandũ apud Civitatem Viennensem, Anno Domini MCCCXI. Calendis Octobris, proposuit ire ad dictum Concilium, ut *tria* ibidem impetraret ad reparationem Fidei Orthodoxæ. *Primum* quidem, ut locus constitueretur sufficiens, in quo Viri devoti & intellectu vigentes ponerentur, studentes in diversis Linguarum generibus, quòd omni creaturæ scirent Doctrinam Evangelicam prædicare. *Secundùm* verò, ut de cunctis Religiosis Militibus Christianis fieret unus Ordo, qui ultra mare contra Saracenos usque ad recuperationem Terræ sanctæ continua bella retinerent. *Tertium* autem, ut contra Opiniones Averrois, qui in multis perversor extitit veritatis, Dominus Papâ celeriter ordinaret remedium, quòd per Viros intelligentes Catholicos non intendentes ad sui gloriam, sed Christi honorem, objiceretur prædictis opinionibus & eas tenentibus, qui obviare videntur Veritati & Sapientiæ increatæ Filio DEI Patris: & de his compilavit Raymundus quendam Libellum, qui intitulatur *Liber Natalis*; promittens insuper habere Rationes cogentes tam Philosophicas quàm Theologicas contra eos; quas quidem clarissimè pertractavit in aliquibus Librorum suorum: fecit enim iste Famulus DEI, summæ Veritatis & profundissimæ Trinitatis verus Expressor inter quotidianos labores suos 123. Libros & plures (in alio Exemplari legitur, Libros quàm plurimos.)

5. Nam jam elapsi erant anni XL. postquam totum Cor suum & totam Animam suam omnes & totas vires suas & totam mentem suam in DEUM direxerat; in cujus temporis intervallo Libros fecit continuè, cùm vacare potuit, & diligenter; quare verbum Prophetæ David meritò potuit pronuntiare, dicentis: *Eructavit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea Regi: Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis.* Profectò Lingua sua calamus fuit illius Scribæ increati, videlicet Sancti Spiritûs, qui dat Verbum Evangelizantibus virtute multâ; de quo quidem loquens Salvator Apostolis ait: *Non enim vos estis, qui loquimini; sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Librorum autem suorum utilitatem volens omnibus esse communem multos edidit in Lingua Arabica, cùm Idioma illud noviset: divulgati quidem sunt Libri sui per universum, sed in tribus locis fecit eos præcipuè congregari; videlicet in Monasterio Carthusiensium Parisiis, & apud quendam Nobilem Civitatis Genuæ, & apud quendam Nobilem Civitatis Majoricarum.

Hucusque Cœvus (ût creditur) qui cùm Vitam B. Raymundi ad finem non perduxerit, reliqua ex Authoribus fide dignis supplere compulsi sumus.

CAPUT VIII.

Denique Senex iterum trajicit in Africam, publicè invehitur in Sectam Mahometi, multis Opprobriis & Verberibus affectus lapidatur extra Urbem Bugiæ, Ætate & Anno non satis cognitis ob diuturnitatem temporis, comprobato tamen certis Indiciis Martyrio, refertur Majoricam, gloriosè excipitur à Populo, reponitur in Templo S. Francisci, ubi Signis ac Miraculis celebratur.

1. Ajunt igitur Carolus Bovillus & Nicolaus de Pax, B. Raymundum, licèt jam senio confectum, iterum trajecisse in Africam ad urbes jam frequentatas, nempe Tunicium & Bugiam Fidei propagandæ zelo inextinguibili ardentem, ac tentasse Conversionem horum Infidelium; priorque dicit, illum statim agnitum, concursu populi ex Civitate Tunicio ejectum ac lapidibus obrutum, posterior verò, illum Bugiæ inter Christianos Mercatores initio latuisse, tandem in publicum prodiisse, multísque Argumentis conatum esse Populo demonstrare Vanitatem Sectæ Mahometicæ, & Veritatem Legis Christianæ, sed raptum furiâ plebis concurrentis multísque contumeliis, ictibus & plagis affectum extra urbem lapidibus obrutum procubuisse, Anno Ætatis suæ circiter 80. & Salutis

lutis humanæ 1315., Die Festo (ût à Majoribus acceptum creditur) SS. Petri & Pauli.

2. Sed quamvis in aliquibus his duobus præclarissimis Viris fides deneganda non sit, primo quidem, quia continuâ quasi serie inhæret vestigiis coævi (ût conferenti utriusq; Vitam patet) secundo verò, cùm Viro tum Vitæ Integritate, tum Scientiâ & Natalium splendore illustri, præterea insuper Patriâ Majoricensi, adeóque rerum harum magis experto credendum omninò arbitrer, nisi in aliquibus evidens ratio in oppositum militet, qualis est differentia inter ambos Authores ratione loci ipsius Martyrii; cùm certum sit, B. Raymundum nonnisi in uno amborum Sanguinem effundere potuisse cum Vita: unde cùm nil certi de hoc tam ex Actis quàm Historicis potuerimus elicere, conati sumus probabiliorem partem sequi, plurium scilicet Authorum asserentium, illum Bugiæ lapidatum.

3. Major difficultas oritur circa Ætatem B. Martyris & Tempus Martyrii; adeò enim certum & indubitatum credunt RR. PP. Custurerius & Sollerius cum Muto, Waddingo, Doctore Segui & aliis quibusdam Historiographis, Mortem B. Martyris incidisse in finem Anni XV. supra MCCC., ut nefas putent, illud vocare in dubium, quamvis id probare nullatenus possint, nisi traditione parùm firmâ & posterorum Vitæ Scriptorum nudâ assertione: non negamus, B. Raymundum Anno XIV. die verò 14. Augusti transfretasse Tunetum, & illinc Literis notificasse suum felicem Appulsum Juratis Majoricensibus, prout colligimus ex Processu Anni M DCXII. fol. 559. nullibi verò constat, illum occubuisse Martyrio hoc tempore; quin potiùs totum oppositum mihi videtur evinci ex Chronologia Operum B. Doctoris; nam ex illa constat clarissimè, illum Tuneti duo adhuc Opuscula compilasse, & quidem ad finem Decembris Anni XV. conatur quidem vim hujus Argumenti R. P. Custurerius eludere miro artificio calculandi, quod plus subtilitatis habet in recessu, quàm veritatis; quis enim credat, B. Doctorem nostrum adeò bifrontem fuisse, vel Janum, ut modò faciem verterit ad hanc, modò ad aliam calculandi rationem: imò ut efficaciùs urgeam Argumentum ex Chronologia Operum, quam texui, petitum, videntur hi, qui Annum XV. Raymundo Vitæ terminú primi statuerunt, plus industriæ contulisse ad salvandam præfatam Chronologiam Operum D. Authoris, quàm Chymistæ ad defendendum suum Antesignanum & Ducem Secretorum Naturæ Revelatorem Raymundum; nam si quis colligit numerum Librorum à præfatis Chronologis in Annum XIII. & XIV. coincidentium Messanæ Siciliæ & Majoricæ compositorum, simulque comparet itinera B. Doctoris hoc tempore emensa, inveniet majus miraculum vel ipso Lapide Philosophorum; nempe cogebat bonos viros præfixus semel terminus Anni XV. quem præterire nolebant: sed hæc missa faciamus, fortiora enim nobis suppetunt Argumenta, quibus illos loco magis congruo adoriemur.

4. Ne quis verò existimet, me per hoc B. Martyri velle quidquam demere de honore illi debito Martyrii, quod absit; nam firmus sum in eo, nempe illum pro Christo Animam posuisse, violentáque Barbarorum manu concidisse, hoc enim mihi persuadent Acta Visitationem ipsius sacri Corporis referentia, & illustria Signa, quibus DEUS glorificare voluit Venerandas Reliquias fidelis Servi sui: hoc solùm assero, nos latere tempus determinatum sui Obitûs, quod, an injuriæ temporum, an incuriæ hominum adscribendum sit, nolim examinare; certè conqueritur ipsemet R. P. Jacobus Custurerius de modica attentione Prædecessorum circa Vitam & Documenta B. Martyris.

5. Pergunt præfati duo prælaudati Authores referre, quòd sequenti Nocte post Martyrium quidam Mercatores Christiani portum prætervecti viderint à longe immensam luminis Pyramidem è cumulo lapidum, quo Beati Corpus tegebatur, protensam; quem, cùm rei novitate allecti persecutarentur, Beati Corpus eruerint, hoc precibus obtentum honorificè detulisse in Navem sequenti nocte vela daturam; sed cùm sacrum hunc Thesaurum Genuam deferre conarentur, vento renitente & DEO sic mirabiliter disponente Majoricam delatos; quorum Adventu cognito omnis populus Concivi & glorioso Martyri obviam iverit, & Corpus omni honore & devotione susceptum in eminenti Loco sacræ Ædis B. Francisci (cujus tertii Ordinis fuisse creditur) collocarit. Concludit Nicolaus de Pax: ubi frequentibus Miraculis illustres Reliquias piâ omnes Devotione prosequimur. Si quid adversi Baleare Regnum timeat, statim ad gloriosam Praxedem, vel ad Raymundum Doctorem Illuminatum & Martyrem fusis precibus liberamur: nec mirum videri debet, si Balearici tanto Concive gloriantur; cùm ipse totius Hispanicæ Nationis acutissimæ Decus & Ornamentum sit.

FINIS.

(1)

CATALOGUS LIBRORUM *MAGNI OPERIS LULLIANI.*

Dividitur hic Catalogus in *sex Partes:* in *Prima* ponuntur Tituli Artium & Scientiarum Speculativarum, scilicet Artis intelligendi in Theologia, Philosophia, Jure, Medicina &c.: in *Secunda* ponuntur Tituli Artium & Scientiarum Practicarum, scilicet Artis operandi in Medicina, Alchymia &c.: in *Tertia* ponuntur Initia, Divisiones, Citationes & Fines Librorum primæ Partis: in *Quarta* ponuntur Initia, Divisiones, Citationes & Fines Librorum secundæ Partis: in *Quinta* ponuntur Tituli Librorum adhuc desideratorum: in *Sexta & ultima* ponitur Chronologia Operum Illuminati Doctoris.

PARS I.

Continens Titulos Librorum speculativorum.

A.

1. Liber de Acquisitione Terræ sanctæ.
2. Liber de Actu majori.
3. Liber de Actibus propriis & communibus divinarum Dignitatum.
4. Liber de Affatu, *h. e.* sexto Sensu.
5. Liber de Affirmatione & Negatione.
6. Liber de Amico & Amato.
7. Liber de Angelis.
8. Liber de Anima.
9. Liber contra Anti-Christum.
10. Liber Apostrophe, *sive* de Articulis Fidei.
11. Applicatio Artis Generalis ad varias Scientias.
12. Arbor Philosophiæ Amoris.
13. Arbor Philosophiæ desideratæ.
14. Arbor Scientiæ.
15. Ars Amativa Boni.
16. Ars brevis, quæ est de Inventione Mediorum Juris Civilis.
17. Ars brevis Prædicationis.
18. Ars brevis, quæ est Imago Artis Generalis.
19. Ars Compendiosa inveniendi Veritatem.
20. Ars Compendiosa Medicinæ.
21. Ars Contemplationis.
22. Ars Demonstrativa.
23. Ars Divina, *sive* Liber de Arte DEI.
24. Ars Generalis ad omnes Scientias.
25. Ars Generalis Ultima.
26. Ars inveniendi Particularia in Universalibus.
27. Ars Inventiva.
28. Ars Juris.
29. Ars Magna Prædicationis.
30. Ars mixtiva Theologiæ & Philosophiæ.
31. Ars Universalis.
32. Liber de Articulis Fidei Catholicæ.
33. Liber de Quatuordecim Articulis Catholicæ Romanæ sacrosanctæ Fidei.
34. Articuli Fidei sacrosanctæ & salutiferæ Legis Christianæ.
35. Liber ad probandum aliquos Articulos Fidei Catholicæ per syllogisticas Rationes.
36. Liber de Ascensu & Descensu Intellectûs.
37. Tractatus novus de Astronomia.
38. Liber de Auditu Kabbalistico.
39. Liber de Ave Maria.

B.

40. Benedicta tu in Mulieribus.
41. Blanquerna Magnus.

C.

42. Cantus Raymundi vernaculis Versibus.
43. Liber Chaos.
44. Liber Clericorum.
45. Liber de Cognitione DEI.
46. Compendium *seu* Commentum Artis Demonstrativæ.
47. Compendium Logicæ Algazelis.
48. Liber Conceptionis Virginalis.
49. Liber de Concordantia & Contrarietate.
50. Liber de Confessione.
51. Liber, qui continet Confessionem.
52. Liber Consilii.
53. Liber de Consilio.
54. Consolatio Eremitæ.
55. Primum Volumen Contemplationum.
56. Secundum Volumen Contemplationum.
57. Tertium Volumen Contemplationum.

58. Liber de Decem Modis contemplandi DEUM, *aliter* Contemplatio Raymundi.
59. Quomodo Contemplatio transeat in Raptum.
60. Liber Contradictionis.
61. Liber de Convenientia, quam habent Fides & Intellectus in objecto.
62. Liber de Conversione sui ad Pœnitentiam, *seu* Vita Raymundi.
63. De Conversione Subjecti & Prædicati per Medium.
64. Liber Correlativorum innatorum.
65. Liber de Creatione.
66. Liber de iis, quæ homo de Deo debet credere.

D.

67. Declaratio Raymundi per modum Dialogi edita contra aliquorum Philosophorum & eorum sequacium opiniones erroneas & damnatas ab Episcopo Parisiensi.
68. Liber Demonstrationum, qui est una Brancha Artis Compendiosæ inveniendi Veritatem.
69. Liber de Demonstratione per Æquiparantiam.
70. Liber de Vita DEI.
71. Liber de DEO & JESU Christo.
72. Liber de DEO & Mundo.
73. Liber de DEO majore & DEO minore.
74. Liber de DEO ignoto & Mundo ignoto. Liber de iis, quæ homo de DEO debet credere. *vide* C.
75. Liber de Desolatione.
76. Dictatum Raymundi de Trinitate.
77. Liber Differentiæ Correlativorum divinarum Dignitatum. (tibus.
78. Disputatio *seu* Liber de Quinque Sapien-
79. Disputatio Raymundi Christiani & Hamar Saraceni.
80. Disputatio Petri & Raymundi phantastici.
81. Disputatio Raymundi & Averroistæ.
82. Disputatio Raymundi & Eremitæ super aliquibus dubiis Quæstionibus Sententiarum Magistri Petri Lombardi.
83. Disputatio Fidelis & Infidelis.
84. Disputatio Fidei & Intellectûs.
85. Liber de Doctrina puerili.
86. Liber de septem Donis Sancti Spiritûs.

E.

87. Liber de Efficiente & Effectu.
88. Liber de Ente Infinito.
89. Liber de Ente Reali & Rationis.
90. Liber de Ente simpliciter absoluto.
91. Liber de Ente simpliciter per se & propter se existente & agente.
92. Liber de Erroribus Judæorum.
93. Liber de Esse Infinito.
94. Liber de Esse Perfecto.
95. Liber de Essentia & Esse DEI.
96. Liber de Est DEI.
97. Liber de Existentia & Agentia DEI.
98. Tractatus de Experientia Realitatis ipsius Artis Generalis. Epistola Raymundi ad Christianũ adjungenda huic Libro.

F.

99. Liber de novis Fallaciis.
100. Liber de Fallaciis, quas non credunt facere aliqui, qui credunt esse Philosophantes, contra purissimum Actum Dei verissimum & perfectissimum.
101. Liber Felix, *seu* de Mirabilibus Mundi.
102. Liber de Figura Elementali.
103. Liber de Fine.
104. Liber de majori Fine.
105. Liber de majori Fine Intellectûs, Amoris & Honoris.
106. Flores Amoris & Intelligentiæ.
107. Fons Paradisi divinalis.
108. Liber de Forma DEI.

G.

109. Liber de Gentili & tribus Sapientibus.
100. Geometria nova.
111. Liber de Gradibus Conscientiæ.

H.

112. Liber de Homine.

I.

113. Liber de Intellectu.
114. Liber de Intelligere DEI.
115. Liber de Intentione prima & secunda.
116. Introductoria Artis Demonstrativæ.
117. Introductorium magnæ Artis Generalis.
118. Investigatio Generalium Mixtionum.
119. Liber de Investigatione Actuum divinarum Rationum.
120. Liber de Inventione divina.
121. Liber de Justitia DEI.

L.

122. Liber Lamentationis Philosophiæ: *etiam intitulatur* Duodecim Principia, quæ & Lamentatio *seu* Expostulatio Philosophiæ contra Averroistas & Physica Raymundi dici possunt.

123. Liber de Laudibus Beatissimæ Virginis Mariæ.
124. Lectura Artis, quæ intitulatur brevis Practica Tabulæ Generalis. (tivæ.
125. Lectura super Figuras Artis Demonstra-
126. Lectura Compendiosa Tabulæ Generalis.
127. Lectura super Artem Inventivam & Tabulam Generalem.
128. Liber de Levitate & Ponderositate Elementorum.
129. Liber, quæ Lex sit melior.
130. Liber de Loco Minori ad Majorem.
131. Liber de Locutione Angelorum.
132. Logica nova.
133. Tractatus de Lumine.

M.

134. Liber de Medio naturali.
135. Liber ad Memoriam confirmandam.
136. Liber de Memoria DEI.
137. Metaphysica nova.
Liber de Mirabilibus Mundi. *vide* Felix.
138. Liber de novo Modo demonstrandi.
139. Liber de naturali Modo intelligendi.
140. Liber de decem Modis contemplandi DEUM.
141. Liber de Modo applicandi novam Logicam ad Scientiam Juris & Medicinæ.
142. Liber de Multiplicatione, quæ fit in Essentia DEI per divinam Trinitatem.

N.

143. Liber de Natali parvuli Pueri JESU.
144. Liber de Natura.
145. Liber de Natura divina.
146. Liber de centum Nominibus DEI.

O.

147. Liber de Objecto finito & infinito.
148. Liber de Operibus Misericordiæ.
149. Liber de Oratione.
150. Liber de tredecim Orationibus. (nibus.
151. Liber de Orationibus & Contemplatio-

P.

152. Liber de Participatione Christianorum & Saracenorum.
153. Liber de Pater noster.
154. Liber de Perfeitate DEI.
155. Petitio Raymundi pro Conversione Infidelium.
156. Petitio Raymundi in Concilio generali ad acquirendam Terram sanctam.
157. Liber de Perversione Entis removenda.
158. Liber novus Physicorũ & compendiosus.
159. Liber de Possibili & Impossibili.
160. Liber de Potestate pura.
161. Liber de Potestate infinita & ordinata.
162. Liber de Prædestinatione & Libero Arbitrio.
163. Liber de Prædestinatione & Præscientia.
164. Liber de quinque Prædicabilibus & decem Prædicamentis.
165. Liber de quinque Principiis, quæ sunt in omni eo, quod est.
166. Liber Principiorum Juris.
167. Liber Principiorum Medicinæ.
168. Liber Principiorum Philosophiæ.
169. Liber Principiorum Theologiæ.
170. Principia Philosophiæ complexa.
171. Liber Proverbiorum.
172. Liber Propositionum secundùm Artem Demonstrativam.

Q.

173. Liber de Quadratura & Triangulatura Circuli. (da.
174. Liber de Quæstione valde alta & profun-
175. Quæstio: Utrùm illud, quod est congruum in Divinis, possit reduci ad necessariam Rationem?
176. Quæstiones, quas quæsivit quidam Frater minor à Raymundo.
177. Quæstiones Magistri Thomæ Attrebatensis.
178. Quæstiones per Artem Demonstrativam *seu* Inventivam solubiles.
179. Quæstiones supra Librũ facilis Scientiæ.
180. Liber super Psalmum: Quicunque vult.

R.

181. Liber de Regionibus Sanitatis & Infirmitatis.
182. Regulæ Introductoriæ ad Practicam Artis Demonstrativæ.
183. Liber Reprobationis aliquorum Errorum Averrois.
184. Rhetorica nova.

S.

185. Liber de septem Sacramentis Ecclesiæ.
186. Liber de divina Sanctitate.
Disputatio seu Liber de quinque Sapientibus: *vide* D.
187. Liber facilis Scientiæ.
188. Liber de Perfecta Scientia.
189. Liber de Sermonibus factis de decem Præceptis.
190. Sermones contra Errores Averrois.
191. Liber de centum Signis DEI.

192. Liber de Sancto Spiritu.
193. Supplicatio Raymundi ſacræ Theologiæ Profeſſoribus ac Baccalaureis ſtudii Pariſienſis.
194. Liber de Syllogismis contradictionis.

T.

195. Tabula Generalis ad omnes Scientias applicabilis.
196. Liber de Trinitate in Unitate permanſivè in Eſſentia DEI.
197. Liber de Trinitate & Incarnatione.
198. Liber de Trinitate Triniſſima.

V.

199. Liber de Venatione Subſtantiæ & Accidentis.
200. Liber de Venatione Trinitatis per Subſtantiam & Accidens.
201. Verſus Vulgares ad Regem Balearium.
202. Liber de Virtutibus & Peccatis.
203. Liber de Virtute veniali & vitali: inſuper de Peccato veniali & mortali.
Liber de Vita DEI. *Vide* D.
204. Liber de Unitate & Pluralitate divina.
205. Liber de Voluntate DEI infinita & ordinata.

PARS II.

Continens Titulos Librorum Practicorum.

A.

1. Liber Angelorum Teſtamenti Experimentorum.
2. Liber Angelorum de Conſervatione vitæ humanæ & de quinta Eſſentia.
3. Angelorum Teſtamentum Secretorum Artis cœleſtis de Lapide minerali magno: *etiam vocatur* Liber de Lapide minerali.
4. Anima Artis transmutatoriæ ſeu Compendium Animæ Artis Transmutationis.
5. Apertorium Animæ & Clavis totius Scientiæ occultæ in omni Transmutatione Metallorum ac Transmutatione Lapidum, & pro reſtituenda Salute Corporis humani.
6. Apertorium. *incipit:* Sapientes noſtri.
7. Apertorium. *incipit:* Fili, duæ ſunt æquæ.
8. Tractatus de Aquis ſuper Epiſtola accurtatoria ad Regem Robertum.
9. Tractatus de ſeptem Aquis ad componendum omnes Lapides pretioſos.
10. Ars Intellectiva.
11. Ars Operativa Medica.
12. Liber Artis compendioſæ, qui vade mecum nuncupatur.
13. Liber tertius ſuper Artem Alchimiæ quintarum Eſſentiarum.
14. Liber ad faciendum Aurum potabile.

C.

15. Liber de Calcinatione Solis.
16. Clavicula ſecreta *aliter* Clavis aurea de Transmutatione Metallorum.
17. Magna Clavis ſeu Apertorium, *quod aliter vocatur:* Noli ire ſinè me.
18. Codicillus ſeu Vade mecum aut Cantilena.
19. Commentum ſuper Lapidem Philoſophorum.
20. Compendium de Secretis Medicinis.
21. Compendium de ſecreta Transmutatione Metallorum: *aliter* Parva Magia.
22. Compendium Quintæ Eſſentiæ.
23. Concluſio ſummaria ad intelligendum Teſtamentum & Codicillum.
24. Liber de Conſervatione Vitæ.
25. Summaria Conſideratio Lapidis & ejus abbreviationis Libellus.
26. Tractatus de Creatione Mercuriorum ad faciendam Tincturam rubeam.

D.

27. Tertia Diſtinctio Quinta Eſſentiæ, quæ eſt de Cura Corporum.
28. Liber Divinitatis.

E.

29. Elucidatio Teſtamenti.
30. Enumeratio ſpecierum, cum quibus poteſt jungi noſtrum Cœlum ſive Aqua ardens.
31. Epiſtola accurtatoria ad Regem Robertum.
32. Experimenta.
33. Liber de viginti quatuor Experimentis totius Naturæ creatæ.

F.

34. Fons Scientiæ divinæ Philoſophiæ.
35. Practica de Furnis.

H.

36. Hiſtoria, quando Raymundus Lullus Majoricanus Comes Scientiam Transmutationis didicerit, & quando ac qua de

de cauſa trajecerit in Angliam ad Regem Robertum.

I.

37. Liber de Intentione Alchimiſtarum.
38. Inveſtigatio Secreti occulti ſupra totum Opus majus, *quod intitulatur:* Vade mecum, *& ſapiùs dictum eſt* Clauſula Teſtamenti.
39. Tractatus de Inveſtigatione Lapidis, *ſeu* Apertorium Experimentorum.

L.

40. Lapidarium ultimum ſecretiſſimum.
41. Liber Lapidarius abbreviatus.
42. Liber Lapidarii, qui *aliàs dicitur* Practica Lapidum pretioſorum & de Compoſitione Lapidis mineralis.
43. Liber de Lapide & Oleo Philoſophorum.
44. Liber Lucidarius compoſitus ſuper ultimo Teſtamento.
45. Lucidarium totius Teſtamenti.
46. Liber Lucis Mercuriorum.
47. Lumen Claritatis & Flos Florum.
48. Compendium & Liber Luminum de Intentione Alchimiſtarum.

M.

49. Prima Magia naturalis.
50. Secunda Magia.
51. Liber magnæ Medicinæ.
52. Liber Mercuriorum.
53. Liber de Modo ſublimandi Argentum vivum commune.

N.

54. Liber Naturæ & Lumen noſtri Lapidis.

O.

55. Opus abbreviatum ſuper Solem & Lunam.

P.

56. Pars prima practica de Furnis.
Practica de Furnis. *Vide* F.
57. Practica abbreviata in Opere minerali ſecundùm Librum Noli ire ſinè me, *ſive* Vade mecum, *aliter* Theſaurus infinitus ſeu Repertorium.
58. Liber de Præparatione hominis pro majori Opere Creationis totius Naturæ animalis.

R.

59. Liber ad Sereniſſimam Reginam Eleonoram Uxorem Sereniſſimi Regis Anglorum Eduardi.
60. Tractatus ſeptem Rotarum.

S.

61. Liber de Sacrata Scientia beati Joannis Evangeliſtæ.
62. Liber de Secreto occulto Salis urinæ, id eſt, Salis armoniaci & Salis vegetabilis.
63. Liber de Secreto occulto Naturæ cœleſtis.
64. Liber Secreti Secretorum & Practica Teſtamenti & Alphabetum divinum de Lapide minerali & de Definitione Alchimiæ.
65. Liber de ſecundo Secreto Lapidis Philoſophici.
66. Liber de Secretis Naturæ ſeu Quintæ Eſſentiæ.
67. Liber Sponſalitii.

T.

68. Teſtamentum primum Arnaldi de Villanova Catalani.
69. Teſtamentum ultimum Secretum Angelorum de Creatione Naturæ Vini & Sulphure duorum Luminarium & de Praxi profundiſſima magni Carbunculi Lapidis vegetabilis.
70. Teſtamentum Noviſſimum *ſive* Ultimum.
71. Theorica Teſtamenti, *aliàs* Forma minor Teſtamenti.
72. Teſtamentum Beati Thomæ de Aquino.
73. Theſaurus abbreviatus Sancti Thomæ de Aquino.
74. Semita recta Beati Thomæ.
75. Liber Theſaurus Sanitatis & Cor meum.
76. Liber cœleſtis & Theſaurus Theſaurorum.
Angelorum Teſtamentum Secretum Artis cœleſtis de Lapide minerali magno. *Vide* A.
Liber Angelorum Teſtamentum magnorum Experimentorum. *Vide* A.

V.

77. Liber de Vaſis magno Magiſterio oportunis.

PARS III.

Continens Initia, Divisiones, Citationes & Fines Librorum primæ Partis.

A.

1. Liber de Acquisitione Terræ sanctæ.
Incipit: Ad acquirendam Terram sanctam tria maximè requiruntur.
Dividitur in tres Distinctiones.
Citatur *alius Liber de Acquisitione Terræ sanctæ, qui fuit præsentatus Domino Papæ Clementi V.*
Liber Gentilis.
Disputatio Raymundi Christiani & Hamar Saraceni.
Explicit: Et si in aliquo erravi, peto veniam; nam confiteor, me non scienter erravisse: etiam præsentatus Clementi V.
Finitus est in Monte Pessulano in mense Martio Anno MCCCIX. Incarnationis nostri Domini JESU Christi.

2. Liber de Actu majori.
Incipit: Actum majorem vocamus illum.
Dividitur in duas Distinctiones.
Explicit: Quia sic implicaretur contradictio, quæ non potest stare.
Finivit Raymundus istum Librum in Civitate Messana mense Octobris, Anno MCCCXIII. Incarnationis nostri Domini JESU Christi.

3. Liber de Actibus propriis & communibus divinarum Dignitatum.
Incipit: Ad probandum divinam Trinitatem.
Dividitur in duodecim Partes secundùm duodecim Rationes.
Citatur *Liber de Convenientia Intellectûs & Fidei in Objecto.*
Explicit: Et ego promitto hoc reducere ad experientiam, si super his aliquis vellet experiri.

4. Liber de Affatu, *h. e.* sexto Sensu.
Incipit: Ad acquirendum sensum non cognitum per antiquos Inquisitores.
Dividitur in quatuor Distinctiones.
Citatur *Ars Inventiva. Tabula Generalis.*
Explicit: Quia tanto tempore non fuit cognitus.
Finitus est iste Tractatus in Civitate Neapolis Anno Incarnationis MCCXCIIII. in Vespere Paschatis.

5. Liber de Affirmatione & Negatione.
Incipit: Quoniam omnia sunt creata ad cognoscendum & diligendum DEUM.
Dividitur in quinque Distinctiones.
Explicit: Et talis Doctrina est valde utilis & delectabilis.
Finivit Raymundus hunc Librum in Civitate Messanæ mense Februarii Anno MCCCXIII.

6. Liber de Amico & Amato.
Incipit: Amicus interrogavit suum Amatum.
Citatur *Liber Artis Contemplationis.*
Liber Gentilis & trium Sapientum.
Explicit: Quia Blanquerna debet tractare de Libro Artis Contemplationis, ideo voluit finire Librum de Amico & Amato, qui est perfectus ad gloriam & laudem nostri Domini DEI.

7. Liber de Angelis.
Incipit: Quoniam Angeli sunt nobilissimæ Creaturæ.
Dividitur in sex Distinctiones.
Explicit: Quibus possimus cognoscere & diligere nostrum Dominum DEUM, qui est omnipotens summus DEUS.

8. Liber de Anima.
Incipit: Quoniam Anima rationalis est substantia invisibilis.
Dividitur in decem Partes, *videlicet* in decem Modos Quæstionum.
Citatur *Tabula Generalis. Liber de Articulis.*
Arbor Scientiæ. Liber de Affatu, h.e. *Sexto Sensu.*
Ars Inventiva.
Explicit: Quia tales passiones sunt ita magnæ, quòd nullus ipsas posset scribere nec exprimere.
Finitus fuit hic Liber in Romana Civitate Anno Incarnationis nostri Domini JESU Christi MCCXCIIII.

9. Liber contra Anti-Christum.
Incipit: Omnipotens Dominus DEUS noster, cujus Nomen in æternum benedictum, Amen.
Dividitur in tres Distinctiones.
Citatur *Ars Inventiva Veritatis. Ars Amativa.*
Explicit: Ad cognitionem & amorem Domini JESU Christi, qui vivit & imperat per infinita sæcula sæculorum verus DEUS. Amen.

10. Liber Apostrophe, *sive* de Articulis Fidei.
Incipit: Ad probandum Articulos Fidei.
Citatur *Ars Generalis.*
Explicit: Et ad omnes Objectiones Infidelium respondere.
Finitus fuit Romæ Anno Domini MCCXCVI. & completus ibidem in Vigilia beati Joannis Baptistæ.

11. Applicatio Artis Generalis ad varias Scientias.
Incipit: DEUS glorioſe, ad amandum te.
Dividitur in sex Distinctiones.
Citatur *Ars Generalis.*
Explicit: Hoc novum scriptum est finitum in Civitate Majorica An. Incarnationis MCCC. in mense Martio.

12. Arbor Philosophiæ Amoris.
Incipit Raymundus Parisiis existens, ut posset per modum scientiæ magnum bonum facere, nondum facere potuit.
Dividitur in septem Partes principales.
Citatur *Ars Amativa. Arbor Scientiæ.*
Liber Proverbiorum.
Explicit: Illud ad suum placitum & secundùm suam discretionem corrigerent.
Finivit Raymundus hanc Arborem juxta Civitatem Parisiensem Anno Incarnationis nostri Domini JESU Christi MCCXCVIII. mense Octobri.

13. Arbor

13. Arbor Philosophiæ desideratæ.
Incipit: Solus eram sub umbra cujusdam pulchræ Arboris in quodam viridario.
Dividitur in quatuor Distinctiones.
Citatur *Ars Inventiva. Ars Amativa. Ars Generalis.*
Liber de Intentione ad Filium.
Explicit: Et de secretis naturæ cum ipso poteris habere notitiam.

14. Arbor Scientiæ.
Incipit: Raymundus stans in desolatione & fletibus sub quadam pulchra Arbore.
Dividitur in sedecim Partes.
Citatur: *Ars Inventiva. Tabula Generalis.*
Arbor Philosophiæ. Ars Amativa.
Liber de Astronomia. Liber Principiorum Medicinæ.
Liber de Affatu. Liber quinque Sapientum.
Explicit: Quòd aliquis sanctus homo ipsam adhuc præsentaret ad honorem DEI, cui sit laus & gloria.
Hæc Arbor inventa est Romæ Anno MCCXCV. à die sancti Michaëlis usque ad diem Kalendarum Aprilis.

15. Ars Amativa Boni.
Incipit: DEUS benedictus creavit mundum.
Dividitur in quinque Distinctiones.
Citatur *Ars Inventiva.*
Explicit: Omnia insimul clamabant miserere, miserere, amate, amate.
Anno Nativitatis MCCXC. in Vigilia sancti Laurentii fuit ista Ars inventa gratiâ nostri Domini JESU Christi.

16. Ars brevis, quæ est de Inventione Mediorum Juris Civilis.
Incipit: Quoniam scientia est longa, vita autem brevis.
Dividitur in decem Distinctiones.
Citatur *Liber de Ascensu & Descensu Intellectûs.*
Liber de Sexto Sensu, h. e. *Affatu.*
Explicit: Quòd hæc Ars sit Thesaurus Scholarium Jus addiscentium tam divitum quam pauperum.
Finivit Raymundus hanc Artem in Monte Pessulano mense Januarii Anno MCCCVII. Incarnationis nostri Domini JESU Christi.

17. Ars brevis Prædicationis.
Incipit: Cùm Ars Magna Prædicationis, quæ sic intitulatur: *DEUS per tuam magnam Misericordiam.*
Dividitur in quinque Distinctiones.
Citatur *Ars Magna Prædicationis.*
Explicit: Et qui appetit eam scire, habeat ad ipsam magnam affectionem.
Finivit Raymundus hunc Librum in Civitate Majoricarum mense Februarii Anno MCCCXII. Incarnationis nostri Domini JESU Christi.

18. Ars brevis, quæ est Imago Artis Generalis.
Incipit: Ratio, quare facimus istam Artem brevem.
Dividitur in tredecim Partes.
Citatur *Ars Magna* seu *Generalis ultima.*
Explicit: Tunc temporis Artista sive Magister doceat Scholares de prædictis.
Finivit Raymundus hunc Librum Pisis in Monasterio S. Dominici mense Januarii Anno MCCCVII. Incarnationis nostri Domini JESU Christi.

19. Ars Compendiosa inveniendi Veritatem.
Incipit: Hæc Ars.
Dividitur in tres Distinctiones.
Citatur *Lectura hujus Artis* seu *Ars Universalis.*
Liber Contemplationum.
Explicit: Quia nulla forma artificialis est tam similis formæ naturali, sicut beatissima CRUX.

20. Ars Compendiosa Medicinæ.
Incipit: Ista Ars hâc Intentione est compilata, ut Medicus.
Dividitur in duas Partes.
Citatur *Ars Demonstrativa. Tractatus de Retentiva.**
Explicit: Vel per decoctiones, cauterium & syrupum & hujusmodi.

21. Ars Contemplationis.
Incipit: Tam altum & excellens est supremum Bonum.
Dividitur in duodecim Partes.
Citatur *Blanquerna Magnus. Liber de Doctrina Principis in suo Regimine.**
Ars Compendiosa inveniendi Veritatem.
Explicit: Ut in alio mundo æternaliter sit in gloria DEI.

22. Ars Demonstrativa.
Incipit: Quoniam hæc Ars Demonstrativa sequitur Regulam Artis Compendiosæ inveniendi Veritatem.
Dividitur in quatuor Distinctiones.
Citatur *Ars Compendiosa inveniendi Veritatem.*
Liber de Principiis Philosophiæ.
de Principiis Medicinæ.
de Principiis Juris.
Explicit Ars Demonstrativa in Nomine Domini, cujus conservationi & auxilio eam submittimus, qui regnat per omnia sæcula verus DEUS. Amen.

23. Ars Divina, *sive* Liber de Arte DEI.
Incipit: Ad intelligendum & diligendum Deum facimus istam Artem.
Dividitur in triginta Distinctiones.
Citatur *Ars Generalis ultima. Ars Generalis.*
*Tractatus Multiplicationis.**
Explicit: Quia est factus ad honorem DEI.
Finivit Raymundus istum Librum adjuvante divinâ gratiâ apud Montem Pessulanum mense Maji Anno MCCCVIII. Incarnationis nostri Domini JESU Christi.
Oblatus est hic Liber Clementi V. Papæ, & Philippo Francorum Regi.

24. Ars Generalis ad omnes Scientias.
Incipit: B. Bonitas. C. Magnitudo.
Explicit: Ergò mundus non est æternus.

25. Ars Generalis Ultima.
Incipit: Quoniam multas Artes fecimus.
Dividitur in tredecim Partes.
Citatur *Logica nova. Ars major Prædicationis.* Etiam citatur sub nomine *Ars sermonicandi, in qua sunt octo & centum sermones. Arbor* sive *Ars Philosophiæ Amoris,*
Ars brevis, quæ est imago Artis Generalis.
Explicit: Ipse potest scire Generalem Artem.

Hæc

Hæc Ars *fuit incepta* à Raymundo Lullo Lugduni ſuper Rhodano menſe Novembris Anno MCCCV. & ipſe eam *finivit* in Civitate Piſana in Monaſterio S. Dominici menſe Martii MCCCVIII.

26. Ars inveniendi Particularia in Univerſalibus.

Incipit: Cùm apud nos ſint infinita Particularia.
Dividitur in tres Diſtinctiones.
Citatur: *Ars Demonſtrativa. Liber Articulorum Fidei. Liber Propoſitionum ſecundùm Artem Demonſtrativam. Liber Principiorum Philoſophiæ. Liber Principiorum Theologiæ. Logica. Liber Principiorum Juris. Lib. Principiorũ Medicinæ. Ars Compendioſa inveniendi Veritatem.*
Explicit: Formare poſſint indeſtructibilia Argumenta.

27. Ars Inventiva.

Incipit: Ars præſens ab Arte Demonſtrativa deſcendit.
Dividitur in quatuor Diſtinctiones.
Citatur *Ars Demonſtrativa. Ars Amativa.*
Explicit: Qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit &c.

28. Ars Juris.

Incipit: Quoniam vita hominis brevis eſt.
Dividitur in tres Partes.
Citatur *Ars Demonſtrativa.*
Explicit: Ars Juris ad honorem & benedictionem DEI Omnipotentis.

29. Ars Magna Prædicationis.

Incipit: Quoniam Prædicatio eſt altiſſimum, arduiſſimum & nobiliſſimum Officium.
Dividitur in duas Diſtinctiones.
Citatur *Liber de Actibus divinarum Rationum. de DEO. De Aſtronomia. De Affatu. De Medicina. De Conſilio. De Significationibus.* *
De Diſputatione Fidei & Intellectûs. Ars Generalis. Liber de Lumine. Liber de Memoria. *
*Arbor Scientiæ. Rhetorica. Liber de Syllogiſmis. Liber Probationum de DEO.**
Explicit: Et quantum potui ad tuum honorem applicavi.
Finivit Raymundus iſtum Librum in Monte Peſſulano menſe Decembris Anno MCCCIV. Incarnationis noſtri Domini JESU Chriſti.

30. Ars mixtiva Theologiæ & Philoſophiæ.

Incipit: Cùm ad ſciendam Catholicam Fidem.
Dividitur in quatuor Diſtinctiones.
Citatur *Liber de Acquiſitione Terræ ſanctæ. Liber Demonſtrationum per æquiparantiam. Duo Libri: unus probat, quòd in DEO ſint tres Perſonæ non plures nec pauciores. Alter probat, quod una ſit Pater, alia Filius, alia Sanctus Spiritus. Liber de Convenientia, quam habent Fides & Intellectus in Objecto. Liber qui probat, quòd Meritum Fidei non amittatur per Demonſtrationem Fidei. Ars Generalis.*
Explicit: Et de qualibet Arte mechanica poteſt dici.
Finivit Raymundus hunc Librum Pariſiis menſe Novembris Anno MCCCIX. Incarnationis noſtri Domini JESU Chriſti.

31. Ars Univerſalis.

Incipit: Finalis Intentio hujus Artis eſt reperire V.
Dividitur in tres Diſtinctiones.
Citatur *Ars Major*, ſive *Ars Compendioſa inveniendi Veritatem*, ſive *Lectura brevis. Liber Principiorum Theologiæ. Liber Principiorum Philoſophiæ. Liber Principiorum Juris. Liber Principiorum Medicinæ. Liber Gentilis & trium Sapientum. Volumen Demonſtrationum. Ars Notatoria*, ſive *Introductoria in Artem Demonſtrativam.*
Explicit: Et inveniantur particularia ad gloriam & laudem ipſius A.

32. Liber de Articulis Fidei Catholicæ.

Incipit: Cùm aliqui dicant, quòd Chriſtiana Fides.
Deducitur per aliquos Articulos Fidei.
Citatur *Ars Generalis.*
Explicit: tenendo modum, quem nos ſuprà tenuimus.

33. Liber de Quatuordecim Articulis Catholicæ Romanæ ſacroſanctæ Fidei.

Incipit: Quoniam Fides eſt illuminatio Intellectûs, idcirco in principio hujus Libri debet ſupponi.
Dividitur in duodecim Diſtinctiones.
Citatur *Ars Demonſtrativa. Ars Compendioſa inveniendi Veritatem. Liber de Angelis.*
Explicit: Et cognitionem & amorem Domini JESU Chriſti.

34. Articuli Fidei ſacroſanctæ & ſalutiferæ Legis Chriſtianæ.

Incipit: Aliqui Chriſtiani & magni in ſcientia nominati.
Dividitur in quinque Rationes.
Citatur *Ars Generalis.*
Explicit: omnibus declarare.
Factus eſt iſte Tractatus Romæ Anno MCCXCVI in Vigilia beati Joannis Baptiſtæ.

35. Liber ad probandum aliquos Articulos Fidei Catholicæ per ſyllogiſticas Rationes.

Incipit: Quoniam Infideles non poſſunt cogi per Fideles ad Fidem.
Dividitur in ſex Partes.
Citatur *Ars Generalis.*
Explicit: Ut habeat cum ipſis Judicium æternum.
Finivit Raymundus hunc Librum in Civitate Genuenſi menſe Februarii Anno Incarnationis noſtri Domini JESU Chriſti MCCCIII.

36. Liber de Aſcenſu & Deſcenſu Intellectûs.

Incipit: Quoniam aliqui homines ſæculares deſiderant acquirere ſcientiam.
Dividitur in decem Diſtinctiones.
Citatur *Ars Generalis. Liber de Affatu. Liber Medicinæ. Liber de Sermonibus. Arbor Scientiæ. Ars prædicandi.*
Explicit: In quo ponimus quinque Rationes probantes divinam Incarnationem.
Finivit Raymundus iſtum Librum in Monte Peſſulano menſe Martii Anno MCCCIV. Incarnationis noſtri Domini JESU Chriſti.

37. Tracta-

37. Tractatus novus de Aſtronomia.

Incipit: Cùm ſint plures homines.
Dividitur in duas Partes.
Citatur *Ars Generalis. Tabula Generalis. Liber de Principiis Medicinæ.*
Explicit: Sed ſupponere, quòd Tabula ſit vera.
Finitus fuit iſte Tractatus de Aſtronomia per virtutem DEI in Civitate Pariſienſi menſe Octobris Anno Domini MCCXCVII.

38. Liber de Auditu Kabbaliſtico.

Incipit: Quoniam omnibus hominibus.
Dividitur in tres Partes.
Citatur *Tractatus de Conditionibus Figurarum & Numerorum.**
Explicit: Quas quæſtiones brevitatis gratiâ relinquo.

39. Liber de Ave Maria.

Incipit: Debitum eſt, quòd ſciatur declaratio Salutationis.
Dividitur in ſeptem Partes.
Explicit: Ut cum eo noſtra Domina adjuvet ad noſtram ſalvationem.
Finivit Raymundus hunc Librum Meſſanæ *vel* Majoricis Anno MCCCXII.

B.

40. Benedicta tu in Mulieribus.

Incipit: Inter alia verba, de quibus Regina cœli & terræ multùm fuit gaviſa.
Dividitur in octo Partes.
Explicit: Qui vivit cum ſuo Patre in Unitate Sancti Spiritûs per infinita ſæcula ſæculorum.
Finivit Raymundus hunc Librum in Civitate Valentiæ, *hodie* Viennæ, Kalendis Octobris Anno MCCCXI.

41. Blanquerna Magnus.

Incipit: Ad Significationem quinque Vulnerum.
Dividitur in quinque Libros.
Citatur *Liber de Doctrina puerili. Liber de Principiis & Gradibus Medicinæ. Liber Gentilis & trium Sapientum. Ars Compendioſa inveniendi Veritatem. Liber primus de Demonſtrationibus Articulorum. Liber de Sancto Spiritu. Liber Contemplationis. Liber de Doctrina Principis in ſuo Regimine.**
Explicit: Quomodo homo debeat vivere in hoc mundo, ut in alio mundo æternaliter ſit in gloria DEI.

C.

42. Cantus Raymundi vernaculis Verſibus.

Incipit: Sum creatus, & eſſe eſt mihi datum.
Explicit: In quibus feciſti tuum poſſe.
Finivit Raymundus hoc Scriptum Pariſiis Anno Incarnationis MCCXCIX.

43. Liber Chaos.

Incipit: Secundùm modum ſecundæ Figuræ elementalis.
Explicit: In ſecundâ Figura elementali, ſi per T. Regulæ Artis dirigantur.

44. Liber Clericorum.

Incipit: Iſte Liber
Dividitur in ſex Partes.
Explicit: Tale negotium ad finem & effectum perduci.
Finivit Raymundus hunc Librum in Civitate Piſana in Monaſterio S. Dominici An. Incarnationis noſtri Dom. JESU Chriſti MCCCVIII.

45. Liber de Cognitione DEI.

Incipit: Cùm DEUS creaverit hominem ad ſe cognoſcendum & amandum.
Dividitur in Viginti quinque Quæſtiones.
Citatur *Ars Generalis.*
Explicit: Per quam homines multùm poſſint amare & timere DEUM.
Finitus eſt iſte Liber in Civitate Majorica menſe Octobri An. MCCC. Incarnationis Filii DEI.

46. Compendium *ſeu* Commentum Artis Demonſtrativæ.

Incipit: Quoniam omnis Scientia eſt de Univerſalibus.
Dividitur in tres Diſtinctiones.
Citatur *Ars Demonſtrativa. Ars Medicinæ. Liber de Elementali Figura.*
Explicit: Et maximè tutelam & defenſionem noſtri Domini JESU Chriſti. Amen.

47. Compendium Logicæ Algazelis.

Incipit: Sciendum eſt, quòd ſint quinque Univerſalia.
Explicit Compendium Logicæ Algazelis cum aliquibus additionibus Theologiæ.
Translatus eſt ex Arabico in Latinum in Monte Peſſulano: *ut patet in principio.*

48. Liber Conceptionis Virginalis.

Incipit: Contigit, quòd ſedens in Choro Fratrum Prædicatorum Avinione.
Dividitur in quinque Partes.
Explicit Liber ſæcularis diſputantis de Conceptu Virginali in Civitate Avinionenſi in Eccleſia Jacobitarum &c.

49. Liber de Concordantia & Contrarietate.

Incipit: Quoniam unum oppoſitum cognoſcitur per aliud.
Dividitur in duas Diſtinctiones.
Explicit: Et oppoſiti ſint falſi & erronei.
Finivit Raymundus hunc Librum in Civitate Meſſanæ menſe Decembris Anno Incarnationis noſtri Domini JESU Chriſti MCCCXIII.

50. Liber de Confeſſione.

Incipit: Multi homines ſunt, qui deſiderant ſcire.
Dividitur in duas Partes.
Explicit: Vos mihi detis ſalutiferam pœnitentiam.

51. Liber, qui continet Confeſſionem.

Incipit: Cùm peccatum ſit magna transgreſſio.
Dividitur in undecim Partes.
Explicit: Poſſis agere magnam pœnitentiam.
Finivit Raymundus hunc Librum in Civitate Majoricenſi menſe Septembris Anno Domini MCCCII.

52. Liber Conſilii.

Incipit: Unum Conſilium volo incipere in meo corde.
Explicit: Quia malum creſcit.

Fecit Raymundns hunc Librum Majoricis.

53. Liber de Consilio.

Incipit: Quidam homo mirabatur de Christianis.
Dividitur in tres Distinctiones.
Citatur *Ars Generalis. Liber de Signo.**
Explicit: Ratio hujus est, quia liber omnibus est generalis.
Finivit Raymundus Librum de Consilio in Monte Pessulano in Martio An. Domini MCCCIII.

54. Consolatio Eremitæ.

Incipit: Raymundus ibat per quandam sylvam.
Dividitur in duas Scientias.
Explicit: Omnis generalis finis obligat sibi particularem finem.
Finivit Raymundus hunc Librum in Civitate Messanæ mense Augusti Anno Incarnationis nostri Domini JESU Christi MCCCXIII.

Liber Contemplationum.

Incipit: O Domine JESU Christe, quemadmodum tu in duplici Natura es DEUS & Homo.
Dividitur totum Opus in tria volumina, & ista Volumina *dividuntur* in quinque Libros, & hi Libri *dividuntur* in quadraginta Distinctiones, & hæ Distinctiones *dividuntur* in trecenta sexaginta quinque Capita & unum Caput, quod dividitur in quatuor Partes: qui quinque Libri continentur sub uno nomine, & appellantur Liber Contemplationis in DEUM.

55. Primum Volumen Contemplationum.

Continet duos Libros.
Dividitur Primus Liber in novem Distinctiones.
Dividitur Secundus Liber in tredecim Distinctiones.
Citatur *Liber Rationum in tribus Legibus*, sive *Liber Gentilis & trium Sapientum*, sive *Liber Petitionum & Quæstionum.*

56. Secundum Volumen Contemplationum.

Continet unum Librum.
Incipit à trigesima tertia Distinctione, quæ tractat *de Visu.*
Dividitur in decem Distinctiones.

57. Tertium Volumen Contemplationum.

Incipit à trigesima tertia Distinctione, quæ tractat *de Esse & de Necessitate & de Privatione.*
Continet duos Libros.
Dividitur Primus Liber in sex Distinctiones.
Dividitur Secundus Liber in duas Distinctiones.
Citatur *Liber Gentilis & trium Sapientum in Cap. 366. par. 2. circa finem, ubi expresse illum citat sub nomine Liber Petitionum & Quæstionum.*
Explicit: Qui es noster honoratus Dominus DEUS JESUS Christus. Amen.

58. Liber de Decem Modis contemplandi DEUM, *aliter* Contemplatio Raymundi.

Incipit: Ad honorem DEI volumus ostendere.
Dividitur in decem Modos.
Citatur *Ars Inventiva. Tabula Generalis.*
Explicit: Ad cujus honorem iste Tractatus est compilatus.

59. Quomodo Contemplatio transeat in Raptum.

Incipit: Diximus de Contemplatione, nunc intendimus dare modum.
Explicit: Et ad tuum glorioſum regnum valeat pervenire.

60. Liber Contradictionis.

Incipit: Accidit, quòd Raymundista & Averoista.
Dividitur in centum Syllogismos.
Citatur *Liber de Possibili & Impossibili.*
Explicit: Et tunc videbitur, quis habebit veritatem.
Finivit Raymundus suos centum Syllogismos Parisiis mense Februarii Anno MCCCX. Incarnationis nostri Domini JESU Christi.

61. Liber de Convenientia, quam habent Fides & Intellectus in objecto.

Incipit: Iste Liber
Dividitur in tres Partes.
Explicit: Qui habet aures audiendi audiat.
Finivit Raymundus istum Librum in Monte Pessulano mense Martii Anno MCCCVIII. *aliud Exemplar habet* MCCCIIII.

62. Liber de Conversione sui ad Pœnitentiam, *seu* Vita Raymundi.

Incipit: Raymundus Senescallus mensæ Regis Majoricarum.
Explicit: Et apud quendam nobilem Civitatis Majoricarum.

63. De Conversione Subjecti & Prædicati per Medium.

Incipit: Quoniam opiniones crescunt.
Dividitur in decem Distinctiones.
Explicit: Valde utilis & generalis ad alias scientias.
Finivit Raymundus hunc Librum Parisiis mense Julio Anno MCCCX. Incarnationis nostri Domini JESU Christi.

64. Liber Correlativorum innatorum.

Incipit: Quoniam ignoratis principiis, quæ sunt correlativa innata.
Dividitur in undecim Partes.
Citatur *Ars Generalis.*
Explicit: Ut eorum dicta manifestant, perlapsi sunt.
Finivit Raymundus hunc Librum Parisiis mense Februarii Anno Incarnationis nostri Domini JESU Christi MCCCX.

65. Liber de Creatione.

Incipit: Multi sunt, qui credunt, quòd mundus sit æternus.
Dividitur per decem Principia.
Explicit: Quæ diximus de divina Natura.
Finivit Raymundus hunc Librum in Civitate Messanæ Anno MCCC XIII. Incarnationis nostri Domini JESU Christi.

66. Liber de iis, quæ homo de Deo debet credere.

Incipit: Cùm sint multi Christiani.
Dividitur in viginti Partes.
Citatur *Ars Generalis.*
Explicit: Quòd homo per Fidem intelligat DEUM.

Finivit

Finivit Raymundus hunc Librum in Alleas Civitate Armeniæ Anno MCCCI.

D.

67. Declaratio Raymundi per modum Dialogi edita contra aliquorum Philosophorum & eorum sequacium opiniones erroneas & damnatas ab Episcopo Parisiensi.

Incipit: In quadam sylva juxta Parisios.
Dividitur in 219 Capita juxta numerum damnatorum Articulorum.
Citatur *Liber de Articulis Fidei Christianæ. Tabula Generalis. Ars Inventiva. Arbor Scientiæ.*
Explicit: De hac commendatione in Die Judicii facient testimonium.
Finita fuit hæc Disputatio die Veneris ante Quadragesimam Anno Domini MCCXCVII.

68. Liber Demonstrationum, qui est una Brancha Artis Compendiosæ inveniendi Veritatem.

Incipit: Cùm humanus intellectus sit vilipensus.
Dividitur in quatuor Libros.
Citatur *Ars Compendiosa inveniendi Veritatem.*
Explicit: Ut per totum mundum exaltetur & laudetur & cognoscatur noster Dominus JESUS Christus, qui est verus DEUS & Homo.

69. Liber de Demonstratione per Æquiparantiam.

Incipit: Quoniam quidquid demonstratum fuit ab antiquis.
Dividitur in tres Distinctiones.
Citatur *Ars Generalis.*
Explicit: Quòd rationes contra sanctam Catholicam Fidem non concludunt.
Finivit Raymundus hunc Librum Parisiis Anno MCCCX.

70. Liber de Vita DEI.

Incipit: Quoniam per plures modos probavimus.
Dividitur in decem Syllogismos.
Explicit: Est valde profunda & jucunda.
Finivit Raymundus istum Librum in Civitate Messanæ mense Februarii Anno MCCCIII.

71. Liber de DEO & JESU Christo.

Incipit: Cùm principalis finis, propter quem homo est creatus.
Dividitur in duas Partes.
Citatur *Ars Generalis. Liber de Articulis. Arbor Scientiæ. Liber de Homine.*
Explicit: Finitæ sunt quæstiones ad gloriam & laudem nostri Domini DEI JESU Christi.

72. Liber de DEO & Mundo.

Incipit: Quia DEUS est esse majus, & mundus est esse minus.
Dividitur in quinque Distinctiones.
Explicit: Ego cum divino auxilio & adjutorio eos solvam.
Finivit Raymundus hunc Librum Tunicii mense Decembris Anno MCCC XV. Incarnationis nostri Domini JESU Christi. Amen.

73. Liber de DEO majore & DEO minore.

Incipit: Dico majorem DEUM illum.
Dividitur in duas Distinctiones.
Explicit: Correctioni Sanctæ Romanæ Ecclesiæ.
Finivit Raymundus hunc Librum in Civitate Messanæ mense Januarii Anno MCCCXIII. Incarnationis nostri Domini JESU Christi.

74. Liber de DEO ignoto & Mundo ignoto.

Incipit: Ad ostendendum, per quem modum DEUS sit ignotus & notus.
Dividitur in duas Distinctiones.
Explicit: Paradisum & infernum esse.
Finivit Raymundus istum Librum Parisiis mense Junii Anno MCCCXI. Incarnationis nostri Domini JESU Christi.

75. Liber de Desolatione.

Incipit: DEUS cum tua virtute incipit hæc Desolatio.
Citatur *Ars Generalis. Liber de Acquisitione Terræ sanctæ. Liber de centum Nominibus DEI. Liber de Fine.*
Explicit: Et me adjuves ad promovendam Christianitatem.
Fuit finitum Anno MCCLXXXV.

76. Dictatum Raymundi de Trinitate.

Incipit: Contra sanctam Trinitatem.
Explicit: Quòd inde erit bene consolatus.

77. Liber Differentiæ Correlativorum divinarum Dignitatum.

Incipit: Quoniam aliqui dicunt, quòd sit impossibile probare.
Dividitur in decem Partes.
Explicit: Quem ita altum voco venerabilem Dominum Fridericum Regem Trinacriæ.
Finivit Raymundus istum Librum in Civitate Majoricensi mense Julii Anno MCCC XII. Incarnationis nostri Domini JESU Christi.

78. Disputatio *seu* Liber de Quinque Sapientibus.

Incipit: In quadam magna sylva sub umbra cujusdam pulchræ arboris.
Dividitur in quatuor Partes.
Citatur *Ars Inventiva. Tabula Generalis. Commentum super Arte Inventiva & Tabula Generali.*
Explicit: Per quem solvimus supradictas.
Finivit Raymundus hunc Librum in Civitate Neapolitana Anno Incarnationis Domini MCCXCIIII.

79. Disputatio Raymundi Christiani & Hamar Saraceni.

Incipit: Dicitur, quòd quidam homo Christianus.
Dividitur in tres Partes.
Citatur *Liber de Fine.*
Explicit: Correctioni majorum Dominorum tanquam fidelis Christianus.
Finivit Raymundus hunc Librum Pisis in Monasterio S. Dominici mense Aprilis Anno Domini MCCC VIII.

80. Disputatio Petri & Raymundi phantastici.

Incipit: Accidit duos homines ad generale Concilium euntes.
Citatur *Ars Generalis.*
Explicit: Et abeuntes discesserunt ab invicem Clericus & Raymundus.

Finivit Raymundus hunc Librum An. MCCCXI. Incarnationis noſtri Domini JESU Chriſti.

81. Diſputatio Raymundi & Averroiſtæ.

Incipit: Pariſiis fuit magna contrarietas inter Raymundum.
Continet quinque Quæſtiones.
Citatur *Liber de Fallaciis.*
Explicit: Ad quod ſequitur, quòd implicas contradictionem.

82. Diſputatio Raymundi & Eremitæ ſuper aliquibus dubiis Quæſtionibus Sententiarum Magiſtri Petri Lombardi.

Incipit: Raymundus Pariſiis ſtudens ſtatum hujus mundi conſiderans.
Continet centum quadraginta Capita.
Citatur *Ars Generalis. Arbor Scientiæ. Liber de Articulis Fidei. Liber de Articulis damnatis Pariſiis.*
Explicit: Quòd tua ratio non valet, ſed mea eſt permanens.
Finita fuit præſens Diſputatio Pariſiis An. Chriſti MCCXCVIII. in Octava Aſſumptionis Beatæ Virginis MARIÆ.

83. Diſputatio Fidelis & Infidelis.

Incipit: DEUS omnipotens, cujus nomen benedictum in æternum.
Dividitur in octo Partes.
Explicit: Et honorat DEUM ex propria libertate; & ſic non valet poſitio.

84. Diſputatio Fidei & Intellectûs.

Incipit: Studia Theologorum Januam Scientiæ.
Dividitur in duas Partes.
Citatur *Ars Generalis. Liber de Syllogiſmis. Liber de Propoſitionibus. Tractatus de Æternitate.**
Explicit: Sed gratiâ Diſputationis illa dixit.
Finivit Raymundus hunc Librum apud Montem Peſſulanum menſe Octobris Anno Domini MCCC III. Incarnationis noſtri Domini JESU Chriſti.

85. Liber de Doctrina puerili.

Incipit: DEUS vult, quòd laboremus.
Dividitur in centum Capita.
Citatur *Liber Definitionum & Quæſtionum.* * *Liber Dialecticæ in Catalano.* * *Ars Compendioſa inveniendi Veritatem. Liber de Evaſto & Blanquerna.*
Explicit: Et habent prædictam gloriam auxiliante gratiâ noſtri Domini DEI.

86. Liber de ſeptem Donis Sancti Spiritûs.

Incipit: Cùm Sanctus Spiritus ſit divina Perſona.
Explicit: Ejus amore, reverentiâ & honore dicamus Pater noſter.

E.

87. Liber de Efficiente & Effectu.

Incipit: Pariſiis quidam Raymundiſta & Averroiſta diſputabant.
Dividitur in tres Diſtinctiones.
Explicit: Tuæ rationes ſolutæ ſunt, meæ autem non.
Finitus eſt iſte Liber menſe Maji Anno MCCCX. Incarnationis noſtri Domini JESU Chriſti.

88. Liber de Ente Infinito.

Incipit: Quoniam humanum deſiderium naturaliter fertur.
Dividitur in ſex Diſtinctiones.
Citatur *Ars Generalis.*
Explicit: Patet, DEUM eſſe infinitum.
Finivit Raymundus hunc Librum Pariſiis menſe Februario Anno MCCCIX. Incarnationis noſtri Domini JESU Chriſti.

89. Liber de Ente Reali & Rationis.

Incipit: Quoniam intellectus eſt valde fatigatus.
Dividitur in ſex Diſtinctiones.
Citatur *Ars Generalis. Liber de Perfeitate & Finalitate, eſt Liber de Ente ſimpliciter.*
Explicit: In ipſis Diſtinctionibus omnia ſunt implicita.
Finivit Raymundus hunc Librum Avenione menſe Decembris, dum ibi erat Concilium Generale per Dominum Papam Clementem V. Anno MCCCXI. Incarnationis noſtri Domini JESU Chriſti.

90. Liber de Ente ſimpliciter abſoluto.

Incipit: Convenit, quòd Ens ſimpliciter abſolutum.
Continet decem Capita.
Explicit: Cum propter ipſum ſimpliciter ſint facti.
Finivit Raymundus iſtum Librum in Civitate Viennæ, dum ibidem erat Concilium generale menſe Martii Anno MCCCXII. Incarnationis noſtri Domini JESU Chriſti.

91. Liber de Ente ſimpliciter per ſe & propter ſe exiſtente & agente.

Incipit: Quoniam DEUS eſt ſimpliciter per ſe & propter ſe.
Dividitur in ſex Diſtinctiones.
Citatur *Liber Prædicationis. Ars Juris. Ars Medicinæ.*
Explicit: Et tractatus talis, qualis ipſe eſt.
Finivit Raymundus iſtum Librum Pariſiis menſe Septembris Anno MCCCXI.

92. Liber de Erroribus Judæorum.

Incipit: Quoniam Judæi credunt eſſe in veritate,
Continet quinquaginta ſermones.
Non eſt integer, adeſt usque ad ſerm. 19.
Citatur *Ars Generalis.*

93. Liber de Eſſe Infinito.

Incipit: Duobus modis convenit in hoc Libro.
Dividitur in duas Diſtinctiones.
Explicit: Quoniam Contradictio non poteſt ſtare.
Finivit Raymundus iſtum Librum menſe Nov. in Civitate Meſſanæ Anno MCCCXIII.

94. Liber de Eſſe Perfecto.

Incipit: Quoniam infinitum eſſe & perfectum eſſe.
Dividitur in quinque Diſtinctiones.
Explicit: Judicium infinitum & perfectum; quod eſt impoſſibile.
Finivit Raymundus iſtum Librum in Civitate Meſſanæ menſe Martii Anno MCCCXIII.

95. Liber de Eſſentia & Eſſe DEI.

Incipit: Dicitur, quòd homo in hac vita non poſſit habere ſcientiam.

Divi-

Dividitur in decem Diſtinctiones.
Explicit: Quoniam magnum intelligere in bono diſponit magnum diligere.
Finivit Raymundus iſtum Librum in Civitate Meſſanæ menſe Decemb. Anno MCCCXIII.

96. Liber de Eſt DEI.

Incipit: Eſt DEI vocamus id.
Dividitur in octo Partes.
Citatur *Ars Generalis.*
Explicit: Qui modus eſt divinus.
Finitus eſt iſte Liber in Civitate Majoricenſi menſe Septembris Anno Incarnationis noſtri Domini JESU Chriſti MCCC.

97. Liber de Exiſtentia & Agentia DEI.

Incipit: Quoniam cognoſcere & amare Exiſtentiam & Agentiam DEI.
Dividitur in quatuor Diſtinctiones.
Explicit: Correctioni Sanctæ Romanæ Eccleſiæ.
Finivit Raymundus iſtam Artem Pariſiis menſe Auguſti Anno MCCCXI.

98. Tractatus de Experientia Realitatis ipſius Artis Generalis.

Incipit: Quoniam experimentum eſt fundamentum, ſupra quod intellectus.
Dividitur in ſeptem Diſtinctiones.
Citatur *Ars Generalis. Ars Magna prædicandi. Ars Divina. Ars Demonſtrationis per æquiparantiam. Ars Philoſophiæ boni Amoris. Ars Intellectûs. Ars Voluntatis* ſive *Amativa. Ars Memoriæ.* * *Ars Juris. Ars Medicinæ*, ſeu *Liber de Regionibus Sanitatis & Infirmitatis. Ars Conſilii*, ſeu *Liber de Conſilio.*
Explicit: Quòd Ars Generalis ſit utilis, vera, neceſſaria & realis.
Epiſtola Raymundi ad Chriſtianum adjungenda huic Libro.
Incipit: Quoniam Infideles literati.
Citatur *Liber de Diſputatione facta inter Raymundum Chriſtianum & Hamar Saracenum. Ars DEI. Liber de Demonſtratione per æquiparantiam.*
Explicit: Submittimus Correctioni Sacroſanctæ Eccleſiæ.
Finivit: Raymundus hunc Tractatum in monte Peſſulano menſe Nov. Anno MCCCVIII.

F.

99. Liber de novis Fallaciis.

Incipit: Quoniam humanus intellectus eſt valde gravatus per hoc.
Dividitur in quinque Diſtinctiones.
Citatur *Ars Generalis.*
Explicit: Tanquam fidelis, qui ſum Chriſtianus.
Finivit Raymundus iſtum Librum in Monte Peſſulano menſe Octobris Anno MCCCVIII.

100. Liber de Fallaciis, quas non credunt facere aliqui, qui credunt eſſe Philoſophantes, contra puriſſimum Actum Dei veriſſimum & perfectiſſimum.

Incipit: Per iſtas Fallacias poſſunt convenire Theologi Catholici.
Citatur *Liber de novis Fallaciis.*
Explicit: Contra Fidem Catholicam

101. Liber Felix, *ſeu* de Mirabilibus Mundi.

Incipit: Stabat quidam homo in terra extranea in triſtitia.
Dividitur in decem Partes.
Citatur *Liber de Angelis. Liber Chaos. Liber Gentilis. Liber Articulorum. Ars Demonſtrativa. Liber de Doctrina Puerili.*
Explicit: Qui haberet illud officium, & quòd haberet nomen Felix.

102. Liber de Figura Elementali.

Incipit: Elementa ſunt quatuor principia rerum naturalium.
Dividitur in ſeptem Partes.
Citatur *Liber Chaos. Ars Demonſtrativa.*
Explicit: Artiſtarum exercitationibus deliberamus dimittendum.

103. Liber de Fine.

Incipit: Cùm mundus in malo ſtatu diu permanſerit.
Dividitur in tres Diſtinctiones.
Citatur *Liber de Æquiparantia. Liber de Prædicatione. Liber de DEO. Liber de Diſputatione Fidei & Intellectûs. Liber de Aſcenſu & deſcenſu Intellectûs. Liber de Intellectu. Liber de Voluntate. Liber de Memoria.* * *Liber de Significatione.* * *Liber de Inveſtigatione divinarum Dignitatum. Arbor Scientiæ. Liber de Syllogiſmis. Liber de Actibus divinarum Dignitatum. Liber quinque Sapientum*, ſeu *contra Schiſmaticos. Lib. de iis, quæ homo de DEO debet credere. Ars Generalis. Liber Gentilis & trium Sapientum. Liber de Prædeſtinatione. Liber de Aſtronomia. Ars Conſilii. Liber de Doctrina Puerili. Blanquerna magnus. Liber de Mirabilibus Orbis*, ſeu *Felix. Philoſophia boni amoris. Liber de Jure. Liber de Medicina. Liber Alchindi.* * *Liber Teliph.* * *Ars Generalis aut Compendioſa ſive Inventiva vel Demonſtrativa. Arbor Philoſophiæ. Liber de Lumine. Liber de nova Logica. Nova Rhetorica.*
Explicit: Et ſic de Sancto Spiritu habeant timorem, ſicut dixi.
Finivit Raymundus Librum de Fine in Monte Peſſulano ad laudem & honorem Sancti Spiritûs menſe Aprilis Anno MCCCV.

104. Liber de majori Fine.

Incipit: Quoniam quidquid eſt, eſt propter majorem Finem.
Dividitur in duas Diſtinctiones.
Explicit: Cùm ſit cauſa, finis & quies totius mundi.
Finivit Raymundus iſtum Librum in Civitate Meſſanæ menſe Februarii Anno MCCCXIII.

105. Liber de majori Fine Intellectûs, Amoris & Honoris.

Incipit: Cùm Saraceni non habeant notitiam.
Dividitur in duas Diſtinctiones.
Explicit: Quas Ego dedi de Sancta Divina Trinitate.
Finivit Raymundus hunc Librum in Civitate Tunicii menſe Decembr. Anno MCCCXV.

106. Flores Amoris & Intelligentiæ.

Incipit: Ad ſciendum hos flores, quos colligimus ab amoribus.
Citatur *Ars Amativa.*
Explicit: Solutio F. K. T. K.
Finiti ſunt Flores Amoris & illius Quæſtiones, & finiti ſunt Flores Intelligentiæ & illius Quæſtiones in Civitate Neapolis Anno MCCXCIIII.

107. Fons Paradiſi divinalis.

Incipit: Sicut à Fonte Paradiſi deliciarum.
Explicit: Et totius Curiæ cœleſtis, Amen.

108. Liber de Forma DEI.

Incipit: Quoniam Deus eſt principium ſingulare.
Dividitur in quinque Diſtinctiones.
Citatur *Liber de Affatu.*
Explicit: Cùm ſim verus Chriſtianus & Catholicus.
Finivit Raymundus iſtam Artem Pariſiis menſe Julii Anno MCCCXI.

G.

109. Liber de Gentili & tribus Sapientibus.

Incipit: Cùm per participationem longi temporis.
Dividitur in quatuor Libros partiales.
Citatur *Ars Compendioſa inveniendi veritatem.*
Explicit: Qui ſunt in ira juſtitiæ Summi DEI.

110. Geometria nova.

Incipit: Quoniam brevis intentio amabilis eſt.
Dividitur in duos Libros.
Citatur *Ars Generalis.*
Explicit: Se meliùs habere ad alias ſcientias.
Finita eſt hæc Scientia Pariſiis menſe Julii Anno MCCXCIX.

111. Liber de Gradibus Conſcientiæ.

Incipit: Conſcientia eſt habitus intellectûs.
Explicit: Nec tamen eligit illam partem.
Finivit Raymundus in Vigilia B. Laurentii.

H.

112. Liber de Homine.

Incipit: Cùm ſit conveniens, quòd homo ſciat, quid ſit Homo.
Dividitur in tres Partes.
Citatur *Arbor Scientiæ. Liber de Affatu ſive ſexto ſenſu.*
Explicit: Propter quem creatum fuerat.
Factus eſt iſte Liber in Civitate Majoricarum menſe Novembris Anno MCCC.

I.

113. Liber de Intellectu.

Incipit: Quidam homo multùm conſiderans mirabatur.
Dividitur in tres Diſtinctiones.
Citatur *Ars Generalis. Ars major. Tabula generalis. Lectura Artis Generalis.*
Explicit: Eò quia Doctrina eſt generalis.
Finivit Raymundus iſtum Librum *ſive* Artem Intellectûs in Monte Peſſulano menſe Februarii Anno MCCCIII.

114. Liber de Intelligere DEI.

Incipit: Cùm humanus intellectus ſit imperfectus.
Dividitur in duas Diſtinctiones.
Explicit: Quam adoramus & laudamus.
Finivit Raymundus iſtum Librum in Civitate Meſſanæ menſe Januarii Anno MCCCXIII.

115. Liber de Intentione prima & ſecunda.

Incipit: Dum in cubili ſtrato meo corpore.
Dividitur in quinque Capita.
Citatur *Ars Demonſtrativa veritatis.*
Explicit: Eſt vera & ſumma intentio, verus DEUS.

116. Introductoria Artis Demonſtrativæ.

Incipit: Introductoria Artis Demonſtrativæ tradere volentes.
Continet quadraginta duo Capita.
Citatur *Ars Demonſtrativa. Liber Propoſitionum. Liber de Articulis Fidei Catholicæ. Liber de Præceptis.* *
Explicit: Alpha & Omega Verbum Patris omnipotentis.

117. Introductorium magnæ Artis Generalis.

Incipit: Quoniam omnis Scientia eſt de Univerſalibus.
Citatur *Ars Generalis.*
Explicit: Finis Scientiæ ſpeculativæ eſt veritas, practicæ verò opus.
Finitus fuit iſte Liber octavâ die menſis Martii Anno MCCCV.

118. Inveſtigatio Generalium Mixtionum.

Incipit: Ratio, quare facimus iſtam inveſtigationem.
Dividitur in quinque Partes.
Citatur *Ars Generalis.*
Explicit: Finitus eſt iſte Tractatus.

119. Liber de Inveſtigatione Actuum divinarum Rationum.

Incipit: Quidam Homo Chriſtianus diu laborans cum infidelibus.
Citatur *Ars Generalis. Liber de ſignificatione.* * *Liber de Intellectu. Liber de Memoria.* * *Liber de Voluntate. Liber de Lumine.*
Explicit: Et Liber de Lumine.
Finivit Raymundus hunc Librum in Monte Peſſulano menſe Aprilis Anno MCCCIV.

120. Liber de Inventione divina.

Incipit: Omnia illa, ſinè quibus DEUS non poteſt eſſe.
Continet quindecim Quæſtiones.
Explicit: Primam propoſitionem veram & neceſſariam.
Finivit Raymundus hunc compendioſum Tractatum in Civitate Meſſanæ menſe Novembris Anno MCCC XIII.

121. Liber de Juſtitia DEI.

Incipit: Juſtitia eſt forma, cum qua juſtus juſtè agit.
Dividitur in ſex Diſtinctiones.
Explicit: Quas habebit, ût dictum eſt.
Finivit Raymundus hunc Librum in Civitate Meſſanæ menſe Februarii Anno MCCCXIII.

L.

122. Liber Lamentationis Philoſophiæ: *etiam intitulatur* Duodecim Principia, quæ & Lamentatio *ſeu* Expoſtulatio Philoſophiæ contra Averroiſtas & Phyſica Raymundi dici poſſunt.

Incipit: Quoniam certum dignoſcitur.
Citatur *Liber de Natali.*
Explicit: Dominas autem & Raymundum poſuit in bonam ſpem.
Finivit Raymundus iſtum Librum Pariſiis menſe Februarii Anno MCCCX.

123. Liber de Laudibus Beatiſſimæ Virginis Mariæ.

Incipit: Quæſtiones, Definitiones, Laudes, Orationes.
Continet triginta Capita.
Citatur *Ars Inventiva. Ars Amativa. Liber de Intentione.*
Explicit: Et glorioſæ Virginis Mariæ ejus Genitricis.

124. Lectura Artis, quæ intitulatur brevis Practica Tabulæ Generalis.

Incipit: Iſta Lectûra eſt ad declarandum Artem Generalem.
Dividitur in tredecim Partes.
Citatur *Ars Generalis. Tabula Generalis.*
Explicit: Sic poteſt fieri & intelligi in aliis.
Finivit Raymundus hanc Lecturam in Civitate Genuæ primâ die menſis Februarii Anno MCCCIII.

125. Lectura ſuper Figuras Artis Demonſtrativæ.

Incipit: Quoniam DEUS eſt multùm recolibilis.
Dividitur in duodecim Figuras.
Citatur *Ars Demonſtrativa. Liber Chaos. Liber Articulorum, qui eſt Practica hujus Artis.*
Explicit: Ad exaltationem cognitionis & amoris DEI Omnipotentis. Amen.

126. Lectura Compendioſa Tabulæ Generalis.

Incipit: Cùm Theorica & Practica in textu noſtræ Tabulæ Generalis.
Dividitur in quatuor Partes.
Citatur *Tabula Generalis. Ars Inventiva.*
Explicit: Explicitè & implicitè conſiſtit Lectura Tabulæ Generalis.

127. Lectura ſuper Artem Inventivam & Tabulam Generalem.

Incipit: Iſta Ars ſequitur modum & Doctrinam.
Dividitur in tres Diſtinctiones.
Citatur *Ars Inventiva. Tabula Generalis. Ars Amativa. Ars Memorativa.* * *Ars Demonſtrativa. Commentum ſuper Artem Demonſtrativam. Liber quinque hominum Sapientum, ſeu Diſputatio de 5. Sapientibus, cum Petitione, quam obtulit Domino Papæ Cœleſtino V. Liber de Sexto Senſu. Arbor Philoſophiæ. Liber Principiorum Medicinæ.*
Explicit: Cum mixtione principiorum hujus Scientiæ poteſt cognoſci.

128. Liber de Levitate & Ponderoſitate Elementorum.

Incipit: Ad requiſitionem Medicorum Civitatis Neapolitanæ.
Dividitur in duas partes.
Citatur *Ars Inventiva. Tabula Generalis. Liber Principiorum Medicinæ. Figura de Gradibus Elementorum.*
Explicit: Quàm de aliis humoribus.

129. Liber, quæ Lex ſit melior.

Incipit: Cum multi Chriſtiani Laici.
Dividitur in ſex Argumenta.
Explicit: Conentur augmentare.
Finivit Raymundus hunc Librum in Civitate Majoricenſi menſe Febr. Anno MCCCXII.

130. Liber de Loco Minori ad Majorem.

Incipit: Cùm ſint aliqui, qui dicunt.
Dividitur in duas Diſtinctiones.
Explicit: Quia Catholicus ſum.
Finivit Raymundus hunc Librum in Civitate Meſſanæ menſe Nov. Anno MCCCXIII.

131. Liber de Locutione Angelorum.

Incipit: Raymundus jacens in ſuo lecto.
Dividitur in quatuor Diſtinctiones.
Citatur *Ars Generalis.*
Explicit: Et mali Angeli inducunt ipſos malos ad vitia.
Finivit Raymundus iſtum Librum *ſive* Artem in Monte Peſſulano menſe Maji Anno MCCCXII.

132. Logica nova.

Incipit: Conſiderantes antiquam & novam Logicam.
Dividitur in ſeptem Diſtinctiones.
Citatur *Ars Generalis.*
Explicit: Et tertiam Speciem regulæ D. ſignificatum eſt.
Finivit Raymundus hunc Librum Genuæ MCCCIII.

133. Tractatus de Lumine.

Incipit: Quoniam intellectus multiplicat ſpecies.
Dividitur in tres Diſtinctiones.
Citatur *Ars Generalis. Ars Major.*
Explicit: Et teneat modum Artis Generalis.
Finivit Raymundus Librum de Lumine in Monte Peſſulano menſe Nov. MCCCIII.

M.

134. Liber de Medio naturali.

Incipit: Quoniam omnes ſumus in opinionibus.
Citatur *Ars Generalis.*
Explicit: Cum medio naturali.
Finivit Raymundus iſtum Librum menſe Octobris in Civitate Meſſanæ Anno MCCCIII.

135. Liber ad Memoriam confirmandam.

Incipit: Ratio, quare volumus colligere præſentem Tractatum.
Dividitur in duas Partes.
Citatur *Liber ſeptem Planetarum*, ſive *Liber Aſtrologiæ. Liber de Memoria & Reminiſcentia.* *
Explicit: Et præ oculis ſuæ mentis.

Iſte Tractatus *fuit compoſitus* in Civitate Piſana in Monaſterio S. Dominici.

136. Liber de Memoria DEI.

Incipit: Quoniam de Divina Memoria.
Dividitur in quinque Diſtinctiones.
Explicit: Et Anima per ipſam valde jucunda.
Finivit Raymundus iſtum Librum in Civitate Meſſanæ menſe Martii Anno MCCCXIII.

137. Metaphyſica nova.

Incipit: Quoniam intellectus nihil poteſt objectare generalius.
Dividitur in duas Diſtinctiones.
Citatur *Ars Generalis.*
Explicit: Ne prolixitate generemus faſtidium.
Finivit Raymundus iſtam Artem Pariſiis menſe Januarii Anno MCCCIX.

138. Liber de novo Modo demonſtrandi.

Incipit: Quia dicitur: quòd Fides non poſſit demonſtrari.
Dividitur in quinque Diſtinctiones.
Explicit: Quia verus Catholicus ſum.
Finivit Raymundus hunc Librum in Civitate Majoricenſi menſe Sept. Anno MCCCXII.

139. Liber de naturali Modo intelligendi.

Incipit: Cùm quidam dicant.
Dividitur in octo Diſtinctiones.
Explicit: Quomodo intellectus naturaliter intelligat philoſophicè & theologicè.
Finivit Raymundus hunc Librum Pariſiis in Monaſterio Carthuſienſi Anno MCCCX. menſe Maji Incarnationis noſtri Domini JESU Chriſti.

140. Liber de decem Modis contemplandi DEUM.

Incipit: Ad honorem Dei volumus oſtendere.
Continet decem modos.
Citatur *Ars Inventiva. Tabula Generalis.*
Explicit: Ad cujus honorem iſte Tractatus eſt compilatus.

141. Liber de Modo applicandi novam Logicam ad Scientiam Juris & Medicinæ.

Incipit: Cùm Juriſta & Medicus debeant inveſtigare.
Dividitur in duas Partes principales.
Citatur *Nova Logica.*
Explicit: Et ad ipſam artificialem practicam reduci.

142. Liber de Multiplicatione, quæ fit in Eſſentia DEI per divinam Trinitatem.

Incipit: Primò ſuppono, ſive credo.
Dividitur in quatuor Diſtinctiones.
Explicit: Eſſent in tempore & loco finito.
Finivit Raymundus iſtum Librum Meſſanæ menſe Aprilis Anno MCCCXIV.

N.

143. Liber de Natali parvuli Pueri JESU.

Incipit: Da Domine in te credentibus affectum.
Continet triginta octo Capita.
Explicit: Cui cum Patre & S. Spiritu eſt æqualis honor & gloria in ſæcula ſæculorum.
Fecit Raymundus hunc Librum Pariſiis, & *complevit* illum in Nocte Natalis Domini Anno ab Incarnatione Parvuli nati MCCCX.

144. Liber de Natura.

Incipit: Cùm Natura ſit valde generalis.
Dividitur in novem Partes vel Quæſtiones.
Citatur *Ars Generalis.*
Explicit: Qui ſequitur in novem quæſtionibus hujus Libri.
Finivit Raymundus iſtum Librum in Cypro in Civitate Famagoſtæ menſe Decembris Anno MCCCI.

145. Liber de Natura divina.

Incipit: Dicitur, quòd homo de divina Natura non poſſit habere ſcientiam.
Continet decem Capita.
Explicit: Quæ diximus de divina Natura.
Finivit Raymundus hunc Librum in Civitate Meſſanæ menſe Decembr. Anno MCCCIII.

146. Liber de centum Nominibus DEI.

Incipit: Cùm Saraceni intendant probare ſuam legem.
Continet centum Capita poſita in Rythmis vulgaribus.
Explicit: Et ſempiternam glorificationem.

O.

147. Liber de Objecto finito & infinito.

Incipit: Quoniam multi ſunt, qui neſciunt in DEO.
Dividitur in quinque Diſtinctiones.
Citatur *Liber de Perfecto Eſſe.*
Explicit: DEUS eſt laudandus & regratiandus.
Finivit Raymundus hunc Librum in Civitate Meſſanæ menſe Martii Anno MCCCXIII.

148. Liber de Operibus Miſericordiæ.

Incipit: Facimus hunc Librum.
Dividitur in ſeptem Partes.
Citatur *Ars Major prædicandi.*
Explicit: Reverentiâ & honore dicamus Pater Noſter.
Finivit Raymundus hunc Librum in Civitate Majoricana menſe Febr. Anno MCCCXII.

149. Liber de Oratione.

Incipit: Volo dividere Orationem.
Dividitur in novem Modos.
Citatur *Ars Generalis.*
Explicit: magis amem te, quàm me.
Finivit Raymundus hunc Tractatum Majoricæ menſe Julii Anno MCCC.

150. Liber de tredecim Orationibus.

Incipit: Cùm multi homines deſiderent.
Dividitur in tredecim Partes.
Explicit: Dando laudem, gratias & gratiarum actiones DEO.
Finitus eſt Liber de Orationibus & Doctrina amandi DEUM in Civitate Barcinonæ Anno MCCXCVIII.

151. Liber de Orationibus & Contemplationibus.

Incipit:

Incipit: In ignorantia effectûs.
Dividitur in decem Capita.
Citatur *Liber de Actu divinarum Dignitatum.*
Explicit: Quòd finiret hunc Librum.

P.

152. Liber de Participatione Chriſtianorum & Saracenorum.

Incipit: Raymundus veniens de Concilio generali.
Dividitur in tres Diſtinctiones.
Explicit: Quæ diximus, manifeſtum eſt.
Finivit Raymundus iſtum Librum Majoricis menſe Julii Anno MCCCXII.

153. Liber de Pater noſter.

Incipit: Cùm JESUS Chriſtus ſit generalior Perſona.
Dividitur in octo Partes.
Explicit: Venerandum & ſerviendum dicamus Pater noſter.
Finivit Raymundus hunc Librum in Civitate Majoricarum menſe Oct. Anno MCCCXII.

154. Liber de Perfeitate DEI.

Incipit: Volo credere, quòd DEUS ſit per ſe ſimpliciter.
Dividitur in decem Partes.
Explicit: DEUS agit in creaturis, & nihil in ſe ipſo.
Finivit Raymundus hunc Librum in Civitate Meſſanæ menſe Aprilis Anno MCCCXIV.

155. Petitio Raymundi pro Converſione Infidelium.

Incipit: Advertat Sanctitas veſtra.
Explicit: Mediante Subſidio noſtri Domini JESU Chriſti.

156. Petitio Raymundi in Concilio generali ad acquirendam Terram ſanctam.

Incipit: Hæ ſunt Ordinationes.
Dividitur in decem Partes.
Explicit: Qualia ipſa ſunt.

157. Liber de Perverſione Entis removenda.

Incipit: Factâ hypotheſi, quòd hoc, quod eſt intelligibile.
Dividitur in decem Quæſtiones.
Citatur *Ars Generalis.*
Explicit: Quòd beatitudo æqualiter conſiſtat per intelligere & amare.
Finivit Raymundus iſtum Librum Pariſiis menſe Decembris Anno MCCCIX.

158. Liber novus Phyſicorum & compendioſus.

Incipit: Cùm aggredi ſufficienter determinare.
Dividitur in tres Diſtinctiones.
Citatur *Ars Generalis. Liber de Perverſione entis removenda.*
Explicit: Poſſunt alia adipiſci.
Finivit Raymundus iſtum Librum Pariſiis menſe Februarii inceptus ultimâ die Januarii Anno MCCCIX.

159. Liber de Poſſibili & Impoſſibili.

Incipit: Quoniam philoſophantes moderni.
Dividitur in quatuor Diſtinctiones.
Explicit: Sit ſtrenuus pugil & inexpugnabilis Defenſor.
Finitus eſt in Nemore de Vincens juxta Pariſios menſe Octobris Anno MCCCX.

160. Liber de Poteſtate pura.

Incipit: Creditur, quòd DEUS ſit purus actus.
Dividitur in quinque Diſtinctiones.
Explicit: Exiſtente DEO ſubjecto.
Finivit Raymundus hunc Librum in Civitate Meſſanæ menſe Januarii Anno MCCCXIII.

161. Liber de Poteſtate infinita & ordinata.

Incipit: Quoniam multi ſunt, qui dicunt.
Dividitur in tres Diſtinctiones.
Explicit: Valde utilis, alta & profunda.
Finivit Raymundus iſtam Artem in Civitate Meſſanæ menſe Nov. Anno MCCCXIII.

162. Liber de Prædeſtinatione & Libero Arbitrio.

Incipit: Quia Prædeſtinatio hominis.
Dividitur in duas Partes.
Citatur *Ars Generalis.*
Explicit: Humilitate & hujusmodi.

163. Liber de Prædeſtinatione & Præſcientia.

Incipit: Quoniam plures homines neſciunt determinare.
Dividitur in tres Diſtinctiones.
Citatur *Ars Generalis.*
Explicit: Quæ brevitatis gratiâ dimittimus ſubtiliter intuenti.
Finivit Raymundus iſtum Librum menſe Aprilis Anno MCCCX.

164. Liber de quinque Prædicabilibus & decem Prædicamentis.

Incipit: Quoniam quinque Prædicabilia.
Dividitur in duas Diſtinctiones.
Explicit: Humanus intellectus eſt habituatus ad cognoſcendum ſecreta eorum.
Finivit Raymundus hunc Librum in Civitate Meſſanæ menſe Decemb. Anno MCCCXIII.

165. Liber de quinque Principiis, quæ ſunt in omni eo, quod eſt.

Incipit: Quinque Principia, quæ ſunt in omni.
Dividitur in novem Diſtinctiones.
Citatur *Ars Generalis.*
Explicit: Per quinque Principia primitiva.
Finivit Raymundus hunc Librum in Civitate Majoricenſi menſe Auguſti Anno MCCCXII.

166. Liber Principiorum Juris.

Incipit: Præſens Ars.
Dividitur in duas Diſtinctiones principales.
Citatur *Ars Compendioſa inveniendi Veritatem. Ars* ſive *Liber Principiorum Medicinæ.*
Explicit: Matris MARIÆ ſemper Virginis dicta ſufficiant.

167. Liber Principiorum Medicinæ.

Incipit: Quoniam omnis Ars habet ſua Principia.
Dividitur in decem Diſtinctiones.
Citatur *Ars Compendioſa inveniendi Veritatem. Principia Philoſophiæ. Magna Lectura Artis*

*Compendioſæ inveniendi Veritatem. Liber de Animalibus. * Liber de Principiis Philoſophiæ, Juris & Medicinæ tanquam componendi.*

Explicit: Cum adjutorio & benedictione noſtri Domini DEI.

168. Liber Principiorum Philoſophiæ.

Incipit: Cùm intendamus componere Artem valde compendioſam.
Dividitur principaliter in duas Partes.
Citatur *Ars Compendioſa inveniendi Veritatem. Liber de Gradibus Medicinæ. Liber Principiorum Theologiæ. Ars Major. Liber Gentilis & trium Sapientum.*
Explicit: Expliciunt Regulæ hujus Artis & etiam Principia Philoſophiæ in divina benedictione.

169. Liber Principiorum Theologiæ.

Incipit: Theologia eſt Scientia de DEO loquens.
Dividitur in duas Partes.
Citatur *Ars Compendioſa inveniendi Veritatem: etiam vocatur Ars Magna inveniendi Veritatem. Liber Principiorum Philoſophiæ. Liber Gentilis & trium Sapientum.*
Explicit: In qua Natura divina & humana mirificè ſunt unita.

170. Principia Philoſophiæ complexa.

Incipit: Cùm Philoſophia ſit effectus primæ cauſæ.
Dividitur in tres Partes.
Citatur *Liber Principiorum Theologiæ: eſt ille, qui continetur in Libro de Quadratura & Triangulatura Circuli. Ars Generalis. Geometria Nova.*
Explicit: Alia de ſecundo, & alia de tertio.
Finivit Raymundus Quæſtiones tertii Circuli in Civitate Majoricæ Anno MCCC.

171. Liber Proverbiorum.

Incipit: Cùm Proverbium ſit brevis propoſitio.
Dividitur in tres Partes.
Citatur *Tabula Generalis. Liber de centum Nominibus DEI.*
Explicit: Laudes & benedicas noſtrum Dominum DEUM.
Finivit Raymundus ſua Proverbia in Civitate Romana.

172. Liber Propoſitionum ſecundùm Artem Demonſtrativam.

Incipit: Ab Arte Demonſtrativa trahit hoc Opus exordium.
Dividitur in quatuor Diſtinctiones.
Citatur *Ars Demonſtrativa.*
Explicit: Qui regnat & imperat altiſſimus & omnipotens verax DEUS. Amen.

Q.

173. Liber de Quadratura & Triangulatura Circuli.

Incipit: Ad inveſtigandum Quadraturam & Triangulaturam Circuli.
Dividitur in duas Partes.
Citatur *Ars Generalis. Liber de Articulis Fidei.*
Explicit: Nec habent diligentiam, ſicut deberent.
Finitus eſt iſte Liber Pariſiis menſe Julii Anno MCCIC.

174. Liber de Quæſtione valde alta & profunda.

Incipit: Accidit, quòd circa Pariſios.
Dividitur in duas Diſtinctiones.
Citatur *Ars Generalis.*
Explicit: Et tu meas probationes non.
Finivit Raymundus iſtum Librum Pariſiis menſe Auguſti Anno MCCCXI.

175. Quæſtio: Utrùm illud, quod eſt congruum in Divinis, poſſit reduci ad neceſſariam Rationem?

Citatur *Ars Generalis.*
Explicit: Artis Generalis, tenendo modum ipſius.

176. Quæſtiones, quas quæſivit quidam Frater minor à Raymundo.

Incipit: An ſit dare unam primam Cauſam?
Continet triginta duas Quæſtiones.
Citatur *Ars Inventiva. Ars Amativa.*
Explicit: Contra Delectationem: ergò &c.

177. Quæſtiones Magiſtri Thomæ Attrebatenſis.

Incipit: In Chriſto Domino noſtro DEO.
Citatur *Liber de Geometria. Liber Principiorum Theologiæ. Ars Generalis. Arbor Scientiæ. Liber Articulorum Fidei. Tractatus de Conſcientia. * Liber de Aſtronomia. Tabula Levitatis & Ponderoſitatis. Tractatus de Mixtionibus Principiorum.*
Explicit: Et iſta ſufficiant ad ea, quæ vos quæritis.
Compilatus fuit iſte Tractatus Pariſiis menſe Julii Anno MCCXC.

178. Quæſtiones per Artem Demonſtrativam ſeu Inventivam ſolubiles.

Incipit: Quæſtiones plurimas ex pluribus & diverſis materiis.
Continet ducentas ſex Quæſtiones.
Citatur *Ars Demonſtrativa* ſeu *Inventiva. Tractatus de Anima.*
Explicit: Avaritiam, ût per ſe patet.

179. Quæſtiones ſupra Librũ facilis Scientiæ.

Incipit: Quoniam Liber facilis Scientiæ.
Dividitur in novem Partes.
Citatur *Ars Generalis. Liber facilis Scientiæ.*
Explicit: Vade ad quintum Paragraphum, in Capite Perfectionis.
Finivit Raymundus prædictas Quæſtiones Pariſiis.

180. Liber ſuper Pſalmum: Quicunque vult.

Incipit: Eſt multùm aptum & adoptabile.
Citatur *Liber Articulorum. Ars de Propoſitionibus.*
Explicit: Qui regnat trinus & unus omnipotens Summus DEUS.

R.

181. Liber de Regionibus Sanitatis & Infirmitatis.

Incipit: Quoniam Scientia Medicinæ.
Dividitur

Dividitur in tres Diſtinctiones.
Citatur *Ars Generalis. Liber de Lumine huic conjungendus.*
Explicit: Eò quia naturalis eſt.
Finivit Raymundus iſtum Librum in Monte Peſſulano menſe Decembris Anno Domini MCCC.

182. Regulæ Introductoriæ ad Practicam Artis Demonſtrativæ.

Incipiunt: In principio Solutionis convenit ſic ordinare.
Expliciunt: Ut per infuſionem habeatur reſponſio.

183. Liber Reprobationis aliquorum Errorum Averrois.

Incipit: Quoniam valde periculoſum eſt.
Dividitur in duas Diſtinctiones.
Explicit: Et phantaſticis fundamentis.

184. Rhetorica nova.

Incipit: Cùm verbum ſit medium.
Dividitur in quatuor Partes.
Citatur *Ars Generalis.*
Explicit: Secundùm Artem Rhetoricæ componenda.
Iſtum Tractatum *compilavit* Raymundus in Inſula Cypri in Monaſterio S. Joannis Chriſoſtomi Anno Domini MCCCI.

S.

185. Liber de ſeptem Sacramentis Eccleſiæ.

Incipit: Sicut decet Sanctam Romanam Eccleſiam.
Continet ſeptem Capita.
Explicit: Qui ea audient prædicari, valeant per ipſa ſalvari.
Finivit Raymundus iſtum Librum in Civitate Majoricenſi menſe Octobri Anno MCCCXII.

186. Liber de divina Sanctitate.

Incipit: Legitur in Sacra Scriptura Sanctus.
Dividitur in duas Diſtinctiones.
Explicit: Non poſſunt frangere noſtras probationes.
Finivit Raymundus iſtum Librum in Civitate Meſſanæ menſe Nov. Anno MCCCXIII.

187. Liber facilis Scientiæ.

Incipit: Manifeſtum eſt.
Dividitur in decem Partes.
Explicit: Quæ dicta non ſunt.
Finivit Raymundus hunc Librum Pariſiis menſe Junii Anno MCCCXI.

188. Liber de Perfecta Scientia.

Incipit: Ad inveſtigandum & inveniendum.
Dividitur in ſeptem Diſtinctiones.
Explicit: Quòd noſtri Syllogiſmi ſint inimpugnabiles & infrangibiles.
Finivit Raymundus iſtum Librum in Civitate Meſſanæ menſe Nov. Anno MCCCXIII.

189. Liber de Sermonibus factis de decem Præceptis.

Incipit: Cùm omnis homo teneatur tenere.
Continet decem Sermones.
Explicit: Et honore dicamus: Ave Maria.
Finivit Raymundus iſtum Librum Majoricæ menſe Octobris Anno MCCCII.

190. Sermones contra Errores Averrois.

Incipit: Cùm Averroes fuerit valdè ſenſibilis.
Continet quatuor Modos.
Citatur *Liber de Fallaciis.*
Explicit: In Diſputatione Averroiſtarum.
Finivit Raymundus prædictos Sermones Pariſiis menſe Aprilis MCCCXI.

191. Liber de centum Signis DEI.

Incipit: Quoniam beatitudo hominum conſiſtit.
Dividitur in viginti Partes.
Citatur *Liber de Affatu.*
Explicit: Majoribus Eccleſiæ ſubmittimus corrigendum.
Finivit Raymundus hunc Librum in Civitate Piſana in Monaſterio S. Dominici menſe Maji Anno MCCCVIII.

192. Liber de Sancto Spiritu.

Incipit: Divinâ gratiâ quidam homo pauper.
Dividitur in duos Libros.
Citatur *Ars Compendioſa inveniendi Veritatem. Liber Gentilis & trium Sapientum. Liber Demonſtrationum.*
Explicit: Trinitatem noſtri Domini DEI.

193. Supplicatio Raymundi ſacræ Theologiæ Profeſſoribus ac Baccalaureis ſtudii Pariſienſis.

Incipit: Quoniam eſt maxima derogatio Catholicæ Fidei.
Dividitur in duas Diſtinctiones.
Explicit: Contra Sanctam Catholicam Fidem neceſſariò non concludunt.
Finivit Raymundus hunc Librum Pariſiis Anno MCCCX.

194. Liber de Syllogismis contradictionis.

Incipit: Antequam Raymundus ſeu Raymundiſta.
Dividitur in duas Diſtinctiones.
Citatur *Liber de centum Syllogismis.*
Explicit: Quod eſt impoſſibile.
Finivit Raymundus iſtum Librum menſe Januarii Anno MCCCX.

T.

195 Tabula Generalis ad omnes Scientias applicabilis.

Incipit: Ratio, quare iſta Tabula ponitur Generalis.
Dividitur in quinque Diſtinctiones.
Citatur *Ars Inventiva. Ars Amativa. Ars Memoriæ tanquam facienda. **
Explicit: Angelorum & Sanctorum Gloriæ.
Incepta fuit hæc Scientia in mari in portu Tunicii in medio menſis Septembris Anno Incarnationis Domini MCCXCII. *& fuit finita* in eodem Anno prædicto in Octavis Epiphaniæ in Civitate Neapolis.

196. Liber de Trinitate in Unitate permanſivè in Eſſentia DEI.

Incipit: Quoniam infideles derident Chriſtianos.

Explicit: Per Patrem & Filiuſn & S. Spiritum.
Finivit Raymundus iſtum Librum apud Montem Peſſulanum menſe Aprilis Anno MCCC.

197. Liber de Trinitate & Incarnatione.
Incipit: Iſtum Librum transtulit Raymundus.
Dividitur in duas Diſtinctiones.
Explicit: Quo reſpondimus ad ſupradictas quæſtiones.
Finivit Raymundus hunc Librum in Civitate Majoricarum menſe Sept. Anno MCCCII.

198. Liber de Trinitate Triniſſima.
Incipit: Quoniam Sancta Catholica Fides.
Continet decem Syllogismos.
Explicit: Sive Syllogismos primitivos, veros & neceſſarios.
Finivit Raymundus iſtum Librum in Civitate Meſſanæ menſe Novembri Anno MCCCXIII.

V.

199. Liber de Venatione Subſtantiæ & Accidentis.
Incipit: Quoniam Logica eſt Scientia difficilis.
Dividitur in decem Diſtinctiones.
Citatur *Ars Generalis. Ars Generalis ultima. Liber de Aſcenſu & Deſcenſu Intellectûs.*
Explicit: In qua ſunt implicitæ.

200. Liber de Venatione Trinitatis per Subſtantiam & Accidens.
Incipit: Quoniam per plures modos.
Continet decem Syllogismos.
Explicit: Ad Diem Judicii coram divina Trinitate.
Finivit Raymundus hunc Tractatum in Civitate Meſſanæ menſe Oct. Anno MCCCXIII.

201. Verſus Vulgares ad Regem Balearium.
Incipiunt: Un Senyor Rey, qui be ſe enten.
Continet ducentos Verſus.
Explicit: De S'amor è mi peccador. Amen.

202. Liber de Virtutibus & Peccatis.
Incipit: Cùm ſit multùm mirandum.
Dividitur in quinque Diſtinctiones.
Citatur *Ars Generalis. Liber de Sexto Senſu, h. e. Affatu. Ars Generalis ultima.*
Explicit: Bonis gratiæ, quæ ipſe dat.
Finivit Raymundus iſtum Librum in Civitate Majoricenſi menſe Januarii Anno MCCCX.

203. Liber de Virtute veniali & vitali: inſuper de Peccato veniali & mortali.
Incipit: Quoniam plerique homines ſunt.
Dividitur in tres Partes.
Explicit: Amator virtutum, & oppugnator vitiorum.
Finivit Raymundus iſtum Librum in Civitate Majoricarum menſe Aprilis Anno MCCCXIII.

204. Liber de Unitate & Pluralitate divina.
Incipit: Ad venandum divinam Unitatem & Pluralitatem.
Dividitur in quatuor Diſtinctiones.
Citatur *Ars Generalis.*
Explicit: Divinæ bonitatis, magnitudinis &c.
Finivit Raymundus iſtum Librum Pariſiis menſe Martii Anno MCCCX.

205. Liber de Voluntate DEI infinita & ordinata.
Incipit: Fecimus Librum de divina Poteſtate.
Dividitur in duodecim Principia.
Citatur *Liber de divina Poteſtate infinita & ordinata.*
Explicit: Eſt valde utile & delectabile.
Finivit Raymundus iſtum Librum in Civitate Meſſanæ menſe Januarii Anno MCCCXII.

PARS IV.

Continens Initia, Diviſiones, Citationes & Fines Librorum ſecundæ Partis.

A.

1. Liber Angelorum Teſtamenti Experimentorum.
Incipit: Adoro te Domine DEUS Pater omnipotens.
Dividitur in quatuor Libros.
Citatur *Liber Lapidarii. Liber Cor meum. Liber de Præceptis bene vivendi. Teſtamentum magnum Angelorum. Aliud Teſtamentum ultimum. Teſtamentum magnæ Practicæ. Practica magni Carbunculi. Liber Angelorum de Conſervatione vitæ humanæ. Magia Secunda. Teſtamentum raptum ab Hollandino & Regi Roberto datum. Liber de Sacrata Scientia D. Joannis. Teſtamentum D. Thomæ Aquinatis. Apertorium. Teſtamentum jam traditum Carolo.*
Explicit: Fecimus in Sancta Eccleſia Divæ Catharinæ Londini Anno Salutis MCCCLVII.

2. Liber Angelorum de Conſervatione vitæ humanæ & de quinta Eſſentia.
Incipit: DEUS glorioſiſſimus, DEUS altiſſimus, DEUS magnus.
Dividitur in tres Libros.
Citatur *Teſtamentum ultimum. Apertorium ſecretum. Lapidarius. Liber de Practica minerali & Liber ſecretus. Liber ad Sereniſſimam Matrem Caroli. Ars Compendioſa. Liber de Ovo* ſeu *Practica mineralis. Lumen Solis. Lapidarium ſecretum. Speculum divinum. Clavicula. Liber occultus de Auro potabili. Arbor Philoſophalis. Arbor Naturæ. Lucidarium. Liber Lucis Mercuriorum. Liber Mercuriorum. Liber Sacratus B. Joannis Evangeliſtæ. Liber Divinitatis. Compendium Codicilli. Theſaurus Theſaurorum & Liber cœleſtis. Teſtamentum. Compendium Animæ Artis. Practica Lapidaria. Codicillus & Semita rectæ. Liber accurtatus de Lapide. Liber de quinta Eſſentia. Teſtamentum primum. Vade mecum de numero Philoſophorum. Compendium Artis. Liber de Anima metallorum. Lucidarium Secretum. Secretum Secretorum. Lumen*

Lumen Luminum. Liber ſuper Epiſtola accurtatoria. Epiſtola ad Regem Robertum. Prima Magia. Liber Camerarum. Liber Experimentorum ſermocinalis Praxis. Liber de Inveſtigatione Secretorum. Forma Major. Commentum. Liber de Origine Naturæ. Flos Florum. Lapidarium practicale. Liber Operis Margaritarum. Liber Proprietatum. Liber Additionum. Repertorium parvum. Apertorium magnum cum Rota. Magnus Codicillus. Liber parvus particularis. Magia ſecunda divina. Liber Theſaurorum. Liber Cœleſtis. Practica Mineralis. Ars Intellectiva. Magna Tabula Teſtamenti. Liber abbreviatus Quæſtionarii. Liber & Opus abbreviatum ſuper Solem & Lunam. Brevis Liber Notabilium. Liber Sponſalitii. Liber de Intentione Alchimiſtarum.
Explicit: Viduarum ac ſacrorum templorum DEI.
Factus eſt hic Liber Anno MCCCXLIX.

3. Angelorum Teſtamentum Secretum Artis cœleſtis de Lapide minerali magno: *etiam vocatur* Liber de Lapide minerali. *omiſſus eſt primus liber.*
Dividitur in quatuor Libros.
Citatur *Theorica Teſtamenti. Secunda Magia. Teſtamentum ultimum. Liber Magnorum Experimentorum. Epiſtola accurtatoria. Prima Magia. Teſtamentum. Liber Lumen Naturæ Lapidum. Liber ſecretus Angelorum. Lucidarium. Lumen Luminum. Lumen Solis. Liber raptus per Michaëlem Hollandinum. Teſtamentum Experimentorum. Teſtamentum D. Thomæ Aquinatis. Liber de ſacrata Scientia B. Joannis Evangeliſtæ.*
Explicit: Secundùm Doctrinam traditam ſuperiùs.

4. Anima Artis transmutatoriæ *ſeu* Compendium Animæ Artis Transmutationis.
Incipit: Fulgeat Regis diadema.
Dividitur in duas Partes.
Citatur *Teſtamentum. Liber Quintæ Eſſentiæ. Teſtamentum vel Codicillus. Vade mecum de numero Philoſophorum. Liber de Intentione Alchimiſtarum. Liber Experimentorum. Ars Magica. Liber Lapidarii.*
Explicit: Regnans per omnia ſæcula ſæculoſum.

5. Apertorium Animæ & Clavis totius Scientiæ occultæ in omni Transmutatione Metallorum ac Transmutatione Lapidum, & pro reſtituenda Salute Corporis humani.
Incipit: In Nomine Patris & Filii & Sancti Spiritûs. Amen.
Citatur *Teſtamentum ultimum. Tractatus de Vaſis & Furnellis. Teſtamentum. Arbor Philoſophalis. Codicillus. Teſtamentum Lapidis mineralis. Liber Lucis mercuriorum. Liber de Experimentis ſermocinalis Praxis. Prima Magia. Liber de Lapide minerali. Vade mecum de numero Philoſophorum. Primum Teſtamentum. Teſtamentum Experimentorum. Ars Matrimonialis. Liber de Anima Metallorum. Commentum. Ars Magica.*
Explicit Apertorium Animæ compoſitum in ſancta Catharina apud Londinum ad Principem Carolum &c.

6. Apertorium.
Incipit: Sapientes noſtri aſſerunt, quòd tantùm ſit unus Lapis.
Dividitur in duas Partes.
Citatur *Teſtamentum.*
Explicit: Cujus cauſam quæras in noſtro Teſtamento.

7. Tractatus de Aquis ſuper Epiſtola accurtatoria ad Regem Robertum.
Videtur idem, qui ſuprà.
Incipit: Rex Sereniſſime, ſunt duæ aquæ extractæ.
Citatur *Teſtamentum. Magica. Epiſtola accurtatoria. Primus Liber quintæ Eſſentiæ. Anima transmutationis metallorum. Teſtamentum practicale. Prima Magia. Tertius Liber quintæ Eſſentiæ. Praxis ſermocinalis. Quæſtionarium. Lapidarius. Teſtamentum ſecretum.*
Explicit: Et laudabis DEUM, ut ſit ſemper nobiscum.

8. Apertorium.
Incipit: Fili duæ ſunt aquæ extractæ.
Citatur *Teſtamentum. Epiſtola accurtatoria. Teſtamentum ultimum. Primus Liber quintæ Eſſentiæ. Anima Artis. Anima Metallorum. Liber Secretorum* ſeu *quintæ Eſſentiæ. Practica Arboris Philoſophalis. Practica ſermocinalis. Magica. Tertius Liber quintæ Eſſentiæ. Lapidarium.*
Explicit: Demonſtratio hujus Operis cum Capitulo ſequenti.

9. Tractatus de ſeptem Aquis ad componendum omnes Lapides pretioſos.
Incipit: Demonſtratio Practicæ hujus Operis perficiendi eſt.
Explicit: Subtiliat ingenium, & obtinet gratiam petenti in unaquaque re.

10. Ars Intellectiva.
Incipit: Sunt multi nimis errantes per univerſum mundum.
Explicit: Ergò ſublima tuum cor ad omnipotentem DEUM.

11. Ars Operativa Medica.
Incipit: Cùm ego Raymundus dudum affectuoſè fuiſſem rogatus.
Dividitur in quatuor Capita *ſive* Diſtinctiones.
Explicit: Alleviat membra hominis aggravata.

12. Liber Artis compendioſæ, qui vade mecum nuncupatur.
Incipit: Tinctura ignis eſt melior omnibus creaturis.
Citatur *Teſtamentum.*
Explicit: Ex vi ſuæ propriæ naturæ.

13. Liber tertius ſuper Artem Alchimiæ quintarum Eſſentiarum, qui dicitur tertia Diſtinctio, quæ eſt de Cura Corporum. *Impreſſus Coloniæ in 8vo & Norinbergæ in 4to.*

Incipit: Hæc est tertia Distinctio hujus Libri.
Dividitur in duas Partes principales. *Videatur n. 27. lit. D.*

14. Liber ad faciendum Aurum potabile.

Incipit: Fili, Postquam ego Raymundus Lullus tibi declaravi.
Explicit: Et multiplicatione istius benedictæ Medicinæ.

C.

15. Liber de Calcinatione Solis.

Incipit: In Nomine nostri Domini JESU Christi.
Citatur *Liber Lucidarius. Liber Lumen Solis.*
Explicit: Ubi invenies thesaurum pro Auro potabili.

16. Clavicula secreta *aliter* Clavis aurea de Transmutatione Metallorum.

Incipit: Rex Serenissime & Fili charissime.
Citatur *Liber Testamenti Experimentorum. Testamentum Ultimum. Arbores Philosophales. Liber de Lapide minerali. Ars Magica naturalis. Liber Secreti Secretorum. Epistola accurtatoria. Testamentum. Vade mecum. Arbor Naturæ.*
Explicit: Cum Patre & Matre sua in sæcula sæculorum. Amen.

17. Magna Clavis *seu* Magnum Apertorium, *quod aliter vocatur*: Noli ire sinè me.

Incipit: Ad reddendum gratias & laudes supremo Creatori.
Dividitur in quatuor Libros.
Citatur *Theorica Antiqui Testamenti. Practica Antiqui Testamenti. Testamentum.*
Explicit: Et per continuam operationem.

18. Codicillus seu Vade mecum aut Cantilena.

Incipit: DEUS in virtute tuæ sanctæ Trinitatis.
Dividitur in tres Partes.
Citatur *Liber Quæstionarii. Testamentum. Tractatus de Intentione Alchimistarum.*
Explicit: Dum tamen intelligas nostrum Magisterium.

19. Commentum super Lapidem Philosophorum.

Incipit: Precor te omnipotens æterne DEUS.
Citatur *Liber Angelorum. Liber Lumen Luminum. Testamentum.*
Explicit: Sicut justum & æquum est in omnibus & per omnia.

20. Compendium de Secretis Medicinis.

Incipit: Rex sereniſſime & illustrissime.
Dividitur in duos Libros.
Explicit: Omnes autem Pauperes tibi commendo.
Fecimus hunc Librum in sancta Ecclesia divæ Catharinæ Londini Anno Dom. MCCCXXXII.

21. Compendium de secreta Transmutatione Metallorum: *aliter* Parva Magia.

Incipit: Compendium Artis Magicæ secundùm cursum naturæ.
Citatur *Apertorium. Ars Lapidarii. Ars Magica. Liber de Quinta Essentia.*
Explicit: Et erit Sol melior naturali.

22. Compendium Quintæ Essentiæ.

Incipit: Accipe nigrum nigrius nigro.
Explicit: Cum Spiritibus Solis, & habebis aurum.

23. Conclusio summaria ad intelligendum Testamentum & Codicillum.

Incipit: Aqua nostra Physica.
Explicit: In hoc latet practica apud plures.

24. Liber de Conservatione Vitæ.

Incipit: Intendimus componere rem admirabilem.
Explicit: De minera creata jussu ipsius DEI. Amen.

25. Summaria Consideratio Lapidis & ejus abbreviationis Libellus.

Incipit: Cùm ita sit, quòd natura per suum continuum cursum.
Explicit: Parum de dicta aqua Mercurii &c.

26. Tractatus de Creatione Mercuriorum ad faciendam Tincturam rubeam.

Incipit: Nunc dicemus Creationem Mercuriorum rubeorum.
Explicit: Cum aqua frigida, & venenatis cum vino albo.

D.

27. Tertia Distinctio Quinta Essentiæ, quæ est de Cura Corporum. *M. S. idem quidem, qui n. 13. sed integer & antiquior, ac plus quàm dimidiâ parte auctus.*

Incipit: Hæc est tertia Distinctio hujus Libri.
Dividitur in duas Partes principales.
Citatur *Testamentum. Codicillus. Vade mecum. Lapidarium. Clausula Testamenti* seu *Vade mecum. Ars Demonstrativa. Ars Magica. Practica fundamentalis. Ars Generalis. Liber Principiorum Philosophiæ. Tabula Generalis. Liber Felix. Liber de Natura. Liber de Ente Reali & Rationis. Ars Magna. Arbor Scientiæ. Quæstionarius. Ars Brevis.*
Explicit: Quem Librum commendavit custodiæ Christi.
Finit: *Explicit* Liber Quintarum Essentiarum cum Quæstionario & Disputatione Monachi Parisiis Anno MCCCXIX. in Monasterio S. Benedicti Zemurienſis extra Civitatem.

28. Liber Divinitatis.

Incipit: Laudes DEO.
Explicit: Rubedinis & claritatis.

E.

29. Elucidatio Testamenti.

Incipit: Quanquam plurimos Libros.
Dividitur in sex Capita.
Citatur *Testamentum. Codicillus.*
Explicit: Cujus Nomen sit benedictum in sæcula sæculorum. Amen.

30. Enu-

30. Enumeratio specierum, cum quibus potest jungi nostrum Cœlum sive Aqua ardens.

Incipit: Si vis figere virtutes cujuslibet syrupi.
Explicit: Secundùm exigentiam morbi.

31. Epistola accurtatoria ad Regem Robertum.

Incipit: Cùm ego Raymundus de Insula Majoricarum.
Citatur *Liber de Lapidibus pretiosis. Testamentum. Apertorium. Libri de Medicina. Ars Generalis. Liber de Ponderibus elementorum. Liber de Conservatione Vitæ humanæ.*
Explicit: Laudemus DEUM per infinita sæcula sæculorum. Amen.

32. Experimenta.

Incipit: Accipe tartarum utriusque vini.
Citatur *Lapidarius tanquam faciendus.*
Explicit: In cujus nomine præsens opusculum optato fine claudatur. Anno MCCCXXX.

Liber magnorum Experimentorum: *vide n. 1. lit. A.*

33. Liber de viginti quatuor Experimentis totius Naturæ creatæ.

Incipit: Raymundus volens se contristari.
Dividitur totus Liber in tres principales Tractatus.
Citatur *Ars Generalis. Testamentum. Codicillus. Ars Compendiosa Philosophiæ. Tabula Generalis.*
Non est integer, quod dolendum, cùm sit Liber inæstimabilis pretii.

34. Fons Scientiæ divinæ Philosophiæ.

Incipit: Serenissimi Reges, amantissimi & Catholici.
Citatur *Ars magna compendiosa. Ars Generalis. Ars magna penultima. Ars & Scientia Generalis. Viginti Libri Titulorum. Liber Initia. Ars & Scientia de novo Modo demonstrandi. Liber de Declaratione omnium Scientiarum. Liber de Modo naturali ad Regem Sanctium. Disputatio contra Petrum Clericum. Liber de Quæstionibus Magistri Thomæ Attrebatensis. Liber Orationum. Liber Orationum super decem Regulis. Liber de Viis Paradisi & Inferni. Liber, qui* incipit *ab origine: est valde magnus. Libri de Declaratione veritatis facti Parisiis. Liber de Conspectu Realitatis Artis factus Tolosæ. Liber de Existentia & Agentia DEI contra Averroem.*
Explicit: Cum Voluntate Domini DEI omnipotentis.

35. Practica de Furnis, *seu* Liber Patientiæ.

Incipit: Fili ad componendum dictam Medicinam.
Citatur *Volumen Rerum sensibilium. Ars brevis*, qui dicitur: *Vade mecum de numero Philosophorum. Liber de Reformatione Hebraica. Testamentum. Proprietarius. Tractatus de Aquis condimentalibus & potabilibus. Liber Mercuriorum. Practica Testamenti. Codicillus.*
Explicit: Non privabit te suo fructu.

H.

36. Historia, quando Raymundus Lullus Majoricanus Comes Scientiam Transmutationis didicerit, & quando ac qua de causa trajecerit in Angliam ad Regem Robertum.

Incipit: In Nomine Domini JESU Christi Ego Raymundus Lullus.
Citatur *Testamentum ultimum secretum. Secundum & ultimum Testamentum. Testamentum Artis Cœlestis de Lapide minerali. Testamentum magnorum experimentorum. Liber Sapientiæ appellatus Cor meum. Liber Cœlestis. Liber Angelorum de Conservatione humanæ Vitæ. Lapidarium benedictum. Liber Sapientiæ experimentalis. Liber secundæ Magiæ. Liber Sophisticus Experimentorum.*
Explicit: Et occultaverunt omnia Secreta Naturæ.

I.

37. Liber de Intentione Alchimistarum.

Incipit: Posteaquam per valde longum tempus nostram Vitam exercuimus.
Dividitur in octo Capita.
Explicit: Et committimus in præsentem Custodiam.

38. Investigatio Secreti occulti supra totum Opus majus, *quod intitulatur*: Vade mecum, *& sæpiùs dictum est* Clausula Testamenti.

Incipit: Quia homo est magis nobile animal de mundo.
Dividitur in tres Partes principales.
Citatur *Lapidarium. Liber de Aaron & de Navi. Liber de Choël Generationis Philosophorum.*
Finivit Raymundus hunc Tractatum Avinione in Cœnobio Fratrum Prædicatorum Anno MCCCIX.

39. Tractatus de Investigatione Lapidis, *seu* Apertorium Experimentorum.

Incipit: Scito, quòd Sapientes in Miraculo Lapidis.
Citatur *Testamentum.*
Explicit: Quære in Testamento.

L.

40. Lapidarium ultimum secretissimum.

Incipit: O clemens Domine magne DEUS.
Dividitur in tres Libros.
Citatur *Liber de Arte militandi. Testamentum Lapidis mineralis. Testamentum Experimentorum.*
Explicit: Contra serpentes & bestias malas.

41. Liber Lapidarius abbreviatus.

Incipit: Infinita bonitas DEI.
Dividitur in duas Partes.
Citatur *Magna Clavis* seu *Apertorium magnum. Volumen theoricale Lapidarii.*
Explicit: Et tantum sufficiat de Practica supradicta ad formandum omnes Lapides, & componendum Elexir de illis.

42. Li-

42. Liber Lapidarii, qui *aliàs dicitur* Practica Lapidum pretioſorum & de Compoſitione Lapidis mineralis.

Incipit: Et primò Fili tibi dicemus.
Citatur *Practica Teſtamenti. Liber Mercuriorum. Teſtamentum. Apertorium. Liber de Rebus ſenſualibus. Ars Magica. Liber Proprietatum.*
Explicit: Et contra fluxum ſanguinis.

43. Liber de Lapide & Oleo Philoſophorum.

Incipit: Si vis facere aquam vitæ.
Explicit: Secundùm Raymundum Lullum dicta ſufficiant.

44. Liber Lucidarius compoſitus ſuper ultimo Teſtamento.

Incipit: Rex ſereniſſime & amantiſſime Fili.
Citatur *Lumen Luminum. Lumen Solis. Liber Experimentorum Practicæ ſermocinalis. Liber primæ Magiæ. Liber Lucis Mercuriorum. Ars major. Clavicula. Teſtamentum. Compendium Animæ Artis. Vade mecum. Teſtamentum primum. Teſtamentum ultimum. Codicillus.*
Explicit: Et ſemper ſit nomen ejus benedictum in ſæcula ſæculorum. Amen.

45. Lucidarium totius Teſtamenti.

Incipit: Tu in virtute ipſius A.
Citatur *Teſtamentum. Vade mecum de numero Philoſophorum. Liber tertius quintæ Eſſentiæ. Liber primus quintæ Eſſentiæ.*
Explicit: Qui vivit & regnat per infinita ſæcula. Amen.
Finitus eſt iſte Liber in præclaro ſtudio Montis Peſſulani Anno MCCCXXX.

46. Liber Lucis Mercuriorum.

Incipit: Jam dudum Rex ſereniſſime.
Citatur *Anima Artis. Liber quintæ Eſſentiæ. Liber Mercuriorum. Apertorium. Liber tertius quintæ Eſſentiæ. Forma minor. Codicillus. Repertorium. Lapidarium. Practica Teſtamenti. Parva Magica. Liber tertius Teſtamenti.*
Explicit: Et in fine poſſidebis æternum gaudium.

47. Lumen Claritatis & Flos Florum.

Incipit: Tempore ſereniſſimi Roberti Anglorum Regis.
Explicit: Per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

48. Compendium & Liber Lumen Luminum de Intentione Alchimiſtarum.

Incipit: Rex ſereniſſime & amantiſſime Fili.
Citatur *Lumen Solis. Liber quintæ Eſſentiæ.*
Explicit: O Rex, non eſt curandum.

M.

49. Prima Magia naturalis.

Incipit: Sciendum eſt Rex ſereniſſime.
Citatur *Teſtamentum.*
Explicit: Et in triginta diebus poteris componere Lapidem.

50. Secunda Magia.

Incipit: Fili jam dudum me rogaſti.
Citatur *Teſtamentum Angelicum Mineralium tanquam faciendum. Liber de Conſervatione Vitæ humanæ. Liber cæleſtis. Teſtamentum ultimum. Teſtamentum ſecretum. Liber magnorum Experimentorum. Practica Teſtamenti. Lapidarium ſecretiſſimum. Tria Teſtamenta ſecretiſſima. Liber Cor meum. Liber Medicinarum compoſitarum.*
Explicit: Quos homines carnales habere non poterunt.

51. Liber magnæ Medicinæ.

Incipit: Proponimus tibi in præſenti Libello.
Dividitur in quatuor Partes principales.
Citatur *Liber quintæ Eſſentiæ. Liber de Intentione Alchimiſtarum. Clauſula Teſtamenti* ſeu *Vade mecum. Liber de Conſervatione Vitæ humanæ. Liber Mercuriorum. Liber Lucidarii.*
Explicit: Ac beatæ MARIÆ ſemper Virginis.

52. Liber Mercuriorum.

Incipit: Fili oportet, quòd intelligas operationes.
Citatur *Practica Lapidis majoris. Tractatus Aquarum Medicinalium. Lapidarium.*
Explicit: Et venenatis cum vino albo.

53. Liber de Modo ſublimandi Argentum vivum commune.

Incipit: Omnipotens ſempiterne DEUS.
Explicit: Et regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

N.

54. Liber Naturæ & Lumen noſtri Lapidis.

Incipit: DEUS miſericors.
Citatur *Liber Angelorum. Teſtamentum Experimentorum ſecretum. Liber cæleſtis.*
Explicit: Quia dat omnia bona.
Fecimus in ſancta Catharina Londini MCCCXXXVIII.

O.

55. Opus abbreviatum ſuper Solem & Lunam.

Incipit: DEUS, qui in Trinitate ſemper gaudes.
Citatur *Liber Secretus Angelorum. Liber Secretus ſermocinalis Praxis Experimentorum. Liber Vaſorum.*
Explicit: Pro beneficio DEI & pauperum.
Fecimus in ſancta Catharina Londini.

P.

56. Pars prima practica de Furnis.

Incipit: In hoc Magiſterio tres Fornaces.
Explicit: Et hic erat finis hujus Libri.

57. Practica abbreviata in Opere minerali ſecundùm Librum Noli ire ſinè me, *ſive* Vade mecum, *aliter* Theſaurus infinitus *ſeu* Repertorium.

Incipit: Recipe duas partes optimi D.
Citatur *Teſtamentum.*
Explicit: Et procedatur, ût ibi.

58. Liber de Præparatione hominis pro majori Opere Creationis totius Naturæ animalis.

Incipit: O Domine JESU Chriſte, qui in hunc mundum veniſti.
Citatur *Magna Arbor vegetabilis. Liber Divinitatis. Liber Lumen Solis.*
Explicit: Erit aqua perfecta pro præparatione hominis.

R.

59. Liber ad Sereniſſimam Reginam Eleonoram Uxorem Sereniſſimi Regis Anglorum Eduardi.

Incipit: Beatiſſimus DEUS ſempiternus.
Citatur *Liber de Conſervatione Vitæ humanæ. Liber Secretus Angelorum. Ars abbreviata.*
Explicit: Et fac Magiſterium ſuprà narratum.
Factus Londini in ſancta Catharina MCCCLV.

60. Tractatus ſeptem Rotarum.

Incipit: Protinus ut Ars & Scientia.
Dividitur in ſex Partes.
Explicit: Ad Laudem DEI & Utilitatem Chriſtianorum.

S.

61. Liber de Sacrata Scientia beati Joannis Evangeliſtæ.

Incipit: Chariſſimi Fratres, DEUS magnus.
Explicit: Et dirum Crucis ſubire tormentum.

62. Liber de Secreto occulto Salis urinæ, id eſt, Salis armoniaci & Salis vegetabilis.

Incipit: Rex illuſtriſſime & ſereniſſime.
Citatur *Liber de Secretis Secretorum. Liber de Vaſis. Apertorium parvum.*
Explicit: Et fortiſſimus eſt ſuper omnia in terra.
Hic Liber *fuit factus* in turri Londini.

63. Liber de Secreto occulto Naturæ cœleſtis.

Incipit: Fili chariſſime & amantiſſime.
Dividitur in tria Capita.
Citatur *Teſtamentum Secretum. Liber Experimentorum. Magna Clavis. Liber Angelorum occultatus & ſecretus.*
Explicit: Ut omnia facias, ſicut tibi præcepimus.
Hic Liber *fuit factus* in Eccleſia divæ Catharinæ Londini.

64. Liber Secreti Secretorum & Practica Teſtamenti & Alphabetum divinum de Lapide minerali & de Definitione Alchimiæ.

Incipit: Rex ſereniſſime & amantiſſime Fili.
Citatur *Liber Lucidarii. Compendium Codicilli ſuper ultimo Teſtamento. Clavicula. Practica ſermocinalis. Lumen Solis.*
Explicit: Et ſic eſt finita ſpecificatio primæ tabulæ ad laudem DEI.

65. Liber de ſecundo Secreto Lapidis Philoſophici.

Incipit: Graviſſime Vir Roberte.
Explicit: Sed occultare pro ſervitio DEI & Eccleſiæ.

66. Liber de Secretis Naturæ ſeu Quintæ Eſſentiæ.

Incipit: DEUS glorioſe, cum virtute tuæ ſublimis bonitatis.
Dividitur in tres Diſtinctiones.
Citatur *Lapidarium. Teſtamentum. Codicillus. Liber de Intentione Alchimiſtarum. Compendium miſſum Regi Roberto. Liber Mercuriorum. Compendium ſuper Teſtamentum & Codicillum.*

67. Liber Sponſalitii.

Incipit: Fili, omnes Sapientes occultaverunt Secreta.
Citatur *Lumen Claritatis. Liber Angelorum. Liber de Arte bene vivendi. Lapidarium ſecretum. Liber miſſus ſereniſſimæ Reginæ Angliæ. Teſtamentum Ultimum. Liber de Lapide minerali.*
Explicit: Semper per infinita ſæcula ſæculorum Amen.

T.

68. Teſtamentum primum Arnaldi de Villanova Catalani.

Incipit: Divina Potentia inſuperabilis.
Explicit: Qui vivit & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.
Datum in Civitate Pariſiorū Anno MCCLXXIII.

69. Teſtamentum ultimum Secretum Angelorum de Creatione Naturæ Vini & Sulphure duorum Luminarium & de Praxi profundiſſima magni Carbunculi Lapidis vegetabilis.

Incipit: In Nomine Domini JESU Chriſti.
Dividitur in quatuor Libros.
Citatur *Liber ſecretus Angelorum. Liber datus ſereniſſimæ Matri Caroli. Forma major & minor. Liber Cœleſtis & Theſaurus Theſaurorum. Liber Angelorum de quinta Eſſentia. Teſtamentum de minerali Lapide. Liber S. Joannis Evangeliſtæ. Liber Beati Thomæ. Clavicula. Quæſtionalia & Sponſalitia. Speculum Divinum* cum *Opere abbreviato ſuper Solem & Lunam. Liber de Secreto Lapidum pretioſorum. Liber Angelorum de Conſervatione Vitæ. Apertorium Magnum. Liber Lumen Luminum. Secunda Magia. Lumen Solis ſecundus & tertius Liber. Liber de occulto Auro Potabili. Liber de Præceptis bene vivendi. Codicillus. Liber Conſobrini. Flos Florum. Liber ſecretus Experimentorum. Liber Lapidarium. Liber de Sale Armoniaco. Liber de Secreto & Experimento. Liber de Secreto ſecundo Lapidis philoſophici. Epiſtola accurtatoria. Tractatus de Aquis ſuper Epiſtola accurtatoria. Liber Divinitatis de Urina. Compendium Animæ Artis. Liber de Anima Metallorum. Liber primus & ſecundus Camerarum. Compendium Codicilli. Liber de Vaſis. Commentum & Opus Margaritarum. Exemplum Libri ſecreti ſecretorum incompletum. Liber Experimentorum falſus. Primum Teſtamentum theoricale. Vade mecum*

tum de numero Philosophorum. Liber Experimentorum sermocinalis Praxis. Liber Lucis Mercuriorum. Liber de Semita recta. Liber Secreti Secretorum completum. Liber de Opere abbreviato super Solem & Lunam. Liber de Arte Intellectiva. Liber Additionum. Cantilena. Repertorium. Liber Lumen Luminum. Liber de Intentione Alchimistarum. Liber de Natura nostri Lapidis. Lumen Artis de Secreto occulto. Epistola & Liber Mercuriorum. Proprietarius de plumbo Antimonii. Quæstionarium. Codicillus Magnus. Prima Magia. Speculum divinum. Lumen Solis secundum. Liber tertius quintæ Essentiæ. Lucidarium. Apertorium Magnum. Testamentum Arnaldi de Nova Villa. Testamentum B. Thomæ Aquinatis. Liber Flos Florum ad Consobrinum. Thesaurus magnus, hoc est, *Secretum DEI. Testamentum de Minerali Lapide. Testamentum raptum à falso Hollandino. Liber Angelorum.*

Explicit: Ut tibi descripsimus.

70. Testamentum Novissimum *sive* Ultimum.

Incipit : In Nomine Sanctissimæ Trinitatis. Amen. Recipe.

Citatur *Liber Mercuriorum. Liber Lucis Mercuriorum. Codicillus. Theorica. Liber Experimentorum. Ars Matrimonialis. Liber Apertorii. Ars Magica. Liber Lumen Artis. Liber quintæ Essentiæ. Testamentum. Lucidarium super Testamentum. Practica sermocinalis. Compendium Animæ. Theorica Testamenti. Liber de Conservatione Vitæ humanæ. Epistola accurtatoria. Liber de Intentione Alchimistarum. Liber Principiorum Naturæ. Liber Lumen Naturæ Lapidum. Lumen solis. Testamentum. Primum Testamentum. Vade mecum de numero Philosophorum. Anima Artis. Liber Proprietatis. Lucidarium. Liber Additionum. Liber de Intentione Artis Magnæ. Ars Magica.*

Explicit : Humilibus verò dat gratiam & gloriã.

71. Theorica Testamenti, *aliàs* Forma minor Testamenti.

Incipit : Dispositiones corporis permutabilis sunt tres.

Citatur *Liber de Figura Elementali.*

Explicit : Hoc est enim nostrum totum Magisterium.

72. Testamentum Beati Thomæ de Aquino.

Incipit: Conditor Cœli & terræ.

Explicit: Qui cum Patre & Sancto Spiritu vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

73. Thesaurus abbreviatus Sancti Thomæ de Aquino.

Incipit :. In Nomine DEI.

Explicit: Qui cum Patre & Sancto Spiritu vivit & regnat in sæcula.

74. Semita recta Beati Thomæ.

Incipit: In Nomine Domini DEI JESU Christi.

Explicit : Et regnant in sæcula sæculorum. Amen.

75. Liber Thesaurus Sanitatis & Cor meum.

Incipit : O altissime Domine.

Dividitur in quatuor Libros.

Citatur *Secunda Magia. Ultimum Testamentum. Liber Experimentorum. Liber secretus Luminis Solis & quintæ Essentiæ. Liber de Conservatione Vitæ humanæ. Liber serenissimæ Reginæ Angliæ dicatus. Liber Angelorum de Conservatione Vitæ humanæ. Compendium Medicinæ.*

Explicit : Ut semper sit tecum in sæcula sæculorum. Amen.

76. Liber cœlestis & Thesaurus Thesaurorum.

Incipit: Fili charissime, esto semper humilis.

Citatur *Liber Angelorum. Magia secunda. Liber de Conservatione. Testamentum Experimentorum. Codicillus. Semita recta. Liber Reformationis Hebraicæ. Liber de Adventu Messiæ. Liber Mercuriorum. Testamentum Beati Thomæ de Aquino. Lapidarium. Liber Angelorum de Conservatione vitæ humanæ. Testamentum Ultimum. Liber Additionum. Testamentum Arnaldi. Clavicula. Vade mecum de numero Philosophorum. Testamentum de Lapide minerali. Speculum Divinum. Liber Divinitatis. Liber de Secreto occulto. Arbor Philosophalis. Apertorium. Liber de bene vivendo. Liber Cor meum. Ars cœlestis de Ovo minerali. Liber de Sacrata scientia B. Joannis Evangelistæ.*

Explicit: Qui vivit & regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

V.

77. Liber de Vasis magno Magisterio oportunis.

Incipit: Fili charissime sequens Vas est illud.

Citatur *Testamentum. Testamentum Ultimum. Liber de Lapide Minerali. Liber secretus secretorum. Ars Major. Lumen Solis. Liber de quinta Essentia. Codicillus. Lumen Luminum. Lucidarium.*

Explicit : Ut diximus in Testamento.

PARS V.

Continens Titulos Librorum adhuc desideratorum.

Tractatus de Æternitate.
Liber Alchindi.
Liber de Animalibus.
Ars Memoriæ.
Tract. de Conditionibus figurarum & numerorum.
Tractatus de Conscientia.
Liber Definitionum & Quæstionum.
Liber Dialecticæ in Catalano.
Liber de Doctrina Principis in suo Regimine.
Tractatus Multiplicationis.
Liber de Præceptis.
Liber Probationum de DEO.
Tractatus de Retentiva.
Liber de Significationibus.
Liber de Signo.
Liber Teliph.

Nota: *Hi sunt Libri desiderati extracti ex citationibus præsentis Catalogi, alios adhuc desideratos etiam suo tempore annotabimus.*

Continens Chronologiam Operum Illuminati Doctoris.

Annus.	Mensis.	Locus.	N.Cat.	
MCCXXCV.	———	———	75.	Liber de Desolatione: *Citat Lib. de Fine & 100. Nom. DEI.*
MCCXC.	Julio.	Parisiis.	177.	Quæstiones Magistri Thomæ Attrebatensis.
	Augusto.	———	15.	Ars Amativa Boni.
MCCXCII.	Septembri.	Neapoli.	195.	Tabula Generalis.
MCCXCIV.	Paschate.	Neapoli.	4.	Liber de Affatu, *h. e.* sexto Sensu.
	———	Neapoli.	78.	Disputatio *seu* Liber de quinque Sapientibus.
	———	Neapoli.	106.	Flores Amoris & Intelligentiæ.
	———	Romæ.	8.	Liber de Anima.
MCCXCV.	Aprili.	Romæ.	14.	Arbor Scientiæ.
MCCXCVI.	———	Romæ.	34.	Articuli Fidei sacrosanctæ & salutiferæ Legis Christianæ.
	Junio.	Romæ.	10.	Liber Apostrophe *seu* de Articulis Fidei.
MCCXCVII.	———	Parisiis.	67.	Declaratio Raymundi per modum Dialogi edita contra &c.
	Octobri.	Parisiis.	37.	Tractatus novus de Astronomia.
MCCXCVIII.	Augusto.	Parisiis.	82.	Disputatio Raymundi & Eremitæ super aliquibus dubiis &c.
	Octobri.	Parisiis.	12.	Arbor Philosophiæ Amoris.
	———	Barcinonæ.	150.	Liber de tredecim Orationibus.
MCCIC.	Julio.	Parisiis.	110.	Geometria nova.
	Julio.	Parisiis.	173.	Liber de Quadratura & Triangulatura Circuli.
	———	Parisiis.	42.	Cantus Raymundi vernaculis Versibus.
MCCC.	Martio.	Majoricis.	11.	Applicatio Artis Generalis ad varias scientias.
	Aprili.	In Mont. Pess.	196.	Liber de Trinitate in Unitate permansivè in Essentia DEI.
	Julio.	———	149.	Liber de Oratione.
	Septembri.	Majoricis.	96.	Liber de Est DEI.
	Octobri.	Majoricis.	45.	Liber de Cognitione DEI.
	Novembri.	Majoricis.	112.	Liber de Homine.
	Decembri.	In Mont. Pess.	181.	Liber de Regionibus Sanitatis & Infirmitatis.
	———	Majoricis.	170.	Principia Philosophiæ complexa.
MCCCI.	———	Famagustæ.	144.	Liber de Natura.
	———	In Cypro.	184.	Rhetorica nova.
	———	In Aleas.	66.	Liber de iis, quæ homo de DEO debet credere.
MCCCII.	Septembri.	Majoricis.	51.	Liber, qui continet Confessionem.
	Septembri.	Majoricis.	197.	Liber de Trinitate & Unitate.
	Octobri.	Majoricis.	189.	Liber de Sermonibus factis de decem Præceptis.
MCCCIII.	Februario.	Messanæ.	70.	Liber de Vita DEI.
	Februario.	Genuæ.	35.	Liber ad probandum aliquos Articulos Fidei Catholicæ &c.
	Februario.	Genuæ.	124.	Lectura Artis, quæ intitulatur brevis Practica Tabulæ Gen.
	———	Genuæ.	132.	Nova Logica.
	Februario.	In Mont. Pess.	113.	Liber de Intellectu.
	Martio.	In Mont. Pess.	53.	Liber de Consilio: *citatur in Libro de Fine, nisi forte sit alius.*
	Octobri.	In Mont. Pess.	84.	Disputatio Fidei & Intellectûs.
	Novembri	In Mont. Pess.	133.	Tractatus de Lumine.
MCCCIV.	Martio.	In Mont. Pess.	61.	Liber de Convenientia, quam habent Fides & Intel. &c.
	Martio.	In Mont. Pess.	36.	Liber de Ascensu & descensu Intellectûs.
	Aprili.	In Mont. Pess.	119.	Liber de Investigatione Actuum divinarum Rationum.
	Decembri.	In Mont. Pess.	29.	Ars Magna Prædicationis: *vide infrà 1310.*
MCCCV.	Martio.	In Mont. Pess.	117.	Introductorium Magnæ Artis Generalis.
	Aprili.	In Mont. Pess.	103.	Liber de Fine: *citatur etiam 1313. citat Lib. de Consil. & Prædest.*
MCCCVII.	Januario.	In Mont. Pess.	16.	Ars brevis, quæ est de Inventione mediorum Juris Civilis.
	Januario.	Pisis.	18.	Ars brevis, quæ est Imago Artis Generalis.
MCCCVIII.	Martio.	Pisis.	25.	Ars Generalis Ultima.
	Aprili.	Pisis.	79.	Disputatio Raymundi cum Hamar Saraceno.
	Majo.	Pisis.	191.	Liber de centum signis DEI.
	Majo.	In Mont. Pess.	23.	Ars DEI, *sive* Liber de Arte DEI.
	Octobri.	In Mont Pess.	99.	Liber de novis Fallaciis.
	Novembri	In Mont. Pess.	98.	Tractatus de Experientia Realitatis ipsius Artis Generalis.
	———	Pisis.	44.	Liber Clericorum.
MCCCIX.	Januario.	Parisiis.	137.	Metaphysica nova.
	Februario.	Parisiis.	158.	Liber novus Physicorum & compendiosus.
	Februario.	Parisiis.	88.	Liber de Ente infinito.
	Martio.	In Mont. Pess.	1.	Liber de acquisitione Terræ sanctæ.
	Novembri	Parisiis.	30.	Ars Mixtiva Theologiæ & Philosophiæ.
	Decembri.	Parisiis.	158.	Liber de Perversione Entis removenda.
MCCCX.	Januario.	Majoricis.	29.	Ars Magna Prædicationis: *citat illam aliud Exemplar 1304.*
	Januario.	Majoricis.	202.	Liber de Virtutibus & Peccatis.
	Januario.	———	194.	Liber de Syllogismis Contradictionis.
	Februario.	Parisiis.	60.	Liber Contradictionis.
	Februario.	Parisiis.	64.	Liber Correlativorum innatorum.

Annus.	Mensis.	Locus.	N.Cat.	
	Februario.	Parisiis.	122.	Liber Lamentationis Philosophiæ, *etiam intitulatur* &c.
	Martio.	Parisiis.	204.	Liber de Unitate & Pluralitate divina.
	Aprili.	———	163.	Liber de Prædestinatione & Præscientia: *citatur in Lib. de Fine.*
	Majo.	Parisiis.	87.	Liber de Efficiente & effectu.
MCCCX.	Majo.	Parisiis.	139.	Liber de Modo naturali intelligendi.
	Julio.	Parisiis.	63.	Liber de Conversione Subjecti & Prædicati per medium.
	Octobri.	Parisiis.	159.	Liber de Possibili & Impossibili.
	Decembri.	Parisiis.	143.	Liber de Natali Parvuli Pueri JESU.
	———	Parisiis.	193.	Supplicatio Raymundi Doctoribus & Baccalaureis Studii &c.
	———	Parisiis.	69.	Liber de Demonstratione per Æquiparantiam.
	Aprili.	Parisiis.	190.	Sermones contra Errores Averrois.
	Junio.	Parisiis.	187.	Liber facilis Scientiæ.
	Junio.	Parisiis.	74.	Liber de DEO ignoto & Mundo ignoto.
	Julio.	Parisiis.	108.	Liber de Forma DEI.
MCCCXI.	Augusto.	Parisiis.	97.	Liber de Existentia & Agentia DEI.
	Augusto.	Parisiis.	174.	Liber de Quæstione valde alta & profunda.
	Septembri.	Parisiis.	91.	Liber de Ente simpliciter per se agente & existente.
	Kal. Octob.	Valentiæ.	40.	Benedicta tu in Mulieribus: *hodie Viennæ.*
	Decembri.	Avenione.	89.	Liber de Ente Reali & Rationis.
	———	———	80.	Disputatio Petri & Raymundi phantastici.
	Januario.	Majoricis.	205.	Liber de Voluntate DEI infinita & ordinata.
	Februario.	Majoricis.	148.	Liber de Operibus Misericordiæ.
	Februario.	Majoricis.	17.	Ars brevis Prædicationis.
	Februario.	Majoricis.	129.	Liber, quæ Lex sit melior.
	Martio.	Viennæ.	90.	Liber de Ente simpliciter absoluto.
	Majo.	In Mont. Pessl.	131.	Liber de Locutione Angelorum.
MCCCXII.	Julio.	Majoricis.	77.	Liber Differentiæ correlativorum divinarum Dignitatum.
	Julio.	Majoricis.	152.	Liber de Participatione Christianorum & Saracenorum.
	Augusto.	Majoricis.	165.	Liber de quinque Principiis, quæ sunt in omni eo, &c.
	Septembri.	Majoricis.	197.	Liber de Trinitate & Incarnatione.
	Septembri.	Majoricis.	138.	Liber de novo Modo demonstrandi.
	Octobri.	Majoricis.	153.	Liber de Pater Noster.
	Octobri.	Majoricis.	185.	Liber de septem Sacramentis Ecclesiæ.
	———	Majoricis.	39.	Liber de Ave Maria: *aliud Exemplar habet Messanæ.*
	Januario.	Messanæ.	160.	Liber de Potestate pura.
	Januario.	Messanæ.	114.	Liber de Intelligere DEI.
	Januario.	Messanæ.	73.	Liber de DEO majore & DEO minore.
	Februario.	Messanæ.	104.	Liber de majori Fine.
	Februario.	Messanæ.	5.	Liber de Affirmatione & Negatione.
	Februario.	Messanæ.	121.	Liber de Justitia DEI.
	Martio.	Messanæ.	94.	Liber de Esse Perfecto.
	Martio.	Messanæ.	136.	Liber de Memoria DEI.
	Martio.	Messanæ.	147.	Liber de Objecto finito & infinito.
	Aprili.	Majoricis.	203.	Liber de Virtute veniali & vitali: insuper de Peccato &c.
	Augusto.	Messanæ.	54.	Consolatio Eremitæ.
	Octobri.	Messanæ.	2.	Liber de Actu majori.
	Octobri.	Messanæ.	200.	Liber de Venatione Trinitatis per Substantiam & Accidens.
MCCCXIII.	Octobri.	Messanæ.	134.	Liber de Medio Naturali.
	Novembri.	Messanæ.	93.	Liber de Esse infinito.
	Novembri.	Messanæ.	186.	Liber de divina Sanctitate.
	Novembri.	Messanæ.	120.	Liber de Inventione divina.
	Novembri.	Messanæ.	188.	Liber de perfecta Scientia.
	Novembri.	Messanæ.	198.	Liber de Trinitate Trinissima.
	Novembri.	Messanæ.	130.	Liber de Loco majori ad minorem.
	Novembri.	Messanæ.	161.	Liber de Potestate infinita & ordinata.
	Decembri.	Messanæ.	95.	Liber de Essentia & Esse DEI.
	Decembri.	Messanæ.	145.	Liber de Natura divina.
	Decembri.	Messanæ.	164.	Liber de quinque Prædicabilibus & decem Prædicamentis.
	Decembri.	Messanæ.	49.	Liber de Concordantia & Contrarietate.
	———	Messanæ.	65.	Liber de Creatione.
MCCCXIV.	Aprili.	Messanæ.	154.	Liber de Perfeitate DEI.
	Aprili.	Messanæ.	142.	Liber de Multiplicatione, quæ fit in Essentia DEI per &c.
MCCCXV.	Decembri.	Tunicii.	72.	Liber de DEO & Mundo.
	Decembri.	Tunicii.	105.	Liber de majori fine Intellectûs ad Alcadium Episcop. Tun.
———	———	Romæ.	171.	Liber Proverbiorum.
———	———	Pisis.	135.	Liber ad Memoriam confirmandam.
———	———	Avenione.	48.	Liber Conceptionis Virginalis.
———	———	Majoricis.	52.	Liber Consilii.
———	———	Parisiis.	179.	Quæstiones supra Librum facilis Scientiæ.
———	———	In Mont. Pess.	47.	Compendium Logicæ Algazelis.

SUPPLICATIO

Nomine Magnificorum Juratorum Civitatis & Regni Majoricensis, oblata per Discretum Petrum Ribot, Notarium & Syndicum Universitatis Balearis, pro tractandis Negotiis

Illuminati D. RAYMUNDI LULLII.

Illustrissimo D. Ferdinando Canoguera Proregi Civitatis & Regni Majoricarum.

ILLUSTRISSIME DOMINE,

IAsque adeò injuria, quæ Liberis nostris fit, ex sententiâ I. C. nostrum pudorem pertingit, ut etiam, si illi neque convitiis lacessiti commoveantur, neque injuriis incendantur, neque provocati ultionem ullam machinentur, sed in hostes omnia mansuetudinis officia conferant; nobis nostro quidem nomine competat injuriarum actio. Dolemus quidem, nec diutiùs ferre possumus, qui Patriæ Patrum Personas sustinemus, Partum nostrum divino satu editum, quem potiùs *Patrem & nostræ Gloriæ Propagatorem* fatemur, agnoscimus & prædicamus, Satana colaphista, natali solo exulare, & segnitie nostrâ semisepultum jacere. Balearem *Raymundum* dicimus ex nobili prosapia, in nobilem virtutibus; ex Regiæ Domûs Majore Præposito, in cœlicolam Triumphatorem; ex terreno, *in cœlestem*, & ex ignaro, *in sapientem*, ac omnis literarum generis *peritissimum Magistrum cœlitùs evocatum:* hæc *Lullii* est divina metamorphosis, quæ nostram potuit vel sola nobilitare Insulam, atque illam reddere toti Orbi notissimam.

Hinc omnis Philosophiæ *Instauratio*, & *hinc Veritatis ipsius suæ Integritati Restitutio:* at, ubi uberrima optimáque messis ex tanto semine, lætissimáque segete auspicato futuris sæculis sperabatur, videns mendax ille, qui primæ Hominis morti causam dedit, & nusquam desinit subvertere vias Domini rectas, sui excidium; Zizaniam intermiscuit, & inepta Dogmata Lullio, Catholicæ Veritatis præcipuo assertori, ut ejus Doctrina denigraretur, per *Eimericum impingenda* curavit; ut Doctrinam piam, castam & orthodoxam insinuaret Orbi damnatam, Diploma Pontificium Gregorii XI. summi Ecclesiæ Præsidis nomine ementito commentus est. Latuit diu Commentum, & longo tempore ita serpsit, & virus suum extendit, ut Lulliorum Christiana mansuetudo, quæ splendorem virtutis non excludit, & ubi agitur de Religionis dignitate, acerrima salutis publicæ vindex existit, diuturniorem mansuetudinem, indignum flagitium, & patientiam, scelus nefarium sit arbitrata: sacrilegos morsus severè flagris sit insecuta, & insanas furias *definitivâ Sententiâ summi Pontificis* Decreto profligaverit.

Vindicata fuit à calumnia Lullii causa, & quamplurimis Principum *Privilegiis* munificentissimè est aucta & illustrata; sed prô dolor! vindicta à memoria hominum longâ oblivione deleta est, & Principum Rescripta nostro universo Gymnasio summâ liberalitate & devotione erga *Illuminatum Doctorem* singulari, concessa, jam sunt neglecta; damnat ignorantia, quod non intelligit, imprudenter recantat in Lullium tragœdiam; & in contumeliam nostram refricat ejus vulnera. Agimus nomine proprio, & *Patriæ Decus* ac *Ornamentum* jam propè senescens ab oblivione hominum, atque à silentio vindicare studemus, ut *Impostura Eimerici*, qui in necem nostri Luminis, & totius Orbis Christiani jacturam, *adulterina pro veris* supponere non est veritus, prodeat in publicum, & cum rubore fiat vulgo manifesta; restituto pristinis ornamentis *divino Philosopho*, *omnis Philosophiæ*, *omniúmque Artium Encyclopædiæ Perfectore.*

Ne igitur Prorex Illustrissime, Lulliana Gloria variis Encomiis & Trophæis maximis olim celeberrima inter tineas & blattas in hac nostra tempestate pereat; præsta, ut publicis typis mandetur *Processus Causæ* ab Eimerico contra Lullium susceptæ, & per Reverendissimum *D. Civitatis Castelli Episcopum*, *Authoritate Apostolicâ*, *definitivâ Sententiâ*, pro voto Lullianæ Familiæ gloriosè finitæ, & principalibus Rescriptis munitæ, ut aureo quodam sæculo renascente, tuâ Auctoritate reflorcat, & ex te, veluti ex fonte clarissimo & uberrimo profluat, ac inde, te Auspice, in ævum & ad Indos usque securè & sinè cavillo evadat. Hæc petimus & supplicamus omni meliori modo &c. Et licet &c.

Altissimus, &c.

Barrera Advocatus Universitatis. *Bernardus Nadal J. U. D. Advocatus Universitatis.*

LO REY, è per ſa Mageſtat.

DOn Ferrando Canoguera Lloct. y Capita general en la preſent Ciutat, y Regne de Mallorca, è Illas à aquell adjacents. Per quant per part dels Magnifichs Jurats de dita Ciutat y Regne, nos es eſtat ſupplicat, ſos de noſtre merce, concedir licencia y facultat de imprimir, ò fer imprimir en eſt Regne la Sentencia y Privilegis Reals, dada ab Authoritat Apoſtolica, en favor de la Doctrina del Illuminat Doctor, *y reputat* Martyr *(en raho de ſes Obres) Meſtre* Ramon Lull, *y en liberacio de les falſes Acuſacions contra la ſyncera y Catholica Doctrina de aquell, intentades (ſegons juridicament, en dita Sententia impreſſa en* Valencia, *es eſtat judicat y ſentenciat) preſentant nos pera deſſo lo Original de dita Sententia y Privilegis: expoſant nos la penuria gra, que de dita impreſſio patexen los eſtuuis, y particularment los Mallorquins, à dita ſcientia tant inclinats, axi los, que uvi de preſent viven, com los, qui untiguament en ſos teſtaments han dexada renda pera les Cathedres de dita Doctrina. E nos ates, que dito Obra è llibre es molt utilos è neceſſari, y que eſta donada licencia per lo Ordinari, ho havem tingut per be. Per ſo, ab Tenor de la preſent, de noſtra certa ſcientia, delliberadament y conſulta, per la Real Authoritat, de que uſam, donam y concedim llicencia, permis è facultat de imprimir, ò fer imprimir, y vendre lo dit llibre. Volem empero, que eſta nova impreſſio, apres que ſera feta, ſia aportada ab ſon Original devant de nos. Datum en Mallorca à 24. del mes de Novembre del Any 1604.*

D. Fernando Canoguera.

V. Monterde Reg. *V. Fivaller, Fiſ. Advocat.*
Bart. Julia. Not. & Secretarius Regiæ Audientiæ Majoric.

Idem à Catalano Latinè expreſſum.

REX & Vice Regiæ Majeſtatis.

FERDINANDUS Canoguera Prorex & Generalis Adminiſtrator Regni & Civitatis Majoricenſis Inſularúmque adjacentium. In quantum ex parte Magnificorum Juratorum dictæ Civitatis & Regni poſtulatum eſt à nobis, dignaremur Licentiam concedere & facultatem imprimendi, ſeu curandi, quòd imprimatur in hoc Regno Liber continens *Sententiam Definitivam Authoritate Apoſtolicâ latam.* Item *Privilegia Regia*, in favorem Doctrinæ *Raymundi Lullii* Doctoris Illuminati, & reputati Martyris, in vindicationem falſæ accuſationis, quam in ſinceram & Catholicam ejus Doctrinam iniqua malevolentia conflavit, de quibus conſtat per dictam Sententiam Juris ordine latam, antehàc *Valentiæ* typis editam, cujus & dictorum Privilegiorum exhibuerunt nobis Exemplaria originalia; & expoſuerunt dictæ Sententiæ penuriam maximam pati hoc tempore Studioſos Majoricenſes, aliosque exteros quamplures, huic ſcientiæ deditos, in cujus favorem teſtamenta olim condita ſunt, & ad promotionem ejus proventus annui conſtituti. Nos autem attendentes, quòd dictus Liber eſt multùm utilis & neceſſarius, & quòd pro editione ejus data eſt ab *Ordinario Licentia, rectè actum judicamus.* Pro tanto, Tenore præſentium, de noſtrâ certâ ſcientiâ, & præviâ deliberatione maturâ Authoritate Regiâ, quâ fungimur, Damus & Concedimus Licentiam, Permiſſionem & Facultatem imprimendi dictum Librum, ejus procurandi editionem, & vendendi. Itaque volumus, quòd, cùm fuerit completa illa nova Impreſſio, ſuo Exemplari Authentico conſona, nobis exhibeatur. Datum Majoricæ 24. Novembris Anno 1604.

D. Fernando Canoguera.

V. Monterde Reg. *V. Fivaller Fiſc. Advocat.*
Bart. Julia. Not. & Secretarius Regiæ Audientiæ Majoricenſis.

Poten-

Potentiſſimo pariter ac Sapientiſſimo PHILIPPO AUSTRIÆ III. Hiſpaniarum Regi Invictiſſimo, novi Orbis Monarchæ, Dominoque ſuo, Major Inſula Balearium utramque Felicitatem precatur.

NUllos unquam, Rex Auguſtiſſime, collaudandæ virtutis ſurculos ſurgere, nedum creſcere paſſa fuit virtutis lethalis tabes invidia, quin ipſa ſimul exſurgeret perpetua comes; quæ, nec ejus pediſſequa dignè vocetur, & ſubitò coæva naſceretur; quæ nullo denique ſæculo honeſtati ſit coæquanda. Prò dolor! nec enim jam hoſtis hoſtem, nec advenam peregrinus, verùm & civis civem, & fratres ſuos frater livore tabeſcens inſequitur, ac (juxta Poëtam) theonino dente corrodit. Quid memorem Abeles, Joſephos, aut Remos, cæterósque fratrum ſuorum invidâ manu laniatos, quos & vetus priſcorum temporum labes, & nova conſequentis ætatis pernicies æternis luctibus exhibet celebrandos? credas, invidiam Virtuti collatam, veluti umbram eſſe corporis: ut, ſive ad dexteram, ſive ad lævam te ipſe convertas, præſto ſit illa, nec unquam à latere, ne latum quidem unguem abſcedat. Quid opus eſt pluribus? *Raymundum Lullium*, Balearem Virum, Doctorem *divino Numine afflatum, Africæ propemodum Apoſtolum, præradiantem Orbis terrarum Radium*, tenebris obruere, & ſempiternâ oblivione delere, quantum in ſe fuit, conata eſt malevolorum invidia. Quod, ſanè quàm effeciſſet, niſi, quorum interfuit Regum ſingulare Patrocinium ac fides invicta pro veritate pugnaſſet; ſed quia veritas premi poteſt, opprimi non poteſt, in nihilum videlicet conatus ejusmodi reciderunt: nam quæ *Nicolaus Eimericus* temerè *Raymundo Lullio* affinxerat, tandem aliquando luce veritatis duce detecta ſunt, & Regum ferè omnium Hiſpaniæ, Ferdinandi, Alfonſi, Caroli, Philippi Patris tui ſplendore & præſidio omninò convulſa. Jacuit inglorius obtrectatorum operâ *Raymundus*, & quaſi criminis commiſſi reus delituit; ſed non paſſi ſunt viri Principes, diutiùs inſontem pro ſonte puniri; ſed eò incubuerunt, ut quando Lullii Mores candidi, Literæ exquiſitæ, ſubtiliſſimæ tamen, *& ad quas non omnia facilè attingant ingenia*, ſuo reſtitutus loco, coleretur, legeretur, ſuſpiceretur.

Totum hoc Baleare Regnum, tota ejus Nobilitas ægrè ſemper tulit, Virum hunc *admirandæ cujusdam Sapientiæ & Doctrinæ* facem præferentem, *Patriæ Gloriam, & Decus Regni* non eo eſſe loco, quem illius præclara geſta & domi & foris in omni ætate poſtularunt. Et nos ea propter foras dari curavimus *Pontificia Diplomata*, quibus honos ablatus Raymundo, redditus eſt, ſuperſtite Benedicto XIII. feliciter Naviculæ Petri clavum tenente, ut Literæ huic Libello inſertæ commonſtrant: & quando non niſi apud Reges Raymundus patrocinium ſenſit, & idem apud te, Rex Auguſtiſſime, ſenſurum ſe ſperat, ſperat & hoc Balearicum Regnum: ideo coronæ tuæ digna ſerta dicamus: non enim is es, qui bonos malorum & perditorum vitio jacturam nominis facere patiaris. Fuit ſemper *Philippus* feliciſſimæ Recordationis Parens, literatorum Mecœnas munificentiſſimus, ut non niſi doctiſſimos & ſanctiſſimos ad Epiſcopatûs dignitatem promovendos cenſuerit, fuit in omnes bonos bonus; in ejus tu veſtigia pedem ponere cœpiſti: quid ni igitur ſperemus Raymundum, quem *& Eruditio & Sanctitas* commendant, apud te iſta omnia comperturum? appareat nunc igitur ſub tuo Nomine ejus *Accuſationis falſæ* liberatio, quo & mali quieſcant tandem, & mordere deſinant, & boni illius imitationis amore ſuccenſi gaudio triumphent, & magìs magìsque ad ejus capeſcenda Studia rapiantur. Vale, Rex potentiſſime, & noſtri Regni tibi addictiſſimi memoriam nunquam depone. Iterùm vale.

DOMINI JURATI PATRES.

Dom. Michaël Morell. *Dom. Petrus Antonius Ferretjans.*
Dom. Franciſcus Garcia. *Dom. Franciſcus Belill.*
Dom. Petrus Coll.

 LICEN-

LICENTIA.

GREGORIUS Forteza J. U. D. Archidiaconus, & Canonicus almæ Sedis Majoricenſis, & in eadem Diœceſi in ſpiritualibus & temporalibus Vicarius Generalis electus, Sede Vacante. Visâ hujus Patriæ Patrum Juratorum, totiúsque Balearis Nobilitatis & Populi juſtâ acclamatione, ardenti voto Prudentum, & Lullianorum contentione perpeti, quibus in veritatis teſtimonium, *& pii Viri, piæque Doctrinæ* tuitionem ſupplicant, ſemel latam pro *Lullio Sententiam*, olim Typis Valentiæ excuſam, denuò cum Regiis Privilegiis imprimi, præſertim, quòd lata & impreſſa quondam Sententia lubrici anguis inſtar elabatur, aut difficile quidem valeat reperiri, & ex ejus penuriâ tantus noſtri *Radiantis Doctoris Raymundi Lullii* Triumphus perpetuâ oblivione ſepeliri, & prorſùs extingui timeatur. Ideo re maturiùs inſpectâ, providentes, ut tam neceſſaria huic *Scientiæ* Sententia inveniri poſſit & valeat, útque magìs ſtabili, magìsque diuturnâ ſtatione emergeſcens *Veritas* propagetur & enitеſcat; Tenore Præſentium, Sententiam hanc in Favorem *Lullianæ Doctrinæ*, per Reverendiſſimum *D. Bernardum Civitatis Caſtelli Epiſcopum*, Authoritate Apoſtolicâ Judicem electum, latam, unà cum Regiis Privilegiis imprimi denuò, & imprimi debere judicantes, ejus imprimendæ Licentiam concedimus & Facultatem. Atque ut integrè Exemplum hoc Prototypo ſuo reſpondere probetur, volumus, ut, ſicuti nunc è noſtro nutu capit initium, ita ad noſtram Approbationem, ſubſcripto noſtro Nomine claudatur in fine. Datum Palmæ Balearium, in Epiſcopali Palatio: die Mercurii xxiv. menſis Novembris. Anno Domini M. DC. IV.

Gregorius Forteza.

INSTRU-

INSTRUMENTUM SENTENTIÆ

Reſcindentis attentata per quoſcumque, Auctoritate cujusdam aſſertæ Bullæ Gregorii XI. contra doctrinam CÆLITUS ILLUSTRATI Doctoris RAYMUNDI LULLII, pii Eremitæ: eundem verò Raymundum, ejusque doctrinam, ut bonam, & Catholicam, in priſtinum ſtatum vindicantis.

HOc eſt tranſumptum, & in hanc publicam formam, publicúmque exemplum redactum, Auctoritate ac Mandato Reverendi Domini Vicarii Generalis, Reverendiſſimi Domini Majoricenſis Epiſcopi infraſcripti, à quodam publico Documento, prout inferiùs conſtat, legitimo, ac publico tabellione clauſo, quodamque oblongo ſigillo appendititio communito. Cujus tenor talis eſt.

„BErnardus Miſeratione Divinâ, Epiſcopus Civitatis Caſtelli, Commiſſarius ad in„fraſcripta, per Reverendiſſimum in Chriſto Patrem & Dominum D. Alamanum, „Miſeratione divinâ Cardinalem, & Legatum infraſcriptum deputatus. Univerſis, & „ſingulis Chriſti fidelibus, ad quem, vel ad quos, præſentes pervenirint: Salutem in „Domino Jeſu Chriſto. Literas pergameneas præfati Reverendiſſimi Domini Legati, „ejus ſigillo pendenti in quibusdam cordonibus de filo rubeo ſigillatas, ſanas, & inte„gras, non vitiatas, non cancellatas, nec in aliqua ſui parte ſuſpectas, ſed omni pror„ſus vitio, & ſuſpicione carentes, Commiſſionem de, & ſuper infraſcriptis nobis fa„ctam continentes, nobisque pro parte honorabilium conſanguineorum, & amicorum „quondam Magiſtri Raymundi Lullii in eisdem literis nominati, præſentatas. Nos „cum ea, quâ decuit reverentiâ, recepiſſe noveritis, ſub hac forma.

ALamanus Miſeratione Divinâ, tituli ſancti Euſebii, ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbyter Cardinalis, in Arragoniæ, Valentiæ, & Navarræ Regnis, ac Majoricarum & Minoricarum inſulis, in nonnullis aliis partibus, & terris Apoſtolicæ Sedis Legatus: Reverendo in Chriſto Patri Domino Epiſcopo Civitatis Caſtelli, Salutem in Domino ſempiternam.

Suà nobis conſanguinei, & amici quondam Magiſtri Raymundi Lullii petitione monſtrarunt, quod olim quidam frater Nicolaus Eimerici, Ordinis Prædicatorum, tunc in Regno Arragoniæ, officium Inquiſitoris hæreticæ prævitatis exercens, tempore felicis Recordationis Gregorii Papæ XI. contrà Artem & Doctrinam ipſius Magiſtri Raymundi, *vigore* cujusdam fictæ Bullæ *(ùt aſſeritur) per ipſum falsè fabricatæ, temerè attentavit, in famæ ipſius Doctoris, & Artis ejusdem denigrationem, & non modicam læſionem. Quarè pro parte ipſorum, nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut attentata hujusmodi nulla fore declarare, ipſaque caſſare, & annullare, Autoritate Apoſtolicâ dignaremur.*

Nos igitur de præmiſſis plenam notitiam non habentes, hujusmodi ſupplicationibus inclinati circumſpectioni veſtræ, tenore præſentium, Committimus, & Mandamus (quatenùs ſi eſt ita) quidquid per ipſum fratrem Nicolaum inveneritis, contra ipſum Magiſtrum Raymundum, & Opera ſua, temerè attentatum, in ſtatum priſtinum revocare curetis, eadem nullà, & caſſa, ac irrita, Autoritate præfatâ, penitùs nuntiantes. Datum Barcinonæ, 2. Calendas Martii, Anno à Nativitate Domini milleſimo quadringenteſimo decimo nono. Pontificatûs ſanctiſſimi Domini noſtri D. Martini, divinâ Providentia Papæ Quinti, Anno ſecundo.

„Poſt quarum quidem literarum præſentationem, & receptionem, fuimus cum in„ſtantia debita requiſiti, ut ad executionem in dictis literis, contentorum, procedere „curaremus, juxta traditam, ſeu directam, à præfato Reverendiſſimo Domino Legato,

„in præinſertis literis, nobis formam: Et ad fundandam eorum intentionem dixerunt, „propoſuerunt, & produxerunt dicti conſanguinei & amici per ordinem, quæ ſequuntur.

Et primò, quòd dicta aſſerta Bulla erat exorbitans à jure, atque etiam à ſtilo Curiæ Romanæ: *& ſignanter videbatur in hoc, quòd viginti libri, in quibus aſſeritur, quòd fuerunt inventi ducenti Articuli erronei & hæreticales, non nominantur in dicta aſſerta Bulla.*

2. Quòd dicti Articuli aſſerti erronei & hæreticales in ipſa non inſeruntur: *nec aliqualis mentio de eorum ſententia ibi videtur: ſed generaliter & confusè pertranſit.*

3. Quòd in ipſa dicta Bulla erat falſa latinitas, *quæ vitiat Reſcriptum Papale.*

4. Quòd dicta Bulla non erat regiſtrata, nec conſequenter reperta in Regiſtris Curiæ Romanæ, *in quibus Documentorum Papalium Originalia reconduntur.*

Ad quorum omnium prædictorum probationem, & oſtenſionem probabilem produxerunt in ſuâ propriâ formâ quoddam publicum Inſtrumentum actum Avinioni, per Dominum Cardinalem, in ipſo Inſtrumento nominato, Judicem & Commiſſarium per Sedem Apoſtolicam deputatum in quâdam causâ &c., occaſione cujus de dicto Inſtrumento conficiendo fuit facta inſtantia coram ipſo: in quo Inſtrumento, eò quia in ipſo de verbo ad verbum eſt dicta Bulla inſerta, affirmarunt prædicti parentes, & amici, omnia ſupradicta clarè & lucidè poſſe aſpici, & videri: quod quidem Inſtrumentum eſt hujusmodi ſeriei.

„In nomine Domini Amen. Noverint univerſi, præſens publicum Inſtrumentum „inſpecturi: quòd coram Reverendiſſimo in Chriſto Patre & Domino D. Leonardo, „Miſeratione Divinâ tituli ſancti Sixti Presbytero Cardinali Judice, & Commiſſario per „ſanctam Sedem Apoſtolicam ſpecialiter deputato perſonaliter conſtitutus, diſcretus vir „Antonius Riera clericus, Valentinenſis Diœceſis, Baccalaureus in legibus principalis „citra tamen procuratoris ſui revocationem in quadam causâ, ſeu cauſis, quæ vertitur, „vertuntur, ſeu verti & eſſe ſperantur, inter dictum Antonium principalem ex una parte, „& Religioſum virum fratrem Nicolaum Eimerici, hæreticæ pravitatis in Regno Arra„goniæ Inquiſitorem, de & ſuper nonnullis Articulis Fidem tangentibus & ipſorum „occaſione parte ex altera. In qua ad nonnullos actus etiam coram eodem Domino „Cardinali Judice, & Commiſſario, citra tamen concluſionem inter dictas partes extitit „proceſſum, & tandem copiam ſive ſchedulam cujusdam Literæ Apoſtolicæ, per felicis „Recordationis Dominum Gregorium Papam undecimum (ût idem Antonius aſſeruit) „factæ, eidem Domino Cardinali tradidit, atque dedit, cujus tenor ſequitur, & eſt talis.

GREGORIUS Epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabilibus fratribus Archi-Epiſcopo Tarraconenſi ejusque Suffraganeis, Salutem & Apoſtolicam Benedictionem.

Conſervationi puritatis Catholicæ Fidei, quam multi nequam, & ſcelerati, ſuis falſis aſſertionibus maculare nitentes, inter triticum purum agri Dominici peſtiferum ſemen Zizaniæ ſeminant, cùm ad noſtrum præcipuè ſpectet officium, ut evellamus prava, & deſtruamus perverſa, providere ſalubriter, & animarum illaqueationibus obviare confeſtim, plenis deſideriis affectantes, opportuna in his, quæ poſſumus, remedia ſtudio Paſtoralis ſolicitudinis adhibemus.

Dudum ſiquidem dilectus Filius Nicolaus Eimerici, Ordinis Fratrum Prædicatorum, Profeſſor in Sacra Theologia, Magiſter in Regnis Arragoniæ, Valentiæ, & Majoricarum Inquiſitor Hæreticæ pravitatis, nobis expoſuit, ſe in regnis eisdem inveniſſe viginti volumina diverſorum Librorum in vulgari ſcriptorum, à quodam Raymundo Lullio cive Majoricarum editorum, in quibus (ut ipſi Inquiſitori videbatur) multi continebantur errores, & hæreſes manifeſtæ, & quòd nonnulli de prædictis, & aliis regnis, libris utebantur eisdem, & eorum doctrinæ dabant fidem non modicam, in grande ſuarum periculum animarum. Supplicavitque nobis Inquiſitor ipſe, ut, ne ſimplices deciperentur ex Libris ipſis, dignaremur in hac parte de opportuno remedio providere.

Nos

Nos autem cupientes animarum jam forſan imbutarum, & quæ imbui poſſent, ex perverſo dogmate dictorum Librorum periculis celeriter obviare, dictos Libros per venerabilem Fratrem noſtrum Petrum Epiſcopum Hoſtienſem, & per quamplures etiam ultrà vigenum numerum in eadem Theologia Magiſtros, examinari fecimus diligenter, per quorum relationem tandem habuimus, quòd ipſi dictos Libros omnes cum multâ diligentiâ legerant & examinaverant, & quòd ultrà ducentos Articulos erroneos & hæreticales invenerant in eisdem. Super quibus inter eosdem, Epiſcopum & Magiſtros ſæpiùs, & demùm coram nobis habitâ Diſputatione ſolemni, ipſos Articulos (quos ad vitandum prolixitatis tædium, & horribilitatem eorum, haberi volumus præſentibus, pro expreſſis) erroneos, & manifeſtè hæreticales, de dictorum Epiſcopi, & Magiſtrorum concordi conſilio, ſenſimus reputandos.

Cùm autem, ſicut Inquiſitoris præfati continebat aſſertio, in prædictis Regnis alii Libri, qui aſſeruntur editi à jam dicto Raymundo reperiri dicantur, in quibus hujusmodi jam reperti, & alii errores & hæreſes creduntur probabiliter contineri.

Nos volentes de hujusmodi aliis Libris, & eorum doctrina, informari plenariè, & ſuper eis providere ſalubriter, ne fideles in errores hujusmodi damnabiliter prolabantur: fraternitati veſtræ, de Fratrum noſtrorum conſilio, per Apoſtolica ſcripta,

Committimus & mandamus, quatenus diebus Dominicis & feſtivis in ſingulis veſtris Eccleſiis Cathedralibus, ac Curatis, nec non Religioſorum quorumcumque Ordinum exemptorum, & non exemptorum, etiam Ciſtercien. Carthuſien. & Cluniacen. Præmonſtraten. Grandimonten. Sanctorum Benedicti & Auguſtini, ac Fratrum Prædicatorum, Minorum, & Eremitarum ejusdem ſancti Auguſtini, & Carmelitarum, & aliorum Ordinum veſtrarum Civitatum & Diœceſum, intra Miſſarum ſolemnia exiſtentibus populis ad divina, & in prædicationibus, per vos vel alios, quàm citò commodè poteritis, faciatis proponi, quòd omnes & ſingulæ perſonæ utriusque ſexûs, cujuscumque ſtatûs, ordinis, vel conditionis exiſtant earundem veſtrarum Civitatum, & Diœceſum, ſeu commorantes in eis, habentes Libros quoscumque à præfato Raymundo editos (ût præfertur) ipſos infrà unius menſis ſpatium vobis aſſignare, & illi, qui ſciunt alias perſonas libros eosdem habentes, eas vobis revelare, & nominare procurent. Vosque libros recipi faciatis eosdem, quos cùm habueritis, quàm citò poteritis, curetis nobis fideliter deſtinare: ut ipſos ſimili examini ſubjicere valeamus.

Cæterùm quia doctrina, ſeu potiùs dogmatizatio prædictorum librorum examinatorum reperitur erronea, hæreticalis & periculoſa nimiùm animabus, & vehemens ſuſpicio eſt habenda, quòd in aliis libris editis à dicto Raymundo, ſimiles, vel alii (ût præfertur) contineantur errores.

Vobis mandamus, quòd omnibus & ſingulis eisdem perſonis veſtrarum Civitatum & Diœceſum doctrinam, ſeu potiùs dogmatizationem, & uſum hujusmodi librorum interdicere ſtudeatis. Donec ſuper his, per Sedem Apoſtolicam aliud fuerit ordinatum. Contradictores per Cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſitâ compeſcendo. Non obſtantibus, ſi aliquibus communiter, vel diviſim à Sede Apoſtolica ſit indultum, quòd interdici, ſuſpendi, vel excommunicari, aut extrà, vel ultrà loca certa ad judicium vocari non poſſint, per Literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem; & quibuslibet exemptionibus, ac aliis Privilegiis, & Literis Apoſtolicis quibuscumque locis, perſonis, vel ordinibus, ſub quacumque forma, vel expreſſione verborum ab eadem Sede conceſſis. De quibus eorumque totis tenoribus etiam de verbo ad verbum in noſtris Literis mentio ſit habenda, & per quæ, præſentis Mandati noſtri effectus valeat quomodolibet impediri. Inſuper volumus, quòd per te

Frater Archi-Episcope, tenor præsentium, sub tuo, vel Officialis tui Sigillo, ad tuos Fratres Suffraganeos transmittatur; cui per vos adhiberi volumus, velut ipsis Originalibus, plenam fidem. Datum Avinioni 8. Calendas Februarii, Pontificatûs nostri Anno sexto.

Quâ siquidem copiâ sive schedulâ, per dictum Antonium, Domino Cardinali memorato traditâ, idem Antonius ipsum Dominum Cardinalem instanter requisivit, quatenùs venerabilibus Viris Literarum Apostolicarum Registratoribus, per suas literas scriberet, eisque nihilominus, Auctoritate Apostolicâ, sibi in hac parte commissâ, præciperet & mandaret, ut literas in dictâ schedulâ contentas in Registris eis commissis diligenter perquirerent, & si eas repererint, sumptum, sive transumptum earundem clausum & sigillatum, prout moris est in talibus fieri, ac ita & taliter, quòd eis fides adhiberi valeret, præfato Domino Cardinali transmitteretur, expensis moderatis dicti Antonii, ut ipso mediante posset & valeret, partibus supradictis, debitum justitiæ administrare; quoniam præfatus Antonius pro sui Juris fundamento sumptum prædictarum literarum, coram dicto Domino Cardinali (ût asseruit) producere intendebat.

Qui quidem Dominus Cardinalis Judex & Commissarius attendens, quòd justa petentibus non esset denegandus assensus, supradictarum Literarum Apostolicarum Registratoribus, modo & formâ per dictum Antonium superiùs petitis, per suas literas Auctoritate Apostolicâ scripsit & mandavit, ipsasque per Porterium & Nuntium suum juratum eisdem Registratoribus præsentari fecit. Qui Porterius postmodùm Domino Cardinali Judici, & Commissario memorato, ac mihi Notario infrascripto retulit, qualiter dicti Domini Literarum Apostolicarum Registratores in Registris eis commissis Anni sexti præfatæ felicis Recordationis *Domini Gregorii Papæ XI.* diligenter perquisiverunt, & factâ diligenti perquisitione eidem Porterio (ût asseruit) dixerunt, quòd in eisdem *Registris literas* in suprascripta papyri schedula contentas *non repererunt registratas.*

Subsequenter autem venerabilis Vir Dominus Joannes à Bonis unus de Literarum Apostolicarum Registratoribus, in mei Notarii prædicti, & testium fide dignorum præsentia, Domino Cardinali Judici, & Commissario præfato retulit, & dixit, quòd dictam schedulam in Registro sibi commisso, *Anni sexti dicti Domini Gregorii*, per suos Clericos, non solùm semel, sed pluries diligenter perquiri fecit, & quòd *literæ* in sæpè dicta schedula contentæ *in suo Registro non fuerunt neque erant registratæ.*

Deinde præfatus Porterius & Nuntius juratus literas dicti Domini Cardinalis unâ cum schedula, sive copia præinserta prædicto Domino Cardinali reportavit, & mihi Notario infrascripto retulit, & dixit, quòd venerabiles Viri, Domini Bernardus Fortis, alter de Literarum Apostolicarum Registratoribus, & Joannes Ludovic, Cameræ Apostolicæ Notarius, in dorso dictæ schedulæ sive copiæ per ipsum (ût præmittitur) reportatæ, & (ût præfertur) præinsertæ, scripserunt in hunc modum, ût sequitur.

„Notum sit omnibus, quòd ego Bernardus Fortis Literarum Apostolicarum Regi„strator, *perquisivi diligenter Registrum* mihi commissum Anni sexti sanctæ Memoriæ Do„mini Gregorii Papæ XI. & quòd in eodem Registro *literas* in præsenti schedula papyri „annotatas, *non reperio registratas.* In cujus rei testimonium, hìc manu propriâ subscri„psi & signavi. *Die 9. Julii*, Anno à Nativitate Domini *millesimo trecentesimo nonagesi„mo quinto.* Bernardus Fortis Registrator.

„Notum sit omnibus, quòd ego Joannes Ludovici Cameræ Apostolicæ Notarius, „perquisivi *diligenter Registrum* Literarum Apostolicarum, eandem Cameram tangentium „Anni sexti Pontificatûs sanctæ Memoriæ *Domini Gregorii Papæ XI.* & quòd in eodem Re„gistro *Literas* in præsenti schedula papyri annotatas, *non reperio registratas.* In cujus rei „testimonium, hìc manu propriâ me subscripsi & signavi. *Die 9. Julii*, Anno à Nati„vitate Domini, *millesimo trecentesimo nonagesimo quinto.* Joannes Ludovici.

Tandem die & horâ infrascriptis coram Domino Cardinali Judice, & Commissario præfato, in meique Notarii publici, & testium infrascriptorum, ad hæc specialiter vocatorum, & rogatorum præsentia, personaliter constitutus prædictus *Antonius Riera*, citra tamen Procuratoris sui revocationem, & de præmissis omnibus, & singulis, mandato, relationibus, & aliis suprascriptis & designatis à tempore traditionis dictæ præinsertæ schedulæ, & citra factis, petiit sibi fieri unum vel plura, publicum, seu publica, Instrumentum, seu Instrumenta per me Notarium publicum infrascriptum.

Acta

Acta fuerunt hæc Avinioni in domo habitationis dicti Domini Cardinalis, horâ nonâ, vel quasi, sub Anno à Nativitate Domini, *millesimo trecentesimo nonagesimo quinto* indictione tertiâ, die Sabbati 10. Mensis Julii, Pontificatûs Sanctissimi in Christo Patris, & Domini nostri *D. Benedicti* Divinâ Providentiâ Papæ XIII. Anno primo, præsentibus ibidem venerabilibus Viris Dominis, Durando Tonduci in Decretis Licentiato, dicti Domini Cardinalis Camerario, ac Magistro Dominico Pavardi, in utroque Jure Baccalaureo, hâc in Romana Curia Procuratore, testibus ad præmissa vocatis specialiter, & rogatis.

„Et ego Thoyco Rodulphi de Camicavilla Clericus Tarraconensis Diœcesis, publi„cus Imperiali Auctoritate Not. ac præfati Reverendissimi in Christo Patris, & Domini „Cardinalis Judicis, & Commissarii, & causæ hujusmodi, coram eo Scriba, præmissis „omnibus & singulis, dum sic (ût præmittitur) agerentur, & fierent unà cum præno„minatis testibus præsens interfui, eaque sic fieri vidi, & audivi; ideoque hoc præsens „publicum Instrumentum, per alium, me aliis occupato negotiis, scriptum, in hanc pu„blicam formam redegi; hicque manu propriâ subscripsi, & signo meo solito & con„sueto, signavi rogatus & requisitus; in fidem & testimonium omnium & singulorum „præmissorum.

Item ad probandum *Subreptionem prædictæ Bullæ* dixerunt, quòd posito, sed non affirmato, imò expresè, & cum omni veritate denegato, prout per superiùs posita est ostensum, quòd Bulla supradicta fuerit à Curia emanata, tamen nullo modo poterat excusari, quin fuerit *Subreptitiè, ac etiam Obreptitiè* impetrata; eò, quia errores, seu Articuli erronei & hæreticales, qui in dictâ Bullâ generaliter (ût prædicitur) & confusè, asseruntur, in Libris Doctoris Raymundi contineri, *in ipsis nusquam inveniuntur:* benè inveniuntur loca, à quibus *nimis malitiosè* fuerunt cum *falsitate abstracti*, sive *translati* centum Articuli, quos dictus Inquisitor affirmavit, esse de numero illorum, in Bullâ confusè tactorum, inferendo ipsos, sic *falsificatos*, in quodam Quaterno suâ propriâ manu scripto, nominato in Instrumento, statim inferiùs inserto, *Condemnatio.* In quo Quaterno sunt posita nomina Librorum, & series Articulorum. Nam ipsi centum Articuli comprobati cum Libris Doctoris, inveniuntur in dicto Quaterno, modò per *Additionem*, modò per *Abstractionem*, modò per *Mutationem intentionis* prædicti Doctoris, *falso modo assumendo, seu interpretando* ipsam; modò per *truncatam* verborum dicti Catholici Doctoris *positionem*, hæresi & erroribus maculati; sed prout sunt ipsi prædicti centum Articuli in sua integra veritate, in Libris Doctoris originaliter scripti, inveniuntur *veri* & *Catholici*, & à rubigine hæresis omninò alieni.

Et ad faciendam veram demonstrationem *falsæ Translationis* seu *Interpretationis* Articulorum prædictorum, produxerunt in sui primâ formâ quoddam publicum Instrumentum, actum per Reverendum Magistrum Bernardum Ermengandi Provincialem Prædicatorum, & Inquisitorem hæreticæ pravitatis in Provincia Arragoniæ, de quadam *Examinatione*, per ipsum cum Magistris in Theologia Monasterii Prædicatorum Barcinonæ & Monasterii Fratrum Minorum dictæ Civitatis, factâ de quodam Libro dicti Doctoris, intitulato *Philosophia Amoris*; in quo Libro *falsè* affirmatur inter contenta in dicto Quaterno, propriâ manu dicti Fratris Nicolai Eimerici scripto, qui Quaternus (prout superiùs continetur, *Condemnatio* in proximè dicto Instrumento nuncupatur) quòd erant inventi tres Articuli erronei & hæreticales, prout prædicta *falsitas* in prædicto Instrumento *Examinationis* fuit authenticè declarata. Cujus quidem Instrumenti, quod fuit pendens sigillum Magistri Bernardi Ermengandi Provincialis, & Inquisitoris prædicti, & per ipsius & aliorum Magistrorum Ordinum Prædicatorum, & Minorum subscriptiones manu propriâ cujuslibet ipsorum roboratum: tenor talis est.

Noverint universi, quòd die Sabbati decimâ nonâ die Maji, Anno à Nativitate Domini *millesimo trecentesimo octogesimo sexto*, in præsentia mei Notarii & testium subscriptorum, existentibus personaliter in Monasterio Fratrum Minorum Barcinonæ, Reverendo Patre *Magistro Bernardo Ermengandi Provinciali Prædicatorum, & Inquisitore hæreticæ pravitatis in Provincia Arragoniæ*, nec non & Fratre Antonio Falqueti, Fratre Francisco Marmandi in Sacra Pagina Magistris de dicto Ordine Prædicatorum; Fratre Arnaldo Peregrini, Confessore Illustrissimæ Dominæ Reginæ Arragonum, Fratre Bernardo Broll, in eadem Sacra Pagina Magistris, Fratre Berengario Laqueti Custode, Fratre Guillelmo

Arago Lectore, Fratre Dalmatio de Claſclario, Fratre Joanne de Pagueria Baccalaureo, Conventualibus Barcinonæ dicti Ordinis Fratrum Minorum, in Camera ſcilicet, ſive Cella, quam præfatus Religioſus Magiſter Arnaldus Peregrini tenet in dicto Monaſterio Fratrum Minorum.

Præfatus Reverendus Dominus Inquiſitor dixit & propoſuit, quòd ad inſtantiam quorundam amicorum venerabilis Raymundi Lullii quondam Civis Majoricarum, ipſe pro infraſcriptis vocaverat ad conſilium omnes dictos Magiſtros & Fratres, & narravit ibidem: quomodo tempore Sanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini D. Gregorii ſanctæ Memoriæ Papæ undecimi, Reverendus Pater Magiſter Nicolaus Eimerici Ordinis Prædicatorum, tunc Inquiſitor hæreticæ pravitatis in Provincia Arragoniæ fecerat condemnari *aliquos Articulos*, quos dicebat, ſe inveniſſe in diverſis Libris dicti Raymundi Lullii, nominando ipſos Libros; inter quos autem Articulos erant, (ût dixit idem Dominus Inquiſitor Magiſter Bernardus,) *tres*, quos idem Magiſter Nicolaus dicebat, ſe inveniſſe in quodam Libro facto per dictum Raymundum Lullium, intitulato, *Philoſophia Amoris*, quos *Articulos* dictus venerabilis D. Inquiſitor Magiſter Bernardus Ermengandi, tradidit mihi Notario in ſcriptis, compoſitos in latino, & ſunt iſti.

Primus, quòd Deus habeat multas eſſentias.

Secundus, quòd in faciendo bonum non oportet exſpectare, quòd Deus incipiat, quia jam incepit, quando nos creavit, & pro conſervatione noſtra mundum nobis dedit, ut ei ſerviamus, & eum honoremus.

Tertius eſt, quòd Virtus eſt ita bona & quantitate magna, quòd omnis homo poteſt eam habere pro ſua voluntate.

Dixit etiam, & aſſeruit idem Dominus Inquiſitor Magiſter Bernardus, quòd ipſe viderat & recognoverat præfatum Librum *Philoſophiæ Amoris*, & quòd non invenerat in ipſo Libro dictos *Articulos condemnatos*, ût jacebant *condemnati*, licèt inveniſſet in eodem Libro tres Articulos, à quibus dicti tres Articuli condemnati fuerunt abſtracti: quos ſimiliter idem Dominus Inquiſitor Frater Bernardus tradidit mihi dicto Notario, ût erant ſcripti in ipſo Libro intitulato *Philoſophia Amoris*, quem in manu tenebat ſcriptum in vulgari; & ſunt iſti.

Primus. Quæſtio. *Graneſa de amor, dix lamich, en mon amat ha multes eſſenties?* Solutio. *Amich, dix graneſa de amor, en les definicions compoſtes al meu capitol es ſignificat, quel amich es tan lligat ab ſon amat per una eſſentia damdos, que nos poden departir.*

Secundus ponitur ſic. *Dones è donzelles damor, dix lamich, manifeſta rao es, quel Amat vol eſſer honrat en lo mon tots tems, è vol ſalvacio de homens, è no damnacio. E per aſſo nigu no pot ne deu inculpar lamat, que ell no vulla eſſer honrat, ne ſalvacio de gents, per que lo deſfallıment no es de part de Deu, mas es de part dels homens, que nol volen honrar. E vos altres jam havets dits, que nous cal, que jous prech, que ſiats en mon amor: ans ne pregat vos altres mi, que jo vos hi vulla metre. En axi es de Deu, nous cal eſperar, que ell comens, car ia ha commenſat, en quant ha los homens creat, è lo mon lus ha donat; per ſo quel tengan en lur cor en lo mon honrat. Comencem donchs à honrar lamat, è anem per lo mon ſa è la per honrar lamat.*

Tertius Articulus ponitur ſic ad literam. *Amadors los Angels, Cel, Elements, Plantes, Beſties, Homens, è tota res, qualque ſia, ha virtut per la virtut de mon amat; car enaxi compren la ſua virtut totes altres virtuts, com la ſua boneſa totes les altres boneſes, è la ſua graneſa totes les altres graneſes. E totom, que vulla haver morals virtuts per amor de la virtut de mon amat, ne pora aytantes haver, è en aytanta boneſa è graneſa, com ne pora voler.*

Quibus prolatis & narratis dictus Reverendus Dominus Inquiſitor Magiſter Bernardus Ermengandi interrogavit omnes ſuperiùs nominatos Magiſtros in Theologia, & alios ſupradictos Fratres Theologos, qui ibi erant, collationem ſuper iis facientes, ſi dicti Articuli (ût in Latino jacent condemnati, & ſuprà ſunt inſerti) erant in dicto Libro *Philoſophiæ Amoris*, vel ſi poterant elici ex dictis poſitis in Libro prædicto? Etiam interrogavit, ſi dicti Articuli, ût jacent in dicto Libro eo modo, quo dictum eſt, (ût ſuprà ſunt inſerti) ſunt boni, veri & Catholici?

Et omnes dicti Magiſtri & alii Fratres, per dictum Dominum Inquiſitorem Magiſtrum Bernardum interrogati per capita, tenentes & legentes ibi coram omnibus prædictos tres Articulos condemnatos, & prædictum Librum *de Philoſophia Amoris*, dixerunt, quòd ſemel & pluries quilibet per ſe viderat & recognoverat aſſiduè & diligenter prædicta

cta, & quòd dicti Articuli condemnati, ût jacebant & ſuprà ſunt inſerti, *non erant in dicto Libro, nec poterant elici ab eo:* & quòd Articuli ſupradicti poſiti in Libro prædicto Philoſophiæ Amoris erant *boni, veri & Catholici.*

Dixerunt præterea & affirmarunt omnes prædicti Magiſtri & Fratres, quòd eſto, quòd dicti Articuli poſiti per dictum venerabilem Raymundum Lullium eo modo, quo ſunt poſiti, ût ſuprà ſunt inſerti in vulgari, ab omnibus poſſunt videri *veri & Catholici, multò magis legendo præcedentia & ſequentia ipſius Libri, & inſpectis aliis ſuis Libris patet clarè (ût dixerunt) prædictos ſuos Articulos eſſe veros & Catholicos, & Articulos condemnatos nullo modo eſſe ſuos, nec ſuæ intentionis.* Nam (ût dixerunt) de Eſſentia Dei, de quo eſt primus Articulus, loquitur dictus venerabilis Raymundus Lullius in quodam Libro intitulato de *Infinito Eſſe*, in *Capite de Trinitate, in fine primi paragraphi*, in hunc modum (ût dixerunt.)

Dicimus autem, quòd producens eſt Deus Pater, & productus Deus Filius, & procedere eſt Deus Spiritus Sanctus, tres Perſonæ diſtinctæ in numero, & unus Deus, & non plures, & una Eſſentia, Subſtantia & Natura.

Item dixerunt, contineri in alio Libro intitulato de *Sanctitate Dei*, quaſi in principio, dicendo, quòd *Deus Sanctus eſt, & quælibet ſua dignitas eſt Sancta*; concludit (ût dixerunt) quòd *unus eſt Deus, una Sanctitas, Eſſentia, Subſtantia & Natura.*

Etiam (ût dixerunt) in alio Libro intitulato de *Eſſentia perfecta*, in Capite de *Eſſentia Dei*, quaſi in fine dicti Capitis; ubi loquitur de Dignitatibus divinis, dicit ſic (ût dixerunt) *quælibet iſtarum ſignificat Eſſentiam; non autem dicimus plures Eſſentias, ſed unam Divinam Eſſentiam, quam vocamus Deitatem.*

Etiam dixerunt prædicti Magiſtri & Fratres, quòd per verba infraſcripta, contenta (ût dixerunt) ibidem, in Libro prædicto *Philoſophiæ Amoris*, in Capite intitulato de *Veritat de Amor*, in ſecundo paragrapho, ubi (ût dixerunt) continetur ſic: *No poden eſſer nombrats en Eſſentia de amor Amich è Amat, ſens vera differentia damdos:* apparet evidenter (ût dixerunt) quòd dictus venerabilis Raymundus Lullius loquutus fuit in ſolutione quæſtionis dicti primi Articuli *de Eſſentia Amoris*, & non *de Eſſentia Divina.*

De ſecundo verò *Articulo condemnato*, ubi continetur, *quòd in faciendo bonum*, &c. Dixerunt dicti Magiſtri & Fratres, quòd dictus venerabilis Raymundus Lullius in ſuo Articulo poſito in vulgari (ût ex ejus tenore clarè liquere dicebant) loquitur *de Amore*, & non de *Operatione bonâ faciendâ*, ſicut ſonat Articulus condemnatus.

Et ad iſtorum evidentiam affirmarunt prædicti Magiſtri & Fratres, quòd in quadam Quæſtione factâ (ût dicebant) in dicto *Libro Philoſophiæ Amoris*, in Capite intitulato *de les Obres de Deu & de Amor*, demonſtravit dictus Raymundus Lullius, ſe benè ſcire, credere & intelligere, *quòd Deus habeat concurrere in qualibet bona operatione.* Dicit enim (ſicut dixerunt) Quæſtio. *Quant ha lamat obre en home? E reſponch lamich, lamat ha tota hora obra en home ab mija, è ſens mija: ab mija, en quant li fa ſer un be ab altre: ſens mija, en quant per ſi matex lo mou à fer be.* Quòdque in alio loco dicti Libri *Philoſophiæ Amoris*, videlicet in Capite intitulato *de Libertat de Amor*, in fine penultimi paragraphi, demonſtrat dictus venerabilis Raymundus Lullius (ût ſupradicti dixerunt) ſe ſcire & credere, *quòd aliquis ſinè auxilio Divino non poteſt bene operari.* Dicit ſiquidem: *quel amich dix à Amor; jo voldria donar à mon amat tot ſo, que ell me ha donat: ſo es à ſaber, &c. T diu apres; empero jo nou puch donar, ſens que ell no mo faſa donar.* Unde dixerunt & affirmarunt omnes dicti Magiſtri & Fratres, quòd dictus venerabilis Raymundus Lullius in iſto ſecundo Articulo non loquebatur ſecundùm formam, nec intentionem *Articuli condemnati*, ſed loquebatur *de Amore Dei*, qui ab æterno nos dilexit.

De tertio autem *Articulo condemnato*, ubi continetur, quòd virtus eſt ita bona, &c. Dixerunt dicti Magiſtri & Fratres, quòd dictus venerabilis Raymundus Lullius in ſuo Articulo poſito in vulgari loquitur ſolùm de *virtutibus moralibus*, & non de *gratuitis*; prout apparere dicebant in ipſo tertio Articulo ſuperiùs inſerto: quoniam in alio loco dicti Libri, videlicet in Capite intitulato *Del ſolaz del Amor*, in ſeptimo paragrapho demonſtrat dictus venerabilis Raymundus (ût dixerunt) quòd prædicta non intelligat de virtutibus gratuitis, ubi dicit: *que parlaven lamich è lamor de tempranſa è de ſperanſa, que ſon carreres, per les quals amadors van al Amat. E dix lamich, que per tempranſa, qui es gran è bona virtut, eſperava haver la gloria de ſon Amat. Acuſa lamor lamich à ſon Amat, &c.* Et dicit poſteà, *quel Amat trames juſtitia al amich, per ſo, quel punis, per ſo, car per ſos merits cuydava haver ſalvacio.*

Dixe-

Dixerunt etiam dicti Magiſtri & Fratres, quòd in aliis locis dicti Libri *Philoſophiæ Amoris* videtur clarè, quòd dictus venerabilis Raymundus Lullius loquebatur de *dicto Articulo*, & de aliis ſuperiùs contentis *regulatè, benè, verè & catholicè;* & ideo omnes, tam dictus Reverendus Inquiſitor Magiſter Bernardus Ermengandi, quàm dicti alii Magiſtri & Fratres ſuperiùs nominati, in dicto loco congregati, unanimiter concordantes, nemine diſcrepante, narratione factâ de prædictis (ût ſuperiùs eſt dictum) in præſentia mei dicti & infraſcripti Notarii, & teſtium infraſcriptorum *concluſerunt*, & dixerunt ibidem ſingulariter & diſtinctè.

Primò: per dictum Inquiſitorem ſuâ intentione prolatâ, quòd dicti Articuli, ût jacent *Condemnati*, licèt, ût jacent in *Condemnatione*, benè fuerint condemnati, tamen *non ſunt conſcripti in dicto Libro Philoſophiæ Amoris, nec ab eo, nec à contentis in eo poterant elici, nec intelligi formaliter, nec æquipolenter, tacitè, vel expreſſè, directè nec etiam indirectè:* imò ipſi Articuli condemnati, qui ſuperiùs ſunt inſerti in Latino, malè Libro dicto fuerunt attributi, & quòd *Articuli prædicti* in vulgari poſiti, in dicto Libro *Philoſophiæ Amoris*, qui ſuperiùs pariter ſunt inſerti, ſecundùm præcedentia & ſequentia & modum loquendi Doctoris ſunt *boni, veri, fideles & Catholici, & nullâ rubigine hæreſis maculati:* prædicta (ût dixerunt) pro concluſionibus capientes.

Quibus ſic factis & dictis, in continenti venerabilis *Joannes Lullius* ibidem præſens, & vices portans in hac parte (ût dixit) & ſuo nomine, & omnium dictorum amicorum dicti venerabilis Raymundi Lullii, petiit ſibi de prædictis fieri & tradi tot, quot petierit, *publica Inſtrumenta*, per me Notarium infraſcriptum, ad habendum memoriam de prædictis. Quæ fuerunt facta in dicto Monaſterio Fratrum Minorum Barcinonæ, in cella prædicta, die & Anno prædictis, præſentibus Religioſis, Fratre Bernardo Magri, Fratre Antonio de Fonte, Fratre Michaële Peris, Conventualibus dicti Monaſterii Fratrum Minorum, ad hæc vocatis pro *teſtibus*, & me *Petro Dalmatii Notario infraſcripto.*

Ego Frater Bernardus Ermengandi, Magiſter in Theologia, Prior Provincialis Fratrum Prædicatorum, & Inquiſitor hæreticæ prævitatis manu propriâ ſubſcribo, & ſigillum Provincialatûs appoſui impendenti in teſtimonium præmiſſorum.

Ego Frater Antonius Falqueti, Sacræ Paginæ Profeſſor hìc manu propriâ ſubſcribo.

Ego Frater Franciſcus Marmandi, Sacræ Theologiæ Magiſter hìc propriâ manu ſubſcribo.

Ego Frater Arnaldus Peregrini, Sacræ Theologiæ Magiſter prædictus, ſubſcribo manu propriâ in teſtimonium præmiſſorum.

Ego Frater Bernardus Broll, Sacræ Theologiæ Magiſter prædictus, ſubſcribo manu propriâ in teſtimonium præmiſſorum.

Ego Frater Dalmatius de Caſtellario prædictus manu propriâ ſubſcribo.

Ego Frater Berengarius Laqueti prædictus manu propriâ ſubſcribo in teſtimonium præmiſſorum.

Ego Frater Guillielmus Arago prædictus ſubſcribo propriâ manu in teſtimonium præmiſſorum.

Ego Frater Joannes de Pagueria prædictus manu propriâ ſubſcribo in teſtimonium præmiſſorum.

Signum mei *Petri Dalmatii Auctoritate Regiâ Notarii publici Barcinonæ*, qui prædictis, dum per dictos Reverendos Dominos Fratres Bernardum Ermengandi, & alios ſuperiùs nominatos in dicta cella congregatos fiebant & dicebantur unà cum prænominatis teſtibus interfui requiſitus, & ea in hanc publicam formam ſcribi feci, & propriis ſubſcriptionibus ipſorum Fratrum, ac Sigillo Provincialatûs prædicti appoſitis clauſi. Conſtat autem de literis raſis in linea trigeſima ſeptima, tuli.

Item ad monſtrandam etiam *falſam Translationem*, ſeu *Interpretationem* ſupradictam per dictum Fratrem Nicolaum Eimerici in dicto Quaterno factam, ponendo & affirmando, dictum Doctorem erroneè & hæreticè velle probare Articulos Fidei, & cætera alia, quæ per Fidem ſunt credenda, produxerunt quandam *Papyri ſchedulam* continentem multa & diverſa *Originalia* dicti Doctoris, ſcripta in diverſis ſuis Libris, qui ibidem fuerunt cum dictis Libris *comprobata.* Cujus quidem *ſchedulæ tenor talis eſt.*

Dominus Raymundus ponit Articulos Fidei probabiles, ſive demonſtrabiles certo modo inferiùs aliqualiter tacto, aliàs dicit, quòd errores infidelium, per quos Fides impugnatur, non eſſent deſtructibiles: undè major falſitas prævaleret contra majorem veritatem, quæ eſt veritas Fidei.

Item

Item dicit, quòd aliter labor Theologorum eſſet inutilis; nam impoſſibile eſſet eis pervenire ad cognitionem eorum, quæ ſunt Fidei; circa quam cognitionem ſemper laborant; & ſic eorum labor careret fine, & per conſequens merito & gloriâ.

Ulteriùs ponit, quòd, ſi Articuli ſunt demonſtrabiles, ex eorum demonſtratione ſequitur Illuminatio dubitantium, Confirmatio credentium, & Directio incredulorum; & etiam ſequitur major Dilectio in anima hominis, cùm certum ſit, quòd illud bonum, quod magis intelligitur, magìs diligitur. Multa alia habet motiva dictus Raymundus, quibus laboravit, ad probationem Articulorum Fidei, gratiâ adjuvante, ſinè quâ (ût ipſe expreſsè dicit) talia eſſe non valerent.

Non intellexiſſe videtur (ût ipſe in pluribus locis apertè dicit) quòd Articuli demonſtrentur per *Cauſam*, cùm Deus non habeat cauſam ſupra ſe: nec per *Effectum*, cùm talis Demonſtratio potiſſima non exiſtat: nec *ſinè Fide*, quia cùm finiti ad infinitum nulla ſit proportio, oportet, ut *mediante Fide* Articuli & intellectus hominis aliqualiter proportionentur.

Minùs intelligere videtur, quòd per talem Demonſtrationem Articulorum veritas *comprehendatur;* quia infinitum non comprehenditur à finito, cùm finitum habeat terminos limitatos: videtur ergò intellexiſſe, quòd talis demonſtratio *ſinè Fide eſt impoſſibilis:* & ideo ſæpe allegat in dictis ſuis dictum Iſaïæ: *Niſi credideritis, non intelligetis.* Cum *fundamento* itaque & *præſuppoſitione Fidei* ſua intentio exiſtit, intellectum poſſe intelligere objectum primum; & ideo ponit in *Arte Magnâ* formaliter, ſic.

„Quando intellectus intelligit objectum primum, *Fides diſponit* ipſum ad intelligen„dum, ſicut charitas diſponit voluntatem ad amandum ipſum objectum primum; & ſi„cut voluntas non poſſet amare ipſum objectum primum ſinè charitate, ſic intellectus „non poſſet intelligere ipſum objectum primum absque *Fide.*

Item ponit in Libro de *Civitate Mundi*, *Capite de Fide:* „*Fides* eſt habitus, cum quo „Intellectus aſcendit ad *intelligendum* de Deo ea vera, quæ de Deo intellectus pet *Fidem* „*credit*; quoniam ad ipſa vera intellectus *ſinè Fide* aſcendere non poteſt ad *intelligere:* & per „hoc inter *intelligere & credere* exiſtit concordantia; cùm intelligere & credere ſint ſub „*eâdem potentiâ*, ût puta, intellectus humanus, qui *credit, ut* poſſit *intelligere:* & hoc ſigni„ficatum eſt per Iſaïam Prophetam dicentem: *Niſi credideritis, non intelligetis.*

Item in eodem Libro *Capite de Fortitudine* dicit ſic: „Dixit Fortitudo, ſum habitus „moralis, cum quo fortifico voluntatem humanam ad acquirendum virtutes, & ad evi„tandum peccata; ipſa autem voluntas per ſe nuda, non habet poteſtatem ad hoc, niſi „de me ſit habituata: ſicut humanus Intellectus, qui non poteſt per ſe *intelligere ullum* „*Articulum Fidei*, niſi de *Fide* ſit habituatus.

Item ponit in Libro *primæ & ſecundæ Intentionis &c.* de Fide: „*Fides* eſt intentio *cre*„*dendi* veritatem, quam Intellectus nequit *intelligere.* Et ſequitur, quaſi in fine dicti Ca„pitis: ſi vis *intelligere* fili, id, quod *credis*, *ſuppone*, illud poſſibile eſſe verum; ſi enim ſup„poſueris, Fides eſt tibi: cùm *Suppoſitio* ſit per Fidem, & per ipſam elevatur intellectus „ad intelligendum; ſi verò *ſupponere* nolueris, injuriaris intentioni, quare Fides eſt &c.

Item ponit in Libro intitulato *Declaratio Raymundi per modum Dialogi, &c. in Cap. 16.* quaſi in principio: „*Fides* eſt ipſa virtus, quæ *intellectum* cogit ad *credendum* vera de Deo, „quæ homo non intelligit, per neceſſarias rationes; & eſt virtus, quæ hilariter facit *volun*„*tatem* hominis amare veritates Dei, quas *intellectus* ipſius *credit:* & ideo Fides eſt una „communis conceptio virtuoſa & verus habitus, in quo *intellectus* habet *paſſionem*, & *vo*„*luntas* actionem &c. Et ſequitur:

„Adhuc Sortes, tu, qui te dicis eſſe Philoſophum, debes ſcire, quòd *Fides* eſt, ut ipſa „ſit ſubjectum, in quo veritates reſtaurentur, quas intellectus non poteſt intelligere pro„pter aliquod impedimentum, quod venit ex parte ſenſitivæ aut imaginativæ, quas ve„ritates non poſſet attingere ipſe intellectus, ſi non haberet *habitum Fidei*, in quo reſtau„rentur, *credendo*, auctoritates conceptæ, per *Fidem*, & non per neceſſitatem cognitæ: „& talis *Fides* eſt ita intellectui & voluntati neceſſaria, ut ipſe intellectus & ipſa voluntas „veritates Dei poſſint contemplari, ſicut eſt eis neceſſaria imaginatio, in quâ etiam ob„jecta ſenſitivæ valeant attingere, quæ ſunt ſibi abſentia, quæ non poſſent attingere ſinè „imaginativâ, quæ à ſenſitivâ accipit objecta cum phantaſiâ: & ſicut ipſa imaginativa „accipit objecta, ſic ipſa intellectivo & amativo repræſentat illa, quando ſcilicet ipſum „intellectivum & amativum ipſa objecta requirunt.

„Adhuc dico tibi, quòd *Fides est necessaria* ad *intelligendum* veritates Dei; quoniam „in principio, cùm intellectus ipsas investigat, *supponit* per *Fidem*, quòd illas possit attin„gere & invenire, non sicut *comprehendens*, sed sicut *apprehendens:* & hoc *intellectus* non „posset facere, si se *habitu Fidei* in principio investigationis non indueret, juvante tamen „gratiâ Dei; & tunc transit ad *intelligendum* Veritates Dei per *Rationes necessarias*, cum „quibus ipsas antè non intelligebat: verumtamen semper remanet *habitus Fidei* susten„tatus in *intellectu*, ad hoc, ut, si intellectus perdat illas veritates, quas attingit & appre„hendit, recurrat ad *habitum Fidei*, & cum illo illas *credat*.

„Sed hoc non faciunt aliqui Philosophi, qui nihil supponunt de veritatibus Dei secun„dùm *Fidem*, sed stant ad hoc, quod possunt attingere secundùm aliqua significata natu„ralia, repræsentata per effectum; idcirco multoties falluntur propter impedimentum „sensitivæ & imaginativæ: & de hoc suprà in Proëmio dedimus exemplum in ultima po„sitione. Et cùm tales Philosophi illas veritates perdunt, non habent, in quo ipsæ restau„rentur; quoniam *habitum Fidei* non habent: idcirco in ipsis est infirma Philosophia, & „intellectus ipsorum in errore; sicut gustus infirmi ad dulcedinem pomi: ideo dicit qui„dam sapiens: quòd ingrediens ad scientiam philosophiæ per *habitum Fidei* potest bre„viori tempore esse philosophus, & habere magnum intellectum, quàm ille, qui ingre„ditur ad ipsam sinè *habitu Fidei* &c.

Item ponit in Libro *Disputationis Intellectûs & Fidei*, *in secundo Capite*, quod incipit: *Tunc Fides ait Intellectui*, quasi *in medio dicti Capitis*, ubi *Intellectus* dicit *Fidei:*

„Adhuc dico tibi, quòd principaliter non es creata propter meritum hominum, sed „ut Deus sit recolitus intellectus & à suo populo sit dilectus; cùm plus dicat de bonitate „& nobilitate, Deum recolere, intelligere & amare, quàm homines remunerare. Rur„sum dico, suppositò, quòd Articuli possint probari, homines non amitterent meritum „*intelligendi & amandi;* quoniam scriptum est: Nullum bonum dilectum, nisi cognitum. „Et Isaïas dicit: *Nisi credideritis, non intelligetis:* & sic patet, quòd tu *Fides es dispositio &* „*præparatio*, per quam ego à Deo sum dispositus ad res altas: quare in hoc, quod ego per „te *suppono credendo*, quòd possim ascendere, habituo me de te; & sic tu es in me, & ego „in te: & quando ascendo ad gradum, in quo tu es, *intelligendo*, tu *credendo* ascendis ad „gradum, super me altiorem: quoniam sicut oleum natat super aquam, ita tu semper „super me commoraris: & ratio hujus est, quia habes majorem vigorem in omnibus ascen„dendi, *supponendo*, eò quia non laboras, quàm ego, qui, quando ascendo *intelligendo*, „tunc laboro. Et sequitur in *fine dicti Capitis:* Adhuc, quia suppono, quòd, si *Intelligere* „mihi deficeret, quòd recurrerem ad te per *Credere:* quoniam sicut frigiditas aquæ rema„net in ipsâ aquâ in habitu, quando est calida, sic tu remanes in *habitu*, quando *intelligo*.

Item in proximè dicto Libro incipit *tertium Caput*, ubi *Fides* alloquitur *Intellectum* sic: „Frater non irascaris contra me, cùm sim causa, quòd tu valeas exaltari, in hoc, quòd *di„spono te ad intelligendum*, sicut tumet superiùs concessisti; & sic permanes in *intelligendo*, „per tuam naturam, sicut de te data est suprà definitio: & intellige hæc verba: Tu benè „scis, quòd *Divina Trinitas sit incomprehensibilis*, eò quia est infinita, & tu es finitus, & quia „inter infinitum & finitum nulla est proportio: unde sequitur, quòd tu in viâ *non potes* „*attingere Divinam Trinitatem per Rationes necessarias*; quia si sic, jam finitum comprehen„deret infinitum; quod est impossibile & dissonum rationi.

„Ait *Intellectus: Fides* Soror mea, non irascor contra te, sed tibi præfero veritatem, „& doleo, quia gentes non utuntur me intensivè, secundùm gradus altos, ad quos de „me possent habere usum; & ad tuam Positionem sic respondeo.

„Concedo hoc, quod dicis de *Incomprehensibilitate Divinæ Trinitatis*, & de mea *fini„tate*; sed dico, quòd, si de *Divina Trinitate* habeo aliquas *Rationes necessarias*, non se„quitur, quòd sim *Comprehensor*, sed tantùm *Apprehensor:* quoniam sicut digitus positus „in una parte ferri igniti sentit in parte caliditatem ignis, sed non totam caliditatem, „eò quia non tangit totum subjectum ejus, sed partem; sic à simili, secundùm modum „*intelligendi*, ratione infusionis & gratiæ *Divinæ Trinitatis* & suæ maximæ *Intelligibilitatis* „benè possum particulariter secundùm me aliquid attingere de suo lumine veritatis; quo„niam non est aliquis, qui possit eam contra hoc ligare, neque etiam me, si ei placet: „imò miror de te, quare non consideras, quòd, sicut divina Voluntas infundit in viâ „*Charitatem* ratione Gratiæ in humanam voluntatem, ut homo per ipsam sit charitati„vus ad agendum bonum, quare non sic divina Sapientia per gratiam infundat *Sapientiam*

„in

„in me? ut attingam de *Divina Trinitate*, quæ mihi sufficiant ad ipsam *intelligendo*, & omnes „objectiones contra ipsam destruendo, etiam ad sororem meam *Voluntatem diligendo*; „cùm sinè meâ altâ *Intelligibilitate* ipsa non possit habere amorem satìs altum &c.

Et sequitur in *fine dicti Capitis:* „Et audias *Fides*, suppositò, quòd non possim attin„gere *Divinam Trinitatem* in aliquo, si aliquis infidelis multùm literatus & subtilis vellet „destruere te *per Rationes* apparentes, cum quo ego possem te adjuvare? *per te*, non; quia „ipse nollet *Credere:* sequitur ergò, quòd *per me*; cùm veritas sit super falsitatem sic, in „modo Intelligendi, sicut in modo Credendi: alioquin ego essem excusatus in viâ ad re„sistendum *falsitati*, quæ est contra te & contra *Divinam Trinitatem*, & *possem esse otiosus* „*sinè peccato*; quod est impossibile, sicut dixi: unde sequitur, quòd possim tantùm attin„gere *veritatem Divinæ Trinitatis*, quòd possim resistere falsitati, quæ contra ipsam est, ap„probando ipsam, & destruendo errores, qui contra ipsam ab infidelibus quotidie enar„rantur.

Et in multis aliis locis, & quasi in omnibus Libris, in quibus Dominus Raymundus loquitur *de Fide*, prædicta sua *Intentio* est clarè & expresè posita; videlicet, quòd *Demonstratio Articulorum Fidei sinè Fide est impossibilis*. Item quòd nullo modo ipsorum Articulorum veritas est in via *Comprehensibilis*, sed benè cum *Fide aliqualiter Apprehensibilis*.

Et ideò clarè & manifestè potest quilibet speculari, quòd prædictæ intentioni non contrarietur Auctoritas Gregorii, quæ in contrarium solet allegari: *Fides non habet meritum, ubi humana ratio præbet experimentum*; cùm in dictâ Auctoritate Beatus Gregorius loquatur *comprehensivè*, prout ad literam apparet in hoc, quòd præcedit dictam Auctoritatem; dicit enim: *Sed sciendum nobis est, quòd Divina Operatio, si ratione comprehenditur, non est admirabilis, nec Fides habet meritum &c.* Et etiam in hoc, quod statim sequitur post dictam Auctoritatem, apparet, Beatum Gregorium non esse contrarium, imò concordantem intentioni prædictæ, videlicet, quòd Divina Mysteria possint apprehendi per *Rationes*; nam aliter non fecisset *Rationem*, quam fecit dicendo: *Quid ergò mirum, si clausis januis post Resurrectionem suam in æternum jam victurus intravit, qui moriturus vivens non aperto utero exiit?*

Item etiam demonstratur apertè *sana Intentio* dicti Raymundi per expositionem, quam fecit de dictâ Gregorii Auctoritate; in cujus ultimo paragrapho continetur sic:

„Sensus Anagogicus est transcendens, quando considerat, quòd beatus Thomas di„xit: Dominus meus, & Deus meus, ipse enim non vidit Deum visione sensuali, eò quia „Deus est invisibilis; sed vidit hominem: & sic super experientiam visionis sensualis trans„mutavit se ad *Credere visionis spiritualis*, eò quia *Fides* attingit *veritatem* mediante aliquo „*lumine intellectûs:* & ideo Beatus Gregorius non intellexit dicere meritum quoad experi„mentum sensibile, sed quoad *Credere*, neque negavit *Credere* dispositum & præparatum „per *sentire*, ùt figuratum est per ea, quæ dicta sunt à beato Thomâ per *sentire*; quoniam „*habitus Fidei* est altior, quàm *habitus sensûs*.

Visâ ergò Intentione dicti Raymundi in superiùs insertis clarè positâ, monstratur manifestè, quòd non est repugnans nec devians, imò totaliter & expresè concordans cum dictis Sanctorum Doctorum: & ideo, qui voluerit contradicere prædictæ Intentioni dicti Raymundi, oportet, quòd contradicat beato Thomæ, qui in *primo Sententiarum in fine tertii Quæsiti primæ Divisionis* ait sic: *Sed tamen Ratio manu ducta per Fidem excrescit in tantum, ut ipsa credibilia penitùs comprehendat, & tunc ipsa quodammodo intelligit:* unde dicitur Isaïæ 7. secundùm aliam literam: *Nisi credideritis, non intelligetis.*

Item quòd contradicat Beato Augustino, qui in 2. de *Libero Arbitrio Cap. 2.* ponit: *Rationem redditurus sum, non, ut Fidem respuas, sed, ut ea, jam Fide firmatâ tenens, etiam rationis luce conspicias.*

Item ponit in *Libro Quæstionum: Tria sunt de genere credibilium: quædam sunt, quæ priùs creduntur, & posteà intelliguntur; sicut sunt Articuli Fidei, qui sunt supra Rationem.*

Item ponit in *Libro de Cognitione veræ Vitæ*, ubi talia inquit: *Cùm Christus veritas & vita dicat, hæc est vita æterna, ut te solum verum Deum cognoscant; constat profectò, Naturam rationalem ad hoc solùm factam, ut Factorem suum intelligat, intelligendo diligat, diligendo in eo, qui est æterna vita, æternaliter vivat. Divinitatis ergò Essentiam rationabiliter investigare, est ad vitam festinare; illam verò negligendo ignorare, est utique ad mortem properare; quia nimirum hic ab ea ignorabitur, & deinde à beata vita sequestrabitur.*

Item, quòd contradicat Richardo de sancto Victore, qui dicit: *quòd ad ea, quæ sunt*

Fidei, non solùm possunt haberi Rationes probabiles, sed etiam necessariæ; licèt eas contingat interdum nos latere. Item in *Libro de Trinitate Cap. 8.* promittit, se non *solùm Fide*, sed etiam *Rationibus necessariis* Dei Unitatem & Personarum *Trinitatem* fore ostensurum.

Item, quòd contradicat Anselmo *in Monologio 13. Cap.* ubi dicit: *Duo opuscula feci &c., ut certâ Ratione, non Auctoritate, quæ ad Deum pertinent, manifestarem.*

Item produxerunt *primam* & *secundam* Partem cujusdam Libri dicti Doctoris, intitulati de *Convenientia, quam habent Fides & Intellectus in objecto*, quarum tenores sunt, qui sequuntur.

„*De prima Parte.* Aliqui dicunt, quòd non est bonum, quòd *Fides* possit probari; „quia si sic, amitteretur meritum, & *Fides* esset nulla; & ad hoc confirmandum addu„cunt istam Auctoritatem: *Fides non habet meritum, ubi humana Ratio præbet Experimen„tum:* unde ad hoc sic respondemus: omne Præceptum, quod fecit Christus, est bonum; „& ideo quando præcepit beato Thomæ *Mitte manum tuam in latus meum*, bonum Præ„ceptum fecit, ut Thomas haberet experientiam; primùm tamen dixit Thomas: *Nisi mit„tam digitum meum vel manum meam in latus ejus, non credam:* & quod Thomas dixit, ve„rum significatum est; quia *factâ experientiâ* remansit *Fides;* quia ipse dixit, non credam.

„Præterea, nos magis sumus ad intelligendum, diligendum & recolendum Deum, „quàm propter nostrum meritum; cùm contemplari Deum sit per prius, & nostrum me„ritum per posterius.

„Item beatus Petrus Apostolus in *suâ Canonicâ* dixit: Estote parati ad satisfactionem „semper, omni poscenti vos *Rationem*, de iis, quæ in vobis sunt *Fide & Spe:* Beatus Petrus „autem contra divinam ordinationem non dixit.

„Iterum beatus Augustinus fecit Librum ad probandam Divinam Trinitatem, *sup„posito tamen merito Fidei*, contra quam Fidem ipse non fuit, qui sanctus erat.

„Item S. Thomas de Aquino fecit unum Librum contra Gentiles, qui requirunt „Rationes; quia nolunt dimittere *Credere* pro *Credere*, sed *Credere* pro *Intelligere:* ipse au„tem in faciendo Rationes contra Gentiles non intendebat destruere *Fidem;* quia vir sa„piens & catholicus fuit.

„Item Doctores sacræ Paginæ conantur, quantum possunt, deducere *Rationes* ad pro„bandam *Divinam Trinitatem & Incarnationem &c.*, habentes sanam mentem & intentio„nem ad exaltandam Sanctam Fidem: & ideo Ego, qui sum verus Catholicus, non in„tendo probare Articulos *contra Fidem*, sed *Fide mediante*; cùm sinè ipsâ non possim pro„bare; nam Articuli sunt superius, & meus intellectus est inferius; *&* *Fides* est habitus, „cum quo *Intellectus* ascendit supra suas vires: non autem dico, quòd probem *Articulos* „*Fidei* per *Causas*, quia Deus non habet *Causas* supra se; sed per talem modum, quòd *In„tellectus* non potest *rationabiliter* ipsas rationes negare, & possunt solvi omnes objectio„nes contra ipsas factæ, & Infideles non possunt destruere tales *Rationes* sive *Positiones.* Ipsa „probatio talis, sive sit Demonstratio, sive persuasio, vel quocunque alio modo possit dici, „hoc non curo; quia propter nostrum affirmare vel negare nihil mutatur in re.

„*De secunda Parte.* Pars ista est de *duodecim Syllogismis*, cum quibus intendimus pro„bare aliquos Articulos Fidei: & primùm de primo sic dicemus: nullus Intellectus potest „in viâ intelligere, Deum esse, sinè habitu Fidei; sed quidquid intelligitur de Deo in viâ, „intelligitur per Intellectum: ergò intelligere, Deum esse, est cum habitu Fidei.

„Probatio Majoris: quoniam Deus est superius, & *Intellectus* inferius, ipse *Intellectus* „naturaliter non potest ascendere ad objectandum ipsum Deum, intelligendo; ratione „cujus Deus habituat ipsum *de Fide*, ut *mediante Fide* possit *ascendere*, sicut humana *volun„tas*, quæ per se non potest ascendere ad diligendum Deum supra se, nisi per Charita„tem, quæ est suus habitus, ut ascendat ad intelligendum supra suas vires.

„Probatio Minoris: nam intelligibile propriè est objectum *Intellectûs*, & communis „opinio est, quòd probatum est, *Deum* esse; & ideo patet, quòd *Fides & Intellectus* con„veniant in objecto, Intellectu intelligente, Deum esse, sub *habitu Fidei.*

„*Ad secundam Rationem.* Nulla potentia inferior potest ascendere ad summum obje„ctum per se tantùm; sed intellectus humanus est potentia inferior: ergò intellectus hu„manus non potest ascendere ad summum Objectum per se tantùm. Majorem & Mino„rem non oportet probare, quia per se patent, & quia communis opinio est, quòd intel„lectus, quando intelligit, unum Deum esse tantùm, & non plures, ascendit *Intellectus* „mediante intelligere, *Fide* sibi habitum exhibendo, unum Deum esse tantùm: & sic „patet,

„patet, quòd per *Intelligere* non destruatur *Fides*, eò quia *Fides* est instrumentum, cum „quo *Intellectus* ascendit supra suas vires.

„*Ad tertiam.* Factâ hypothesi, quòd Deus sit ens magis agens per suas Rationes, in„tellectus potest intelligere, Deum esse Trinum, ût in libro superiùs probatum est; hy„pothesis autem talis est: habitus Fidei est, sinè quo Intellectus non potest probare, Deum „esse Trinum; & ideo arguo sic: omne *credere* habituatum *à Fide* disponit intellectum ad „intelligere; sed *credere* Fidelis est *credere* habituatum à *Fide:* ergò *credere* Fidelis dispo„nit ipsum *intellectum ad intelligere.* Probatio Majoris: Isaïas Propheta dixit: *Nisi credi„deritis, non intelligetis*, & sic formaliter sequitur, quòd, si credo, Deum esse Trinum, quòd „possim intelligere, ipsum esse Trinum; quia *credere* est antecedens, & *intelligere* est con„sequens, factâ hypothesi, quòd Deus sit magis agens per suas Rationes, sinè quâ Tri„nitate Deus non potest esse magis agens per ipsas: Minor per se patet: & ideo ostensum „est, quòd positâ *Fide* ponatur possibilitas ad *intelligere*, remanente *Fide*, sicut posito an„tecedente ponitur consequens.

„*Ad quartam.* Christus dixit in Evangelio, qui se humiliat, exaltabitur; & ideo arguo „sic: quicunque se humiliat, exaltabitur; sed *intellectus*, quando *credit*, se humiliat: ergò „*intellectus*, quando *credit*, exaltabitur. Major per se patet, quia, quidquid dicit Christus, „est verum. Minorem sic probo: de ratione *intellectûs* est *intelligere*, non autem *credere;* „& ideo quando *intellectus* non potest per se *intelligere*, Deum esse Trinum, humiliat se „ad *credere*, quòd Deus sit Trinus; & sic ascendit ad *intelligere*, faciendo aliquam hypo„thesim, sicut *credere*, quòd Deus habeat potestatem infinitam; & sic concludit: quòd, ubi„cunque sit *Posse* infinitum, oporteat, quòd sit *Possificans* infinitum, & *Possificatum* infinitum, „sinè quibus posse non potest esse; & sic *intelligit* ista tria correlativa infinita, cum qui„bus considerat Divinam Trinitatem, *Fide remanente*, sicut habitus in objecto.

„*Ad quintam.* Factâ istâ *hypothesi:* omne Ens magis agens extensivè, causat suum si„gnum agentis magis agentis extensivè; sed Deus est Ens magis agens extensivè: ergò „Deus causat suum signum agentis magis agentis extensivè. *Major* est vera per *suppositum:* „*Minor* per se patet: & sic *intellectus* per *positionem*, quæ est Actus *Fidei*, ascendit ad *intelli„gere* Incarnationem, *Fide* semper *remanente;* sinè quâ Incarnatione Deus non causaret „suum signum: & hoc in secunda Distinctione primi Libri declaratum est.

„*Ad sextam. Suppono*, quòd Deus sit Ens magis agens per creationem; & ideo arguo „sic: quidquid agit magis per creationem, deduxit creatum in esse à non esse; sed Deus „est Ens magis agens per creationem: ergò Deus deduxit creatum in esse à non esse. Pro„batio *Majoris:* quoniam actio magis agit, quando deducit in esse id, quod non erat, „quàm si deduceret aliquid de alio in esse. *Minor* per se patet: & ideo remanente syllogismo „remanet positio, & per consequens *Fides*, quæ est antecedens, & *Intelligere* est consequens.

„*Ad septimam. Suppono*, quòd Deus sit Ens magis agens per Justitiam; & ideo arguo „sic: omne Ens magis agens per Justitiam, judicat totum hominem ad Beatitudinem, aut „ad pœnam sempiternam; sed Deus est Ens magis agens per Justitiam, ergò Deus judicat „totum hominem ad Beatitudinem, aut ad pœnam sempiternam. Probatio *Majoris:* „quoniam nisi homo resurgeret, Deus judicaret partem, & non totum, scilicet „Animam; sed judicare totum hominem, est judicare corpus & Animam, ex quibus „est constitutus: & sic per *suppositum* transit *intellectus* ad *intelligere*, quòd erit generalis Re„surrectio, remanente ipsâ *positione*, quæ est actus *Fidei.* Adhuc dico, quòd remanet Fides, „quoniam suppositio, quòd intellectus non intelligeret generalem Resurrectionem omni„um, recurreret ad *credendum* ipsam sub habitu *Fidei*, ût patet per istud exemplum: aqua, „quando est calida, sua frigiditas consistit in ipsâ in potentiâ; & sic in absentiâ actionis „ignis in aquâ, frigiditas, quæ est in potentiâ, reducitur ad actum, existente aquâ frigi„da, sicut erat.

„*Ad octavam.* Nulla virtus *corrumpitur*, quando causat virtuosum; *Fides* est virtus: „ergò Fides non *corrumpitur*, quando causat *virtuosum. Major* & *Minor* per se patent; & ideo „quando dicitur, Deus non est corpus, non est compositus, non est finitus, non est no„vus & hujusmodi, intellectus cum habitu *Fidei supponit*, quòd Deus sit Ens altius, quàm „corpus vel compositum, finitum & novum, confitendo, quòd Deus sit Spiritus simplex, „infinitus & æternus; & tunc transit ad intelligendum Deum, & deducit de ipso veras & „reales affirmationes & negationes, ex quibus facit scientiam, *Fide permanente* sinè cor„ruptione ipsius *credere* & *intelligere*, concordando *Intellectum* & *Fidem* in eodem subjecto.

„*Ad nonam.* Nullum dilectum, nisi cognitum; sed Deus est dilectus: ergò Deus est cognitus. *Major* est duplex; quoniam *cognoscere* existit per *credere* & *intelligere*, ratione „ cujus *credere* est fundamentum, & *intelligere* est *finis:* sicut in domo, in quâ fundamen„tum est inferiùs ratione finis, & parietes & tectum sunt superiùs, eò quia fundamentum „est, ut sequatur domus: unde sicut domus non potest esse sinè fundamento, sic *intelli„gere*, quando intelligit alta de Deo, non potest ascendere sinè habitu *Fidei:* ergò osten„ditur, per quem modum *Intellectus* & *Fides* conveniunt in subjecto.

„*Ad decimam.* Nullum intelligibile potest esse sinè memorabili; Deus est intelligibilis: „ergò Deus est memorabilis. *Major* & *Minor* per se sunt manifestæ: Memorabilis autem est „duobus modis, videlicet per *credere*, & per *intelligere:* memoria autem altior est per me„morabile cum *intelligere*, quàm per memorabile cum *credere* respectu finis; & sic de *intelle„ctu:* verumtamen *credere* est *superiùs*, tanquam habitus, & *intelligere inferiùs*, tanquam ha„bituatum: & ideo, sicut homo cappatus ascendendo in montem, quantùm ascendit, tan„tùm cappa, quæ est suprà, magis ascendit: à simili intelligens, quantò magis ascendit ad „intelligendum Deum & Articulos Fidei, tantò *Fides*, quæ est suus habitus, *magis ascendit.*

„*Ad undecimam.* Nullum diligibile potest esse sinè memorabili; sed Deus est diligi„bilis: ergò Deus est memorabilis. *Major* & *Minor* per se sunt evidentes: Diligibile autem „est duobus modis, scilicet per rationem *Credulitatis & Intellectibilitatis:* quoniam dili„gibile, quod est mediante recolere & intelligere, est per prius; & diligibile, quod est „per recolere & *credere*, est per posterius: & ideo, quantò magis *intellectus* ascendit per „prius, ad intelligendum Deum, tantò magis est principiatus cum voluntate & memo„ria in objecto, remanente *Fide*, quæ est suus habitus: unde sicut in vase, in quo est aqua „& oleum, quantò magis additur aqua, tantò magis ascendit oleum; & sic de habituato, „quantò magis ascendit, tantò magis ascendit suus habitus: ergò patet, per quem mo„dum *Fides* & *Intellectus* invicem ascendunt in objecto.

„*Ad duodecimam.* Omne meritum consistit magis per majorem actum, quàm per mi„norem; sed major actus est *intelligere*, quàm *credere:* ergò majus meritum consistit per „*intelligere*, quàm per *credere*. *Major* & *Minor* per se sunt probatæ: unde patet, quòd *in„telligere* ratione finis sit quietatus & dominus, & *credere*, quod est instrumentum, sit ser„vus; & sic sequitur, quòd dominatore permanente servus sit permanens: ergò patet, per „quem modum homo *intelligens* alta de Deo, acquirit majus meritum per *intelligere*, quàm „per *credere*, quolibet merito existente in suo subjecto diversimodè, secundùm suum mo„dum; & hoc in eodem tempore, verumtamen *successivè.*

„Diximus de duodecim Syllogismis, cum quibus est probatum, quòd *Fides* & *Intel„lectus* conveniant in eodem tempore in subjecto sivè objecto, quolibet permanente, ve„rumtamen *successivè;* sicut in cursu, in quo movens & mobile sunt permanentes successivè.

Et sequitur infrà in fine dicti Libri: „*Si autem erravi in aliquo contra Fidem, hoc non feci „scientificè, sed ignoranter confiteor hoc dixisse; quare submitto ipsum Correctioni Ecclesiæ sacro„sanctæ Romanæ.*

Item, ad demonstrandum etiam prædictam *Falsitatem Translationis* seu *Interpretationis*, in hoc, quòd in dicto Quaterno continetur, dictum Doctorem erroneè & hæreticè dicere, *Essentia essentiat, bonitas bonificat, magnitudo magnificat:* produxerunt textus sequentes dicti Doctoris, in quibus seipsum Catholicè interpretatur & exponit.

Primò textum Prologi Libri dicti Doctoris, intitulati *Ars Inventiva*, qui talis est: „Ars præsens ab Arte Demonstrativa descendit, & licèt existentia hujus & illius sit una „& eadem, modus tamen earum procedendi est diversus &c. Et sequitur infrà in primo „paragrapho: Et quoniam ita est, quòd existentiæ & operationes rerum, de quibus in„tenditur, vehementiores atque plures sint in se ipsis, quàm earum similitudines in Intel„lectu, & ipsæ sunt majores & ampliores, quàm sint in sermonibus earum significata: „magna est ergò distantia *Signorum à rebus suis:* & propterea de necessitate nos convenit „fingere verba, propter signorum paucitatem, & de vi & necessitate Artis aliquoties inusi„tata verba proferre, velut infrà patebit.

„Et ut etiam majora signa, & minùs à rebus suis distincta exprimamus, verba quan„doque transumimus, & quod est proprium alicui rei, propter expressionem majoris sen„tentiæ, alteri attribuimus; ùt cùm dicitur: *Bonitas bonificat, Magnitudo magnificat*, & cæ„tera hujusmodi: quia quod est proprium suppositi boni, scilicet bonificare, attribuimus „bonitati, propter quam ipsum bonum bonificat; ut vehementiùs exprimamus, quòd bonum

„bonum propter bonitatem bonificet, & magnum propter magnitudinem suam magnifi„cet; & sic cùm dicitur: finis movet efficientem ad bonum, hoc est dictum, quòd Effi„ciens propter finem bonum se moveat ad bonificandum.

„Et quia ita est, quòd de rebus creatis *impropriè* loqui nos oportet (ùt jam dictum est) „multò minùs igitur de Deo possumus *propriè* loqui; quia cùm immensa sit in omnibus „perfectionibus ejus existentia, quid est, quod de illo benè & propriè signa nostra possint „repræsentare? His autem rebus consideratis devotè supplicamus accedentes ad hanc Ar„tem, seu studentes in eadem, quatenùs ardore scientificæ Charitatis moti, in *impropriis* „nostris *dictis* (si fortè in ea inciderimus) ad partem tutiorem attendant, & non ad ea, „quæ dicere videmur, sed quæ dicere intendimus, condescendant: aut etiam si fortè fal„sam inducimus conclusionem, hunc imperitiæ nostræ errorem impendant; quoniam „si ignoranter artifex errat, non est attribuendum ipsi Arti, cùm ipsa Ars sit necessaria, „ùt de necessitate intendimus declarare.

„Et adhuc, etiamsi nimia nostrorum sermonum improprietas (ùt loquamur senten„tiosiùs) vel nostri ingenii, aut etiam traditionis insufficientiâ aliquem errorem contrà „sanctam Fidem Catholicam prætendere videatur, *Correctionem* Ecclesiæ Romanæ sacro„sanctæ suppliciter *imploramus;* quoniam non ratione Artis, sed ratione ignorantiæ con„tigit errare &c.

Item Textum contentum *in Commento* dicti Doctoris, ubi in *prima Parte* figuræ Theologiæ sic habetur: „Divina Essentia ratione sui non est conditionata agere, cùm sit com„munis Producenti & Producto.

Item Textum contentum in *prima Parte* figuræ de A. *dicti Commenti*, ubi Doctor exponendo se, sic inquit: „Sed hìc intelligendum est, quando dicimus, *Bonitatem Bonifi„care*, seu *Essentiam Essentiare*, hoc dicimus sub ratione Suppositi, id est, quòd Pater ge„nerando Filium communicat Filio, quidquid habet; & ideo attingitur conditio simpli„citer sub ratione Bonitatis, scilicet sub ratione Suppositi boni personalis.

In fine cujus *Commenti submisit omnia sua dicta Correctioni Ecclesiæ*, formaliter per hæc verba: *Quare si quis error fortè contra Fidem Catholicam in hoc Opere, ac etiam in aliis quibuscumque Libris nostris videatur, suppliciter & devotè requirimus Correctionem sacrosanctæ Ecclesiæ.*

ET quia ad prædictam *Subreptionem* fundandam apparebat dictis amicis, suprà inserta sufficere, & etiam (ùt prolixiati parcatur) alia *falsata* per dictum Fratrem Nicolaum Eimerici, ad præsens (ùt dixerunt) non opus erat producere; quæ omnia superiùs posita, seu inserta, per Nos dictum *Commissarium* attentè lecta, diligenter recognita, & intelligibiliter considerata fuerunt; habitâ siquidem per nos deliberatione maturâ, & digesto Consilio cum expertis in similibus & peritis; cùm per posita, & producta superiùs coram nobis & aliàs, clarissimè constet nobis, quòd dicta *Bulla*, attentâ ejus formâ & aliis judiciis perspicuis superiùs tactis, est evidentissimè, saltem de *falsitate* suspecta.

Item, quòd per allegata & producta, ad ostendendum seu probandum *Obreptionem* aut *Subreptionem dictæ Bullæ* demonstratur evidenter, quòd posito, quòd ipsa non fuerit falsa, nullo modo poterat excusari, quòd non fuerit *Subreptitiè impetrata*; cùm per tenorem dictæ Bullæ videatur, quòd tota ratio impetrationis ipsius fuit Affirmatio, quòd in Libris prædicti Doctoris erant plures Articuli erronei & hæreticales; quorum Librorum, per Documenta authentica superiùs inserta, videtur apertè, prædictum Fratrem Nicolaum Eimerici, tunc Inquisitorem, *mutasse & corrupisse* verba prædicti Doctoris, & etiam mentem & intentionem, quam habuit, Catholicam, prout monstrat apertissimè finis, seu finalis conclusio Librorum dicti Doctoris Raymundi; in quibus expresè submittit scripta, dicta & edita per ipsum, *Determinationi & Correctioni Ecclesiæ sacrosanctæ.* Ex quo fundatur legitimè, sua scripta non deviare à justo tramite Catholicæ Veritatis, & detegitur, eliditurque sinistra intentio, opinio & persecutio Nicolai prædicti.

Et cùm utrâque paginâ attestante, statuentéque, & mandante, impetrantes Literas, Provisiones, seu Rescripta per fraudem seu malitiam à Summo Pontifice, veritatem tacendo, seu supprimendo, & falsitatem suggerendo, vel exprimendo, in suæ perversitatis pœnam nullum ex talibus commodum consequi possint, ne eorum prætextu esset aliqualis potestas vel Jurisdictio attributa, cujus virtute sit aliquatenùs procedendum, cùm Summus Pontifex tales Provisiones, seu Literas denegasset, veridicè informatus; asserens verò, potestatem habere ab eo, cum qualitatibus suprædictis, nullatenùs interponere poterat suæ cognitionis officium, & consequenter ejus occasione de facto emanata ruunt, tanquam carentia legitimo fundamento.

SENTEN-

SENTENTIA DEFINITIVA.

PRo tanto nos Bernardus Episcopus & Commissarius prædictus, Authoritate Apostolicâ nobis in hac parte commissâ, dicimus, volumus, & decernimus, & pronuntiamus, quòd, quidquid inveniatur, quomodocumque, qualitercumque emanatum, mandatum, comminatum, processum, factum, occasione, authoritate, seu ratione dictæ subreptitiæ, ac obreptitiæ Bullæ, & de falsitate evidenti nimis suspectæ, teneatur pro vano, casso, irrito, & nullo, & pro infecto, seu non facto, ab omnibus reputetur; sicut & nos ex potestate nobis attributa, super his, quæ ex nostro Officio nobili utimur, & uti volumus, prædictis attentis, cassamus, irritamus, annullamus, seu ad nihilum reducimus, reducentes etiam Authoritate Apostolicâ ipsum Doctorem Raymundum Lullium, & omnia dicta, scripta & Opera sua, & omnia alia ratione prædicta quomodocunque, & qualitercumque, & per quemcumque, & contra quoscumque, & coram quibuscumque processa, & actitata, ad statum pristinum, & primævum, ac si in contrarium eorum nihil unquam fuisset dictum, scriptum, vel aliàs quomodolibet emanatum: reservantes, & submittentes Correctionem, Determinationem, Authorizationem Doctrinæ dicti Doctoris, Sedi Apostolicæ, cujus est de talibus cognoscere, & ordinare, sicut ipsemet Doctor, & verus Catholicus expresse submittit. In quorum omnium, & singulorum fidem, & testimonium præmissorum, præsentes nostras Literas, seu præsens publicum Instrumentum, per Notarium publicum infrascriptum fieri, & publicari mandavimus, nostrique Sigilli appensione muniri. Datum & actum Barcinonæ, sub Anno à Nativitate Domini millesimo quadringentesimo decimo nono, die verò vigesima quarta mensis Martii, præsentibus honorabilibus viris Dominis, Antonio Zenon, Decretorum Doctore Canonico Papiensi: Arnoldo de Torrentis Consiliario hoc Anno Civitatis Barcinonensis: Bernardo de Marimundo majore dierum: & Francisco Servent Licentiato in Legibus civilibus Civitatis Barcinonensis pro testibus ad præmissa vocatis, rogatis, specialiter & assumptis, ac me Gabriele Cannelles Notario infrascripto.

Visa per me Episcopum præfatum.

Signum ✠ mei Gabrielis Cannelles Authoritate Regiâ Notarii publici Barcinonæ, qui præmissis singulis & omnibus, dum, sicut præmittitur, coram dicto *Reverendo Domino Commissario*, & per eum agerentur, & fierent, unà cum prænominatis testibus præsens fui, hæcque scribi feci, ac Sigillo ipsius Domini hìc appositò impendenti clausi, cum suprapositò in lineâ secundâ, *supponit Grandinocensi.* Et sexagesimâ quintâ, *loco dicti.* Et octogesimâ quintâ *sum.* Et nonagesimâ *supponit.* Et centesimâ trigesimâ octavâ, *Et primò de primo, sic dicemus. Nullus Intellectus potest in viâ intelligere, Deum esse, sinè habitu Fidei.* Et centesimâ trigesimâ quartâ, & *credere.* Et cum raso in centesimâ vigesimâ quintâ, *distinctione.* Et etiam cum suprapositò in lineâ trigesimâ octavâ, *Bullæ.* Et etiam in lineâ centesimâ vigesimâ quartâ, *sed Deus est magìs agens extensivè: ergò Deus causat suum signum agentis magìs agentis extensivè.*

Et nos Bartholomæus Sureda, Canonicus ac Decanus Majoricensis, Reverendissimi in Christo Patris ac Domini *D. Didaci*, Divinâ favente Gratiâ, *Majoricarum Episcopi, Vicarius in spiritualibus & temporalibus*, unà cum aliis in solidum, qui *transsumptioni, comparationi, collationi* hujusmodi publici *Transsumpti* interfuimus, cum suo Originali Exemplo superiùs memorato concordans comperimus: ideo eidem Transsumpto, Authoritatem nostram judiciariam, paritérque Decretum manu nostrâ propriâ interponimus, in majorem fidem præmissorum.

Signum

Signum mei *Juliani Figueroes*, Apostolicâ, per universum mundum, & Regiâ, per totam terram & ditionem Illustrissimi & Serenissimi Domini Aragonum Regis, Authoritatibus, Notarii publici Majoricensis, hujus Exempli testis.

Signum mei *Hieronymi Servia*, Civis Majoricarum, Authoritate Regiâ Notarii publici, per totam terram & ditionem Serenissimi Domini Aragonum Regis, hujus Exempli testis.

Signum mei *Petri Litra*, Civis Majoricensis, Authoritate Regiâ Notarii publici, per totam terram & ditionem Serenissimi Domini nostri Aragonum Regis, qui hujus publici *Transsumpti* Transsumptioni, Collationi, Comprobationi, Decretíque interpositioni, omnibusque & singulis suprадictis, unà cum prænominatis Reverendo Domino *Vicario Generali*, atque Contabellionibus, & Connotariis meis, personaliter interfui, eáque omnia, & singula sic fieri vidi & audivi: ideóque hìc propriâ manu me subscripsi, præcedente meo solito Signo, unà cum appensione Sigilli Vicariatûs Ecclesiæ Majoricensis in majorem fidem ac testimonium omnium & singulorum præmissorum.

Et quod quidem Transsumptum, licèt manu alterius scriptum, fideliter tamen per me, ac cæteros Connotarios meos comprobatum, continetur in iis duobus pergamenis per me consutis. In quorum primo nonaginta novem lineæ. In secundo verò septuaginta novem lineæ continentur. Et pro majore declaratione, ultima linea primi pergameni finit per hæc verba: *De Civitate mundi Cap. de Fide.* Et prima linea secundi pergameni incipit per hæc verba: *Fides est habitus, cum quo &c.* Et ultima linea ipsius secundi pergameni *finit* per talia verba: *signum agentis magìs agentis extensivè.*

Insuper constat de *Dictionibus suprapositis* in lineis primi pergameni, scilicet in quartâ, *& amicorum.* Et vigesimâ quartâ, *quos.* Vigesimâ septimâ *habentes.* Et etiam in eadem lineâ, *& nominare.* Et quadragesimâ secundâ, *millesimo.* Et quadragesimâ quartâ, *hæc.* Et pariter constat de *Dictionibus ac literis rasis & correctis.* In lineâ octogesimâ tertiâ, *licet, ut in condemna.* In secundo autem pergameno constat de *suprapositis*, in lineâ decimâ octavâ, *alta.* Et trigesimâ tertiâ, *vel manum.* Et quadragesimâ septimâ, *est.* Et quinquagesimâ, *in.* Et sexagesimâ quintâ, *textum.* Et de *Dictione rasâ* in vigesimâ primâ lineâ, *Divinæ.*

COPIA hujusmodi in his triginta papyri foliis, licèt manu alienâ scripta, desumpta fuit à suo Originali pergameneo, in quo tractatur de Doctrinâ Magistri Raymundi Lullii, (prout superiùs latiùs continetur) recondito & reservato in scrinio Archivi Domûs Juratiæ Universitatis Majoricarum, & cum eodem Originali veridicè comprobata, per me *Melchiorem Tries*, Regiâ ac Imperiali Auctoritate Notarium publicum Majoricarum, & Archivarium jam dictæ Universitatis: in cujus rei testimonium, hic appono Sigillum dicti Archivi; ût infra. Die videlicet Sabbati, decimâ sextâ mensis Septembris, *Anno* à Nativitate Domini *millesimo sexcentesimo.*

Constat de *suprapositò*, in lineâ tertiâ primæ paginæ folii sexti, ubi legitur, *debitum.* Et de lineato in lineâ decimâ nonâ primæ paginæ dicti folii. Item de *correcto*, in lineâ undecimâ primæ paginæ decimi tertii folii, ubi legitur, *contentis.* Item de *correcto* & lineato in lineâ octavâ primæ paginæ decimi quinti folii, ubi legitur, *non valerent, non.*

Vt Gregorius Fortesa Vicar. Gener.

Hac

HAc itaque Sententiâ canonicè prolatâ, quamprimò Bartholomæus Surreda Canonicus & Decanus Majoricenſis, tunc Vicarius generalis, & Julianus Figueroes, Hieronymus Servia, Petrus Litra, Cives & publici Notarii Majoricæ, verè & ex proprio Originali tranſumptaſſe teſtati ſunt (ùt ſuprà patet) poſtea in reſervato Scrinio Archivi Domûs Juratiæ Univerſitatis Majoricarum recondito; Gregorius Forteſſa Vicarius generalis, & Melchior Tries Regiâ & Imperiali Authoritate publicus Notarius, Anno à Nativitate Domini milleſimo Sexcenteſimo inveniri affirmarunt. Quia tamen omnibus non innotuit, nec Doctores & Scribentes hujus Proceſsûs & Sententiæ notitiam habuerunt, dum liber Nicolai Eimerici, ubi Bullam fictitiam, & Propoſitiones ab eo impiè damnatas ſcripſerat, per manus diverſorum curreret, factum eſt, ut ab eodem libro multi multa deſumpſerint, Doctoremque noſtrum, etiam graves Authores, ſinè prævio examine, hæreſis notâ inuſſerint; quapropter in Catalago Librorum prohibitorum Pauli Papæ Quarti tali nomine, aliquo tempore fuit adſcriptus, usque ad Concluſionem Oecumenici & Sacri Concilii Tridentini, cujus Diſpoſitione & Mandato, visâ prædictâ Sententiâ, & Propoſitionibus iterum examinatis, Patriarcha Venetus, quatuor Archi-Epiſcopi, quatuor item Epiſcopi, cum uno Abbate & duobus Generalibus Ordinum, & quatuor Doctoribus, ex omni ferè Chriſtianitate ſelecti, doctiſſimi & religioſiſſimi, hoc petente & procurante Sapientiſſimo Joanne Villeta Canonico Barcinonſe, & hujus Doctrinæ ſingulari Magiſtro, re diligenter & maturo conſilio diſcuſsâ, ût idem Villeta in Approbatione Artis brevis Barcinonæ Anno 1565. impreſſæ teſtatur, primâ die Septembris Anno Domini milleſimo quingenteſimo ſexageſimo tertio decretum eſt, Authoritate Concilii, expugnandam fore eximii Doctoris Raymundi Lullii, quamcunque Operum improbationem, ab Indicibus, præſertim Pauli Papæ Quarti, Librorum prohibitorum, ubi allegatur prædicta Bulla fictitia, quam Eimericus Gregorii Undecimi eſſe affirmaverat. Quod Decretum & Statutum ſervatum apparet in Catalogo Sanctiſſimi Domini Papæ Pii Quarti, & in aliis Catalogis Librorum prohibitorum, ad noſtra usque tempora factis. Quia veritas, licèt aliquo tempore impiè opprimatur, tandem glorioſa & victorioſa evadit, & ſeipſam defendit. Verumtamen ut his, quæ dicta ſunt circa Doctoris noſtri Doctrinæ Encomium, contra impugnationem calumniosè ab Eimerico factam, præter glorioſam Commendationem, quam in Parte quarta authenticæ Hiſtoriæ Fratrum Minorum videmus, robur aliud adjiciamus, Privilegia quædam in favorem Artis Domini Magiſtri Raymundi Lullii, à Regibus noſtris Balearibus, & Profeſſoribus hujus Doctrinæ conceſſa, hìc apponenda duximus, quæ in quadam Petitione per Dominos Juratos Civitatis Majoricæ directa Potentiſſimo Domino & Maximo Philippo Tertio Hiſpaniarum Regi noſtro Invictiſſimo, & libro Palmæ Balearium Typis Gabrielis Guaſp, Anno milleſimo ſexcenteſimo quarto excuſa inveniuntur, hæc ſunt, quæ ſequuntur.

PRIVI-

PRIVILEGIA
IN FAVOREM
DOCTRINÆ EGREGII DOCTORIS
RAYMUNDI LULLII.

NOS CAROLUS divinâ favente clementiâ Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, Rex Germaniæ, Joanna ejus mater, & idem Carolus ejus filius, DEI gratiâ Reges Caſtellæ, Arragonum, Legionis, utriusque Siciliæ, Hieruſalem, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Navarræ, Granatæ, Toleti, Valentiæ, Galliciæ, Majoricarum, Hiſpalis, Sardiniæ, Cordubæ, Corſicæ, Murciæ, Giennis, Algarbii, Algeziræ, Gibraltaris, Inſularum Canariæ, Indiarúmque Inſularum, & terræ firmæ maris Oceani, Archiduces Auſtriæ, Duces Burgundiæ, & Brabantiæ, Comes Barcinonis, Flandriæ, & Tirolis, &c. Domini Biſcaiæ, & Molinæ, &c. Duces Athenarum, & Neopatriæ, Comites Roſſilionis, & Ceritaniæ, Marchiones Oriſtani, & Gociani.

Quæ per Sereniſſimos & Catholicos Reges prædeceſſores noſtros colendiſſimos memoriæ celebris conceſſa comperimus, animo quidem liberali confirmamus. Ea præſertim, cùm in favorem Reipublicæ, & literatum cultum indulta, & conceſſa cenſentur. Sanè exhibitis coram nobis & humiliter præſentatis per dilectum alumnum noſtrum Petrum Malferit Domicellum & utriusque juris Doctorem Sindicum ad nos deſtinatum per Vniverſitatem noſtri Majoricarum Regni *duobus Privilegiis* Sereniſſimorum & Catholicorum *Regum Alfonſi*, & *Ferdinandi*, Patris, & Avi, ac Dominorum noſtrorum colendiſſimorum, felicis recordationis, *Studio generali Egregii Doctoris Magiſtri Raymundi Lullii Civitatis* Majoricarum illiúsque ſingularibus conceſſis, tenorum ſequentium.

NOS FERDINANDUS Dei gratiâ Rex Caſtellæ, Arragonum, Legionis, Siciliæ, Granatæ, Toleti, Valentiæ, Galliciæ, Majoricarum, Hiſpalis, Sardiniæ, Cordubæ, Corſicæ, Murciæ, Giennis, Algarbii, Algeziræ, Gibraltaris, ac Inſularum Canariæ, Comes Barcinonæ, Dominus Biſcaiæ, & Molinæ, Dux Calabriæ, & Apuliæ, Athenarúmque, & Neopatriæ, Comes Roſſilionis, & Certianiæ, Marchio Oriſtani, Comésque Gociani.

Exhibito *reverenter, atque humiliſſimè præſentato Majeſtati noſtræ, per dilectum noſtrum Gaſparem Galaſ, civem ac Nuntium, pro parte veſtrûm dilectorum & fidelium noſtrorum Juratorum civitatis & Regni, atque clavariorum partis Foraneæ Majoricarum*, Privilegio *quodam per noſtram Regiam Majeſtatem vobis, & Univerſitati præfati Regni jam dudum conceſſo, tenoris ſequentis.*

NOS FERDINANDUS Dei gratiâ Rex Caſtellæ, Arragonum, Legionis, Siciliæ, Granatæ, Toleti, Valentiæ, Galliciæ, Majoricarum, Hiſpalis, Sardiniæ, Cordubæ, Corſicæ, Murciæ, Giennis, Algarbii, Algeziræ, Gibraltaris, ac Inſularum Canariæ, Comes Barcinonæ, Dominus Biſcaiæ, & Molinæ, Dux Athenarum, & Neopatriæ, Comes Roſſilionis, & Ceritaniæ, Marchio Oriſtani, Comésque Gociani.

Quia vos dilecti & fideles noſtri Jurati, Conſiliarii, & probi homines noſtræ Civitatis, & Regni Majoricarum, circa augmentum, & ornamentum dictæ Civitatis & Regni admodum verſatis, conaminique ejusmodi Civitatem & Regnum, glorioſâ artium & ſcientiarum doctrinâ (quæ hominum mores purgat, tacitósque & loquentes ornat) magnificare & decorare: propter quod mandati noſtri humiliter miſiſtis ſupplicatum, ut facultatem conſtruendi, & inſtituendi Studium generale in jam dicta Civitate, & Regno, & nihilominùs eidem Studio generali conſimilia privilegia, libertates, & immunitates, præeminentias, & honores, quos, quas, & quæ habet generale ſtudium Civitatis Illerdæ, & particulares perſonæ ejusdem, de noſtri ſolita benignitate concedere dignaremur. Veſtris igitur ſupplicationibus humaniter moti, propter notabilia obſequia per eandem Civitatem &

Regnum prædeceſſoribus noſtris Regibus Arragonum divi recordii & nobis præſtita, tum quia exiſtimamus hujusmodi generale ſtudium multùm utilitatis & augmenti in dicto Regno allaturum, illíque profuturum: tenore præſentis Privilegii cunctis temporibus futuris valituri Concedimus vobis, *& plenariam facultatem impartimur, quòd poſſitis & valeatis in dicta Civitate, ubi malueritis, & videbitur vobis magis expedire, conſtruere, fabricare, & denuò inſtituere, conſtruíque, inſtitui, & fabricari facere ſtudium generale omnium artium & ſcientiarum, quas tam generaliter, quàm particulariter in dicto ſtudio legere facere poſſitis, & valeatis, ſic, & quemadmodum ſolent legi & diſci in præfata Civitate Illerdæ: & ad majoris gratiæ cumulum ſcienter & expreſsè volumus, & de gratia ſpeciali Concedimus vobis, quòd hujusmodi Studium Generale habeatis, & teneatis omni futuro tempore (prout dictum eſt) cum conſimilibus præeminentiis, privilegiis, & officiis, facultatibus, ordinationibus, honoribus, favoribus, libertatibus, & prærogativis, quos, quas & quæ præfatum Studium Generale dictæ Civitatis Illerdæ tam generaliter quàm ſpecialiter tenet, & poſſidet virtute Regiarum & noſtrarum conceſſionum. Retinemus tamen nobis & ſucceſſoribus noſtris proviſiones, ſeu conceſſiones officiorum in dicto Studio formandorum, & ornandorum, de quibus ſolemus providere in ſtudio generali præfatæ Civitatis Illerdæ. Illuſtriſsimo propterea Joanni Principi Auſtriarum & Gerundæ filio noſtro chariſſimo, ac in Caſtellæ & Arragonum Regnis poſt felices dies noſtros hæredi, & immediato ſucceſſori ſub paternæ benedictionis obtentu intentum noſtrum detegentes dicimus; Illuſtri quoque Infanti Henrico Duci Sugurbii & Comiti Empuriarum patrueli noſtro chariſsimo, & in Principatu Cathaloniæ Regnóque prædicto Majoricarum, & Inſulis ei adjacentibus generali Locumtenenti: nec non Blanes de Berengario Domicello generali Locumtenenti, Gubernatori, Magiſtro Rationali Regióque Procuratori, in eodem Regno, Bajulo, Vicario Civitatis, & aliis univerſis & ſingulis Bajulis forenſibus, & aliis quibusvis officialibus noſtris in dicta Crvitate & Regno conſtitutis, & conſtituendis, & dictorum officialium Locatenentibus præſentibus & futuris ad incurſum noſtræ iræ & indignationis dicimus, & diſtrictè præcipiendo mandamus, quòd tenentes & obſervantes, tenerique & obſervari perenniter ad unguem facientes hujusmodi noſtram conceſſionem & omnia & ſingula in eadem contenta in nihilo contraveniant, nec contravenire per aliquem patiantur; quanto dictus Illuſtriſsimus Princeps filius noſter chariſſimus nobis complacere, reliqui verò officiales noſtri gratiam noſtram charam habent, ac pœnam quinque mille florenorum cupiunt evitare. In cujus rei teſtimonium præſentem fieri juſſimus noſtro ſigillo communi impendenti munitam. Datum in Civitate Cordubæ, die trigeſimâ menſis Auguſti, anno à Nativitate Domini* milleſimo quadringenteſimo octuageſimo tertio; *Regnorum noſtrorum, videlicet Siciliæ anno decimo ſexto, Caſtellæ, Legionis decimo, Arragonum verò & aliorum quinto.* YO EL REY.

Fuimus exinde humiliter pro veſtrûm parte ſupplicati, ex noſtra ſolita benignitate dignaremur providere, & mandare præinſertum Privilegium, *& omnia & ſingula in eo contenta eidem Univerſitati ipſiusmodi Civitatis & Regni juxta illius ſeriem & tenorem pleniores inviolabiliter firmitérque perpetuò cuſtodiri, & obſervari, neque aliquo pacto per quempiam quâvis causâ infringi, ſeu contra ipſum veniri. Et nihilominus pro illius firmiori obſervatione & executione fuimus etiam tam pro parte veſtrûm, quàm pro parte dilecti noſtri* Joannis Cabaſpre *civis prædictæ Civitatis Majoricarum Magiſtri & Præceptoris electi, nominati, & confirmati in lectura & doctrina Artis & ſcientiæ* illuminati, & divi Doctoris Magiſtri Raymundi Lullii, *quondam Civis Majoricenſis, quæ in eodem generali ſtudio legitur per ipſum* Joannem Cabaſpre, *humiliter ſupplicati, ut veſtigia ſequentes* Sereniſſimi Regis Alfonſi patrui *& prædeceſſoris noſtri, divi recordii, qui ſatìs ſuperque informatus* de mirificis virtutibus Artis, ſcientiæ, & doctrinæ ejusdem Egregii Doctoris Magiſtri Raymundi Lullii, *& quantùm illa poſſit proficere Regnicolis, & degentibus in ſuis, & noſtris Regnis, & dominiis, conceſſerat quondam Joanni Lobet oriundo Civitatis noſtræ Barcinonæ ad opus magiſtraliter legendi & docendi Artem, ſcientiam & doctrinam præfati Egregii Doctoris litteras quasdam tenoris ſequentis:*

„NOS ALFONSUS Dei gratiâ Rex Arragonum, Siciliæ, citra & ultrafar. Valentiæ, Hieruſalem, Hungariæ, Majoricarum, Sardiniæ, & Corſicæ, Comes „Roſſilionis, & Ceritaniæ.

„Gratanter percepto, quòd vos fidelis noſter Joannes Lobet oriundus Civitatis Bar„cinonæ per multum tempus in Artibus & ſcientiis *Egregii Doctoris Magiſtri Raymundi „Lullii* Majoricenſis ſtudiosè vacatis, & quòd præfatas artes in Regnis, & terris noſtris legiſtis,

„legiſtis, ipſarùmque lecturam continuare proponitis: ut noſtra dictæ lecturæ accedat au„thoritas in roboramen valoris, & inde veſtra compleatur voluntas in conjunctione hujus, „quam habetis charam, & noſtrâ defendatur armaturâ contra imponentes rabiem operibus „dicti prænominati *Egregii Doctoris & illorum lecturæ:* propterea ad plenum certiorati, & plu„ribus fide dignis, quòd opera ipſius *Magiſtri Raymundi nec bonis moribus nec fidei Catholicæ in „aliquo contrariantur.*

„Nec minùs visâ quadam *literâ Curiæ Pariſienſ. Datâ Pariſiis anno Domini milleſimo trecen„teſimo nono,* die Martis poſt octavas Purificationis Beatæ Mariæ Virginis glorioſæ, & munitâ „ſigillo *prædictæ Pariſ. Curiæ,* de laudatione & *approbatione artium & ſcientiarum dicti Egregii „Doctoris,* factis per *Officialem Curiæ Pariſ.* & fieri requiſitis per prælibatum Egregium Docto„rem, præhabitâ informatione teſtimoniali cum ſacramento præſtito *à quadraginta Magiſtris, „& Baccalauriis in Naturalibus, & Theologalibus,* qui ordinati fuêre ad audiendam *Artem Genera„lem,* cum illius contractione ad ſpeciales ſcientias, ab eodem perſonaliter prælibato *egregio „Doctore publicè in Studio Pariſienſi.*

„Attendentésque, quòd *Illuſtriſsimus Philippus Franciæ Rex* dictum egregium Docto„rem, veluti fidelem virum in ſuis dictis, & tanquam *Apoſtolicum* in zelo, & in cura pro exalta„tione fidei Catholicæ habuerit, ipſúmque benigniter tractari ab omnibus orthodoxæ fidei „Catholicæ cultoribus voluerit, & gratum acceperit, etiámque ordinaverit eidem favorem „benevolum impendi ab omnibus ſuis ſubditis, ût conſonum rationi viſum fuit, & dignum: „Prout apparet *quâdam literâ dicti Regis Franciæ* ſuo ſigillo munitâ. Datum apud Veronam „ſecundâ die Auguſti, *anno Domini milleſimo trecenteſimo decimo.*

„Attendentésque etiam, quòd *Cancellarius Pariſienſ. Franciſcus de Neapoli* ſpeciali manda„to dicti *Regis Franciæ* viſis, & quantùm occupationum frequentia patitur, diligenter inſpe„ctis quibusdam operibus, quæ dictus egregius Doctor *Magiſter Raymundus Lullius* ediderat, „teſtatus eſt authenticè univerſis, *nil in dictis operibus inveniſſe,* quod bonis moribus obviet, & „*ſacræ doctrinæ Catholicæ ſit adverſum:* quin potiùs in dictorum ſerie ac tenore pro humani „fragilitate judicii *zelum fervidum & intentionis rectitudinem pro fidei Chriſtianæ promotio„ne,* ût patet in *quadam litera dicti Cancellarii. Datt. Pariſ. anno Domini milleſimo trecente„ſimo undecimo.*

„Attendentésque etiam eſſe pronunciatum per Reverendum in Chriſto Patrem *Bernar„dum* miſeratione divinâ *Epiſcopum Caſtelli, & Commiſſarium authoritate Apoſtolicâ deputatum,* ſu„per litigio, quod in proceſſu ducebatur, inter conſanguineos & devotos dicti egregii Docto„ris parte ex una, & Magiſtrum Nicolaum Eimeric Inquiſitorem, in & ſuper *quadam Bulla ficti„tia,* vi cujus ſuper aliquas concluſiones per præfatum Egregium Doctorem in ſuis libris poſi„tas, & contra earum poſitionem inquirebatur, in condemnationem dicti Magiſtri Nicolai „Eimeric, & in *approbationem bonæ poſitionis & Catholicæ determinationis* in libris prælibati Do„ctoris Egregii habitarum, juxta rectum arbitrium Reverendi Commiſſarii præfati, & bonam „conſcientiam duodecim in ſacro eloquio *Magiſtrorum* de ordinibus *Beati Dominici, & Mino„rum,* qui viſis concluſionibus teſtificârunt cum ſacramento, *ſanum & Catholicum habere ſenſum,* „ût in libris habentur dicti Egregii Doctoris; prout hæc & plura alia conſtant in duobus *In„ſtrumentis publicis,* actis Barcinon. Altero in poſſe *Petri Dalmatii* Notarii publici Barcinon. „ſub anno Domini *milleſimo trecenteſimo octogeſimo ſexto.* Altero in poſſe *Gabrielis Can„nelles* Notarii publici Barcinon. ſub anno à Nativitate Domini *milleſimo quadringenteſimo „decimo nono.*

„Et inſuper memores, quòd nos habentes gratiſſimum, quòd in ditione noſtra reper„tus fuerit *tam mirandarum Artium, & ſcientiæ author,* qualis præfatus egregius Doctor & „Magiſter *Raymundus Lullius,* earum *lectionem publicam approbavimus, & permiſimus,* prout ap„paret chartâ noſtrâ ſigillo noſtro munitâ. Datum Cæſarauguſtæ quintâ decimâ die Janua„rii, anno à Nativitate Domini *milleſimo quadringenteſimo quinto decimo:* quod jam antè con„ceſſum, *approbatum & permiſſum* fuerat per prædeceſſores noſtros illuſtriſſimos, videlicet *Domi„num Petrum Regem Arragonum,* ût patet in quadam ſua charta ſigillo ejusdem pendenti muni„ta. Datum Valentiæ decimo die Octobris, anno à Nativitate Domini *milleſimo trecenteſimo „ſexageſimo nono.* Et per *Dominum Martinum Regem Arragonum* filium ſuum: ût patet in qua„dam alia ejus charta ſigillo pendenti munita. Datum Cæſarauguſtæ vigeſimâ quintâ No„vembris, anno à Nativitate Domini *milleſimo trecenteſimo nonageſimo nono.*

 „Vobis

„ Vobis dicto Joanni Lobet, & à vobis ſubſtituendis concedimus, & elargimur licen-
„ tiam, & liberam authoritatem, & plenariam facultatem, dictas præfati Egregii Doctoris ar-
„ tes & ſcientias *legendi magiſtraliter*, in omnibus civitatibus, terris, & locis univerſæ ditionis
„ noſtræ, in eisdemque faciendi ſcholas propter lecturam dictarum ſcientiarum, nec per Offi-
„ ciales, Conſiliarios, Iuratos, & probos homines, aut alios illius Civitatis, loci, & terræ,
„ ubi ſcholas conſcribere decreveritis, vobis, & ſubſtituendis à vobis ſuper his impedimentum,
„ vel obſtaculum aliquod fieri debeat, neque poſſit: quinimò vos, & ſubſtitutos veſtros bene-
„ volè tractent cum auditoribus veſtris, & ipſorum, in & ſuper conſtructione ſcholarum, &
„ lectura dictarum artium, & ſcientiarum, quieta, pacifica, & tranquilla vobis, & eis faveant &
„ aſſiſtant auxiliis, præſidiis, & favoribus opportunis; ubi, & quoties fuerint requiſiti.

„ Illuſtriſſimis itaque quibuscunque Locumtenentibus Generalibus noſtris, hoc noſtrum
„ declaramus intentum, mandamus ſcienter. & expreſſè ſub iræ, & indignationis noſtræ incur-
„ ſu, & quomodo fortiùs dici poteſt, univerſis & ſingulis officialibus, & ſubditis noſtris, ad quos
„ præſentes pervenerint, & ſpectent, & ſignanter Officialibus, Conſiliariis, Juratis, probis ho-
„ minibus, & aliis prædictis, quatenùs licentiam, & facultatem noſtram hujusmodi, vobis dicto
„ Joanni Lobet teneant efficaciter, & obſervent, teneríque & obſervari faciant inviolabiliter
„ per quoscunque. Nec vos aut ſubſtitutos veſtros, ſuper lectione dictarum Artium, vel *con-*
„ *ſtructione ſcholarum* moleſtent, & impediant, vel perturbent, aſſiſtant quin potiùs ut præfertur,
„ ſi gratiam noſtram charam habent, iramque & indignationem, pœnamque noſtro reſerva-
„ tam arbitrio, cupiunt evitare. Sonet ergo vox veſtra, & veſtrorum ſubſtituendorum, per
„ doctrinam in auditorum auribus, nec motu detractorum quorumlibet conticeſcat, ſed dictas
„ artes, & ſcientias in lumine exponi continuent.

„ Et ut liberiùs, faciliùs, & tutiùs, vos dictus Joannes Lobet, & ſubſtituendi à vobis, cir-
„ ca prædicta, vacare poſſitis, & nec metu cujuspiam, vos aut eos à dictarum artium lectione,
„ retrahat, vel impediat vos, & dictos ſubſtituendos à vobis, veſtríque, & eorum auditoribus
„ tenore præſentis ſub noſtra protectione, commandâ, & guidatico ſpeciali ponimus, & con-
„ ſtituimus. Ita quòd quicúmque abinde, auſu temerario, contra perſonas aut bona veſtrûm
„ cujuslibet quidquam attentare præſumpſerit, ſe in pœnas, contra ruptores protectionis Re-
„ gis appoſitas, noverit incurſurum; damno & injuria illarum penitùs, & plenariè reſtitutis.
„ In quorum teſtimonium præſentes fieri juſſimus, noſtro ſigillo ſecreto in dorſo munit. Datt.
„ in Caſtronovo Neapolis die vigeſimâ ſextâ Januarii, anno à Nativitate Domini *milleſimo qua-*
„ *dringenteſimo quadrageſimo nono.* REX ALFONSUS. *Vidit Conſervator Generalis.*

Dignaremur pari modo, præfatum Magiſtrum Joannem Cabaſpre, Magiſtrum & Præceptorem (ût præhabetur) electum, nominatum, & confirmatum in lectura, & doctrina prædictis; ejus vita durante, ac cæteros alios quosvis futuros Magiſtros in eisdem Arte, ſcientia, & doctrina, tanquam Reipublicæ proficientes, cum eorum Auditoribus nullatenùs inquietari, ſeu moleſtari, quinimò benevolè pertractari, illísque faveri, & ubi, ac quoties oportuerit, auxiliis, præſidiis, & favoribus opportunis illis aſſiſti, ſic & prout, & quemadmodùm aliis Magiſtris, & Doctoribus, Auditoribúsque aliorum ſtudiorum generalium, ſervatur, & cuſtoditur, & aliàs eidem lecturæ ſpeciale præſidium authoritatis noſtræ interponere dignaremur. Nos verò ſupplicationibus eisdem, utpote juſtis, & rationi conformibus benigniter annuentes, & præſertim, quia cùm conceſſimus licentiam, & facultatem, ut ipſum ſtudium generale inſtrueretur, & fieret, in ipſa Civitate, & Regno, perſpeximus illud convenire utilitati Reipublicæ ipſius Regni, & conſequenter ſervitio noſtro, qui caput ipſius Reipublicæ ſumus, ſicque ſemper fuit, & eſt intentionis noſtræ, ipſum privilegium & in eo contenta ad unguem obſervari. Et eſt etiam mentis noſtræ geſta, & facta per Sereniſſimum Regem Alfonſum *imitari, quandoquidem non minùs, quàm illi, placet nobis, & quidem libenter, & animo hilari,* artem, ſcientiam, & doctrinam tanti Doctoris Magiſtri Raymundi Lullii, *illius virtutibus promerentibus, & ipſâ ſcientiâ requirente, extollere dictúmque Magiſtrum Joannem Cabaſpre, ac cæteros futuros Magiſtros in eadem arte & ſcientia honorare, præmiisque remunerationibus Regiis dignos reddere.*

Itáque tenore præſentis Privilegii cunctis futuris temporibus perpetuò valituri, ex noſtrî certa ſcientia deliberatéque & conſultò edicimus, & ſtatuimus præinſertum Privilegium noſtrum, & omnia & ſingula in eo contenta, juxta illius ſeriem & tenorem pleniores, tanquam de noſtra mente deliberata procedentia inviolabiliter cuſtodiri, firmitérque ad unguem obſervari; neque per quempiam quavis cauſâ aliquo pacto infringi, ſub pœnis in dicto Privilegio indictis: quarum rigoroſam execu-

executionem absque ulla venia fieri, & absque perſonarum exceptione præcipimus & jubemus, nihilominúsque edicimus & providemus, jam dictum Magiſtrum Joannem Cabaſpre Magiſtrum & Præceptorem (út præhabetur) electum, & nominatum, & confirmatum in lectura & doctrina artis & ſcientiæ prænominati Doctoris egregii Raymundi Lullii, *ejus vitâ durante, ac cæteros alios quosvis futuros Magiſtros ipſiusmodi* artis, & ſcientiæ, *cum eorum auditoribus, non ſolùm nullatenus inquietari, ſeu moleſtari, ſed etiam humaniter, benevolèque pertractari, illisque favendo, & ubi ac quoties oportuerit, auxiliis, præſidiis, favoribus, quoad fieri poſſit, aſſiſtendo, ſic & prout & quemadmodum aliis Magiſtris, & auditoribus cæterorum ſtudiorum generalium favetur, auxiliatur, & aſſiſtitur, favorésque, præſidia, & honores præberi ſolent, & conſueverunt, atque ad majoris gratiæ auxilium, lecturæ, & Magiſtrali eruditioni ipſiusmodi* artis, & ſcientiæ, & doctrinæ, *præſidium noſtræ authoritatis interponimus, pariter & decretum.*

Sereniſſimæ propterea Joannæ Principi Auſtriarum, & Gerundæ, Archiduciſſæ Auſtriæ, Ducisſæ Burgundiæ, &c. filiæ primogenitæ noſtræ chariſſimæ, ac Gubernatrici generali, & poſt longævos, & felices dies noſtros immediatæ hæredi, & ſucceſſori noſtræ, intentum aperientes noſtrum, ſub paternæ benedictionis obtentu dicimus, Locumtenenti verò generali, ac Gubernatori, Procuratoríque Regio noſtris in eodem noſtro Regno, Bajulo inſuper & Vicario Civitatis, & aliis Bajulis forenſibus, juratisque Civitatis, & Regni ipſiusmodi Majoricarum, & aliis denique Officialibus, & ſubditis noſtris in eisdem Regno & Civitate conſtitutis, & conſtituendis, dictorúmque officialium Locatenent. tam præſentibus, quàm futuris dicimus, & præcipiendo diſtrictiùs mandamus, ſcienter, & expreſſè, ſub incurſu noſtræ indignationis, & iræ, pœnæque florenorum auri Arragonici quinque mille noſtris, ſi ſecus fieret, inferendorum ærariis, quatenus tenentes, & obſervantes, teneríque & obſervari perpetuò ad unguem facientes hujusmodi noſtrum Privilegium, & omnia, & ſingula in eodem contenta juxta ejus ſeriem, & tenorem pleniores in nihilo contraveniant aut contrafaciant, nec contravenire, aut contrafieri patiantur aliquâ cauſâ, vel ratione, quantò dicta Sereniſſima Princeps Filia primogenita noſtra chariſſima paternam benedictionem habet charam, cæteríque Officiales, & ſubditi noſtri præappoſitam cupiunt non ſubire pœnam. In cujus rei teſtimonium præſens Privilegium fieri juſſimus, noſtro communi ſigillo impendenti munitum. Dat. in Civitate noſtra Cæſarauguſtæ, die vigeſimo primo Menſis Februarii, anno à Nativitate Domini milleſimo quingenteſimo tertio, *Regnorumque noſtrorum, videlicet Siciliæ anno trigeſimo ſexto; Caſtellæ, & Legionis trigeſimo; Arragonum & aliorum vigeſimo quinto, Granatæ autem duodecimo.* YO EL REY. *Vidit amatus Re. Vidit Generalis Theſaurarius. Vidit Petrus Coſcolla pro Conſervat. Gener. Dominus Rex mandavit mihi Franciſco Caſtell, viſ. per Amat. Re. Can. cui fuit commiſſum: viſ. etiam per Gener. Theſaur. & Petrum Coſcolla pro Conſervat. Generali. In Majoric. viii. fol. xxxviii.*

SUpplicatóque Majeſtatibus noſtris per eundem Petrum Malferit noſtræ dictæ Univerſitatis Privilegia præinſerta dicto ſtudio generali *Magiſtri Raymundi Lullii* conceſſa confirmare, & de novo concedere ex noſtra ſolita benignitate dignaremur, conſiderantes ſervitia per dictam Univerſitatem nobis exhibita, quæ certè multa fuêre, ac quantùm literarum cultus in omnibus terris colendus eſt ob optimum fructum, quem Regna, & cunctæ Reipublicæ à viris peritis colligunt, motíque eisdem reſpectibus, quibus dicti Prædeceſſores noſtri, ad dicta Privilegia concedenda moti fuerunt, prædictæ ſupplicationi decrevimus favorabiliter annuere. Tenore igitur præſentis, ex noſtri certa ſcientia, deliberatè & expreſſè noſtráque Regia authoritate Privilegia præinſerta, & omnia & ſingula in eis, & quolibet eorum contenta, & ſpecificata, à prima eorum linea usque ad ultimam, laudamus, approbamus, & confirmamus, & quatenus opus ſit dicto generali ſtudio *Magiſtri Raymundi Lullii*, ejúsque ſingularibus præſentibus & futuris de novo concedimus, & elargimur, juxta privilegiorum præinſertorum tenores pleniores, ac prout, & quemadmodum Privilegiis eisdem meliùs, & plenius hactenus dictum Studium generale, illiúsque ſingulares uſi, gaviſíque fuerunt, ac in præſentiarum ſunt in poſſeſſione noſtræque hujusmodi laudationis, approbationis, confirmationis, &, quatenus opus ſit, novæ conceſſionis munimine roboramus, ſeu præſidio, & validamus; volentes & expreſſè decernentes, & declarantes, quòd hujusmodi noſtra confirmatio, & quatenus opus ſit, nova conceſſio ſit, & eſſe debeat prædicto ſtudio & illius ſingularibus (ût præfertur)

):( ):(ſtabilis,

) (o) (

ſtabilis, valida, realis & firma, nullúmque in judicio, vel extra ſentiat diminutionis incommodum, dubietatis objectum, aut noxæ alterius detrimentum, ſed in ſuo ſemper robore & firmitate perſiſtat.

Quocirca ſpectabilibus, nobilibus, magnificis, dilectis Conſiliariis, & fidelibus noſtris Locumtenenti & Capitaneo Generali noſtro, Regenti noſtram Cancellariam, Procuratori noſtro Regio, Bajulo inſuper, & Juratis Majoricarum, cæteríſque demum univerſis & ſingulis Officialibus, & ſubditis noſtris in dicto Regno conſtitutis, & conſtituendis dicimus, præcipimus, & jubemus Regiâ authoritate noſtrâ prædictâ, ad incurſum noſtræ indignationis & iræ, pœnæ florenorum auri Arragonum mille ab omni ſecùs agente irremiſſibiliter exigendorum, & noſtris inferendorum ærariis, quatenus hujusmodi noſtram confirmationis, & novæ conceſſionis gratiam, & proviſionem, & omnia, & ſingula in ea contenta teneant firmiter, & obſervent, teneríque & obſervari inviolabiliter per quoscunque faciant juxta ſuî ſeriem, formam, & tenorem pleniores, cauti ſiquidem contrarium agere, aut fieri permittere ratione aliquâ ſive cauſâ, pro quanto gratiam charam habent noſtram, & præter iræ & indignationis noſtræ incurſum pœnam præappoſitam cupiunt evitare. In cujus rei teſtimonium præſentes fieri juſſimus, noſtro communi, quo, antequam ad Sacrum Imperium electi eſſemus, utebamur ſigillo (cùm nondum alia fabricata fuerint) Impenden. munit. Dat. in Civitate noſtra Hiſpalis, die undecimo menſis Maji, Anno à Nativitate Domini milleſimo quingenteſimo vigeſimo ſexto, Regnorum noſtrorum, videlicet electionis Sacri Imperii anno nono, Regni Caſtellæ, Legionis, Granatæ, &c. xxiiii., Navarræ tertio decimo; Arragonum verò, utriúsque Siciliæ, Hieruſalem, aliorum duodecimo, Regis verò omnium duodecimo.

YO EL REY.

Vidit Canc.
Vt. Lu. Sanchez.
Gener. Theſaur.
Vt. Jo. Alemanus.
Cont. Relator generalis.

Vt. Conſervat. generali.
Vt. De Ferrara. R.
Vt. De Bononia. R.
Vt. Majus. R.
Vt. Ram. R.
Vt. Boncianum.

Sacra Cæſarea Majeſtas mandavit mihi Alfonſo de Soria, viſ. per Cant. De Ferrara R. Can. Theſ. gener. De Bononia. Majus. Ram. & Boncian. & tenent. & pro Conſ. & contra Relatorem generalem.

In Majoric. Sigilli comm. iiii. fol. ccviii.

COPIA hujusmodi in his præcedentibus papyri foliis, præſenti tamen incluſo, licèt manu alienâ ſcripta, deſumpta fuit à ſuo Originali pergameneo Privilegii Regis Univerſitatis Majoricarum conceſſi per Illuſtriſſimos Dominos Reges Caſtellæ, Aragonum, utriúsque Siciliæ, Jeruſalem, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Legionis, Navarræ, Granatæ, Toleti, Valentiæ, Galiciæ, Majoricarum, recondito, & reſervato in ſcrinio Archivi domûs Juratiæ Univerſitatis Majoricarum, & cum eodem Originali veridicè comprobata per me Melchiorem Tries, *Regiâ, ac Imperiali auctoritate Notarium publicum Majoricarum, & Archivarium jam dictæ Univerſitatis: in cujus rei teſtimonium hìc appono Sigillum dicti Archivi, ût infrà. Die videlicet Sabbati, decimâ ſecundâ menſis Maji, anno à Nativitate Domini* milleſimo ſexcenteſimo.

Vidit Gregorius Forteſa Vicar. Gener.

NOS

) (o) (

NOS PHILIPPUS Dei gratiâ Rex Caſtellæ, Aragonum, Legionis, utriúsque Siciliæ, Hieruſalem, Portugalliæ, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Navarræ, Granatæ, Toleti, Valentiæ, Galliciæ, Majoricarum, Hiſpalis, Sardiniæ, Cordubæ, Corſicæ, Murciæ, Giennis, Algarbii, Algeziræ, Gibraltaris, Inſularum Canariæ, nec non Indiarum Orientalium, & Occidentalium Inſularum, ac terræ firmæ maris Oceani, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Mediolani, Athenarum, & Neopatriæ, Comes Haſpurgi Flandriæ, Tirolis, Barcinonæ, Roſſilionis, & Ceritaniæ, Marchio Oriſtani, & Comes Gociani.

Licèt adjectione plenitudo non egeat, nec firmitate, quod eſt firmum, confirmatum tamen interdum quoddam robur obtinet, non quòd neceſſitas id expoſcat, ſed ut confirmantis ſincera benignitas pateat, & rei geſtæ abundantioris cautelæ robur accedat.

Dudum pro parte Syndici Univerſitatis noſtræ Civitatis & Regni Majoricarum fuit Majeſtati noſtræ expoſitum, & deductum, ipſam Univerſitatem habere quoddam Privilegium per Sereniſſimum Dominum Regem Ferdinandum Abavum noſtrum eidem conceſſum, cujus exemplum authenticum nobis & in noſtro Sacro Supremo Regio Conſilio exhibere fecerunt, hujusmodi ſub tenore.

NOS FERDINANDUS. &c. ût ſuprà.

SUpplicatúmque nobis humiliter fuit pro parte Juratorum ejusdem Civitatis, ut præinſertum Privilegium, & omnia & ſingula in eo contenta laudare, approbare, ratificare & confirmare, &, quatenus opus ſit, unà cum proviſione officiorum Notarii, & Vitelli Gymnaſii generalis ejusdem Univerſitatis hactenus nobis reſervatâ in & cum inſerto Privilegio de novo concedere, & indulgere dignaremur.

Nos verò ſubditorum noſtrorum præſertim bene meritorum votis inclinati, eorum petitioni benignè annuentes, tenore præſentis, de noſtra certa ſcientia Regiáque authoritate, deliberatè, & conſultò, ac maturâ dicti noſtri ſupremi Conſilii accedente deliberatione, dictum & præinſertum Privilegium, & omnia, & ſingula in eo contenta, expreſſa & declarata, à prima ſcilicet ejus linea usque ad ultimam incluſivè, *laudamus, approbamus, ratificamus, & confirmamus,* &, quatenus opus ſit, unà cum proviſione dictorum Officiorum Notarii, & Vitelli (ût præfertur) de novo concedimus, indulgemus, & elargimur, noſtræque hujusmodi laudationis, approbationis, ratificationis, & confirmationis, novæque tam dictorum duorum officiorum, quàm aliorum conceſſionis præſidio, ſeu munimine roboramus, & validamus, authoritatémque noſtram eis interponimus, pariter & decretum: Volentes & decernentes expreſſè, quòd deinceps, quoties dicta duo officia Notarii, & Vitelli dicti Gymnaſii vacare contigerit, eorum proviſio ad dictos Juratos pleno jure pertineat, & ſpectet, ſicut nobis pertinebat & ſpectabat ante præſentem gratiam & conceſſionem. Decernentes inſuper, quòd noſtra hujusmodi gratia, & conceſſio proviſionis, & nominationis dictorum Officiorum, laudatióque, approbatio, ratificatio, & confirmatio, ac, quatenus opus ſit, nova conceſſio præinſerti Privilegii ſit, & eſſe debeat dictæ Univerſitati, & ipſius Juratis, modo, quo ſuprà, ſtabilis, realis, valida, atque firma, nullúmque in judicio, aut extra ſentiat diminutionis objectum, defectûs incommodum, aut noxæ alterius detrimentum; ſed in ſuo ſemper robore, & firmitate perſiſtat.

Sereniſſimo propterea Philippo Principi Aſturiarum, & Gerundæ, Ducíque Calabriæ, & Montis albi, filio primogenito noſtro chariſſimo, ac poſt felices & longævos dies noſtros in omnibus Regnis & Dominiis noſtris (Deo propitio) immediatè hæredi & legitimo Succeſſori intentum aperientes noſtrum ſub paternæ benedictionis obtentu dicimus, eúmque rogamus: Specialiter verò magnificis, dilectísque Conſiliariis & fidelibus noſtris, Locumtenenti & Capitaneo Generali noſtro, Regenti Cancellariam, & Doctoribus noſtræ Regiæ Audientiæ, Advocato, & Procuratori Fiſcalibus, Regio Procuratori, Regenti Theſaurariam, & Locumtenenti, Magiſtris rationalis, Vicario, Bajulis, Alguaziriis, Virgariis, Portariis, cæterísque demum univerſis & ſingulis Officialibus & Subditis noſtris majoribus, & minoribus in præfato Majoricarum Regno conſtitutis, & conſtituendis,

):( ):(2 ipſo-

ipsorúmque Officialium Locatenentibus, seu officia ipsa regentibus, & subrogatis præsentibus & futuris præcipimus, & jubemus, ad incursum nostræ Regiæ indignationis, & iræ, pœnæque florenorum auri Arragonum mille nostris Regiis inferendorum ærariis: quòd præinsertum Privilegium, nostrámque concessionem provisionis dictorum Officiorum, laudationémque, approbationem, ratificationem, & confirmationem, ac, quatenus opus sit, novam concessionem ejusdem Privilegii, omniáque & singula in eo contenta & expressa juxta illius seriem & tenorem pleniores teneant firmiter, & observent, teneríque & inviolabiliter observari faciant per quoscunque, & non contrafaciant, vel veniant, aut aliquem contrafacere, vel venire permittant ratione aliquâ, sive causâ, si dictus Sereníssimus Princeps nobis morem gerere, cæteri verò Officiales & Subditi nostri prædicti gratiam nostram charam habent, ac præter iræ & indignationis nostræ incursum pœnam præappositam cupiunt evitare. In cujus rei testimonium, præsentem fieri jussimus, nostro Regio communi Sigillo pendent. munit. Dat. in sancto Laurentio Regali die vigesimâ quartâ mensis Octobris anno à Nativitate Domini *millesimo quingentesimo nonagesimo septimo*, Regnorúmque nostrorum videlicet citerioris Siciliæ, & Hierusalem 44., Castellæ autem, Arragonum, ulterioris Siciliæ, & aliorum xxxxii. Portugalliæ verò xviii. YO EL PRINCIPE. Dominus Rex, & ejus nomine Dominus Princeps mandavit mihi Dominico Ortiz. Visa per Frigolam Vicecancell. Comitem General. Thesaurarium, Baptistam Covarrubias, Sanz, Guardiola, & Clavero Regentes Cancell. Don Petrus Sanz Fisci Advoc. & me pro Conservatoris General.

Vidit Frigola Vicecanc.
Vt. Comes Gener. Thesaurar.
Vt. Covarrubias S. R.
Vt. Guardiola R.
Vt. Don P. Sanz. Fisci Advocat.
Vt. Ortiz pro Conservat. Gener.
Vt. Baptista R.
Vt. Sanz. R.
Vt. Clavero R.

In Majoric. xii. fol. cc. xl. vii.

Confirma V.M. à los Jurados, y Universidad de Mallorca el Privilegio aqui inserto del Segnor Rey Don Fernando, tocante à la institucion del Estudio General de aquella Ciudad. Y de nuevo les concede que los Officios de Notario, y Vedel del dicho Estudio sean à su provision.

COPIA hujusmodi in his præcedentibus papyri foliis, præsenti tamen incluso, licèt manu alienâ scripta, desumpta fuit à suo Originali pergameneo Privilegii Regis Universitatis Majoricarum concessi per Illustrissimum Dominum Regem Philippum Regem Castellæ, Aragonum, Legionis utriúsque, Siciliæ, Jerusalem, Portugaliæ, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Navarræ, Granatæ, Toleti, Valentiæ, Galiciæ, Majoricarum, &c. recondito, & reservato in scrinio Archivi domûs Juratiæ Universitatis Majoricarum, & cum eodem Originali veridicè comprobata per me Melchiorem Tries *Regiâ ac Imperiali auctoritate Notarium publicum Majoricarum, & Archivarium jam dictæ Universitatis: in cujus rei testimonium hìc appono Sigillum dicti Archivi, út infrà. Die videlicet Sabbati, decimâ secundâ mensis Novembris, anno à Nativitate Domini* millesimo sexcentesimo.

Vidit Gregorius Fortesa Vicar. Gener.

PRIVILEGIUM

Elargitum Reverendo & in sacra Theologia Professori Magistro Jacobo Janer Monacho per Serenissimum, Illustrissimum, Christianissimum & Observandissimum Regem Hispaniæ Ferdinandum Neapolis, & insuper legendi Artem Generalem Illuminati Doctoris per omnia Regna ejus, & signanter in Regno Valentiæ, & Discipulis ejus.

FERDINANDUS Dei gratiâ Rex Castellæ, Arragonum, Legionis, Siciliæ, Granatæ, Toleti, Valentiæ, Galliciæ, Majoricarum, Hispalis, Sardiniæ, Cordubæ, Corsicæ, Murciæ, Giennis, Algarbii, Algeziræ, Gibraltaris, ac Insularum Canariæ, Comes Barcinonæ, Dominus Biscayæ & Ajolmæ, Dux Athenarum & Neopatriæ, Comes Rossilionis & Ceritaniæ, Marchio Oristani & Gociani. Magnifico dilecto Consiliario & Camerlenco Ludovico de Cabanyelles Militi gerenti vices nostri generalis Gubernatoris in prædicto nostro Valentiæ Regno, & seu ejus in officio Locumtenenti & Surrogato Salutem & Dilectionem. Expositione Majestati nostræ non sinè gravi quærela factâ pro parte dilecti nostri Jacobi Januarii Monachi Cistercienses Ordinis Monasterii sanctarum Crucum, Magistri in sacra Pagina & in Artibus, intelleximus, quòd, cùm ipse sit valde peritus, & in Arte & Scientia edoctus laudabilis Magistri Raymundi Lulli. Quæ quidem Ars & Scientia, út per Acta publica & Authentica dicitur apparere esse approbata per Francorum Regem, & per Cancellarium Universitatis Studii generalis Parisiensis & per Legatum Summi Pontificis, & per Pontificem Innocentium, & per Generalem sacri Ordinis Fratrum Minorum, & per Officialem Curiæ Parisiensis, & etiam per Serenissimum Regem Alphonsum Patruum nostrum divæ Memoriæ; qui omnes suis cum Literis, Patentibus & Privilegiis dictam laudabilem & valde utilem veram Artem & bonam Scientiam tanquam Catholicam, multorum in sacra Theologia Magistrorum testimonio approbarunt, laudarant, dogmatizarunt, volueruntque & mandaverunt, illam veram Artem in omnibus Regnis & terris suis legi & publicari; ac omnibus & singulis dictam veram Artem audire & scire volentibus, edoceri: & præcipuè Serenissimi Reges Aragonum Patrui nostri Petrus & Martinus recolendæ Memoriæ suiseum opportunis Privilegiis coram nobis in Authentica Forma exhibitis, voluerunt & præceperunt, quòd hujusmodi Ars vera & Scientia in ipso nostro Valentiæ Regno legeretur & divulgaretur, & per omnia Regna nostra, prout in iisdem Privilegiis (ad quæ nos referimus) latiùs continetur; velitque Monachus ipse & ejus Discipuli dictam veram Artem & bonam Scientiam per omnia Regna nostra, & maximè in civitate ipsa Valentiæ legere, docere & manifestare omnibus illam veram Artem & Scientiam audire & scire volentibus; út præmissum, sicut præmittitur, est: factis tamen sibi obstaculo, impedimento & contradictione per nonnullos dictæ Civitatis, qui proprium magìs, quàm publicum forsan appetunt commodum, ipsam veram Artem & bonam Scientiam legere & docere nequit, quod in ejus atque dictæ Artis Scientiæque grave damnum & præjudicium cedere dicitur: maximè, quia in Civitate ipsa Valentina (uti dicitur) quidam Artis istiusmodi & Scientiæ valde devotus domum quandam & reditus in suo ultimo testamento legavit; quam quidem domum & illius reditus Artis hujus & Scientiæ peritus hactenus (uti asseritur) petiit; sed tamen iste nunc illam petere & habere, si juris & justitiæ fuerit, intendit & vult: qua ex re hic prædicti Monachi Magistri Jacobi Januarii parte ad Serenitatem nostram recursum fuit, eidem humiliter supplicatum, ut super his, ac etiam supradictæ Domûs recuperationem & illius redituum, sicut præmittitur, legatorum Animæ salubri & decenti justitiæ remedio sibi providere dignaremur. Nos verò Supplicatione ejusmodi intellectâ, attendentes præmissa, & etiam considerantes, quòd in Civitatibus nostris Majoricarum & Barcinonæ sunt domus, in quibus sunt Cathedræ constructæ & dedicatæ cum reditibus ad Artem & Scientiam istam legendam, docendam & manifestandam; & quòd in Ci-

vitate

(o)

vitate iſta Valentina ſit domus & Cathedra (ût dicitur) cum reditibus, per teſtatorem illum legata, illius ſupplicationem benignè admiſimus, vobisque propterea dicimus & mandamus ſcienter & expreſsè, ac pro prima & ſecunda juſſionibus ſub iræ & indignationis noſtræ incurſu, pœnáque florenorum auri Aragonum mille noſtris ferendorum Ærariis, quatenus, poſtquam dictus Reverendus Magiſter Jacobus Januarius eſt doctiſſimus in dicta Arte Generali & Scientia Magiſtri Raymundi Lulli, & ſufficiens ad legendum & docendum eam, illicò viſis præſentibus, nec ſit mora, eundem Reverendum Magiſtrum Jacobum Janer, legere, docere & manifeſtare dictam veram Artem & bonam Scientiam omnibus & quibusvis illam audire & ſcire volentibus, ſinatis & permittatis, absque alicujus impedimento, obſtaculo & contradictione, quin potiùs conſilium, auxilium & favorem ei contra quoscunque detis, præſtetis, faciatis; quin ubi & quoties oportuerit & neceſſe fuerit, omni ſiquidem conſultâ & aliis quibusvis obſtaculis ceſſantibus & penitùs rejectis, cum ſic prædictorum Privilegiorum obſervatione, & Reipublicæ dictæ Civitatis commodo, ac pro hujusmodi Artis & Scientiæ obſequio fieri volumus & jubemus, quibusvis capitulis, ordinationibus & ſtatutis, in contrarium forſan factis, non obſtantibus ullo modo; ad quam abundantiorem cautelam ſub eiſdem juſſionibus & pœnis mandamus juſtitiæ Juratis & aliis quibusvis Officialibus & ſubditis noſtris Civitate & Regno Valentiæ conſtitutis auctorúmque Officialium Locumtenentibus præſentibus & futuris; & præcipuè Rectori Studii nuper in dicta Civitate Valentiæ conſtructi Magiſtrísque Bacallaureis ſtudentibus & legentibus in dicto Studio, & aliis, ad quos ſpectet, quatenus illicò, poſtquam dictus Magiſter Jacobus Januarii eſt ſufficiens ad dictam Artem & Scientiam legendum, ſinant atque permittant eidem legere, docere & oſtendere dictam Artem & Scientiam omnibus illam audire volentibus, nullumque ſibi obſtaculum ponant aliquâ ratione ſivè causâ, ſi præter iræ & indignationis noſtræ incurſum præappoſitam pœnam cupiunt non ſubire. Poſtmodum autem ſequendo voluntatem dicti teſtatoris, juxta illius teſtamenti diſpoſitionem omnibus juſtitiæ remediis, quibus decet, compellatis quoscunque detentores prædictorum domûs & redituum ad dandum realiter, & reſtituendum memorato Supplicanti ſeu ſuo Procuratori omnia & quæcunque bona ſibi ratione prædictâ legitimè pertinentia, promptam & expeditam juſtitiam illi miniſtrando & faciendo, ſervatis ſemper foris iſtius noſtri Valentiæ Regni ac aliis ſervandis, procedendo in prædictis breviter, ſimpliciter, ſummariè & de plano, ſinè ſtrepitu, forma & figura judicii, ſolâ facti veritate & negotii qualitate attentâ, malitiis & diffugiis quibusvis ſemotis, & ſinè perſonarum exceptione, ac taliter, & ût confidimus, in his vos habendo, quòd nullus juſtæ quærelæ locus, quæ Nobis eſſet valde moleſta, eidem ſupplicanti relinquatur, neque ad nos hac de cauſa iterum recurrere cogatur: quoniam Nos vobis officium veſtrum, ſi quatenus opus ſit, excitantes, in & ſuper præmiſſis & illorum ſingulis cum incidentibus, dependentibus & emergentibus ex eisdem, locum, voces & vices noſtras & ſufficientem poteſtatem plenariè committimus per præſentes. Datum in civitate Hiſpali 27. die menſis Januarii Anno à Nativitate Domini Milleſimo quingenteſimo.

YO EL REY.

Vidit Albanel Regens. *Vidit Malferitus.*
Vidit Generalis Theſaurarius. *Vidit ſanctangelus Conſervator Generalis.*

In diverſorum Valentiæ IX. fol. LXXIX.

APPROBATIO.

(o)

APPROBATIO

Artis Metaphyſicalis Ordinis cujuslibet rei intelligibilis Arboris Naturæ Reverendi Doctoris præclariſſimi Magiſtri Jacobi Januarii Monachi tarraconenſis Diœceſis &c.

HÆc Ars Metaphyſicalis naturalis Ordinis Arboris Naturæ edita per Reverendum in ſacra Theologia Profeſſorem Magiſtrum Jacobum Januarii fuerat Impreſſori tradita per ingenuum Virum Bartholomæum Gentil Mercatorem, ut imprimeretur; & quòd ejus bonitas veritasque omnibus charitate communicaretur, ut indocti edocerentur, & neſcientes ſcirent abſcondita ſcibilium in Fidei Orthodoxæ defenſione & oſtenſione: ſed quia omne bonum & verum habet contrarium, & per magnificos Juratos nobiliſſimæ Urbis motos ab aliquibus forſan bono zelo ex commotis vel invidiâ malitiâque, neſcio quid; fuit aliqualiter impedita, ut non imprimeretur, & omnibus cupientibus ſcire veritatem omnium Scientiarum non communicaretur; & obſtaculo poſito per magnificos Civitatis inclytæ Conſules requiſitione nolentium boni & veri communicationem; & quia eſt malum contra bonum, & falſum contra verum, & parvum contra magnum; & cùm omne bonum ſit communicabile, remotâ parvitate falſitatéque: conſurgens in auxilium veritatis hujus Artis quidem Magnificus Miles ſummopere doctiſſimus in Arte Raymundi Generali & in omnibus Artibus particularibus, nomine *Joannes de Natara*, veritatem Artis Generalis totis viribus optans contra malevolos invidioſosque defendere, nolentes bona communicari indigentibus, occurrit; atque recurſum procul dubio ad Reverendos Vicarios Generales habuit Diſcipulus componentis; & ſignanter ad Reverendum Dominum *Magiſtrum Jacobum Conil Vicarium Generalem & Cancellarium Univerſitatis generalis Studii inclytæ Urbis Valentiæ*; „ & ipſe eſt „ homo juſtus & timoratus, virtutéque omni præditus, omnibus Scientiis ac Artibus „ imbutus, atque in omni facultate peritus, & in Arte Raymundina aliqualiter intro„ ductus: ratione cujus fuit Judex & Commiſſarius pro conſimili cauſa conditæ Urbi „ Romæ per Summum Pontificem Innocentium primo Anno Pontificatûs ſui, laudans „ & approbans, Libellum Reverendi Magiſtri Petri Dagui eſſe bonum & verum & veri„ tate non carentem; conſpiciens hanc conſimilem cauſam requiſitione prædicti doctiſſimi Militis, voluit videre prædictam Artem Metaphyſicalem & examinare, & adhibitis ſecum prælibatis Magiſtris (quanquàm ſolus, ſi vellet, potuiſſet, quia ſufficiens ad ſubtiliora conſpicienda & determinanda) ſed hoc fecit, ut ejus conſcientia in veritate Fidei meliùs pauſaret. Igitur rigoroſo præeunte examine concorditer nemine diſcrepante dictam Artem Metaphyſicalem naturalis Ordinis Arboris Naturæ laudaverunt, ſimul approbaverunt, & ejus veritatem confirmaverunt: „ aſſerentes, per ſuum Ma„ giſtrum, quòd in tali Arte nihil erat contra Fidem Catholicam, *imò multa ſunt in* „ *ipſa Arte, cum quibus poteſt Fides Chriſtiana defendi, corroborari, probari, demonſtrari &* „ *Infidelibus oſtendi contra dialecticos Sophiſtas.* Et cognitâ veritate & utilitate atque visâ prædictæ Artis Reverendus Cancellarius & Vicarius Generalis Magiſter Jacobus Conil Canonicus pariter cum Reverendo Vicario Generali Magiſtro Joanne Alphageri Canonico elargitus eſt, atque conceſſit licentiam prælibato Militi imprimendi dictam Artem, ſibi præcipiendo, quòd extemplò Impreſſori eam traderet, ut quamprimùm omni impedimento remoto imprimeretur, & veritas ejus omnibus oſtenderetur in defenſione Fidei Catholicæ, ut optantes ſcire citiùs ſciant; *quia per talem Modum addiſcendi juvenes atque ſenes leviùs ad optatum modico tempore pervenire valent:* ſicut Ordo procedendi primâ facie oſtendit habentibus intellectum, & eo fruentibus; quia aliis impoſſibile eſt veritatem ejus oſtendere.

Præterea, *quia Reverendus Magiſter Jacobus Giner peritus non ſolùm in Raymundina Arte Generali, quam habet pro Lapide angulari, verùm etiam in omnibus aliis Artibus & Doctoribus à ſummo Pontifice Privilegium habet & Licentiam cathedrandi, legendi, componendi,*

(o)

diſcernendi, interpretandi, gloſſandi, & Auctoritatem ſententiandi ſacram Scripturam & quamlibet concluſionem.

Inſuper prædictus Reverendus Jacobus Janer à Sereniſſimo, Illuſtriſſimo, Chriſtianiſſimo atque Obſervandiſſimo Ferdinando Hiſpaniæ Rege & Inſularum Privilegium habet & Licentiam per omnia Regna ejus legendi & componendi Artem Generalem Illuminati Doctoris Magiſtri Raymundi Lulli, & ſpecialiter in Regno Valentiæ, „ in quo eſt multitudo Infidelium, & ſig-„ nanter, quòd legat in hac Urbe inclyta Valentina, ut opta ntes Artem Generalem „ Divi Doctoris Raymundi ſcire, ipſam ſtatim addiſcant, ut cum ea Fidem Catholi-„ cam defendant contra Hæreticos, & infidelibus Saracenis eam oſtendant; ut abſcon-„ dita illius Artis Secreta in lucem veniant, ejus veritatem enucleando, & tenebras at-„ que umbras Sophiſtarum dialecticorum evitando, tanquam impedimentum addis-„ cendi & veritatem cognoſcendi. Propterea factâ concluſione & habitâ licentiâ im-primendi prælibatam Artem prædictus magnificus Miles & ingenuus Vir Bartholomæus Gentil cum Sebaſtiano de Cetina Canonico & Rectore Almenare eam tradiderunt Leonardo Hutz Impreſſori, & factâ convenientiâ incepit, & tandem Opus perfecit DEO opitulante.

Reverendus in ſacra Theologia Magiſter Jacobus Conil Canonicus Valentinenſis Sedis, & Vicarius Generalis Reverendiſſimi Cardinalis Archi-Epiſcopi Valentinenſis Diœceſis, & Cancellarius Univerſitatis Studii generalis inclytæ Urbis Valentinæ.

Reverendus in ſacra Theologia Magiſter Joannes Alphageri Canonicus & Vicarius generalis Reverendiſſimi Cardinalis Archi-Epiſcopi inclytæ Urbis Valentinæ.

Reverendus in ſacra Theologia Magiſter Joannes Bayari cathedram in generali ſtudio & in ſede regens.

Reverendus in ſacra Theologia Magiſter Joannes Box cathedram ſacræ Theologiæ regens.

PRæcedentibus Privilegiis, quibus tot Sereniſſimi Aragoniæ Reges Catholici & fideliſſimi S. Matris Eccleſiæ Filii univerſo orbi Fidem fecerunt non ſolùm de immunitate à Cenſura per Bullam illam fictitiam Eimerici Doctrinæ & Libris B. Raymundi illatâ, ſed etiam de Regia ſua Propenſione ac Favoribus tam inclytæ Arti ac Scientiæ omni Jure impenſis, non incongruum mihi viſum eſt ſubjungere ordinem & numerum altefatorum Sereniſſimorum Regum, contrahendo in Epitomen, quæ fuſiùs de illis enarrant R. P. Jacobus Cuſturerius S. J. Diſſ. 2. c. 5. & ex ipſo R. P. Sollerius S. J. in Actis art. 6. §. III. & ſeq. f. 96. Horum igitur

Primus: Rex PETRUS Quartus Barcinone Anno 1369. Diplomate edito Artem & Scientiam B. Raymundi Lulli perutilem, veram & neceſſariam confirmat; ſub hoc Rege, poſt tamen indultum præfatum Diploma, intentata eſt lis Doctrinæ Lullianæ ab Eimerico, nempe ſub Gregorio XI. ùt elucet in Epiſtola hujus Regis ad præfatum Pontificem datâ pro Defenſione Artis Lullianæ Anno 1377.

Secundus: Rex JOANNES Petri primogenitus, in Regno Succeſſor, cujus Regis æquitate Cauſa Lulliana vindicata fuit contra infenſiſſimum illius hoſtem Eimericum toto Regno cedere juſſum: hujus Regis Literæ contra Eimericum datæ videri poſſunt apud D. Sequi, in fine Vitæ B. Raymundi adjunctæ.

Diploma hujus Regis in favorem Artis Lullianæ in toto Regno tradendæ datum Anno 1392. 12. Sept. in Monaſterio S. Cucufatis Vallenſis, docet, *illum inſecutum eſſe Parentis veſtigia & laudabile propoſitum.*

Tertius: Rex MARTINUS Frater Joannis idem corroborat Privilegio Cæſaraugustæ Anno 1399. 25. Nov. Lullianæ Doctrinæ & ejus Profeſſoribus conceſſo.

Quartus: Rex FERDINANDUS Primus Nepos Martini, cujus vices ſupplevit.

Quintus: Rex ALFONSUS Ferdinandi Filius, cognomento Magnanimus, duplicando Privilegia in gratiam Artis & Doctorum ejus: ſub hujus Regimine lata eſt Sententia definitiva pro Arte & Libris huic Operi inſerta.

Sextus: Rex JOANNES ſecundus Frater Alfonſi ejúsque in firmanda & tuenda Doctrina Lulliana compar, cui ſucceſſit

Septimus:

(o)

Septimus: Rex FERDINANDUS Catholicus, cujus Authoritate erecta eſt Majoricæ Univerſitas Lulliana Anno 1483. 31. Aug. hodiedum floreſcens: huic inſuper debetur Privilegium Magiſtro Januario conceſſum (quod in fine aliorum ſuprà eſt cernere) & ſingularis Tutela Lulliſtis contra adverſarios illorum tum temporis acriùs furentes impenſa.

Octavus: Rex & Imperator CAROLUS Quintus Ferdinandi ex Joanna Filia Nepos Lullianam Artem & Scientiam Privilegio tanto Cæſare tantâque Scientiâ digno altiùs extulit, orbíque magis notam reddidit: hujus Veſtigia laudabiliter preſſerunt

Nonus: Rex PHILIPPUS Secundus, Caroli Filius, conferendo, confirmando & augmentando Privilegia Doctrinæ Lullianæ Anno 1597. 24. Oct. defendendo pariter cauſam Lullianam in Curia Romana datis diverſis ad illam literis.

Decimus: Rex PHILIPPUS Tertius, Philippi Secundi Filius, confirmando Privilegia, ſupplicando Summo Pontifici pro expurgatione Directorii Eimerici: inſtando pro Canonizatione B. Raymundi, ût exhibent Literæ Anno 1614. 18. Oct. ad ſuam Sanctitatem datæ, & ſub eodem dato ad Cardinalem Zapata.

Undecimus: Rex PHILIPPUS Quartus, Filius Tertii: ejus benevolentiam erga Lulliſtas & Doctrinam Doctoris Illuminati ſignant variæ Literæ ad Curiam Romanam ſcriptæ pro tuenda Cauſa Lulliana & impetranda Beatificatione Illuminati Doctoris.

Duodecimus: Rex CAROLUS Secundus Regio Decreto Anno 1697. 16. Oct. approbat Statuta Univerſitatis, quæ ût Delegatus Apoſtolicus Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus D. Petrus de Alagon Archi-Epiſcopus Epiſcopus Majoricenſis condiderat, conceſſit ſingulares favores huic Doctrinæ, ſtabiliendo quatuor Cathedras Theologiæ de Schola Lulliana, unam Philoſophiæ, dando facultatem, ut ſoli huic Doctrinæ poſſint adjungi plures Cathedræ, & dando ſemper præcedentiam in Collegio Theologiæ Cathedratico Lulliano, quamvis eſſet junior gradu & lecturâ cæteris: ordinando inſuper, ut 25. Januarii ſingulis Annis celebretur feſtum B. Raymundi Lulli, prout conſueverat Studium Generale &c. Ingeſſit denique huic Decreto Decreta Prædeceſſorum ſuorum, illáque per hoc ultimum rata ac firma eſſe voluit.

APPROBATIONES LULLIANÆ DOCTRINÆ.

Prima. *Per Academiam Pariſienſem, Anno 1309.*

Extant undecim Lullianæ Doctrinæ Approbationes apud nos, (Majoricenſes) Authenticis Inſtrumentis aſſervatæ & fultæ: prima eſt Academiæ Pariſienſis, & ita habet.

I. UNiverſis præſentes literas inſpecturis, Officialis Curiæ Pariſienſis, in Domino ſalutem.

Noverint Univerſi, quòd in præſentiâ Magiſtri Joannis de Salinas, & Michaëlis de Junquerio noſtrorum Clericorum juratorum, quibus in iis, & majoribus fidem indubiam adhibemus, & quibus quo ad hæc commiſimus, tenore præſentium, vices noſtras, propter hoc perſonaliter conſtituti, Magiſter Martinus in Medicina Magiſter, Joannes Scotus in Artibus Magiſter, Raymundus de Biterve in Medicina Baccalarius, Frater Clemens Prior Servorum ſanctæ Mariæ Pariſienſis, Frater Amaſius ejusdem loci, Magiſter Petrus Burgundus in Artibus Magiſter, Magiſter Ægidius Magiſter in Artibus, de Valle Ponte, Matthæus Guydonis Baccalarius in Artibus, Gaufridus de Meldis, Joannes Scotus, Petrus de Pariſiis, Bertrandus de Frigia, Lambertus de Normania, Laurentius de Hiſpania, Guillelmus de Scotia, Henricus de Burgundia, Joannes de Normania Baccalarius in Artibus, ac Magiſter, Ægidius & plures alii, uſque ad numerum quadraginta in dictis Scientiis experti, *aſſeruerunt* per eorum juramenta

):():():(non

non vi, dolo, metu vel fraude ad hoc inducti, ſed ſuâ ſpontaneâ voluntate ad requiſitionem Magiſtri *Raymundi Lullii Catalani* de Majoricis, quòd ipſi à dicto Magiſtro Raymundo Lullio *audiverunt* per aliqua tempora *Artem ſeu Scientiam*, quam dicitur feciſſe, ſeu adinveniſſe idem Magiſter Raymundus, quæ quidem Ars ſeu Scientia ſic incipit: *DEUS cum tua ſumma Perfectione* incipit *Ars generalis ultima. Ratio, quare fecimus iſtam Artem Brevem, eſt, ut Ars Magna faciliùs ſciatur; nam ſcitâ iſtâ Arte prædictâ, & etiam aliæ Artes de facili poterunt addiſci*; & ſic terminatur: *Ad honorem & ad laudem DEI & publicæ utilitatis finivit Raymundus hunc Librum Piſis, in Monaſterio ſancti Dominici, in menſe Januario, Anno 1307. Incarnationis Domini noſtri JESU Chriſti. Aſſeruerunt* etiam dicti Magiſtri, & omnes alii, ût prædicitur, per eorum juramenta, coram præfatis Juratis noſtris, quòd dicta *Ars ſeu Scientia erat bona, utilis & neceſſaria*, prout ipſi perpendere poterant, ſeu etiam judicare, & quòd in eâ nihil erat *contra Fidem Catholicam*, ſeu etiam dictæ Fidei repugnans, multa autem ad *ſuſtentationem dictæ Fidei*, & pro ipsâ facientia, in dicta Scientia ſeu Arte poterant inveniri. Præmiſſa autem facta & acta ac etiam teſtificata ab ipſis Magiſtris & Baccalariis, ût præfatum eſt, coram præfatis Clericis Juratis noſtris fuerunt, in domo, quam ad præſens inhabitat idem *Magiſter Raymundus Lullius, in vico Bucariæ Pariſienſis, ultra parvum Pontem versùs Sequanam*, prout ipſi Jurati noſtri nobis retulerunt oraculo vivæ vocis.

Ad quorum relationem ſigillum prædictæ Pariſienſis Curiæ duximus literis præſentibus apponendum, in teſtimonium præmiſſorum. Datum Anno Domini 1309. die Martis poſt Octavas feſti Purificationis Beatæ Virginis Mariæ Glorioſæ.

De Jonquerio.

Secunda *Approbatio Lullianæ Doctrinæ, per Philippum Francorum Regem Chriſtianiſſimum, cujus hic eſt ad verbum tenor.*

II. PHilippus DEI Gratiâ Franciæ Rex, Univerſis præſentes literas inſpecturis ſalutem.

Notum facimus, quòd Nos audito Magiſtro Raymundo Lullio exhibito præſenti, ipſum eſſe *Virum bonum, juſtum & Catholicum* reputamus, *& ad Confirmationem ac Exaltationem Fidei Catholicæ fideliter inſiſtentem.* Quapropter Nobis placet, quòd ipſe ab omnibus Orthodoxæ Fidei Cultoribus, & præcipuè ſubditis noſtris, tractetur benigniter, ipſíque favor benevolus impendatur, quem gratum habebimus & acceptum: in cujus rei teſtimonium præſentibus literis noſtrum fecimus apponi ſigillum. Datum apud Vernonem 2. die Auguſti, Anno Domini 1310.

Tertia *Approbatio Lullianæ Doctrinæ per Franciſcum de Neapoli, Cancellarium Pariſienſem, cujus hæc eſt ſeries.*

III. UNiverſis præſentes Literas inſpecturis, Franciſcus de Neapoli Cancellarius Pariſienſis ſalutem.

Vitæ hujus meritorium tranſitum & exitum attendentes, qui inſtruente Ambroſio, operi cuicumque titulum & nomen imponit. Univerſis (de illuſtris Regis Franciæ ſpeciali mandato & quantum occupationum frequentia patitur, diligenter inſpectis quibusdam Operibus, quæ Magiſter Raymundus Lullius edidiſſe ſe dicit) teſtamur, nihil nos inveniſſe in illis, quod bonis moribus obviet, & Sacræ Doctrinæ Theologicæ ſit adverſum. Quin potiùs in dictorum ſerie & tenore, pro humani fragilitate judicii, ſcribentis zelum fervidum, & intentionis rectitudinem pro Fidei Chriſtianæ promotione notantes, ipſum, qui in Tabernaculo Domini non argentum & aurum, ſed cum offerentibus, Caprarum pilos & pelles, morem ſecutus Hieronymi, quod

quod potuit, offerre curavit, cupiens inſtar Pauperculæ in ſacrum Gazophylacium aliquid mittere, de ſuæ ſubſtantiæ nuditate, Diſcretioni veſtræ, quam bene valere in Domino cupimus, recommendamus ex corde, præſentes ſibi literas concedentes, in teſtimonium veritatis. Datum Pariſiis, Anno Domini 1311. die Jovis poſt Nativitatem beatæ Mariæ Virginis.

ATTESTATIO.

COPIÆ hujusmodi in his duobus papyri foliis præſentis computati contentæ, fuerunt fideliter ſumptæ à libro nuncupato Apologia Lullianæ Doctrinæ adverſus Nicolai Eymerici Calumnias, ad S. D. N. Sixtum Divinâ Providentiâ Papam Quintum, & Philippum ſecundum Hiſpaniarum & Novi Orbis Monarcham, Auctore Antonio Belver primario Cathedratico, Pœnitentiario, & Canonico Majoricenſi, recondito & reſervato in Archivo Univerſitatis Civitatis & Regni Majoricarum, in Ærario, ſub clave Magiſtri jurati Notarii, & cum ſuo Originali verè ac ût decet comprobatæ, per me Joannem Mainotz *publicum Notarium de Mandato Magnificorum Dominorum juratorum Regentium dictum Archivum. Qua de re ut ſupradictis Copiis licèt alienâ manu ſcriptis fides indubia hìc & ubique ab omnibus attribuatur, hìc me ſubſcripſi. Ego dictus* Joannes Mainotz *publicus Notarius, & appono ſigillum dicti Archivi die 22. menſis Octobris Anno 1660.*



EXAMINATIO
Lullianæ Doctrinæ per publicas ejus in diverſis Academiis Lectiones.

LEgitur Lulliana Doctrina Pariſiis, & auditur libentiſſimè, quà de re habetur latiſſimum *Jacobi Fabri Stapulenſis* Teſtimonium, perlectam fuiſſe Pariſiis, anno 1515. per *Bernardum Lavinetam* publico & favorabili Auditorio; extat eadem de re Authenticum apud nos (Majoricenſes) Inſtrumentum hujus tenoris.

Univerſis præſentes literas inſpecturis Officialis Pariſienſis ſalutem in Domino. Notum facimus, quòd die Datæ præſentium coram dilectis & fidelibus noſtris Magiſtris *Joanne Aubertugue, & Gabriele Uſcaf* Clericis, Curiæ noſtræ Notariis Juratis, quibus in iis, & aliis majoribus fidem adhibemus indubiam, Vices noſtras in parte hac gerentibus, perſonaliter comparuerunt Venerabiles & ſcientifici Viri, Magiſtri *Joannes Majoris*, Commorans in famoſiſſimo Collegio Montis-Acuti, Nationis Scotiæ, *Ludovicus Coronnell, Antonius Coronnell, Socij Sorbonici Sacratiſſimæ Theologiæ Profeſſores*, actu Pariſiis degentes, Diœceſis Legovienſis, & *Joannes Quitana* in dicta Theologiâ Baccalarius ac Prior, & *Socius dicti Collegii Sorbonici, Presbyteri*, qui dixerunt, & pro veritate atteſtati ſunt, quòd anno præſenti *legebatur* publicè Pariſiis apud *Maturinos Ars & Doctrina Raymundi* per quendam Albertum, & cùm legeretur, nulla prorſus fiebat prohibitio dicto Doctori, nec ejus Auditoribus, eratque auditorium frequens, & hoc ſciunt, & iidem atteſtantur, quòd in Bibliothecâ dicti Collegii Sorbonæ, & apud Carthuſienſes juxta Pariſios habentur quamplures libri dicti *Magiſtri Raymundi* in eodem honore, ſicut cæteri, qui permittuntur legi ab omnibus volentibus, quorum nonnulli ſunt dati impreſſioni: de quibus præmiſſis Venerabilis & egregius Vir Magiſter *Joannes de Vera*, aliàs *Fuentes, Medicus Regis Hiſpaniæ, & Archi-Epiſcopi Cæſar-Auguſtæ*, petiit à dictis Notariis, tanquam devotus & Diſcipulus dicti Raymundi, ût dicebant, præſentes ſibi fieri. In cujus rei teſtimonium ſigillum Curiæ noſtræ duximus apponendum. Datum Pariſiis, anno Domini 1516. die ſecundâ menſis Octobris.

Aubertugue.

 Legitur

(o)

Legitur præterea publicitùs Barcinonæ magno audientium concursu à *Ludovico Joanne Villeta*, insigni Theologo, in omni disciplinarum genere eruditissimo, & Barcinonensis Academiæ olim Moderatore.

Valentia *Cathedram* habet pro Lullianâ Doctrinâ erectam: Majorica *Academiam* habet Lullianæ Doctrinæ Professione nobilissimam, & per quam orbi est cognita, & celebre nomen apud omnes adepta.

ATTESTATIO.

COPIA hujusmodi fuit fideliter sumpta à Libro intitulato Apologia Lullianæ Doctrinæ, adversùs Nicolai Eymerici Calumnias *ad S. D. N. Sixtum divinâ Providentiâ Papam Quintum, & Philippum secundum Hispaniarum, ac novi Orbis Monarcham, Authore* Antonio Belver *Primario Cathedratico, Pœnitentiario & Canonico Majoricensi, recondito & reservato in Archivo Universitatis Civitatis & Regni Majoricarum, in Ærario sub clave magnifici Jurati militaris, & cum suo Originali verè, ùt decet, comprobata per me* Joannem Mainotz *publicum Notarium, de Mandato magnificorum Dominorum Juratorum Regentium dictum Archivum: qua de re ut prædictæ copiæ licèt alienâ manu scriptæ, mihi tamen fideli fides indubia hîc & ubique ab omnibus attribuatur, hîc me subscribo Ego dictus* Joannes Mainotz, *publicus Notarius, & appono sigillum dicti Archivi, die 22. mensis Octobris, anno à Nativitate Domini 1660.*

Denique: in Constitutionibus Collegii Majoricensis de Sapientia, Authoritate Apostolicâ, vi Brevis Urbani VIII. dati 6. Octobris 1635. Alumni omnes duobus ultimis Studiorum Annis *tenentur singulis diebus audire Lectionem Artis B. Raymundi Lulli.*

Encomia authentica Beati Raymundi Lullii.

PArisiis habetur titulus ipsius Egregii Doctoris Magistri Raymundi Lullii Majoricensis. *Homo novus, Scientia nova, Doctor Barbatus in suis Artibus & Scientiis approbatus.* Per Reges invictissimos Aragonum, ût in suis Privilegiis dicitur. *Ille magnus in Philosophia & sacra Theologia Magister, mirandarum Artium & Scientiarum Author.* Et per Serenissimum Francorum Regem prædicabatur in superscriptione epistolarum. *Organo sancti Spiritûs Doctorique divinitùs illustrato.* Et per quemdam Doctissimum in artibus liberalibus Doctorem. *Raymundus Lullius Radius Lucidus mundi.* Et de ipso dicitur in partibus Angliæ. *Ille magnus Philosophus Cathalanus.* In partibus Italiæ dicitur. *Author Artis generalis ad omnia scibilia contrahibilis.* Et per Joannem de Rocasisa (Rupescissa) vocatur *Minerva.* Et secundùm aliqua tractata in Libris suis potest dici & prædicari *Procurator publicæ utilitatis in Christo JESU.* Et etiam potest dici *Illustrator tenebrarum mundi.*

ATTESTATIO.

COPIA horum Encomiorum sumpta & extracta fuit fideliter à quadam tabula lignea pendenti in pariete *intus archivum inferiorem Domûs Juratiæ Universitatis Civitatis & Regni Majoricarum, & cum ea, ùt decet, comprobata per me* Antonium Moll *Notarium publicum & Civem Majoricensem, dictæ Universitatis Syndicum, & Archivarium perpetuum; ut igitur eidem copiæ licèt manu alienâ scriptæ plena ab omnibus adhibeatur ubique fides, Ego idem* Antonius Moll *Notarius hîc me subscripsi, ut infrà, die decimâ octavâ Octobris anno 1660.*

Antonius Moll *Notarius Syndicus & Archivarius perpetuus dictæ Universitatis.*

MEMORIALE COLLATIONIS SEU COMPROBATIONIS *CENTUM ARTICULORUM LULLIANORUM*

PER

Fr. NICOLAUM EIMERIC

In suo olim Directorio compilatorum, factæ cum ipsis archetypis Libris Magistri RAYMUNDI LULLI,

Per Consules Juratos Regni Balearium,

Juxta Mandata accepta à Sacra Congregatione Patrum Cardinalium Sanctæ Generalis Inquisitionis Romanæ, nec non & Legati Regis Hispaniarum Romæ residentis; quorum recentiores literæ datæ ad Consules Baleares sequenti folio describuntur.

Exsurge & intende Judicio meo Deus meus, & Dominus meus, in Causam meam. Psal. 34.





ALLI MOLTO

RI. RI. RI.
ILL. SS. LI SS. GIURATI

DIL REGNO DI MAJORICA.

MOlto ILL.TRI. SS.RI. La S.TA. di N. S. à pieghiere fatte à nome dille SS. VV. s é degnata di commettere la riviſione de Libri & Opere del G. Raimondo Lullo, & particolarmente di quelli, che vengono notati & cenſurati dall Eimerico: pero con queſta le fo ſapere, che elle ſiano contente mandar quanto prima i Libri, & compoſitioni ben conditionate & fidatamente; accio ſi poſſano vedere con la debita diligenza & acceleratеza, ſe contengono dottrina erronea & degna di cenſura: & poi pigliare quella riſolutione, che converrà di ragione, & alle SS. VV. con cio me offero, & raccomando. Di Roma alli. 14. di Settembre 1612.

Delle SS. VV. Molto Se.tore.
Per Ser.le.
P. Cardinale Arigone.

ALLOS SENNORES
SYNDICOS
DEL REYNO DE MALLORCA.

EL Padre Fray Antonio Buſquets, Diffinidor de eſſa Provincia, que me dio los dias paſſados la carta de VV.as. SS.as, ha acudido aqui con particular cuidado y diligencia à procurar la Canonizacion del Beato Martyr Raymundo Lullo, demanera, que los Sennores Cardinales de la Congregacion eſtan bien diſpueſtos: y porque, para que ſe trate deſto con el fervor, quees razon, conviene, que VV.as. SS.as. manden embiar los veinte Libros, que la Sacra Congregacion pide: y aſſi eſpero, que lo haran VV.as. SS.as. como deſſeo. De Roma à 11. de Setiembre 1612.

El Conde de Caſtro.

ILLUSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO
DOMINO
D. PETRO DE ARIGONE,
PRESBYTERO S. R. ECCLESIÆ CARDINALI,
Cum cæteris Collegis in universa Republica Christiana adversùs hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus à Sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.

Consules Jurati Regni Balearium.

SEriùs omninò, quàm vota nostra postulabant, aliquando tamen ad Dominationes Vestras Illustrissimas per Syndicum nostrum eos Libros transmittimus, quos in præcedentibus Literis ad nos datis Dominationes Vestræ Illustrissimæ requirunt: Cunctationis causa non paucæ, neque unius generis extitere, sed planè multiplices & inter se mirè contrariæ. Quamquam in iis caput fuit, difficulter admodum inveniri potuisse Libros omnes, quos Frater Nicolaus Eimeric in suo Directorio nominat: ex quo siquidem pendet hæc lis in Romana Curia coram Sanctissimo: transmissi sunt isthuc jam aliquoties iidem Libri magnà diligentià conquisiti: acceßit, eo quòd æmuli ipsi & osores Lullianæ Doctrinæ captatà frequenter occasione curarunt, ut horum nomina Librorum recenserentur, & ipsorum Domini Codices deponerent penes hujus Civitatis Episcopos, quorum, vel per obitum, vel per novam promotionem interjecta migratio, dici vix potest, quantam fenestram ad collapsionem & jacturam horum Codicum patefecerit. Nec defuit nuper, qui Inquisitoris Officio functus, priusquam ex hac Provincia decederet, binas arcas his Libris referserit, & extra hanc Insulam foras ablegarit: sed illud mirabiliùs videatur, quod studiosiores Doctrinæ Lullianæ cæteris in nationibus habitantes jacturam hanc Librorum Lullianorum nihil minùs agentes ipsi auxerunt; dum idemtidem hos aut illos Codices hinc sibi per amicos mittendos efflagitant, ut ipsorum lectione & usu fruantur: cùmque tam multis abhinc Annis hæc Opera non imprimantur, in paucanecessario redacta sunt. Denique singulari Dei providentià factum est, ut hæc in præsentia reperta sint, quæ transmittimus: quam etiam ob causam consultiùs fore putavimus, ex prototypis, quæ penes nos manent, hæc exempla authentica atque sigillata describenda curare, quæ transmittuntur, ne funditus horum Librorum memoria interciperetur, & omninò periret. Atque ut tantisper laborem hujusmodi conferendi Libros Lullianos cum Eimericanis Articulis (quantum est situm in nobis, & licet) minueremus, unà mittimus ad Dominationes Vestras Illustrissimas brevem hanc Collationem, sive Comprobationem, aut Memoriale; cui faciendo, vel in primis adhibendos curavimus Viros Theologos, doctrinæ præsidiis, industriâ ac maturitate satis perspectos, & in Lullianis Operibus diu multumque versatos. Cætera per Admodum Reverendum Patrem Guardianum, Fr. Antonium Busquets, hujus Regni Majoricarum Syndicum fusiùs exponenda atque expedienda speramus. Palmæ Balearium die Mensis Anni 1614.

Joannes Vivot, Ordinis Militaris.
Hieronymus Caldes, Civis Militaris.
Onuphrius Font, & Monternes, Civis Militaris.
Bartholomæus Malferit, Mercatorii Ordinis.
Jacobus Amer, Mercatorii Ordinis.
Hieronymus Nicolau, Fabrilis Ordinis.

Consules Jurati Regni Majoricarum.

EIME-

Memoriale Collationis. 5

EIMERICI
PRÆLUDIUM.

FRater Nicolaus Eimeric (vulgò receptus Auctor Directorii Inquisitorum) in *secunda Parte Directorii q. 9. n. 5.* ita habet: postea Dominus Papa Gregorius XI. in Consistorio, etiam de Consilio Fratrum interdixit & condemnavit Doctrinam ejusdem Raymundi Lulli Catalani Mercatoris, de Civitate Majoricarum oriundi, laici, phantastici, imperiti, qui quamplures Libros ediderat in vulgari Catalanico, quia totaliter Grammaticam ignorabat; quæ Doctrina erat plurimùm divulgata, quam creditur habuisse à diabolo, cùm eam non habuerit ab homine, nec humano studio, nec à Deo, cùm Deus non sit doctor hæresum, nec errorum: licèt ipse Raymundus asserat in Libris suis, quòd eam habuit in quodam monte à Christo, qui sibi (ût dixit) apparuit crucifixus; qui putatur fuisse diabolus, non Christus.

Præludii Fundamentum in lucem eruitur.

ETsi nostrum non est maledictis maledicta refellere, & in fine Memorialis hujus ad Articulum 100. & ultimum veritas hujus Historiæ simpliciter enarratur; interim non est extra causam indicare, quòd Doctor Antonius Belvet, egregius Lullicæ Doctrinæ Propugnator, respondens ad primam Partem Præludii Eimerici, demonstrat, totam hanc fabulam, Eimerico additam, commentitiam fictamque fuisse. *Primò*, quia viginti Voluminum, quæ damnantur in eo Diplomate, ne nomina quidem exprimuntur. *Secundò*, damnantur ibidem Articuli plusquam ducenti, neque item exprimuntur. *Tertiò*, non eorum certus definitur numerus. *Quartò*, stylus ipse valde est à Pontificia Consuetudine, Gravitate & Majestate alienus.

Id ipsum ostenditur per *Sententiam definitivam in favorem Lullianæ Doctrinæ* Juris Ordine & Apostolicâ Auctoritate latam, quæ edita per Orbem circumfertur: ût observat ipse Belver ex Actis Leonardi Card. qui in hac Causa Judex fuit Apostolicus, & Apostolicâ Auctoritate fungens. Deinde petitum fuit (inquit) ab Antonio Riera, Lullianæ partis Doctrinæ Defensore, ut Judicis jussu in Regestis Gregorii XI. Diploma perquireretur, Eimerico præsente & vidente; & quidem jussum fuit ab ipso Judice, nec fuit inventum, quamvis diligentissimè perquisitum. Si Eimericus authenticum habebat instrumentum, cur Judici non ostendebat? quod tamen Diploma postea à Fratre Guilermo Caselles emissum fuit in lucem, quando videlicet ipsi, Gregorius XI. & Fr. Nicolaus Eimeric jam pridem erant vitâ functi: verumtamen frustra & absre; quia per Bernardum Episcopum Castelli ad id deputatum per Reverendum Dominum D. Alamanum Cardin. Tit. Sancti Eusebii, judicatum jam fuerat, ipsum Diploma de evidentissima falsitate suspectum, tum manifestè subreptitium & obreptitium.

Quod autem additur à posteris Emerici de Indice Pauli IV. non est contra Lullum; Index enim ipse nominat conditionaliter Raymundi Opera, si quæ videlicet essent per Gregorium XI. condemnata; Gregorius autem nulla condemnavit: ût patet ex dictis.

Expendit statim ipse Belver puritatem Lullianæ Doctrinæ à causis internis atque externis notisque aliis, & in ejus Commendationem addit Approbationem Parisiensis Academiæ, factam Anno 1309. & Testimonia Philippi Francorum Regis, Veronæ, Anno 1310. Petri Regis Aragonum, 1369. Valentiæ. Martini Regis Aragonum Cæsaraugustæ, 1399. Alphonsi Regis Aragonum Cæsaraugustæ, 1425. Ejusdem Neapoli, 1449. Ferdinandi Regis Cath. Cæsaraugustæ, 1503. Caroli V. Imperatoris semper Augusti, Hispali, 1526. Philippi II. Regis Cath. 1578. Denique Testimonia Virorum doctissimorum lectu dignissima, præsertim à præsentibus Judicibus, ante quos lis adhuc pendet.

Articulus 1. apud Nicolaum Eimericum.

QUòd Deus habeat plures Essentias. *In Libro de Philosophia Amoris.*

Articulus 1. apud Raymundum Lullum.

RAymundus (ait Belver) ubique Catholicum Dogma de Essentiæ Divinæ Unitate & hypostasum Triade docuit, toto nixu propugnavit, pecuniis, verbis, scriptis, vigiliis, laboribus, modisque omnibus, ac tandem proprio sanguine: vix enim reperire sit ejus opusculum, in quo hoc non agat, disserat & ratiocinetur: adferam (inquit) ex innumeris loca aliqua, & nisi Lectori molestum esset evolvere supra trecenta Lulli Opera, & ea diversa, quæ apud nos extant, congererem locorum myriadas &c. Colligo centum ex Operibus excusis &c., quæ statim Belver ipse subjungit.

Respondetur ergò, jam olim Eimerico satisfactum fuisse abundè 19. Maii 1386. per Bernardum Ermengandi, Dominicanum, in Regnis Aragonum Provincialem, & in Fidei negociis Inquisitorem; qui una & eruditissimi Theologi, Dominicani & Franciscani de prædicto Articulo censuere: *Noverint &c.* Sententia haud semel extat typis excusa; veluti olim Valentiæ, Anno Domini 1510. & nuper Palmæ Balearium, Anno, 1604. & vulgò circumfertur. Adhibentur præterea à Belver Eimerico sex Solutiones; sed satis sit audire Lulli verba, quæ Eimericus planè non citat; habentur autem in archetypo, *de Philosophia Amoris, vernaculo Cap. antepenult. De Deu & damor* statim initio, fol. 261. pag. 2.

Quæstio: *Granea damor, dix lamich. en mon amat ha moltes Essenties?* Solutio: *Amich, dix granea damor, en las difinicions compostes al meu dee Capitol es significat, quel amich es tan ligat ab son amat per una Essencia de amdos, que nos ponden departir.*

Latinè habentur Rub. 92. fol. 164. in quæstionibus de Deo & Amore: Quæstio: *Magnitudo amoris, dixit amicus, suntne plures Essentiæ in meo amato? cui respondit magnitudo amoris, in decimo meo*

Capite de definitionibus compositis significatum est, quòd amicus sit tam ligatus cum suo amato per unam Essentiam amborum, quòd ab invicem non possint separari. Num Eimericus quæstionis interrogationem pro affirmatione accepit? legatur totum hoc caput (ut omittantut alia) & apparebit sana & catholica Lulli mens; sermo autem est ibi non tam de unitate Essentiæ, quàm de unitate consensûs sive amoris: quomodo dixit Paulus: *Qui autem adhæret Deo, unus spiritus &c.* 1. ad Corin. 6.

Articulus 2. apud Eimericum.

QUòd in Divinis Essentia non est otiosa, sed essentiat & naturificat, bonitas bonificat, & æternitas æternificat. *In Lib. de Centum Nominibus Dei, & in Lib. Sent. q. 2.*

Articulus 2. apud Lullum.

VErba Raymundi sunt hæc, Lib. de Centum Nominibus Dei, sub nomine *ò Essencia* fol. 275. col. 2.

Tu Essencia estas sens ociositat
De bondat, infinitat, æternitat,
De essenciant, essenciar, essenciat:
Si tu Essencia fosses sens essenciar,
Bona è gran fores en ton amar,
E no bona ne gran en substanciar.

Latinè, *Tu Essentia es sine otio bonitatis, infinitatis, æternitatis, essentiantis, essentiare, essentiati: si tu Essentia esses sine essentiare, bona & magna esses in tuo amare, sed non bona nec magna in substantiare.*

Liber 1. Sentent. q. 2. cap. 2. fol. 4. pag. 2. ita habet: *Et quia Deitas est idem cum sua Natura, quælibet ratio requirit suum actum determinatum; sicut bonitas, quæ naturaliter requirit suum bonificare, & magnitudo suum magnificare &c.; cùm omnis natura requirat actum & finem, quare est, ut non sit frustra & otiosa: sicut Essentia, quæ requirit subjectum, in quo possit existere &c. Sicut elementum se habet ad elementandum, planta ad vegetandum, sensitiva ad sentiendum, intellectiva ad intelligendum, leo ad leonificandum, homo ad homificandum, sic & multò plus Divina Natura se habet ad naturandum, & Deitas ad Deificandum, & unitas ad uniendum.*

Pro germano sensu hujus Articuli expendantur hæc verba Lulli in Prologo Artis Inventivæ: *Et quoniam ita est, quod essentiæ & operationes rerum, de quibus intenditur, vehementiores atque plures sunt in se ipsis, quàm earum similitudines in intellectu, & ipsæ similitudines majores & ampliores sunt in intellectu, quàm in sermonibus earum significata; magna est ergo distantia significatorum à rebus suis: ea propter nos fingere verba licet, propter significatorum paucitatem, & de vi & de necessitate artis aliquoties inusitata verba proferre, velut infra patebit. Et ut etiam majora significata & minus à rebus suis distantia exprimamus, verba quandoque transsumimus, & quod est proprium alicujus rei, propter expressionem majoris significationis alteri attribuimus, ùt infra patebit: ùt, cùm dicitur, bonitas bonificat, magnitudo magnificat &c. hujusmodi; quia, quod est proprium suppositi boni, scilicet bonificare, attribuimus bonitati, propter quam ipsum bonum bonificat, ut vehementiùs exprimamus, quòd bonum propter suam bonitatem bonificat, & magnum propter suam magnitudinem magnificat: sicut, cùm dicitur, finis movet efficientem ad bonum; hoc est dictum, quòd efficiens propter finem bonum se moveat ad bonificandum: & si de rebus creatis impropriè loquimur oportet (ùt jam dictum est) multò minus igitur de Deo possumus propriè loqui; quoniam cùm immensa sit in omnibus perfectionibus ejus Existentia (vel Essentia) quid est, quod de illo bene propriè significata nostra possint repræsentare? His autem de rebus devotè supplicamus accedentibus ad hanc artem, seu studentibus in eadem, quatenus ardore scientificæ charitatis moti in impropriis dictis nostris (si fortè in ea inciderimus) ad partem tutiorem attendant, & non ad ea, quæ dicere videmur, sed quæ dicere intendimus, condescendant: aut si fortè falsam conclusionem inducimus, hunc imperitiæ nostræ errorem impendant: quoniam si ignoranter artifex errat, non est attribuendum ipsi arti; cùm ipsa ars sit necessaria; ùt de necessitate intendimus declarare. Et adhuc etiam si nimia nostrorum sermonum improprietas (ut loquamur sententiosiùs) vel nostri ingenii, aut etiam translationis insufficientia aliquem errorem contra sanctam Fidem Catholicam videatur prætendere, Correctionem Ecclesiæ Romanæ sacrosanctæ suppliciter imploramus; quoniam non ratione artis seu artificii, sed ratione ignorantiæ contingit errare: aliquoties enim contra nosmet videmur dicere, infra tamen manifestatur, quòd non contradicamus nobis.* Hactenus Lullus in Prol. Art. Invent.

Quæ pro verborum novitate & doctrinæ integritate hoc ipso loco sapienter disputat Antonius Belver *in sua Apologia*, digna omninò sunt, quæ legantur.

Articulus 3. apud Eimericum.

QUòd, sicut leo se habet ad leonificanduin, & homo ad homificandum, sic & multò plùs divina Natura se habeat ad naturificandum, & Divinitas ad divinificandum. *In Lib. sup. 1. Sent. q. 2.*

Articulus 4. apud Eimericum.

QUòd, sicut Divina Natura requirit agere intrinsecè, scilicet naturare, sic sua bonitas requirat bonificare, æternitas æternificare, & sic de aliis; cùm sint cum ipsa natura unum numero. *Ibidem.*

Articulus 5. apud Eimericum.

QUòd, sicut Deus habet naturale intelligere & amare intrinsecè, ita intrinsecè habeat naturale bonificare, æternificare, possificare & virtuificare. *In Lib. sup. 1. Sent. & in Lib. de Centum Nominibus Dei.*

Articulus 4. & 5. apud Lullum.

DIxerat Eimericus, se brevitati studentem noluisse ex plus quingentis Articulis adferre nisi centum, hic autem ex uno Articulo facit quatuor; secundus enim, tertius, quartus & quintus æquipollent: deinde loca non integra, sed truncata citat. In tertio Articulo nihil est, quod non exhibitum sit in secundo, in quo verba Raymundi reddidimus fideliùs, quàm ab ipso Eimerico reddantur.

Idem dicimus de Articulo quarto & de quinto, cujus verba reperiuntur In Lib. 1. Sent. q. 6. cap. 6. fol. 7. pag. 2. *Unde sequitur* (inquit) *quòd, sicut Deus habet naturale intelligere & amare intrinsecè, ita habeat intrinsecè bonificare, magnificare, æternificare, possificare, virtuificare, verificare, glorificare & perficere.* In Libro de Centum Nominibus Dei nihil tale reperitur.

Arti-

Articulus 6. apud Eimericum.

QUòd, quia non est altera æternitas, nisi Dei, oportet, quòd substantia se habeat ùt suppositum æternans, ut de se ipsa producat æternum bonum. *In Libro de Contemplat.*

Articulus 6. apud Lullum.

QUod pace dixerim Eimerici, in Libro Contemplationis non reperitur hic Articulus, sed in Libro Arboris Scientiæ, in Arb. Divin. cap. de Paternitate Divinali, fol. 98. his verbis: *Et quia alia æternitas non est, sed tantùm æternitas Dei, convenit, quòd substantia se habeat ùt suppositum æternans, quod de se ipso bonum æternum producat.* Hâc doctrinâ refellit Lullus & eos, qui duas æternitates ponebant, nempe Dei & Orbis, & eos, qui pluralitatem Personarum in Deo non agnoscebant. Antonius Belver hoc loco Articulum expendit, & probat; nec abs re de Eimerico conqueritur.

Articulus 7. apud Eimericum.

QUòd in Divinis est dare commune suppositum, quod respondet secundùm suam naturam Rationibus Divinis in producendo bonum. *In Lib. Contempl. pluribus locis, & in Lib. Arb. Scient.*

Articulus 7. apud Lullum.

RAymundus in Arbore Divinali, cap. de Paternitate Divinali, fol. 98. col. 2. *Sicut omnes rationes se habent ad Deum secundùm earum naturam, & commune Suppositum secundum suam naturam respondet illis rationibus in producendo bonum, respondent omnes rationes ad producendum bonum.* Paulò infrà idem repetit in duobus locis ibi designatis: & in quæst. Brancarum, fol. 145. col. 2. De quæst. Personæ Filii, hæc habet: *Quomodo Pater est commune Suppositum? Solitio: Pater, in quantum est Pater ex Natura, est Suppositum singulare, & in quantum respondet in producendo suum Filium omnibus suis Rationibus, est Suppositum commune, quod de omnibus & cum omnibus suis rationibus & per omnes suas rationes produit Filium.*

Vox, *Suppositum*, in Lulliana Schola homonyma est; sumitur enim vel propriè pro individuo incommunicabili, in qua significatione excludit universa, partes & accidentia, quicquid sustentatur, & est multis commune; vel impropriè & translatitiè, quomodo idem valet, quod sub alio positum, quod aliud sustentat: & tribuitur toti, quod est sub partibus, easque sustentat: sic sumitur in Arbore Humanal. cap. de Intellectu: *Intellectus* (inquit) *est pars substantialis Animæ rationalis, & ejus essentia est intelligentia, & est Ens, in quantum est Suppositum de concretis essentialibus plenum; quæ sunt intellectivum, intelligibile & intelligere:* hic *Suppositum* sonat totum sub suis concretis.

Item in Chao, cap. de Essentia Chaos ita habetur: *Significativum est forma activa, & proprium passivum significabile; significare verò est actus: sed significatum est totum Suppositum completum in natura igneitatis:* en ubi *Suppositum* perindè valet, ac totum sub suis partibus. Tribuitur deinde subjecto, quod est velut præjacens massa, unde nonnulla originem & materiam ducunt; hoc pacto Chaos elementare *Suppositum* nominatur: seminarium scilicet, hyle ac sinus mixtorum; hac de re in Chao, cap. de Esse Chaos his verbis scribit ipse Lullus: *Ex his autem forma & materia resultat unum ens, unum esse, unum Suppositum, quòd Chaos nominamus:* & hujus rationem reddendo subjungit: *Hujus Chaos est illud subjectum, in quo & de quo sunt omnia entia naturalia.* Tribuitur denique ipsi concreto, quod est sub abstracto & suis rationibus; & in hoc significato Deus, qui est concretum Deitatis, *Suppositum* appellatur: latè scilicet & translatè sumpto vocabulo. Fit de eo mentio in Arb. Divinal. cap. de Filiatione, fol. 98. col. 3. *Commune Suppositum dupliciter respondet ratione bonitatis, quoniam per unum modum se habet ad agens, & per alium ad patiens.* Et, ne ansam erroris quis caperet, proximo capite præmonuerat, quid sibi vellet *commune Suppositum*, inquiens fol. 98. col. 2. *Et commune Suppositum, quod est Deus.*

Quòd si quis dicat, proclive esse ad lapsum nomina sumere ita ad libitum; respondebit Lullus, nihil hinc emanare periculi, cùm constet de sensu catholico, deque acceptione significationis: nam si *Suppositum* propriè sumatur, tunc *Suppositum commune* Patri accommodatur, & appellatur *commune*, comparatione ad rationes omnes, quibus ex æquò respondet ita, ut id dicatur *Suppositum*, quod bonitati, magnitudini, æternitati respondet, producendo bonum, magnum, æternum; & ob id est *commune*: si autem impropriè sumatur, ùt sumi videtur in capite de Filiatione, tunc Deus dicitur *Suppositum* & appellatur *Suppositum*, comparatione ad Rationes; *commune* autem, comparatione ad Personas.

Verùm enim Lullus ubique clamat, docet atque demonstrat, tria esse tantùm in Deo *Suppositа*, non plura nec pauciora: ùt in Arbor. Apostol. cap. de Num. Divinal. ternali. In Apostrophe cap. Quòd in Divinis sint tantùm tres Personæ Divinæ. In Lib. de Quinque Sapient. per omnia Capita primæ Partis. In Disputatione Homeri Saraceni ferè per omnia Capita. In Lib. 1. Contempl. per multa Capita, & alibi semper eandem Doctrinam Catholicam tenet. Cùm igitur Lullus ubique doceat, tria duntaxat in Deo esse *Suppositа*, nusquam quatuor, rationi consentaneum non est, ex vocula illa, *Communis Suppositi*, velle quatuor *Suppositа* colligere in Deo.

Denique notandum est, Lullum, quod in Arbore Scientiæ *commune Suppositum* vocat, in Compendio Artis Demonstrativæ (ut tolleret omnem ambiguitatem) *Suppositum essentiale* appellare, laxè sumendo nomen *Suppositi*: *Memoria recolens* (inquit) *Intellectus intelligens & Voluntas diligens speculanda attingunt, Deum esse Suppositum essentiale, indistinctum in tribus Suppositis personalibus, in quolibet totum, quolibet eorum existente distincto ab alio ratione Suppositi personalis, non autem essentialis; cùm cujuslibet eorum sit una Deitas.*

Articulus 8. apud Eimericum.

IN Divinis sunt tres Personæ, & non plures, nec pauciores; scilicet uniens, unibilis & unire; Deificans, Deificabilis & Deificare, æternificans, æternificabilis & æternificare. *In Lib de 7. Arbor.*

Articulus 8. apud Lullum.

REperitur hic Articulus in Arbore Apostolic. cap. de Pluralitate Dei, fol. 62. per totum, velut ubi ait: *Et illa tria sunt uniens, unibilis & unire:* & postea: *Non potest sine distinctionare Deitatis*

cantis, Deificabilis & Deificare &c. Priòr pars Articuli reperitur in eadem Arbore, fol. 63. sub his verbis: *Modo volumus probare, quòd Personæ pauciores esse non possunt, nec plures tribus &c.* Idem repetit fol. 64. Altera pars reperitur etiam in Arbore Divinal. De Numero ternali Divinali, fol. 99. col. 2. *Et sicut convenit, quòd sint tres Personæ, & non pauciores, ratione bonitatis, ita convenit, quòd sint tres, & non pauciores, ratione magnitudinis.* Et paulò post: *Et hoc idem de æternitate, quæ non posset esse magna sinè essentiali æternificante, æternificabili & æternificare.* In quibus vocibus nihil præter vocum novitatem potuit notare Eimericus; quæ novitas quilibet Scholæ & Sanctis Patribus familiaris est; quâ pariter usus est Lullus: *primò*, ob manuductionem ex tribus naturæ creatæ relatis deductam: *secundò*, ob productionem, quam ea verba ex vi sermonis exprimunt: *tertiò*, propter recessum ab omni crassitie, quæ ex aliis suboriri cuipiam posset: ex his enim nulla potest patere rima, quâ rudes quid rude & corporeum per ea de Deo cogitent. Præterea ob Mahumetanorum aures, qui, cùm primùm de Patre, Filio & Spiritu Sancto sermonem audiunt, obturant aures: quid ergò flagitii ea, quæ ad Divinas Personas aptissimè competunt, vocabula efformasse? sed duriora sunt, inquiunt; haud ita esset, si consuetudinis vis adesset.

Articulus 9. apud Eimericum.

IN Divinis deificativus, bonificativus, æternificativus, virtuificativus, possificativus, & in amore intellectivus, est Pater, deificabilis, bonificabilis, æternificabilis, virtuificabilis, possificabilis, & in amore intelligibilis, est Filius; sed deificare, bonificare, æternificare, virtuificare, possificare, & in amore intelligere, est Spiritus Sanctus. *In Lib. de Centum Nominibus Dei, & in Lib. de 7. Arbor.*

Articulus 9. apud Lullum.

ALiter scripsit Lullus in Arb. Apost. cap. de Numero ternali, fol. 63. & 99. *Sunt ergo in bonitate tres, & non plures neque pauciores; & hoc idem in æternitate & in aliis formis: & est bonificativus, magnificativus, æternificativus, possificativus & intellectivus, & in amore amativus, qui est Pater; & bonificabilis, magnificabilis, æternificabilis & intelligibilis, & in amore amabilis, qui est Filius; in quo amore amare est Sanctus Spiritus, qui est bonificare, magnificare, æternificare, possificare & intelligere.* In quibus verbis duo corrupit Eimericus, tertium corrupit simul & demutavit: Lullus ait: *in amore amativus*; Eimericus corrupit: *in amore intellectivus:* Lullus ait: *in amore amabilis*; Eimericus corrupit: *in amore intelligibilis:* Lullus ait: *in amore amare est Sanctus Spiritus:* Eimericus corrupit & demutavit: *in amore intelligere est Sanctus Spiritus.* In Libro de Centum Nominibus Dei nihil tale reperitur, aut indicet ipse Interpres Eimerici.

Articulus 10. apud Eimericum.

ESsentia & Natura Dei Patris generat Filium. *In Lib. de Centum Nominibus Dei, & Lib. de 300. Proverb.*

Articulus 10. apud Lullum.

NIhil tale reperitur in locis citatis; Lullus autem ubique docet, in Divinis Personis unam prorsùs & indivisam omnibus modis esse Essentiam; ubique docet, fieri non posse, ut idem se ipsum producat: unde necessariò sequitur, quòd Essentia nec producit, nec producitur; nam in Lib. de QuinqueSapient. cap. 36. *Suppositi* (inquit) *est habere actum, non Essentiæ.* Et in Compendio Artis Demonstrativæ, capite de prima parte A: *Hic intelligendum, quando dicimus, bonitatem bonificare, & magnitudinem magnificare, hoc dicimus ratione Suppositi, id est, quòd Pater generando communicat Filio, quicquid habet; & ideo attingitur conditio finaliter sub ratione bonitatis, scilicet, sub ratione Suppositi boni personalis; hæc autem conditio est agere bonum.* Et ibidem 1. Parte Figuræ Theologicæ: *Divina Essentia ratione sui non est conditionata agere; cum sit communis producenti & producto.* Et alibi sæpè.

Nec est, quòd objiciat quispiam verba ex cap. 43. Lib. de QuinqueSapient. *In quantum Deitas ipsa tota per unum modum est in Patre, scilicet ut producens, per alium modum in Filio, scilicet ut producta, per alium in Sancto Spiritu, scilicet ut ab utroque spirata, sequitur necessario, quòd Pater sit Deus, Filius Deus, Sanctus Spiritus Deus, cùm quilibet istorum sit tota Deitas, licet modus existendi alius sit in Patre &c.* Solummodò enim hìc ostendit Lullus non actum Essentiæ, sed modum, quo una eadem & indistincta Essentia est in Personis distinctis.

Quo etiam modo locuti sunt Patres: Ignatius ad Magnesianos: *Qui est ipsius Verbum, non prolativum, sed essentiale; non enim est articulata locutioni vox, sed energiæ Divinæ genita Essentia.* Hilar. Lib. de Synod. *Non enim religiosa Unitas nominis ex indifferentia naturæ constituta Personam genitæ ademit Essentiæ.* Ita enim Aug. Lib. 2. contra Alex. & Theodor. Lib. 1. cap. 12. &c. Quas locutiones exponit Petrus Lomb. Lib. 1. Sent. d. 5. & Lib. 4. ubi sic habet: *Intelligentia dictorum ex causis est assumenda dicendi; quia non sermonires, sed rei est sermo subjectus &c.*: quo etiam modo debet accipi Lulli locutio, cui tantò plus veniæ concedendum fuerat, quòd sæpè sermonis imperitiam suam accuset, cùm totus fuerit in unius veri investigatione defixus; & quia Lulli Doctrina parum est Orbi perspecta, quò fit, ut in jus trahendus non sit, eò quòd novâ phrasi sit usus is, qui nova animo concepta novè depromsit.

Articulus 11. apud Eimericum.

QUòd Deus Pater est, antequam Deus Filius. *In Lib. de 7. Arbor.*

Articulus 11. apud Lullum.

NOn video tandem, ubi Eimericus ista legerit; an in Quæstionib. Personæ Filii: *Quomodo Pater est antequam Filius?* verùm ne sistas ibi; nam ea Quæstio est, cui subjungitur proximè hæc Solutio: *Vade ad Rubricam antedictam*, quæ habetur in Arbor. Divinal. cap. de Filiatione Divina, fol. 98. col. 3. *Filiatio est secunda brancha &c.* ût suprà: ex quibus verbis sana & Catholica Doctrina constat; non enim quærit Lullus simpliciter, sitnè Pater antequam Filius; sed quærit modum (si quis est) quo possit efferri Pater, antequam Filius: removet autem à Deo priùs & posteriùs durationem, quòd defectum & imperfectionem notent; nam in 1. Par. Proverb. cap. de Deo Patre ait: *Quia Pater generat suum Filium de æternitate, & Filius nascitur*

tur in æternitate, Pater non potest esse antequam Filius. Et Lib. de Quinque Sapien. cap. 43. *Ad hoc, quod dicis, quòd tempus cadit in Deo, cùm Filius non valeat gigni, nisi prius fuerit Pater: Respondetur, quòd in æternitate Pater non potest esse prior Filio; & quia Filius genitus est in æternitate à Patre, prioritas & posterioritas, quæ sunt temporis, non possunt in æternitate habere subjectum.*

Admittit quoque Lullus in Deo prioritatem Naturæ & Originis: de illa loquitur loco citato cap. de Filiatione Divinali: de hac in Lib. de Quinque Sapient. cap. 43. aperta fit mentio: *Temporis* (inquit) *prioritas & posterioritas in æternitate nullatenus possunt esse; prioritas verò, quæ est æterna, & posterioritas originis & emanationis considerantur in Deo:* quæ est etiam sententia Augustini, Lib. de Triplici Habitat. & Damasceni &c.

Quòd, si dicas, Lullum vocabulum Causæ in Quæstionib. Senten. & Lib. de Clerico, cap. 20. attribuere Divinis, Causam autem priorem esse suo effectu: id quidem rarò fecit, & non nisi sublatâ omni imperfectione: nam in Lib. de Quinque Sapien. cap. 36. *Omnem* (inquit) *perfectionem, quam in creaturis reperimus, debemus concedere in Deo, cum remotione cujuscunque imperfectionis, & additione totius perfectionis.* Agnovit & Lullus causam parùm aptè Deo attribui, in Arbor. Scient. in Quæst. Florum, cap. de Quæst. Productionum Divinarum, ubi ita habet: *Una ratio in Deo est causa alterius, ut sit productio? Solutio: in Divinis non est propriè dictum, causa & effectus; & ideo oportet dicere, ratio rationi, sicut bonitas, quæ est ratio bono, quòd producat bonum: & quia bonitas est magna, est ratio magnitudini, quòd illud bonum productum sit magnum.*

Item ob hujusmodi imperfectionem solet Lullus demonstrationem per causam in Deo non concedere; at quando concedit, omni imperfectione semotâ concedit: quo etiam modo causæ vocem tribuerunt Deo Damascenus, Lib. 1. Ortho. Fid. cap. 9. & 11. & Lib. 4. *Aliqua* (inquit) *dicuntur de Filio ante unionem, quatenus scilicet ex causa Patris existit.* Et Gregor. Nazian. Lib. 2. de Theol. enarrans illud Joan. 5. *Pater major me est &c.* Ignatius Epist. ad Philip. Basilius contra Eunom. tractans istud idem: *Pater major me est.* Et Chrysostomus.

Non tam frequentes sunt Latini Patres in hoc usu, utuntur tamen in Conc. Florent. Sess. 25. & ult. Aug. 7. de Trinit. cap. 1. Hiero. enarrans cap. 3. ad Ephes.

Articulus 12. apud Eimericum.

QUòd Deus Pater, in quantum Pater, est suppositum singulare, sed in quantum respondet suis rationibus ad producendum Filium, est suppositum commune. *In Lib. de 7. Arbor.*

Articulus 12. apud Lullum.

HIc Eimericus ex eadem re conflat duos Articulos, septimum & hunc duodecimum: neque Articulum ex toto exprimit, ût constat ex verbis allatis circa Art. 7. ex Arb. Divin. cap. de Quæstione Filii: quæ hìc non repeto, præter ea, quæ ibi adduximus: nota, Patrem (utcunque appelletur Suppositum, aut commune, aut singulare) nusquam esse duplex Suppositum, sed unum & simplicissimum; quod tamen diversâ comparatione modò commune, modò singulare appellatur: singulare in se; commune comparatione ad perfectiones, tanquam ad rationes productionem internam requirentes.

Articulus 13. apud Eimericum.

QUòd, si Deus non fuisset Pater, non potuisset esse Pater æternitatis, cujus est Pater, in quantum eam dedit Filio per Generationem. *In Lib. de 300. Proverb.*

Articulus 13. apud Lullum.

RAymundus 1. Par. Proverb. cap. 6. col. 4. De Deo Patre ita habet: *Si Deus non esset Pater, non posset esse Pater æternitatis, cujus est Pater, in quantum ipsam dat per Generationem suo Filio.* Dicitur Pater æternitatis, id est, fons; perinde ac dici solet Tullius à Latinis Eloquentiæ Pater. Eodem modo loquitur Diony. de Divin. Nominib. cap. 2. *Solus* (inquit) *fons supersubstantialis Deitatis est Pater:* paulò post appellat Patrem *primordialem & fontalem Deitatem.* Diceret etiam quispiam, hunc esse linguæ idiotismum, sicut dicimus impudicitiæ Patrem eum, qui insigniter est impudicus, & mendacii Patrem &c. Sic Pater æternitatis, Pater æternus, Pater ab æterno. Quid plura? Sensum sermonis Lullus ipse explicat subjungens: *In quantum ipsam dat Filio:* en, quâ ratione vult intelligi, quòd ait: *est Pater æternitatis,* quam videlicet æternitatem suo Filio communicat,

Articulus 14. apud Eimericum.

QUòd Deus Pater est multiplicabilis, & Deus Filius consimiliter. *In Lib. de Contr. Confess. Satisf. & Oratione.*

Articulus 14. apud Lullum.

TOtus hic Articulus falsò impingitur Lullo, nunquam tale ab ejus ore profectum est: aut digitum quidem Interpres Eimerici intendat ad fontes: quòd si Eimericus Arborem Scientiæ legisset, prospexisset utique luculentissimam Lulli sententiam huic Articulo è diametro repugnantem. In Arbor. Apost. fol. 63. col. 2. de Numero ternali Divin. ita docet: *Probatum est, quòd in Deo sit pluralitas Personarum, videlicet Patris & Filii & Sancti Spiritus, modò volumus probare, quòd non possint esse pauciores nec plures Personæ tribus secundum magnitudinem bonitatis, æternitatis, potestatis.* Rursus paulò infrà: *Si in Divinis est unus Pater & non plures, & unus Filius & non plures, & unus Sanctus Spiritus & non plures, magnitudo sufficit cuilibet Personarum in singularitate.* Subjungit protinùs similia: *Sicut in uno Regno, in quo sufficit unus Rex bonus, potens, sapiens, & in Cœlo, in quo sufficit unus Sol & una Luna, & in Elementatis unus ignis & unus aër, & in Anima unus Intellectus, una Memoria & una Voluntas, & in Argumentatione duæ maximæ & una conclusio, & in Corpore unum longum, unum latum & unum profundum.* Mox concludit: *Oportet ergò, quòd in Deo sufficiat unus Pater, unus Filius & unus Sanctus Spiritus, qui sunt unus Deus & non plures.*

Item in Arbore Divin. fol. 99. col. 2. De Numero ternali ita habet: *Qui in bonitate adderet quartum aut quintum aut plura supposita, quæ essent simpliciter de sua essentia, sicut sunt tria, de quibus dictum est, esset parva & non magna; quoniam si haberet*

duos bonificantes, videlicet, duos Patres, deficeret magnitudo cuilibet in fine: quoniam major est unus Pater in fine bonitatis, quàm duo Patres. Et passim eadem repetit. 1. Par. Proverb. cap. de Deo Filio, & cap. de Singularitate: & Lib. de Quinque Sapien. cap. 42. in ratione 3. & 5. &c.

Articulus 15. apud Eimericum.

QUòd Deus Filius est in Deo Patre totus generatus, & tota ejus Essentia & Natura. *In Lib. Orationum.*

Articulus 15. apud Lullum.

RAymundus in Lib. Orationum, cap. 2. p. 2. fol. 18. pa. 1. ita habet: *Un Pare de un Fill Deu, qui es tot del engenerat, è de tota la sua Essencia è Natura.* In Eimerici Articulo legitur Essentia & Natura in recto casu, in Lulli scripto legitur in auferendi casu cum præpositione *De*; ita ut in Lullo sit sensus maximè Catholicus, in Eimerici Articulo longè diversus.

Iterum atque iterum mirari subit, quid sibi toties Eimericus velit in demendo & mutando; certè Lullus ubique docet, Essentiam Divinam nec gigni nec gignere; sed totum Filium à Deo Patre generatum esse, & de tota ejus Essentia & Natura: ût Lib. de 300. Proverb. (quemadmodum Eimericus inscribit) 1. Par. cap. 3. de Essentia Dei, sub his verbis: *Quia Deus Pater de sua Deitate generat Filium, & Filius nascitur in Deitate, remanet Deitas indistincta.* Deinde cap. 6. de Deo Patre, cùm ait: *Quia Filius est de tota Essentia & Natura Patris, non possunt esse distincti in pluribus Essentiis & Naturis.* Idem Lullus eodem in Libro, cap. 7. tribus locis id ipsum repetit.

Articulus 16. apud Eimericum.

QUòd Deus Filius sic essentialiter est de Essentia productus, sicut personaliter de Persona. *In Lib. 1. Sent. Quæst. 24.*

Articulus 16. apud Lullum.

RAymundus Lib. 1. Sent. cap. 24. ad finem, fol. 17. pag. 2. ita habet: *Quod Filius sit essentialiter de Essentia productus, sicut personaliter de Persona.* Si Eimericus antecedentia recitasset, nihil nobis hìc addendum fuisset; sed opere pretium est observare, quòd in eo 24. cap. duæ sunt Conclusiones, quarum *prior* hæc est: Verbum in Divinis essentialiter dicitur, id est, non accidentariò, sed de Essentia & Substantia Patris, id est, Substantia & Essentia Patris existens: siquidem ex ipsis Lulli verbis colligitur, Verbum essentialiter dici posse tribus modis. *Primò:* quia est de Substantia & Essentia Patris. *Secundò:* quia est ipsamet Substantia & Essentia Patris. *Tertiò:* quia non accidentariò dicitur. *Secunda* conclusio: Verbum in Divinis personaliter dicitur; nam est Persona personaliter distincta à Patre, non tamen essentialiter; cùm sit ipsi substantialis.

Sequuntur deinde Objectiones Eremitæ in primam Conclusionem his verbis: *Raymunde, dixit Eremita, Pater, intelligendo Verbum, intelligit, semet ipsum esse Patrem, & se non esse Essentiam; cum Essentia absolutè conveniat omnibus tribus Personis: & ratio, quare non intelligit, se esse Essentiam in generando, est, ut non generet ipsam; quam sic generaret intelligendo Essentiam, sicut generat Filium, intelligendo se Patrem: & quia Essentia est ingenerabilis, cum sit absoluta, sequitur, quòd Verbum non dicatur essentialiter, sed simpliciter personaliter.* Raymundus respondit Eremitæ: *Suprà probatum est, quòd Verbum dicatur essentialiter, ut prædicta impossibilia non sequantur. Item, secundùm hoc, quod dicis, alia impossibilia sequerentur; sicut Pater, qui se in parte intelligeret, & non in toto, si intelligendo, se Patrem, non intelligeret, se esse Essentiam, neque hoc, de quo generat Filium; quod est impossibile: ergò Pater intelligit, se esse Essentiam, sicut intelligit, se esse Patrem: & licèt intelligat, se esse Essentiam, sicut, se esse Patrem, non sequitur, quòd absolutè generet Essentiam: quia sic intelligit, quòd de sua Essentia generet Filium, sicut intelligit, se esse Patrem in generando Filium de sua Essentia. Item, si verum esset hoc, quod tu dicis, Verbum non esset à Patre simpliciter productum, sed secundùm quid, scilicet secundùm Personam, non secundùm Essentiam; & sic tua ratio non obstat.*

Ex his colligitur, & est declaratum, *quòd Filius sit essentialiter de Essentia productus, sicut personaliter de Persona.* Cæterùm præpositio *De* non sumitur hìc semper eodem modo; nam in prima Parte Articuli notat originem cum homousitate, in secunda simpliciter notat originem: tritum autem & frequens est apud Patres & in Scholis, præpositionem *De* variè sumere.

Articulus 17. apud Eimericum.

QUòd Essentia Filii Dei relata ad Personam Filii sic est genita, sicut est ingenita Persona Patris relata ad Personam Patris. *In Lib. sup. 1. Sent. q. 24.*

Articulus 17. apud Lullum.

HIsce locutionibus, quibus gignens vel genitum cum Essentia conjungitur, indicare vult Lullus modum, quo Essentia est in Personis: id docet in Lib. de Quinque Sapient. cap. 43. his verbis: *Et cùm iterùm objicitur, quod, cùm Pater sit ipsa Essentia ût generans, & Filius ût genita, & Sanctus Spiritus ût spirata, & ipsi sint realiter distincti, necessariò conveniat, ipsam Essentiam esse distinctam. Plures ad hanc objectionem responsum est; nam ipsa Essentia est unica & indivisibilis in se ipsa existens, ratione tamen modorum personalium distinctorum est aliter & aliter in Personis existens, secundùm alium & alium modum existentiæ Personarum; solùm enim distinctio respectu Personarum existit.*

Lullus ergò in 1. Sent. cap. vel q. 24. fol. 17. col. 2. ita habet: *Essentia Filii relata ad Personam est sic genita, sicut est ingenita relata ad Personam Patris; cùm Pater sit ingenitus:* hanc ultimam conclusionem, quæ sententiam explicabat & molliebat, suppressit Eimericus, qui, si candidum erga Lullum gessisset animum, illa addere debuerat ex eadem q. 24. quæ paulò antè habentur: *Et licèt intelligat se* (de Patre loquitur) *esse Essentiam, sicut, esse Patrem, non sequitur, quòd absolutè generet Essentiam.* Ibidem quoque legitur apertissimè, *quòd Filius non distinguatur à Patre essentialiter, cùm sit illi consubstantialis, licèt personaliter distinguatur.*

Articulus 18. apud Eimericum.

QUòd Deus, qui est Filius Deitatis, est Pater Hominis Deificati, propter hoc, ut in Deificare Patri assimiletur. *In Lib. de Centum Nominibus Dei.*

Articulus 18. apud Lullum.

VErnacula Lulli Oda, cap. De Nomine Filii, fol. 276. col. 2. sic habet:

Deus, qui es Fill de Deitat,
Es Pare de Hom Deificat,
Perço, quen Deificar sial Pare resemblat.

Latinè: *Deus, qui est Filius de Deitate vel Deitatis,*
Est Pater Hominis Deificati,
Adhoc, ut in Deificando sit similis Patri.

Quid hìc potest reprehendi? carpet Eimericus primum Odæ versiculum, quasi Lullus insinuet, Divinam Essentiam gignere? nam & hoc ipsum Eimericus conatus est novem Articulis; hoc est, 2. 3. 4. 6. 10. 13. 15. 16. & 17. ut appareat, quantum brevitati studuerit is, qui ex uno Articulo decem fecerit: hìc primum Odæ versiculum in pravum detorsit sensum, cùm sanè interpretari posset; nam præpositio *De* in lingua vernacula verti potest simul & per casum gignendi (quo sensu Eimericus transtulit, *Deus, qui est Filius Deitatis*) & per auferendi casum, redditque sensum hujusmodi: *Deus, qui est Filius de Deitate*; Deus, scilicet à Deo Patre de Deitate natus: in priori tamen sensu locutus est Augustinus (de quo solo nunc ambigi posset) Lib. 15. de Trinitate, dicens: *Christum esse Filium substantiæ Patris:* tractans enim illud Apostoli ad Colos. 1. *Qui eruit nos à potestate tenebrarum, & transtulit in Regnum Filii claritatis suæ:* ait: *Nihil aliud intelligitur, quam Filii sui dilecti, quàm Filii substantiæ suæ:* Poterat ergò Lullus dupliciter exponi, tum ût solent hæ locutiones, Filius iniquitatis, Filius perditionis &c., id est, Filius iniquus, perditus &c.: tum ût locutio Augustini exponitur. Qua de re Petrus Lomb. in 1. Sent. in calce Distinctionis quintæ.

Sugillabit Eimericus vocem illam secundi versiculi, *Deificat?* at ea vox usurpatur à Damasceno, & est aptissima: quid, inquies, sibi vult, *Est Pater?* est sanè Pater non solùm creatione, conservatione, fine, ideâ, sed etiam Hypostaticâ Conjunctione. Jam versiculus tertius argutiæ plenus est; ut enim Filius quodam pacto Patri assimiletur, externè se Hominem facit, hac in re Patri similis; similis inquam, nam alio modo Deificat Pater Filium, alio Filius se Hominem.

Articulus 19. apud Eimericum.

QUòd Spiritus Sanctus est conceptus de Patre & Filio. *In Lib. de 300. Proverb.*

Articulus 19. apud Lullum.

AGit hìc suo modo Eimericus, dum integrè non refert Lulli sententiam, Lullus enim in 1. Par. Proverb. cap. 8. fol. 5. ita habet: *Tertia Persona est propter hoc Sanctus Spiritus, quia est una Conceptio Amoris, qui exit de duobus:* quid hìc non Catholicum? offendit illum fortasse *Conceptionis* nomen? at vox est apposita ratione particulæ *cum*, quæ Spiritui Sancto aptissimè quadrat, qui simul est à Patre & Filio: est igitur Spiritus Sanctus una (non multæ) Conceptio passiva, uti etiam Spiratio passiva ab omnibus appellatur: *Amoris* autem, quippe, qui per modum Voluntatis procedit: minùs placuit vox illa, *Exit?* at verbum est convenientissimum, & ab Augustino usurpatum in Lib. 5. de Trinitat. cap. 14. *Spiritus Sanctus* (inquit) *procedit à Patre, non quomodo natus, sed quomodo datus, vel donum; Filius autem processit nascendo, exiit ût genitus:* ac per hoc illud eluceslit Augustino Interprete, cur Spiritus Sanctus etiam non sit Filius, cùm & ipse à Patre exeat. Si contendas, *concipit* esse proprium Verbi, unde id colligis? nunquid non convenit Voluntati? & aptissimè, ût bene Gerson p. 3. n. 60. lit. P. *Conceptiones* (inquit) *in utero animæ rationalis tot modis possunt multiplicari quoad potentiam appetitivam, quot modis variantur quoad apprehensivam seu cognitivam.*

Articulus 20. apud Eimericum.

QUòd Spiritus Sanctus procedit à Patre & Filio, ut sit æqualis Patri & Filio, ita, quòd habeat duas passiones, unam scilicet à Patre, & aliam à Filio, sicut Pater habet duas actiones, & Filius unam actionem & unam passionem. *In Lib. de 7. Arborib. & in Lib. super 1. Senten. q. 12.*

Articulus 21. apud Eimericum.

QUòd duæ passiones Spiritûs Sancti sunt de tota activitate Patris, & stant sicut una Persona, sicut duæ activitates, unum principium. *In Lib. de 7. Arboribus.*

Articulus 20. & 21. apud Lullum.

ARticulus 20. reperitur in Lib. Proverb. 1. Par. cap. de Sancto Spiritu, fol. 5. sub his verbis: *Adeò nobilis est Sanctus Spiritus per duas passiones, sicut Pater per duas actiones, & Filius per unam passionem & unam actionem.* Et in Lib. 1. Sent. q. 12. *Et sic à simili convenit, quòd Sanctus Spiritus procedat à Patre & Filio, ut sit æqualis Patri scilicet & Filio, & quòd sic habeat duas passiones, unam scilicet à Patre, & aliam à Filio, sicut Pater habet duas actiones, & Filius unam actionem & aliam passionem.* Subticuit Eimericus, quod sequitur: *veruntamen non dicimus duos Spiratores, sed unum tantùm, ût probavimus:* quare subticuit? an etiam, ut Lectori locus suspicandi daretur, num juxta Lulli sententiam Pater & Filius sint unum Spiritûs Sancti principium? sint unus Spirator? spirent ût unum?

Articulus 21. reperitur in Arb. Scient. fol. 171. col. 4. titul. de Quæst. Differen. Concord. & Contrar. de Flor. Arb. Divin. in fine Capitis: *Duæ* (inquit) *passiones Sancti Spiritûs sunt de tota activitate Patris & Filii; & ita sunt una Persona, sicut duæ activitates sunt unum principium.*

Quòd item in Spiritu Sancto sit tantùm una personalis proprietas, Spiratio scilicet passiva, indubitata est & constantissima Lulli Sententia; nam in 1. Par. Proverb. cap. de Divina Singularitate ait: *Ita bene convenit Deo singularis Paternitas, Filiatio & Spirabilitas, sicut singularis infinitas & æternitas.* Et Lib. de Arte Invent. p. 2. de mille qq. minutis: *In Deo est triplex modus proprietatum personalium, videlicet singularis, dualis & ternalis: singularis, sicut Paternitas, Filiatio & Spirabilitas.* Lib. de Quinque Sapient. cap. 73. *In Deo est considerare proprietates tribus modis, scilicet proprietatem singularem, dualem & ternalem; est autem proprietas singularis, quæ uni Personæ tantum convenit, sicut Paternitas Patri, Filiatio Filio, & passiva Spiratio S. Spiritui.* Et cap. 11. *Spiritus Sanctus est fons & complementum sui ipsius & Patris & Filii; complementum est enim sui ipsius, quoniam ipse est una sola Spiratio & finis Patris & Filii, quia*

in eo complectur numerus omnium trium. Et cap. 42. *In specie humana, in qua sunt plures patres, & per consequens plures filii, quorum quilibet necessariò est limitatus, non est tanta relatio, sicut in Essentia Divina, si in ipsa est unica singularis Paternitas, & non plures, unica singularis Filiatio, & non plures, unica singularis Spiratio, & non plures.* In Arbor. Scien. cap. de q. Spiritûs Sancti: *Spiritus Sanctus est ex Patre & Filio, in quantum est ex communi Spirativitate, & est una Persona & una Spirabilitas, in quantum est ex una Spirativitate, & non ex pluribus.* Et paulò post ibidem: *In hoc, quòd Pater & Filius sunt distinctæ Personæ, est Spiritus Sanctus ex Patr & Filio; & in quantum Pater & Filius sunt una Spirativitas, & non plures, Spiritus Sanctus est una Spirabilitas, & non plures; & est totus Spiritus Sanctus ex Patre, & totus ex Filio.* Et in Arbor. Divin. cap. de Spirabili Proprietate: *Omnes dignitates sunt sub una passiva Spiratione, quæ est Proprietas personalis, & constituta de responsione, quam facit commune Ens dignitatibus secundum activam Spirationem, propter quam dignitates requirunt passivam Spirationem.* Mitto alia testimonia, velut in Lib. de Quinque Sapient. cap. 4. *considerari potest Proprietas multis modis &c.* Et cap. 5. *Necessarium est, Spiritum Sanctum &c.* Et in primo Sent. q. 14. *Pater & Filius debent dici &c.* Et paulò post: *Item oportet, quòd sint verus &c.* Et ibidem in calce: *Pater & Filius ita sunt &c.*

Quid ergò sibi voluit Lullus, dum in Articulo præcedenti Sancto Spiritui tribuit duas passiones? nempe Græcos refellere, contra quos scripsit, & significantiùs exprimere, ipsum à duabus Personis procedere; si enim unam passionem dixisset, ad solam Patris actionem referri potuisset; duas autem dicendo, non potest, quin ejus productio ad Patrem & Filium referatur: dicitur ergò Spiritus Sanctus habere duas passiones, comparatione ad duas Personas, è quibus habet originem. Si vim & principium attendimus, unica est Spiritûs Sancti passio; si Personas producentes, cùm à duabus procedat, eâ tantùm ratione duæ appellantur, quemadmodum in Proverbiis *amare* dicitur communis relatio amantis & amabilis; non communis, quæ conveniat multis, sed uni, quod respicit multa. Hanc esse Lulli mentem, apertè ostendit locus ex Lib. de Quinque Sapientibus cap. 7. *Græcus: Si Spiritus Sanctus exit à Patre & Filio? &c.* Respondet Raymundus Græco his verbis: *Ad hoc, quod dicis, quòd Spiritus Sanctus habeat unam proprietatem à Patre, & aliam à Filio, verum esset, si Spiratio non esset proprietas communis; sed quia est communis Patri & Filio per unum principium, per unam bonitatem, magnitudinem, æternitatem, & per unam Essentiam & Naturam, Spiritus Sanctus non potest habere duas proprietates distinctas, unam scilicet à Patre, aliam à Filio; quia esset duplex Persona: & Unitas, quam Pater & Filius habent in spirando, conservat, quòd Sanctus Spiritus sit tantùm una Persona & una Proprietas passiva spirata: & propter hoc Spiritus Sanctus non potest esse major, quàm Filius; quia una Persona respondet alii in æqualitate: nec magnitudo, bonitas, æternitas sunt majores in Sancto Spiritu, quàm in Filio, postquam Sanctus Spiritus non habet duas Proprietates personales.*

Articulus 22. apud Eimericum.

QUòd de Patre & Filio & Spiritu Sancto sic est, quòd quilibet eorum stat tam completus, sicut alius, & stant omnes tres unus Deus, non distincti in aliquo. *In Lib. de Confess. Contr. Satisf. & Oratione.*

Articulus 22. apud Lullum.

FIngamus, istum esse ad verbum Lulli Articulum, qui certè non est, in eo nihil est reprehensione dignum, nisi detorqueantur verba illa: *Non distincti in aliquo*: quasi inde colligi possit sublata distinctio Personarum: verùm ejus erroris suspicio in Lullum nullo pacto tunc cadere posset, cùm nullum sit ejus opusculum, in quo ipse de Trinitatis mysterio agens, Personarum distinctionem non explicatissimè tradat: & ut deessent alia Lulli scripta, is ipse Articulus eum ab erroris nota manifestissimè vindicat: perpendamus singula verba. Primum: *Quilibet eorum*, distincti ergò. Secundum: *Tam completus*, si numeris omnibus absolutus, æquè unus atque alius; distincti ergò. Tertium est: *Alius*, quæ apertissima est nota distinctionis. Quartum est: *Omnes tres*, multi ergò & distincti

Obstat, inquies, vox illa, *In aliquo:* referenda tamen est ad illud unum, in quo tres referuntur, hoc est, ad rationem divinitatis, comparatione ad quam tres Personæ nullam habent distinctionem: sunt itaque tres tam unus Deus, ut non sint in aliquo (quod ad Deitatem pertineat) distincti.

Adde, quòd Doctor Antonius Belver, post diligentem omnium Lulli Operum discussionem in sua Apologia disertè negat istum Articulum: vel certè Eimerici Patronus & Actor producat hunc Articulum, & in Lulli Codice rem acu tangat, ùt dicitur: siquidem omni Actori onus probandæ assertionis incumbit.

Articulus 23. apud Eimericum.

QUòd tantum sunt tres Personæ Divinæ in unione, quòd nulla illarum trium potest aliquid agere intrinsecè sinè aliis; quia nec generare nec spirare. *In Lib. Contempl.*

Articulus 24. apud Eimericum.

QUòd Generatio & Processio non possunt esse in Divinis per unam vel duas Personas solùm, minùs de omnibus tribus. *In Lib. de Contemplat.*

Articulus 23. & 24. apud Lullum.

ARticulus 23. reperitur in Lib. 1. Contempl. Dist. 5. cap. 11. fol. 26. his verbis: *Tant son les tres Persones en unto, que neguna de les tres Persones no pot ninguna cosa fer menys deles autres: y assò, Senyor, es per aço, com lo Pare no porie engenerar lo Fill, si lo Fill no rebia Generacio dell; ni poria dar Processio al Sanct Sperit, si el Sanct Sperit no rebia la Processio del Pare.*

Latinè: *Adeò sunt tres Personæ Divinæ conjunctæ inter se eidem Substantiæ Divinæ, quòd nulla ex tribus Personis aliquid potest agere absque aliis; Pater enim non posset Filium gignere, nisi Filius ab eo Generationem caperet &c.* Ex cujus literæ contextu apparet, & additum esse ab Eimerico adverbium illud *intrinsecè*, & omissam totius Axiomatis explicationem: Axioma enim verbum habet ex interna relatorum natura, quæ est, ut ex relatis nullum possit esse aut cogitari sinè altero.

Articulus 24. reperitur ibidem, fol. 26. sub his: *O Sancta Trinitat, beneyta siau vos; car enaxi com Generacio ni Processio no poria esser en vos per la una, o per les dues Persones tantsolament menys de totes tres*

tres, enaxi ninguna de les Persones no poria en aquest mon fer nulla cosa la una menys de les autres.

Latinè: *O Sancta Trinitas, benedicta sis tu; quia sicut Generatio vel Processio non posset esse in te per unam Personam tantùm, vel per duas, nisi omnes tres Personæ essent simul, sic una Personarum non posset esse in actu sine reliquis duabus.* Hæc est Lulli argumentatio, ubi notanda est statim calliditas Eimerici proponentis Articulum sub Axiomatis forma, non sub Ratiocinii: deinde, quàm violenter Eimericus interpretatur Lullum; quæ enim versio ista, *Minus de tribus?* Porrò, Articulus 24. & 23. non differunt: an eadem sententia variis verbis reddita producit alium Articulum? eandem planè repetivit ibi Lullus Sententiam, tametsi in alium scopum: adhibetur enim altera pro argumento alterius à simili; quod Eimericus dissimulavit.

Articulus 25. apud Eimericum.

QUòd, stante Filio de toto Patre, & stante Spiritu Sancto de totis ambobus sinè aliqua conditione contrarietatis stat eorum distinctio & concordia in majori majoritate, quæ potest esse; & tres Personæ Divinæ distinguuntur majori distinctione, quæ potest esse. *In Lib. de 7. Arbor.*

Articulus 26. apud Eimericum.

QUòd, sicut inter Patrem & Filium in Divinis est major unitas & concordia, quæ potest esse, sic inter eos est major distinctio, quæ possit esse. *Ibidem.*

Articulus 27. apud Eimericum.

MAlè faciunt illi, qui dicunt, quòd inter Patrem & Filium & Spiritum Sanctum non sit tanta distinctio, quanta est inter Deum & equum; cùm inter Divinas Personas sit major concordia, quàm inter Deum & equum: quæ major concordia non potest esse sinè majori distinctione Personarum. *Ibidem.*

Articulus 25. 26. & 27. apud Lullum.

ARticulus 25. reperitur in Quæst. Differ. Concord. & Contrar. de Florib. Arb. Divin. fol. 171. col. 3. his verbis: *Pater & Filius & Spiritus Sanctus quomodo sunt in majori majoritate distinctionis & concordiæ?* Solutio: *Existente Filio ex toto Patre, & Spiritu Sancto existente ex ambobus sinè aliqua conditione contrarietatis, est eorum distinctio & concordantia in majori majoritate, quæ possit esse.* In quibus, quid ampliori opus est luce? addit quoque de suo Eimericus: *Et tres Personæ Divinæ distinguuntur majori distinctione, quæ possit esse:* nullibi autem ita legi, videre est apud Lullum.

Articulus 26. & 27. Raymundus in Arb. Christ. cap. de Branchis Arb. Jesu Christi, fol. 87. col. 3. in fine ita habet: *Quam majorem differentiam significat major distinctio, quæ est inter unam Personam Divinam & aliam; & idem est de concordantia: idcirco male dicunt illi, qui dicunt, quòd inter Patrem, Filium & Spiritum Sanctum non est ita magna distinctio, sicut inter Deum & equum; cùm inter divinas Personas sit major concordantia, quam inter Deum & equum: quæ major concordantia non posset esse sinè majori distinctione Personarum.* Ex quibus obiter patet, quàm sit proclivè Eimerico, ex uno plures facere Articulos.

Jam, Differentia potest dici major duobus modis. Primò, in ratione formali differentiæ, quæ alterum ab altero distinguit, & distinctiùs, & pluribus modis: sic essentialis major est, quàm realis; & hæc major, quàm rationalis vel formalis: quæ enim essentiâ differunt, plùs differre non possunt: atque eadem re & rationibus differunt. Consimiliter Differentia generica major est, quàm specifica & quàm numeralis; nam quæ genere distinguuntur, & maximè distinguuntur, & eadem specie & numero distinguuntur: Differentia quoad rationem suam formalem sic se habet, ut major includat minorem; non contra: & ita essentialis includit realem & formalem; non è converso: generica includit specificam & numeralem; non è diverso.

Alio modo Differentia potest dici major quoad sui nobilitatem; hæc autem est illa, quæ nobilioris est subjecti, vel quæ conjuncta est cum concordia, absque pugnantia: hac de re ita habet Lullus in Floribus Arbor. Divin. cap. de Differen. Concord. Contrar. & Major. fol. 105. col. 3. *Cùm ita sit, quòd concordantia concordet cum esse, & contrarietas cum privatione, convenit, quòd differentia sit major in concordantia, quàm in contrarietate: cùm ita sit, quòd majoritas habeat concordantiam cum esse, & minoritas cum privatione: est ergo differentia major in concordantia, quàm in contrarietate.* Hæc Lullus, manifestissimè indicans, tum in quo sita sit majoritas differentiæ, in pura nimirum concordia absque pugnantia, tum, in quo sita sit majoritas concordiæ, nempe in consensu cum esse.

Colligitur ex dictis: primò, latum esse discrimen inter utramque acceptionem differentiæ; nam differentia in ratione formali major appellatur, comparatione unius ad alteram; major in nobilitate, comparatione ad subjectum vel ad conjunctum. Deinde, quæ major est in ratione differentiæ, minor est in nobilitate: & quæ in nobilitate est major, minor est in ratione differentiæ: nam, quæ cum concordia conjunctiùs hærent, quàm cum pugna, habent majorem differentiam in nobilitate (ùt Lullus apertè ait) & minorem in ratione formali differentiæ.

Colligitur deinde, repugnare Lulli Doctrinæ & Catholicæ Veritati, quòd differentia inter Personas Divinas major appelletur in ratione formali distinctionis, quàm ea sit, quæ est inter Deum & equum; nam major distinctio, quæ possit esse inter Divinas Personas, est realis cum identitate Essentiæ & Naturæ. Id habetur in Lulli Scriptis ubique obvium; velut in Lib. de Quinque Sapien. cap. 37. *Sequitur igitur* (inquit) *in Deo realis distinctio Personarum, sive rerum distinctarum, quas Personas vocamus, ne ipsæ Formæ Divinæ sint sibi invicem quælibet cuilibet in omnibus & per omnia, quæ dicunt nobilitatem & excellentiam, defectivæ: & sic ipsæ dignitates, quæ idem sunt in existere secundùm rem, quantum est de se, sinè distinctione reali & etiam rationali, nisi in ratione naturæ, quæ simul non potest eas apprehendere, nec aliquid in Deo ponere, sunt distinctæ secundùm rationem ab æterno ratione actûs, sive per agere: nam dato, quòd nunquam esset intellectus, Deus ab æterno esset sapiens, bonus ratione actûs, qui supposito convenit: & mediante rationali distinctione ipsarum dignitatum constituitur distincto realis suppositorum, quæ non potest esse major: & mediante similiter illâ in ratione, quæ minor est, reducuntur suppositæ in Unitatem Essentiæ, quæ una est in omnibus, immensè & æternaliter bona, magna &c.*

Articulus 28. apud Eimericum.

QUòd extra Deum differentia est major in pluralitate, & concordia in unitate; sed in Deo est æqualitas in differentia & unitate. *In Lib. Amati & Amici.*

Articulus 28. apud Lullum.

REperitur in Libello de Amico & Amato, num. 301. *Respondit, quòd extra suum Amatum differentia esset major in pluralitate, & concordantia major in unitate; sed in Amato essent æquales & in pluralitate & unitate.* Non video, quid in hoc Articulo Eimericus reprehendat, nisi fortè differentiæ nomen illi suaserit cogitare, idem hìc tractari, quod in Articulis 26. & 27. vel imperfectum Articulorum sæculum explere maluerit.

Articulus 29. apud Eimericum.

QUòd, in quantum Filius in Divinis est distinctus à Patre & Spiritu Sancto personaliter, potest esse incarnatus sinè hoc, quòd illi sint incarnati; sed in quantum omnes tres Personæ sunt una Essentia & Natura, oportet, quòd Pater & Spiritus Sanctus sint ita veraciter Homo per Incarnationem, sicut Filius. *In Lib. de 7. Arbor.*

Articulus 30. apud Eimericum.

QUòd Unitas Naturæ & Essentiæ Divinæ facit stare æqualiter tres Personas Divinas Hominem Deitatum. *Idem.*

Articulus 29. & 30. apud Lullum.

ARticulus 29. reperitur in Arbor. Scient. in Quæst. de Florib. Arbor. Jesu Christi, de Potestate, fol. 167. col. 4. his verbis: *In quantum Filius distinctus est à Patre & Spiritu Sancto personaliter, potest esse incarnatus, licèt Pater & Spiritus Sanctus non sint incarnati; sed in quantum omnes tres Personæ sunt una Essentia, una Natura, convenit, quòd Pater & Spiritus Sanctus sint ita verè Homo per Incarnationem, sicut Filius.*

Circa sensum hujus Articuli facit, quo d egregiè scripsit D. Franc. Suarez Tom. 1. Comment. in 3. Par. quæst. 3. Disp. 12. & 13. Unde constet, potuisse Deum Humanam Naturam cum Divina conjungere, absque unione ad Personam: sed & Auctor ipse D. Thomas in 3. p. q. 3. art. 3. cujus est hæc conclusio: *Abstractâ Personalitate per intellectum possumus adhuc intelligere Naturam assumentem.* Ubi Cardinalis Cajetanus: *Sicut hic Deus non inveniretur, nisi Pater & Filius & Spiritus Sanctus, ita tunc hic Deus Homo non inveniretur, nisi Pater & Filius & Spiritus Sanctus: sicut enim nunc, quicquid convenit huic Deo secundum se, convenit Patri & Filio & Spiritui Sancto, ita tunc, esse Hominem; quia conveniret huic Deo secundum se, hoc est, non ratione trium Personarum conveniret cuilibet Personæ Divinæ.*

Idem affirmat Scot. in 3. q. 1. cui favet Durand. in 3. d. 4. Uniretur ergò Natura Humana cum Divina, tanquam sustentatum cum sustentante: uniretur cum Verbo Divino, tanquam dependens cum independente: unitur præterea cum Verbo in Unitate Personæ: unitur cum Natura, sed non in Unitate naturæ: denique unitur cum Natura, priusquàm cum Verbo: & appellatur Pater, Homo, non ratione Unionis Humanæ Naturæ cum Verbo, sed cum Divina Natura, quæ unicissimè & indistinctissimè est in tribus Personis, ita tamen, ut Homo hic non sit perfectæ Personæ indicium. Quod insinuat Lullus partim in Quæst. Flor. Arb. Jesu Christi, cap. de Potestate, eod. fol. 167. col. 4. his verbis: *Cum Filius sit incarnatus, & non Pater, neque Spiritus Sanctus, tres Personæ Divinæ quomodo possunt esse æqualiter Homo?* Solutio: *Unitas Naturæ & Essentiæ Divinæ facit, esse æqualiter tres Personas Hominem & Deum.* (Qui est 30. Articulus apud Eimericum) partim his verbis, ibidem: *In quantum omnes tres Personæ sunt una Essentia, una Natura, convenit, quòd Pater & Spiritus Sanctus sint ita verè Homo per Incarnationem, sicut Filius:* quod est dimidium Articuli 29. ût præmisimus.

Notandum præterea circa eundem Art. 29. exemplar vernaculum correctiùs loqui, dum ait: *convenit*, non, *oportet:* neque vacat illa particula: *Per Incarnationem*; nam per Incarnationem, quæ est dependentia Naturæ Humanæ ad Personam Verbi terminantis illam, fit Unio Naturæ Humanæ cum Divina, non tanquam terminante, sed tanquam sustentante: & hæc unio est ratio, cur Pater appelletur Homo, non tamen incarnatus.

Articulus 30. desumptus est (ût prædiximus) ex eodem loco, fol. 167. col. 4. in quo vox illa: *Hominem Deitatum*, non est, quòd quemquam offendat; cùm illâ utantur Damasc. Lib. 3. de Fide Ortho. cap. 12. 17. & Lib. 4. cap. 9. D. Thom. 3. p. q. 2. a. 1. ad 3. & Petr. Lomb. in 3. Sent. d. 7.

Articulus 31. apud Eimericum.

QUòd in Persona Filii Dei accepit Natura Humana participationem cum Persona Dei Patris & Dei Spiritûs Sancti. *In Lib. de 300. Proverb.*

Articulus 31. apud Lullum.

QUid in hoc Articulo reprehendat Eimericus, ipse viderit, si fortè vocis alicujus improprietatem, id communi hominum imbecillitati condonet; licèt, cùm in Divinis non tam loquamur, quàm balbutiamus; ût sæpe conqueritur Lullus, præsertim in Prologo Artis Inventivæ: & tamen is Articulus in eo Libro non reperitur.

Articulus 32. apud Eimericum.

QUòd tunc, quando Filius Dei accepit Humanam Naturam, produxit Personam Hominem in sua Persona, sic in amando esse Hominem, sicut produxit cum Patre Spiritum Sanctum. *In Lib. de 7. Arbor.*

Articulus 32. apud Lullum.

FErè nihil est in Lulli Scriptis frequentius, quàm Catholica Confessio de una Persona in Christo: in Arb. Christia. in fine cap. de Radicibus Arbor. Jesu Christi, fol. 86. col. 4. *Et ambæ Naturæ distinctæ manent in una Persona, quæ est Dominus Jesus Christus.* Et in qq. trunci Arb. Christi: *Utrum in Jesu Christo &c.* fol. 129. col. 2. In 3. Sent. q. 94. fol. 52. pag. 1. *Deus cum Natura assumpta existit una Persona ex duabus Naturis &c.* Et q. 95. fol. 52. pag. 2. *Sicut Deus non potuit assumere &c.* Et fol. 54. pag. 1. q. 98. *Raymundus consideravit, quomodo ex pluribus &c.* q. 101. *Deus Filius est Suppositum &c.* fol. 55. pag. 2. & q. 102. *In Christo sunt duæ Naturæ &c.* Quin integra

gra Disputatio de hac re prostat in Lib. de Quinque Sapient. p. 2. cap. 12. quam si adieris, amplius quod requiras, nihil erit.

Quapropter hic Articulus suppositivus jure censendus est, quem neque in sedecim Arboribus Scientiæ potui invenire, neque aliud ejus verborum inepta cohærentia prædicat, quàm Eimerici commentum aliquod esse, plura vel addentis, vel de more detrahentis: quòd si id Eimerico daremus, quod ipse contendit, adhuc exponi posset hic locus, ût alius similis ab ipso Lullo exponitur in 3. Sent. q. 102. his verbis: *Et quando dicis, quòd conveniat, quòd in Christo sint duo suppositata, postquam ipse est duo, scilicet, Deus & Homo, non sequitur, cùm Homo in se non sit suppositum, sed de sua Humanitate est factum suppositum in Divino Supposito, in quo sustentatus est & factus.*

Articulus 33. apud Eimericum.

ESse humanum est nobilius esse, quod Deus creavit, & homo melior creatura, quæ sit: & sicut Essentia Divina est summum esse in bonitate, ita Filius Dei fuit incarnatus in meliori esse, quod sit post Divinum esse. *In Lib. Contemplat.*

Articulus 33. apud Lullum.

RAymundus Lullus in Lib. 2. Contemplat. Dist. 11. cap. 54. fol. 155. pag. 2. *Granes, Senyor, lo vostre ordonament è la vostra savieſa; car enaxi, Senyor, com la vostra Essencia Divina es lo pus savira esser en bonea è en virtut, enaxi, Senyor, vos plac encarnar en lo millor esser, qui sia apres lo vostre: car (exceptat vos) totes quantes boneas son, ni seran, enfre totes no abasten ni atanyen a la bonea ni a la noblea de la nostra Dona Sancta Maria,*

Latinè, in Lib. 2. Dist. 11. *Qualiter Incarnatio Filii Dei fuit ordinata*, sic habetur; *Magna est, Domine, tua ordinatio & tua sapientia; quia sicut, Domine, tua Divina Essentia est supremum esse in bontate & in virtute, ita, Domine, tibi placuit incarnari in meliori esse, quod sit post tuum esse: quia (excepto te) omnes bonitates, quæ sunt & erunt, non sufficerent nec attingerent bonitatem & nobilitatem nostræ Dominæ Sanctæ Mariæ.*

Ex hujus literæ collatione colligere est, Eimericum (ût is sæpe solet) addere, detrahere & sensum ferè corrumpere: verùm fingamus, Lullum ita dixisse, ût Articulus habet, quid est, quod erroris notetur, ut proinde inter Articulos tali notâ dignos recenseatur? Tres sunt in eo propositiones, & quælibet recipit sensum maximè catholicum. Prima est: *Esse humanum est nobilius esse, quod Deus creavit:* tum extensivè (ût loquar Lullicè) cùm & ejus finis ad plures sese extendat, quàm finis Angeli, & ipse sit microcosmus & omnium rerum epitome, tum etiam simpliciter, cùm Homo in ordine productionis sit opus postremum, cui serviunt Angeli, tanquam administratores Spiritus, cujus & semen apprehendit Deus, non Angelos. Secunda propositio: *Homo est melior creatura, quæ sit:* quid huic obstat? cùm de ipso scriptum sit, quòd Filius Dei efficitur? cùm transformandus in eandem imaginem, quæ Deus est? cùm sit futurus Christi cohæres? cùm sit Deo maximè uniendus? Tertia propositio: *Filius Dei incarnatus fuit in meliori esse:* & quid hìc dubii? ac pro prima quidem Propositione faciunt, quæ Doctor Antonius Belver disputat in sua Apologia pro hoc Articulo, Percontatione 1. & 2. quæ unum ex præcipuis continent Lullicæ Doctrinæ fundamentis, & lectu digna sunt, & multum lucis adferunt huic argumento. Pro reliquis reliqua faciunt à prædicto Auctore doctè & ingeniosè super hoc ipso Articulo disputata.

Articulus 34. apud Eimericum.

QUòd Divina Natura, quæ est Filius Dei, voluit esse induta de Humana Natura, quæ est Christus Homo. *In Lib. de 7. Arbor.*

Articulus 34. apud Lullum.

REperitur in Arb. Mor. in titulo de Fide, Spe, fol. 42. col. 2. his verbis: *Et magna humilitas est, quòd Divina Natura, quæ est Filius Dei, velit indui Humanâ Naturâ, quæ est Christus Homo.* Ut Lullus personalem in Christo Unitatem & subsistentiam unicam emphaticoterò notet, effert quandoque per abstracta & mixtim de Deo humanæ Naturæ idiomata; non ut naturas confundat, nec ut constituat identitatem numeri inter Naturam humanam, ejusque partes & Deum, sed ut significantissimè exprimat mirabilem illam conjunctionem Naturæ humanæ cum Deo, ob idque, ut explicatiùs tradat eam conjunctionem, solet in eam referre hujusmodi idiomatum communicationes, quas efficit. Simili modo locutus est Damascenus de Orth. Fid. cap. 19. *Duæ (inquit) Naturæ unus est Christus, & unus Christus duæ Naturæ.*

Articulus 35. apud Eimericum.

QUòd Deus pro humano genere salvando, sinè hoc, quòd humanum genus petiverit veniam, voluerit ei indulgere per Incarnationem, quam accepit Misericordia, quæ est Deus. *In Lib. de 7. Arbor.*

Articulus 35. apud Lullum

REperitur & hic in eodem omninò loco, ubi proximus Articulus, hoc est, fol. 42. col. 1. & 2. sub his verbis: *Et magna misericordia fuit, quod Deus, absque hoc, quòd humanum genus petiverit veniam ab ipso, voluerit remittere per Incarnationem, quam accepit Misericordia, quæ est Deus.* Quid autem hìc reprehendat Eimericus? an non Incarnatio est primum exordium salutis nostræ? an non medium, quod Deus in salutem Hominis direxit? an non ex gratia Dei? juxta illud Pauli ad Tim. 3. *Apparuit benignitas & Humanitas Salvatoris nostri Dei, non ex operibus Justitiæ, quæ fecimus nos. In rebus* (inquit Aug. 13. de Trin. cap. 19. *per tempus ortis nulla major gratia, quàm quòd Deus fieret Homo.*

Articulus 36. apud Eimericum.

QUòd, si humana Natura potuisset se elongare à Divina Natura, & eam fugere, ut non incarnaret se in ea, fecisset; sed Natura Divina accessit ad humanam Naturam, & incarnavit se in illa. *In Lib. Contempl.*

Articulus 36. apud Lullum.

NOn potuit castiùs aut circumspectiùs dici de potentia Dei, de imbecillitate creaturæ, & ad Divinam Naturam plùs, quàm incomparabili proportione, quàm Lullus dixit in Lib. 2. Contemplat.

templ. Dist. 17. cap. 61. fol. 175. pag. 2. cujus hæc est inscriptio: *Com per Entencio Divina fo delit peccat original?* Latinè: *Quomodo per Intentionem Divinam fuerit deletum Peccatum originale?* Sic enim habet in vulgari: *Si Natura humana, Senyor, agues poder, ques lunyas de vos, è queus fugis, per tal, que nous encarnassets en ella, be o faera; car sa natura lis condona per rao de frayvoltat, è de sa mesquinea; mas la vostra Natura Divina, Senyor, qui es font de tots bens, è es força sobre totes forçes, se acosta a Natura Humana, è encarnas en ella, per tal, que asi la ajustas, è per la ajustament vostre rebe Recreatio.* Agit Lullus de potentia Dei ex hypothesi, & hac utitur, ut meliùs exaggeret modicitatem creaturæ, & Majestatem Dei: adeò fragilis est Natura humana ex suo genio, ut suæ sit exiguitatis exiguum: è converso, Natura Divina est suopte marte adeò fons omnium bonorum, & vis supra omnes vires, ut ei maximè competant insignia, & tandem quicquid est maximum: suppressit Eimericus rationem, ob quam humana Natura tantam dignitatem refugisset.

Fideliter ita rem expressit Interpres Latinus Lib. 2. Dist. 17. *Si Natura Humana, Domine, haberet potestatem, quòd se removeret à te, & quòd à te figeret, adhoc, ut non incarnareris in illa, bene hoc faceret; quia sua natura illi hoc attribuit ratione suæ fragilitatis & miseriæ; sed tua Natura Divina, Domine, quæ est fons omnium bonorum, quæ est fortitudo super omnes fortitudines, appropinquavit Naturæ Humanæ, & incarnata est in illa, adhoc, ut sibi illam conjungeret, & per tuam conjunctionem reciperet Recreationem.* Quòd autem nihil ab ejus Omnipotentia eximi possit, docet ac profitetur Lullus, cùm multis in locis, tùm in primis hoc ipso, unde depromtus est hic Articulus: *Domine Deus,* (inquit) *sicut res privata ipso esse, non habet aliquam potestatem tibi resistendi, sic nihil, habens esse, potest resistere tuæ voluntati, de his, quæ tibi placet ordinare:* & in Arte Inventiva, 8. Reg. cap. de Divina Essentia: *Item transcendit Intellectus, cùm attingit Divinam Entitatem &c.*

Articulus 37. apud Eimericum.

QUòd Natura Divina in Christo unita Humanitati à Peccato originali purificavit, custodivit & mundavit ejus Humanitatem, ut non esset in ea. *In Lib. Contemplat.*

Articulus 37. apud Lullum.

RAymundus Lib. 2. Contemplat. Dist. 17. cap. 61. fol. 177. pag. 1. ita habet: *Si la Natura humana, que vos, Senyor, preses, no fos purificada è mundada del Peccat original, per rahó del ajustament, que feu ab la Divinal Natura, qual cosa, Senyor, fora aquella, qui pogues recrear tot lo humanal linatge?*

Latinè: *Si Natura humana, quam tu, Domine, assumpsisti, non esset purificata & mundata ab originali Peccato, propter conjunctionem cum Divina Natura, quidnam, Domine, illud esset, quod totum humanum genus posset recreare?* Addidit Eimericus verbum: *custodivit*, demsit: *quod totum humanum genus posset recreare.*

Dixerat paulò antè Lullus eodem cap. fol. 176. pag. 1. *La vostra Deitat, Senyor, es tan noble cosa, è de tan gran Santedad, que la Natura humana, en que ella se encarna, convenc, que fos purificada è sanada è sens tot peccat è tota colpa; cor per la gran convenieneia de unio, que fo feta enfre la Natura Divina è la Natura humana, convenc, que en la Natura humana fos nulla cosa viciosa, pus que fo ajustada ab la Deitat.*

Latinè: *Tua Deitas, Domine, tam nobilis est, & tam magnæ Sanctitatis, quòd fuerit conveniens, quòd Natura humana, in qua ipsa sumpsit carnem, esset purificata & sanata & sine omni peccato & culpa; nam propter magnam convenientiam unionis, quæ fuit facta inter Naturam Divinam & humanam, fuit conveniens, quòd nihil in Natura humana vitiosum esset; quoniam cum Deitate conjuncta est.*

Quòd autem Lullus dicit: *purificare, mundare, sanctificare*, nullam supponit culpam vel maculam; quod excellentius genus est purificandi, mundandi & sanctificandi: quomodo intelligendus est etiam Joannes, dum ait de Christo Domino: *Quem Pater sanctificavit & misit in Mundum.*

Articulus 38. apud Eimericum.

QUòd in Christo sunt tres Naturæ, scilicet Divina, Anima rationalis, & Corpus humanum; & propter quamlibet istarum naturarum est Rex: nam propter Naturam Divinam est Rex Divinus & æternus: propter Animam rationalem est Rex omnium Spirituum creatorum & creabilium: sed propter Corpus humanum est Rex totius corporalis naturæ. *In Lib. de Benedicta tu.*

Articulus 38. apud Lullum.

IN prædicto Lib. cap. de tertio Gaudio Virginis ita habet Lullus: *Encare vet altra declaracio, perque foren tres Reys, è no mes; per tal, que lo mon conegues, que en mon Fill JESUS ha tres Natures, per les quals es mon Fill JESUS Rey: car per la Divina Natura es Rey Divinal, infinit, eternal: è per la Anima Rational, que ha en si lo meu Fill JESUS, es Rey de tot Esperit creat è per crear: & per lo seu Cors humanal es Rey lo meu Fill JESUS de tota corporal Natura. E la rao, perque cascun dels tres Reys de Orient portaren tres coses, ço es, Or, Ences è Myrra per fer un Present è un Do, sies perço, que donas entendre al mon, que lo meu Fill JESUS solament es una Persona, Deu è Home, è que en ell son totes les demuntdites tres Naturas, en tant, que per lor es entes Divinal, è per lo encens es entes racional, è per la Myrra es entes sensual,*

Latinè: *Ecce adhuc aliam Declarationem, quare fuerunt tres Reges, & non plures neque pauciores; adhoc, ut mundus cognosceret, quòd in meo Filio JESU sint tres Naturæ, per quas meus Filius JESUS est Rex: quia per Divinam Naturam est Rex Divinus, infinitus, eternus; & per Animam Rationalem, quam in se habet meus Filius JESUS, est Rex omnium Spirituum creatorum & creandorum: & per suum Corpus humanum est meus Filius JESUS Rex totius corporalis Naturæ. Et ratio, quare quilibet trium Regum Orientis attulit tria, hoc est, Aurum, Thus & Myrrham ad offerendum Munus & Donum, est adhoc, ut darent intelligere mundo, quòd meus Filius JESUS sit una Persona tantum, Deus & Homo, & quòd in illo sint omnes supradictæ tres Naturæ; sic, ut per Aurum intelligatur Divina, & per Thus intelligatur Rationalis, & per Myrrham intelligatur Sensualis.*

Quid est in hoc Articulo non rectè & doctè dictum à Lullo? num displicet trium numerus? sed Petrus Lomb. ad hoc non exhorruit in 3. Dist. 6. *Sunt autem & alii, qui istis in parte consentiunt; sed dicunt Hominem illum, non ex Anima rationali & Carne tantùm, sed ex Humana & Divina Natura, id est, ex tribus substantiis, Divinitate, Carne & Anima constare.* Quo etiam modo locutus est ibi D. Thomas quæst. 1. Artic. 3. in corp. *Et ideo* (inquit) *hoc nomen Homo* (loquitur de Christo) *comprehendit tres substantias: sed duas ex parte significati, tertiam ex parte suppositi.* Imò & D. August. Lib. 13. de Trinit. *Sic Deo conjungi potuit Humana Natura, ut ex duabus substantiis fieret una Persona; ac per hoc jam ex tribus, Deo, Anima & Carne.* Huc etiam respexit D. Athanasius in Symb. asserens, in Christo non confundi substantias, sed uniri in Unitate Personæ: *Non* (inquit) *confusione substantiæ, sed Unitate Personæ; nam sicut Anima rationalis & Caro unus est Homo, ita Deus & Homo unus est Christus.* Sentit etiam cum Lullo, Suarez in 3. Par. Tom. 1. Disp. 15. Sect. 4. §. *Ex dictis verò expeditur &c.* Ubi pro modo loquendi adducit Gelasium, Concilium Toletan. Augustinum, Bernardum, & Leonem, dignus plane, qui perlegatur.

Articulus 39. apud Eimericum.

QUòd Substantia Humanitatis Christi distinguatur in tres res, scilicet Animam, Corpus & Spiritum, qui exit è duobus, scilicet à Corpore & Anima. *In Lib. Contemplat.*

Articulus 39. apud Lullum.

LUllus in quolibet homine tria constituit: Animam, Corpus & Spiritum; est autem hic spiritus conjunctio utriusque. Patet prima pars ex Lib. 1. Contempl. Dist. 5. cap. 11. fol. 27. pag. 1. *Cor en axi, Senyor, com es millor al home esser Cors è Anima è Sperit, lo qual esperit apellam la conjuncio de la Anima è del Cors, è que aquestes tres coses sian una substantia humana, que no seria, si era la una, ò les dues tansolament, en axi, Senyor, es en vos bona cosa, que siats en Trinitat de Persones, è Unitat de Essencia.*

Latinè: *Et sicut, Domine, est melius homini, esse Corpus & Animam & Spiritum, quem Spiritum appellamus conjunctionem Animæ & Corporis, & quòd ista tria sint una substantia humana, quam esset, si foret tantùm unum aut alterum prædictorum, sic, Domine, est tibi bonum, quòd sis in Trinitate Personarum, & Unitate Essentiæ.*

Altera pars Articuli patet ex Lib. 4. Contempl. cap. 246. fol. 47. col. 2. *Honrat Senyor, vos sabets, que home es compost de natura sensual & de natura entellectual, en ço, que en home ha Cors è Anima è Sperit, ço es, la conjuncio, que es feta enfre lo cors è lanima: on com home, Senyor, per lo cors sia visibile, è oint, è odorant, è gustant, è sintent, è movible de un lloc en altre, è sia de bella fayço, è haja mans à obrar les obres sensuals, è com per la Anima sia home cogitant, è apercebent, è conciencejant, è subtil, è coratjos, è remembrant, è entenent, è volent; & com home sia per lesprit durable en aquest mon entro al temps, que la Anima partex del cors, dones per aço es significat è demonstrat, Senyor, que bona cosa è bella è nobla es à home, que sia en tres coses, è mala cosa li fora, sino fossen les tres coses, en que es.*

Latinè: *Honorate Domine, tu scis, hominem compositum esse ex sensuali & intellectuali natura, cùm in homine sit Corpus, Anima & Spiritus, qui est conjunctio inter Corpus & Animam: unde cùm homo, Domine, per corpus sit visibilis, audiens, odorans, gustans, sentiens, mobilis ab uno loco ad alium, sit etiam aspectu jucundus, & habeat manus ad operandum sensualia, & cùm per Animam homo sit cogitans, percipiens, conscientiosus, subtilis, animosus, & memorans, intelligens & volens; & cùm homo per Spiritum duret in hoc mundo, quoad Anima è corpore separetur, propterea significatur & demonstratur, Domine, bonum, nobile & pulchrum homini esse, in tribus existere, & malum esset illi, nisi tria illa essent, in quibus est.*

Articulus 40. apud Eimericum.

QUòd Anima Christi diligit suam formam & suam materiam, quæ forma Animæ Christi est nobilior, pulchrior, melior & honorabilior forma, quæ sit: nec aliæ formæ aliarum creaturarum habent tantam virtutem, sicut habet sola forma Animæ Christi, in qua, propter ejus pulchritudinem illi, qui sunt in Paradiso, habent magnam Gloriam. *In Lib. Contempl.*

Articulus 40. apud Lullum.

QUid hic carpit Eimericus? fortasse, quòd Anima rationalis habeat materiam & formam: si is error esset in Lullo, idem esset in D. Bonaventura in 2. Dist. 3. q. 1. & in Henrico in Summa: in Scoto, q. de Anima: & in Nicolao de Niss. q. 2. de Anima humana, & q. 3. de Angelorum naturali Conditione. Quid autem materiæ, formæ & actûs nomine in Schola Lulli intelligendum sit, pluribus declarat Belverius in sua Apologia super hunc Articulum; quæ si legantur, adferent magnam lucem, ut hic Articulus & alii loci probè intelligantur.

Sed audiamus Lullum ipsum, qui non modò in Corpore, sed etiam in Anima ponit materiam, formam & actum, seu conjunctionem, in Lib. 5. Cont. cap. 27. fol. 97. col. 2. *La quinta Manera de Amor es, Senyor, com la vostra Anima ama la sua materia entellectual &c.* Et post pauca, col. 3. *Ferm Senyor sobre totes fermetats. La sexta Manera de Amor es, com entellectualment entenem, Senyor, que vostra Anima gracioza remembre è enten, la sua forma matexa esser la pus noble è la pus bella è la millor è la pus honorada forma, que sia, ni totes les altres formes creades no an enfre totes tanta de virtut, com ha tansolament la forma de la vostra Anima beneyta.* Et infrà ibidem, col. 4. *Tant es alt è excellent è noble è bella è glorioza, Senyor, la forma de la vostra Anima, è tant es amada è honorada, que, en axi com la boneza è la belleza de la forma del vostre Cors es ocasio à glorijejar totes les sensualitats dels homens justs, quant lurs sensualitats seran en gloria, en axi, Senyor, la forma de la vostra Anima per sa gran virtut è nobleza è belleza es ocasio à totes les Animes dels Sants de Paradis, è à tots los Angels, com, veent ella, ajan gloria è benedicio della &c.*

Latinè: *Quintus Modus Amoris est, Domine, quando tua Anima amat suam materiam intellectualem &c.* Et post pauca: *Firme Domine super omnes firmitates. Sextus Modus Amoris est, quando intellectualiter intelligimus, Domine, quòd tua gratiosa Anima recolat & intelligat, suammet formam esse nobiliorem & pulchriorem & meliorem & honoratiorem formam, quæ sit, & quòd omnes aliæ formæ creatæ non habeant intimul tantam virtutem, quantam habet forma tuæ benedictæ Animæ tantum.* Et infrà ibidem: *Tam alta & excellens & nobilis & pulchra & gloriosa est, Domine, forma tuæ Animæ, & est adeò amata & honorata, quòd, quemadmodum bonitas & pulchritudo formæ tui Corporis est occasio glorificandi omnes sensualitates hominum justorum, quando illorum sensualitates erunt in gloria, ita, Domine, forma tuæ Animæ propter suam magnam virtutem & nobilitatem & pulchritudinem sit occasio omnibus Animabus Sanctorum Paradi-*

disi, & omnibus Angelis, quòd videndo illam, habeant gloriam & benedictionem ab illa &c.

Articulus 41. apud Eimericum.

QUòd per Christum principaliter est Mundus creatus de nihilo. *In Libro de Centum Nominibus Dei.*

Articulus 41. apud Lullum.

AUdi Lullum ex loco citato, sub §. *De Nomine JESU.* fol. 283. col. 1.

JESU per tu principalment
es lo Mon creat de nient,
per ço, car te tany honrament.

Latinè: *JESU propter te præcipuè*
Mundus creatus est de nihilo,
propterea, quia es dignus honore.

Fortassè displicuit Eimerico præpositio, *per:* quam tamen ipse non bene vertit, in exemplari quippe ipsius Auctoris habetur nota finis; quam etiam adverbium *principaliter*, sive, *præcipuè*, indicat: quare vertere debuisset Eimericus, *propter Christum*, & omnis ambiguitas esse sublata.

Quòd, si neque hoc adverbium *principaliter*, aut, *præcipuè*, probat, neque probabit illud Pauli: *Christum Caput Ecclesiæ & Primogenitum omnis creaturæ & Hæredem universorum* constituentis: nec verò est, quòd molestè ferat, Mundum à Lullo dici, *de nihilo creatum:* molestè enim ferret & illud Pauli ad Hebræ. 3. *Qui omnia creavit, Deus est.*

Articulus 42. apud Eimericum.

QUòd Natura Divina & Humana in Christo sunt magnæ in Differentia & Concordia; & tam magnæ, quod, sicut est Concordia major, quàm alia concordia, quæ sit inter Creatorem & creaturam, oportet, quòd sit Differentia major inter Divinam Naturam & Humanam in Christo, quàm aliqua Differentia, quæ sit inter Creatorem & creaturam. *In Lib. de 7. Arbor.*

Articulus 42. apud Lullum.

DIfferentia, quæ asseritur major inter Naturam Divinam & Humanam Christi, est ratione Nobilitatis & Concordantiæ; qua de re dictum est suprà in Art. 26. & 27. Sed audiatur in suomet idiomate Lullus Lib. cit. Arb. Scient. cap. de branchis Arb. JESU Christi: *Enfre les dues branques esta Differencia, car una es la Natura Divina, è laltra la Humana Natura; è aytant com son grans les branques, aytant es gran la Differencia: è aytant, quant es gran la Differencia, es gran lur Concordancia, la qual an en dues les branques, en esser una Persona, un tronch, un JESU Christ: son doncs les branques grans en Differencia è en Concordança, è tan grans, que, en axi com es la Concordança major, que altra concordança, que sia enfre Creador è creatura, enaxi conve, que sia la Differencia major enfre branca è branca, que niguna differencia, que sia enfre Creador è creatura: la qual major Differencia significa la major Distincio, que es enfre una Persona Divina è altre: è aço matex de la Concordança.* Hactenus Lullus in exemplari vernaculo, unde Doctor Belver in suam Apologiam ea verba transtulit, & alias hinc ad Romanam Curiam cum cæteris Libris authenticis fuere transmissa; sic autem habentur eadem in exemplari latino satis vetusto, quod modò Romam transmittimus, fol. 87. col. 3. *Differentia est inter duas branchas, quoniam una est Natura Divina, & alia Natura Humana; & quantò majores sunt branchæ, tantò major est Differentia: & quantò major est differentia, tantò major est earum Concordantia, quam habent ambæ branchæ in essendo una Persona, unus truncus, unus JESUS Christus: sunt ergò branchæ magnæ in Differentia & in Concordantia, & ita magnæ, quòd, sicut Concordantia est major, quàm alia concordantia, quæ est inter Creatorem & creaturam, ita conveniat, quòd Differentia sit major inter brancham & brancham, quàm aliqua alia differentia, quæ sit inter Creatorem & creaturam: quam majorem Differentiam significat major Distinctio, quæ est inter unam Personam Divinam & aliam: & idem est de Concordantia.* En, convincitur Eimericus Lulli textu: primò, Lullus ex majoritate Naturarum colligit majorem Differentiam: deinde, ex majori Concordantia colligit majorem Differentiam: apertum relinquens, quantopere Eimericus in nominis ambiguitate hærere studuerit.

Articulus 43. apud Eimericum.

QUòd inter Verbum Divinum & Animam, quam assumpsit, est magna Concordia per conjunctionem & unionem; & ita magna, quòd Verbum est Anima & Homo, & Homo est Verbum cum omnibus partibus suis, & Verbum convertitur cum Anima. *In Lib. super 1. Sentent. q. 7.*

Articulus 43. apud Lullum.

INter Naturam Humanam & Divinam in Christo (juxta Lulli Sententiam) differentia perpetuò manet illæsa, id quod in scriptis Lulli est adeò perspicuum & obvium, ut superfluum sit loca referre: deinde inter utramque Naturam Unitas Personæ apud eundem Lullum illabefacta est; quæ unitas, ut per emphasim & exactiùs notetur, sit hæc prædicatio: *Anima est Verbum:* non identitate Naturæ, sed Personæ: utrumque manifestum evadit ex Lib. 3. Sent. cap. 109. fol. 60. pag. 1. *Item dixit, quòd inter Verbum Divinum & Animam, quam assumpsit, est magna differentia; cùm Verbum sit infinitum, & Anima sit finita, sed inter ipsa est magna concordantia per conjunctionem & unionem; & ita magna, quòd Verbum sit Anima & Homo, & Homo sit Verbum cum omnibus partibus: sed de Anima non est sic; quia conservat, quòd Verbum sit infinitum, & Homo sibi conjunctus sit finitus: & ideo conversio Verbi & Hominis stat in concordantia, & non in differentia.* Paulò post pag. 2. *Si homo Martinus conversus esset cum omnibus suis partibus, sicut in Christo Verbum est conversum cum Anima Christi, existens ipsa, plus posset Martinus agere de suis partibus, quia quælibet partium esset totus homo.*

Articulus 44. apud Eimericum.

QUòd Anima Christi est instrumentum, & Verbum est agens; & ideo mediante Animâ Christi Verbum comprehendit, & non immediatè. *In Lib. 3. Sentent. Quæst. 1.*

Arti-

Articulus 44. apud Lullum.

LUllus Lib. 3. Sentent. quæst. vel potiùs cap. 109. fol. 60. pag. 2. *Unde sequitur* (inquit) *quòd ratione differentiæ Anima Christi non comprehendat Verbum sibi unitum; quia si ipsum comprehenderet, esset conversio in differentia, in tantùm, quòd differentia esset annihilata; quod est impossibile: sed comprehensio consistit per concordantiam & unionem, sicut Christus, ut Verbum, qui cum Anima, quam assumpsit, se totum comprehendit, intelligendo se totum cum suo intellectu humano, & se totum diligit cum sua humana voluntate: Anima tamen Christi instrumentum est, & Verbum est agens; & ideo mediante Animâ Christi Verbum comprehendit, & non immediatè; sed illa comprehensio extensivè fit, & non intensivè; cùm non sit proprium Animæ infinitum attingere, sed est illi appropriatum per Verbum sibi unitum: sed Verbum se ipsum & omnia intensivè attingit, cùm sit sua proprietas infinitè attingere. Respondeo ergò ad quæstionem, distinguendo per extensum & intensum, & per mediatè & immediatè, & per differentiam & concordantiam, & per proprium & appropriatum.*

Vocat Lullus Animam Christi *Instrumentum Verbi*, cum D. Thom. 3. p. q. 13. art. 2. Ubi Suarez, Sect. 3. & 4. Disp. 21. docet, hanc esse communem sententiam Theologorum: quòd autem ex vi unionis Verbum comprehendat extensivè & adscitè, probat Fulgentius ex illa Pauli Auctoritate (ût notat Petrus Lombardus in 4. Sent. d. 3.) *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei absconditi.* Ad Colossi. 2.

Articulus 45. apud Eimericum.

QUòd Christo ita fuit leve in die Passionis sustinere dolores, sicut dicere. *In Lib. Contemplat.*

Articulus 45. apud Lullum.

HIc Articulus in exemplari vernaculo reperitur Lib. 2. cap. 62. fol. 179. pag. 1. sub his verbis: *A vertader Senyor, endresament è restauram nostre, beneyt siats vos, cor vos, Senyor, sabets, que pus leugera cosa es a nosaltres dir, que siam per amor de vos pobres è aontats è turmentats è morts, que nons es leugera cosa lo sofferre. Amoros Senyor, beneyt siau vos, à qui so axi leugera cosa à sufferir totes dolors è totes amargors, com es lo dir; cor tant es gran la amor, Senyor, que vos nos portats al dia de la mort, que lo parlar el soferir so a vos dols è plesent è saboros.*

In Latino autem, Lib. 2. Dist. 12. fol. 51. col. 1. *O vera Domine, nostra directio & restauratio, benedictus sis tu, quia tu, Domine, scis, quòd nobis facilius sit dicere, quòd propter tuum amorem simus pauperes & illudamur & torqueamur & moriamur, quàm sit facile illud sufferre. Amorose Domine, benedictus sis tu, cui fuit ita leve sufferre omnes dolores & omnes amaritudines, sicut est illud dicere: quoniam tam magnus est amor, Domine, quem tu erga nos portasti in die mortis, quòd illud loqui & illud sufferre tibi fuerit dulce & placens & saporosum.* Ex quibus verbis manifestè colligitur, Lullum non quidem extenuare acerbissimos dolores Christi, sed voluisse extollere vim amoris & magnitudinem pænè incredibilem: quod totum vertendum est ad Omnipotentiam Dei, cui omnia æquè facilia sunt.

Quid autem Raymundus de cruciatibus Christi senserit, patet ex ipsius operibus, in quibus semper eos acerbissimos fuisse asserit; Præsertim in Proverb. cap. de Passione Christi, & Lib. de 100. Nominibus Dei, nomine *O Rey Creador: Salvar nos volc ab gran torment &c.* Item Lib. de Laudibus Virg. cap. de Patientia ab illis verbis: *Christus tunc habuit majorem patientiam &c.* est locus insignis, & cap. de Pietate eodem Lib.

In Apostrophe etiam Articulo decimo Quòd JESUS Christus debuerit mori: *Contrariorum* (inquit) *contrariæ sunt causæ &c.* & Lib. 2. Contempl. cap. 55. fol. 157. col. 1. *Singular Senyor, gracios, conexent: nulla pena, ni nulla malea de mort, ni null ahontament no fa a comparar, Senyor, ab aquella, que vos soferis è sostengues per amor de nos altres; cor lo treball è la dolor è la angoxa, que vos, Senyor, soferis, sobre totes dolors, è sobre totes angoxes, è sobre tots menyspresaments, è sobre tots avilaments foren, Senyor, en vos.*

Latinè, sub titulo capitis 55. Qualiter noster Dominus JESUS Christus ordinaverit in hoc mundo suam Passionem: *Singularis Domine, gratiose, cognoscens: nulla pœna, nulla malitia mortis & nulla illusio est, Domine, comparanda cum illa, quam tu sustuliisti & sustinuisti ex amore erga nos; quia labor & dolor & anxietas, quæ tu, Domine, sustinuisti, fuerunt in te, Domine, super omnes dolores, & super omnes anxietates, & super omnes vilipensiones & super omnes vilitates.*

Deinde in Lib. 4. cap. 251. fol. 58. col. 4. *Com la vostra Santa Humanitat sia digna, Senyor, de haver major gloria, que tota la gloria de totes les altres creatures, per aço es significat, que mori, & que hac major pena en sa mort, que totes les penes, qui son en les creatures.*

Latinè: *Cùm tua Sancta Humanitas, Domine, sit digna habendi majorem gloriam, quàm sit omnis gloria omnium aliarum creaturarum, propterea significatur, quòd sit mortua, & quòd habuerit majorem pœnam in sua morte, quàm sint omnes pœnæ, quæ sunt in creaturis.*

Item cap. 271. *On en axi, Senyor, com es significat al nostre enteniment, que la Anima ama mes la conjunctio, que ha ab vostre Cors, que no es tota la altra amor, qui es en les creatures, en axi, Senyor, es significat al humanal enteniment, que lo departiment, que la Anima feu del Cors al dia, que mori vostre Cors, è fou pensat en la Creu, aquell departiment fou, Senyor, a la vostra Anima major pœna entellectual, que no es tota la pena entellectual è sensual, qui es en les creatures; è la pena, que sostench lo vostre Cors, fou la major pena sensual, que no es tota la altre pena de les creatures: on per ço fou, Senyor, la pena tan gran, com es gran la amor, qui es del Cors è de la Anima; la qual pena covenia, Senyor, que fos gran, per ço, cor recreava moltes creatures de gran colpa.*

Latinè: *Unde quemadmodum, Domine, significatur nostro intellectui, quòd Anima magis amet conjunctionem, quam habet cum tuo Corpore, quàm sit omnis alius amor, qui est in creaturis, ita, Domine, significatur humano intellectui, quòd separatio, quam Anima fecit à Corpore in die, quâ tuum Corpus est mortuum, & fuit suspensum in Crucem, illa separatio, Domine, fuit tuæ Animæ major pœna intellectualis, quàm sit omnis pœna intellectualis & sensualis, quæ est in creaturis, & pœna, quam sustinuit tuum Corpus, fuit major pœna sensualis, quàm sit omnis alia pœna creaturarum: unde propterea, Domi-*

ne, pœna fuit tanta, quantus est amor Corporis & Animæ; quam pœnam conveniebat, Domine, esse magnam, ideo, quia recreabat multas creaturas à magna culpa.

Articulus 46. apud Eimericum.

QUòd tota Humana Natura JESU Christi in Passione pœnam habebat, & tota Divina Natura pœnam ejus sentiebat. *In Lib. de 300 Proverb.*

Articulus 46. apud Lullum.

SI cui sit ad manum exemplar M. S. recurrat ad illud, & mendum inesse in excusis per Joannem Tacuin. Anno 1507. fortasse reperiet; quod persuadet, primò corruptissima Proverbiorum editio: deinde editio per eundem Calcographum Quæstionum in Lib. Senten. tot scatens mendis, quot ferè verbis; ut, nisi accuratissimè emendetur, vix sit, qui possit inde sensum elicere. Extat præterea alia Proverbiorum editio per Ascensium, Parisiis Anno 1517. in qua hic Articulus ita habetur, in parte 3. Rub. 3. fol. 73. pag. 2. de Passione JESU Christi: *Tota Humana Natura JESU Christi pœnam habuit, & tota Divina pœnam in ipso agnovit:* quæ, si recta translatio censeatur veraque versio, nihil hìc residet scrupuli; quòd si legatur, ût hìc transtulit Eimericus, lege per tropum: *Sentiebat*; non sensu corporeo (nam Deus purus Spiritus est) sed cognitione.

Ut verò magìs constet, Lullum ab omni ista impietatis specie abesse, audi illum in Arb. Christianali, de branchis Arb. JESU Christi, fol. 87. col. 2. *In hac* (inquit) *præsenti vita, in qua erat Dominus JESUS Christus, Brancha Divina utebatur miraculis supra cursum naturalem, nec habebat famem, sitim, calorem, nec frigiditatem, & attingebat objecta corporalia sinè multiplicatione speciei & sinè potentiis sensualibus.* Item eodem cap. & col. *In quantum una Brancha erat in alia &c.* In eadem Arb. de Foliis cap. de Actionibus & Passionibus JESU Christi, fol. 88. col. 2. *Saraceni dicunt, quòd Christiani credant &c.*

Denique in Lib. 2. Contempl. Distinct. 16. cap. 77. fol. 224. pag. 2. *Cor nigun feel Christia, Senyor, no creu, que la vostra Deitat se exis de Natura Divinal, è ques mudas en Natura Humana; ni no creen, que la vostra Deitat hagues Passiò, ni que moris; enans, Senyor, creen, que la Humanitat, que vos preses, que ella sostench tantsolament trebayl è mort, sens que la Deitat no sostenc gens, nis camja, nis alteraja de sa Natura en poc, ni en molt.*

Latinè: *Quia nullus fidelis Christianus, Domine, credit, quòd tua Deitas exiverit à Natura Divina, & quòd sit mutata in Naturam Humanam; neque credunt, quòd tua Deitas habuerit Passionem, nec quòd sit mortua; imo, Domine, credunt, quod Humanitas, quam tu assumpsisti, tantum sustinuerit laborem & mortem, absque eo, quòd Deitas sustinuerit aliquid, nec sit mutata nec alterata de sua Natura in pauco, vel in multo.*

Articulus 47. apud Eimericum.

QUòd Corpus Christi, stans in Cruce, fuit mortuum, in quantùm Anima dimisit illud, & non fuit mortuum, in quantum Deitas ab eo non recessit; nec conjunctio Naturæ Divinæ & Humanæ fuit divisa: remansit ergò Christus vivus & mortuus: fuit mortuus secundùm cursum naturalem, sed remansit vivus supra cursum naturalem. *In Lib. de 7. Arbor.*

Articulus 47. apud Lullum.

HIc Articulus reperitur in Florib. Arb. Apostol. fol. 69. col. 1. cap. Quòd JESUS Christus fuerit mortuus: *JESUS Christus fuit mortuus in quantum Homo, non, in quantum Deus; sicut Sanctus Petrus, qui fuit mortuus in quantum corpus, non, in quantum Anima: & etiam Corpus Christi existens in Cruce fuit mortuum, in quantum Anima ipsum dimisit, & non mortuum, in quantum Deitas ab ipso non recessit, nec conjunctio Naturæ Divinæ & Humanæ fuit dissoluta: remansit ergò JESUS vivus & mortuus sinè contradictione: quoniam fuit mortuus secundùm mortalitatem humanam, vivus fuit, secundum quòd fuit Deificatus in viva Deitate, à qua vita non potest discedere.* Prima pars Articuli est velut antecedens, & tam manifestè explicata, ut nullâ egeat luce: cæterùm quòd ait, & de Naturæ Divinæ & Humanæ indivisa conjunctione, intellige de Humana, quò ad ejus partes; nam quò ad esse totius & transitum in tertium numerum, desiit. Altera pars est veluti consequens, de qua agetur Articulo 48. & 49.

Articulus 48. apud Eimericum.

QUòd mortuus fuit Christus Homo, secundùm mortem humanam, sed remansit Homo Deus, in quantum Deus remansit Homo. *In Lib. de 7. Arbor.*

Articulus 48. apud Lullum.

EXtat hic Articulus, ubi præcedens, fol. 69. pag. 1. his verbis: *Et inde sequitur, quod in Cruce Deus fuerit mortuus, & non fuerit mortuus, sinè contradictione: fuit mortuus, in quantum Homo Deus, qui, in quantum Homo, fuit mortuus: non fuit mortuus, in quantum Deus Homo, qui, in quantum Deus non fuit mortuus: idcirco Mors Christi fuit secundum cursum naturalem, & remansit vivus supra cursum naturalem, & ita sibi invicem respondent Articuli Incarnationis, Nativitatis & Passionis secundùm Naturam Humanam, & supra cursum naturalem illius.* Si hæc verba Lulli attentè ponderentur, aliud planè indicant, quàm Articulus Eimerici.

Circa verò modum loquendi, *sed remansit Homo Deus,* quo videtur Lullus rationem hominis Verbo Divino tribuere, quatenùs subsistens est in Corpore & Anima conjunctis, vel inter se, vel cum Verbo (tribuitque, ut utriusque, Corporis scilicet & Animæ indissolutam cum Verbo conjunctionem intimiùs ostendat) circa hæc inquam, videndus Divus Thomas 3. par. quæst. 50. art. 4. Bonavent. & Gabr. in 3. distinct. 22. quæst. 1. Senten.

Articulus 49. apud Eimericum.

QUòd Christus surrexit, propter hoc, ut esset Homo conjunctus ex Anima & Corpore, sicut erat Homo antequam moreretur, & quando fuit mortuus, fuit Homo, in quantum Filius Dei erat Homo. *In Lib. de 7. Arbor.*

Articulus 49. apud Lullum.

REperitur in Florib. Arbor. Apost. fol. 69. cap. Quòd JESUS Christus resurrexit: *JESUS Christus resurrexit, ut esset Homo ex Anima & Corpore, sicut fuit, antequam moreretur; & quando fuit mortuus, Homo fuit, in quantum Filius Dei erat Homo: sed non erat Homo, in quantum Anima non erat in Corpore: & quia Filius Dei voluit esse Homo de Anima & Corpore constitutus, JESUS Christus resurrexit, ut Divina Voluntas assequeretur hoc, quod volebat; quod non fuisset*

fuisset assecuta, si JESUS Christus non surrexisset de Morte ad Vitam. Ex quibus verbis apertè videtur, quòd hæc sit quæstio de nomine cùm manifestissimè constet de re ipsa.

Hinc colligitur, Christum duobus modis dici hominem: primus est communis, quo quilibet homo est homo ex mutua conjunctione Corporis & Animæ: alius est, ex Deificatione Animæ & Corporis: & utroque Lullus utitur.

Articulus 50. apud Eimericum.

QUòd in Cœlo Imperiali sunt Animæ Sanctorum, & in illo vident Deum, & contemplantur facie ad faciem, & oculo spirituali ad oculum, & in istis inferioribus locis nulla Anima potest videre & contemplari Deum sinè medio, quod est species phantastica; est ergò nobilior locus ille superior, quàm iste inferior: oportuit ergò, quòd Christus ascenderit suum Corpus in altum. *In Lib. de 7. Arborib.*

Addit Eimericus de suo: *In quo videtur intelligere, quòd Anima Christi, usque post Ascensionem, non contemplabatur, nec potuit contemplari Divinam Essentiam immediatè & facialiter.*

Articulus 50. apud Lullum.

LUllus cupiens demonstrare, quòd Christum decuerit Ascensus ad Cœlum, ex dignitate loci ita argumentatur in Florib. Arb. Apostol. cap. Quòd Jesus Christus ad cœlos ascenderit, fol. 69. *In Cœlo* (inquit) *Empyreo sunt Animæ Sanctorum, ibi Deum & contemplantur, & vident facie ad faciem, & oculo spirituali ad oculum, & in hac vita mortali nulla Anima potest contemplari neque videre Deum sinè medio, videlicet sinè specie phantastica: est ergò nobilior ille locus superior, quàm locus istius vitæ mortalis: oportuit ergò, quòd JESUS Christus suum Corpus ascenderet ad illas summitates sive altitudines, in quibus est nobilior locus: sed hoc non potuit esse, si JESUS Christus non ascendisset ad Cœlos.*

Cùm verò Raymundus ait: *In hac vita mortali nulla Anima potest contemplari neque videre Deum*, Sanctorum intellige eorum, qui in Cœlo Empyreo Deum contemplari didicerunt; nam de Anima Christi, q. 95. Senten. *Ipsa* (inquit) *Anima unita, fuit sic beata in Supposito Divino, sicut ex Humana Natura factus fuit Homo in ipso Divino Supposito; & hoc fuit necesse, ut per eundem modum fuisset Beatificatio, sicut fuit Homificatio.* Paulò post: *assumpta fuit Beata, & in eodem instanti, de non Beata, facta Beata.*

Colligit Eimericus ex verbis Lulli, videri, Animam Christi usque post Ascensionem non contemplatam fuisse Essentiam Divinam: sed id Eimerico videatur, certè non aliis. Jam, quid Animæ cum Ascensu in Cœlum? legantur quæstionis nonagesimæ quintæ illa verba: *Hoc, quod dicis, quòd, sicut Deus non assumpsit Corpus glorificatum, licet Christus factus fuisset Homo, verum dicis: & ratio, quare hoc fuit, constitit in hoc, ut illud Corpus comederet & biberet, ut Christus verus Homo appareret: etiam oportuit, quòd ipsum Corpus esset mortale, ut posset redimere humanum genus: & adhuc, quia locus iste inferior non spectat ad Corpus glorificatum, sed Cœlum: de Anima Christi verò non est sic, cùm sit immortalis, non indigens plùs unum locum, quàm alium, ergo.*

Articulus 51. apud Eimericum.

QUòd Filius Dei est bonus ratione bonitatis B. Mariæ, quæ est bona per naturam; quia habet naturalem proprietatem, quòd est bona in se ipsa, in tantum, quòd non fecit peccatum mortale, nec veniale, sed habet proprietatem per se ipsam faciendi bonum. *In Lib. de B. Maria.*

Articulus 51. apud Lullum.

CUm Raymundus scripserit plures Libros de B. Maria (utpote cui addictissimus fuit) Eimericus non modò locum, sed ne librum quidem citat: videtur tamen collectus Articulus ex Laudibus Beatiss. Virg. Mariæ, cap. 2. de Bonitate, fol. 77. pag. 2. *Tot aquest be fa Deus, qui es bo, per rao de la bondat de nostra Dona.* Latinè autem fol. 6. pag. 1. in quo loco reperiuntur hæc verba: *Omne istud bonum agit Deus, qui bonus est, ratione bonitatis nostræ Dominæ.*

Deinde, paucis interjectis, addit: *Eremita, nostra Dona es bona per Natura, car naturalment ha proprietat, que es bona en si matexa, è en tant, que hanc no feu pecat venial, ne mortal, ne hanc per nul temps della nos segui nengun mal, nes pot seguir, tant es bona è plena de tot be.*

Latinè: *Eremita, nostra Domina est bona per Naturam, quia naturaliter habet proprietatem, quòd sit bona in se ipsa, & in tantum, quòd nunquam fecerit peccatum venale, nec mortale, nec unquam ullo tempore de illa sit secutum ullum malum, nec possit sequi, adeò est bona & plena omni bono.* Post pauca: *Sic ipsa Beata Domina nostra habet proprietatem agendi bonum, quoniam bona est.*

Non video, quid in hoc Articulo possit reprehendere Eimericus: excutiamus singula: *Dei Filius* (inquit) *est bonus, ratione bonitatis Beatæ Mariæ:* quid falsi in hoc pronunciato? nunquid Christus habet aliquid boni naturalis in suo Corpore naturali, præterquam ex Virgine? præterea, *B. Maria bona per Naturam* asseritur: quis ei hoc negabit, quod nulli non convenit? an non convertuntur Esse & Bonum? Deinde, *quòd habeat naturalem proprietatem, quòd sit bona in se ipsa, in tantum, quod non fecerit peccatum mortale &c., sed habeat proprietatem per se ipsam faciendi bonum:* hoc postremum cui non conceditur? cui non est proprium bene agere, si utatur libero arbitrio? Reliqua, quis Virgini Sanctissimæ audeat negare? fortè innuit, impeccabilitatis donum Virgini concessum: *habet* ergò *proprietatem,* sed non excluso auxilio Dei.

Articulus 52. apud Eimericum.

QUòd Beata Maria relaxat peccatoribus culpas & peccata, & potest plus peccatoribus indulgere, quàm ipsi peccare, donatque virtutes & merita, Fidem, Spem & Charitatem, cùm quibus habeant homines vitam æternam. *In Lib. de B. Maria.*

Articulus 52. apud Lullum.

VIdetur hic Articulus collectus fuisse ex cap. 14. quod est de Misericordia, in Lib. de Laud. Beatissimæ Mariæ, ubi reperiuntur hæc verba, in Catalaunico textu fol. 121. pag. 2. & fol. 122. pag. 1. sic: *Seguexse de necessitat, que nostra*

Dona sia misericordiosa è lexant als pecadors colpes è pecats, è donat lus virtuts è merits, ab los quals ajan perdurable Gloria. Latinè, fol. 25. pag. 2. *Sequitur necessariò, nostram Dominam esse misericordem, dimittendo peccatoribus culpas & peccata, & dando illis virtutes & merita, quibus habeant perdurabilem Gloriam.*

Et post pauca: *En nostra Dona est Poder, Savieſa è Amor &c.: on com lo peccador prega nostra Dona de Misericordia ab Bondat, Granea, Perseverança, Poder, Savieſa è Amor, aytan tost la Misericordia de nostra Dona respon ab tota sa Bondat, Granea Perseverança, Poder, Savieſa è Amor, è al pecador perdona, è dona a el tot ço, que respon à sa demanda; è enaxi exois al pecador: segons esta manera no va en fadiga, è sien los pecats grans, ò petits, è tan grans, è tan majors, que mes no puxen esser, ò sia un pecat, è tan poch, que menor no puxa esser, que tots los trenca, els pacehya, els destrui la Misericordia de nostra Dona, qui pot mes perdonar, que pecador ni pecadors pecar, è donar mes, que home, ni homens no poden dir, ni pensar.*

Latinè: *In nostra Domina est Potestas, Sapientia & Amor &c.: unde quando peccator rogat nostram Dominam de Misericordia cum Bonitate, Magnitudine, Perseverantia, Potestate, Sapientia & Amore, tam citò Misericordia nostræ Dominæ respondet cum tota sua Bonitate, Magnitudine, Perseverantia, Potestate, Sapientia & Amore, & parcit peccatori, & donat illi omne id, quod respondet suæ petitioni; & ita exaudit peccatorem: secundum hunc modum non repellitur, sive peccata sint magna vel parva, & tam magna, & tam majora, quod non possint esse majora, vel sive sit unum peccatum, & tam parvum, quod non possit esse minus, quod omnia illa frangat, & illa deleat, & illa destruat Misericordia nostræ Dominæ, quæ plùs potest parcere, quam peccator & peccatores peccare, & potest plùs dare, quàm homo & homines possint dicere & cogitare.*

Prorsus in eandem sententiam Beatus Ephrem, in Oratione ad Sanctissimam Virginem: *Adsis semper Virgo Misericors, Clemens & Benigna, in præsenti quidem vita fervens Protectrix, hostiles impetus repellens, & me deducens ad salutem, ac in supremo vitæ momento miseram meam Animam conservans, & tenebrosos malorum Dæmonum aspectus ab ea procul abigens; in terribili autem die judicii ab æterna damnatione me liberans: postremò, inaccesse tui Filii & Dei Gloriæ me hæredem reficiens.* Et Bernardus in Sermone de Verbis, Signum magnum. *Omnibus omnia facta est; sapientibus & insipientibus copiosissimâ charitate debitricem se fecit, omnibus Misericordiæ sinum aperit, ut de plenitudine ejus accipiant universi: captivus redemptionem, æger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, justus gratiam, Angelus lætitiam &c.* Ex quibus facilè colligitur recta expositio hujus Articuli; nam culpas condonare, Virtutes Theologicas infundere, plùs posse erranti ignoscere, quàm ille possit errare, haud dubiè, Dei sunt, tanquam causæ agentis, Christi, tanquam causæ meritoriæ, Deiparæ Virginis, tanquam Misericordiæ Matris & peccatorum Patronæ præcipuæ. Quin se ipsum exponit Lullus eodem ipso capite, unde desumptus fuit Articulus, fol. 123. pag. 2. sub his verbis: *Conegueren lur defalliment, è pregaren nostra Dona, quels perdonas, ço es, que pergas son Fill, quels perdonas: nostra Dona los acapta misericordia.*

Latinè: *Cognoverunt suum defectum, & rogarunt nostram Dominam, ut illis parceret, hoc est, ut oraret suum Filium, ut illis daret veniam: nostra Domina illis exoravit misericordiam.*

Id ipsum confirmant & declarant duo loci, quorum primus est de Misericordia Matris Dei, in Arbore Maternali, capite de Ramis, fol. 84 ibi: *Misericordia est Ramus &c.* Alter, de ejusdem Advocatione, in eodem capite, ibi: *Advocatio est Ramus hujus Arboris &c.*: qui, si legantur, rem planam facient, hìc omittuntur brevitatis causâ, ibidem tamen notati reperientur.

Articulus 53. apud Eimericum.

QUòd voluntas Beatæ Mariæ est contra Justitiam; quia non dilexit Filii sui Mortem, quem Deus cùm justitia interemit: & in hoc est stulta & inobediens Beatæ Mariæ voluntas. *In Libro Orationum.*

Articulus 53. apud Lullum.

HOc loco jam Eimericum ab aperta calumnia tueri non potui, postquam ipsemet comperi rem visu facilem & apertam, perlegi attentissimè totum Librum, ne voculâ quidem unâ omissâ, & nihil hujusmodi inveni, imò multa passim, quæ cum Articulo pugnant: legantur, obsecro, quæ de eximia ejus Patientia in Morte sui Filii scripta reliquit Lullus in Lib. de Laud. Virg. cap. 24. de Patientia ibi: *In ipso die sanctissimæ Passionis &c.*: paulò post: *Patientia Domini &c.* Deinde quæ de Compassione in morte sui Filii cum complacentia maximè conjuncta, eodem Lib. partim cap. 25. de Pietate: *In illo die* (inquit) *quo ipsa benedicta Mater Dei &c.*: partim eodem ipso capite: *Decessisset quoque Beata Virgo Mater præ nimio dolore, angustia &c.* Porrò, de ejus excellentissima Obedientia, cap. 28. ejusdem Lib. illis verbis: *Protinus cùm Beata Virgo Maria &c.*: & paulò post: *Tantam convenit esse obedientiam &c.*

Jam verò voluntas Mariæ quomodo fuit contra justitiam, Lulli judicio; cùm in eodem Lib. cap. 13. de Justitia ita concludat: *Cum Filius ejus sit tantum recolibilis, intelligibilis & amabilis, & sint tot peccatores in illa confidentes, & justitia gloriæ Animæ ejus diffusa per recolere, intelligere & amare habeat correspondere huic objecto, quis ergò considerabit magnam Justitiam Animæ ejus, & operum potentiarum Animæ ejus?* & paulò post: *Tu, Mater pietatis, cum sub Cruce adesses, & aspiceres Filium tuum morientem, pro justitia Dei Patris, genus humanum restaurantem, & pro injuria Judæorum illum occidentium, tunc temporis mæstissima flebas præ angustifero dolore, passione & morte, quas in tuo Filio conspiciebas: tui quidem fletus erant pleni justitiæ, in qualibet tuarum lacrymarum aderat justitia, quoniam de fonte justitiæ procedebant, videlicet de justo recolere, intelligere & amare tuæ Animæ.*

Præterea, quomodo Voluntas Virginis Mortem sui Filii non dilexit? aut quæ usquam cum Divina conformior? hæc illa est, de qua Lullus ait eodem Lib. cap. 7. de Amore: *Secundùm quòd amatur à suo Filio, convenit, ejus amorem correspondere Deo suo Filio &c.: & etiam diligit, quæcunque suus Filius Deus & Homo in creaturis operatur:* & paulò post: *Hæc est Mater & Domina amoris, ferventius diligens, quàm quæcunque alia Domina, tota est in amore, tota est amoris, hæc largitur amorem, hæc loquitur de amore, hæc auget amorem, & quicquid agat, & quicquid dicat, est amoris, & de amore, & propter amorem.*

Virginis voluntas stulta (ait Eimericus) o vocem plenam impietatis! *Quis valeat considerare* (ait Lullus eodem Lib. cap. 6. de Sapientia) *aut quis*

quis posset æstimare, quanta laus ineſt huic beatissimæ Matri, eam sciri tam nobilem & tam excellentem Matrem, ut Deus scire nequeat, quo possit ei majorem gratiam & majorem bonitatem, magnitudinem & reliqua conferre? Postremò: voluntas Virginis (ait Eimericus) est inobediens. *At, o justa Domina virtutum* (Lullus inquit cap. 28. de Obedientia) *quilibet tenetur submittere suam voluntatem ad volendum id, quod tua voluntas, & maximè, quod vult voluntas Filii tui; quia voluntas cujuslibet est creata ad volendum id, quod voluntas tui Filii & tua vult.*

Articulus 54. apud Eimericum.

QUòd Papa est Vicarius B. Petri. *In Lib. de 7. Arbor. & in Lib. Contemplat.*

Articulus 54. apud Lullum.

IN Radicibus Arb. Apost. fol. 55. col. 2. hæc verba habet Lullus: *Debet Papa illam fidem habere, quam habuit B. Petrus, postquam est ejus Vicarius.* Idem in Floribus ejusdem Arboris cum sua explicatione repetit, fol. 60. col. 3. *Qui sunt* (inquit) *oves Domini Papæ, Vicarii seu Successoris B. Petri.* Idem alibi Papam Christi Vicarium appellat, ût in fine Apostrophes, fol. 11. col. 2. *propter quod* (inquit) *flexis genibus cum humilitate & reverentia, quanta possumus, Sanctissimo Patri summo Pontifici Domino Bonifacio, Christi Vicario, & Dominis Cardinalibus supplicamus, ut ipsi dictam viam amplectantur.* Et in Lib. 3. Contempl. cap. 110. fol. 14. *Nos veem, Senyor, que vos aveu honrat lo nostre Sanct Pare Apostolic sobre tots los homens de aquest mon; car aquell, Senyor, te lo vostre lloh en la terra, è à aquell aveu donat, Senyor, poder de absolre, è de ligar en lo Cel è en la terra: è aquells manaments, quell fa, volets, Senyor, que sien obligants tots los homens de aquest mon: on beneit siats vos, Senyor, qui tant volets honrar vostre creatura. En lo honrament, Senyor, que vos Senyor Deus fets al Papa de Roma, veem, Senyor, que honrats a tota la natura humana; car gran honrament es, Senyor, que hom sia vostre Llocktinent en terra: on, com vos un home sol hajats elet a esser sobre tots nos altres, en aço, Senyor, se manifesta, que vos sots tot sol un Deu, un Senyor, un Creador, un Benefactor, un Salvador.*

Latinè: *Videmus, Domine, quòd tu honoraveris nostrum Sanctum Patrem Apostolicum super omnes homines hujus mundi; quia ille, Domine, tenet tuum locum in terra, & illi dedisti, Domine, potestatem absolvendi & ligandi in Cœlo & in terra: & illa mandata, quæ ipse facit, vis, Domine, quòd obligent omnes homines hujus mundi: unde benedictus sis tu, Domine, qui tantum vis honorare tuam creaturam. In honore, quem tu Domine Deus facis Papæ Romæ, videmus, Domine, quòd honores totam humanam Naturam; quoniam magnus honor est, Domine, quòd homo sit tuus Locumtenens in terra: unde cùm tu unum solum hominem elegeris, ut sit super nos omnes, in hoc, Domine, manifestatur, quòd tu sis totus solus unus Deus, unus Dominus, unus Creator, unus Benefactor, unus Salvator.*

Vocatur ergò Romanus Pontifex Petri Vicarius à Lullo: *Primò*, ut eo nomine Petrus Primarius & summus Christi Vicarius designetur, cui Romanus Pontifex succedit, par, quò ad omnia, à Christo in eodem Pontificatu proximè institutus: *Secundò*, ut eo nomine Romanus Pontifex vehementiùs excitetur ad dotes consimiles, quibus clarùit Petrus: juxta id, quod suprà ex Radicibus dictum est, & quod eodem loco inquit, fol. 55. col. 2. *Justitia Papæ ad finem se debet habere per complementum; quantum justum est, quòd Papa faciat hoc, propter quod est creatus universalis Prælatus & Generalis ad omnes Prælatos.*

Denique, aliqui ex Sanctis Patribus eodem modo loquendi usi sunt. Beatus Leo serm. 2. de Anniv. suæ Assumpt. *Ipsum vobis, cujus vice fungimur, loqui credite.* Et Bernard. Epist. 183. *Quam sententiam cupio vos, & omnimodis moneo custodire, in exhibenda reverentia & Apostolicæ Sedi, & B. Petri Vicario.* Sic canon. Ego Ludovicus, d. 63. *Qui enim Petro succedunt, ejus quodammodo vices gerunt,* ait Benedictus Justinianus Tom. 1. Explic. in Epist. Paul. Disp. 1. de Apostolatu, cap. 10. post medium.

Articulus 55. apud Eimericum.

QUòd propter peccatum primi Hominis totus Mundus fuit corruptus, & quantum ad vegetabilia, & animalia, & alia creata ad servitium hominis; imò etiam quantum ad Dæmones & etiam Angelos. *In Lib. Contempl.*

Articulus 55. apud Lullum.

DOctrina hujus Articuli reperitur, Lib. 4. cit. cap. 248. fol. 51. in hæc verba: *Com ajam provat intellectualment, quel mon fonc corromput en lo pecat del primer Home; car pus home, qui es semblant en natura ab lo mon, se corrompe per pecat, convc, que lo mon se corrompes, pus so, que mes valia en ell, è so, per que ell mes valia, se corrompe: car en axi com tots los membres del cors se corrompen, com lo cors pert lo cap del home, en axi tot lo mon convenc, que fos corromput, pus que lo mon perde lo millor membre, que avia en si, so es, home: on si tant fos, que los vegetables è los animals irracionals nos corrompessen en natura, è los animals racionals, qui an a sustentar la vida de semblant natura corrompuda, no pogueren, Senyor, viure: on per tal, que home pogues aver vida, convenc, que los vegetables è los animals irracionals fossen corromputs, perço, que home ne preses vida. On com asso sia en axi, dones provat es, Senyor, manifestament, que lo mon en general è en ses parts so corromput per lo pecat de home; car tot ço, que era en servici de home creat, se convenc corrompre, pus que home se corrompe; car tot vasall è tot sotmes es corrumput en la corrupcio de son Major.*

De Corruptione Spirituum ita prosequitur: *Empero no deim, Senyor, que los Angels se corrompessen en natura, mas en quant no pudien adur à salvacio les Animes, quis perdien per lo pecat de Adam, è no eren poderosas de fer lo be, que fan ara, com lo mon es recreat. Item, encare deim, Senyor, que los Dimonis se corrompessen per lo pecat de Adam, en aço, que ells lo feceren pecar, car tota creatura se corromp, com fa contra son Creador.*

Latinè: *Cùm intellectualiter probaverimus, quòd mundus fuerit corruptus in originali peccato primi Hominis; quia, postquam homo, qui in natura est similis mundo, est corruptus per peccatum, convenit, quòd mundus corrumperetur, quia id, quod plus valebat in illo, & id, per quod ipse plus valebat, est corruptum: quia, sicut omnia membra corporis corrumpuntur, quando corpus perdit caput hominis, ita convenit, quod totus mundus corrumperetur, postquam mundus perdidit melius membrum, quòd habebat in se, hoc est, hominem: unde si vegetabilia & animalia irrationalia non essent corrupta in natura, animalia rationalia, quæ habent sustentare vitam à simili natura corrupta, non possent, Domine, vivere: unde ad hoc, ut homo posset habere vitam, fuit conve-*

niens;

niens, quòd vegetabilia & animalia irrationalia corrumperentur, ut homo ab illis caperet vitam. Unde cùm hoc ita sit, igitur manifestè probatum est, Domine, quòd mundus in generali & in suis partibus fuerit corruptus per peccatum hominis; quia convenit, quòd corrumperetur omne id, quod erat creatum in servitium hominis, postquam homo fuit corruptus; quia omnis vasallus & omnis subditus corrumpitur in corruptione sui Domini.

De CorruptioneSpirituum ita prosequitur: *Veruntamen non dicimus, Domine, quòd Angeli sint corrupti in natura, sed in quantum non possunt adducere ad Salvationem Animas, quæ perduntur propter peccatum Adam, & non poterant facere bonum, quod faciunt modò, dum mundus est recreatus. Dicimus etiam, Domine, quòd Dæmones fuerint corrupti per peccatum Adam, in hoc, quòd illi fecerunt, ipsum peccare; quia omnis creatura corrumpitur, quando agit contra suum Creatorem.*

Quam doctrinam confirmat tota Theologorum Schola, & magna ex parte Robertus Bellarminus, Cardinalis Illustrissimus pariterque doctissimus Tom 3. Lib. 6. cap. 15. secundæ controver. gener. ut alios omittam; neque enim in re aperta diutiùs immorandum.

Articulus 56. apud Eimericum.

QUòd propter Peccatum originale corpus hominis non est dignum, quòd sumat usum & servitium ac vitam de plantis, nec de animalibus brutis, quæ sunt creaturæ Dei, in quibus non habet jus aliquis, qui sit contra Deum. *In Lib. de Articulis Fidei.*

Articulus 56. apud Lullum.

PArs hujus Articuli prima, & quæ in Lib. de Articulis Fidei, sive in Apostrophe habetur, omnium est rectè sentientium; iniquus enim per modum meriti non est dignus pane, quo vescitur, neque aquâ, quam bibit. In Artic. 27. dicti Lib. cap. *Quòd primorum Parentum peccatum sit generale omnibus hominibus quoad Animam*, ita habetur ad verbum: *Omnis Anima rationalis, quæ movet suum corpus ad utendum his, quorum usu corpus non est dignum, peccat; & per consequens est subjecta peccato: sed Anima immediatè, cùm est infusa corpori, movet corpus (aliter non esset forma corporis, nec per consequens pars substantialis hominis, nec homo esset homo per Animam rationalem) ad necessitates corporis, ùt ad augmentum, vel sumendum victum, vel cibum, vel potum, & ad utendum rebus, quibus vivit, quæ sunt creaturæ Dei, quorum usu non est dignum corpus alicujus hominis, cùm sit corruptum & infectum, eò quòd primi Parentes, à quibus omnes homines habuerunt sua corpora, fuerunt contra Deum suum Creatorem: ergò Anima ex hoc habet culpam generalem; & sic sequitur, quòd peccatum sit generale in omnibus hominibus, quantum ad Animam.*

Altera pars, *In quibus non habet jus &c.* in exemplari vernaculo reperitur eodem capite, cujus hæc sunt verba: *E perço lo cors no es digne, que prenga us, ò servey è vida de les plantes, ni dels animals bruts, qui son creatures de Deu, en les quals no ha dret nigu, qui sia contra Deu.* Latinè: *Et propterea corpus non est dignum sumendi usum, servitium, vel vitam de plantis, vel brutis, quæ sunt creaturæ Dei, in quibus non habet jus aliquis, qui sit contra Deum.*

Notandum est, Interpretationem latinam & vulgarem, Lib. de Artic. Fidei, aliquo modo inter se differre, cùm multa sint in latina, quæ in vulgari non reperiuntur, & aliqua habeantur in vulgari, quæ in latina desiderantur: quâ de re ita loquitur Lullus in cap. ult. quod est: *De la si de aquest libre: Jo Ramon indigne he fet aquest libre, è el fet posar en lati, empero no lletra à lletra, mas seny à seny, per ço, que cascu ne romangue en sa virtut, è en sa Rhetorica, è aquell, qui es en llati, he presentat al Senyor Papa &c.* Latinè: *Ego Raymundus indignus feci hunc librum, eumque Latinâ linguâ vertendum curavi, non verbo ad verbum, sed sensu ad sensum, ideo, ut quilibet in sua virtute & proprietate linguæ remaneat, atque Latinum summo Pontifici obtuli &c.*

Ubicunque ergò Lullus de usu, quem capiunt ex rebus homines mali, differit, de dignitate & merito, quod habent in illis, loquitur: patet ex eo, quòd nusquam ab aliquo dominium eripit, qui sit peccato obnoxius. Constat hoc ex Libro Proverb. cap. de Dominio, & cap. de Dignitate, & ex Arbore Imperiali, & ex Blanquer. cap. 85. Quod autem additur ex vernaculo, *In quibus non habet jus aliquis, qui sit contra Deum:* exponendum est de exercitio Juris, ut Hier. Wielmius in Libr. de Sex dieb. Orbis conditi lect. 29. exponit: *Nec mihi (inquit) D. Joannem Chrysost. Hugonem & quosdam aliquis objiciat, qui, excidisse hominem à dominio bestiarum propter peccatum, disertè dicunt; nam cùm aliud sit, in aliquam rem habere jus, aliud, habere illius juris exercitium ad libitum, existimo de exercitio juris ad libitum, & absque labore, eos esse interpretandos; à quo cùm exciderimus (nam multo labore & periculo subjicimus nobis feras) dixerunt, nos excidisse à domnio.*

Articulus 57. apud Eimericum.

QUòd, quia Anima rationalis est forma corporis, & movet corpus ad accipiendam vitam de Plantis, Animalibus brutis & aliis rebus ei necessariis, movet corpus injustè contra jus & rationem. *Lib. de Artic. Fidei.* Et quòd ille, qui est in peccato, non habet jus in aliqua creatura. *In Lib. de Ecclesiast. Proverb.*

Articulus 57. apud Lullum.

QUid differt hic Articulus à præcedenti? sed Eimericus (ùt vidimus aliàs) ex uno facit plures: locus Raymundi Lulli desumptus est ex cap. 35. Proverb. par. 1. fol. 14. de Creatione: *Quæ est (inquit) in peccato, non habet jus in aliqua creatura, nullus potest facere injuriam, si in ipsa servit Deo:* verba Lulli reddita Articulo præcedenti ex Apostrophe, quæ meliùs reddit exemplar vernaculum, ibidem sunt ista: *E car Anima es forma del cors, è mou lo cors à pendre vida de les plantes è dels bruts animals è de les altres coses à ell necessaries, mou lo cors injustament, è contra dret è rao; è per aço cau en Pecat original.*

Latinè: *Et quia Anima est forma corporis, & quia movet corpus ad accipiendam vitam de plantis, animalibus brutis & aliis rebus ei necessariis, movet injustè corpus, & contra jus & rationem; & ideo in Peccatum originale incidit.* Reliqua ex superiori Articulo liquent.

Articulus 58. apud Eimericum.

QUòd post Peccatum originale Deus & Humanum genus fuerunt in magna contrarietate boni & mali, virtutis & vitii, veri & falsi, & illa contrarietas erat ita magna, quòd Deus in mundo Populum non habebat. *In Lib. Senten. q. 110.*

Arti-

Articulus 58. apud Lullum.

HAbetur hic Articulus non, q. 110. sed 112. Lib. 3. Sent. fol. 61. pag. 2. his verbis: *Post Peccatum originale Deus & humanum genus fuerunt in magna contrarietate boni & mali, virtutis & vitii, veri & falsi, & sic de consimilibus: & illa contrarietas erat ita magna, quòd Deus in mundo non habebat populum, & totum universum (Angelis exceptis) erat deviatum à fine, propter quem fuit creatum; sicut & omnia corpora supercœlestia, & corpora inferiora, quæ fuerunt creata ad serviendum homini, ut per hominem servientem Deo attingeret finem in Deo.* Quid, obsecro, in his verbis potest reprehendi? avertit primus homo suâ culpâ à Deo tantum homines cæteros, ut, nisi Christus suâ morte illos recreasset, & proinde Deo dedisset, actum esset de homine. Pulchrè Lullus in Apostrophe, cap. Quòd sit Recreatio, fol. 6. col. 2. *Impossibile* (inquit) *& irrationabile est, Deum aliquid conservare, & facere durare in esse, absque aliquo fine & utilitate; sed Deus gubernat mundum, & conservat, & conservavit in esse à tempore primorum Parentum, usque nunc: ergò hoc facit propter aliquem finem & utilitatem: sed si non esset recreatio, per quam fieret satisfactio de peccato, quo natura humana privatur à suo fine, multiplicatio & generatio, seu esse hominum & eorum, quæ sunt propter hominem, ad nihilum esset utile, nec perveniret ad aliquem finem: ergò nec debuit nec debet facere durare multiplicationem hominum.*

Articulus 59. apud Eimericum.

QUòd Deus consentit, quòd homo faciat peccatum veniale, & non faciat peccatum mortale, aliàs magis distaret à Divina bonitate & magnitudine per peccatum veniale, quàm per mortale: & sic Deus non licentiaret hominem, quòd faceret peccatum veniale; quod est impossibile. *In Lib. Sentent. quæst. 119.*

Articulus 59. apud Lullum.

COrruptè claudit Eimericus hunc Articulum, ita tamen habet Lullus cit. Lib. 3. Senten. fol. 66. pag. 1. cap. 121. *Deus omnibus modis distat ab omni peccato infinitè; & quò ad se, tantùm distat à peccato veniali, quantùm à mortali; sed homo existens in peccato magis distat à divina Bonitate, Magnitudine &c. per peccatum mortale, quàm per veniale; & sic Deus consentit, quòd homo faciat peccatum veniale, ut non faciat mortale: alioquin magis distaret à Divina Bonitate, Magnitudine &c. per peccatum veniale, quàm per mortale: & sic Deus licentiaret hominem, quòd faceret peccatum mortale: quod est impossibile.*

Contentio, quæ posset excitari, tota est in verbo, *consentit:* quòd est à Lullo tam explicatè expositum, ut ambiguitas omnis excluså fuerit: Deum consentire, ut fiat veniale, est, Deum licentiare, indulgere, permittere, ut fiat veniale, ne committatur lethale: quemadmodum repudiare uxorem non fuit permissum, ceu minus bonum (ùt videtur quàmplurimis) sed tanquam minus malum, ad vitandum majus, non, ut licitè fieret, sed, ut impunè.

Articulus 60. apud Eimericum.

QUòd Deus peccatorem juvare non potest, dum suum intelligibile & amabile sunt infirma; & hoc, quia participare non potest per suam bonitatem & virtutem cum malitia, neque Deus contra justitiam agere potest. *Super 2. Sent. q. 47.*

Articulus 60. apud Lullum.

LEge Quæstionem, non 47. sed 49. & argutiùs dici non posse conspicies. *Quæ* (inquit Paul. 2. ad Corinth. 6.) *societas lucis ad tenebras? aut quæ conventio Christi ad Belial?* Perinde est, ac si diceret: Deum non posse malè facere: nisi tollatur à gustu infirmitas, nusquam aderit inter gustum & dulcedinem pomi symmetria: quamdiu erit in homine lethalis culpæ morbus, tamdiu permanebit inter Deum & ipsum disconvenientia; id quod potentiæ Dei nihil omninò detrahit. Verba Lulli sunt hæc, fol. 29. pag. 1. *Peccator non potest se justum facere cum suo infirmo intelligibili & amabili, nisi gratia Dei superveniat, & quòd Deus sit coadjutor; quoniam nemo potest facere bonum sine adjutorio Dei, neque Deus potest juvare peccatorem, dum suum intelligibile & amabile sunt infirma: & hoc est, quia Deus non potest participare per suam Bonitatem & Virtutem cum malitia & vitio, neque Deus potest agere contra suam justitiam:* quid verius?

Articulus 61. apud Eimericum.

QUòd Anima Judæi & Saraceni, qui credit esse in veritate, & non peccat mortaliter in peccato actuali, non habebit pœnam spiritualem. *In Lib. de 7. Arbor.*

Articulus 61. apud Lullum.

IN Florib. Arb. Apost. cap. Quòd Peccatum Originale sit in Anima, fol. 66. *Et in hoc passu* (inquit Lullus) *potest homo cognoscere, quòd Anima Saraceni aut Judæi, qui credit esse in veritate, & qui non peccat mortaliter in peccato actuali, non habebit pœnam spiritualem, sed habebit pœnam per corpus &c.*: ubi tantùm agit de culpa originis, fingitque Mahumetæum in solo Originali pereuntem; qui, etsi nullus sit, at cogitetur, ac de eo, ac si esset, disquiratur: atque in isto sensu verus est Articulus; cùm constet inter Doctores, damnatos pro sola culpa originis nullam pœnam sensûs, neque interiorem, neque exteriorem pati: sed esto, fuisset ea Lulli hypothesis, non propterea notandus istâ censurâ fuisset, cùm probabile sit (ùt sentiunt Divus Tho. 2. 2. quæst. 20. art. 1. Bonavent. Andr. Vega lib. 6. de Just. cap. 17. & 18.) Fidei Christi haberi posse invincibilem ignorantiam, ex August. in Quæstionib. Novi Testamenti. Quæres, quænam est *pœna spiritualis*, de qua Articulus loquitur? Respondeo: quòd est pœna sensûs inferior, ùt puta, pœna Vermis; de qua Palud. in 4. dist. ult. ita habet: *Vermis conscientiæ, qui non moritur, dicitur pœna spiritualis damnatorum, & remorsus conscientiæ & syntheresis.* Dices secundò, qui potest Judæus esse sinè infidelitate, quæ peccatum est lethale gravissimum? Distingue cum D. Thoma cit. de Infidelitate: una secundùm puram negationem, altera secundùm contrarietatem ad Fidem.

Articulus 62. apud Eimericum.

QUòd nullus est homo ita vilis nec ita peccator, qui quâlibet horâ, quâ velit, non possit esse Dei amicus & familiaris. *In Libr. Contempl.*

Articulus 62. apud Lullum.

SI hic Articulus Lulli est (qui certè non est repertus) nihil aliud prætendit, quàm peccatorem erigere, ne desponeat animum, admonere, ut perpetuò bonis operibus vacet, nullâque ratione rectiùs posse obtineri, ut ad gratiam Dei misericorditer trahatur: juxta illud Eccl. 15. *Deus ab initio constituit hominem &c.* Et Deut. 3. *Testes invoco hodie cœlum & terram &c.* Invitat ergò homo bonis operibus Deum, ut præveniat: provocat, ut excitet. Vide Art. 64. & 65. 66. &c.

Articulus 63. apud Eimericum.

QUòd homo non debet reclamare Deum, sinon diligit eum; & quòd ille facit magnam malignitatem, qui orat Deum sinè charitate. *In Libro de* 300. *Proverb.*

Articulus 63. apud Lullum.

NEque hic Articulus in Proverb. reperitur: non prior pars, nisi quid fortasse simile, Parte 1. rub. 42. fol. 16. pag. 2. *Quia Deus est virtus, non exaudit homines sinè virtutibus: quomodo Deus illum exaudiet, qui ipsum non diligit?* Posterior pars fortè decerpta fuit ex Lib. de Centum Nominibus Dei nomine: *O Pregat:* fol. 263. col. 2.

Aquell fa molt gran malvestat,
qui prega Deu ab cor irat,
sens Pietat è Caritat.

Latinè: *Ille facit magnam malignitatem,*
qui irato corde Deum rogat,
sinè Pietate ac Charitate.

Juxta illud Matt. 18. *Serve nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me; nonne ergò oportuit, & te misereri conservi tui?* Confirmat hanc doctrinam illud Ecclesiast. 3. *Qui diligit Deum, exorabit pro peccatis, & continebit se ab illis; & in oratione dierum exaudietur.*

Articulus 64. apud Eimericum.

QUòd in faciendo bonum non oportet nos sperare, quòd Deus incipiat; quia jam incepit, quando nos creavit, & pro conservatione nostra mundum nobis dedit, ut ei serviamus, & eum honoremus. *In Lib. Orat. & in Lib. de Phil. Amoris.*

Articulus 64. apud Lullum.

EXactè satisfactum est huic Articulo, Eimerico vivente, die 19. Maji 1386. per Inquisitorem Generalem, Bernardum Ermengaudi, Instituti Dominicani, ût constat authentico Instrumento, quod editum circumfertur: audiamus etiam Lullum Lib. de Philosophia Amoris, suismet verbis ita loquentem: *Dones & Donzells damor, dix Lamic, manifesta rao es, quel Amat vol esser honrat en lo mon en tots temps, & vol salvacio domens, è non damnacio: è per aço nengu no pot, ni deu encolpar Lamat, que el no vulla esser honrat, ni salvacio de gents: per que lo defalliment no es de part de Deu, mas de part los homens, qui nol volen honrar. E vosaltres jam havets dits, que nons cal, que jous prec, que siats en mon amar, ans ne pregats vosaltres mi, que jo vos hi vulla metre: en axi es de Deu, no cal esperar, que ell comens, car ja ha comensat, en quant ha los homens creats, è lo mon lur ha donat, per ço, quel tenguen en lur cor è en lo mon honrat: comensem doncs à honrar Lamat, è anem per lo mon sa è la per honrar Lamat.*

Quæ quidem in Latina versione reperiuntur capite octuagesimo nono, fol. 160. *Dominæ & Domicellæ amoris, dixit Amicus, manifestum est, quòd Amatus velit honorari in mundo in omni tempore, & velit salvationem hominum, & non damnationem; & propterea nullus potest, nec debet inculpare Amatum, quòd ipse non velit honorari, nec salvationem gentium: quia defectus non est ex parte Dei, sed ex parte hominum, qui ipsum non volunt honorare. Et vos jam mihi dixistis, quòd non oporteat, quòd ego vos precer, ut sitis in meo amare, imò vos estis precati me, ut vos in illud velim ponere: ita est de Deo, non oportet exspectare, quòd ipse incipiat, quia jam incepit, in quantum creavit homines, & illis dedit mundum, ut ipsum teneant honoratum in suo corde & in mundo: incipiamus igitur honorare Amatum, & eamus per mundum huc & illuc ad honorandum Amatum.*

Hoc loco decertat Lullus pro libero arbitrio, alibi pro gratia; hìc liberum arbitrium excitat, ne torpeat, sui muneris admonet, ut pulsanti aperiat, erudit, ne homo ipse nihil omninò agat, ostendit, Deum incipere, ut cooperemur &c.: pro Gratia Dei sunt loca complura apud Lullum, quæ satis hìc erit indicare: velut in eodem Lib. cap. 7. *Cum Amicus miscet cum Amore suum velle &c.* Cap. 52. *Amicus rogavit suum Amatum &c.* Ibidem: *Amate, dixit amicus, ex quo me &c.* Cap. 54. *Amor, dixit amicus, &c.* Cap. 69. *Considera, quomodo Deus est liberalis &c.* Ibidem paulò post: *Respondit Amicus Amori dicens &c.* Cap. 74. *Recoluit Amicus sua peccata &c.:* paulò post, ibidem: *Amatus suus ita distribuit &c.:* ut omittam alia ejus Opera, ex quibus facilè est perspicere, Lullum eximium fuisse gratiæ assertorem; sed ita, ut libero arbitrio nihil derogaret.

Articulus 65. apud Eimericum.

QUòd virtus est ita bona & magna quantitate, quòd omnis homo potest eam habere pro sua voluntate. *In Lib. de Philosophia Amoris. Et in Lib. de* 100. *Nominibus Dei.*

Articulus 65. apud Lullum.

REsponsum est huic Articulo in Instrumento authentico cit. Articulo præcedenti: Lullum scilicet de virtutibus moralibus locutum; non, de gratuitis: id quod dilucidè constat ex Lib. de Philosophia Amoris, cap. 88. fol. 158. *Amatores virtutum, dixit Amicus, Angeli, Cœlum, Elementa, Plantæ, Bestiæ, Homines, & quicquid est, fuit, vel erit, habent virtutem per Virtutem mei Amati; quoniam ejus Virtus ita comprehendit omnes alias virtutes, sicut ejus Bonitas comprehendit omnes alias bonitates, & ejus Magnitudo omnes alias magnitudines: & quilibet homo, qui voluerit habere Virtutes Morales, per amorem Virtutis mei Amati potest habere tot & in tanta magnitudine & bonitate, quot & quantâ poterit velle.*

Archetypon Catalaunicum ita habet: *Amadors los Angels, Cel, Elements, Plantes, Besties, Homens, & tota res, qualque sia, ha Vertut per la Vertut de mon Amat; car en axi compren la sua Vertut totes altres Vertuts, com la sua Bonea totes altres bonees, & la sua Granea totes altres grances: à tot home, qui vuila haver morals Vertuts, per amor de la Vertut de mon Amat ne pot aitantes haver, & en aitanta Granea & Bonea, com ne pora voler.* Et ita accipiendum est, quod in Libro de Centum Nominibus Dei ait, nomine: *Virtut*, fol. 281. col. 1. ita psallens:

Tant es Virtut bona en gran cantitat,
que tot hom la pot haver à sa voluntat;
è qui mes na, mes esta en Deu honrat.

Latinè: *Tam est Virtus bona in magna quantitate,*
ut eam quivis possit habere, ût volet;
& qui plus ejus habet, plus apud Deum est
honoratus.

Imò, & de virtutibus gratuitis idem posset defendi; nam certissimum est, nos liberè moveri in Deum per fidem, subest nostræ voluntati, ut respondeamus, sed ita, ut egeamus Divinâ ope, & ampliorem gratiam obtinere quis potest, quò dispositio ad illam major est: & in hac opinione tunc exponeretur mens Lulli de dispositione & præparatione in nobis sita, cum gratia Dei &c. Confirmaretur hoc ipsum verbis ejusdem Lulli in branchis Arboris Moralis, fol. 39. *Differentia est inter quatuor Cardinales & tres Theologales, in quantum per quatuor se habet homo ad bene vivendum in hac vita, & quilibet homo eas potest habere &c.: sed tres Virtutes Theologales non possunt haberi sinè gratia Dei, & illas dat ipse, cui sibi placet; quia sunt viæ ad aliam vitam &c.*

Articulus 66. apud Eimericum.

QUòd nullus homo est, qui non possit multiplicare amorem suum & velle, in quantum voluerit. *In Lib. Contempl.*

Articulus 66. apud Lullum.

POtest quilibet, quantum volet; sed cum gratia Dei, ad quam libera est cuique dispositio: nusquam igitur (de mente Lulli) excludenda venit gratia Dei: audi Lullum de Centum Nominibus Dei, nomine: *O Gracia*, fol. 289. col. 2.

Hà, llas, com consir la gracia,
que Deu fa à aquells, à quis llexa amar,
ne quants son aquells, à qui nos llexa ser-
vir, ni honrar,
adoncs entenc, que gracia es do, qui es
molt car.

Latinè: *Heu, me miserum, cùm gratiam considero,*
quam Deus facit illis, à quibus se sinit amari,
quotque illi sunt, à quibus nec serviri, nec
honorari se permittit,
tunc intelligo, Gratiam esse donum valde
æstimandum.

Sed unde desumptus est 66. Articulus? nempe, ex cap. 163. Contempl. Libri tertii, fol. 124. ubi ita habet Lullus: *Tant es gran rao, è tant es cosa, quis cove à home, que sia volent vos, que no es null home en tot lo mon, que no pusca vos voler è amar, è no es null hom, que no sia poderos de crexer è de multiplicar sa amor & son voler en vos aitant, com se vulla &c.*

Latinè: *Tam magna ratio est, quæ convenit homini, quòd velit te, quòd nullus homo sit in toto mundo, qui non possit te velle & amare, & quòd sit nullus homo, qui non possit augere & multiplicare suum amorem & suum velle in te tantùm, quantùm volet &c.*

Articulus 67. apud Eimericum.

QUòd de Amore Divino quilibet potest habere, quantum voluerit. *In Lib. Contempl. & Lib. de Centum Nominib. Dei.*

Articulus 67. apud Lullum.

ACtum agit Eimericus: fateor, id dicere Lullum, nec tantùm uno loco, sed pluribus; nempe cap. 282. Lib. 5. Contempl. fol. 127. *En axi com la nau pot hom carregar aitant, com hom se vol, en axi, Senyor, la Anima aitant, com hom se vol, la pot enamorar de vos: car axi com la nau ha llochs, per los quals hom pot metre en ella so, don hom la carrega, en axi, Senyor, la memoria el enteniment son carretes è portals, on lanima pot umplir de Amor.*

Latinè: *Quemadmodum homo potest onerare navem tantùm, quantum vult, ita, Domine, homo tantum potest inamorare Animam de te, quantum vult: quia sicut navis habet loca, per quæ homo in illa potest ponere hoc, quo illam onerat, ita, Domine, memoria & intellectus sunt vehicula & portæ, per quæ Anima potest impleri Amore.*

Et cap. 312. fol. 207. *Tant es gran amor, Senyor, è alta è noble, que tot home ne pot membrar è entendre è voler aitant, com ne vol amar; car amor axi com es gran è noble en virtut è en valor è en bé, axi es gran en quantitat &c. On en axi com laër no es vedat à null home, en axi, Senyor, amor no es vedada à null remembrament, ni enteniment, ni voler. On com aço, Senyor, sia en axi, com pot esser, que hom no complex de amor tot son remembrament è son enteniment è son voler?*

Latinè: *Tam magnus est, Domine, & altus & nobilis amor, quòd omnis homo de illo possit recolere & intelligere & velle tantum, quantum de illo vult amare; quia sicut amor est magnus & nobilis in virtute & in valore & in bono, ita est magnus in quantitate &c. Unde sicut aër nulli homini prohibetur, ita, Domine, amor prohibetur nulli memoriæ, nec intellectui, nec voluntati. Unde cùm hoc, Domine, ita sit, quomodo potest esse, quòd homo non compleat amore totam suam memoriam & suum intellectum & suam voluntatem?*

Et Cap. 314. fol. 213. *On, com tot lo hom pusca, Senyor, amar aitant, com se vulla, & pus que tot hom &c.* Latinè: *Unde, cùm quivis tantùm possit amare, quantùm vult, possitque &c.* Item in Lib. de Centum Nominibus Dei, nomine: *O Comprenent:* fol. 292. col. 4. *Hom pot de Deu pendre aitant, com ne vol amar.* Latinè: *Quilibet de Deo potest sumere, quantum vult amare.* Et nomine: *O Abundos:* fol. 290. col. 1.

Deus es abundancia de plaer;
car de Deu pot tot hom haver
aitant, com han mester à son voler.

Latinè: *Deus est abundantia placiti;*
nam de Deo potest habere quivis
tantum, quantum pro sua voluntate opus
habet.

Præparet se homo, disponat se, ex parte Dei nullus est defectus: sumatur antidotum, unde Eimericus putat imbibi virus, ex eodem lib. nomine: *O Llargueza*, fol. 232. col. 1.

Tant ha Deu gran plaer en donar,
que tot se dona per amar,
qui sia franc, humil, y sens pecar.

Latinè: *Tam gratum est Deo donare,*
quòd ad amandum se totum det
ei, qui sit liberalis, humilis, & innocens.

Item Nomine: *O Misericordiant:* fol. 289. col. 3.

Tant ha Deu gran voluntat en perdonar,
que à Justicia fa Merce amar;
car ab Merce pot pecadors salvar.

Latinè: *Tantum Deo placet condonare,*
quòd Misericordia Justitiam faciat amare;
nam per Misericordiam potest peccatores salvare.

Articulus 68. apud Eimericum.

QUòd quilibet homo potest Deum contemplari, quantum vult, & ubi vult. *In Lib. Contempl.*

Articulus 68. apud Lullum.

HAbetur in Lib. 3. Contempl. cap. 149. fol. 96. tametsi ipsum immutavit Eimericus: *Com la cogitacio del home sia, Senyor, en home tan franca, que pot cogitar, en ques vol, è qual temps se vol, è en qual lloc se vol, molt me do gran maravella, Senyor, dels homens, perque no cogitan en vos, è en vostres obres, è en vostres virtuts &c.* Latinè: *Cùm cogitatio hominis, Domine, sit tam libera, ut in qualibet re possit cogitare, & in quovis tempore & loco, miror valde homines, Domine, quòd te non cogitent, nec tua opera, nec tuas virtutes &c.*

Et Lib. 5. cap. 296. fol. 161. pag. 2. *Honrat Senyor, en axi com lo vaxell buyt es aparellat à rebre qual cosa hom se vulla, en axi, Senyor, com hom ha buydat lo mon è ses vanitats de son remembrament è de son enteniment è de son voler, adoncs pot hom umplir son remembrament è son enteniment è son voler de oracio è de contemplacio; car en axi com les coses sensuals fan les unes lloc à les altres sensualment, en axi, Senyor, les coses entellectuals donan se lloc intellectualment les unes à les altres &c.*

Latinè: *Honorate Domine, sicut vas vacuum est dispositum ad recipiendum, quidquid homo vult, ita, Domine, quando homo evacuavit mundum & suas vanitates de sua memoria & de suo intellectu & de sua voluntate, tunc potest homo suam memoriam & suum intellectum & suam voluntatem implere oratione & contemplatione; quia sicut una res sensualis facit locum alteri sensualiter, ita una res intellectualis dat locum alteri intellectualiter &c.*

Ita sanè est, sed Divinâ ope favente, quæ nunquam deest: vide cap. 51. 2. Lib. *On perso, Senyor, se ordena, que la franca voluntat, quel home sent en fer be, devalla de cosa, que es en esser per gracia vostra.* Latinè: *Unde propter hoc ordinatur Domine, quòd libera voluntas, quam homo sentit in bonis operibus faciendis, descendat & procedat à re existente in esse per tuam gratiam:* hanc autem esse Lulli mentem, manifestè patet ex cap. 317. Lib. 5. Contempl. ubi sic ipse loquitur: *Santificada Trinitat, tant fortment es lanima del home ocupada è empaxada en membrar è entendre en oir les necessitats, quel cors ha en menjar, è en beure, è en vestir, è en les altres coses, que à penes pot membrar ni entendre en vos, ni en los significats, qui vos significan; mas en lo altre segle no sera en axi &c.*

Latinè: *Sanctificata Trinitas, tam fortiter est Anima hominis occupata & impedita in recolendo & intelligendo in audiendo necessitates, quas corpus habet in comedendo & in bibendo & in vestiendo & in aliis rebus, quòd vix possit recolere & intelligere te & significata, quæ te significant; sed in altero sæculo non erit ita.* Vides ergo, quâ ratione verum sit id, quod in Articulo continebatur.

Articulus 69. apud Eimericum.

QUòd quilibet homo de Charitate & Spe potest habere quantum vult. *In Lib. de Contempl. & in Lib. de 7. Arbor.*

Articulus 69. apud Lullum.

HÆc sunt verba Lulli, cap. de quæst. Charitatis Brancharum moralium, fol. 133. col. 3. *Eremita quæsivit à charitate, utrùm ipsa esset magna?* Solutio: *Respondit Charitas, quòd ipsa esset magna in potentia; quoniam quilibet homo potest habere tantum ex ipsa, quantum vult; sed propter hoc, quia habet paucos amicos, parva esset in actu: idcirco &c.* Sed in ipsa Arbore morali, in Branchis, cap. de Spe & Charitate, fol. 42. col. 2. reperitur prædictus Articulus: *Idcirco* (inquit) *possunt homines tantum habere de Charitate & Spe, quantum volunt habere.* Ubi Lullus non aliò tendit, nisi tum, ut nos præparemus ad receptionem primæ charitatis & spei, quæ à Deo liberè dantur, tum, ut ad earundem augmentum promerendum contendamus; neque in alium quempiam culpam rejiciamus: potest ergò quilibet homo (sed Deo coadjuvante, ût notatur à Lullo in q. 16. Senten.) habere de Charitate & Spe, quantum vult; quoad finem tamen præscriptum: qua de re ita habetur in q. 18. Senten. *Charitas potest augeri usque ad finem determinatum in hac vita, secundùm quòd Anima est capax ad recipiendum charitatem à Spiritu Sancto; ût suprà significatum est: veruntamen, quoad Spiritum Sanctum, semper potest augeri; sed non, quoad subjectum: sicut &c.*

Articulus 70. apud Eimericum.

QUòd homo potest venire ad salvationem per Virtutes morales; & quòd quilibet homo potest habere de gloria Paradisi tantùm, quantùm vult habere, omni tempore, quo est in isto mundo, potest eam sibi procurare, & in omni loco, quo sit, potest eam lucrari. *In Lib. de Artic. fidei, & Lib. de Contempl.*

Articulus 70. apud Lullum.

HIc Articulus in neutro libro totus reperitur; sed prima pars prorsus in contrario sensu colligitur ex Lib. de Artic. Fid. fol. 14. pag. 2. cap. 2. *Quid sit Recreatio?* quod est 6. Artic. Fidei. *Si no es Recreacio, negun home per virtuts morals pot venir à salvacio &c.* Latinè: *nisi sit Recreatio, nullus homo per virtutes morales potest venire ad salvationem &c.* Nihil enim aliud in toto libro reperies, quod ad hanc rem faciat: libellus ipse extat, & quàm facillimè perlegi potest: quin etiam Lullus ubique repugnat priori parti istius Articuli Eimericani, Virtutes enim Cardinales refert ad hanc vitam; Theologicas ad salvationem in alia vita: sic in Branchis Moralibus testatur, ût suprà audisti: *Differentia* (inquit) *est inter quatuor Cardinales, & tres Theologales; in quantum per quatuor se habet homo ad bene vivendum in hac vita: & quilibet homo potest eas habere, secundùm quòd naturaliter potest trahere similitudines ex primis naturis truncimoralis, quæ sunt confusæ & dispositæ ad ducendum in actum: sed tres Virtutes Theologales non possunt haberi sinè Gratia Dei, & illas dat, cui sibi placet: quia viæ sunt ad aliam vitam.*

Altera pars habetur in Lib. 2. Contempl. cap. 99. fol. 282. his verbis: *Tant ha gran compliment è gran acabament la gloria del autre segle, que ai tanta com hom sen vol, ne pot aver, & tots temps, en que hom sia en est Mon, la pot hom percassar, com la pusca aver; & en qualque lloc, en que hom sia, la pot hom guaynar.*

Latinè: *Tam magnum complementum & perfectionem habet gloria alterius sæculi, quòd homo de illa possit tantùm habere, quantùm vult, & omni tempore, in quo homo sit in hoc mundo, potest homo illam venari, ut illam possit habere, & in quocunque loco, in quo homo sit, illam homo possit lucrari.*

Idem ferè dixerat cap. 97. *Per rao de la gran subtilitat, que hom aura, Senyor, en Gloria en la vostra Santa Trinitat, è en la vostra beneita Unitat, per asso aura hom, Senyor, tanta de Gloria, que non poria hom mes aver, com quen haura.*

Latinè: *Ratione magnæ subtilitatis, quam homo, Domine, habebit in gloria in tua sancta Trinitate, & in tua benedicta Unitate, homo habebit, Domine, tantam gloriam, quod non posset habere majorem, quam habet.*

Quòd, si prior pars Articuli fuisset Lulli, non incomodè per Virtutes morales posset exponi, tanquam per dispositiones quasdam ad gratiam, quæ quidem gratia principale robur est: *Et quantum vult habere* (inquit) juxta suam dispositionem & gradum gratiæ: expendendum quoq; verbum illud *Procurare*, id quod in homine situm est: *Omni autem tempore* (juxta illud Ezech. 30.) *impietas impii non nocebit ei, in quacunque die conversus fuerit ab impietate sua. In omni denique loco:* (juxta illud Ezech. 19.) *Si Impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit justitiam, vitâ vivet, non morietur,*

Quæ prædicta sunt, magis explicantur à Lullo, tum in Branchis moralib. ût dictum est suprà pro Artic. 65. in fine; tum in Libello de Natali Pueri JESU, cap. de Divina Misericordia: *Inter me* (inquit *Divina Misericordia*) *sunt quædam virtutes mediæ & meæ ancillæ, per quas homines &c.*: idem prosequitur Lullus in Lib. Contempl. cap. 57. fol. 136. Secundam partem Articuli pulchrè declarat ipse in Lib. de Philosophia Amoris, cap. 71. de Solatio & Amore; cùm ait: *Amicus & Amor ad invicem de Temperantia & Spe loquebantur &c.*

Articulus 71. apud Eimericum.

QUòd homo peccat, & est Deo inobediens, si non facit bonum, quod intelligit; quod quidem potest facere, licèt illud bonum facere non sit ei mandatum. *In Lib. de Contempl.*

Articulus 71. apud Lullum.

AD nullum bonum tenemur, nisi sit præceptum utcunque; aut expressè, aut tacitè: hoc Axioma, si Lulli esse ostendero, patebit sensus Articuli, & sana mens Lulli. Ac priùs notandum, duplex à Lullo vocari præceptum; unum sensuale, quod fit verbis vel scriptis; quale est de colendo uno Deo: alterum intellectuale, quod fit mente; ût illud est de colendo Deo Trino: hæc apud Lullum expressè habentur in Lib. 4. Contempl. cap. 255. fol. 116. *Axi com vos, Senyor, manats à Moyses sensualment, que un Deu adoras, axi aveu manat al huma enteniment, que aquell Deu un sia adorat en Trinitat, è la Trinitat sia adorada en Unitat de substancia: è axi com lo manament sensual esta en la sagrada Scriptura, axi lo manament intellectual esta en la significacio, que les creatures donen de llur Creador.*

Latinè: *Sicut, Domine, Moysi sensualiter præcepisti, quòd unum Deum adoraret, ita præcepisti humano intellectui, quòd ille unus Deus adoretur in Trinitate, & Trinitas adoretur in Unitate Substantiæ: & sicut præceptum sensuale stat in Sacra Scriptura, sic præceptum intellectuale stat in significatione, quam creaturæ dant de suo Creatore.*

Probatur autem hoc Axioma perspicuis Lulli verbis in eodem cap. paulò antè: *Creador Senyor del Cel è de la terra, & tot quant es. En axi, Senyor, com vos avets posat manament sensual en paraula, axi, Senyor, avets posat manament intellectual en enteniment de home: car tot quant de be è de mal enteniment pot imaginar ne entendre, de tot ha manament, que fassa lo be, que enten, que pot fer, è que vet lo mal, lo qual enten, que pot vedar.*

Latinè: *Creator Domine Cœli & terræ & omnium, quæ sunt. Sicut tu, Domine, posuisti præceptum sensuale in verbis, ita posuisti præceptum intellectuale in intellectu hominis: quia de omni bono & malo, quod intellectus potest imaginari & intelligere, habet præceptum, quòd faciat bonum, quod intelligit, quod potest facere, & quòd evitet malum, quod intelligit, quod potest evitare,*

Nunc, ut res penitùs constet, conferat Lector hunc septuagesimum primum Articulum cum scriptis Lulli, & inveniet in Lib. Contempl. eodem cap. 255. hæc verba: *Beneyt siau vos Senyor Deu; car axi com home faria pecat, & seria desobedient, si hom no feja la be, que enten, lo qual pot fer; ja sia ço, que, aquell be à fer no li sia manat sensualment, en axi, Senyor, fan pecat, è son desobediens aquels infels, qui no creuen Trinitat, puis que à llur enteniment les creatures significan, que llur Creador es en Trinitat.*

Latinè: *Benedictus sis Domine Deus; quia sicut homo faceret peccatum, & esset inobediens, nisi faceret bonum, quod intelligit, quod potest facere, licet illi sensualiter non sit præceptum facere illud bonum, ita, Domine, faciunt peccatum, & sunt inobedientes illi infideles, qui non credunt Trinitatem, cùm creaturæ significent eorum intellectui, quòd ipsarum Creator sit in Trinitate.*

Articulus 72. apud Eimericum.

QUòd, qui non facit id bonum, quod potest facere, non videtur Deum multùm diligere. *In Lib. de Contempl. & in Lib. de Centum Nominibus Dei.*

Articulus 72. apud Lullum.

IDem dixerat Gregorius, Homil. 30. in Evang. *Probatio dilectionis, exhibitio est operis:* quod & docuit Christus, Joan. 14. *Si diligitis me, mandata mea servate &c.* Apertè Lullus in Libro de Centum Nominibus Dei, nomine: *O Misericordiant,* fol. 289. col. 3.

Qui no fa tot lo be, que poria far,
no es semblant, que molt am perdonar;
per que Deu dona mes, que hom pot pensar.

Latinè: *Qui non facit bonum, quod potest facere,*
non multùm videtur veniam amare;
nam Deus plus dat, quàm nos possumus cogitare.

In Lib. de Contempl. Articulus iste repertus non est; quem nec pluribus explico, quòd in re aperta opus non sit.

Articulus 73. apud Eimericum.

QUòd tantùm est imputandum omni potenti bonum facere, & nolenti, quantùm, si faceret malum; quia homo potens facere bonum, & nolens, semper est in culpa. *In Lib. de Contempl.*

Articulus 73. apud Lullum.

PErsimilis est hic Articulus Articulo 71. distinguendum ergò; potens & nolens; vel reclamante conscientiâ, vel omissionis alicujus culpâ: non abs re dixit Lullus in Proverb. par. 3. cap. de Gula: *Gula & acedia sunt peccata, quæ minimum habent conscientiæ.* Articulus porrò non agit de culpa lethali. Rursus potest exponi: quanquam non omnis boni omissio culpa sit, nisi sit debiti, est tamen metuenda; juxta illud Beati Greg. *Bonarum mentium est, culpam agnoscere, ubi culpa non est.* Idem admonet Lullus Lib. de Centum Nominibus Dei, nomine: *O Honrat*, fol. 292. col. 1.

Cell, qui poria per tot lo mon Deu fer honrar,
car no ho fa, en gran paor deuria estar;
car al Judici no se pora escusar.

Latinè: *Ille, qui Deum in Mundo posset facere honorari,*
nec tamen facit, in magno timore deberet esse;
quia in Judicio se non poterit excusare.

Et nomine: *O Trinitat*, fol. 272. col. 4.

Cell, qui sab Trinitat, è no la vol mostrar
à aquells, qui la porien saber è amar,
no par, que de culpa se puga escusar.

Latinè: *Ille, qui Trinitatem scit, nec tamen vult docere*
eos, qui eam possent scire & amare,
non videtur, quod de culpa se possit excusare.

Loca Lib. de Contempl. commodiùs, simulque, ponentur cum Articulo 74. sequenti, qui parum differt ab hoc 73. inveniuntur autem in Contempl. cap. 47. fol. 133. Lib. 2.

Articulus 74. apud Eimericum.

QUòd, qui non facit totum posse suum ad convertendos omnes infideles, errat, & debet timere Deum, & est sinè Charitate. *In Lib Contempl.*

Articulus 74. apud Lullum.

ARticulus hic videtur colligi ex his locis Lib. 5. Contempl. cap. 308. fol. 195. *En axi Senyor, los Christians no an escusa à no preicar los Infeels, qui no honran, ni aman, ni conexen vostra glorioſa Trinitat, ni vostra Natura humana santificada glorioſa.* Latinè: *Ita, Domine, Christiani non excusantur, non docendo Infideles, qui non colunt, non amant, non cognoscunt tuam gloriosam Trinitatem, & tuam Naturam humanam sanctificatam gloriosam.*

Et cap. 309. fol. 198. col. 4. *Virtuos Senyor, no es negun defallimentan gran, ne tan colpable, com es defallimentque sia en lo voler; car defallimentque sia, Senyor, en poder è en saber, no aporta culpa; car escusat es tot hom, pus que no ha poder, ni saber: mas com hom ha poder è saber, è no vol aver lo voler, lo qual pot aver, si aver lo vol, aquell defallimentde voler no escusa hom; enans enculpa, è acusa lo voler: è aço es, Senyor, per ço, car la libertat pus forment esta en lo voler, que en lo poder, ni saber: car, qui no pot aver poder è saber en alguna cosa, no ha franquea en aquell poder ni saber; mas qui ha franc voler de usar de son poder è de son saber, aquell voler ha culpa, com no vol so, que pot fer per acabat poder è saber. On com aço sia en axi, donc segons asso es significat, Senyor, que aitant com es gran lo poder è el saber dels Christians, daitant es obligat llur voler à voler la causa final, per la qual llus es donat acabat poder è saber, à ordenar, com tot lo mon sia de Christians.*

Latinè: *Virtuose Domine, nullus defectus est tantus & tam culpabilis, sicut est defectus, qui est in voluntate; quia defectus, Domine, qui est in potestate & in sapientia, non aufert culpam; quia homo est excusatus, quando non habet potestatem & sapientiam: sed quando homo habet potestatem & sapientiam, & non vult habere voluntatem, quam potest habere, si illam velit habere, ille defectus voluntatis non excusat hominem; sed inculpat, & accusat voluntatem: & hoc, Domine, est ideo, quia libertas fortiùs stat in voluntate, quàm in potestate & sapientia: quia, qui non potest habere potestatem & sapientiam in aliqua re, non habet libertatem in illa potestate & sapientia; sed qui habet liberam voluntatem utendi suâ potestate & sua sapientiâ, illa voluntas habet culpam, quando non vult hoc, quod potest facere per perfectam potestatem & sapientiam. Unde cum hoc ita sit, secundum hoc significatur, Domine, quod, quanta est potestas & sapientia Christianorum, tantum sit obligata illorum voluntas ad volendum causam finalem, propter quam illis est data perfecta potestas & sapientia, ad ordinandum, quòd totus mundus sit Christianorum.*

Tandem id potest colligi ex cap. 268. prope finem, ab illis verbis: *Rey dels Reys, Senyor dels Senyors &c.*

Cujus ergò humeris infidelium ad doctrinam Christi conversio injuncta est, is haud dubiè culpæ subjacet, nisi pro virili suo satisfaciat muneri: pendet ex illo præcepto Christi: *Pasce oves meas. Cæterùm in persona Beati Petri* (ait Lullus in Radicib. Apostolicalibus) *sunt oves commissæ fidei cujuslibet personæ Papæ.* Paulò infrà: *Cum sua Fide debet Papa concordare fidem cujuslibet hominis; & cum sua Fide debet Papa esse contra illos, qui sunt contra Fidem: ratione cujus contrarietatis debet conari destruere errores, qui sunt seminati inter Saracenos, Tartaros & inter Judæos; cum quibus erroribus illi sunt contra Fidem Christianam.* Habetur hac de re quæstio in quæstionibus quinti Præcepti Arboris Apostolicalis, in hunc modum: *Quærebatur ab Affatu, in quo magis esset otiosus? Solutio: Affatus respondit, quòd fortius esset otiosus ad ostendendum veritatem Fidei Christianæ per totum mundum, quàm in aliqua alia re; cum ita sit, quod ad ostendendum veritatem Fidei Christianæ sit magis obligatus.*

Arti-

Articulus 75. apud Eimericum.

QUòd Deus est ita firmus ad indulgendum, quòd nihil potest indulgentiam impedire, nisi desperatio. *In Lib. de Centum Nominibus Dei.*

Articulus 75. apud Lullum.

IN prædicto Articulo ait Lullus, nomine: *O Constant*, fol. 294. col. 2. quæ subsequuntur.

Deus es tan ferm en perdonar,
que dell res nos pot desviar,
si doncs nou fa desesperar,

Latinè: *Deus est tam firmus ad indulgendum,*
quòd nihil nos possit ab illo impedire,
nisi forte ipsa desperatio,

Ita loquitur Lullus; non, quòd alia peccata mortalia à Deo non avertant (quod sanè ipse exprimit in Proverb. 3. p. cap. de Peccato) sed quia subjecta materia id postulabat: agebat enim de Constantia Dei, cui, cùm nihil acriùs adversetur, quàm diffidentia, ex se viam omnem præcludens DivinæConstantiæ, idcirco diffidentiam indicat figillatim. Quod scitè D. Aug. serm. 58. de Tempore dixit: *Cùm Deus velit misereri, quia bonus est, & possit, quia omnipotens est, ipse contra se Divinæ Pietatis januam claudit, qui Deum sibi misereri, aut nonvelle, aut non posse, credit, eumque, aut bonum, aut omnipotentem esse diffidit.*

Articulus 76. apud Eimericum.

QUòd Deus habet populo suo tantam Charitatem, quòd quasi omnes homines mundi erunt salvati; quia si plures essent damnati, quàm salvati, Misericordia Christi esset sinè magna Charitate. *In Libro de Planctu.*

Articulus 76. apud Lullum.

DOminatur hìc satìs in Eimerico calumniandi libido, dum verba Eremitæ disputantis & cum Lullo agentis ipsi Lullo attribuit. in Libro de Planctu, inscripto: *Desconort*, vernaculâ linguâ sic legitur, in §. 41. fol. 10.

Remon, per ço car am, que en gaug stiats,
è que ira, ne dol en nulla re hajats,
vos vull be consolar, è prec vos, que ausats.
Deu sofer, que lo mon sia axi malvat,
per so, que ell mils pusca perdonar à tots lats;
car on mes ha de pietat, è mes lin conve grat:
per que segur siats, que Deus ha à son poble
tan alta Caritat,
que en quax tots los homens del mon seran
salvats;
car si mes no eren li salvats, quels damnats,
seria sa Merce sens gran Caritat:
perquen la gran Merce de Deu vos consolats.

Qui liber, in Versione Castellana Nicolai de Pax, inscribitur, *Del Desconsuelo &c.* Et num. 41. sic habet: H. *O Raymundo, porque querria, que fuesse des consolado, y sin pesar, y dolor de nada, quiero dezir os y ruegoos, que me oigais. Que Dios sufre, que el mundo sea malvado, como lo es; porque el pueda perdonar mejor de una parte y otra: porque, quanto mas el perdona, mayor piedad tiene, y es le mas agradecido: donde sed cierto, que Dios tiene tanta caridad con su pueblo, que casi todos les hombres del mundo seran salvos; porque si no son mas los salvos, que los condenados, fuera su Piedad sin grandeza de Caridad: por esso, consolaos en la Misericordia de Dios.*

Latinè: *O Raymunde, quia volo, quòd sis totus in gaudio, & quòd in nulla re habeas tristitiam & dolorem, volo te bene consolari, & rogo te, ut me audias. Deus suffert, quod mundus sit ita perversus, adhoc, ut magis & magis possit parcere; quia quo majorem pietatem habet, eo majorem illi placet ostendere: quare sis securus, quòd Deus habeat tam altam Charitatem erga suum populum, quòd quasi omnes homines mundi salvabuntur; quia si non plures salvarentur, quàm damnarentur, sua Misericordia esset sinè magna Charitate: quare in magna Misericordia Dei consolare:* quæ verba (ut dixi) Eremitæ sunt objicientis, non Raymundi respondentis; hæc enim statim §. vel num. 42 subjiciuntur, in suo quidem Archetypo, sic:

Hermita, tot dia me tenits en parlament,
è nom lexats membrar mon engexos tor-
ment,
è faits ho, per que git à oblidament
lira el desconort, don me ve languiment:
mas res no acabats, è feits avocament
mes de gran pietat, que de gran jutjament:
per que asso errats; car en Deu egualment
son jutjar è perdonar segons ordenament
de les sues virtuts; car nulla no consent,
que en sa justicia haja null minvament:
Per que deu haver pecador gran spavent &c.

Versio autem Castellana sic habet: *O Ermitanno, todo el dia me entreteneis en palabras, y no me dexais acordar de mi tristeza; y lo hazeis, porque yo quite de mi memoria el desconsuelo, que tanto me congoxa: pero no acabais nada; y hazeis mas cuenta de grande Piedad, que de grande Justicia: por esso errais mucho; porque en Dios son iguales perdonar y juzgar segun el orden de sus dignidades; de las quales ninguna sostiene, que la Justicia Divina sea diminuta: dedonde el pecador deve espantarse &c.*

Latinè: *Ergmita, totâ die me detines in verbis, & non finis me recolere meum augustiosum tormentum; & facis hoc, ad hoc, ut abjiciam in oblivionem tristitiam & desolationem, unde in me venit languor: sed nihil efficis, & magis extollis magnam pietatem, quam magnam justitiam: quapropter erras; quia in Deo sunt æqualia judicare & parcere, secundum ordinationem suarum virtutum; quia nulla consentit, quòd in sua justitiâ sit ulla diminutio: & ideo peccator debet habere magnum timorem &c.*

Articulus 77. apud Eimericum.

QUòd sinè Charitate non possumus habere aliquam virtutem; sicut sinè oculis non possumus videre. *In Lib. de Doctrina pueril.*

Articulus 77. apud Lullum.

IN Lib. de Doctrina Pueril. cap. de Caritat, Raymundus ita loquitur: *En axi com, si huyls no as, nulles coses no pots veer, en axi sens caritat no pots aver nulla virtut ni null agradable plaer.* Latinè: *Quemadmodum, nisi oculos habeas, nullas res potes videre, sic sinè charitate non potes habere ullam virtutem nec ullam gratam voluptatem.* Si Lullus errat in hoc Articulo, Petrus Lombardus quoque in 3. Senten. d. 23. Ambrosium secutus erraſſet; Lombardi verba sunt: *Fides, quâ creditur, si cum Charitate sit,*

virtus est; quia Charitas, ût ait Ambrosius, mater est omnium virtutum, quæ omnes informat, sinè qua nulla vera virtus est: errasset Gerson, num. 87. Alphab. litera A. *Virtutes* (inquit) *veræ non sunt, nisi quas gratiæ gratificantis radix profert, vivificat, fovet & roborat; quia non habet aliquid viriditatis radix boni operis, nisi maneat in radice Charitatis &c.* Sic etiam loquuntur Doctores Scholastici, cùm Charitatem omnium virtutum formam vocant; non quoad esse virtutis; sed quoad esse meriti.

Articulus 78. apud Eimericum.

QUòd, quia omnes homines ejusdem speciei sunt, dignum est, quòd homo diligat proximum suum, quantum se ipsum; & si non facit, ejus amor est falsus & deordinatus: & de hoc est Dei mandatum. *In Lib. Contempl. & in Lib. de 7. Arb. & in alio, de Doctrina Puerili.*

Articulus 78. apud Lullum.

QUid Eimerico venerit in mentem, dum hunc Articulum in reprehensionem vocavit, quem potiùs laudare debuerat, divinare non ausim; num displicuit ei vox, *quantum?* quæstio de nomine foret; & hic, *quantum & sicut*, æquipollent: num illud; *si non facit, ejus amor est falsus & deordinatus?* Aurichalcum est aurum falsum; quia videtur aurum, & non est aurum: Amor ille est falsus, quia videtur esse, nec tamen est amor.

Lullus igitur in Lib. 4. Contempl. cap. 237. fol. 29. ita habet: *E pus que tots los homes son, Senyor, de una specie, digna cosa es, que hom am son proysme attant, com à si mateix: com hom, Senyor, ha major amor à si mateix, que à vos, & com home, Senyor, ha major amor à si matex, que à son proysme, adonchs es, Senyor, la amor significant desordenacio è defalliment; car desordenacio è defalliment es, Senyor, en home, qui ama mes so, qui es vil, que so, qui es noble, & qui ama mes una cosa igual en genre è en specie, que altra de aquella specie matexa.*

Latinè: *Et quoniam omnes homines, Domine, sunt unius speciei, dignum est, quòd homo tantùm amet suum proximum, quantùm se ipsum: quando homo, Domine, habet majorem amorem erga se ipsum, quàm erga te, & quando homo, Domine, habet majorem amorem erga se ipsum, quàm erga suum proximum, tunc amor significat inordinationem & defectum; quia inordinatio & defectus est, Domine, in homine, qui plus amat hoc, quod est vile, quàm hoc, quod est nobile, & qui plùs amat unam rem æqualem in genere & in specie, quàm aliâ ejusdem speciei.*

In Lib. de 7. Arb. vel in Arb. Scientiæ nihil tale reperitur; sed in Libro de Doctrina puerili, super nono Præcepto Decalogi: cujus titulus est: *No enveger as la muller de ton proysme*, sic loquitur Lullus: *Amable fill, tot hom es proysme à altre hom, è en recreyha humana: è cor es manament expres, que hom am son proysme aitant, com si matex, per asso, fill, lo Deu de Gloria fa manament, que null hom no conega la muller de son proysme: en lo qual manament es significat altre manament; so es à saber, que ages amor à ton proysme, è à tu mateix. Y envejar fill, de ton proysme, es menysprear è desamar ton proysme, è menysprea sa muller, è sos parents de sa muller, primerament aquell criatura, qui li es semblant en natura.*

Articulus 79. apud Eimericum.

QUòd illi, qui non diligunt pluviæ multiplicitatem, vel paucitatem, vel sterilitatem, seu siccitatem, caliditatem & frigiditatem, & alia, quæ fiunt in mundo similia, non diligunt opere Divina, sed contrariantur Divinæ Justitiæ. *In Lib. Contempl.*

Articulus 79. apud Lullum.

VEl inscriptio capitis 279. Lib. 5. Contempl. unde Articulus hic desumptus est, manifestè pugnat cum Eimerico; sic enim habet, fol. 114. pag. 2. col. 1. *Com home es obligat à amar totas aquellas cosas, que Deus ama.* Latinè: *Quomodo homo sit obligatus ad amandum omnia ea, quæ Deus amat:* Nonne ex sola epigraphe constat, quid velit Lullus? nimirum, ut in omni petitione Deo nos submittamus; ut faciamus ejus voluntatem. Jaciamus pro inconcusso illud ejusdem cap. fol. 115. p. 2. col. 1. *La quarta Rao, Senyor, on entenem à parlar de Amor, es de les vostres obres, On deim, que sensualment sentim, è intellectualment entenem, Senyor, que tot home ama sa obra: on per aso es significat al humanal enteniment, que vos amats la vostra obra matexa: on com aço sia significat en axi, doncs per esta significacio aytal es demonstrat, quel nostre remembrament es obligat, è lo nostre enteniment atretal, à remembrar è entendre les vostres obres, per tal, que la volentat les am, pus que vos les amats.*

Latinè: *Quarta Ratio, Domine, in quâ intendimus loqui de Amore, est de tuis Operibus. Unde dicimus, quòd sensualiter sentiamus, & intellectualiter intelligamus, Domine, quod omnis homo diligat suum opus: unde per hoc significatur humano intellectus, quòd tu diligas tuum opus: unde cum hoc ita significetur, per hanc significationem demonstratur, quod nostra memoria sit obligata, & noster intellectus similiter, ad recolendum & intelligendum tua opera, adhoc, ut voluntas illa amet, quia tu illa amas.*

Ex hoc tanquam antecedente colligitur hic 79. Articulus. *On aquells, qui no aman, Senyor, la multitud de la pluja, è la poca cantitat de aquella, è desaman massa calor è massa fredor, ò massa vent, ò poc vent, ò desaman malaltia è treballs è mort è altres cosas, que ordenau è feu per punir nosaltres, è per usar de vostre Justicia, aquells, Senyor, no aman vostres obres, è son contraris à vostra Justicia: è aquells, Senyor, que son envejosos dels bens, que feu à alguns homens, aquells, Senyor, son desamants de vostra misericordia è les vostres obres.*

Latinè: *Unde illi, qui non amant, Domine, multitudinem pluviæ, & parvam quantitatem illius, & non amant nimium calorem & nimium frigus, vel nimium ventum, vel modicum ventum, & non amant infirmitatem & labores & mortem & alia, quæ ordinas & facis ad punendum nos, & ad utendum tuâ Justitiâ, illi, Domine, non amant tua opera, & sunt contrarii tuæ Justitiæ: & illi, Domine, qui sunt invidi de bonis, quæ facis aliquibus hominibus, illi non amant tuam misericordiam & tua opera.*

Colligitur & hoc aliud Corollarium: *On com aço, Senyor, si axi, è nosaltres siam los desamadors de vostres obres per esta manera, doncs benaventurats son aquells, qui dels pecadors se tricn, è esforçan à amar, è aver paciencia en tot asso, que vos los treballau, è atormentau en est mon: è aquells, Senyor, qui no aman lo, que vos obrau, è feu en ells, ne han paciencia, aquells son privats de vostra amor: la qual privacio significa, que llur lloc es en pena perdurable.*

Latinè: *Unde cum hoc ita sit, Domine, & nos non simus amatores tuorum operum per hunc modum, igitur beati sunt illi, qui à peccatoribus se separant, & conantur amare, & habere patientiam in omni eo, in quo tu illos affligis & torques in hoc mundo: & illi, Domine, qui non amant id, quod operaris & facis in illis, nec habent patientiam, illi sunt privati tuo amore: quæ privatio significat, quòd ipsorum locus sit in perdurabili pœna.* Fit hinc, id voluisse Lullum, ut Divinæ Voluntati ubique subjiciamur.

Articulus 80. apud Eimericum.

QUòd homo debet amare Deum, quia bonus est; non autem propter ullam rem, quam sibi donet, nec propter indulgere suum peccatum, nec propter hoc, quòd ipse non sit damnatus: & qui sic voluerit orare, sentiet se tam altum per suum amare & per suum intelligere & memorari, quòd non poterit altiùs ascendere. *In Lib. de Contr. Confess. Satisf. & Oratione.*

Articulus 80. apud Lullum.

LUllus sincerum & purum amorem erga Deum absque ullo remunerationis intuitu sub debito reponit, sed consilii non præcepti; perfectionis, non necessitatis: quod apertè indicat majoritas, quam puro erga Deum affectui tribuit; est autem hæc majoritas quidam gradus amoris adeò sublimis, ut sublimior non possit esse; in via, intellige, in qua, ût ex parte cognoscimus, ita ex parte diligimus: gradus autem istius amoris consilii est, perfectorum est, transcendentium & contendentium illam patriæ consummatam dilectionem æmulari, quæ in Deum propter ipsum solum fertur, nec huic fini finem alium alicujus commodi subjicit: debet ergò hoc homo, videlicet, si nolit in via serpere, si velit, non modò incipere, sed paulò post progredi, sed maximè proficere: monet itaque Lullus, ut id, quod melius est, eligamus.

Sic locutus est D. Amb. in Lib. de Viduis: *Honorabile* (inquit) *conjugium, sed honorabilior integritas &c.*: ergò, ût *præcipere*, est aliquando docere, & *mandare*, est commendare, ût doctè Castro in Lib. Adverss. hær. tit. *Præceptum*, ita *debere*, est convenire, expedire & decere: similis vox habetur de Consecr. d. 5. *Omnes* (inquit) *fideles post Baptismum per impositionem manuum Episcoporum Spiritum Sanctum excipere debent.* Exponunt quamplures verbum *debent*, non tanquam præceptum, sed tanquam commodum & utile. Sot. in 4. d. 7. q. 1. a. 8.

Prior pars Articuli 81. apud Eimericum.

QUòd illi, qui amant Deum, propter hoc, ut det eis gloriam cœlestem, vel bona temporalia, & timent Deum, propter hoc, ut non det eis pœnam infernalem, vel labores temporales, faciunt de prima intentione secundam, & de secunda primam; & eorum intentio est perversa & falsa & contra Dei intentionem. *In Lib. Intentionum.*

Prior pars Articuli 81. apud Lullum.

HÆc sunt verba Lulli in Proœmio Libri de Prima & Secunda Intentione, fol. 48. *Aquells homens, qui aman à Deu, per so, quells fassa be, el temen, per so, que nols fassa mal, fan de la primera intencio segona, è de la segona fan primera; & per ço llur intencio es adversada è falsa è contra la intencio, per que Deu la ha creada: on com aço sia axi, doncs qual justicia jutjara, que tal intencio tan malvada aja gloria sens fi?*

Latinè: *Illi homines, qui amant Deum, adhoc, ut ipsis faciat bonum, & illum timent, adhoc, ne illis faciat malum, faciunt de prima intentione secundam, & de secunda faciunt primum; & ideo ipsorum intentio est contraria & falsa & contra intentionem, propter quam Deus illam creavit: unde cùm hoc ita sit, quæ igitur justitia judicabit, quòd talis & tam perversa intentio habeat gloriam sine fine?* Intellige in his, *principaliter:* id quod colligitur ex perversione finium, quam efficiunt; si enim merces, quam à Deo exspectant, in Deum ipsum referatur, nulla intentionum inversio est: de illis ergò fit sermo, qui amant Deum *primario fine, ut det:* quod certè perniciosum est; ût est videre apud Augustinum, Sermone 2. de Serm. Domini in Mon. Bernar. de Dilig. Deo. D. Thom. 2. 2. quæst. 19. artic. 4. Dur. in 3. quæst. 2. & 3. & Andr. Veg. Lib. 11. cap. 44.

Quòd autem liceat Deum amare intuitu Vitæ æternæ & metu mortis, modò affectus in Deum feratur primâ intentione, & ad mercedem secundâ, Lulli doctrina est; nam Libro de Prima & Secunda Intentione in Proœm. fol. 48. ita docet: *La gloria, que auras, fill, en Paradis, si entras, sera per la segona intencio, è la conexensa, que auras de Deu, è lamar, sera per la primera; car millor cosa es intencio en conexer e amar à Deu, que en aver gloria per conexer è amar à Deu: con sia cosa, que Deu sia pus intelligible è amable, que tu gloriable: tant es, fill, digne de ser conegut è amat, que la intencio, que hom ha en conexer è amar à Deu, quant mes digne; no pot muntar à pus alt grau.*

Latinè: *Gloria, quam habebis, fili, in Paradiso, si in illum intras, erit per secundam intentionem, & cognitio, quam habebis de Deo, & amare, erit per primam; quia intentio est melior in cognoscendo & amando Deum, quam in habendo gloriam per cognoscere & amare Deum: cùm Deus sit magis intelligibilis & amabilis, quam tu glorificabilis: adeò, fili, Deus est dignus cognosci & amari, quòd intentio, quam homo habet in cognoscendo & amando Deum, non possit ascendere ad altiorem gradum.*

Item in Libro Blanquernæ, cap. 39. *Tant es Deu merexedor de ser amat è temut per la excellent bondat è virtut, que en ell es, que mes lo deu hom amar è tembre per si matex, que per aver Gloria, ni per esquivar Infern.*

Latinè: *Adeò dignus est Deus, qui ametur & timeatur propter excellentem bonitatem & virtutem, ut magis amandus & timendus sit propter se ipsum, quàm ut gloriam quis consequatur, & pœnas æternas effugiat.*

Et paulò post: *En una obra matexa pot ordenar è desordenar llur intencio; perque si per pobresa hom entra en orde, hom pot aver caritat principalment à Deu, è à la Religio, è apres pot hom aver intencio à si matex è à ses necessitats.*

Latinè: *In uno eodem opere potest ordinari & inordinari ipsorum intentio; quia si homo propter paupertatem intrat in ordinem, homo principaliter potest habere charitatem ad Deum & ad Religionem, & postea potest habere intentionem ad se ipsum & ad suas necessitates.*

Denique in Lib. de Philosophia Amoris, cap. 81. fol. 148. de Oratione, quam Amicus fecit in morte: *Amate, dixit Amicus, Oratio est petitio, quam homo tibi facit, ut illi des Gloriam & Beatitudinem, & ut illi remittas sua peccata; & qui à te quærit Beatitudinem & Gloriam æternam, majus donum non potest quærere; & qui de suis peccatis quærit*

à te Misericordiam, convenit, quòd ipsam quærat cum continuatione & dolore & pœnitentia de suis peccatis: & ideo, Amate, ego non sum dignus quærere à te hæc duo dona tam magna; quoniam parvus sum per peccata, per nativitatem & naturam: propter quod non peto secundùm comparationem mei statûs; quoniam dignus non sum à te tam magna dona recipere: sed tu, Amate, qui das secundùm tuum honorem, dignitatem, des mihi Gloriam & Beatitudinem æternam, & mihi omnia mea peccata remittas, secundùm tuas conditiones, & non secundùm meas: Gloriam & Beatitudinem à te quæro, suspirando & plorando, & te recolendo, intelligendo & amando, & misericordiam quærendo. Claudat idem Lullus, qui in Libello de Oratione per regulas deducta, in excursu per regulam: *Quare*, ait:

Ador te Deus per ta Bondat
mes, que per so, que mas donat,
ni per tot quant me pots donar;
car ta Bondat, sens comparar,
val mes, que tot lo be creat:
per que deus esser mes amat
per ta Bondat, que per ton do;
per ta Gracia è Perdo.

Latinè: *Te, Deus, adoro propter tuam Bonitatem potiùs, quàm propter ea, quæ mihi dedisti, nec propter illa, quæ mihi potes dare; nam tua Bonitas incomparabilis super omnia bona creata est æstimabilis: namque magis debes amari*
propter tuam Bonitatem, quàm propter tuum donum,
propter gratiam & Indulgentiam.

Secunda pars Articuli 81. apud Eimericum.

QUòd non est unus homo solus, qui fecerit tantum malum, sicut id, quod fecit Machumetus, qui tot homines misit in errorem: & tamen majus malum sequitur, cùm homo non habet Deum primam intentionem, quàm sit totum malum, quod fecit Machumetus; quia majus bonum est in homine uno, qui fortiter diligit Deum per primam intentionem, quàm sit malum in omnibus hominibus, qui sunt damnati. *In Lib. Intentionum.*

Secunda pars Articuli 81. apud Lullum.

PErgit ulteriùs Lullus in eodem Lib. Intentionum citato: *En la intencio de Deu no es null home sols, que aja fet tant de mal, com ha fet Mafumet, qui tants homens ha mes en error; empero mes de mal se segueix, com hom no fa à Deu la primera intencio, que tot lo mal, que feu Mafumet: com major be es en un home, qui fortment am Deu per la primera intencio, que no es mal en tots los homens, qui son damnats.*

Latinè: *In intentione Dei non est ullus homo solus, qui fecerit tantum mali, quantum fecit Mahometus, qui tot homines posuit in errore; veruntamen majus malum sequitur, quando homo non facit ad Deum primam intentionem, quàm sit omne malum, quod fecit Mahometus: cùm majus bonum sit in uno homine, qui fortiter amat Deum per primam intentionem, quàm sit malum in omnibus hominibus, qui sunt damnati.*

In quibus verbis thesis est, & ipsius thesis ratio; thesis est hæc: majus malum sequitur, cùm homo non facit Deum primam intentionem, quàm sit malum, quod Mahometus admisit: nam, ût Aug. dixit: *Nulla major perversitas est, quàm frui utendis, & uti fruendis:* quod tunc fit, quando non in primis quærimus honorem & gloriam Dei; sed gloriæ Dei nostrum commodum præferimus. Ratio hujusmodi redditur in illa Lulli narratione, quæ in Arbore Exemplifical. cap. de Proverb. Rami humanalis habetur, fol. 115. col. 2. *Narratur, quòd Oratio ad Cœlum voluerit ascendere &c.* per totum caput. Ratio autem thesis est hæc: quia majus bonum est in homine, qui ardenter diligit Deum per primam intentionem, quàm sit malum in hominibus damnatis; nam major est boni rectitudo in universum, quàm mali obliquitas: quia bonum semper est melius, quàm malum pejus.

Dices, quid rationi cum thesi; in thesi enim comparatur malum cum bono, in ratione verò bonum cum malo? Respondeo. Si recta in Deum intentio majus bonum est, quàm sit malum aliud quodcunque vitium, inde facilè colligere est, præposteram in Deum intentionem majus esse malum, quàm aliud quodcunque malum; juxta doctrinam in Regula de Punctis transcendentibus, Artis Invent. cap. de Moralitate traditam: *Cùm* (inquit Lullus) *sit privatio in subjecto, sic ratione subjecti, non ratione sui, differt ipsum ab ipso peccato illâ eâdem differentiâ numero, quâ virtus eidem oppositæ differt ab alia virtute oppositâ illi peccato, à quo differt: idem percipe de concordia, pugnantia & majoritate.*

Articulus 82. apud Eimericum.

QUòd, si Deus dat homini de bonis hujus mundi, nec propter hoc, quia dat sibi, & multiplicat bona, homo debet eum diligere; quia tantum debet eum diligere, quòd plùs non possit eum diligere. *In Libro de Arte Amativa.*

Articulus 82. apud Lullum.

HIc satis erit, si Lullus mentem suam aperiat; hoc ipse facit in Orationibus per regulas explicatis, per regulam *Quare:* in hunc modum:

E qui per tu te vol amar
mes, que per si, fas li estar
samor en tan gran fermetat,
que, si li tols, not ne ha desgrat;
è si li dones mes da haver,
de honor è ço, que vol haver,
not ne ama mes; car nou pot fer;
pus que son voler fas estar
en amar tu; per ço car es
bo è cumplit, en tot quant es:
per quet prec, quem fasses amar
mes tu per tu, que per donar
Paradis, ne null altre be.

Latinè: *Et qui te propter te vult amare*
plùs, quàm propter se, facis stare
illius amorem in tanta firmitate,
quòd, si illi auferas, non ideo tibi sit ingratus;
& si illis das plura ad habendum,
de honore & hoc, quod vult habere,
te non plùs amet; quia hoc non potest facere; post

postquam illius voluntatem facis stare
in amando te; eò quòd es
bonus & completus in omnibus:
quare te rogo, ut me facias amare
magis te propter te, quàm propter dare
Paradisum, vel ullum aliud bonum.

Et in Arte Amat. q. ult. ex 20. principalibus, ait: *Inconvenient cosa es, que ver amador per ningunes coses, que li faca son amat, multiplic, ni aminve son amar.* Latinè: *Inconveniens est, quòd verus amator, quovis modo ab Amato tractetur, augeat vel minuat suum amare.*

Paulò post: *Com amor, dix lamic, no sabeu vos, segons que aquesta primera condicio significa, quel amic deu aver plaer en sostenir treballs, llanguiments, mort per amor de son Amat? puis que la savieza del Amat sab tot lo, quel amic soste per samor.*

Latinè: *Quomodo amor, dixit amicus, an non scis, secundùm quod ista prima conditio significat, quòd amicus debeat habere placitum in sustinendo labores, languores, mortem propter amorem sui Amati? quoniam sapientia Amati scit omnia, quæ amicus sustinet propter amorem illius.*

Subdit protinùs: *Lamic, si son Amat li tol res, que li aja donat, nos deu tornar à tras de amor; car si Lamat li tol per una manera, li dona per altra; en quant li dona paciencia, esperança, obediencia, el vest de sa semblança.*

Latinè: *Amicus, si suus Amatus ab eo auferat aliquid, quod ipsi dedit, non debet recedere ab amore; quia si Amatus ab illo aufert per unum modum, illi dat per alium; in quantum illi dat patientiam, spem, obedientiam, & illum vestit suâ similitudine.*

Mox subnectit: *Amor, dix Lamic, aquesta demanda de aqui avant no la fassau à mi, ni à ningun amador, qui vertadera è lealment ama à son amat; ans feula als falsos amadors, quius fan estar desordenat en aquest mon; è qui aman mes mon Amat per ço, quels done, è per ço, que nols lleve ço, quels ha donat, que per la Bondat, Granea, Eternitat è les altres, qui son en mon Amat.*

Latinè: *Amor, dixit Amicus, hanc quæstionem non facias mihi imposterum, nec ulli amatori, qui veraciter & fideliter amat suum Amatum; sed facias illam falsis amatoribus, qui faciunt, te esse inordinatum in hoc mundo; & qui plùs amant meum Amatum, ut ipsis det, & ut ab ipsis non auferat hoc, quod illis dedit, quàm propter suam Bonitatem Magnitudinem, Æternitatem &c., quæ sunt in meo Amato.*

Concludit tandem: *Casi tots los homens, qui aman vostre Amat, laman per contraria intencio: en axi, quels uns laman per ço, que nols do pena, è los altres laman per ço, quels do la benaventurança de aquest mon: è tots aquestes tals son de aquells falsos amadors, qui vos diuen, que multipliqueu, ò aminveu llur amar, segons que vostre Amat los dona, ols tol las benaventurances de aquest mon: è no trobe amic casi ningu, qui vulla amar vostre Amat per vera intencio, ni per la vera raho, per que vostre Amat es amable.*

Latinè: *Ferè omnes homines, qui amant tuum Amatum, amant illum per contrariam intentionem: ita, quòd quidam illum ament, ad hoc, ut illis non det pœnam, & alii illum ament, ad hoc, ut illis det prosperitatem hujus mundi: & omnes isti sunt de illis falsis amatoribus, qui tibi dicunt, quòd multiplices vel diminuas ipsorum amare, secundùm quòd tuus Amatus illis dat, vel ab illis aufert prosperitates hujus mundi: & ferè nullum amicum invenio, qui velit amare tuum Amatum per veram intentionem, nec per veram rationem, propter quam tuus Amatus est amabilis.* Quid his quæso sincerius? quid sublimius?

Duplex ergò à Lullo, quemadmodum ab aliis, habetur Amor, Gratuitus & Mercenarius: & uterque duplex; Purus & Permixtus: Gratuitus purus in Deum fertur propter ipsum, nec lucrum spectat; Permixtus etiam quæstum intermiscet: Mercenarius item purus est, qui uni mercedi incumbit: Mercenarius permixtus, qui gratuitò subservit, tanquam finis medius ultimo: quare purè Mercenarius, qui mercedem tantùm spectat, rejicitur, nisi ad gratuitum dirigatur. De puro amore videndus Lullus, cap. 69. de Philosophia Amoris: *Adhuc, Amice, dixit Amor, est & alius major gradus &c.* Et paulò post: *valde placuit amori id, quod sibi amicus &c.* Deinde: *Adhuc amice, dixit amor, sunt alii duo modi largitatis &c.*

Articulus 83. apud Eimericum.

QUòd inconveniens est, quòd verus amor propter aliqua, quæ facit homini Deus, multiplicet, seu minuat suum amare; quia postquam Deus initiavit hominem amare Bonitate, Magnitudine, & sic de aliis; & homo contemplari Deum, non convenit, quòd contrariè habeat posse in amare; imò oportet esse tam magna magnitudo initiandi, contemplandi in amore vestito Bonitate, Magnitudine, Duratione, & sic de aliis, quòd non possit suum amare crescere, nec minui; quia si posset crescere & minui, jam initiare & contemplari non intraret medium amoris. *In Lib. de Arte Amativa.*

Articulus 83. apud Lullum.

ISte Articulus nihil addit superiori: dedecet, quòd verus amor ratione doni accrescat, vel decrescat: devincit quidem illum, quem *Beatum*, dicit Bern. Lib. de Dilig. Deo, *& sanctum, cui tale aliquid in hac mortali vita rarò interdum, aut semel, & hoc ipsum raptim, atque unius vix momenti spatio, experiri donatum est; te enim quodammodo perdere, tanquam qui non sis, & omnino non sentire te ipsum, & à temet ipso exinaniri, & pæne annullari, cœlestis est conversationis, non, humanæ affectionis:* & quæ pulchrè addit præterea. Nec indecorum prædicat Lullus, quòd dilatetur, vel attenuetur, sed quòd mercede additâ, vel demtâ permutetur amor adeò castus & verus.

Articulus 84. apud Eimericum.

QUòd tantum desiderat & amat Amicus (*hoc est, homo justus*) Bonitatem, Magnitudinem & Æternitatem sui Amati (*hoc est, Dei*) quòd propter amorem se concordant Bonitas, Magnitudo & Æternitas in esse essentiam & naturam, & una m & eandem rem in numero in Amico & Amato. *In Libro de Arte Amativa.*

Articulus 85. apud eundem Eimericum.

QUòd Amicus & Amatus (*scilicet homo justus & Deus*) sunt una indistincta & inconfusa essentia & natura in Bonitate & Magnitudine & Æternitate. *In Lib. de Arte Amativa.*

Articulus 66. apud eundem Eimericum.

QUòd, si Amicus (*hoc est, homo justus*) non fuisset ipsa substantia sui Amati (*hoc est, Dei*)

& Amatus non fuisset ipsa substantia sui Amici, jam eorum gloria non fuisset in magna concordia Amoris. *In Libro de Arte Amativa.*

Articulus 87. apud eundem Eimericum.

QUòd Amicus & Amatus (*hoc est, homo justus & Deus*) in quibus non est parvus amor, sed magnus, possunt esse, imò sunt unamet Essentia & Natura Divina indistincta & indivisibilis sinè ulla contrarietate & diversitate Essentiæ. *In Lib. de Arte Amativa.*

Adnectit glossema aliud Eimericus: *Hæc verba replicat* (inquit) *frequenter in substantia & effectu; quòd Amicus & Amatus (per quos intelligit Deum dilectum, & hominem diligentem Deum) sunt una Essentia in numero, una Natura, Substantia una, Actualitas una, Æternitas una, Magnitudo sinè contrarietate & diversitate essentiæ indivisibilis & indistincta. In Lib. de Arte Amat.*

Articulus 84. apud Lullum.

PRincipio, fingamus animo, Lullum de homine amico locutum esse, poterat quidem per schemata & tropos excusari; præsertim, cùm ex aliis locis constet recta mens Lulli: inspiciendum insuper fuerat hoc scripti genus piis affectibus excitandis comparatum potiùs, quàm mentis argutiis, inflammandæ voluntati (sicut Libri Epigraphe indicat) potiùs, quàm doctrinæ intellectûs: vix est ullus Scriptor, cui non debeatur hic animi candor. Verùm enim in his Articulis certum est, Amici nomine non solùm hominem intelligi, sed Deum ipsum; ita, ut Deus sit Amatus & ipsemet Amicus: quod, ut deprehendas, observa, quod in Proœmio de Conditionibus in hunc modum notatur: *En aquest proces, com diem, Amant, Amic, Amat, Amatiu, Amable, è enaxi de altres, algunes vegades entenem Deu simplement per lAmant, el Amic, el Amat, Amatiu è Amable: mas majorment entenem per lAmat, Amic, Amatiu, home contemplatiu, qui ama nostre Senyor Deu, parlant ab ell en segona persona: è altres vegades se enten entre home è son proysme: è algunes voltes lo pot hom atribuir al home, è à Deu, è à son proysme: è asso mateix se segueix en lo proces de les questions.*

Latinè: *In hoc processu, cùm dicimus, Amans, Amicus, Amatus, Amativus, Amabilis, & sic de aliis, aliquando simpliciter intelligimus Deum per Amantem, Amicum, Amatum, Amativum & Amabilem: sed maximè intelligimus per Amatum, Amicum, Amativum, hominem contemplativum, qui amat nostrum Dominum Deum, loquendo cum illo in secunda persona: & quandoque intelligitur inter hominem & suum proximum: & quandoque potest attribui homini, & Deo, & suo proximo: & hoc idem sequitur in processu quæstionum.*

Hoc adnotato patet, Lullum esse intelligendum in hisce locis, non de homine Amico, sed de Deo Amico; nam in prima quæst. ex viginti principalibus, in hunc modum agit: *Tant amava & desiderava lAmic la Bondat, Granea, Eternitat de son Amat, que per la sua amor se concordaven Bondat, Granea, Eternitat à esser una essencia è natura, una matexa cosa en nombre en lAmic è en lAmat. Considerava lAmic unitat de Bondat, Granea, Eternitat, en axi, que una matexa cosa sien en nombre, è una essencia è natura sien totes tres, è una matexa essencia è natura sien en lAmic è en lAmat: aquesta tan gran Unitat, dix lAmic, es en mon Amat, si Deu es, lo qual Deu es aquell Amat, que jo tan desir amar, conexer, honrar è servir: aquesta tan gran Unitat res no es, si Deu no es; car no es ningu Ens, que la pusca aver, sino Ens, que sia infinit en Unitat de Bondat, Granea, Eternitat; è asso es Infinitat de Bondat, Granea, Eternitat, è de Unitat de Amic è de Amat: on si privacio de tal Unitat es, ella es major mes, que tot lo be de totes quantes unitats son; è es major Granea de privacio, que totes les Graneas dels essers, qui son.*

Latinè: *Tantum amabat & desiderabat Amicus Bonitatem, Magnitudinem, Æternitatem sui Amati, quòd propter suum amorem concordabant Bonitas, Magnitudo, Æternitas, adhoc, ut essent una essentia & natura, unum & idem in numero in Amico & Amato. Considerabat Amicus unitatem Bonitatis, Magnitudinis, Æternitatis, ita, quòd sint idem in numero, & una essentia & natura sint omnes tres, & una essentia & natura sint in Amico & in Amato: hæc tam magna Unitas, dixit Amicus, est in meo Amato, si Deus est, qui Deus est ille Amatus, quem ego desidero tantum amare, cognoscere, honorare & illi servire: hæc tam magna Unitas nihil est, si Deus non est; quia non est ullum ens, quod illam possit habere, nisi Ens, quod sit infinitum in Unitate Bonitatis, Magnitudinis, Æternitatis; & hoc est infinitas Bonitatis, Magnitudinis Æternitatis, & Unitatis Amici & Amati: unde si privatio talis unitatis est, illa est multò major, quàm omne bonum omnium unitatum, quæ sunt; & est major Magnitudo privationis, quàm omnes magnitudines entium, quæ sunt.*

Considera hìc in primis Lulli scopum, qui sanè est, ut probet, Deum esse; Unitas enim naturæ & essentiæ, quæ inter Amicum & Amatum jacitur, ob hoc jacitur, ut per eam probetur, Deum esse: si autem intelligeretur de Unitate essentiæ inter hominem Amicum & Deum Amatum, enerva prorsus fieret ea probatio, totusque excursus elumbis. Quid tum refert, hominis cum Deo Unitas: ut probet, Deum esse? considera deinde illud: *Hæc* (inquit) *tam insignis Unitas neutiquam potest haberi, nisi ab Ente infinito in Unitate Bonitatis Magnitudinis, Æternitatis.* Nonne hinc liquet, solum Deum hujusce Unitatis in natura & essentia & rationibus esse capacem.

Concludit ibi tandem: *Aquest Deu es una Bonea, Granea, Eternitat, qui son un Deu, è cascuna es laltra; è per ço es Deu bo, gran, eternal infinidament; en lo qual no ha mes de una essencia, è una natura de Bondat, Granea, Eternitat, Poder è les altres.*

Latinè: *Hic Deus est. una Bonitas, una Magnitudo & Æternitas, quæ sunt unus Deus, & una est alia; & ideo Deus est bonus, magnus & infinitè eternus; in quo una tantùm est essentia & natura Bonitatis Magnitudinis, Æternitatis, Potestatis &c.*, ubi, sicut apertè vides, de homine Amico nulla fit mentio.

Articulus 85. apud Lullum.

SI modum loquendi Eimericus hìc reprehendit, sic loquuntur Scripturæ: *Qui adhæret Deo, unus spiritus &c.* Subjungit glossam suam Eimericus: *Amatus* (scilicet homo justus) tua est, Eimerice, ista expositio: Lulli sensus alius est.

Dum præterea dicitur: *sunt una*; percipe, non unitate naturæ, sed consensu & assimilatione: illud verò certum est, quòd intelligatur hic Articulus

eulus de Unitate Essentiæ in Deo: audi Lullum in octava quæstione ex viginti principalib. *Durar abaſta commençar en lo Sobira Amat, en lo qual son Eternitat, Granea, Bondat, Poder è les altres una Essencia è Natura substancialment, sens ningun accident: on definit es Deu per tal proprietat, que en ell sian Bondat, Granea è les altres, la una laltra, è una Eternitat matexa, è una Essencia matexa de Amic è dAmat: se seguex, que durar pot abaſtar à commençar amar, ſtants durar, commençar, amar è les altres una cosa matexa en nombre: mas en un altre Ens, en qui no sian una cosa matexa en nombre, no pot durar abaſtar è començar un mateix amar en nombre, qui sia eternal, ne infinit.*

Latinè: *Durare sufficit incipere in supremo Amato, in quo sunt Æternitas, Magnitudo, Bonitas, Potestas &c. una Essentia & Natura substantialiter, sinè ullo accidente: unde per talem proprietatem definitur Deus, quòd in eo Bonitas & Magnitudo &c. una sit alia, & una & eadem Æternitas, una & eadem Essentia Amici & Amati: sequitur, durare posse sufficere ad incipiendum amare, permanentibus durare, incipere, amare &c. una & eadem re numero: sed in alio Ente, in quo hæc non sint una & eadem res numero, non potest durare sufficere & incipere unum & idem amare in numero, quod sit æternum & infinitum.* Si rationum conversio fit, absque ullo accidente, creatura expers accidentis esse non potest: si præterea per rationum conversionem & rationum identitatem inter Amicum & Amatum constat Dei finitio, planè fit, Deum esse & eundem Amatum & eundem Amicum.

Articulus 86. apud Lullum.

PArenthesis illa (*hoc est, homo justus*) glossema Eimerici est, non sententia Lulli, cujus germana verba sunt hæc: *Si Amicus non fuisset substantia sui Amati, & Amatus non fuisset substantia sui Amici, jam eorum gloria non fuisset in magna concordia amoris.* In quibus verbis, si velit Eimericus per Amicum hominem justum interpretari, me quidem non admodum refragatorem habebit; dummodo patiatur (quod æquum est) justum ipsum appellari substantiam sui Amati; non unitate naturæ, sed amoris; eâ videlicet, quæ possibilis est inter Finitum & Infinitum.

Verumtamen quò intimiùs hanc rem contemplor, eò proprior videtur Lulli sententia, ut de Deo in se loquatur, absque ordine ad rem ullam creatam; nam quæstione 10. ex 20. princip. ita habetur: *Amic, vostre Amat ha pus alt è pus noble Amat, que vos; car en est vostre Amat es poder de differencia per accident; è assi es differencia de poder, segons que vos mateix dit haveu; mas en lAmat de vostre Amat es poder de differencia, è differencia de poder substancialment; è aço es perço, que en vostre Amat cascun començament es ab altre una matexa Essencia è Natura en nombre.*

Latinè: *Amice, tuus Amatus habet altiorem & nobiliorem Amatum, quàm te; quia in tuo Amato est potestas differentiæ per accidens; & sic est differentia potestatis, secundùm quòd tu ipse dixisti; sed in Amato tui Amati est potestas differentiæ, & differentia potestatis substantialiter; & hoc est ideo, quia in tuo Amato quodlibet principium est cum altero una eadem Essentia & Natura in numero.*

Hic apertè ostenditur, alium esse Amicum erga Deum Amatum, quàm sit homo, sublimiorem & digniorem, quàm sit homo; & in quo ità præcellenti omnia sunt una Natura & Essentia in numero.

Articulus 87. apud Lullum.

APparuit jam ex præmissis 4. Art. proximis, unum idemq; contineri; atque in iis toties Eimericum glossema suum de Amico, pro homine justo, usurpando, inculcasse: unde suspectam planè reddidit nobis suam mentem toties repetito glossemate suo: quod autem & hujus Articuli idem sit sensus, patet ex quæst. 18. ex viginti prædictis: *Tota differencia dAmic è dAmat, en qui vos ni siau* (hìc alloquitur minoritatem) *conve esser indivisible, en axi, que los dos se ajan tant en esser, que no puscan mes; car en axi com per vos son Amic è Amat, en qui vos sou, prop de no esser, axi conve, que aquell Amic è Amat, en qui no sou, sian lluny à no esser, è que sian tan prop à esser, que sian aquell esser matex: è per ço conve, quel Amic è lAmat, en qui vos no sou, puscan esser, è encare, que puscan esser una matexa Essencia è Natura, è una differencia indistincta è indivisible, per ço, que romanguen una Bondat, Granea, Duracio è les altres; jasia, que sien distinctes la una de laltra sots rao de bondat, è grans sots rao de Granea è les altres.*

Latinè: *Convenit, quòd omnis differentia Amici & Amati, in qua tu non es* (alloquitur minoritatem) *sit indivisibilis, ita, quod ambo se habeant tantum in esse, quod non possint esse plures; quia sicut per te sunt Amicus & Amatus, in quibus tu es, prope non esse, ita convenit, quòd ille Amicus & Amatus, in quibus non es, sint remoti à non esse, & quod sint tam propinqua ipsi esse, quod sint illud idem esse: & ideo convenit, quod Amicus & Amatus, in quibus tu non es, possint esse, & etiam, quòd possint esse una eadem Essentia & Natura, & una differentia indistincta & indivisibilis, adhoc, ut remancant una Bonitas, Magnitudo, Duratio &c.; licet sint distinctæ una ab alia sub ratione bonitatis, & magnæ sub ratione magnitudinis &c.*

Describuntur hìc duo Amici, alter cum minoritate, & is differentiam divisibilem ab Amato habet, & proinde unam bonitatem, & Amatus aliam, & is homo est: alter est Amicus citra minoritatem, in quo indivisibilis est differentia cum Amato, & qui ambo non solùm sunt, sed sunt una & eadem Essentia & Natura, una Bonitas, Magnitudo, Duratio nonne hìc notatur alius Amicus erga Amatum, Deum scilicet, qui Amicus est sinè ullo modicitatis genere?

Ex quibus satis constare posset Lulli mens; tamen pro immodicè morosis, videndum est, ut pugnet, juxta mentem Lulli, creaturam posse fieri Creatorem.

Primùm: ex hoc ipso Libro de Arte Amativa, in calce libri ita habetur: *Amat, dix Differencia, vos sou un, è vostre Amic es altre, è don sou mes distinct ab vostre Amic, majors semblanças me pot donar de si matexa la Differencia, que es enfre vos Amat, è vostre Amic, è mes puc jo ser lluny à confusio en los commensaments de la substancia.*

Deinde in Cap. 3. de Definitione Æqualitatis: *Aquesta egualtat de amor, tant alta, tant bona è tant gran no pot esser, mas en Deu tantsolament; car si en creatura no havia egualtat subjecta, en que fos major en Deu, que en Creatura &c.*

Tertiò: in Cap. de Divisione Minoritatis: *Substancial Minoritat conve esser una de les parts substancials, que unixen è componen la Substancia; car sino era, no serien ninguna de les parts substancials determinades ni sinides sots propria finitat & terminacio, è serien in-*

finides è iguals: on se seguiria, que la substancia fos infinida en Bondat, Granea è les altres: è axi seria Deu, è totes coses no serian mas una substancia tansolament; la qual cosa es impossible.

Quartò: capit. de Conditione Bonitatis & Potestatis: *Si l'Amic è l'Amat no fossen distincts in amor, savieza è bondat, impossible cosa fora, que l'Amic pogues desamar ne ignorar son Amat.*

Quintò: in q. 19. ex 20. *Amic, dix amor, concordansa no pot esser sens concordant, è concordable &c.*

Sextò: in quæstione 7. ex 20. *Amic, dix amor, lo vostre Subira Amat es Ens substancial &c.*

Septimò: in cap. de Definitione Differentiæ: *Aquella Differencia, que es segons realitat, es axi &c.*

Latinè: Primò: *Amate, dixit differentia, tu es unus, & tuus Amicus est alius, & quò magis es distinctus à tuo Amico, eò majores similitudines potest mihi dare de se ipsa differentia, quæ est inter te Amatum, & tuum Amicum, & eò magis possum ego esse remota à confusione in principiis substantiæ.*

Secundò: *Ista æqualitas amoris tam alta, tam bona & tam magna non potest esse, nisi in Deo tantum; quia si in creatura non esset æqualitas subjecta, in qua esset major in Deo, quàm in creatura &c.*

Tertiò: *Substantialem Minoritatem convenit esse unam ex partibus substantialibus, quæ unum & componunt Substantiam; nam si ita non esset, nulla ex partibus substantialibus determinata & finita esset sub propria finitate & determinatione, & infinitæ & æquales essent: unde sequeretur, substantiam esse infinitam in Bonitate, Magnitudine &c.: & ita esset Deus, & omnes res essent una substantia tantùm; quod est impossibile.*

Quartò: *Si Amicus & Amatus non essent distincti in Amore, in Sapientia & Bonitate, esset impossibile, Amicum non amare & ignorare suum Amatum.*

Quintò: *Amice, dixit Amor, Concordantia non potest esse sinè concordante & concordabili &c.*

Sextò: *Amice, dixit Amor, tuus supremus Amatus est Ens substantiale &c.*

Septimò: *Illa differentia, quæ est secundum realitatem, ita est &c.*

Hæc ex prædicto libro de Arte Amativa; quòd si plura desideres, pergamus ulteriùs ex cæteris libris affinibus huic argumento.

Octavò: ex Lib. Philosophiæ Amoris, cap. 73. *Differentia Amoris, ait Amicus, scis, utrum contra te peccatum fecerim, propter quod debeam timere de meo Amato? cui Differentia Amoris respondit: Ego sum chorda amoris, quâ Amicus & Amatus invicem ligantur; ùt dictum est in definitionibus compositis Radicum amoris: & tu, Amice, errasti, & peccatum contra me commisisti; quia me cognovisti, & non facis me amari ab illis, qui me non amant, nec intelligunt: quoniam sinè me non potest esse amor inter Amicum & Amatum; cùm ita sit, quod Amicus est unus, & alius est Amatus; & idem est de eorum Bonitate, Magnitudine & Duratione &c., quæ sinè me non possunt esse in concordantia Amici & Amati.*

Nonò: in cap. 14. *In nullo amore potest esse magna Bonitas sinè differentia Amici & Amati.*

Decimò: in cap. 18. *Nulla potestas potest facere aliquam operationem absque Differentia Amici & Amati.*

Undecimò: in cap. 20. *Absque differentia Amici & Amati amor non potest esse in voluntate.*

Duodecimò: in cap. 51. *Rogavit Amicus bonum amorem, ut sibi revelaret &c.*

Decimò tertiò: in cap. 6. *Maxima chorda amoris, per quam Amicus &c.*

Decimò quartò: de Quinque Sapien. cap. 27. *Sequitur, quod finitum & infinitum convertantur postquam Bonitas Divina & Bonitas humana in unitate numeri converteruntur; ista autem sunt impossibilia & inconvenientia: quare sequitur, quod in Christo sit una Bonitas, una Magnitudo per Deitatem, & alia Bonitas per Humanitatem &c.*

Decimò quintò: cap. 30. *Ens æternum & ens principiatum in tempore non possunt converti &c.*

Decimò sextò: in Arte Invent. dist. 1. cap. de Magni. *Multæ sunt magnitudines distinctæ essentiâ & naturâ, quarum alia major est aliâ, & alia æqualis alii; & hoc diversimodè, usque ad illam summam Magnitudinem, quæ est ultimum principium cæterarum Magnitudinum, existens simpliciter Magnitudo sive magnum Ens; sub quo regulantur & ordinantur cæteræ magnitudines cæterorum entium, existentes similitudines & imagines, in quibus intellectus humanus speculatur summam Magnitudinem.*

Decimò septimò: in Dist. 3. de Punctis transcend. cap. de Divi. Essentia: *Transcendit intellectus, cùm attingit, Divinam Entitatem & Bonitatem infinitam differre substantialiter ab unaquaque entitate finita & ab unaquaque bonitate finita &c.*

Decimò octavò: in Tab. Gener. cap. de Quæstionibus per definitionem differentiæ solubilibus: *Apparet substantialis differentia & realis, quæ est inter Deum & Creaturam &c.*

Quòd, si Lullum interpretari libeat de unitate inter hominem Amicum & Deum Amatum, intelligendus est ibi de unionis gradu, non quolibet, sed insigni quodam & ecstatico, illabefacta semper humanæ naturæ veritate; quomodo dixit Paulus, 1. ad Corinth. 7. *Qui adhæret Deo &c.* & locutus est Dionys. Lib. de Divin. Nom. cap. de Amore: *Amor Divinus ecstasim faciens, & non sinens sui ipsorum esse Amatores, sed Amandorum; propter quod Paulus, magnus in continentia Divini Amoris, Divino Amore participans: Vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Christus; tanquam sui Amati vivens vitâ: sicut valdè diligibiliter.*

Postremò: omnes metamorphoses Amici ex philtro Amoris quoad operationem sunt intelligendæ, immutatâ manente penitùs essentiâ; quod itaque in Libro de Philosophia Amoris, de Amici infirmitate, medicamine, fuga, carcere & morte audis, nisi tropo perciperes, foret delirium: audi ex eod. lib. cap. 94. *Amor, dixit Amicus, est alia beatitudo, quàm beatitudo hujus mundi? Amice, dixit Amor, Amator est recolibilis, intelligibilis, amabilis, laudabilis, honorabilis & gratificabilis Magnitudine Bonitatis, Durationis, Potestatis, Sapientiæ, Voluntatis, Virtutis & Veritatis; & in hac vita vivunt homines parum temporis, in quo sustinent plura impedimenta ad recolendum, intelligendum, amandum, laudandum, honorandum & regratiandum, ùt decet, Amatum: & ideo Amatus, qui summè bonus est, magnus & sapiens, vult, esse aliam vitam perpetuam, ut perpetuò multùm recolatur, intelligatur, ametur &c.: & hoc facit Amatus, ut satisfaciat suæ maximæ Memorabilitati, Intelligibilitati, Amabilitati &c.*

Articulus 88. apud Eimericum.

QUòd de Patre & Filio & Spiritu Sancto sic est, quòd quilibet stat tam completus, sicut alius, & stant omnes tres unus Deus, non distincti in aliquo: & qui sic potest levare suum orare, & potest tam

tam longo tempore stare sinè imaginatione de ulla re temporali, nulla oratio tantum valet; quia homo stabit totus raptus superiùs per Spiritum Sanctum, non curans de re, quæ sit hìc; & suum orare erit sic verum, quòd homo non possit addere in contemplando, nec desiderando. *In Lib. de Contrit. Confess. Satisfact. & Oratione.*

Articulus 88. apud Lullum.

PRior pars hujus Articuli prætermittitur, quandoquidem ad verbum habita est in Art. 22. Circa secundam suspicari nequeo, quid erroris Eimerico in mentem venerit: esto enim, id ita dixerit Lullus, quid mirum? cùm hæc, *Irrationalis & amens Sapientia*, à Dionysio appelletur (ùt refert Gerson. n. 65. lit. S.) eò quòd superet rationem & mentem, transiliens in affectum, non qualemcunque, sed purum, ipsique mentali intelligentiæ correspondentem; quo affectu videtur Deus a mundis corde.

Quis ergò jure miretur, cùm hæc omnia in Articulo ipso audiat Spiritui Sancto attribui? *Qui sic* (inquit Articulus) *potest levare suum orare*; in Deum videlicet ita erigere: hujus hominis (ait Articulus) in tam sublime erecti, *nulla oratio tantum valet*, atque hæc ecstatica: quam orationem graphicè idem Gerson depingit, num 65. lit. T. *Laus orationis ecstaticæ seu perfectæ colligitur ex ordine suo quadruplici, videlicet, ex ordine ad Deum, ad proprium subjectum, ad proximum, & ad invicem. Contemplando* (claudit Articulus) *& desiderando:* connecte utrumque: *Contemplatio enim* (teste Gersone, ubi suprà) *si nude consideretur, sinè dilectione vel affectu subsequente, jam arida est, curiosa, ingrata, inflata.*

Articulus 89. apud Eimericum.

QUòd infanti, qui non vult assentire Sacramento Confirmationis, non valet Sacramentum Baptismi. *In Lib. Contempl.*

Articulus 89. apud Lullum.

ARticulus hic neutiquam in Lib. Contempl. sed in Arb. Scient. in quæstionib. foliorum Arb. Apost. §. de q. Confirmationis, fol. 552. col. 2. reperitur: *Si puer* (inquit) *non vult consentire Confirmationi, valet sibi aliquid Sacramentum Baptismi? Solutio: In destructione formæ est materia destructa:* hi enim, qui nolunt Sacramento Confirmationis assentiri, id recipiendo, si Confirmatio est præcepti sub culpa lethali, tanquam transgressores culpam incurrunt lethalem: sic sentiunt etiam Ricardus in 4. Sent. d. 7. ar. 5. q. 1. Paluda. q. 4. Durand. q. 1. Sylvest. verbo, *Confirmatio*, §. 3. Si verò Confirmatio non est præcepti, tunc, aut nolunt id recipere, quòd credant, nullius roboris esse, & hi sunt hæretici; aut nolunt, quia odio habent; & hi gravissimum crimem admittunt &c.: quo fit, ut gratiam in Baptismo receptam & valorem illius amittant: & perpende, non dici: *infanti, qui non recepit Sacramentum Confirmationis*, sed, qui *non vult consentire Confirmationi*, ut eam recipiat.

Prima pars Articuli 90. apud Eimericum.

QUòd, si homo non est confirmatus, & credit esse confirmatus, est à peccato originali mundatus ratione bonæ Intentionis, quæ consumit culpam & peccatum. *In Lib. de Contempl. & in Lib. Proverb.*

Prima pars Articuli 90. apud Lullum.

HOc in Lib. Contempl. non reperitur, imò nec in Libro Proverb. expressè omninò, sed hoc pacto, p. 3. rub. 20. de Confirmatione, fol. 79. pag. 2. *Si non sis baptizatus, & sis confirmatus, restaura tuum Baptismum in tua voluntate*: at expressiùs reperitur in quæstionibus folior. Apost. cap. de q. Confir. his verbis: *Si homo confirmatus non est, & credit, quòd sit confirmatus, & non moritur, antequam sit confirmatus, est mundatus à Peccato originali? Solutio: bona intentio consumit culpam & peccatum:* ita sanè habetur eo loco, siniſtrè tamen intelligitur ab Eimerico.

Ubi observandum est, Primò: ibi agi de homine usum rationis habente & credente, quòd receperit Confirmationem.

Secundò: agi de homine non baptizato; nam si baptizatus esset, deleta protinus fuisset originalis culpa; ùt constat ex ipso Lullo, Lib. de Clerico, cap. 26. *Ad Regenerationem designandam ipse Christus Filius Dei primò ablutus & baptizatus est in flumine Jordanis, ad dandum exemplum omnibus, qui consequenter in nomine ejus crederent, ut consimiliter aquâ regenerationis baptizarentur; quæ eorum originalem corruptionem abluat.*

Observa tertiò: Lullum ablutionem ab originis labe tribuere non Confirmationi, nec Baptisinati, sed rectæ hominis intentioni & pio affectui; ut hoc verborum circuitu Baptismum Flaminis notet: de quo hæc habentur in eodem cap. ejusdem libelli: *per flammam & ardorem voluntatis, quo ardore maximo Christus voluit ad nos redimendum in Cruce pati, designatus est nobis Baptismus voluntatis; qui est, quando pro affectu vult unusquisque in Christo baptizari:* His igitur observatis patet apertè mens Lulli, quam in prædicta quæstione de Confirmatione habuit.

Secunda pars Articuli 90. apud Eimericum.

UBi dat intelligere, quòd peccatum originale non mundatur in Baptismate, sed in Confirmatione; præsertim quia addit, quòd Sacramentum Confirmationis est inventum, ad hoc, ut infantes per se promittant, quod eorum Patrini pro eis in Baptismate promiserunt; & tunc Patrini à promissione, quam fecerunt, sunt totaliter liberati. *In Libris prædictis, & etiam in Libro de Doctrina Pueili.*

Secunda pars Articuli 90. apud Lullum.

HIc aperit Eimericus sensum Articuli, de sua quidem sententia; quando nihil minùs erat, quàm quod is sentit: Articulus enim apertè demonstrat, non attribui Confirmationis Sacramento ablutionem peccati originis, sed animo pio & inculpato; hoc est, Baptismo Flaminis; ùt prævidimus. Corroborat Eimericus suam interpretationem, inquiens: *Præsertim, quia addit, quod Sacramentum Confirmationis est inventum, ad hoc, ut infantes per se promittant, quod eorum Patrini pro eis in Baptismate promiserunt; & tunc Patrini à promissione, quam*

quam fecerunt, sunt totaliter liberati. In Lib. prædictis &c.

Quid quæso, hæc Lullianorum verborum additio cum sensu, quem fingis, Eimerice? age, sit per te Confirmationis Sacramentum inventum, ut infantes per se polliceantur, quod Receptores pro ipsis in Baptismate polliciti fuere: hinc ergò colligitur, quid designet Articulus; peccatum scilicet originis non mundari in Baptismate, sed in Confirmatione, unde tenet? dispiciamus tamen, ecquid veri contineat Eimerici corroboratio: *Confirmationis Sacramentum inventum est* (inquit) *ut infantes spondeant, quod Susceptores spopondere:* esto, sint apud Lullum hæc verba.

Lullus quidem ita habet in Proverb. fol. 79. pag. 2. cap. de Confirmatione: *Confirmatio est consensus Baptismi:* & continenter subdit: *Confirmatio est Sacramentum necessarium, ut infans concedat quòd baptizatus est:* propterea tradi debet adultis, ut ipsi confiteantur Baptismatis Sacramentum; non, quòd liberum sit non confiteri, & à Christianismo descisceré; absit tanta impietas: tradi autem debet, vel anno ætatis duodecimo, ût sentit Glossa, in cap. ut JESU, de Consecr. dist. 5. & Marsil. in 4. Sent. q. 5. ar. 4. vel in septennio; ût Palud. in 4. d. 7. q. 4. videlicet, ut pueri jam inde noverint, se in Christi militiam cooptatos, meminerintque, se alapâ cæsos, & utriusque admoneantur: atque huc spectare videtur ea Lulli sententia in Cler. cap. 27. *Confirmatio est Sacramentum, quod datur, non sicut Baptismus infantulis, quando primùm editi in lucem sunt, sed ætate grandioribus & adultis, cùm se esse Christianos affirmant.*

Locus citatus ex Libro de Doctr. Puerili constat, in cap. de Confirmationis Sacramento, ubi sic habet: *Aquest Sagrament de Confirmacio es atribuhat, per ço, car los infants, con son creguts, è han enteniment, atorguen so, que los padrins prometen per ells lo dia, que foren batejats; en lo qual dia los infants no havien enteniment, per lo qual poguessen consentir al Sagrament del Baptisme. Amable fill, com tu reebs lo Sagrament de Confirmacio, adonces hixen de la promessio los Padrins, que tengren tu à les fons.*

Articulus 91. apud Eimericum.

QUòd quilibet est obligatus, ut sit in ordine Matrimonii, vel Religionis; quia omnis alius status discordat cum finali intentione, propter quam quilibet est creatus. *In Libro de Doctrina Puerili.*

Articulus 91. apud Lullum.

LUlli verba sunt hæc, in Libro de Doctrina Puerili, cap. 35. de Matrimonio: *Obligat est, fill, à esser en orde de Matrimoni, ò de Religio; car tot altre estament se desconve ab la final intencio, per la qual est creat.*

Latinè: *Debes fili, vel in Matrimonii, vel in Religionis ordine esse; nam omnis alius status à finali intentione, ad quam conditus es, recedit.* Videtur hìc Lullus duos hominum ordines duosque vivendi modos attingere, & utrumque perpetuum, ut, quemadmodum constamus Spiritu & Corpore, ita Spiritu & Corpore Deo serviamus: & hinc sunt duo status constituti, unus est sacer, & spiritus curam habens; alter corporis.

De quo eleganter Euseb. Cæsar. Lib. de Demonst. Evang. cap. 8. *In Ecclesia* (inquit) *Dei duo vivendi modi instituti sunt, alter quidem naturam nostram & communem omnium vitæ rationem excedens, non Nuptias, non sobolem, non substantiam, non opum facultatem requirens, totus autem prorsus à communi & consueta cunctorum hominum vita abhorrens, & soli Divino cultui ex immenso cœlestium amore addictus; qui hunc modum amplexi sunt, quasi ab hac vita mortali sejuncti, ipsumque dumtaxat corpus in terra gerentes, cogitatione verò atque animo in ipso Cœlo degentes, quasi quidam Cœlestes reliquorum hominum vitam dispiciunt; quippe qui pro universo genere Supremo omnium Deo sacrati sunt, idque non boum mactationibus, non cruoribus, non libationibus, aut nidore ullo, neque fumo, aut ignis devoratione, consumtioneve corporum, sed rectis veræ pietatis sententiis, & purgati animi affectione, ad hæc, operibus quoque ac verbis, quæ à virtute proficiscantur: quibus rebus Divinitatem ipsam placantes, suum, & pro se ipsis, & pro aliis, qui ejusdem sunt generis, administrant Sacerdotium. Alter modus vivendi remissior atque humanior est, hic & modesto conjugio, & sobolis procreatione implicatur, & rei familiaris curam assumit, & justè militantibus, quæ sint agenda, describit; agros quoque & mercaturam, aliumque magis civilem vivendi modum, adjunctâ religione, non negligit: his autem, qui hunc modum elegerant, & exercitationum tempora; & his quidem pietatis secundus attributus est gradus, dum aptam huic ipsi generi vitæ præbeat utilitatem, ut nullus planè ab adventu salutari separetur; sed omne genus hominum, tam Barbarorum, quàm Græcorum Evangelicæ Doctrinæ fructum percipiat.* Hactenus Eusebius.

Sed inquies: cur Lullus omisit statum eorum, qui Sacris sunt initiati, qui non minùs Sacer est, atque perpetuus? Poterat quidem exprimi, sed facilè fuit subintellectus; expressit autem Religionis statum, & dualitatem retinens, & plures comprehendens, tam Mares, quàm fœminas: si autem statum Sacris initiatorum nominassiet, suppresso Religionis, tunc fœminas exclusissiet, quæ Ordinis capaces non sunt: his duobus vitæ generibus constitutis cæteros status censet, finicujus causa creati sumus, hoc est, ut Deo serviamus in vitæ quodam instituto certo & constanti, non lubrico, haud admodum convenire.

Adstringit Lullus hominem ad perpetuitatem statûs; quippe quæ cum minori periculo conjuncta sit, minusque mutabilis; cùm vagus alioqui periculis pateat, & vicissitudinibus, ubi subinde contingere videas, ut ponens manum ad aratrum respiciat retrò.

Prior pars Articuli 92. apud Eimericum.

QUòd in Matrimonio generatur homo cum sanctitate. *In Lib. Proverb.*

Prior pars Articuli 92. apud Lullum.

MAtrimonium est verum Sacramentum; quin & Conjugii usus licitus est & honestus; quòd si fiat in gratia, fit meritorius, & proles inde concepta, actu sancto Divinoque Numini grato gignitur: atque eo spectat Lullus in Proverb. part. 3. rubr. 18. fol. 79. pag. 1. cap. de Matrimonio, cùm ait: *In Matrimonio generatur homo cum sanctitate.*

Præ-

Prædicti Articuli 92. Pars secunda apud Eimericum.

QUòd Matrimonium sic ligat, quòd nullus debet accedere ad uxorem suam, nisi causâ prolis. *in Lib. Proverb.*

Prædicti Articuli 92. Pars secunda apud Lullum.

LUllus in 3. par. Proverbiorum, cap. de Matrimonio, fol. 79. pag. 1. ita habet: *Matrimonium te ligat, quòd non debes uti uxore tuâ, nisi propter intentionem prolis:* si ex verbo, *ligat*, velis concludere, usum cum uxore ob solius prolis causam licere, dicis, quod Augustinus in Lib. de Bono Conjug. cap. 10. per hæc ipsa verba: *Concubitum, qui non sit causa prolis, nuptiæ non cogunt fieri, sed impetrant ignosci; si tamen non ita sit nimius, ut impediat tempora, quæ orationi debentur, nec immutetur in eum usum, qui est contra naturam.* Post pauca: *Concubitus enim necessarius causâ generandi inculpabilis est, & solus ipse nuptialis est; ille verò, qui ultra necessitatem progreditur, non rationi, sed libidini obsequitur.*

Objicies verba Pauli 1. ad Corinth. 7. *Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi; & iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram: hoc autem dico secundùm indulgentiam, & non secundùm imperium.* Hæc verba (si Augustino creditur) potiùs favent Lulli sententiæ: Augustinus enim in Libro de Bono Nupt. cap. 10. ita habet: *Nunc autem quid dicturi sumus adversùs evidentissimam vocem Apostoli dicentis: Quod vult, faciat; non peccat, si nubat; & si acceperis uxorem, non peccasti; & si nupserit virgo, non peccavit. Hinc certè dubitare jam fas non est, nuptias non esse peccatum: non itaque nuptias secundùm veniam concedit Apostolus; nam quis ambigat absurdissimè dici, non eos peccasse, quibus venia datur? sed illum concubitum secundùm veniam concedit, qui sit per incontinentiam non solâ causâ procreandi.* Pauli ergò permissio secundùm indulgentiam non est referenda ad matrimonium, nec ad usum matrimonii causâ prolis, sed ad usum evitandæ incontinentiæ causâ.

Articulus 93. apud Eimericum.

QUòd existentes in Purgatorio non possunt Deum tantum diligere, sicut eum diligerent, si illas pœnas non sustinerent. *In Libro Orationum.*

Articulus 93. apud Lullum.

LUllus in Lib. Orationum pro Rege Jacobo & Blanca Regina, cap. 20. parte 9. fol. 29. pag. 2. sic habet: *JESU Christ Senyor, gran pena es, Anima estar cruciada en penes de Purgatori, è vos amar; car per les penes, que sosle, nous pot tant amar, com vos amaria, si les penes no sostenia.* Latinè: *Domine JESU Christe, gravissima pœna est, Animam torqueri pœnis Purgatorii, & te ipsum diligere; nam propter pœnas, quas sustinet, te tantùm non potest amare, quantùm te amaret, si illas pœnas non sustineret.*

Perspecta jam est apud Theologos Catholica de Purgatorio Doctrina, juxta quam plures sunt in Purgatorio pœnæ, cùm damni, tum sensûs, quæ irretitas Animas tenent, ne Deo fruantur, aliòquin ad hoc aptissimas, utpote jam corpore exutas: sunt quoque Purgatorii pœnæ insigniter acerbæ, juxta illud Augustini, Serm. 41. de Sanctis: *Sed dicet aliquis, non pertinet ad me, quamdiu moras habeam, si tamen ad vitam perrexero: nemo hoc dicat, Fratres charissimi; quia ille Purgatorius ignis durior est, quàm quidquid potest in hoc sæculo pœnarum videri, aut cogitari, aut sentiri.* Ex his itaque colligitur, cur pœnæ usque adeo acerbæ (quantumvis patienter toleratæ) causa sint, quò minùs potentiæ Animæ æquè intensè suas exerant operationes, suaque munia obeant.

Articulus 94. apud Eimericum.

QUòd, sicut Deus Pater non addit aliquid Filio, generando in æternitate, ita & Sacerdos non addit aliquid Christo, uniendo sibi substantiam, quam panis & ejus accidentia dimittunt. *In Lib. de 300. Proverb.* (*ubi supponit, quòd uniat*)

Articulus 95. apud eundem Eimericum.

QUòd, sicut Dei Filius non accipit additamentum per esse hominem, ita Sacerdos facit, quod Sanguis, quem accepit Christus de Domina nostra, non accipit additamentum propter additionem, quam facit cum Sanguine Calicis. *In Libro de 300. Proverbiis.* (*ubi supponit, quòd Sanguis, quem Christus accepit de Domina nostra, & qui est in Calice, sint duo sanguines distincti, post uniti*)

Articulus 94. apud Lullum.

PRima pars Articuli 94. est Lulli, ex 3. par Proverb. cap. de Eucharistia, rub. 21. fol. 80. pag. 1. Secunda continet suppositionem ab Eimerico excogitatam: frequentissimum est apud Lullum, Divinæ Triados Mysterium in Augustissimo Altaris Sacramento repræsentari. In 3. parte Proverb. Rubr. 21. fol. 80. pag. 1. *Sacramentum Altaris* (inquit) *est speculum Sanctæ Trinitatis.* Et in Lectura Artis Invent. & Tab. Gener. dist. 3. quæst. 5. cap. de Sacramento Eucharistiæ, per Reg. Utrùm, fol. 165. col. 1. *Sacramentum Altaris est major figura & majus signum, in quo Sancta Trinitas valeat repræsentari.* Et inter similitudines, quæ inter Sacramentum Eucharistiæ & Trinitatis Mysterium notantur, illa est, quæ in prima Articuli hujus parte exprimitur, & apud ipsum ibidem legitur, fol. 80. pag. 1. sub his verbis: *Sicut Pater non addit Filio aliquid, generando ipsum æternaliter & infinitè, ita Presbyter non addit aliquid JESU Christo, uniendo ei substantiam panis, dimissis accidentibus.* Explicatur hæc similitudo latiùs in prædicta Art. invent. lectura, cap. fol. & col. citat. *Majus* (inquit) *bonum virtutis, quod sit, est in verissima Trinitate, Deo Patre generante Deum Filium, & de ambobus Deo Spiritu Sancto procedente, & tribus existentibus unus Deus in qua Generatione & Spiratione motus, locus, tempus, quantitas, alteratio, successio neutiquam esse possunt: & quia Deus creavit mundum, ut sua Trinitas Sacratissima cognoscatur per homines & ametur, voluit, quòd esset Sacramentum Altaris, ut esset signum Sanctæ Trinitatis cum virtute Bonitatis in majoritate adeò magna supra totum cursum naturalem, ut in eo Sacramento superentur motus, locus, tempus, quantitas, alteratio & successio; quia omnia superantur*

in Sacramento. Ex his patet Lullianæ sententiæ sensus.

Veniamus ad verba: *sicut*, nota similitudinis: *generando in æternitate*, ab æterno & infinitè: *ita*, nota est notæ respondens: *Sacerdos*, secundùm ordinem Melchisedec: *uniendo sibi*, ipsi Christo videlicet jam præexistenti: *Substantiam*, non quidem remanentem. En tota Eimerici *divinatio*, ex uniendi verbo violenter expositò: *Quam panis & ejus accidentia dimittunt.* Fatèor, ita legi in Proverb. Anno 1507. Venetiis excusis, sed inversè ordine; nam *Panis* connectendus erat in casu gignendi cum *substantia*, in hunc modum: *Uniendo sibi substantiam Panis, quam ejus accidentia dimittunt:* corrigenda est hæc inversio ex Ascensiana editione Anni 1516. hoc modo: *uniendo ei substantiam Panis, dimissis accidentibus.*

Addit Eimericus: *supponit, quòd uniat:* ac si is per verbum, *unire*, intelligat modum uniendi per conversionem & transubstantiationem; sit ea Lulli suppositio, sin ad alium uniendi modum detorqueat, servato scilicet esse rei, quæ unitur, non modò Lulli doctrinæ adversatur, ubique asseverantis conversionem & transubstantiationem panis, sed ipsam quoque citati loci sententiam labefactat; si enim panis ita Christo uniretur, ut maneret, fieret illicò, Christo addi panem; quod est ejus loci intentum evertere; imò ex eodem Lulli loco necesse est colligi, substantiam panis sic Christo conjunctam, ut ipsa esse desinat.

Articulus 95. apud Eimericum.

SImilem doctrinam habet Lullus in eadem 3. par. Proverb. cap. de Sacramento Altaris, Rubr. 21. fol. 80. pag. 1. *Sacramentum Altaris* (inquit) *est speculum sanctissimæ Incarnationis.* Et in prædicta Lectura Artis Invent. cap. de Sacramento Altaris per regulam, utrùm, fol. 164. col. 3. ita habet: *Convenit, quòd Incarnatio habeat signum sanctum, quod sit Eucharistia & Sacramentum Sanctitatis.* Item capite de Sacramento per quid: *Sacramentum est similitudo, in qua Incarnatio Filii Dei clarius apparet; nam in Sacramento Altaris virtus potestatis principiat, in quantum virtus verborum de Pane efficit Carnem, & de Vino Sanguinem: & ea virtus potestatis est principium, in quo verba significant, quæ Angelus Gabriel annunciavit Dominæ nostræ, & Conceptum, quem ipsa habuit, per quem factus est Deus Homo.* Item cap. per regul. de quo, fol. 167. col. 2. *Id Sacramentum est imago Incarnationis Filii Dei, quæ in ea imagine remanet significata.*

Eucharistia verò inter symbola, quæ ad Incarnationem habet, illud in primis obtinet, quod indicatum in hoc Articulo fuit ex prædicta part. 3. Proverb. Rubr. 21. fol. 80. pag. 1. ubi sic habetur: *Sicut Filius non accepit additionem, cùm factus est Homo, ita Sanguis, quem JESUS Christus à Virgine Matre assumpsit, non accipit additionem per unionem Sanguinis Calicis.* Ita habet Ascensiana editio, apud ejusdem Calcographiam, Anno 1516. In vulgata editione Proverb. ita habetur: *Sicut Dei Filius non accipit augmentum per esse hominis, sic Sangnis, quem accepit Christus de Virgine, non accipit augmentum per Sanguinem, qui fit à Presbytero in Calice.* Ab utraque editione discrepat Eimericus, ùt singula inter se conferenti potest liquere. Porrò, verba illa vulgaris editionis: *per Sanguinem, qui fit à Presbytero*, non tollunt, quòd antè jam ipse Christi Sanguis præexistat; sed indicant, quòd fit in Calice sub speciebus Vini per Transubstantiationem Vini in Sanguinem Christi: qua de re expende, si placet, quæ Lullus enucleatiùs scripta reliquit in Lectura prædicta, cap. de Sacramento Altaris, per Reg. *Quid*, fol. 165. col. 4. *Potestas* (inquit) *hominis tanta est in ea sanctitate, quòd in nulla alia sanctitate potest principiare ita magnam Magnitudinem bonitatis &c., sicut principiare de Pane Christum, Christum jam principiatum; & principiare de Vino Sanguinem, Sanguinem jam principiatum.*

Postremò: suppositio illa Eimerici: *Supponit, quòd Sanguis, quem Christus accepit de nostra Domina, & qui est in Calice, sint duo Sanguines distincti, post unus*, est merè voluntaria, ac Lulli mentem planè evertens; si enim essent duo Sanguines distincti, ergò Sacerdos crearet novum Sanguinem, non transubstantiaret Vinum in Sanguinem: si præterea *duo Sanguines post uniti*; apertè ergò consequeretur, additionem fieri Sanguini JESU Christi. Rursus ubi Transubstantiatio illa Panis in Carnem Christi, & Vini in Sanguinem toties à Lullo inculcata? toties celebrata? veluti in Foliis Arbor. Apost. cap. de Eucharist. fol. 58. col. 1. *In Sacramento* (inquit) *participant Deus & Homo in Magnitudine Duratonis; quoniam valde magna est Duratio & Conservatio, quòd Christus, qui est Homo Deus, remaneat sine incremento & diminutione sui ipsius in Sacramento, homine recipiente illum Christum, qui non crescit per transmutationem substantialem Panis in Carnem Christi, & Vini in Sanguinem Christi.*

Quòd autem transubstantietur substantia Panis in Corpus Christi, Lulli est Sententia, constans diversis in locis: ùt in 3. par. Proverb. cap. de Sacramento Altaris: *Presbyter, qui facit &c.* In foliis Arb. Apost. cap. de Eucharistia: *Christus non crescit &c.* De Clerico, cap. 28. de Sacramento Altaris: *Christus dat potestatem &c.* In Lect. Art. Invent. & Tab. Gener. dis. 3. q. 5. cap. de Sacramento Altaris, per *Utrùm Major potestas boni &c.* Et reg. per *Quid: Homo cum potestate Dei &c.* Et paulò post: *Sacramentum Altaris est id subjectum &c.* Et paulò infrà: *Quæ fides potest esse major c.* Et infrà: *Tam magnum habet principium homo &c.* Et per regulam *De quo: Homo non potest habere majorem &c.* Et paulò infrà: *Corpus JESU Christi, quod est in Cœlo &c.* Et per regulam *Quare: Quæ potestas potest esse magis virtuosa.*

Denique peractâ Consecratione accidentia Panis & Vini manent absque substantia; idque testatur Lullus in Proverb. cap. de Eucharistia: *Presbyter cum posse Dei &c.* In Tractatu de decem Modis contemplandi Deum, cap. de Eucharistia: *Quantitas Panis & Vini, locus, tempus & motus, & sic de similibus, remanent in Sacramento sine principio substantiæ; quod est mirabile.* Et in Lect. Art. Invent. dist. 3. q. 5. de Sacramento per regulam *Quid: Homo cum potestate Dei efficit &c.* Et per regulam *De Quo: Homo non potest habere &c.* Et ibidem: *Virtus durare efficit &c.* Et per regul. *Quare: In Sacramento intelligere non valemus &c.*

Articulus 96. apud Eimericum.

QUòd omnes Articuli Fidei & Ecclesiæ Sacramenta & potestas Papæ possunt probari per Rationes necessarias, demonstrativas & evidentes. *Et ipse Raymundus dicit*, se probare per Rationes, quas adducit, & reputat esse tales; sed homines insci & peccatores non intelligunt ejus rationes. *In Lib. Contempl. & in Lib. de* 300. *Proverb. & in Lib. de Planctu Raymundi.*

Articulus 96. apud Lullum.

HUic Articulo satisfactum est abundè in Sententia definitiva, quæ typis excusa est, fol. 6. pag. 2. ultimæ editionis, ab illis verbis: *Item ad demonstrandam etiam falsam translationem, seu interpretationem supradictam per dictum Fr. Nicolaum Eimerici in dicto quaterno factam, ponendo & affirmando &c.* ad finem usque. Verba autem Libri Contempl. sunt hæc ex Lib. 3. cap. 179. fol. 169. in fine: *Mas cor lenteniment huma, Senyor, es rebavat è engruxat per les coses sensuals, en les quals tracta mes, que en les intellectuals, per asso, Senyor, los homens necis no saben apercebre en les vostres virtuts los significats, è en les tres Persones Divines; los quals significats no poden reebre per lempatxament è la flebetat de lur enteniment: cor en axi, Senyor, com huyls corporals son febles &c.* Constat ergò ex illa, & ex his quæ Raymundus dicit, Articulos Fidei per Rationes probari posse, tum ut Infidelium errores possint everti, tum ne vanus sit Theologorum labor: ex quibus probationibus quatuor nascuntur commoda; nempe dubitantium illuminatio, corroboratio credentium, directio infidelium, & amoris in Deum inde excitatio.

Observandum est tamen, ex Lulli mente Divino quoque subsidio opus esse ad hujusmodi probationes persuadendas, & Fide, tanquam atrienti simul ac fundamento. Favent huic Lullianæ Sententiæ D. Augustinus, D. Thomas, Ricardus, à Sancto Victore, & Anselmus, imò B. Petrus, & omnes ferè Theologi.

Verba citata ex Lib. de 300. Proverb. extant 3. par. Proverb. Rub. 18. de Fide, fol. 82. *Habitus Fidei, cùm intelligis per necessarias rationes aliquam veritatem de Articulis & Sacramentis, remanet in potentia.*

Atque ut distinctiùs Lector ipse perspiciat Lulli Catholicum sensum, audiat ex his Libris, quos Eimericus citat, nonnulla loca, præsertim in Calce Lib. de Articulis Fidei, ubi ita habet: *Tractatum istum hac intentione facimus, ut fideles & devoti Christiani attendant, quòd, cùm nulla Secta alia (à Fide Christiana) possit probari esse vera, nec defendi à sequentibus eam, vel defendentibus eam, nec possint Fidem Christianam rationaliter impugnare, eò quòd omnes sunt innixæ falsò & frivolo fundamento; Fides autem Christiana non solùm potest defendi contra omnes impugnantes eam, sed etiam probari, & quamcunque aliam Sectam infringere per necessarias Rationes; sicut patet ex Rationibus suprà scriptis.* Subdit continenter: *Ob zelum Fidei animati ardenti desiderio meditentur, quòd, cùm nihil possit resistere veritati, eò quòd super omnia fortiter per vim & fortitudinem rationum, cum Dei adjutorio & virtute, Infideles reducere ad semitam veritatis.*

In Lib. Proverb. cap. de Fide: *Ante oportette credere, quàm possis intelligere veritatem.* Item: *Sicut oleum stat supra aquam, ita Fides est supra intellectum.* Paulò post: *Qui de Deo veritatem intelligit, bis meritum habet vel acquirit.*

Et in Lib. de Planctu, sive *Desconort*, §. 24.

Hermita, si la Fe hom no pogues provar,
doncs Deus als Christians no pogra encolpar,
si à los Infaels no la volen monstrar;
els Infaels se poguen de Deu per dret clamar;
car major veritat no lax argumentar;
per quel entendiment ajut à nostro amar,
com mes am Trinitat, è de Deus lencarnar,
è à la falsetat mes pusca contrastar.

Quæ carmina Nicolaus de Pax Castellanis verbis ita reddidit: *O Ermitanno, si la Fee se no puede provar, luege Dios no podra inculpar los Christianos, sino la quisieren mostrar à los Infieles; los quales se podrian quexar justamente de Dios, que no permite la mayor verdad ser monstrada: porque el entender ayuda à amar la Santa Trinidad, y la Encarnacion, y los ortros Articulos; las quales maravillas y verdades puede el hombre mas amar y estimar, si las entiende, que si las ignora: y tambien entendiendo las puede el hombre mejor resistir à falsedat.* Latinè: *O Eremita, si Fides non potest probari, ergò Deus non poterit Christianos culpare, si eam Infideles docere noluerint; qui conqueri de Deo justè possent, quòd non permittat majorem veritatem manifestari; nam intellegere juvat, ut ametur Sancta Trinitas, Incarnatio Domini, & alii Articuli: quas admirandas veritates homo potest magis amare atque æstimare, si eas intelligit, quàm si ignorat: easque intelligendo facilius homo potest resistere falsitati.*

Articulus 97. apud Eimericum.

QUòd Fides est necessaria hominibus insciis & rusticis, ministralibus & non habentibus intellectum elevatum, qui nesciunt cognoscere per rationem, & diligunt cognoscere per Fidem, & quòd homines grossi ingenii & illiterati & insci diligunt cognoscere Articulos Fidei per Fidem, & non per Rationem; & facilius trahuntur ad Veritatem Christianorum per Fidem, quàm per Rationem: sed homo subtilis facilius trahitur per Rationem, quàm per Fidem. *In Lib. Contemp.*

Articulus 97. apud Lullum.

EX verbis ipsius Articuli manifestè dignoscitur, quò tendat Lullus; id quidem est, quod is sæpe explicare solet: velut in Lib. 1. Sent. q. vel cap. 1. fol. 2. pag. 2. ubi ita habet: *Sicut objectum sensibile in imaginatione restauratur in absentia sentiendi, sic & multo melius, quando Intellectus non est discursivus per necessarias rationes circa veritatem Articulorum Fidei; sicut intellectus Mechanici, aut alicujus alterius, qui stat ad positiones tantum, restauratur veritas Articulorum in credulitate intellectûs, qui ipsos credit: & hujusmodi restauratione multùm indiget intellectus; cùm omnes homines non sint dispositi ad investigandam veritatem Articulorum Fidei & Sacræ Scripturæ per necessarias Rationes: sicut mulieres, faber, rusticus & sic de consimilibus.* Item in Proverb. par. 3. Rubr. 28. sive cap. de Fide, fol. 82. pag. 1. *Fides est virtus, quæ ita instaurat veritatem rerum intellectum latentium, sicut imaginativa veritatem rerum sensibilium instaurat, quando sensibus sunt absentes.* Videtur autem collectus fuisse hic Articulus 97. ex cap. 187. Lib. 2. Contempl. fol. 260. col. 1. ubi ita habetur: *En axi, Senyor, home nesci, de gros engyn enans lenduu hom à veritat per Fe, que no fa per Raons; è home subtil & agut è aparellat à entendre enans lenduu hom à veritat ab Raons, que ab Fe ne Autoritats.*

Latinè: *Ita, Domine, homo nescius, grossi ingenii potius ad veritatem per Fidem, quàm per Rationes adducitur; at homo subtilis & acutus & ad intelligendum promtus contra potius ad veritatem Rationibus, quàm Fide vel Auctoritatibus adducitur.* Hujus autem rationem assignaverat paulò antè, fol. 259. col. 4. *Beneyt Senyor, en lo qual son tots mos plaers è totes mes amors: com lhome savi, Senyor, se disputa &c.* Latinè: *Benedicte Domine, in quo sunt omnes meæ voluptates & mei amores: cùm homo sapiens, Domine, disputat &c.*

Dices: Lullum docere, Fidem necessariam esse imperitis, quasi velit, peritis haud opus esse. Respond. Omnibus de mente Lulli Fidem esse necessariam: ùt patet ex Lib. 3. Proverb. cap. vel Rubr. 28. de Fide, fol. 82. pag. 2. *Ante convenit te credere, quàm possis intelligere.* Et passim idem docet, ùt videre est in præcitato Authentico Instrumento suprà, in collatione Articuli 96. quæ doctrina mirificè consonat cum illa D. Aug. Lib. Quinquaginta Homiliarum, Hom. 32. *Arcana & secreta Regni Dei priùs quærunt credentes, quò faciunt intelli-*

telligentes; Fides enim gradus est intelligendi; intellectus autem meritum Fidei. Apertè hoc Propheta dicit omnibus præproperè & præpostèrè intelligentiam requirentibus, & fidem negligentibus; ait enim: Nisi crediderit is, non intelligetis: habet ergò & Fides ipsa quoddam lumen suum in Scripturis, in Prophetia, in Evangelio, in Apostolicis lectionibus. Et paucis interpositis subdit: *Videtis ergò, Fratres, quamdiu sint perversi & properando vitiosi, qui tanquam immaturi conceptus ante ortum quærunt abortum, qui nobis dicunt, quid me jubes credere, quod non video? Videam aliquid, ut credam; jubes credere, dum non videam: ego videre volo, & videndo credere; non audiendo. Dicat Propheta: Nisi crediderit is, non intelligetis. Ascendere vis, & gradus oblivisceris: utique perverse homo, si jam tibi posses ostendere, quòd videres, non hortarer, ut crederes.*

Articulus 98. apud Eimericum.

QUòd ille, qui cognoscit per Fidem ea, quæ sunt Fidei, potest decipi; sed ille, qui cognoscit per Rationem, non potest falli; nam Fides potest errare & non errare: & si homo erat per Fidem, non habet tantam culpam, sicut si erraret per Rationem: & sicut verius cognoscimus ea, quæ videmus, quàm ea, quæ palpamus, ita verius sumus dispositi ad cognoscendum veritatem per Rationem, quàm per fidem; sed sicut palpando aliquando invenimus veritatem, ita etiam quandòque per Fidem cognoscimus veritatem: sicut cæci, qui aliquando inveniunt, quæ volunt, aliquando non. *In Lib. Cont.*

Articulus 98. apud Lullum.

IN Lib. 4. Contempl. Distinct. 244. fol. 43. col. 3. sic habet Lullus: *Cor Fe pot avenir, ò errar; è si erra, no ha tanta de colpa, com Raho; è si ave, ha major merit, que Raho: è aço es per ço, cor lo entenimment com seguex les carreres de Fe, adoncs se hix de sa natura, è inclines à seguir la volentat; è com va per vies de Raho, adoncs usa de sa natura, è fa à si obedient la volentat; è per aço com ave per volentat, mes de merit ne ha, que com ave per sa natura; è com erra per si matex, mes de colpa ne ha, que com erra per confiament de altre.*

Et ibidem, col. 4. *E com atroba hom, Senyor, enans è pus verament les coses, com les cerca ab vista, que no fa, com les cerca palpant, per aço pus aparellada es la Raho, que trob veritat en la memoria, per ço, com encerca ab enteniment en ella, que no es Fe, qui no cerca, sino ab volentat: mas axi com home atroba vertaderament à les vegades palpant, se esdeve à vegades, que per Fe atrobe hom veritat en la memoria. On com memoria sia, Senyor, caxa è graner, on son atrobades les coses, que hom encerca en ella per Fe è per Raho, adoncs per aso los homens, qui cercan per Fe en ella, à vegades atroben so, qui es en ella: axi com lome cech, qui atroba so, qui es en ella: è à vegades cercan en ella per Fe so, que no hi es: axi com lome cech, qui ha fe, que trob en la cambra so, qui no es en ella: è cor no es, è ho cerca, atroba alguna cosa en la cambra, qui no es so, que cerca, è ha fe, que sia aquella cosa, que cerca: e per so es enganat en sa opinio è en sa creensa.*

Latinè: *Fides enim potest attingere verum, vel errare; & si errat, non habet tantam culpam, quantam habet Ratio; & si attingit verum, habet majus meritum, quàm Ratio: & hoc ideo, quia intellectus, quando sequitur vias Fidei, tunc exit de sua natura, & inclinat se ad sequendam voluntatem; & quando vadit per vias Rationis, tunc utitur suâ naturâ, & facit sibi obedientem voluntatem, & ideo, quando attingit veritatem per voluntatem, plus meriti inde habet, quam quando attingit veritatem per suam naturam; & quando errat per se ipsum, majorem culpam habet, quàm quando errat per confidentiam alterius.*

Et ibidem columna 4. *Et quia homo, Domine, citius & verius invenit ea, quæ quærit cum visu, quàm ea, quæ quærit palpando, ideo Ratio est magis disposita, quòd inveniat veritatem in memoria, quia cum intellectu quærit in illa, quàm sit Fides, quæ non quærit, nisi cum voluntate: sed sicut homo quandoque verè invenit palpando, ita quandoque contingit, quod homo per Fidem inveniat veritatem in memoria. Unde cum memoria, Domine, sit arca & horreum, in quo inveniuntur ea, quæ homo inquirit in illa per Fidem & rationem, idcirco homines, qui per Fidem quærunt in illa, aliquando inveniunt hoc, quod est in illa: sicut homo cæcus, qui invenit id, quod est in illa: & aliquando quærunt in illa per Fidem hoc, quod non est in illa: sicut homo cæcus, qui habet Fidem, quòd inveniat in camera id, quod non est in illa: & quia non est in illa, & illud quærit, invenit aliquid in camera, quod non est id, quod quærit, & habet fidem, quòd sit id, quod quærit: & ideo decipitur in sua opinione & in sua credentia.*

En, ut tota disceptatio est de Fide humana, nulla de Fide Christiana; itaque Fides humana (de qua loquitur Lullus) potest errare, fallare & falli: quòd item Lullus de humana fide loquatur, non de Divina ac infusa, apparet etiam ex alio loco in cap. 240. Lib. 4. Contempl. fol. 34. & 35. ubi latè disseritur de vera & falsa Fide, sub his verbis: *Reclamat Senyor, adorat, glorificat, beneyt. La terça Manera, com hom tracta de Fe, Senyor, es, com la Fe es falsa per la desordenada sensualitat: axi com home, qui ha molt gran amor à alguna persona; è per la gran amor, que li ha, desordenan se ses sensualitats, è es li semblant, que veja ò oja algunas cosas, per les quals li es semblant, que sia amat per la persona, que ama: on si es desamat per la persona, on ell cuyda esser amat, doncs es la Fe falsa, en so, que creu, que sia amat: la qual falsedad de Fe pren forma falsa per raho de las sensualitats, que li donen falsas significacions.*

Mox: *Per so los Homens Infaels, qui son amadors de les costumes è de les usances, en que llur error è llur falsa Fe los ha meses, aman tant aquells costumes sensuals, que, per gran amor, quels an, totas las costumes dels Catholics mensprean è evitan; per ço, car an Fe è creensa, que llurs malas costumes è llurs malvats nudriments ajan major concordancia è conveniencia ab vera Fe, que no han les costumes è nudriments dels Homens Catholics, qui ab vera Fe se endresan en costumes è nudriments: car axi com los Sarrains per la amor, que han en aquest mon à fembres, han Fe, que en laltre seglent ajen, è creuen, que tota la Fe sia falsa, que sia contraria à asso, que ells mes amen, en axi los Catholichs tan han à vos, Senyor, gran amor, que tota creença mensprean è descreuen, qui crega, que en Paradis haja Gloria de menjars ni de fembres ni de altra cosa, sino de vos tant solament.* Postea addit: *Per esta manera de sobra amor se forma, Senyor, falsa Fe, è per sobra gran paor atraball, car molts homens son, qui han falsa Fe, è llur Anima cogitant è imaginant è percebent ha conexença de la fe, que es falsa; mas car han gran paor, que no fossen enganats, si de aquella Fe se partien, per asso, Senyor, nos gosan aventurar ni arriscar, que altra Fe cregan, è acluquen è axorben los ulls intellectuals, è estan com à bestias, creents en la Fe, en que llurs pares è llurs antecessors los han meses.*

Latinè: *Invocate Domine, adorate, glorificate, benedicte. Tertius Modus, quomodo homo tractat de Fide, est Domine, quando Fides est falsa per inordinatam sensualitatem: sicut homo, qui habet valde magnum amorem erga aliquam personam; & propter magnum amorem, quem erga illam habet, inordinantur suæ sensualitates, & videtur illi, quòd audiat vel videat aliqua, per quæ ipsi videtur, quòd ametur à persona, quam amat: unde si non amatur à persona, à qua putat amari, tunc*

hunc Fides est falsa, in hoc, quòd credat, quòd ametur: quæ falsitas Fidei accipit falsam formam ratione sensualitatum, quæ ipsi dant falsas significationes.

Mox: *Ideo Homines Infideles, qui sunt amatores consuetudinum & usuum, in quibus ipsorum error & ipsorum falsa Fides ipsos posuit, tantum amant illas consuetudines sensuales, quòd, propter magnum amorem, quem erga illas habent, omnes consuetudines Catholicorum spernant & evitent, eò quòd habeant Fidem & credentiam, quòd ipsorum malæ consuetudines & ipsorum perversi mores habeant majorem concordantiam & convenientiam cum vera Fide, quàm habeant consuetudines & mores Hominum Catholicorum, qui cùm vera Fide se dirigunt in consuetudinibus & moribus: quia sicut Saraceni propter amorem, quem in hoc mundo habent erga fœminas, habent Fidem, quòd etiam in alio sæculo habeant fœminas; & credunt, quòd omnis fides sit falsa, quæ est contraria huic, quod ipsi plùs amant, ita Catholici, Domine, habent erga te tantum amorem, quòd omnem credentiam spernant & discredant, quæ credit, quòd in Paradiso sit gloria ciborum & fœminarum, aut alterius rei, præter te tantùm.*

Postea addit: *Per hunc modum nimii amoris, Domine, formatur falsa Fides, & per nimium timorem est labor; quia multi homines sunt, qui habent falsam Fidem, & ipsorum Anima cogitando & imaginando & percipiendo habet cognitionem Fidei, quòd sit falsa; sed quia habent magnum timorem, ne decipierentur, si ab illa Fide recederent, ideo, Domine, non confidunt tentare nec periclitari, quòd credant aliam Fidè, & occludunt & excæcant oculos intellectûs, & stant sicut bestiæ, credentes in Fidem, in qua ipsorum parentes & antecessores illos posuerunt.*

Ex his locis manifestum apparet, de Fide acquisita humanis excursibus agi; quæ sanè præstigiis & multiplici fallaciæ subjacet: in fide enim humana deceptio contingere potest; tum ex parte corporis, ratione sensuum, qui hallucinantur subinde, & ratione imaginationis, quæ mille præstigiis patet; tum ex parte animi, vel ex immodico voluntatis affectu, vel ex memoriæ nimio actu; qui quidem affectus & actus flexanimi esse solent: Ratio siquidem perinde est atque visus, fides veluti tactus; at visus ad inveniendum est aptior, sicut & ratio ad veritatem: quæ omnia luculentiùs & explicatiùs in superioribus istis locis ex ipso Lullo productis videre fuit.

Articulus 99. apud Eimericum.

QUòd interficientes hæreticos, sunt injuriosi & vitiosi in suo memorari, intelligere atque velle; quia hæretici, quando interficiuntur, moriuntur morte sensuali & morte intellectuali: & Christus voluit, quòd ejus Discipuli & Apostoli essent homines simplices, & qui non interficerent Infideles, propter hoc, ne interficiendo eos sensualiter, morerentur etiam eorum Animæ: Hæretici autem & Infideles sunt ejusdem naturæ humanæ, sicut cæteri; pro qua humana natura Filius Dei assumpsit Carnem. *In Lib. Contempl.*

Articulus 99. apud Lullum.

NUsquam ita censuit Lullus, sed neque est in Libro ipso Contempl. ùt accuratè quæsivimus; quin etiam audi Lullum in Arb. Exemplifical. de Proverb. florum Arbor. Element. fol. 120. col. 1. *Bonus* (inquit) *est ignis ille, qui comburit hæreticos:* quod maximè in eo libro declaratur, quem scripsit de Fine, seu de Expugnatione Terræ Sanctæ; quo in Opere formam præbet & modum, ut omnes Christiani nominis hostes armis, tum corporis, tum sanctæ Prædicationis, funditùs extirpentur: atque ad eandem rem consilium præbet in ratione, quæ colligitur in Arbore Exemplific. in cap. de Ramis Arbor. Exempl. & priùs de Elementali, fol. 114. col. 3. *Ovis* (inquit) *Pastorem reprehendit: & quomodo fuit hoc, dixit Piper, Cucurbitæ? Narratur, dixit Cucurbita, quòd in quodam prato steterunt oves, & juxta illud pratum erat quædam magna silva, in qua plures lupi erant, qui oves comedebant; idcirco oves, propter magnum timorem, quem habuerunt de lupis, erant macilentæ, quoniam non fuerunt ausæ comedere ad eorum voluntatem; & illud, quod comedebant, parum de bono eis faciebat: accidit autem, quòd quidam Pastor ovem increpavit, quæ agnum macilentum habebat; cui dicebat, quòd ipsa deberet puniri, quia in illo prato multum de herba comedere poterat, & multum de lacte habere, cum quo pinguem faceret suum filium: Ovis autem Pastorem reprehendit, quæ dixit ei: quòd ipse esset occasio macilentiæ filii sui & amaritudinis, quam in herba sentiret; quia omni die dormiebat, nec de nocte multum vigilabat, & quia silvam & lupos non comburebat.*

Huc ergò processit Lulli zelus, quem habuit secundùm scientiam; existimabat tamen, priùs tentandam esse charitatem Christianam, & modis omnibus exercendam; hac autem frustrà tentatâ utendum esse igne: sic in Arbore Quæstionali, de Quæstionibus Radicum Arb. Apostolic. fol. 126. col. 3. inquit: *Melior est Prælatus per charitatem, quàm per combustionem hæreticorum:* bonus quidem est comburendo, melior, si ad resipiscentiam attrahat amore: utrinque est ignis, sed alter corporis, alter spiritûs: igne corporeo malum tam exitiale rescindere bonum, sed spiritûs igne mederi melius: tantæ pesti tollendæ nullum unquam medicamentum Lullo displicuit, neque ad plectendum tam immane scelus ullum mortis periculum improbavit.

Articulus 100. apud Eimericum.

QUòd Deus contulit ipsi Raymundo Lullo istam Artem & Doctrinam Generalem in quodam Monte, qui sibi apparuit Crucifixus, & contulit eam sibi pro hujus Sæculi tenebris illustrandis: quæ est Generalis ad omnem Scientiam, & Naturalem, & Medicinam, & ad Jura, & valet specialiter ad destruendos errores. *In Prologo super Lib. Senten. & in Lib. de Planctu Raymundi.*

Articulus 100. apud Lullum.

IN Prologo Lib. 1. Senten. ait Lullus: *Respondit Raymundus: Cogito de quadam Arte Generali, quam mihi Deus in quodam monte ostendit, cum qua libenter ad honorem Dei & vestram pacem tentabo vestras quæstiones solvere.* Et paulò infrà: *Cupio tibi obedire, & juxta meum posse, cum auxilio Dei, per Artem prædictam, inquirere Veritatem de supradictis conclusionibus.* Observa, *Dei auxilium*, quod implorat: deinde verbum, *inquirendi*, non decernendi.

Postremò, in calce Prologi: *Illa, quæ in hoc Libro dicere propono, volo, quòd sic intelligantur in omnibus; salvâ Veritate, Reverentiâ & Honore Ecclesiæ Romanæ; cujus Correctioni hæc & omnia alia mea dicta submitto.* Et Libro de Planctu, num. 2. sive §. 2.

Mas plac à JESU Christ per sa gran Pietat,
ques presentech à mi cine vets Crucificat;
per so, quel remembres, en fos enamorat,
è que eu procures, com eill fos be prehicat
per tot lo Mon, è que fos dita veritat
de sa gran Trinitat, è com fos encarnat &c.

Hispanè, juxta Nicolaum de Pax: *Pero JESU Christo por su gran piedad, quiso cinco vezes presentarseme Crucificado; porque yo me acordasse del, y*

procurasse, que el fuesse conocido por todo el mundo &c. Et num. 8. sive §. 8.

Encareus dich, que port una Art General,
qui novament es dada per lo Spirital;
per que hom pot saber tota res natural,
segons que enteniment atenyn lo sensual:
al Dret, è Medicina, è à tot Saber val,
è à Theologia; lo qual mes mays coral:
à solre questions nulla Art tant val,
ne errors destruir per rao natural &c.

Hispanè, ex Nicolao de Pax: *Por esso os digo Ermitanno, que traigo un Arte General, que fue dada por el Espiritu Santo, con la qual puede el hombre saber todas las cosas naturales, segun que el entendimiento alcança por los sentidos: es buena para saber Drechos, Medicina, y todas las Ciencias, y para saber Theologia; la qual tengo en major reputacion: ninguna otra Arte vale tanto para soltar questiones, y para destruir errores con razon natural &c.*

Latinè: *Sed JESUS Christus propter suam maximam pietatem voluit Crucifixus mihi quinquies apparere, ut ejus essem memor, & ut facerem, ut in toto Orbe cognosceretur &c.* Et num 8. *Propterea dico tibi, Eremita, adferre me Artem Generalem à Sancto Spiritu datam, cum quâ homo potest scire omnia entia naturalia, prout intellectus per sensus capere potest: accommodatam ad Jura Scienda, & ad discendam Medicinam, & omnes Scientias, imò ad Theologiam ipsam; quam omnibus scientiis antepono: nulla Ars est, quæ ad solvendas quæstiones & ad errores extirpandos naturali ratione tantum valeat &c.*

Sed quo pacto calumnietur hæc Eimericus, ipse viderit: certè nullum est in hoc Articulo verbum non gratiosum & oblectabile. *Artem* ait & *Doctrinam*: *Artem* quidem ad potentiam; quatenus aliis explicandis formam intellectui tradit: *Doctrinam*, ad objecta; quatenus illorum cognitionem probat. *Artem* Rationis & Rei: Rationis, quæ ratiocinari nos doceat, rationem instituat, ad rationes armamenta tribuat: Inventionem sanè habens & Dispositionem: sed Inventionem, quæ non solùm rationum locos & pyxides (uti Dialectica) sed etiam rationes ipsas suppeditat. *Artem* præterea Rei, quæ circa universa rerum omnium principia versatur. Quæ est, inquis, *Generalis?* nempe ad omnem scientiam; tum ratione principiorum, quæ ad omnium rerum entia sunt prima, atque analyseos nescia, & omnium verorum exemplaria; tum ratione Regularum, quæ ad omne verum discutiendum exactissimè valent.

Eimerici Conclusio.

QUamplures & quamplures alios Articulos ponit in suis Libris hæreticales, erroneos, temerarios & periculosos, qui digni relatione & memoriâ non existunt, utpote, qui nullâ ratione apparente vel coloratâ fulciuntur, sed potiùs temeritati, præsumptioni, voluntati propriæ & ignorantiæ multæ & imperitiæ innituntur.

Ex Lullo Responsio.

DIximus suprà, ex Centum Articulis alios fuisse falsò impositos, alios detruncatos, quibusdam additum, nonnullis obliquum sensum exhibitum, alios non probè intellectos: deinde ex Articulo uno fuisse confectos sæpe tres, quatuor & decem; quod planè non esset factum, si tot occurrebant loci ad centenarium istum numerum explendum.

Verùm enim satis indemnem fecere jam olim Lullum ab hisce dicteriis, vel crebræ ejusdem protestationes, quibus ipse se suaque omnia Sanctæ Ecclesiæ Romanæ Judicio subjicere solet: qui ubique palinodiam offert, si quid per inscitiam fuerit elapsum in Ecclesiæ Dogmata; tum imperitiæ suæ vult lapsum omnem adscribi; soli verò Deo Uni Trinoque Laudem & Gloriam.

QUæ, cùm ita sint, Illustrissimi Principes, quod jam dudum à Dominationibus Vestris Illustrissimis æquissimè postulat Rex ipse Catholicus, de Expurgatione Directorii Eimerici, idem nos, sicut æquum est, supplicamus; tandem ut aliquando suus honos, indebitè satis per famosum Eimerici Libellum detractus, Pio Eremitæ Raymundo Lullo, Vestrâ Æquitate præstante, restituatur. Missum enim hoc loco facimus, quòd ex justa hac, quam petimus, repurgatione Directorii, nulla prorsus nota ad verum ejus authorem redundabit; imò singularis potiùs ac debita gloria; nam (demtâ calumniâ contra Lullum, quam Eimericus huic antiquo Operi postea suppositi) primus ac verus Directorii Inquisitorum Author (sicut in primis Vobis obscurum haud esse censemus) non creditur Eimericus; sed is, quem Directorii Interpres, Franciscus Penna, affert, & Fratrem Ivonetum appellat in Commentariis haud semel. Quin & in Præfatione ad Lectorem, jam idem Penna monuerat: *Repertum esse in interioribus Bibliothecæ Vaticanæ Conclavibus vetustum Codicem membraneum manuscriptum, in quo plurima sunt eorum temporum, quæ Eimericum præcesserunt; plurima eodem ordine & verborum serie conscripta; quibus Eimericus usus est postea: adeò, ut sæpè suspicati simus* (addit Penna) *Eimericum eum ipsum librum in manibus quandoque habuisse, eoque usum fuisse; nam & Bibliothecæ Custos asserebat* (inquit) *eum librum Avinionâ Romam cum aliis multis fuisse delatum*: Avinionæ nimirum degebat eo tempore Eimericus, utpote Gregorii XI. tunc Capellanus; ût ipsemet loquitur: eadem brevius & planiùs asserit Antonius Possevinus, in Sacro Apparatu: sed totum hoc tamen in præsentia missum facimus. Sit (per nos licet) Eimericus ipse quantumvis Directorii Author (certè quidem Auctor) dum id Auctario suo non agat, ut immerentem opprimat pium hunc Eremitam; de quo Deus ipse tale præjudicium facere, quemque tam irrefragabili testimonio comprobatum commendatumque relinquere dignatus est apud omnes, etiam Infideles, ût is, ejus amore inflammatus, iterum atque iterum se se pro Fidei Propagatione devoverit, nec mora, nec requies, donec in eadem Fidei causa Sanguinem suum Vitamque profudit.

(1)

TESTIMONIA

Virorum Illustrium, Dignitate, Pietate, Doctrinâ & Eruditione conspicuorum, quibus Artem & Scientiam Beati Raymundi Lulli Doctoris Illuminati deprædicant, miris Laudibus exornant, illam cælitùs acceptam testantur, contra malevolorum insultus tuentur, & ingenuis suæ Salutis ac veræ Scientiæ Amatoribus commendant.

Sæculares.

Alphonsus de Proaza ad Lectores in Lectura super Artem Inventivam.

QUicunque Illuminati Doctoris Libros non carpendi, sed intelligendi gratiâ lecturus accedis, paucula hæc prænotes, cognitu forsan non indigna, iterum atque iterum rogo: bonæ imprimis conscientiæ sis, quia DEUS benedictus primum cognoscibile ita est objectum liberum, ut in Animam malevolam non finat Sapientiam (maximè infusam) subintrare: deinde in principio illius, quod edoceri cupis, effice, ut potentias Animæ rationalis habeas in neutram partem obstinatè decumbentes, sed liberas ad inquirendum; nam frustrà dubii veritatem investigat, qui ad alteram partem inclinatus accedit. Cura insuper, ut perseveres, & credas per aliquot saltem menses, ut Christianum Doctorem non ita è limine salutandum intelligas, qui, ut paganos intelligeres, per multos annos captivatus credidisti: nec idcirco Raymundum flocci pendas, quia primo intuitu inconciniter & grossè tibi locutus esse videatur; nam si sedulò introspicias, procul dubio reperies, nec elegantioribus, nec secundùm materiam subjectam magis propriis vocabulis loqui valuisse, nisi à se ipso & ab artificio Sapientiæ sibi infusæ penitùs discessisset. Nec rursus ideo tuis auribus forsitan ultra modum delicatis duriloquus videatur & crassilinguis; quia inter ipsum legendum in bonificativum, bonificabile & bonificare & id genus similia passim impingas; nam si tollas ab universo *tivum, bile & are*, tollas necesse est ejus naturam, perfectionem & finem, ipsum relinquens inane, vacuum & otiosum, id est, sinè potentia activa, passiva & actu innatis sibi instrumentis ad agendum; itidem in Divinis proprietates & productiones, Deum Saracenorum & Judæorum vacuum, imperfectum & in se ipso otiosum venerando. *Talem igitur dicendi modum sibi proprium & peculiarem, & ab ipsarum rerum visceribus excerptum, ita simplicem, planum & frugiferum ebibisse creditur Raymundus ab eodem Sancti Spiritûs fonte, unde Scientias hausit: quem & nos, quantum valuimus, curavimus observare in hac Lecturæ translatione, apparatam & fucosam orationem quasi pulcherrimæ veritatis dubiam & suspectam omninò fugientes;* in qua quidem traductione, si quid perperam à nobis positum invenies, humiliter obsecramus, ut priùs exemplaria consulas, quæ Raymundus materno sermone scripta reliquit, quàm ipsum damnes, nostræ potiùs, quàm ejus insufficientiæ illud tribuens. *Nec credas præterea, ad intelligentiam Disciplinarum Raymundi per alias januas aut ingressus iri posse verius & facilius, quàm per suos ipsius Libros & Lecturas, qui, ut sese ipsum interpretetur, edidit certè non paucos, ût in calce hujus voluminis est videre; nam aliàs frustra adeptus videretur tantum Sapientiæ donum, si in magis necessario, hoc est, in modo illud docendi & communicandi aliquo pacto defecisset:* unde si quasdam Interpretationes in Raymundum offendas, quæ nectar illius suavissimum nec sapiant nec redoleant, caveas, obsecro, ne tibiæ tubam comparando ipsis fidem priùs adhibeas, quàm habeas pro manifesto, legitimas esse Raymundinæ Artis expositiones; *sunt etenim nonnulli alioquin sapientes, qui se ipsos tantùm sectantes, & sibi vel laudes vel oppositum parturientes potiùs Lulli mastygas, quàm veros Lullistas agunt.* Valete.

Epistola Alphonsi à Proaza Asturicensis ad Reverendissimum in Christo Patrem D. Dominum Franciscum Ximenem Cardinalem Hispanum, & Archi-Episcopum Toletanum, Archi Cancellarium Castellæ, & Generalem Inquisitorem, atque Hispaniarum Primatem meritissimum.

OMnes homines, qui veræ Fidei splendore caruerunt, Eminentissime Cardinalis, si post diutinos labores aliquas forsitan veritates reperere, quasi hallucinatione quadam ad eas pervenisse credimus: posteà verò quàm præcedentibus Prophetis Lux mundi JESUS Christus ortus effulsit, cœpit humana cæcitas clariùs illustrari: prodiere tunc feliees Apostoli, prodiere Doctores clarissimi, qui veluti terrena Sidera in toto terrarum orbe latiùs emicuerunt, oppleverunt Gymnasia & bibliothecas infinitis penè scriptorum Voluminibus; sed non iis sanè, quibus adhuc suæ Sapientiæ flumen satis exhauriri ac propalari valuerit: sed esto, valuisset, ipsis forsitan eâ ratione non placuit, quia pretiosissimæ Margaritæ non chartis papyraceis tanquam suibus obtrectandæ, sed purgatarum Mentium Sacrariis commendari debuerunt.

Stante igitur sic humani generis conditione scivit Doctor Doctorum & Scientiarum Dominus Christus, illius nostræ incapacitatis obstaculum tolli posse, si & ipse mortalium cuipiam Artem infunderet ad omnia scibilia generalem, mentibus

tamen indignis ita obseratam, sicut apertam bonis; & ea profectò est, quam ab ipsa Christi Sapientia Raymundus Lullius Eques auratus divinitùs acceptam ex eadem Principiorum & Regularum materia variis formis digestam, nunc Demonstrativam, aliàs Inventivam, Generalem, Magnam, Brevem, Expositivam, Discretivam & hujusmodi titulis appellatam reliquit.

Et quia nimìs laboriosum erat & fermè impossibile universam Librorum suppellectilem nobiscum asportare, fecit DEUS super terram abbreviatum Verbum, id quidem nobis impartitus veluti quoddam Scientiarum Manna, quod unicum gestantes omnia nobiscum scibilia & cunctas mundi Bibliothecas conveheremus: scio me stupendum loqui, sed non idcirco impossibile; imò, si detur, magnificum & amabile: nam si tot sunt ignorantiæ nostræ vulnera, quot & veritates ignoratæ, & ea itidem Ars (ût præmisimus) præfatæ hujus indignitatis nostræ remedium esset, Christum utique universalem Medicum illud dedisse non est ambigendum, qui nihil debuit facere Vineæ suæ, id est, Mundo, quod non fecerit.

O rem posito livore mirabilem! O Donum DEI, si sanè ponderetur, singulare! à sæculo non est auditum, ut is, qui lascivus & illiteratissimus fuerat, jam grandis natu desuper, inspiratus formulam tradiderit ad omnes Veritates inveniendas non minùs utilem quàm necessariam: & si non desint fortasse, qui sub prætextu laudandi alios Doctores (quos summopere & jure quidem veneramur) [aut se ipsos etiam evehendi Artis hujus novæ & mirabilis contemptu] DEI munificentiam sic angustant, quasi nequeat ampliùs elargiri, quàm prioribus sæculis erogaverit.

Quid obsecro molesti fiunt huic publicæ utilitatis Procuratori? bonum Opus semper operatus est in Ecclesia DEI; unde potiùs mereretur esse cunctis acceptissimus; nisi forsan ob id lapidandum esse putent, quòd impios gentilium Philosophorum errores funditùs eliminarit, aut quòd arma contra Infideles Fidelibus suppeditarit, quòdque effecerit, ut Christicolarum Scholæ in nulla scientiarum traditione Paganorum Libris indigeant.

At si quis percontetur, quibus de causis Raymundi Doctrina adeò excellens & egregia nondum per universas mundi Academias circumferatur & floreat? Satis aptè respondere posse arbitror, tum quia bonarum rerum perpauci reperiuntur Amatores in hoc mundo, tum quia tam raræ hujus & altissimæ Facultatis Arcanum hactenus vulgari noluit, te condignum Patronum exspectans &c.

Tua igitur intererit, Præsul sapientissime, Illuminatum hunc Doctorem, imò (ût tu ipse vocitare soles) Illuminatissimum, non paganum, non opiniosum, non loquacem, non quisquiliis immoratum, aut sibi ipsi contradicentem, sed Christianissimum, gravem, sententiosum, simplicem & succinctum amplexari, fovere tuerique &c.

Idem Alphonsus de Proaza in Epistola dedicatoria Disputationis Raymundi Christiani & Homeri (Hamar) Saraceni habet sequentia.

Hinc factum est, ut ea Librorum genera penes te magìs habeantur in pretio, quæ faciliorem methodum, certiorem ordinem & aditum magìs brevem ad ipsum, quod investigamus, summum Bonum cognoscendum, diligendum & memorandum homini præstant; *cujusmodi sunt Libri Raymundi Lulli pii Eremitæ, Viri haud unquam satis pro dignitate laudati, sic eos licet appellare Libros, & non (potiùs) Thesauros Auri reconditos:* is enim Illuminatus Doctor, ût extitit, dum ageret in humanis, pius, devotus, simplex, multiscius & totus DEO dicatus, sic redolet undevìs pietatem, charitatem & sanctimoniam, quidquid Literis demandatum reliquit & posteritati.

Nicolaus de Pax Patricius Majoricensis.

Hujus eximias Laudes neutiquam minuit, quòd inflatis Doctoribus non placeat; si quis enim cautè perlustret, videbit eorum de hoc Christi Discipulo maledicentiam ex infecta radice livoris, vel imperitiæ, fastûs, desidiæ vel alia putredine proficisci: quotquot hactenus literatos reperi virtutis & veritatis amatores, quærenti mihi, quidnam de Raymundi Doctrina sentirent, respondisse memini; alios, se quidem de Raymundi Libris, quos vidissent, præclarè sentire; alios, se non posse judicare de Doctrina, quam non intelligebant: *& tamen plerique argutuli, scioli, & miserrimæ sortis homines, qui inter veros & humiles Doctores non essent idonei Discipuli, imprudenter mordent, quem JESUS crucifixus attraxit, quem Spiritus Sanctus docuit, visit Regina cœli, consolatus est Angelus, Gesta probant, sublimant Libri, Martyrium coronat.*

Evolvant ipsi garrùli antiquas historias, & dicant, an fortè alium fuisse legerint, qui jam trigesimum annum agens, tam mundanus, tam illiteratus, ut nequidem sciret Grammaticæ Artis principia, subitò infusæ Scientiæ miraculo splenduerit; quique tot Artes, tot Scientias, & Artem ad omne scibile Generalem scripserit: quòd si hæc à nobis de Raymundo narrata, quæ per ducentos retrò annos famâ feruntur, vel negent vel cavillentur adversarii; diffiteri non possunt Librorum experientiam: eos inspiciant vacuo passione animo, & si quid in illis damnabile compererint, obsecramus per clementissima Christi Viscera, ut impugnent, criminentur, sacris Inquisitionibus ac summo Pontifici deferant; nec patiantur, nos Lullistas erroribus illis abduci, qui Raymundi Doctrinam fideli intentione, ût sanam & Catholicam profitemur: quæ, si judicabitur hæretica, nos primi volumina ejus incendio dabimus; si verò Catholica, laudabitur Dominus in Sancto suo, & cessabunt tum demum latrare dolosa labia, quæ mordere non poterunt.

Quando igitur in lucem prodierint, quæ à nobis sunt de Raymundo Lullo fidelissimè recitata, cognoscent bonæ voluntatis homines, non esse credendum detractoribus, sed experientiæ; non vulgo, sed veritati: verùm speramus in Domino, posthac non esse futuros, qui detrahant; nam contigisse potest, multorum dicta ex præcipiti

piti judicio vel facti ignorantiâ processisse: *indurati verò hostibus, si qui perstiterint, certissimùm testamur, huic Doctori & Martyri contrarios solitos esse iniquæ voluntatis amarulenta præmia sentire: nominatim hujus Doctrinæ persecutores raptos subito interitu, mendicare compulsos, alios calamitatibus affectos, nisi me prolixitas futura compesceret.*

Idem Nicolaus de Pax Patricius Majoricensis in Epistola ad Illustrem & Reverendissimum Dominum D. Joannem Ruffum Theodolum Forolivienſem, Miseratione divinâ Archi-Episcopum Consentinum, & in Regnis Hispaniarum Nuntium, & Collectorem Generalem Apostolicum ita habet.

Raymundus peregrinatione variâ ac multâ vitæ austeritate maceratus solitariæ contemplationis desiderio ad Montem quendam Balearibus celeberrimum, cui nomen Randa, se perduxit; ibi moratus dies aliquot ore semper benedictionibus pleno ac flexis quasi assiduè genibus per speluncas & nemora de omnibus, quæ mente versabat, quæ se offerebant aspectui, æterni Numinis magnificabat Imperium: *& cùm semel ardentibus Charitate visceribus astra suspiceret, illustratus subitò vidit omnia rerum principia mundanæ hujus Machinæ & negotium & Auctorem; quibus præterea sustentaculis creati orbis universitas duret introspiciens sese velut non ante visum hominem miratus est: tum sensit apertum intra se fontem infusæ Sapientiæ, de cujus plenitudine omnium Scientiarum duci poterat inventio.*

Cogit me paulisper detinere Historiam tantæ novitatis admiratio, quia divinæ Operationis Miracula narrationem jubent in stuporem converti: quis diceret Raymundi gaudia videntis, tam prosperè optatis suis favisse Superos, atque omnia sibi bona pariter venisse cum Sapientia? creditum est, illis diebus Raymundum comedere, bibere, dormire non potuisse, gratiarum actione duntaxat & lætitiâ satiatum: sed ne acceptum Sapientiæ munus vacuum esse permitteret, post paucos dies Opus illud, cui *Ars Major* vel *Generalis* titulus est, mortalibus oculis admirabile composuit: cujus Artis Generalis quanta sit profunditas & excellentia, ût intelligo, dicerem, Reverendissime Domine, nisi ea futura esset dicendi materia, quæ, ut mediocriter explicetur, latissimæ orationis campos efflagitat: unicum dixerim, me quidem humiliter existimare, de multis modis, quos in cognoscendis rebus habent beati Spiritus, unum esse Raymundi Arte traditum: de cujus ubertate (Auctoris testimonio) cæteros Libros, quos penè innumeros scripsit, emanasse argumentum est, Artem illam non humanæ inventionis esse, sed divinæ Inspirationis Oraculum.

Atque id quidem ita esse, ac fama sonabat, nunquam ego credidissem, nisi me docuisset experientia; vidi enim hisce oculis, atque his manibus habui Raymundi Tractatus ultra ducentos de omni Scientiarum genere bene meritos: de Theologia, de Metaphysica, de Philosophia naturali & morali, de Jure, Astronomia, Geometria, Logica, Rhetorica, Grammatica, denique de Arte nautica & militari conditos: scripsit præterea varios amœnissimos Codices historicos, quæstionarios, contemplativos, atque hos quidem partim Latinâ, partim Hispanâ, nonnullos Arabicâ Linguâ, quam exactè didicerat, elucubratos; ita ut ex tota utilium Doctrina nihil intactum reliquerit: &, quod ipse mirari soleo, singulas Scientias subtili Artificio regulatas exhibet, quas alii vagas solutásque tradidere. *Neque illud dignum silentio, ejusmodi esse Raymundi Opera, ut sub nuda & apostolica scripturæ simplicitate arcanos sensus & elegantissimos contineant: quamobrem usu evenit sæpenumero, ut Raymundi Doctrina neque duris intellectibus accepta sit, neque superbis; arduas enim materias plebeja ingenia non sustinent; superba verò humile dicendi genus aspernata nihil magnificum supereſſe arbitrantur, ubi non reboat inflati sermonis eloquentia.*

Verùm scripserit Raymundus quanta libeat, patefecerit naturæ viscera, involuta detexerit, vana procul dubio esset hominis indagatio, nisi salutifera quoque Scriptis suis & ad Christum provocantia mandasset: unde perscrutemur, obsecro, Doctoris hujus Volumina, nihil sanè aliud in illis tandem concludi videbimus, quàm ut DEUM recolamus, intelligamus & amemus: & quoniam fructus speculationis est operatio studiosa, nusquam legitur Raymundus erudire intellectum, quin protinùs hortetur affectum; ne quando animum pasceret, voluntate jejunâ infœcundæ arboris frondosa luxuries videretur. Verbis consequi non possem, quâ dulcedine quóve dilectionis incendio Raymundus de Redemptore nostro, de purissima ejus Genitrice & felici Martyrum Victoria locutus sit: videtur utique, dum hæc scriptis prosequitur, ex inebriato devotione pectore quasdam ferventissimi amoris flammas eructare.

Accedit devotioni christiani nominis zelus admirabilis, quo nullam hæresim nullúmque errorem præteriit, quem non in suis Tractatibus furore divino & acerrimis argumentis enervarit: ea denique fuit hujus Illuminati Doctoris humilitas, ut in Librorum suorum frontibus non sui, sed divini Nominis titulos præmiserit; quos enim Libros inspirante DEO, non humanâ excogitatione condidit, decebat â confessione divini favoris inchoari: in exitu verò suorum Operum solet Vir religiosus Sacrosanctæ Matris Ecclesiæ judicio se submittere; deinde multis precibus Opus ipsum aut Christo, aut Dominæ nostræ, aut beatis Angelis & Sanctis commendare; postremum dicere, quoto Anno & ubi Volumen absolverit.

Moneor hoc loco mentionem de hujus Lullisticæ Doctrinæ hostibus & approbatione facere: imprimis sæpissima illa correctionis ab Ecclesia postulatio Raymundum ab omni hæresi tutum atque immunem præstat; qui enim corrigi paratus est, duræ voluntatis pertinaciam non habens, licèt errare possit, hæreticus esse non potest. Reliquum est de Doctrina ejus quærere, an fortè hæreses sive errores ullos continere deprehensa sit. Adhoc ego, si quis me opinionem meam interroget, fateor, me in legendis Raymundi Lulli Tractatibus diutissimè versatum nihil invenisse omninò, quod vel Virtuti vel Catholicæ Fidei vel aliis Veritatibus adversetur: non me tamen firmat solius judicii mei fiducia; plurimos enim tum præteritæ tum nostræ ætatis Viros Sapientiâ & Probitate clarissimos Sententiæ meæ Duces habeo; quorum præcipui fuere *Lupetus, Catanius, Clapesius, Tornerius Medicus, Berpus insignis & Juris-Consultus &*

Astrologus, *Nicolaus de Cusa*, *Gagvinus*, *Caldentius*; utque vivos referam, *Jacobus Stapulensis*, *Carolus Bovillus*, *Fontanus Medicus*, atque eruditissimi mei Præceptores *Cabassper & Benovardus*.

Hi omnes aliique permulti, quos nominare longum esset, cùm fuerint Doctrinâ & Vitæ Munditiâ probatissimi, Raymundum sectati sunt, interpretati sunt, & egregiis semper laudibus venerati, nihil in ejus Libris reprehensione dignum cognovere: ab hoc fonte plurima bibisse comperti sunt *Arnaldus de Villanova* eximius Philosophus, & sidus illud Italiæ *Joannes Piccus* Mirandulæ Princeps, & Concordiæ Comes.

Quâ insuper aviditate ingenii Illustrissimus D. *Franciscus Ximenez* Hispaniæ Cardinalis, Dominus meus & Benefactor amantissimus Divi Raymundi Opera scrutaretur & audiret, cùm omnes in ejus viventis Palatio versati cognoverunt, tum maximè possum ego testificari; per lucis namque & tenebrarum tempora, atque inter magna Hispaniæ gubernandæ negotia, dumque iter faceret, semper me sibi præsentem esse jubebat, dicturum ex Lullisticæ Philosophiæ & Theologiæ abundantia, quæ mihi dilectissima videbantur.

Si hæc Testimonia adversarii uti nova contempserint, antiqua producamus: Raymundus jam senex Parisios profectus examen Doctrinæ (quam sibi infusam dictitabat) fieri requisivit; quod cùm toti Academiæ placuisset, quadraginta Magistri & Baccalaurei in Theologia & Artibus electi sunt, qui Raymundi Lectionibus interessent; interrogati tandem, quid eis de audita Raymundi Arte videretur, omnes quadraginta jurati responderunt, Artem illam bonam esse & utilem atque necessariam: cæterùm nihil in eadem Orthodoxæ Fidei contrarium, imò pleraque pro ejus defensione utilia contineri. Tum memoriæ proditum est hujus Approbationis authenticum Instrumentum, Sigillo Curiæ Parisiensis pendente munitum, datum Anno Domini MCCCIX. die Martis post Octavas Festi Purificationis beatæ Mariæ Virginis.

Jacobus Faber Stapulensis Doctor Sorbonicus in Proœmio ad Librum B. Raymundi Lulli de Laudibus Beatæ MARIÆ Virginis.

CUm duo sint, quæ Vitam nostram rectissimè instituunt, Universalium scilicet Cognitio & operandi Modus &c.: unde jure evenit, ut hi Libri in pretio haberi debeant, qui, quæ rara & necessaria sunt, utiliter monstrant: cujusmodi revera Librum unum pii Eremitæ Raymundi animadverti, qui operandi Modum monstrat, operandi dico, laudandi, orandi & intentionem finemque dirigendi, quæ ad sanctè instituendam formandamque Vitam unicuique necessaria sunt: & ut verum fatear de me ipso (cum modestia tamen loquar) *in Libris illius Viri plurimùm mihi proficere visus sum*, & ingratus nimiùm viderer & divini præcepti reus, nisi in publicum proferrem, quod omnibus intelligo profuturum. Quapropter Librum ad publicum bonum recognovi: neque vos quidquam deterreat, quòd Vir ille idiota fuerit & illiteratus, horridæ rupis & vastæ solitudinis assiduus Accola; *nam & creditur quâdam superná infusione dignatus, quâ sapientes hujus sæculi longè præcelleret &c.*: *ingenuè fateor, Raymundo ferme verba defuisse, quibus suos pulchros posteritati mandaret Conceptus; qui tamen valet introrsus aspicere, nihil videt barbarum, & quod sententiam non contineat scitu dignissimam: & DEUS clementissimus tempestate nostrâ suâ solitâ benignitate oculos hominum adaperiat, ut videre queant, quæ verè bona sunt.*

Idem Jacobus Faber Stapulensis in Præfatione ad Volumen Librorum Philosophiæ Amoris & Proverbiorum, quos dicat Alphonso Cæsaraugustæ Archi-Episcopo.

A Fuentes Arte Medicâ R. D. tuæ commendatissimus per Academiam nostram Parisiensem iter in Belgas faciens &c. *me super Libris pii Eremitæ Raymundi Lulli consuluit, & plerosque sacræ Theologiæ egregios nostri studii Professores, qui omnes, ut par erat, piæ mentis, & à DEO* (ut putatur) *illustratæ Opera probaverunt*; verùm ille, nondum factum satis, præsentaneo sermone ducens rogabat insuper, ut eadem de re ad R. D. tuam darem literas &c.

Quid & ipsi senserint & ego cum eis, ne videar vel in hoc Dignitati tuæ amplissimæ gratificari nolle, paucis accipe. Sentiunt profectò, quæ Romani, quæ Veneti, quæ Germani, quæ denique Vestri, qui omnes Opera illius excudunt, legunt, admirantur, eos autem, qui illa profitentur publicè, libenter audiunt, probantque audita: ita in nostro ubivis gentium probè famigerato Parisiensi Gymnasio eadem formis mandant diligenter, & ad alienas transmittunt oras: profitentur cùm adventant, qui istas norunt Artes, tum publicè tum privatim; quod etiam superiore Anno, qui fuit Christi omnium Servatoris & Salvatoris quingentesimus ac decimus quintus supra millesimum, sacræ Paginæ Doctor egregius Bernardus Lavinheta favorabili Auditorio factitavit. Cæterùm Bibliothecæ nostræ Libris ejuscemodi Doctrinæ sunt adornatæ, præsertim illa insignis Domus Sorbonica, quæ nobilissimum est in toto terrarum orbe, tam nominatissimorum Theologorum, quàm publicorum theologicorum Certaminum Domicilium, & ea, quæ ad ædem divi Victoris est: Chartusia insuper, quæ haud procul ab Urbe Parisia sita est, capsulis arcisque id genus Librorum refertis abundat, quos sancti illi Viri frequenter versant manibus, fructum pietatis inde suscipientes, quos & petentibus suscepto Chirographo liberaliter communicant.

At quoties audivimus, inclytam illam Romam Authoritate Pontificiâ adversùs malevolos calumniatores hæc Opera defendisse, probasse, roborasse? quomodo igitur possent nostri non approbare, quæ sciunt à *Capite Fidei fuisse approbata*? at aliquando non approbaverunt: si hoc verum est, id eo tempore præsertim evenisse putandum est, quo *sequaces Abenruth* priùs sectæ Arabicæ, mox Christianæ, sed demum impii Apostatæ *studium pro maxima parte obtinebant*: *contra quem & Sequaces Raymundus cùm Verbis tum Scriptis viriliter animoséque decertabat*: quo tempore odium veritas

peperit: verùm nunc prostratus est impius Arabs, Raymundus autem pius Victor (ut par est) susceptus, nec absre quidem; militabat enim ille omni lege rejectâ diabolo, hic verò Lege Vitæ æternæ admissâ Christo, ex cujus luce, cùm alioqui idiota esset, sapientes hujus mundi convincebat; pro cujus amore Martyrium etiam minimè detrectavit. *Quâ igitur fronte hujus pientissimi Viri, quâ mente Christi Martyris Scripta, quæ sola ad divina mentes legentium trahunt, rejicere possemus?* nequaquam id putare velis sacerrime Præsul, hæc sanè sunt, quæ Amplitudini tuæ scripturus eram &c.

Tu igitur optime Præsul ita vivens hos cum Epistola Libellos suscipe, benignóque favore & remissis nonnunquam gravioribus curis hos Libros relegens animum divinis cogitationibus pasce; *neque deterreat legentem sancti Eremitæ sermonis simplicitas, quem viventem Vita simplex, vilis habitus & neglectus mundus Christo faciebant charissimum*: in quo semper felix vale. Ex inclyta Parisiorum Academia sub Natalem Domini cum Anno ab eodem 1516.

Idem Jacobus Faber Stapulensis in Præfatione ad Librum B. Raymundi Lullii de Contemplatione excusum Parisiis Anno 1515. Gabrieli Neophyto Carthusio.

FLuxerunt Anni supra quatuordecim &c. venit ad me quidam mihi apprimè notus & amicus, Librum tenens &c., viso titulo Raymundi Lulli de Contemplatione, quæ fit in DEO, rapior illicò Libri legendi desiderio: mansit apud me Liber, & plurimam mihi attulit consolationem, & penè ad hoc pertraxit, ut dimisso mundo DEUM in solitudine quærerem, & forsitan felix, si tractum secutus executioni demandassem: verùm dum hujus exequendi propositi gratiâ premor, dum opus omne vehementiùs urgeo, incautum laborem morbus sequitur &c. Quapropter ad priores Artes revolutus libenter correctioni Librorum, qui ad pietatem formant Animos, operam dedi; & hac quoque de causa his diebus emisi *primum Volumen Contemplationum Raymundi*, qui meritò inter pios DEI Cultores unus annumerandus est; qui Liber me hunc in modum & alios complures affecerat, ut sic ex uno multiplicatus ad plurimos transeat, & ad te inprimis, quæ novella es & adhuc tenera Religionis plantatio.

Christophorus Suarez de Figueroa in principio Libri, cui titulus: Forum universale,

FAcit Encomium illius, in quo postquàm adduxit dictum F. Ludovici de Leon: *Tres Sapientes habuit mundus, Adam, Salomonem & Raymundum*, discurrit per actiones magis notabiles suæ Vitæ; loquendo de suo Martyrio & de Honore, *cum quo suum sanctum Corpus habitum Majorica in omni Veneratione & decentia facit continuò magna Miracula, volente DEO, ut vix una dies abeat, quin illis honoret illum*: addit: *sed erat justum, ut probaretur* (sicut aurum in igne) *excellentia suarum actionum & modus vivendi tam cœlestis, non solùm in Vita cum Barbaris persecutionibus, sed etiam in Morte, eò quòd inveniretur, qui spargerent venenum malæ intentionis contra suos miraculosos Libros*: & tandem progreditur ad satisfaciendum illis, qui contra illum scripserunt.

Evvaldus Vogelius in Libro de Lapidis Physici Conditionibus impresso Coloniæ Anno 1595.

RAymundus Lullius natione Catalanus nobili Lulliorum Barcinonensium familiâ ortus, & in palatio Jacobi Regis Majoricarum enutritus, & ab eodem ob Natalium splendorem Morumque generositatem in Regiæ mensæ Senescallum cooptatus (quamvis postea DEI amore & mundi odio incitatus, posthabitis castissimæ uxoris & filiorum ex ea susceptorum lachrymis & precibus, totum se divinæ Contemplationi ac Scientiis variis addiscendis convertendisque infidelibus dedierit, ita ut etiam Palmam Martyrii, quam enixis viribus anhelabat, circa ætatis Annum octogesimum in Africæ Urbe Bugia lapidibus obrutus referre meruerit; cujus Reliquias piâ Veneratione Baleares etiamnum hodie ob Miraculorum frequentiam prosequuntur) non tantùm Mineralium exactam cognitionem habuit, sed omnes alias quoque Scientias cum laude tractavit; tantæque fuit suo ævo Authoritatis & Æstimationis, ut justissimi Aragonum Reges eum vocent in Privilegiis ipsi concessis *magnum in Philosophia & sacra Theologia Magistrum, mirandarum Artium & Scientiarum Auctorem*: & Christianissimus Francorum Rex Philippus in superscriptionibus epistolarum ipsum salutare solitus fuerit titulo *Organi S. Spiritûs Doctorisque divinitùs illustrati*. Neque minùs cognitus fuit Italis & Anglis, qui eum non dissimilibus Encomiis honorarunt, quæ transeo; neque enim possum tam Illustris Viri laudes & præconia paucis verbis exprimere. *Hic etiam è vegetabilibus aliisque rebus puriorem partem distillationibus variisque digestionum modis secretam in medicamentorum tam simplicium quàm compositorum usum convertere docuit*; quæ quantum utilitatis in medicinam humano generi apprimè necessariam invexerint, non est hujus loci disserere.

Quantum autem ad Artem Chimicam attinet, hanc ita illustravit tot conscriptis de ea Voluminibus, ut magis non potuerit, nisi eam vulgo prostituere voluisset: inter alia autem ejus scripta longè eminent Testamentum & Codicillus, quibus omnia Arti necessaria abundè comprehendit, non eo quidem ordine plausibili, quo Geber, sed ad Artem docendam magis appositò & convenienti, ipsius operationum modos non reprobando aut rejiciendo, sed eosdem suis præceptis accommodando: sed quod in Gebro aliisque multis Auctoribus, quibus dixisse aliquid sufficit, desideratur, hoc unum incommodum resarcire maximè annisus in eo totus fuit, ut dictorum suorum & eorum, quæ in arte fiunt, rationes redderet, causasque explicaret: quod quantum momenti in istius

modi præsertim scientiis obscurioribus Lectori adferat, sciunt potissimum, qui in Auctorum aliorum Scriptis tanquam in vasto quodam pelago diu multumque absque clavo diversorum ventorum impetu ac tempestate jactati in portum tandem se subduxerunt, in quo postmodum absque naufragii timore ventos ac maris procellas contemnere, & unde aliorum pericula securè aspicere possunt. Quæ quamvis præstiterit, calumniatoribus tamen non caruit, neque etiamnum hoc tempore caret; quidam enim sicut Gebri brevitatem nimis concisam & obscuritatem, ita hujus prolixitatem & loquacitatem, alii, cùm vitæ integritatem & innocentiam carpere non possint, sermonis barbariem aversantur. Quantum ad primum, non id naturæ vitium, sed Artis specimen fuit & documentum; considerans enim maximam in Scientiis quibusdam addiscendis difficultatem, & hominis miseriam deplorans, eique condolens, quòd vix longo temporis spatio non minùs confusam, quàm exiguam rerum cognitionem assequeretur, & cupiens literarum cultores ex hujusmodi servitutis jugo in libertatem asserere, ac brevi temporis curriculo in summam omnium Scientiarum notitiam deducere, Libros aliquot conscripsit, quibus insigne prorsus inventionis artificium continetur propositiones texendi, definitiones & divisiones eruendi, argumenta formandi ac diluendi, & veritatem & scientiam de omni scibili & proposito consequendi, terminis præterea, propositionibus & argumentorum generibus rem eandem expoliendi, extendendi, explicandi, variisque terminorum conjugationibus idem vel simile significantibus aptè & appositè enuntiandi & exornandi: ut itaque aliis exemplum & suæ Doctrinæ experimentum daret, ipsemet præivit, & Libros suos artificio præscripto composuit; quo factum est, ut unam eandemque rem sive operationem variis ac diversis modis enuntiando & extendendo, varia quoque docere & omnia confundere ignorantibus videatur, cùm tamen in rei veritate unum & idem sæpiùs sit, quod diversis verbis locisque proponit. Quo fit, si quis diligentiùs advertat, ut ipsius Libri Chymici aliorum Auctorum Libris multò sint dilucidiores; si quid enim Lectorem præterit uno in loco, id ex aliis diversis abundè compensatur; & tandem quò magis quis profecerit, eò luculentiùs etiam inventionis ipsius Artificium sese aperit & ostendit: quocirca tantum abest, ut loquacitas ei vitio vertenda sit, ut contra summopere collaudanda videatur, & gratia immensa illi habenda, quòd Artem tam abstrusam & ab aliis tantopere velatam tam artificiosè manifestare dignatus sit. Quantum ad barbariem, cujus passim accusatur, attinet, ipsi certè ea vitio dari non debet, sed tempori, quo omnis politioris literaturæ doctrina sepulta & densissimâ quodammodo caligine involuta jacuit: & quid si ipsemet volens sciens elegans dicendi genus neglexerit, cùm animi sensa meliùs eo, quo scripsit, modo exprimere non posset? quòd enim potuerit ornatiùs loqui, hinc patet, quia nonnunquam in ipsius Scriptis flosculi quidam sermonis non illepidi hinc illinc dispersi reperiuntur, qui nisi à curiosis conspici aut animadverti non possunt: sed quid absurdiùs, quàm Philosophum, cujus est rem docere potiùs, quàm linguam expollire, verborum ornatum sectando tempus terere, & rem sibi explicandam & demonstrandam minùs aptè proponere?

Sed instabit quispiam cum Lucretio & dicet: *Etsi non egeant per se philosophicæ commendationes amœnitate dicendi, per ejus tamen adhibitionem dissimulandam esse rerum, de quibus agitur, austeritatem & difficultatem: sicut absynthia per se pellunt morbos, melle tamen illinuntur, ut puerorum ætas improvida ludificetur.* Ita sanè fecisset fortè & Raymundus Lullius, si pueris & vulgo scribendum judicasset, sed longè alia illius ratio fuit, qui verborum quàm rerum magis curiosos, imprudentes, indoctos, impios & profanum denique vulgus non allectare quæsivit, sed absterrere, & quàcunque viâ arcere. Demum ut tanti Viri obtrectatoribus satisfaciam, verbis Ambrosii Camaldulensis Ordinis, quæ pro S. Dionisii Areopagitæ defensione attulit, ipsis respondebo.

Condolendum est plerisque miseris, qui propter suam ignorantiam acerbos se aliorum Judices atque Censores præbent, quique acuta cæterorum inventa, prout ignorantia sua dictat, acerbè carpentes, cùm legunt, quæ non intelligunt, Scriptorem statim condemnant, neque eos pudet, quòd nec redarguere nec emendare possunt, quæ putant male conscripta: in se ipsos igitur iram suam convertant, sibique ipsis acerbi sint, qui per negligentiam altiora addiscere nequiverunt, quique à Doctoribus petere dedignati in dubiis suis contabuerunt.

Franciscus Pagna in Commentario ad Directorium Inquisitorum 2. par. quæst. 27. quem Librum ipse Eimericus B. Raymundi Lullii Calumniator antesignanus compilavit.

ILlud verò observandum est diligenter, quod Auctor docet in hac quæstione, videlicet Libellum de Dæmonum Invocatione editum fuisse per Raymundum Neophytum; in quo planè decepti mihi videntur *Bernardus Lutzemburgus* in Catalogo hæreticorum, *Lib. 3.* verbo *Raymundus Lullius*, & *Prateolus Lib. 16. cap. 2.* de Vitis & Sectis hæreticorum, asserentes, Libellum de Dæmonum Invocatione editum fuisse à *Raymundo Lullio*; & sanè suspicor, hos Authores fuisse hallucinatos ex nominis similitudine.

[*Nota, Authorum supradictorum temerarium Judicium occasionem fuisse aliquibus Scriptoribus eâdem criminatione innocentem & sanctum Virum Raymundum Lullium afficiendi.*]

Carolus Bovillus Vir eminens in Artibus Liberalibus in Vita Lullii scripta Anno 1511. edita Parisiis typis Ascensianis Anno 1514., quam Benedictus Gonon inseruit Vitis Patrum Occidentis editionis Lugdunensis Anno 1626. Lib. 6.

COepit deinceps latino sermone Lumen, quod divinâ inspiratione illi communicatum fuerat, non modò aliis coætaneis suis impertiri, sed & variorum Librorum compositione reservare ad posteros, innumera enim edidit Opuscula, è quibus sunt hæc, quæ ad meam notitiam pervenerunt . . . Præter

Præter hos autem dicitur & alios quàm plurimos edidisse tum Latino Sermone, tum Hispano vulgari, tum Arabico . . . . Verè enim vivificantem Doctrinam ejus Dogmata censuerim; quorum facio alios Judices, ne solus sensui meo inniti videar, quod facilè à cunctis legentibus deprehenduntur non esse hominum, sed potiùs cœlitùs (ût præsens exposuit Historia) indulta: etenim præclara Spiritûs Sancti Scientia (quam nos gratiæ donum seu Scientiam infusam appellamus) ea momento in hominibus supplet, perficit, operatur, quæ per hominum Doctrinam nullo aut labore aut tempore complentur. Hunc Raymundum Faber noster (præsentium Philosophorum facile decus) nimiùm veneratur & amat, mirificè Doctrinam ejus effert, Libros complectitur, & in publicam utilitatem ex Officina emitti curat: è quibus Librum Divinarum Contemplationum præ cæteris admirandum ad manus omnium evulgavit.

Jodocus Badius Ascensius Vir in sæcularibus Literis eruditissimus & divinarum Scripturarum non ignarus in Epistola ad Bernardum Lavinetam Theologiæ Professorem & Artis Lullianæ Interpretem acutissimum, quæ subnexa est Metaphysicæ novæ Raymundi Editionis Ascensianæ Anni 1516.

BEne facis, Lavineta Doctissime, qui Scintillas Luminis non Prometheâ temeritate rapti, sed magno Providentiæ Dono nobis cœlitùs dimissi colligis, & ût fragmenta Dominicæ Refectionis, ne pereant, in cophinos impressoriæ Artis recipis: bene (inquam) facis, qui in lucem emittendas satagis lucubrationes (si ad rem spectemus) mirificas Raymundi Lulli, qui verè & intrepidè dicere potest: *Dominus Illuminatio mea & Salus mea, quem timebo?* sed in eo maximè ostendis ingenii tui splendorem, qui ea potissimum Opera emittenda curas, in quibus interioris Eruditionis est quàm plurimum; inter quæ sunt, quæ nunc te Auspice emittimus, *Metaphysicæ novæ & Philosophiæ Expostulationis Syntagmata*, quæ in sinum tuum, unde emissa sunt, quia redire gestiunt, quin redeant, nihil impedio. Vale, è Calcographia nostra apud Parisios ad XIV. Kalendas Martias Anno, ad Calculum Romanum MDXVI.

Marianus Accardus Siculus in Literis datis Panormi XII. Kalend. Maij 1507. Joanni Francisco de Judicibus Fregellano præfixis Libro Proverbiorum Raymundi editis Venetiis eodem Anno loquens de eo Libro ait:

SUnt profectò in hoc Sensus acerrimi, Fides magna, Argumenta fortia, Exempla rebus non minùs apta quàm propria; cui tu quoque Libro acris judicii Vir tantum, sed meritissimè tribuis. Scripsit Vir ille divinitùs ter mille Volumina, quibus omnes liberales Artes & machinales acutissimè enarravit, nihilque posteris intactum reliquit: sed o cæcas hominum mentes, o pectora cæca! *non verentur vitiligatores quidam Artem hanc cœlitùs dimissam convitiis infectari, Ducemque nostrum Divino Lumine afflatum (non ratione, sed invidiâ ducti) maledictis impetere.* Qui si Quintiliani præceptum non minùs Catholicè, quàm eleganter prolatum observarent in decimo Institutionum oratoriarum dicentis: *modestè & circumspectò judicio de tantis Viris pronuntiandum esse, ne (quod plerisque accidit) damnent, quod non intelligunt*, linguam homines perditissimi castigatam haberent: quibus quanta sit fides adhibenda, vel hoc sit argumento, quòd ea, quæ nec cognita habent, nec fortasse ingenio unquam poterunt adipisci, vituperare sint ausi: nec mirum, & canes ignotos adlatrant; qui si pedem conferre cum veritatis sectatoribus, id est, cum divinam hanc Artem edoctis vellent, non loqui, sed balbutire viderentur. Perpendant quæso, trutinent ac examinent Divi Raymundi Scripta vanissimi isti, ut impii ita & indocti, & quæ improbanda videbuntur, profligare dignentur: non sunt (mihi crede) à vestibulo ac à limine salutanda, sed introspicienda, inque penetralia arcessenda: DEUM testor, Vir eruditissime, invitum ad hæc divertisse; cùm non meum sit in aliquem (ût est in adagio) è plaustro dicere, aliquidve ex stomacho proferri, sed summusforibus occurrere fuit necesse.

Idem Marianus Accardus Netinus in Literis datis Justiniano Deodato Panormi X. Kalend. May 1507. præfixis Libro Sententiarum Raymundi edito Venetiis eodem Anno.

EN tibi quæstiones è nostro Illuminato editas in quatuor Libros Sententiarum, breves quidem, sed abstrusissima quæque enucleantes . . . Scripserunt in Libros, quorum memini, Viri clarissimi pene innumerabiles, inter quos noster Doctor micat (absit invidia verbo) velut inter ignes Luna minores. *Loquitur ante hoc de Arte, & de illius utilitate dicit.* Cujus rei Petrus Daguinus mediatus & Jacobus Januarius nostri optimi Præceptoris immediatus Præceptor testes sunt locupletatissimi; quorum prior trigesimo septimo ætatis suæ Anno, cùm vix prima hausisset elementa, remisso, ût ait, studio septem mensibus D. Raymundi Scriptis incubuit, cujus Opera (etsi tota penè Italia verbo tum est experta) quantum vir ille præstare potuit, præseferunt: alter, cùm septem peregisset lustra à literis penitùs alienus, nulli, ût in Scriptis ejus est videre, est postponendus.

Remigius

Remigius Ruffus Candidus Aquitanus in Præfat. ad Rhetoricam Lullii editam Pariſiis ſub Prælo Aſcenſiano Anno 1515.

AD quod feliciſſimum vobis ſuppeditabit adminiculum Raymundi Lulli Doctoris Illuminati Rhetorica, omnigenâ bene dicendi copiâ ſcaturiens, Opus dubio procul admirandum, utpote à DEO optimo maximo conceſſum, veluti reliqua ejus Opera, numero ſupra millia quatuor ab eo, ût piè credimus, divinè repoſita.

Joannes Bonlabii in Epiſtola proœmiali ad Librum intitulatum Blanquernam impreſſum Valentiæ Anno 1521. poſtquam multa dixerat in Elogium B. Raymundi, dicit:

SI viderent Contemplatorem majorem Librum multùm commendatum per ipſummet & per alios, qui continet totam Philoſophiam & Theologiam ſecundùm ordinem 4. Lib. Magiſtri Sententiarum in quinque Libris contentam per pulcherrimam practicam Artis Contemplationis dictæ in quacunque materia: ſi viderent quingenta alia Volumina Librorum de ipſomet, quæ ſcimus, ipſum feciſſe, & tenuimus magnam partem de illis compoſitis in diverſis materiis, maximâ parte illorum Scriptis in *tribus Linguis* . . . . poſtea finit dicere de Artibus particularibus, quas fecit in qualibet Scientia, irradiante in illo divinâ Bonitate fonte omnis Sapientiæ.

Petrus Gregorius Toloſanus in Prolegomeno Syntaxis Artis mirabilis edita Lugduni Anno 1583. cap. 7.

UNus tamen, ût puto, DEI Spiritu illuſtris inventus à nobis, non ex ſupradictorum ordine, ſed illis minimè inventione inferior, qui Artem quandam meditatus eſt, quâ omnia poſſint diſputari & contineri; is fuit Raymundus Lullius &c. poſtea refert varios, qui ſcripſerunt Commentarios ſuper hanc Artem, & multùm profecerunt in literis cum ſolo ſtudio illius.

Andreas Tiraquellus celebris Juris-Conſultus, Conſiliarius Parlamenti Pariſiis Tract. de Nobilitate edito Pariſiis Anno 1549. & Lugduni.

RAymundus Lullus Vir certè reconditæ Doctrinæ & Eruditionis, qui præter alia multa, quæ in Medicina ſcripſit, edidit Librum, cui titulus eſt, *Ars Brevis*, alterum, quem *Artem Generalem* vocavit, utramque adeò difficilem, ut pauci queant intelligere; verùm ſi ſemel intelligas, omnia pollicentem.

Antonius de Lupis in ſuo Libro intitulato Clarum Obſcurum Philoſophiæ moralis impreſſo Venetiis Anno 1694.

CAlamo Evangelii compoſuit ultra centum & viginti Opera altiſſimarum materiarum & profundorum Myſteriorum, quædam in Lingua Lana & Arabica, & quædam in Idiomate Hiſpanico & Gallico, ſuſtinuit infinitas anguſtias famis, perſecutionis, calamitatum & carcerum; denique lapidatus Tunicii (dicendum Bugiæ) ad plantandam Fidem ſub acervis illorum ſilicum & laurorum pro Coronis ſui Martyrii, & fabricavit domum æternam ad uſum ſuæ quietis. Operatur Miracula more Apoſtolorum, & hic Agnus Paradiſi ſigillavit ſuos Cineres cum Sanguine cujusdam mirabilis & prodigioſæ reſiſtentiæ.

Dominus Nicolaus Antonius in ſua Bibliotheca Hiſt. antiq. Tom. 2. Lib. 9. cap. 3. n. 176.

QUamplures verò ſecretæ Raymundi Artis Amatores, quales non fuiſſent, ſi non in ejus ſtudio pro menſura exhauſti laboris in ea addiſcenda invidiæque in ea commendanda profeciſſent, variis cogitationibus illuſtrare Magiſtri hoc inventum conati ſunt, quorum qui ad notitiam noſtram pervenerunt, hic appendimus Album.

Ludovicus Moreri eruditiſſimus in omni genere notitiarum in ſuo Dictionario hiſtorico ultimò augmentato octavæ editionis Anni 1698. verbo Lulle *dicit:*

RAymundus Lullus origine Catalanus natus in Inſula Majoricarum, vixit ſub finem ſæculi decimi tertii & in principio decimi quarti, *& habuit magnam cognitionem Philoſophiæ Arabum & Chimiæ & Medicinæ*, quibus feliciter uſus eſt pro compoſitione ſuorum Operum, *qui ſunt Generales Artium Libri, Logicales Libri, Philoſophici, Metaphyſici, variarum Artium Libri, Medicinæ, Juris utriusque, Libri ſpirituales, prædicabiles, quodlibetici & Diſputationum:* dicitur, quòd Anno Ætatis quadrageſimo integrè ſe converterit ad DEUM, & intraverit in tertium Ordinem S. Franciſci, & quòd fuerit Prædicator contra Saracenos in Africa, & lapidatus ſit in Mauritania 26. Martii 1315. Ætatis 80. Annorum, ſuum Corpus fuit translatum Majoricam, ubi honoratur tanquam Martyr.

Quod de Lullo diximus, non omnes approbant ſed quidam illum traducunt ût Magum, alii ût Hæreticum, alii defendunt ipſum, ût dixi, quòd tanquam Martyr occubuerit, & quòd multitudo Miraculorum, quæ fiunt apud Sepulchrum illius, ſint teſtimonia ſuæ Sanctitatis; qui verò ipſum accuſant hæreſeos, dicunt, quòd Epiſcopus [Archi-Epiſcopus] de Tarragona inveniendo quasdam ſuarum Propoſitionum minùs conformes Fidei Catholicæ illas damnaverit ex ordinatione Gregorii XI. qui Anno 1372. ipſi illas tradidit examinandas. Additur, quòd Raymundus defenderit, DEUM habere multas eſſentias, & Patrem eſſe ante Filium; ſed multi Authores hallucinati ſunt, & hunc, de quo modò locuti ſumus, confuderunt cum alio Raymundo &c.

Hieronymus Zurita tomo 2. Annalium Aragoniæ Lib. 8. cap. 50. impreſſo Saragoſſæ Anno 1562.

Caſpar Eſcolanus tomo 1. Hiſtoriæ Valentiæ Lib. 3. cap. 19. 20. & 21. impreſſo Valentiæ Anno 1610.

Andreas Libavius tomo 1. Selectorum Alchimiæ edito Francofurti Anno 1519. in hiſtoriis Evaldi de Hoghelandia, quæ habentur in fine illius tomi.

Vincentius Mut Mathematicus excellens, diligentiſſimus Hiſtoriographus Regni Majoricarum tomo 2. Hiſtoriæ Majoricanæ in toto libro 2.

Bartholomæus Caſſaneus in Catalogo de Gloria mundi impreſſo Lugduni Anno 1546.

Nicolaus de Mellinas Phyſicus Civitatis Majoricenſis in quodam eleganti Poëmate impreſſo ibidem Anno 1605. per Gabrielem Guaſp.

Julius Pacius de Vincentia Juris-Conſultus celeberrimus in Arte Lulliana emendata in quatuor Libris impreſſa Lugduni 1618. Neapolis 1631. in 4. Pariſiis Idiomate Gallico Anno 1619. in 8.

Dominus Alphonſus de Cepeda & Andrada Gubernator de Tuilhuys in Arbore Scientiæ Illuminati Magiſtri Raymundi Lulli impreſſa Bruſellis Anno 1664.

Joannes Piccus Comes Mirandulanus & Dominus Concordiæ, Vir verſatus in omni genere literarum in Apologia q. 5.

Societatis JESU.

R. P. Joannes Antonius Ferrando Soc. JESU Doctor Theologiæ & Cathedraticus illius pro opinione PP. Soc. in Univerſitate Lulliana in Sermone impreſſo Anno 1695.

CElebrat *ſublimitatem Sapientiæ Raymundi, propter Magiſtrum, qui illam illi infudit, propter Gradum Doctoris, qui illi collatus eſt, & propter ipſammet ignorantiam, quæ illum præceſſerat*, comparando illam (Sapientiam) cum ſimilibus Prærogativis Doctrinæ Pauli, & illuſtrando illam Elogiis, *quòd ſit bis certa, bis ſubtilis & multis vicibus munda & ſine maculis*, extenſa ad totum intelligibile & prodigioſa; quia per ipſammet ignorantiam, in qua non modico tempore vixit Raymundus, non ſolùm fecit lucere & reſplendeſcere ſuam Sapientiam, ſed cum ſingularitate radiare divinam.

R. P. Joannes Baptiſta Roldan Soc. JESU, cujus ſelecta Dona & Doctrina illi promeruerunt Officia Rectoris Collegii & Univerſitatis Gandiæ, repetitis vicibus illius S. Pauli Valentiæ, Præpoſiti Domûs profeſſæ, & Viſitatoris Collegiorum Inſularum Provinciæ Aragoniæ in alio Sermone impreſſo Anno 1699.

OCcaſione Feſti, quod Majoricæ habitum, in recompenſationem contemptûs exhibiti Imagini Raymundi, illum appellat & probat *quatuor vicibus beatum*, h. e. *beatum propter Cultum immemorialem, quo gaudet: beatum, quia bis Filius regalatus & electus Mariæ: beatum, quia in Sapientia Cherubin, quam illi communicavit Chriſtus, videtur ſecundum Verbum Verbi: & denique beatus, quia fuit elevatus Seraphin in amore, ita ut ad ſuum ſublimem volatum alæ ipſius Cherubini ſe retraxerint & recollegerint.* Hic inter alia, quæ adducit in Elogium & Approbationem Doctrinæ B. Raymundi dicit ea, quæ ſequuntur.

Reverendiſſimus Pater Hieronymus Natalis meæ (h. e. S. J.) Religionis ſacratus Doctor Pariſienſis,

CUjus Perſonâ, Literis & Prudentiâ uſus eſt magnus Pater meus & Patriarcha S. Ignatius ad faciendas Conſtitutiones admirabiles Societatis JESU, poſtquam rediit Majoricam ſuam Patriam, & ſtuduit uno Anno in variis Scriptis Raymundi ſingulari ſolicitudine & applicatione, quæſitus

postea, quid sentiret de Doctrina illius, sic respondit: *Utinam vulgo homines Donum DEI scirent, & capere vellent, quàm apposita sit hæc Ars atque Scientia ad Veritatem naturali Ratione tradendam, sinè ambage Testium & Authoritatum.* Hanc notitiam desumpsit R. P. Roldan à quadam Approbatione, quam per Commissionem Illustrissimi Domini D. Balthasaris de Borgia Episcopi Majoricensis dedit ad Memoriale R. P. F. Joannis Rieræ in Defensionem Doctrinæ B. Raymundi R. P. Gabriel Johannes Bolicher Soc. JESU Anno 1629. qui jam Anno 1612. deposuit cum Juramento in Processu habito hoc Anno Authoritate Ordinarii Majoricensis super Approbatione, quam R. P. Natalis dedit Doctrinæ Raymundi, affirmando, se illam audivisse ex ore Fratris dicti R. P. Natalis, qui fuit ille, qui ab illo petierat suum judicium de hac Doctrina, postquam uno & ampliùs Anno in illa studuisset in suo retractu. Hoc testimonium præfati R. P. Bolicher, cùm plura in Laudem B. Raymundi contineat, dignum censui, ut subjungeretur, quod sic sonat.

R. P. Gabriel Joannes Bolicher Soc. JESU in Transumpto Memorialis.

NOn absque divino Consilio gravissimus ille Doctor Parisiensis Hieronymus Natalis Balearis unus ex primoribus Societatis nostræ Patribus, sanctíque Patriarchæ nostri Ignatii in condendis Constitutionibus & Regulis Religionis nostræ Adjutoribus, postquam mirabilem Magistri Raymundi Doctrinam sacro Martyrio subsignatam, & ab æmulorum calumniis per Tridentinos Patres conquiescere jussam, celebrari in inclyta Parisiorum Universitate perspexerat, séque reversus ad Patriam in tranquillo villæ suæ paternæ recessu per justum biennium ejus Doctrinæ, studio meditationíque tradiderat, rogatus à Fratre suo Stephano, quid de Lulliana Doctrina sentiret, respondit (ut suprà) hoc gravissimum atque verissimum tanti Doctoris Acroama nunc demum in memoriam rediit, & agnovi Jure optimo de Lulliana Doctrina ac Arte prolatum, quando mihi injuncta fuit ab Illustrissimo Domino D. Balthasare Borgia dignissimo Diœcesis hujus Balearis Antistite munus hoc recensendi Memoriale Reverendi adm. P. Fratris Joannis Rieræ Franciscanæ Familiæ Theologi in Causa prædicti pii Eremitæ Raymundi Lullii &c.

R. P. Franciscus Doms Soc. JESV Vir & Cathedrâ & Pulpito celebris in Regno Majoricarum in quodam Sermone de B. Raymundo Lullo impresso 1688.

APplaudit illius Sapientiæ, comparando illam in toto suo discursu cum illa S. Pauli Apostoli: ob rarum & peregrinum exemplum acquisitionis illius; eò quòd à DEO illam receperit per infusionem in instanti & sinè studio: ob extensionem, eò quòd attigerit omne in sua Arte Magna & aliis Operibus, quæ promerita sunt Approbationes Regum, Inquisitorum Generalium, Legatorum & Commissariorum Apostolicorum ac ipsius Concilii Tridentini: lucrando Fructum convincendi & convertendi multos Philosophos & Infideles per vim Rationis naturalis: & denique, quia illustraverit & dederit gloriosum Nomen suæ Patriæ, cognomento Insulæ Raymundi.

R. P. Nicolaus Causinus Soc. JESV tomo 4. Curiæ sanctæ Lugduni impresso Anno 1674. fol. 128. sect. 14.

SEquentia de Beato nostro Raymundo affert, quæ ex Gallico vertimus in Latinum: *Titulus Sectionis est sequens.* Exemplum notabile Amoris mundani transformati in Charitatem divinam: volo vos docere quodpiam valde familiare, in quodam Homine mundano & aulico, qui modò est Thesaurus pluribus occultus, *cui invidi fuerunt malevoli, quem persecuti sunt superbi, condemnarunt ignorantes, sed est magnus Servus DEI,* scilicet sapiens ac pius Raymundus Lullus (postea enarrat profanos amores Raymundi suamque resipiscentiam & Conversionem, vocante ipsum Christo è Cruce ad Amorem divinum; dein pergit) dehinc recessit ad angustam Eremum, ubi vacans precibus, jejuniis & contemplationibus taliter fuit illuminatus, quòd, cùm antea esset sinè alia scientia, exceptâ illâ amoris mundani, evaserit in Doctorem maximis Doctoribus parem, non omittendo esse severus, ùt severissimi Eremitæ; suus amor erga DEUM incepit primò per magnas teneritudines, & de familiaritatibus continuis adorando hunc Spiritum purissimum in toto hoc magno Theatro naturæ &c.: de hoc Amore complacenti progressus est ad Amorem obligantem, fecitque fortem resolutionem se reddendi utilem toti mundo &c.: quam ob rem sentiens se repletum omni tempore altis & divinis cogitationibus, quas DEUS illi communicaverat, & quòd non haberet cognitionem Grammaticæ & aliarum inferiorum scientiarum scholæ, proposuit addiscere linguam latinam, cùm jam esset provectæ ætatis quadraginta Annorum: nactus est in Præceptorem Magistrum Thomam Attrebatensem, qui illum docebat nomina & conjugationes & Syntaxin; sed hic (Raymundus) illi reddidit conceptus sublimes & discursus inauditos ac harmonias omninò cœlestes, honorando taliter suum Magistrum, quòd illi dedicaverit maximam partem suorum Librorum, vel pro litera mortua illi obtulerit Spiritum vitæ. Non contentus hoc adjunxit Linguam Arabicam intentione convertendi Mahometanos, arripuit diversa itinera in Galliam, Italiam, Græciam, Africam, continuò girans per mundum, nec omittens prædicare, scribere, docere ad promovendam salutem proximi &c.

Verum est, quòd primus habuerit intentionem, quam noster Pater S. Ignatius tam gloriosè executus est; quia voluit erigere Seminaria Hominum sapientum, qui deberent se expandere per totum mundum ad promulgandum Evangelium, & se ipsos sacrificandos pro augmentatione Fidei; in hunc finem multiplicavit sua itinera Romam, Lugdunum, Parisios, Avennionem, sollicitando incessanter Pontifices & Reges ad hoc Opus adeò excellens absque profectu &c.

Quàm

Quàm plura alia copiosè adducit hic Eximius Pater in Laudem glorioſi nostri Doctoris & Martyris, quæ *loco citato* videri possunt; unum notatu dignissimum mihi visum est: nempe curiosa Comparatio B. Raymundi cum Sancto Ignatio, ùt sequitur: „ Attulit ad hoc negotium multum fervoris & zeli, sed noster Pater contribuit plus „ ordinis & prudentiæ. Unus incepit incongruo „ tempore, nempe dum fieret translatio S. Sedis „ Romà Avenionem, ubi Pontifices magis erant „ soliciti de sua conservatione, quàm de augmento Christianitatis: alter scivit capere occasionem ad suum profectum, & obligavit Romam ac suos Pontifices in suam intentionem. „ Unus fecit suum primum conatum sub Bonifacio VIII. qui, postquam deposuisset Eremitam à „ Throno S. Petri, suspectos habuit eos, qui erant „ ejusdem Professionis, timens, ne facerent secundâ vice Caput Ecclesiæ: alter obviavit Paulo III. qui erat Pontifex humanus, & illum lucratus est per magnas obedientias & submissiones, quæ non aliud præ se ferebant, quàm humilitatem JESU Christi. Unus se nimiùm implicabat Scientiis, usque ad curiositatem, & „ illas fecit incedere velut Dominas & Magistras: alter tenebat illas veluti fideles Ancillas „ Crucis subjectas sanctæ humilitati. Unus nimis inhærebat suo judicio, & volebat calcare „ semitas nullis adhuc vestigiis signatas, non satis communicando cum Doctoribus sui temporis in opinione & in concordia: alter subiit „ examina Universitatum, & secutus est communem cursum in progressibus suorum Studiorum. Unus erat genii altioris; alter autem facilioris & magis suavis. Unus volebat avellere „ ramum aureum cum violentia: alter illum colligebat cum facilitate, veluti si Providentia DEI „ illum in manibus illius posuisset. Quæ qui attentè perlegerit, judicabit utique, præclarum hunc Authorem Curiæ sanctæ ne hic quidem à stylo Curiæ deflexisse.

Quamvis autem (ùt asserit R. P. Causinus) scopum suum adeò laudabilem & utilem tempore Vitæ suæ non consecutus sit, *consecuturus tamen erat per DEI gratiam aliquando in posteris*; quod Spiritu quodam prophetico ipsum prævidisse patet *ex Libro de Amico & Amato* edito Parisiis in 12. Anno 1632. nam *fol. 209. n. 353.* ita habet: *Ingressus est Amicus Claustrum Religiosorum, & interrogaverunt eum, an esset Religiosus? respondit eis, sic, Amati mei. Quam Regulam sequeris? respondit Amati mei. Cui Vota fecisset? respondit Amato &c. Et cur etiam, cùm sitis Religiosi, nomen non portatis mei Amati? ne, cùm aliud portetis, amorem minuatis; & cùm alterius vocem auditis, Amatum meum non intelligatis.* Sed adhuc clariùs in *Blanquerna magno* in Libro *de Amico & Amato*, qui continetur in prædicto Blanquerna Exemplari vetustissimo & vernaculo mihi Barcinone transmisso. *Grans Ostz è grans Companyes se son Ajustades de Spirits d'amors, è porten Senya d'amor, on es la Figura el Senyal de lur Amat; è no volen menar en lur Companya null home, qui sia sens amor, per ço, que lur Amat noy prenga desonor.* h. e. Magni Exercitus & magnæ Societates Spirituum amorum se conjunxerunt, & ferunt Vexillum amoris, in quo est Figura & Signum illorum Amati, & nolunt perferre in sua Societate ullum hominem, qui sit sinè amore, ne illorum Amatus inde capiat dedecus.

Verba, in quibus videtur habuisse ante oculos Societatem JESU (ùt ait R. P. Jacobus Custurerius in Vita Raymundi fol. 555. §. 11.) *quæ crevit in integrum Exercitum, & super fundamentum interioris Legis Charitatis & Amoris &c.*: nisi forsan B. Raymundus voluerit insinuare *Exercitum, Vexillum, Signum, Ordinem &c.*, de quibus loquitur *in Libro de Fine*: forsan meliùs utrumque dici potest. *Voluit itaque DEUS ipsum consolari* (teste præfato P. Custurerio dicto §. 11.) *monstrando illi in Prophetia Fundationem Societatis JESU cum magno jubilo suæ Animæ.*

R. P. Bapt. Sanjure Soc. JESU Libro 4. agens de Personis, quæ professæ sunt magis specialem Amorem nostri Domini JESU Christi pag. 1236. tomo 6. in 8. Parisiis edito Anno 1657.

RAymundus Lullus meretur tenere locum honorabilem inter magnos Amatores Filii DEI, cui, factus sapiens, postquam pluribus annis esset fatuus, & amasset creaturas insolitis excessibus, consecravit integrè & irrevocabiliter omnes affectus sui cordis &c.: quæ videri possunt *loco citato.*

R. P. Petrus Gil S. J. Rector Collegii Montis Sion Majoricæ in Processu ibidem instituto cum Authoritate Ordinarii Anno 1612. ætatis suæ Anno 62.

AFfirmavit cum Juramento, se audivisse dici à Doctore Ludovico Joanne Vileta Canonico Barcinonensi, qui astitit Concilio Tridentino cum Episcopo illius Civitatis D. Wilhelmo Cassàdor, quòd PP. Concilii, quibus data est cura faciendi Indicem Librorum prohibitorum, egerint, utrùm prohibendi sint Libri Raymundi Lulli, & quòd determinaverint non prohibere illos, cùm Doctrina ipsius visa sit vera & Catholica. Vide R. P. Cust. Diss. 2. cap. 4. f. m. 320. §. 12.

Illustrissimus R. P. Ferdinandus Quirinus de Salazar S. J. Magister Positivæ Murciæ, Alcalæ & Madriti, Qualificator sancti Officii, electus Episcopus Malagæ & Archi-Episcopus Charcarum & Consilii Supremi Inquisitionis Hispaniæ in Defensione pro immaculata Deiparæ Conceptione edita Compluti 1618. cap. 10. n. 7.

HÆc opinio habet nobilem Patronum Raymundum Lullium in speciali Opusculo, quod de Immaculata Virginis Conceptione composuit, ubi totam hanc duplicis tituli Doctrinam accuratè expendit, & Virginis Immunitatem à culpa ex illa aucupatur.

R. P. Jacobus Artal S. J. Rector Collegii Turiasonensis in Hispania in Approbatione ad Librum Petri Hieronymi Sanchez editum Anno 1619. Turiasonæ.

EXCommissione D. Petri Gotor Succentoris & Canonici hujus Ecclesiæ & Vicarii Generalis Illustrissimi & Reverendissimi D.D. Didaci de Yepes Episcopi Turiason. vidi Expositionem D. P. Sanchez de Lizarazo Doct. Theol. & Decani ejusdem Ecclesiæ *in Artem brevem Raymundi Lullii*, in qua nihil est à Catholica Doctrina alienum, & dignum censeo, quæ lucem aspiciat, quòd lucem præferat *recondito hujus Artis Thesauro* dispiciendo, eruendo, possidendo; ut tanti interpretis operâ tantus Author amari & cognosci tandem incipiat ac suspici, variis oblocutionibus in ejus amorem & admirationem conversis: *non dubito enim, quin, si ingenium perspicax & modus ac judicium adsint, utiles pariat ea Ars Fructus Reipublicæ Christianæ, cum nacta fuerit homines non sui aut suorum, sed veritatis, pietatis & publicæ utilitatis amantes.* Turiasonæ in nostro Collegio S. J. Anno 1912. die 22. Decembris.

Sequuntur jam tres Eximii Patres ejusdem S. J. Scriptores Vindiciarum & Actorum B. Raymundi Lulli, quorum

Primus R. P. Andreas Morages S. J. scripsit Chronographiam de Defensione & Causis Lullii, cujus Originale M. S. conservatur Majoricæ in Collegio Sapientiæ, ut testatur R. P. Cust. Diss. 1. cap. 1. f. 11. §. 4. circa finem.

Secundus est aliquoties nominatus R.P. Jacobus Custurerius S. J. quondam Doctor & Lector Theologiæ in insigni Collegio Montis Sion, & postea in Imperiali Universitate Lulliana Majoricæ ibidem Collegii S. Martini Rector dignissimus, Qualificator S. Officii & Diœcesis Examinator Synodalis.

COmposuit hic solertissimus Vir duas Dissertationes historicas de Cultu immemoriali B. Raymundi Lulli Doctoris Illuminati & Martyris & de Immunitate Censuræ, quâ gaudet sua Doctrina cum Apendice suæ Vitæ impressas Majoricæ per Michaëlem Capo Anno 1700. Idiomate Castellano, Opus lectu dignissimum, quod cuperem Linguâ Latinâ Operi Lulliano adjungere, ut omnibus Nationibus redderetur commune & utile, nisi me retineret temporis & primi Tomi mora, aliorumque perficiendorum copia. Præ cæteris autem ad Propositum nostrum facere arbitror, si legantur ea, quæ prælaudatus Author adducit Argumenta Diss. 1. cap. 6. & Diss. 2. cap. 4. contra Adversarios B. Raymundi, scilicet Eimericum, Luzemburgum, Prateolum, Dyonisium, Blasœum, Malvesiam, Bayerlinck, Gualterum, Bzovium, Jansenium &. alios, & contra Catalogos Hæreticorum privatâ Authoritate editos, quorum aliquibus continetur B. Doctor noster; quibus efficacissimè refutat omnia, quæ hactenus contra Pietatem & Doctrinam Divi Magistri nostri obmoveri potuerunt.

Tertius est R. P. Joannes Baptista Sollerius S. J. Scriptor Actorum B. Raymundi Lulli, Antverpiæ editorum Typis Viduæ Petri Jacobs Anno 1708.

HUjus præclarissimi Viri, ût & præfati R. P. Custurerii Amicitiâ, Commercio literario & Operâ plurimùm me profecisse profiteor, tam in colligendis MSis. quàm Documentis Lullianis: unde duplici vinculo & proprio scilicet & alieno obligatus Discipulus pro B. Magistro singularem ac perpetuam erga hos Eximios duos Patres gratitudinem huic Operi inserere æquum & justum censui; & cùm præfata Acta facilè possint ad manum haberi, volui potiùs Lectorem ad ea remittere, quàm multa ex iis transumere.

His annumerari possunt

R. P. Philippus Briecius S. J. in Chronologia Anno 1571. edita Anno 1692.
R. P. Sebastianus Izquierdo S. J. in Pharo Scientiarum Disp. 23. q. 4. n. 29.
R. P. Athanasius Kircherus S. J. in sua Arte Combinatoria impressa Amstelodami Anno 1669.
R. P. Thomas Carleton S. J. tomo 1. Cursùs Theol. Disp. 51. sect. 2. n. 4.
R. P. Gabriel Vasquez S. J. tom. 2. impresso Anno 1595. Disp. 133. q 32. cap. 4.
R. P. Claudius Clemens S. J. in Tabulis Chronologicis Anno 1679.
R. P. Joannes Bußieres S. J. in Flosculis historicis Areola 5. ad Annum 1283.
R. P. Antonius Possevinus S. J. in Apparatu sacro edito Anno 1608.
R. P. Didacus Alarcon S. J. Cathedraticus Theologiæ Alcalæ & Madriti & Qualificator sanctæ Inquisitionis supremæ Hispaniæ 1. par. Theolog. schol. tract. 5. disp. 1. cap. 3. n. 4. edito Lugduni 1633.

R. P.

R. P. Joannes Ptolomæus S. J. nunc Eminentissimus S. R. E. Cardinalis in Philosophia Mentis & Sensuum Lib. 4. The. 15.
R. P. Sebastianus Salelles S. J. Qualificator sancti Officii in Opere de hac materia impresso Romæ 1653. tomo 2. l. 3. cap. 15. reg. 276.

Denique Eminentissimus Princeps S. R. E. Card. Robertus Bellarminus S. J. in Libro de Script. Eccles. ad Annum 1290. edito Anno 1613.

QUamvis autem hìc quis objicere posset, non omnes ex prædictis Authoribus approbare in omnibus Doctrinam B. Raymundi, licèt nemo illorum contrarius sit Pietati illius, item inveniri quosdam ex PP. Societatis, hìc non nominatos, qui eam prorsus aspernentur, cui respondeo, me nec unum nec alterum horum ignorare vel negare; nec tamen hoc præallegatæ Authoritati quidquam officere exinde demonstro, quòd aliqui laudatorum PP. Soc. qui Artem aut particularem quandam Sententiam B. Doctoris nostri in aliquibus impugnant, id egerint secundùm præconceptam, quam de Doctrina ipsius tunc poterant habere, hypothesin, quamque potiùs aliunde quàm è propriis suis Libris desumere cogebantur; si verò ea, quæ nunc Orbi literario communicamus, vidissent, legissent & intellexissent Opera, nullus dubito, quin Viri hi sapientes & æquissimi veritatis Defensores longè aliud judicium protulissent; quod ipsum à posteris hujus sacræ Societatis Doctoribus indubitanter & cum fœnore obtenturum Illuminatum Doctorem nostrum speramus.

Ex Ordine S. Francisci.

Transumptum ex Relatione Itineris de Persia facti per Patrem Pacificum Capucinum, Missionarium Apostolicum in Persia, impressâ Anno 1631. Parisiis apud Nicolaum de la Coste, ex Gallico in Latinum translatum.

DIscessi de Ispaham Civitate capitali Persiæ posterâ die Nativitatis Domini 1628. &c. conscendi in Insula Maltha Galeram, quæ transfretavit Barcinonem &c. transivimus per Siciliam: Siciliâ post tergum relictâ in Sardiniam insuper navi nostrâ delati sumus, unde postea Minoricam & tandem Majoricam Insulam & Urbem ejusdem nominis & Regni primariam accessimus, appertinentem Regi Hispaniæ. Hìc silentio præterire nolo aliquid, quod studiosè notavi, gratissimum auditu procul dubio hominibus literatis, & quibus pietas cordi est; quia concernit Personam sanctam & maximi nominis Virum: est nempe Raymundus Lullus, qui scripsit Artem facilè addiscendi omnes Scientias: notate igitur, quid illis locis observaverim. Cùm enim officii Missæ causâ adiissem Conventum Patrum Franciscanorum, lecta fuit illa in Capella, quæ est ad latus magni Altaris, quæ auro ubique radiabat, & magnas divitias monstrabat: maximè autem in admirationem me rapuit Imago quædam lignea in superiori Altaris parte diligentissimè elaborata & coloribus curiosè decorata, quæ venerabilem Senem promissâ barbâ & habitu tertii Ordinis S. Francisci amictum repræsentabat, facie elevatâ & in Crucifixum ex sole arbori incumbente colloquentem intentâ, pedibus autem subscriptum erat literis aureis BEATUS RAYMUNDUS LULLUS.

Turbabar primo intuitu, sed ita mecum ratiocinabar, quòd Officium Inquisitionis in isto loco introductum nunquam concessisset in numerum Sanctorum hominem cooptari hæreticum; absolutâ Missâ relatum mihi fuit, Corpus & Reliquias Raymundi penes eos in marmoreo Sepulchro conservari, idque in eadem Capella monstratum mihi fuit, Officium autem legi tanquam de Martyre in Barbaria Africæ propter Fidem Christianam lapidato; quod quidem singularem consolationem mihi attulit in hac Urbe: idque tantò magis, quando didici, vigere ibi quandam Facultatem Theologicam, ût Parisiis est Sorbona, in qua Raymundi Lulli Scripta prælegerentur, ût in Gallia S. Thomæ Opera, ejusque Professores Raymundinos & Lullistas sese appellare. Sed nondum eo modo satis contentus, optavi, ut videre illos possem; quod cùm Lector illius Facultatis intelligeret, prævenit votum meum honorificâ omnium Doctorum ipsius Collegii visitatione, qui ferè omnes Canonici sunt, & de Doctrina hujus sancti Viri mecum contulerunt; dicentes insuper, quòd constituerint quendam Virum ex Ordine Franciscanorum eruditione & doctrinâ insignem Romæ apud Papam pro defensione hujus Sancti, *quem* (ût dicunt) *contempserunt aliqui, quia non intellexerunt sua Verba, nec suam Artem, nec suas Intentiones*, quæ sunt, non quòd Infidelibus intendat probare nostræ Fidei Mysteria per Rationes naturales, sed potiùs ipsis naturaliter ostendere, quòd nihil irrationabile contineatur in Mysteriis nostræ Religionis; & quòd per consequens eis nullâ suppetat ratio illam oppugnandi: itaque vult, quòd ratio serviat Fidei, sicut aqua oleo, quod semper supernatans nihilominus exaltatur & elevatur per aquam, quanto plus in illo ponitur: hæc est comparatio, quam me fecerunt videre in Scriptis illius.

Et paulò post regessi, *penes nos Lullium pro Alchimista haberi; ad quod mihi responderunt, quòd procul dubio & veracissimè ex Illuminatione divina cognitam habuerit perfectionem totius naturæ, & quòd mediante hac cognitione invenerit Medicinam universalem per Aurum quoddam potabile, quâ Sanitatem suam ad Annum Ætatis centesimum quadragesimum quintum produxerit; quo quidem Anno Martyrium subierit, eamque rem potiùs commendationem, quàm opprobrium aliquod ipsius Memoriæ afferre debere.*

Insuper mihi dixerunt, quòd, postquam lori-

go tempore tanquam Eremita in Eremitorio solitariam duxit vitam extra Civitatem in medio cujusdam planitiei, in qua reperitur multitudo arborum mirthæ, Dominus noster JESUS Christus illi quinquies apparuerit crucifixus super quadam harum arborum, ubi pariter illi dictavit totam suam Scientiam, & quòd, quando addiscebat Linguam Arabicam cum intentione prædicandi Mauris, scribendo quandoque de Characteribus Arabicis super folia hujus Mirthæ, illa sola Arbor perpetuò perque continuum Miraculum ferat omnia folia sua cooperta hisce characteribus, quod nulli ex omnibus aliis hujusmodi generis arboribus, quæ sunt in illa regione, proprium est: quibus ego necdum conquiescere volui, quousque etiam ipsemet meis oculis vidi, & decerpsi de illis fasciculum, quem mecum portavi: en hoc est, quod de his superficialiter dicere possum, certificatus, quòd hoc modicum satisfaciet multis bonis mentibus, quæ per quandam malam impressionem habent easdem cogitationes contra hunc Sanctum, quas & ego habui, cui restituo honorem per præsens Scriptum.

P. F. Ivo Parisinus Capucinus in suo Digesto Sapientiæ impresso Lugduni sumptibus Laurentii Anisson Anno 1672.

Joannes Lallemandet Ordinis Minorum Provincialis in Germania, & Theologiæ Lector jubilatus tomo 2. de DEO, Disp. 1. n. 5. in margine ait:

Hic plurimi Recentiores damnarunt Raymundum Lullium, ipsi imponentes, quòd non modò voluerit plurificari Personas divinas, sed Essentiam divinam, id est, quòd quælibet Persona divina habeat Essentiam particularem, verbi gratiâ, quòd Persona Patris diversam habeat Essentiam ab Essentia Personæ Filii, sicut & habet diversam Personam à Filio. At certè hac de re nunquam cogitavit Raymundus Lullius; apertissimè enim docet contrarium ab initio tractatûs Articulorum Fidei usque ad cap. 6. citat ipsum postea in aliis locis, & addit: moneo hìc, quòd plerique, qui agunt contra Raymundum Lullium, ipsi ordinariè falsa imponunt *duabus de causis*: *Prima* est, quia non capiunt elementa Lulliana, proinde illum interpretantur prout possunt: *Altera* causa est, quia ejus opera non viderunt, sed Doctrinam Lullii à quodam Eymerico desumpserunt, qui, an fideliter referat Lullii mentem, alii dijudicent: unum scio, quòd in Tractatu de Articulis Fidei, in nullo, aut in pauciſſimis solùm differt Doctrina Lullii à communi doctrina Theologorum, quamvis eorum placita diversis terminis explicet; imò ignotis, præsertim iis, qui in ejus Doctrina enutriti non fuerunt. Porrò varias Rationes Lullianas protulimus in concertatione de DEO Trino, ad probandum, quòd duæ sunt Processiones in Divinis, & proinde tres Personæ, quas hìc iterum non subjicio.

P. F. Franciscus Bordonus S. T. D. Collegiatus, sacræ & universalis Inquisitionis Qualificator, tertii Ordinis S. Francisci Ex-Generalis in Manuali Qualif. in Causis sancti Officii sect. 56. n. 26.

Raymundus Lullus in Insula Majorica in Vico S. Michaëlis Patre Raymundo, & Matre ex Familia Merilium (lege Herilium) Nobilibus Anno 1236. insignitus titulis Beati & Martyris tertii Ordinis S. Francisci, de quo in Martyrologio Franciscano sub die 26. Martii, à Nicolao Eymerico Ordinis Prædicatorum in *Directorio part. 2. q. 9.* notâ hæresis inuritur falsò & iniquè occasione disputationis de Conceptione, quam habuerat cum nonnullis Lulliſtis, quem ab hac calumnia vindicavit Joannes Riera Syndicus in Regno Balearico in causa ejusdem Catholici Viri; ût videri potest in suo libello inscripto: *Transumptum Memorialis*, impresso Palmæ Balearium; cujus defensionem in eo Libro paucis refert Salelles *Reg. 270. à n. 55. usque ad 104.* Wadingus ad Annum *1315. à n. 2.* & Causinus *tom. 4. Curiæ Sanctæ.*

P. F. Mathæus Ferchius in Vita Scoti.

Qui opinantur, Raymundi Libros à Joanne Scoto rejectos, legant priùs Illustrissimum Bellarminum in Libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, voce Raymundus, invenientque, Auctoritate Apostolicâ Raymundum posse defendi. Post hæc Testimonium gravissimum audiant à perillustri Equite Domino Scipione Clarimontio Cassanate, Viro Clarissimo, morum gravitate, splendore Magistratuum atque Libris editis ac sapientiæ famâ notissimo, is ad me scripsit, se Parisiis Artem parvam Raymundi Lullii à pluribus Parisiensibus Doctoribus approbatam vidisse, inter quos scriptus est manu propriâ Joannes Duns Scotus.

P. F. Angelus de Pas in Expositione in Symbolum Apostolorum Lib. 9. Art. 7. cap. 20. n. 238.

Raymundus Lullus apud Bernardum Lutzemburg notatur de hæresi; affirmat enim, plus quingentos errores in suis Libris à Petro Tertacensi (debet legi Tarraconensi) Episcopo & Fratre Nicolao Eimeric deprehensos fuisse, suamque Doctrinam non à Christo, ût fingit, sed à Diabolo accepisse; quod tacuisset, si vel mortem hominis novisset, obiit enim pro Christo, & claret miraculis, quæ hominem non phanaticum, sed sanctum prædicant. Errores, quibus notatur, in Doctrina

Doctrina illius periti excusant, legitur publicè in Academia Barcinonensi, & olim in aliis: Libros autem nedum in Hispania, sed & in Italia & Gallia vidi summo cum studio & à piis & doctis expeti, méque præsente ab Universitate Complutensi totam illius Doctrinam commendari: rectenè, alii sive Ecclesia judicabit, cujus Judicio se subjecit Lullius.

P. F. Dominicus de Gubernantis in Tomo 5. Orbis Seraphici Missionum Lib. 3. cap. 1. n. 165.

Wadingus ipse pluribus post evulgatum Tomum illum tertium Annis Libro de Scriptoribus Ordinis Minorum, verbo Raymundus Lullus, eum inter classicos ejusdem Ordinis Scriptores absque ulla hæsitatione dinumerat à Doctrina & à Martyrio commendatum; ejus genuina Opera ordinatè recenset, & in fine veluti per appendicem supposititia subjungit, in syllabo autem Martyrum Franciscanorum eodem Volumine ipsum inter Martyres Franciscanos evidentissimè reponit.

P. F. Joannes Maria de Vernon tertii Ordinis S. Francisci in Vita Illuminati Doctoris & Martyris B. Raymundi Lulli, cui Titulus est:

Doctor Illuminatus vel Historia verax de Vita B. Raymundi Lullii Martyris tertii Ordinis S. Francisci Africæ, & primi Fundatoris omnium Missionum & Seminariorum mundi, continens suam Apologiam & Reparationem sui Honoris & Catalogum omnium suorum Librorum, dedicatus nostro sancto Patri Papæ Clementi IX. per R. P. Joannem Mariam de Vernon Religiosum Pœnitentem tertii Ordinis S. Francisci Congregationis Gallicæ, Parisiis in Officina de Langelier, chez René Guignard &c. 1668.

Idem Joannes Maria in Epistola dedicatoria ad Clementem IX.

Raymundus Lullus tertii Ordinis S. Francisci magnus Amicus Clementis V., qui illum misit cum Brevi Apostolico ad Universitatem Parisiensem ad stabiliendum Fundamenta suæ Missionis universalis per totam Doctrinam, sicut continetur in hoc Brevi relato ad Librum Domini Hauteville Doctoris Parisiensis.

Idem Joannes Maria in Annalibus perpetuis tertii Ordinis S. Francisci p. 2. mihi à pag. 203. ad pag. 214.

Æquè fuit Sanctus ac Illuminatus, Factorum suorum pariter & Documentorum Approbatores habet omnes, qui non facilem adhibent fidem rumoribus incertis . . . . Expendant quæso, hanc quæstionem Sapientes, bene illicò sentient de Doctrina ac Sanctitate Raymundi.

P. F. Dermicius Thadæi in Nitela Franciscanæ Religionis impressâ Lugduni Anno 1627.

Sufficit, sæpiùs adversarios in Doctrinam Lullianam insurrexisse sub variis Pontificibus, atque etiam in Concilio Tridentino, nihilque adversùs eam hactenus potuisse.

P. F. Lupus Pacz Ordinis S. Francisci in Regula Ordinationum & Gubernationis tertii Ordinis impressâ Valentiæ Anno 1617.

Beatus Raymundus Lullus, vocatus Doctor Illuminatus, scripsit multos Libros in variis scientiis & facultatibus, ejus Doctrina jam nuper approbata est per Sententiam omni juris Ordine servato ex Commissione & Auctoritate Apostolica.

P. F. Antonius Busquets Ordinis Seraphici S. Francisci, Syndicus Civitatis Majoricensis in Causa B. Raymundi in Memoriali dato Regi Catholico, & in alio impresso Anno 1614. & præsentato nomine illius Civitatis Sacræ Congregationi Inquisitionis Romanæ.

P. F. Joannes Riera ejusdem Ordinis, Syndicus Civitatis Majoricensis in eadem Causa in alio Memoriali ad eandem Congregationem impresso Anno 1627.

P. F. Bonaventura Armengual Ordinis Seraphici in Vita, Doctrina & Martyrii Raymundi Lulli Doctoris Illuminati Archielogio impresso Majoricæ Anno 1643.

P. F. Petrus Sanchez de Arrago Commissarius, Visitator tertii Ordinis S. Francisci in suo Dialogo traumatico regulari impresso Coloniæ Agrippinæ Anno 1648. Lib. 3. §. 1.

P. F.

P. F. Franciscus Porter Ordinis S. Francisci Theologus eruditissimus in Systemate Decretorum Sæculo 13. cap. 5. §. 3.

P. F. Franciscus Marsal ejusdem sacri Ordinis Lector Theologiæ Romæ & in hac Civitate, Provincialis & Qualificator sacri Officii in Prologo Artis brevis V. M. B. Raymundi Lullii impressæ Majoricis Anno 1643.

P. F. Hieronymus Planes Ordinis PP. Discalceatorum S. Francisci Vir Doctus & repetitis vicibus Provincialis sui Ordinis in Sermone de B. Raymundo impresso Majoricæ Anno 1614.

P. F. Guillielmus Font Cathedraticus Professor Philosophiæ in Universitate Majoricensi, & postea Theologiæ in Conventu S. Francisci in quodam Sermone impresso Anno 1698.

P. F. Franciscus Diaz de S. Bonaventura sacri Ordinis Minorum in suo Speculo Seraphico documento 9. cap. 1.

P. F. Antonius Arbiol Lector Theologiæ S. Ordinis PP. Minorum in Libro, cui Titulus est: Tertiarii Filii humani Seraphini, impresso Anno 1697. par. 3. cap. 7.

P. F. Joannes de Plagis Minister præteritus sanctæ Provinciæ nostræ Dominæ de Rabida Fratrum Minorum Observantiæ regularis in Portugalia in Libro impresso Lisbonæ Anno 1625. cum hoc Titulo: Triumphus sanctæ Evangelicæ Paupertatis Religionis Seraphicæ Tract. 5. cap. 2.

P. F. Lucas Wadingus Historiographus magnæ authoritatis & fidei tomo 3. suorum Annalium Anno 1315.

P. F. Antonius Daza Definitor Ordinis S. Francisci & Chronista in 4. parte Chronicæ S. Francisci impressæ Vallisoleti Anno 1611.

P. F. Arnaldus Peregrini S. Theologiæ Magister.
P. F. Bernardus Broll S. Theologiæ Magister.
P. F. Dalmatius de Castellario.
P. F. Berengarius Laqueti.
P. F. Guillielmus Arago.
P. F. Joannes de Pagueria.
} *In Instrumento Sententiæ.*

Reverendissimus P. Damianus Cornelius Episcopus Orensis Historiographus eloquentissimus suæ Religionis Seraphicæ in tertia parte Chronicæ S. Francisci impressæ Madriti Anno 1686.

Illustrissimus Franciscus Gonzaga Generalis Ordinis Seraphici, Episcopus Mantuæ, & Nuntius Sedis Apostolicæ in Francia in Tomo de Origine Ordinis Minorum impresso Romæ Anno 1587.

Martyrologium Franciscanum editum Parisiis apud Emundum Couterot Anno 1653. cum Commentario R. P. Arturi Recollecti Monasterii Parisiensis, cum Licentia & Approbatione DD. Doctorum Parisiensium.

NUmidiæ novæ in Africa, Passio Beati Raymundi Lulli Tertiarii, qui ob Fidei Christianæ Prædicationem à Saracenis multis plagis affectus & lapidibus obrutus Martyrii Palmam meruit obtinere, cujus Corpus ad Insulas Baleares delatum Majoricæ piâ Fidelium Veneratione colitur.

Idem P. Arturus Commentator in prædictum Martyrologium.

GUalterius palinodiam cantavit eorum, quæ in priori editione absolutè diyulgaverat de Raymundo, imò Causinus & ipse Jesuita Lullium intra Sanctam Curiam ultrò admissum cognoscit, & cum Beatis omnibus gloriâ potitum: & rectè quidem, enim verò si Raymundi Doctrina tantæ suspicionis Hæreseum insimulabatur, quorsum eam *Concilium Tridentinum non vetuit?* quippe quæ tunc haud intacta transierit: & ita actum est, in *Catalogo enim Librorum, quos Concilium prohibuit, hucusque Raymundi Lullii nomen non invenitur*, sed *Raymundi Neophyti*, qui sexagesimo Anno post obitum Raymundi Lullii vixit &c.

R. P.

R. P. Fortunatus Huber in Genealogia Monachii impressa germanicè Anno 1693. die 29. Junii n. 3. §. 8. p. 313.

DE novo autem totus Ordo S. Francisci in celebrato Romæ 5. Junii Anno 1688. Capitulo Generali (Præside Eminentissimo Cardinale Cybo, Ordinis Protectore & Papæ Innocentii XI. delegato) inevitabiliter mandavit, quòd in Provincia Majoricensi B. Raymundi Lulli (qui communiter Doctor Illuminatus appellatur) Doctrina in particulari Schola à proprio Lectore legatur, explicetur, defendatur, & per publicas Disputationes non aliter ac Scoti & Bonaventuræ Doctrina firmiter & constanter teneatur.

Litera Commendatitia R. P. Raymundi, Ordinis Fratrum Minorum Generalis, in Favorem Raymundi Lullii, ex MSo. Authoris Coævi ejusdem Raymundi Lulli.

CUm Dominus Raymundus Lullius lator præsentis &c. Cæterum cùm dictus D. Raymundus quandam Artem doceat, per quam convincere nititur Infideles, volo, quòd vos Ministri, si aliqui Fratres Provinciarum vestrarum audire dictam Artem fuerint consolati, dictis Fratribus & dicto Raymundo de Conventu idoneo opportunitatem provideatis, in quo possit Fratribus ostendere Artem illam. Valete. Datum in Monte Pessulano 7. Kalendas Novembris Anno 1290.

Dominicani.

P. Balthasar Werlinus S. Ordinis Prædicat. in Addit. 2. ad Tritth. mihi p. 485.

RAymundus Lullius Vir in re medica eruditus, in sacris & divinis Literis longo studio exercitatus, & postea divini Verbi Prædicator egregius, in Theologia scripsit multa & alia diversa Opuscula: quæ nos verò vidimus, sunt hæc: de Laudibus MARIÆ &c. claruit Anno 1311.

Pater Antonius Falqueti, &
Pater Franciscus Marmandi in sacra Pagina Magistri de Ordine Prædicatorum, &
R. P. Magister Bernardus Ermengandi Provincialis Prædicatorum & Inquisitor hæreticæ pravitatis in Provincia Aragoniæ in Instrumento Sententiæ.

Carmelitæ.

P. F. Lucas de S. Isidoro Carmelita Discalceatus in Approbatione Arboris Scientiæ Domini Alphonsi de Cepeda impressæ Bruxellis Anno 1664.

VIdi cum non modica attentione ac diligentia Librum intitulatum Arborem Scientiarum compositum per Illuminatum & S. P. Raymundum Lullium, noviterque translatum per D. Alphonsum de Cepeda & Adrada Generalis Campi Chiliarchæ in Belgio Locumtenentem, nec non Fortalitii Tholhuysiensis ad Scaldim Gubernatorem; neque solùm in eo quidquam est reperire non apprimè Catholicum & conforme Doctrinæ SS. Patrum & S. Scripturæ (sicut ipsemet Sanctus protestatur in fine suorum Librorum cum humilitate profunda, ponendo se ipsum omniáque sua Opera ad pedes Summi Pontificis, protestando, non esse suæ intentionis contrariari illi, quod tenet & profitetur nostra Sancta Mater Ecclesia Catholica & Apostolica Romana) imò existimo, illum multùm necessarium ad Scientias cum facilitate consequendas: quas, quamvis Sanctus (ût piè creditur) habuit infusas, nobis reliquit in hoc Opere cum quadam admirabili dispositione facilem Modum, quo possimus illas consequi, adjuvante tamen Divinâ Gratiâ, & fortificante Charitate, quam iste Sanctus habebat DEO lucrandi Animas, & mundo manifestandi Veritatem. Quamvis non omnibus facilis erit intelligentia hujus Libri (quoniam haud multùm in Doctrina sua versatis videbuntur quodammodo dissonantes suæ phrases, parabolæ & argumenta) non obstantibus his injustum est, quòd ob illorum parùm fundatas rationes ab illis reprobetur: eodem modo licèt in S. Scriptura reperiantur parabolæ, metaphoræ & ænigmata, occultando per illa minùs sapientibus vel minùs dignis mysterium veritatis, non idcirco sunt damnanda tanquam inutilia & contraria omni veritati. Super quod dicit Doctor Angelicus S. Thomas 1. p. q. 1. art. 9. ad 2. hæc verba: *Quod ipsa etiam occultatio figurarum utilis est ad exercitium studiosorum, & contra missionem Infidelium: de quibus dicitur* Matth. 7. *Nolite Sanctum dare canibus.* Et sic non sinè ratione talia Mysteria adeò sublimia & profunda appellavit sapiens Salomon in Proverb. 25. *Mala aurea in cancellariis argenteis Verbum dictum secundùm ambas facies: addit, secundùm diversos sensus seu allegorias.* Nam quemadmodum in illis videtur aurum per cancellarias argenteas, similiter in declarata Doctrina nostri Illuminati Raymundi Lullii panduntur magis abscondita Mysteria & opulenti Thesauri nostræ Fidei Sacrosanctæ, dando cum suis splendoribus novam lucem mundo & suis devotis, confundendo cum illa suos adversarios: in cujus favorem similiter (ût divinitùs Tertulianus) quòd non valeat præscriptio temporum, ut desistant à suis opinionibus, ita & patrocinium

trocinium personarum malevolarum, cùm videant hanc Doctrinam esse fundatam in Veritate Evangelica, & idcirco *nec portæ inferi prævalebunt adversùs eam.* Cicero dedit quandam Regulam valde sapientem ad distinguendum opiniones certas à falsis, dicens: *istas cum multiplicatione annorum recuperare majorem potestatem, & cum sæculis & ætatibus renovari acquirentes majorem fidem & æstimationem, & falsas cum tempore corrumpi & evanescere.* Quis igitur poterit dubitare de Veritate Doctrinæ hujus Illuminati Magistri, cùm sit adeò à DEO illuminata, postquam in tot annorum serie nec minimum perdidit de suo antiquo robore? & quis non admirabitur illius firmitatem, cùm, dum machinabantur illam obtenebrare cum suo lapsu, eandemque opprimere, altiùs erigebatur & renovabatur in suis argenteis canis, ditando intellectus novis Thesauris, inflammando voluntates cum amore hujus divinæ Scientiæ, *& ut accensi Fide persistant Operibus veri lumine relucentes*: ùt ait in simílem finem Magnus Basilius *Orat. 1.*

P. Magister F. Dionysius Blasco Religiosus nostræ Dominæ de Carmelo in sua Theologia Scholastica Baconea impressa Anno 1680. dist. 89. à n. 235.

P. Augustinus Nunnez delgadillo Hispanus Carmelita in brevi Declaratione Artis Raymundi Lulli Granatæ Anno 1623. in 8.

Cœlestinus.

Benedictus Gononus Monachus Cœlestinus in Notis ad suprà citatam Vitam insertam Vitis Patrum occidentis editis Lugduni Anno 1625.

Congregationis Oratorii.

Odericus Raynaldus Congregationis Oratorii in suis Annalibus Anno 1315. §. 5.

Canonici.

Illustrissimus Dominus D. Michaël de Seralta Canonicus, Cancellarius & Judex Competentiarum in Regno Majoricarum, Vir eminens per suum sublime Ingenium, Eruditionem & Doctrinam & omne genus donorum in Sermone de B. Raymundo Lullo, qui fuit impressus Anno 1693.

PRæclaram comparationem fecit inter Sapientiam B. Raymundi & S. Pauli, ponderando, quòd DEUS ad illam infundendam Paulo Paulum elevavit ad Cœlum, sed ad infundendam illam Raymundo inclinavit Cœlum ad Raymundum: & quòd ascendente Paulo ad Cœlum, implevit Cœlum, sed descendente Cœlo ad Raymundum, evacuavit Cœlum: quòd Paulum elegit in Magistrum & Doctorem omnium Gentium, Raymundum verò in Magistrum & Doctorem omnium Facultatum: illi data sit universitas in Doctrinam ad docendum omnes subditos, huic ad docendum omnes Scientias; quòd propter hoc Paulum, ut addisceret, circumdederit globo lucis, & Raymundo, ut scriberet suam Artem, illuminaverit suâ luce globum solis, lucrando per hoc, ut scriberet iste illam sinè errore, & ille sua Scripta sinè deceptione: *quamvis ambo cum aliqua obscuritate propter excessivam profunditatem sensuum & elevationem intelligentiarum, quæ faciunt difficilia illorum Scripta, non propter defectum claritatis, sed propter excessum profunditatis.*

D. Joannes Villeta Lullianæ Scholæ & Academiæ Barcinonensis Rector in Proœmio ad Artem Brevem B. Raymundi Lullii editam Barcinonæ Anno 1560. dicatam magnificentissimis DD. Ludovico & Paulo Lullis.

GEneroſæ ac antiquissimæ Familiæ vestræ præclarissimi Viri multis eisdemque illustribus Titulis non modò apud nostrates, sed etiam apud exteras gentes longè latéque insigni, cùm plurimum me debere semper ac ubicumque res ipsa tulit ingenuè fuerim professus, existimavi, non usquequaque contemnendum officium me præstiturum, si vestrum D. *Raymundum Lullum* cum nostræ totius Cataloniæ, tum vestri imprimis Generis Decus & Ornamentum præclarum, quem ante *in S. Oecumenico Tridentino Concilio à quibusdam blaterantium malevolorum calumniis & à fictitiis mipùsque consideratis, ne quid aliud dicam, quibusvis improbationibus, quantâ fieri potuit diligentiâ & fide, vindicaveram*, eundem, nescio quo fato, penè jam sepultum, & ab hominum memoria non sinè magno Reipublicæ literariæ detrimento ferè expunctum, non solùm pro mea virili suscitarem, sed etiam velut postliminiò in Civitatem & Patriam honorificè revocarem, præsertim jam *S. Oecumenici Concilii Authoritate de adversariis triumphantem.* Quapropter *Lullianæ Scholæ*, cujus vos estis ab Atavis dignissimi Moderatores & Doctrinæ interpretandæ à vobis præfectus, cùm primùm per negotia licuit,

licuit, *mirandum illud nec satis unquam pro dignitate laudatum Sancti Viri Artificium, quod divino Munere ei cælitùs donatum*, non tam vetustissima omnium Nationum fama, quàm res ipsa satis superque comprobat, publicè in Barcinonensi Gymnasio exponendum suscepi: cujus summam Præstantiam & mirificum ad omnes *brevi perdiscendas Disciplinas* Usum mirati Auditores, cùm frequentes undique non Scholastici modò in Philosophia & ingenuis Artibus jam provecti, sed nobilissimi plerique Viri, sed etiam omnium Facultatum Doctores ad audiendum confluerent &c. Quibus impressa aut manu descripta Exemplaria non sufficerent, compulsi sumus Artem brevem, quam primùm perlegere aggressi sumus, prælo committere.

D. Antonius Sanderus Presbyter S. Theol. Licentiatus, Canonicus jam pridem & Pœnitentiarius Ecclesiæ Cathedralis Iprensis in Approbatione Arboris Scientiæ Domini Alphonsi de Cepeda impressæ Bruxellis Anno 1664.

TRactatum hunc, cui titulus est *Arbor Scientiæ* (quem ego breve quidem, at copiosum omnium bonarum Artium Compendium & luculentam divinarum humanarumque Scientiarum Epitomen non sinè causa appellavero) elegante prorsus Stylo, & qui originali suo textui latino in omnibus consonus est, in Hispanicum Idioma translatum dignissimum judico, qui publicæ lucis usurâ fruatur, assiduâque piorum ac eruditorum Hominum lectione teratur.

Arbor enim hæc est felice Raymundi Lullii manu plantata, atque hac virtute prædita, ut dulces variosque tam in recta Morum ac Vitæ Christianæ directione, quàm in omnium ferè Artium & Scientiarum acquirenda perficiendâque cognitione legentibus fructus adferre possit: cùm primarius ejus & latinus Auctor præfatus Raymundus non minùs singulari Vitæ Sanctimoniâ, quàm altâ eruditione & admirabili Doctrinæ profunditate fuerit ornatissimus. Sic etiam, ut ingenuè fatear (quamvis præclara ejus Elogia à multis passim egregiisque Viris descripta sint, Studiâque laudata) faceor, inquam, *vel ex sola iniqua ignorantium præsertim hominum quorundam & altitudinem Doctrinæ ejus non capientium æmulatione cognosci posse, qualis quantusque Vir ille fuerit*; & licèt non diffitear, etiam hanc paginæ nostræ tantam esse brevitatem, atque in ea arctitudine, ut ex æquo ejusdem Viri præstantiam complecti nequeat, piaculum tamen mihi fuerit, quæ ab aliis magnis in Republica Christiana Sanctitate & Doctrinâ Hominibus de ipso commemorata sunt omni hìc silentio involvere; *sunt enim talia, ut non tantùm vibrata in ipsum calumniarum omnium tela frangant, & de erroribus in Doctrina frivolas dissipent suspiciones, sed eximiam quoque in ipso Vitæ Sanctitatem asserant, indubitatamque reddant*: adeò etiam, ut scriptos ab eo Libros (sicut veneranda Sanctorum Patrum recipiuntur Opera, & in magno pretio ab Ecclesia habentur) in pari æstimatione & pretio haberi & ab Ecclesia recipi debere plurimi sentiant, imò vel ex solis titulis, etiam priusquàm ex hac vita discessisset, ipsi à Regibus & Monarchis hujus sæculi attributis posse insignem Vitæ ejus Sanctimoniam solidamque Doctrinam illucescerè. *Pergit ulterius excurrere in Laudes* &c.

D. Nicolaus Antonius Canonicus Sevillæ Vir inexhaustæ Eruditionis in Bibliotheca Hispana veteri tomo 2. lib. 9. cap. 3.

FAmâ clarus, si quis alius, desinente superiore atque ineunte hoc sæculis apud universas Europæ Nationes & ad posteritatis omnem memoriam Raymundus Lullus fuit Majoricensis, rebus pro Infidelium Conversione Opere, Gestis & Scriptis atque Consilio promotis clarissimus, & tandem ab immanibus Fidei hostibus Mahometanis occisus fuit. In majori Belearium Insularum Urbéque Majorica is natus est, Raymundo altero Lullo Parente, qui cum Jacobo Aragoniæ Rege primo hujus Insulæ ac Regni debellatore miles venerat, ibique domicilium fixerat &c.

D. Petrus Morestellus Trenorchiensis ad Ararim in Burgundiæ Ducatu Doctor Theologus, & Ecclesiæ Collegiatæ S. Ludovici à Salicto in Diœcesi Erbroicensi Canonicus in Collegio Salicetano in Dedicatoria Encyclopediæ ad Principem Carolum Ducem Elbovii Anno 1646. dicit de B. Raymundo.

EJus Doctrina verè gravis & solida super hominem est: sanè Vir summus, in omni Scientia eminentissimum obtinens locum, qui, cùm multa DEO digna scripserit, dignus est non solùm, qui nomine Eruditionis eximiæ, quâ præditus est, epulis Divûm accumbat; nam quis doctior? quis acutior? quis in rebus vel inveniendis vel judicandis acrior? talis demum fuit, cum quo nemo sit hac tempestate aut fortasse ævo futuro conferendus vel Integritate Vitæ, vel Eruditione reconditáque rerum Cognitione. Hæc magna, hæc admiranda, quæ Virum penè Cœlestibus æquent, & quem Lyricus Vates uno minorem Jove diceret.

Doctor Petrus Bennazar Canonicus Majoricæ in quodam Memoriali ad Regem impresso Anno 1691.

ALii enim sunt, qui ignorantes eam despiciunt, quorum insipientia & stultitia satis manifesta est, dum rem, quam ignorant, sinè vero judicio & cognitione malam judicant: alii sunt, qui, cùm

cùm circa eam aliquos progressus fecerint, nec tamen ejusdem intentionem & cognitionem rectè calluerint, ad judicandum de ea non satis prudenter sese præcipitant; quibus omnibus & aliis in præsenti opere satisfaciendum putavi, si juxta communes facultates & Scientias, quas ipsi in Scholis audierunt & profitentur, exempla traderem; aliquando cum Theologis, aliquando cum Philosophis, aliquando cum Jurisperitis, aliquando cum Medicis, aliquando cum aliis omnium Scientiarum Professoribus loquens, circa prædictas scientias & facultates aliquas tractans & exagitans quæstiones, ut unusquisque eorum, quid in sua facultate per Artem fieri possit, advertat, & multa, quæ per alias artes & methodos à Philosophis inventas nequeunt adimpleri & demonstrari, in hac sola deprehendant: hæc enim totum id, quod aliæ Artes promittunt, faciliter adimplet, & ultra earum progressum innumera alia detegit & animadvertit secreta, omniáque mirabili quodam ordine tractat, apertè satis manifestans, non purum hominem, sed te ipsum sapientissimum DEUM habuisse Authorem, ut admirabilis Author in multis locis manifestat. Quis igitur audeat contra Opera â te sapientissimè facta calumniari? quis sinè prævia & vera Artis cognitione eam reprehendet? quis tantum bonum incognitum imprudenter malum judicabit? &c.

D. Petrus Hieronymus Sanchez de Lizarazo sanctæ Cathedralis Ecclesiæ Turiasonensis Decanus & Canonicus, in generali & admirabili Methodo ad omnes Scientias faciliùs & citiùs addiscendas impressa Turiasonæ Anno 1613.

Doctor Michaël Terrasse in quodam Sermone impresso Majoricæ Anno 1668.

Doctor Antonius Belver Cathedraticus Scholæ Lullianæ, & postea Canonicus Pœnitentiarius in Compendio Commentatoriolis illustrato Logicæ Raymundi Lulli impresso Majoricæ per Gabrielem Guasp. 1584. in 8.

D. Joannes Segui Doctor Theologiæ & Canonicus Pœnitentiarius Majoricis in Vita B. Raymundi impressa Anno 1606. cap. 11. usque ad finem.

D. Joannes Aubrius Monspelii Abbas nostræ Dominæ de Assumptione, Consiliarius & Medicus Regis in sua Dedicatoria de Triumpho Amoris impressa Parisius Anno 1645. cujus Titulus est: Mirabilia mirabilium maximè admirandorum Doctoris Archangelici Sancti Raymundi Lulli Martyris, Magistri Sapientiæ, Principis Intelligentiæ, Inventoris Doctrinæ, Fundatoris Scientiæ, & Monarchæ omnium Philosophorum & Doctorum.

Reverendus Petrus Degui Montis albi Presbyter sæcularis & Inquisitor Generalis hæreticæ pravitatis per totam Hispaniam in Janua Artis Lulli impressa Anno 1516.

D. Ludovicus Paramus Inquisitor Siciliæ in Prologo Lib. de origine & progressu Officii sanctæ Inquisitionis, ejusdem Dignitate & Utilitate edito Madriti Anno 1598.

Episcopi & Cardinales.

Reverendissimus Dominus Arnaldus Albertinus Episcopus Pacensis, & Inquisitor Apostolicus in Regno Siciliæ in Commentariis, Rubricâ & cap. 1. de Hæreticis Lib. 6. quæst. 13. Anno Domini 1533. editis.

NEc quidem assentior ei, qui Hæreticorum Gregi Magistrum Raymundum Lullium Civem Majoricensem aggregare conatus est, Virum sanè Catholicum integerrimæque Vitæ specimen & exemplar; cujus *inclyta Doctrina Sanctissimique Mores* toti Hispaniæ & Galliæ innotescunt, ut eum Sanctorum Catalogo potiùs adscribendum sentiant, qui hanc mortalem agens Vitam *Zelator Fidei Catholicæ fervidus extitit*, testantibus id ejus Opusculis, divinóque Lumine illustratus vehementer anhelavit ad inferendum humanis mentibus optimos Mores sacramque Fidem Christianam, adeò ut ad Agarenorum Regna intrepidus proficisceretur, quò illos Religionis nostræ cultores efficeret, *& dum Verbum Divinum ferventer Infidelibus palam exponeret, mirarenturque omnes Spiritum, qui in eo loquebatur, non valentes ejus Sapientiæ viribus obsistere, lapidibus illum obruentes Aureolâ Martyrii illum coronarunt*: cujus Corpus non sinè magno Miraculo ad Urbem Majoricensem delatum, & penes Ecclesiam sancti Francisci in Sacello honorificè sepultum *Miraculis claret, ejusque Doctrina à Doctoribus Parisiensibus probata* publicè in dicta Urbe & in aliis Hispaniæ Gymnasiis discenda proponitur; quam, si legeris, *à DEO revelatam* potiùs quàm ab homine quæsitam vel elaboratam censebis: *hæc enim suos Auditores Virtutibus imbuit, aut imbutos invenit.* Articuli verò ei temerariè adscripti, *falsò impositi sunt, nunquam enim in ejus Libris reperti fuere*, quamvis subtilis & scrupulosa Indagatio à plurimis Theologis magnæ Lectionis & Authoritatis Viris, jubente Summo Pontifice, facta extiterit, prout Monumenta, quæ vidi apud Archivum Civitatis Barcinonensis recondita, testantur &c.

Reveren-

Reverendissimus Dominus Henricus Spondanus Episcopus Apamiensis in Continuatione Annalium Eccl. Cardinalis Baronii ad Annum Domini 1260. §. 25.

EOdem Anno Pontificatûs sui primo idem Honorius summo ardore desiderans pro convertendis Saracenis & Schismaticis Orientalibus, ut Arabicæ & aliarum peregrinarum Linguarum Studium &c. Parisiis &c., ut institueretur sæpiùs præceptum &c. ille omninò institui voluit; cujusmodi instituendis Collegiis & Mahometanorum Conversioni indefesso labore ac summo studio incubuisse refertur *Raymundus Lullius Catalanus*, variasque ea de causa in Italiam, Africam, Galliam suscepisse difficiles ac periculosas Peregrinationes, & quod maximi momenti statuit Clemens V. in Concilio Viennensi, *Hortatore præcipuo*, ût volunt, *Raymundo Lullio, qui ad Concilium venit, ut Linguæ Hebraïca, Arabica, Chaldæa &c. publicè docerentur &c.*

Illud non omittimus, *deceptum fuisse prædictum Annalistam* [*Bzovium*] sæpè alias *decipere solitum aut decipi*, cùm hic eidem Raymundo Lullio illos errores tribuit, qui fuerunt *Raymundi Neophyti*, sic dicti, quòd conversus fuisset ex Judaismo ad Fidem Christi, retentis nihilominus antiquis erroribus.

Reverendissimus D. Bernardus Episcopus Civitatis Castelli in Instrumento Sent.

Eminentissimus Princeps Dominus D. Franciscus Ximenez de Cisneros Inquisitor Generalis Hispaniæ Archi-Episcopus Toleti, S. R. E. Cardinalis, cujus nomen est notoria expressio suorum majorum Elogiorum: Judicium hujus doctissimi Viri, quod habet de Doctrina Raymundi, est expressum in Litera sequenti.

MUltùm Nobilibus Dominis Juratis Civitatis & Regni Majoricarum. Multùm Nobiles Domini, Secretarius Alphonsus de Proaza mihi misit vestras literas & translationem Titulorum & Privilegiorum Doctrinæ Magistri Raymundi Lulli Doctoris Illuminatissimi, habuíque valde magnum placitum illa videndi, & de omni eo, de quo super hoc mihi scribitis; quia in veritate teneo magnam affectionem erga omnia sua Opera, quia sunt magnæ Doctrinæ & Utilitatis: itaque credatis, quòd in omnibus, quibus potero, illa favore prosequar, & laborabo, ut publicentur & legantur per omnia Studia: & desuper habeo magnum desiderium videndi omnia ea, quæ pertinent ad decus & augmentationem hujus Civitatis & Regni, & circa hoc sint semper certificati de me in omni eo, quod se offeret, in quo me applicare possim. Et quia Baccalaureo Proazæ largiùs super omni eo scripsi, nil ulteriùs hic dico, sed remitto vos ad hoc, quod is ex mea parte vobis scribet, rogo vos, ut illi detis integram fidem. Datum Alcalæ die octava Octob. 1513.

Vester Cardinalis Hispaniarum.
Hieronymus Ilan Secretarius.

Eminentissimus S. R. E. Cardinalis Joannes Bona Illustris per suam Doctrinam & Pietatem, in notitia Authorum, quos ponit circa finem suorum Operum impressorum Anno 1694. in litera R. dicit.

RAymundi de Sabunde Theologia Naturalis valde ingeniosa praxim continens Artis magnæ Raymundi Lulli. Adrianus Turnebus dicebat, hunc Librum esse quintam Essentiam D. Thomæ: de Turnebo autem ait: fuit Criticus celebris & emunctæ naris.

Eminentissimus S. R. E. Cardinalis D. Jo. Saenz de Aguirre in editione 1. tomi 2. Theol. D. Anselmi: ubi retractat ea, quæ de B. Raymundo scripserat.

QUamvis tot mihi pro Eimerici bona fide occurrant, non propterea certo, aut constanter pronuntiare audeo, Lulli Doctrinam fuisse à Gregorio XI. damnatam; sed id definiendum relinquo Sedi Apostolicæ. *Addit in 2. editione tomi 2. Theologiæ D. Anselmi facta Romæ Anno 1689.* Utinam ante priorem hujus tomi editionem legissem, ubi de illius Doctrina uberiorem Censuram tuli: sua itaque illi fama, quod ad me attinet, integra esto.

Eminentissimus S. R. E. Cardinalis Alamanus in Aragoniæ, Valentiæ & Navarræ Regnis ac Majoricarum & Minoricarum Insulis, in nonnullis aliis partibus & terris Apostolicæ Sedis Legatus, in Instrumento Sententiæ.

Eminentissimus S. R. E. Card. Nicolaus Cusanus, ût videre est apud Nicolaum de Pax in Elogiis de B. Raymundo.

(22)

TESTIMONIA

Virorum Insignium, partim Discipulorum B. Raymundi Lulli, partim aliorum Literatorum, qui Scriptis suis Artem excoluerunt, vel similem Artem meditati sunt.

DIvidimus Syllabum horũ Authorũ *in duas Classes*, secundam præponentes primæ de industria, ita ut primi sint novissimi, & novissimi primi. *Secunda Classis* complectitur illos, qui tradiderunt Artem discurrendi, Concionandi, disputandi in utramque partem, insequendo semitam probabilitatis. *Prima Classis* comprehendit illos, qui docuerunt Artem demonstrandi ac convincendi ratione & experimento, insistendo viæ certitudinis & infallibilitatis. Sit igitur.

SECUNDA CLASSIS

Authorum, qui Commentariis suis conati sunt Artem Lullianam elucidare, facilitare, emendare ac perficere, vel similem Artem de novo condere.

D. Jacob natione Gallus.

COmposuit in suo Idiomate Libellum in 12mo, cui titulus: *Clavicula vel Scientia Raymundi Lulli cum omnibus figuris Rhetoricæ*, annectitur in fine Vita Raymundi Lulli composita per D. Colletet: impressus est Parisiis apud Joannem Remy Anno 1647. plurimùm commendat hic Author Beatum Raymundum, ût ex sua Præfatione patet: fatetur se profecisse per D. de Baudoin, de quo in prima Classe loquemur; & licèt agnoverit, *Principia Artis Lullianæ esse infallibilia &c.*, *& quòd ille, qui erit in centro & in Principiis hujus Artis, videat omnia cum perfectione, & sit capax addiscendi Scientias cum facilitate* (ût loquitur in prædicta Præfatione) tamen in sua Clavicula non reliquit vestigia, quibus dignosceremus, illum assecutum esse perfectionem hujus sacræ Artis, nec proin magnum fore usum hujus suæ Claviculæ.

R. Pater Petrus à S. Helena Eremita Augustinianus ex Discalceatis Congregationis Galliarum.

EDidit *Oratorium Schema pro sacris Concionibus*, cui interjecta est *Ars Inventiva Lulli* (non illa, quam B. Lullus scripsit, quámque hic Author non videtur vidisse, sed illa, quæ continetur in Arte brevi & magna ultima, in quam plurimi Lullistarum hujus Classis infeliciter impegerunt, putantes, se hâc solâ Arte ultimâ Secretum Artis Raymundinæ assecutos) impressus est hic Libellus in 12mo Lugduni Sumptibus Petri Rigaud Anno 1657. cujus fol. 62. incipit exponere Methodum Lullianam, quam vocat ibi Artem Cabalisticam, forsan quia legit Tractatum de Auditu Cabalistico junctum Arti brevi & magnæ Argentorati editis typis Lazari Zetzneri: cæterùm ex hoc Libello addisces Artem dicendi multa pulchrè, ornatè, eruditè ex umbone, sed Artem demonstrandi nostri Doctoris Illuminati in illo non invenies.

R. P. F. Hugo Carbonellus Minorita Observans.

SCripsit *Artis Lullianæ seu Memoriæ Artificialis Secretum explicitum Oratoribus & Prædicatoribus* (ût putat) *utilissimum*: est Libellus in 8vo impressus Parisiis apud Joannem Lagvehay Anno 1620. legit hic Author Artem brevem & magnam ultimam Raymundi (ût videre est in sua Præfatione) quibus profit hic Libellus, titulus illius indicat; veruntamen si perfectam Artem prædicandi desideras addiscere, magìs consulo, ut ab ipso Raymundo illam petas, studeásque ejus *Artem prædicandi minorem & majorem*, quod est magnum Volumen, & satis amplum ad explendam tuam aviditatem.

Petrus Morestellus Trenorchiensis ad Ararim in Burgundiæ Ducatu Doctor Theol. & Can. Eccl. Coll. S. Ludovici &c. in Diœcesi Ebroicensi.

VUlgavit *Encyclopediam sive artificiosam Rationem & Viam circularem ad Artem magnam & mirabilem Illuminati Magistri Raymundi Lullii, per quam de omnibus disputatur habetúrque cognitio*: typis mandata est in 8vo à Juliano Courant Rothomagensi Anno 1646. edidit insuper hic Author alios duos Libros, quorum unum intitulat *Academiam Artis Kabalisticæ* Parisiis impressam Anno 1621. alium *Reginam omnium Scientiarum* impressam Rothomagi Anno 1631. quam vidi & habui. Quàm præclarè sentiat hic Author de B. Raymundo, videri potest *in præfatæ suæ Encyc. Præf. fol. 2.* de

De præstantia verò Artis Lullianæ ita loquitur *fol. 5.* postquam in præcedenti vindicasset Lullium ab objecta illi barbarie vocabulorum, prosequitur: *Dixi, hæc vocabula inventioni duntaxat inservire in hac Arte (imò potiùs in hac Sapientia universali, cùm altissimas rerum causas & Principia universalia contempletur) cujus ea generalitas ac certitudo, ut se solâ sufficiente, nullâ aliâ præsuppositâ, errore omni semoto de omni re scibili veritatem ac Scientiam sinè difficultatè invenire faciat; habet enim Principia universalia, generalissima ac notissima cum mutua quadam habitudine ac artificioso discurrendi modo, in quibus omnium aliarum Scientiarum Principia & Discursus tanquam particularia in suo universali elucescunt: Scientiæ enim cæteræ, ût Philosophia, Mathematica, sua principia ab ista recipiunt, propterea que sunt huic Scientiæ subalternatæ, & idcirco earum demonstrandi modus est minùs generalis.* Nil verius, nil excellentius de Arte B. Raymundi mente concipere potuisset Morestellus, quàm his verbis expressit; optandum proin fuisset, ut Opus suum ad hanc normam concinnasset, quod intelligentes Artem Illuminati Doctoris, & legentes hanc Encyclopediam in illa non invenient: nec propterea contemnenda est laudabilis Authoris intentio, & labor supervacaneus dicendus; nam & silices suum usum habent, quamvis non eundem, quem adamantes.

Julius Pacius natione Gallus.

SCripsit *Libros quatuor Artis Lullianæ emendatæ*: est Libellus in 8vo typis editus Valentiæ apud Petrum Pinellum Anno 1618. fecit Author hunc Commentariolum in Artem brevem B. Raymundi Lullii, ût ipse narrat in Præfatione, cujus Artis brevis singulas partes examinat, reprehendit & castigat, ac (suo judicio) in meliorem formam redigit: & ut verum fatear, in hoc mihi videtur hic Author excedere Lullum; nam ille multos defectus in Arte Raymundi invenit, & ego in Julio Pacio tantùm unum, nempe quòd Artem Raymundi non intellexerit: sed quomodo probo assertum? legant Julium Pacium, & legant ac intelligant hunc primum Tomum Raymundi, & illos mutuò conferant, tunc cessabit omnis quæstio: quanta est, obsecro, imbecillitas humani ingenii ad corrigendum Opus divinâ inspiratione elargitum! demonstrare nos docet Raymundus, garrire Pacius, nucleum dat Raymundus, corticem Pacius, cape Lector, quod vis.

D. Nicolaus de Hauteville Presbyter & Doctor Facultatis Parisiensis.

COmposuit Idiomate Gallico *Artem bene discurrendi, vel Methodum facilem ad inveniendum, formandum, stabiliendum & multiplicandum solidum Discursum in Cathedra & Pulpito*: est Libellus in 12mo typis editus Parisiis apud Thomam Jolly Anno 1666. adjunxit Author in fine Libelli Discursum apologeticum, quem intitulat: *Spiritum Raymundi Lulli, seu verum Judicium de sua Pietate & Doctrina*, cui in fine annectit Catalogum Librorum illius. *Sectione 4. fol. 432.* hujus Discursûs ponit judicium impartiale (ût putat) de Vita & Doctrina Raymundi, & §. *6. fol. 436.* Raymundo abjudicat Libros Chimicos, putatque, evidens esse, hos illi adscribi non posse, de quo suo loco; quod judicium sicut parùm patrocinatur Raymundo nostro, sic minùs patrocinatur Authori hujus Libelli; de quo ût aliis sui similibus longè sanius judicium tulit D. Perroquet idem natione Gallus in sua Apologia pro Raymundo *cap. 4. fol. 70.* cujus Verba ex Gallico in Latinum sic reddidi.

Postquam D. Perroquet Lullistas divisisset in duas Classes, & in fine secundæ Classis posuisset D. Hauteville, sic ait: *Verum est, quòd omnes hi expositores secundæ Classis monstrant Practicam hujus Artis quodam genere elucidationis pro usu Rhetoricæ & Dialecticæ, h. e. pro inventione plurium Argumentorum probabilium, & pro amplificatione, sed ne unum illorum invento, qui perfectè imitetur nostrum Doctorem, vel qui utatur suis Principiis secundum illorum Definitiones essentiales; quia ne unus illorum illa explicat vel applicat secundùm finem principalem, propter quem ipsemet Raymundus illa applicat; qui finis est detegere veritatem rerum per veras Demonstrationes & per Rationes convincentes, ad satisfaciendum inclinationi naturali, quam humanus intellectus habet illam cognoscendi, examinando conclusiones particulares aliarum Scientiarum per Regulas & Maximas generales hujus.*

Pergit præclarissimus hic Interpres Raymundi: *In veritate, quis est Lullista post Lavinetam & Raymundum de Sabunde, qui detexerit aliquod Secretum Naturæ, aliquam Veritatem occultam, vel qui explicaverit aliquam Scientiam per Principia hujus Methodi? certè neminem novi, & nullum eorum vidi, quamvis insumpserim laborem legendi & examinandi Scripta ferè omnium illorum, qui composuerunt Libros super eadem Doctrina: omnes non habent alium finem in suis expositionibus, quàm docere Artem multum loquendi, sed non demonstrandi res, & convincendi Intellectum; quod me obligavit ad illos reliquendos, & ad exponendam hanc Artem aliâ ratione, scilicet per ipsummet Authorem.* Hæc verissimè & sapientissimè animadvertit D. Perroquet: idem est judicium omnium aliorum verorum Lullistarum, prout apud singulos annotavimus: unde quid sentiendum sit de præfato Libro D. de Hauteville, satis patet.

D. de Vassi Consiliarius Regis Galliæ.

TRanstulit in suam nativam Linguam, h. e. Gallicam, Logicam, Artem brevem, Opus Cabalisticum, de Inventione medii & Conversione subjecti in prædicatum sub titulo Fundamenti Artificii universalis Illuminati Doctoris Raymundi Lulli: est Libellus in 12mo impressus Parisiis Anno 1632.

Idem Author Patriæ suæ donavit versionem Artis Generalis Ultimæ; & quia insecutus est Illuminatum Doctorem de verbo ad verbum, nilque de suo addidit, non possum de ipsius particulari scientia ullum judicium formare; videtur tamen ex Præfatione Arti Magnæ ab ipso præfixa, quanti fecerit Illuminatum Doctorem nostrum; quâ æstimatione inductus tantum & tam laudabilem laborem non subterfugit, ut suæ Nationi ore patrio loquentem commendaret Raymundum.

D. Joan-

D. Joannes Belot.

GAllicè edidit Libellum præfixo titulo sequenti: *Opus Operum, vel perfectissimum Scientiarum Steganographicarum, Paulinarum, Armadellarum & Lullistarum*; & addit in fine *Artem doctè prædicandi & loquendi super omnes textus S. Scripturæ & aliorum subjectorum sinè præparatione vel studio præmeditato per Secretum admirabile dictum Gemma Secretorum:* impressus est Parisiis apud Nicolaum Bourdin Anno 1623. speciosus est titulus Libelli, plurimúmque promittit illius Author; nam ad addiscendam suam Artem non nisi tempus novem dierum exigit, ût est cernere in sua Præfatione, & Capite 1. ad summam perfectionem illius requirit tres menses: substantia verò Libri comprehendit duas principales Scientias, scilicet *Rhetoricam & Dialecticam*, per quas duas tanquam generalissimas prætendit docere reliquas omnes: dicto Capite 1. vocat Raymundum Lullum Principem suæ Scientiæ. Quamvìs autem in hoc Libro inveniantur quædam vestigia aliquarum notitiarum Artis Lullianæ, non minora tamen numero reperire poteris, quæ evincunt Operis imperfectionem; nam per totum Librum apparet, suum Authorem non vidisse nisi Artem Brevem & Magnam Lulli: mutuatus est porrò aliqua ex Agrippa, Artis Lullianæ penitùs ignaro, cujus in multis vanitates videtur imitari, & nobilem Lulli Artem potiùs suspectam reddere suis figmentis de Genio hominis cognoscendo, déque Scientia per somnium acquirenda præviis precibus ex Steganographia Tritemii efformatis, ût patet in fine libri, ubi præfatam *Gemmam Secretorum* ponit, quæ ignorantes artificium Steganographiæ posset inducere in suspicionem magiæ, qualis quidem non est, sed Ars parvi pretii.

Henricus Cornelius Agrippa.

SCripsit *in Artem brevem Raymundi Lullii Commentaria.* Est hic Liber prohibitus: uno ore Author sorbet & flat; nam in Epistola dedicatoria miro modo extollit Artem Lullianam, in Libro verò de Vanitate Scientiarum illam supra modum vilipendit; quod evidens est indicium, Authorem semel deceptum, vel in juventute, vel in senectute; ille se dicit in juventute deceptum (nempe quando scripsit in Artem Raymundi) nos verò asserimus, eum in senectute deceptum; litem nostram dirimet Lector, si intelliget hunc primum Tomum & Commentarium Agrippæ; ad cujus judicium lubens provoco.

Valerius de Valeriis Patritius Venetus.

ARtem Lullianam conatus est illustrare Libro, quem ipsi placuit nominare *Opus aureum, in quo omnia breviter explicantur, quæ Scientiarum omnium Parens Raymundus Lullus tam in Scientiarum Arbore, quàm Arte Generali tradit:* ex præcedenti titulo & contextu ipsius Libri patet, Authorem Arti Brevi & Magnæ ac Arbori Scientiarum suam operam locasse: laudabile est hoc in ipso, quòd tantum didicerit ex Raymundo, ut omni laude dignum judicarit: habent insuper Chimistæ, quòd grates dicant huic Auctori; nam & hos laudat §. *de Branchis, fol. mihi 1042.* ubi quærit: Utrùm Elementa sint formaliter in mixto, & negat, arguitque Chimicos de opinione contraria his verbis: *sed potissimum quidem Chimici idem satis audacter asserunt, & stultitiis suis existimant virtute ignis posse elementa in mixto contenta segregare, atque ad oculum hoc ostendere; sed decipiunt & decipiuntur.* Certè si hæc est laus Chimicorum, tunc similes malè laudantur (ut phrasi utar Lullianâ) Cæterùm si Valerio de Valeriis placuisset se ipsum imittere cucurbitis vitreis Alchimistarum, potuisset ipso experimento certificari, an fuisset resolubilis in elementa, scilicet in pulverem, è quo formavit DEUS primum Hominem, in lutum & sputum &c. Audiamus nunc, quid egregius hic panegiricus Chimicorum à Magistro suo Lullo didicerit de Elementis; præfato loco sic ait: *Qualiter autem debeat intelligi, in mixto Elementa esse, unicuique, quod sibi magis placet, credendum relinquo; mihi tamen magis Scoti Sententia arridet, qui vult, Elementa non esse in mixto formaliter, sed virtute &c.* O præclarum Discipulum Lulli! qui ne prima quidem Principia Physicæ Lullianæ novit, nempe elementa realiter & formaliter esse in mixto; quod ferè in omnibus Libris Philosophicis Raymundi docetur & demonstratur: quid igitur illi succenseremus, si Chimiam exosam habet, quæ per analysin naturalem corpus naturale in sua realia & naturalia Elementa resolvere nititur, & non se satiari finit inanibus virtualitatibus in phantasia locatis; hinc suadeo, Lector, si veritatem amas, ut consulas Librum de Principiis Philosophiæ, & Librum de Principiis & Gradibus Medicinæ; his enim probè cognitis valedices Valerio de Valeriis.

Jordanus Brunus Nolanus.

SCripsit sequentes Tractatus in Artem Raymundi, scilicet *de Lulliano Specierum Scrutinio*, huic adjunxit tractatum *de Progressu Logicæ Venationis*; scripsit pariter *Lampadem Cabalisticam*, scilicet Commentarium in Librum *de Auditu Cabalistico Lulli*, item Librum de *Architectura Artis Lullianæ:* ex quibus verò Libris Raymundi mutuatus sit suam qualemcunque notitiam his tractatibus conclusam, significat ipsemet in Dedicatione sui Scrutinii, nempe ex *Arte Brevi, Magna, Inventiva, Demonstrativa, Mixtionis Principiorum, Auditu Cabalistico, Arbore Scientiæ:* nullos alios Libros Raymundi vidit, ût ipsemet ibidem fatetur. Inter prænominatas Artes Raymundi Inventivam judico omnibus aliis faciliorem & lectu utiliorem; nam Demonstrativa est nimis ardua, nec nisi præviis aliis intelligibilis, reliquæ autem nimis succinctæ, obscuræ & etiam per se solas inintelligibiles: unde si Nolanus vel solam Inventivam aliquatenus penetrasset, ût certè potuisset, etiam sinè juvamine aliorum Librorum Lulli, hoc solo sole lucente, non indiguisset suâ Lampade.

Petrus

Petrus de Guevara.

EXplanavit Artem Raymundi Commentario scripto Linguâ Castellanâ Madriti impresso in 12mo per Hæredes Alphonsi Gomez Anno 1584. est titulus Libelli: *Ars Generalis & Brevis in duobus Instrumentis pro omnibus Scientiis collecta ab Arte magna & Arbore Scientiæ Doctoris Illuminati Lullii.* Idem Author edidit alium tractatum, quem inscribit: *Brevem & Summariam Declarationem Artis Generalis*, eodem Idiomate, impressam Madriti per Petrum Madrigal Anno 1586. Capite 6. hujus ultimi tractatûs ostendit, se *Artem Inventivam* Raymundi legisse, è cujus Regula tertia quædam desumpsit non inutilia: composuit insuper duas figuras non invenustas, quarum prima in centro signum lunæ habet, & Artem brevem complectitur; secunda in centro signum solis, & Arborem Scientiarum includit, in circumferentia verò centum formas, quæ commoditate non carent ad memoriæ imprimendum præfatos duos Libros. Cæterùm Author pauca habet, quæ non verbotenus ferè contineantur in tribus dictis Libris ipsius B. Raymundi, nec radicem Artis in illis invenies, quapropter dulciùs ex ipso fonte &c.

D. Petrus Hieronymus Sanchez de Lizarazo Cathedr. Eccl. Turiasonensis Decanus & Can.

LIbrum in 4to typis dedit Turiasonæ impressum Anno 1619. per Carolum à Lavayen; inscribitur Liber: *Generalis & admirabilis Methodus ad omnes Scientias facilius & citius addiscendas, in qua Eximii & Piissimi Doctoris Raymundi Lullii Ars Brevis explicatur, & multis Exemplis variisque Quæstionibus circa facultates, quæ in Scholis docentur, ad praxin (quod nunquam factum legitur) apertissimè reducitur.* Præfixit Author Operi egregiam Dedicationem, dein subjungit compendiosè Vitam B. Raymundi, Sententiam Definitivam & Privilegia: in Observatione ad Lectorem multa præclarè animadvertit de Commentatoribus in Artem Lullianam, & ingenuè fatetur, *quàm injustè quondam persecutus sit Raymundum, ipsius Doctrinam & Professores illius taxando, quia viderat Doctores gravissimos de hac Arte male sentientes insipienter, sicut alii, qui Artem ignorant, & eam deserticiunt* (sunt ipsius Authoris verba formalia) præfigit dein Arti suæ decem generales Observationes ad intelligentiam Artis necessarias; & demum aggreditur ipsum textum Artis Brevis exponendum, quod valde laudabile est in hoc Authore, & optandum, omnes Commentatores in hoc ipsius exemplum secutos: adeò pulchra visa est R. Patri Kirchero hæc Methodus ipsius Sanchez, quòd, quamvìs Lullistis aliàs parùm videatur favere, tamen non aversatus sit multa ex ipso mutuare, præsertim Methodum applicationis Artis ad Scientias particulares, prout ipsemet Eximius P. Kircherus ingenuè fatetur *Lib. 1. c. 3. fol. 4. & Lib. 3. fol. 102. in Præfat.* suæ Artis Combinatoriæ, & ipsi Libri practici posteriores sufficienter ostendunt.

Cæterùm, cùm nec ipse Hieronymus Sanchez Methodum verè demonstrativam Lullii possederit, ût satis evincitur ex modo procedendi ipsius in Scientiis particularibus, quid mirum, si R. P. Kircherus plus ex ipso haurire non potuit, nisi Artem disputandi *pro* & *contra* (ût ajunt) maneat igitur sua laus ipsi Hieronymo Sanchez inter alios Illustres Lullii Commentatores, quamvìs non supremum attigerit verticem hujus gloriosæ Artis; nam laudabile est, in scala bonitatis quemcunque gradum occupare, sicut vituperabile, in scala malitiæ vel infimum: unde si cupis Lector multum & plus proficere in hac diva Scientia, Amice ascende superiùs.

R. P. Ivo Parisinus Capucinus.

COmposuit prægrande Opus, cujus inscriptio est: *Digestum Sapientiæ, in quo habetur Scientiarum omnium rerum divinarum atque humanarum Nexus & ad prima Principia Reductio:* comprehenditur quatuor Tomis, & est Lugduni impressum Sumptibus Laurentii Anisson Anno 1672. hujus Operis non potui habere nisi quartum Tomum, qui est Supplementum primi & secundi; ex iis autem, quæ præfato Tomo Author inseruit de præcedentibus, & quæ à R. P. Izquierdo de hoc Authore in sua Pharo Scientiarum referuntur, sequentia annotavi: nempe Digestum Ivonis potiùs Eruditionis quàm Sapientiæ mihi nominandum videri; nam comparari posset cuidam Lexico Lulliano-historico, totus enim labor Authoris in eo est situs, ut varias historias, sententias, decisiones, proverbia redigat sub combinationes terminorum figuræ tertiæ Artis Magnæ Lullianæ; & est mirum, Virum jam octuagesimum annum suæ ætatis agentem tam firmum fuisse ad hoc Systema non spernendum non exiguâ ingenii felicitate elucubrandum; nam quamvis id, quod principaliter intendebat P. Ivo, non attigerit, nimirum Methodum universalissimam acquirendi Scientias, ipsius tamen idæa, quam de hac Methodo mente conceperat, quamque in Præfatione Tomo 4. præfixa declarat sequentibus Verbis: *Ego* (inquit) *hanc Artem reducendi Scientias, Propositiones, res omnes ad certa Principia, cum quibus conveniant, & cùm sint eadem uni tertio, sint eadem inter se, puto, manifestam esse Introductionem ad diu quæsitam, & nondum inventam* (ût putat) *Encyclopediam*, satis indicat, aliquid sublime menti hujus Viri illuxisse, quod opere complere nescivit, ût patebit ad sensum conferentibus Methodum Lullianam cum illa Ivonis; & quamvìs hanc Artem reducendi particularia ad universalia Principia carpat prælaudatus R. P. Izquierdo in sua *Pharo Scient. Disp. 23. q. 4. fol. 286. n. 59.* putetque, illam esse inutilem ad proprias veritates cujuslibet Scientiæ addiscendas, revera tamen ita non est, si modò rectè instituta esset hæc Reductio ab Ivone, qualiter ab ipso Divo Authore factum in Arte Inventiva, in Libro inveniendi Particularia in Universalibus & pluribus aliis (de qua materia redibit sermo in Revelatione Secretorũ Artis) veruntamen faciliùs & magis artificiosum est reducere universalia in particularia; h. e. elicere particularia ex universalibus, quàm reducere particularia in universalia; nam cùm universalia sint pauca, & finita

nita,& in actu,& particularia sint multa, & quasi infinita, & in potentia, longè faciliùs est infinita elicere ex finitis, quàm finita ex infinitis: unde quando Ivo in suis Supplementis locavit particularia sub universalibus, nunquam utique potuit complere numerum omnium particularium; proin cuilibet Artificum volenti uti Arte Ivonis fuisset necessarium se alligare his tantùm particularibus ab Ivone conscriptis, vel si nova particularia in his Supplementis non contenta voluisset habere, nova ipsi Supplementa fuissent colligenda, quorum Supplementorum formandorum nullus unquam foret terminus, quod esset summus defectus Artis; & ex alio quoque capite, quia hujusmodi particularia non essent inventa per Artem, sed aliunde, nempe à diversis Authoribus mutuata, & in capsulis Artis Lullianæ, quasi in aliquo scrinio conservata, quæ nunquam fuit intentio B. Magistri nostri. Plures alios defectus hujus Systematis non lubet adducere, nam sufficit, quòd bonum ex integra causa, & malum ex quolibet defectu.

R. P. Athanasius Kircherus è Soc. JESU & Linguarum plurimarum peritiâ & multifariâ Eruditione celeberrimus.

SCripsit *Artem Magnam sciendi in 12. (11.) Libros digestam, quâ novâ & universali Methodo per artificiosum Combinationum contextum de omni re proposita plurimis & propè infinitis Rationibus disputari, omniumque summaria quædam cognitio comparari potest:* est Liber in fol. 2. Tomis constans, impressus Amstelodami apud Joannem Janssonium à Waesberge Anno 1669. In Præfatione ad Lectorem conatur Lullum vindicare eâ dexteritate, ut è manibus adversariorum illum eruat, suis stipendiis militaturum; refert enim ea, quæ Lullistæ de Lullo encomiantur ex Nicolao Causino S. J. mutuata, quibus conantur persuadere, suum Magistrum *admirandum hoc Doctrinæ genus veriùs supernâ Luce & Spiritûs Sancti Dictamine, quàm intenso studio & institâ ingenii sagacitate & labore comparasse:* sunt verba ipsius R. P. Kircheri, quæ omnia non à Lullistis, sed ex genuinis ipsius B. Raymundi Libris discere potuisset, si illos legisset, ut textibus inde mutuatis probabimus, quando de Secretis Artis agemus: laudat itaque Raymundum nostrum, dum reprehendit *nonnullos egritoris animi Aristarchos, qui severioribus obeliscis Virum innocentem invadentes adeò indignis modis pupugerunt* (hæc aliter sonant, quàm barbara Latinitas Raymundi) *ut præter impostura & sycophantiæ piaculum eum de hæreseos quoque & necromantiæ nefando crimine imprudentius accusare non sint verecundati.* Ego (inquit) *in tam perplexo negotio dubius & anceps cuinam parti subscribam nescio: hoc scio, Lullum Hominem DEO deditum & S. R. Ecclesiæ propagandæ Zelo ardentissimum (ut ejus relictâ posteritati monumenta sat superque testantur) Virum fuisse:* si hoc scit, quomodo nescit? & si nescit, quomodo hoc scit? Pergit postea examinare Doctrinam Lulli, & illam defendere contra Eimericum allegatione Sententiæ in favorem illius latæ, & à Concilio Tridentino confirmatæ &c., & aliorum, quæ huic Tomo præfixa sunt: eandem Doctrinam deprædicat *Lib. 1. c. 2. consect. 2. fol. 13.* his verbis: *Fateor tamen* (ait) *Institutum Lulli admirandum & ingeniosissimum, si fuisset, qui applicationis Methodum facilitati junctam tradidisset: hunc Modum facilem & expeditum, quo ad quamvis propositam quæstionem sinè hæsitatione respondeas,* pollicetur tibi R. P. Kircherus in sua Arte se traditurum; at hoc labore ipsum sublevare voluit B. Raymundus non uno sed pluribus Commentariis in suam Artem scriptis, quibus usum Artis adeò facilitat, ut, cui hæc non sufficiant, nec centum Artes Combinatorias suffecturas promittere ausim: utinam vel solam Artem Inventivam ejusque Lecturam percurrisset R. P. Kircherus.

Ad Laudem B. Doctoris faciunt ea quoque, quæ R. P. Kircherus habet in Præfatione: *Altius tandem mihi lumen affulsit, advertique sub Principiis Lullianis, veluti sub rudi quodam sileno ingentia Scientiarum cimelia latere, quorum expensione Respublica mirè locupletari posset.* Item *Lib. 3. in præf. fol. 101.* ubi ipsum vocat Virum Illuminatissimum, aitque, se in illius Arte *miranda quædam deprehendisse:* si in obscura Chão tanta ipsi oborta est lux, quid protulisset, si completa tantorum Operum Genesis tam copiosâ luce oculos illius perculisset? Aggreditur dein Lib. 1. par. 1. Artem Magnam Lulli examinare, commissos ab eo (ût putat) defectus indicare, & novam Structuram Artis magnæ exponere; *nostrûm enim est* (inquit in fine Lib. 1. fol. 15.) *non Lullianam Methodum hoc loco docere, sed principiis ab eo mutuatis novam condere multò Lullianâ faciliorem, expeditioremque.* Et ut laudem Doctori Illuminato à R. P. Kirchero exhibitam laude compensem, fateor, incomparabilem hunc Virum divinam prorsus Idæam de Divina Lulli Arte mente concepisse, quam statim exprimit *Lib. 1. c. 1.* Artis Magnæ sciendi sequentibus: *Hæc est Diaphanti nobilis Mathematici τέχνη ἐπιχειρητικὴ* (Ars Combinatoria) *qua ex paucis iisque lumine naturæ notis principiis altissima quævis Arithmeticæ & Geometriæ Sacramenta aperit &c. Nostra verò Methodus non facilis tantùm, expedita & obvia, sed & universalis est, quæ non unius Artis freta molimine superbit, sed per artificiosum combinationum contextum cum universa Encyclopedia artissimum conjugium meditari videtur, artificio prorsus admirabili per Doctrinam, scilicet ordinum circulosque methodicos ad naturæ exemplar fabricatos, quorum adminiculo non tantum inveniendæ tradendæque Polypediæ Methodus universa comparatur, sed & Artes qualibet sive Scientiæ, omnesque rerum abditarum rationes à natura sumptis exordiis per varios ascensus descensusque & circuitus animorum tradi & investigari possint.* Et Lib. 5. t. 2. cap. 1. fol. 221. de Arte Analytico-Synthetica sic loquitur: *Nos verò hoc loco Diophantum Pappum, Euclidem, Vietam, & in Metaphysicis Franciscum Patricium &c. secuti, illam hic, eâ, quâ fieri potest, claritate exponimus exemplis illustratam; quâ quidem nihil ad veritates abditas eruendas aptius, scitiusque excogitari potest, non tam tyronibus, quàm jam in philosophico Studio provectis ad imitandum propositum.*

Plura Lib. 1. c. 1. citato invenies Lector, quæ de universalitate Artis & de particularibus universis in ea contentis, ex eáque eliciendis enuntiat R. P. Kircherus, quæ meliùs concipi, & calamo exprimi ab ipsomet Doctore nostro Illuminato vix potuissent; & si ea opere ipso Vir sagacissimus complevisset, mirabilem & à Lulliana forsan non multùm deviantem Methodum nobis reliquisset.

Videa-

Videamus nunc, quos Defectus in Arte Lulliana R. P. Kircherus emendandos susceperit. *Vide Lib. 1. c. 4. fol. 5.*

Primus Defectus: innuitur *Stylus barbarie plenus, & vix ullius Latinitatis vestigia obtinens:* objectam hanc barbariem sufficienter diluunt Alphonsus à Proaza suprà allegatus, & Nicolaus de Pax, pluresque alii insignes Lullistæ: mihi certè præplacet fictitia hæc barbaries Illuminati Magistri mei omnibus phaleris Togæ Romanæ, à qua, utpote barbarâ, ad nos devoluta est barbara nostra Grammatica (cujus defectus Grammatica Raymundi examinat, & in lucem profert) sed demus, *maneriem* loquendi Raymundi esse minùs excultam, si tamen per illam habemus tale *avantagium*, quod non suppeditat nobis omnis *suada* Ciceronis, nonne melior est ad pugnam baculus & funda Davidis, quàm hasta & lorica Saulis?

Secundus Defectus: arguitur novem Literarum paucitas, & ejusdem literæ diversis principiis applicatio: *Lib. 2. par. 1. c. 1. fol. 16.* hinc R. P. Kircherus literis substituit Characteres à se inventos, ut singula principia haberent proprios characteres, ad vitandam (ût censuit) confusionem. Excusat hunc defectum noster B. Magister, dicitque, Literas suas esse magìs universales, quàm Characteres Kircheri, seque in Arte Demonstrativa & Contemplativa monstrare per eorum usum in Logistica speciosa Raymundi nunquam satis deprædicandum, quòd harum Literarum inventum non sit defectus, sed summa perfectio Artis: videatur super hoc *Lib. 5. Contempl. cap. 335.* & praxis totius hujus Libri quinti tollet omnem scrupulum.

Tertius Defectus: movetur difficultas reducendi terminos ad Literas. Excusatur hic defectus per Artem Notatoriam seu Introductoriam Raymundi *tertio Tomo* contentam, quæ videnda

Quartus Defectus: objicitur imbecillitas memoriæ ad tam multa sinè confusione retinenda. Respondet Raymundus: perfectionem, naturam, ordinationem convenire cum memoria, & hæc esse in sua Arte: ergò. Certè ego non memoriter didici Alphabeta Artis Raymundi, & tamen illa & alia plura aliarum Artium Lullii memoriter teneo, ût & Tabulam suam Generalem, quam quemvis, puto, si ordinem observet, unius horæ quadrante memoriæ impressurum; nam usus continuus ea reddit facillima: adeóque non sum expertus hanc difficultatem, nec alios experturos certus sum, si modò familiarem sibi faciant Literarum harum applicationem.

His Defectibus apparentibus lubet annumerare alios graviores (ut arbitratur R. P. Kircherus) hinc inde ex Arte sua Combinatoria desumptos: quorum

Primus: quòd Lullus vel saltem Lullistæ promittant exiguo tempore etiam pueros hâc solâ Arte sinè alia Scientia è Scholis deprompta, in viros doctissimos efformare: unde *Lib. 1. Art. comb. part. 2. c. 2. consect. 2.* sic habet Kircherus: *Tertiò patet ex hac tabella, quàm tyroni difficile sit futurum, hisce solis & non nisi pauculis instructum sibi de omnibus disceptandi notitiam polliceri, tametsi enim omnia in ea implicitè & virtute, quæ in natura rerum existunt, contineantur, arduum tamen omninò, ne dicam, impossibile existimo, ab eo, qui non exercitatus est in theoricis Scientiis, in hac Arte quidquam laude dignum præstari posse.* Et paulò infrà: *at ex tempore cum industria novos & appropriatos, quibus id probetur, terminos invenire, pueri non est, nec inexperti, sed Viri Philosophi jam in palæstra scholastica diu multumque exercitati.* Item Lib. 1. c. 4. ait: *quæ quidem tantò majori difficultate implicantur, quanto in theoricis & scholasticis Studiis fuerit rudior inexperiórque, adeóque ἀδύνατον sit, ut quispiam in ulla facultate quacunâ laude dignum præstet, nisi priùs Scientiam, de qua tractat, eximie calleat, Dialecticæ quoque institutionem non ignoret: quomodo enim cujuspiam Disciplinæ ignarus, solo hoc exiguo principiorum apparatu appropriata aptáque ad id, quod in ea Scientia demonstrandum proponitur, media proprio, uti dici solet, marte invenire queat, non capio.* Lib. 1. part. 2. c. 1. *Commentatores suprà citati ceu simiæ veri imitatores Lulli, ut Artem supra omnes cælos extollerent, multa ad Artis dignitatem & excellentiam contestandam confinxisse potiùs, quam reverà eam ita se habere, tradidisse videntur; forte Alchimistas & Astrologos in hoc sectati, quorum illi, qui ad sit nunquam visi (* à Kirchero *) Lapidis depredicandam excellentiam quid non excogitant, quos casus non mentiuntur (* ût venia verbo *) ita prorsus Lullistæ miros & prorsus paradoxos de hac Arte casus referunt &c.; siquidem impuberes hâc Arte fretos omnium Scientiam consecutos de qualibet re proposita scitè & eleganter disseruisse, nec non in viros doctissimos evasisse, dicere non verecundantur.* Porrò, ut probet, quàm impossibile hoc sit, prosequitur: *Nam si ego, qui Arti Lullianæ ex professo studui, omnia Artis arcana modumque in ea procedendi exactè pervidi, in praxin tamen eam redigendi ingentes difficultates, non obstante, quòd literarum studiis ritè pertractandis à teneris unguiculis assuetus non exiguum (* absit verbo jactantia *) scientiarum apparatum DEO dante adeptus sim, nihilominus in Artis Lullicæ applicatione ubique adhuc locorum non tam, quid dicere & sentire, quàm quomodo mentis meæ conceptus per dictæ Artis applicationem in medium proferre debeam, nescius ubique perplexum me inveniam, quid de pueris nullo adhuc rerum usu & exercitatione instructis sentiendum sit, Lectori judicio pollenti æstimandum relinquo.* Et fol. seq. *Novi quoque, posse puerum paucorum dierum spatio ex assumptæ Artis Principiis ita instrui, ut de proposito sibi Themate nonnihil respondeat, sed ut de difficillimis Quæstionibus tum Theologicis tum Philosophicis Mathematicisque ad rhombum respondeat, hic rhodus hic saltus.*

Ex hactenus dictis constat, R. P. Kircherum ad Artem sciendi perfectè assequendam requirere multum temporis, cùm priùs debeat esse exercitatus in theoricis Scientiis, nempe in palæstra scholastica diu & multùm; ac proin solam Artem Lullianam non sufficere, hanc verò difficultatem ipsummet Raymundum agnovisse: *unde ipsemet Lullus* (sunt verba Kircheri Lib 2. p. 1. c. 1.) *apertè fatetur, neminem ad Artis perfectionem pertingere posse, nisi & subtilissimo ingenio, tenacissimâ memoriâ & naturali quadam mentis sagacitate imbutus fuerit.*

Audiamus jam ipsummet Illuminatum Doctorem, qui in fine suæ Artis Generalis Ultimæ sic habet: *Ista Scientia habet tres Gradus ad addiscendum secundum se ipsam; nam homo habens optimum Intellectum & fundatum in Logica (* Lulliana *) & in Naturalibus (* Physica Lulliana *) poterit ipsam scire duobus mensibus, uno mense pro Theorica, & altero mense pro Practica: homo habens Intellectum meliorem fundatum in Logica & in Naturalibus & diligentiam poterit ipsam scire quatuor mensibus; duobus pro Theo-*

rica, & duobus pro Practica : homo habens Intellectum subtilem & bonum & fundatum in Logica & in Naturalibus & bonam diligentiam poterit ipsam scire in medio anno, videlicet tribus mensibus pro Theorica, & tribus pro Practica : & si non poterit addiscere illo tempore, signum est, quòd habet rudem intellectum, & quòd non habet bonam diligentiam, aut est occupatus in aliis ; & talis homo nunquam illam addiscere poterit.

Hoc textù promittitur temporis brevitas, sequenti verò ostenditur sufficientia Artis Lullianæ, sinè aliis Scientiis priùs comparatis : quod demonstrat Raymundus proprio suo experimento in *Libro Experientiæ Realitatis Artis Dist. 7. p. 1.* statim ab initio, ubi Doctor Illuminatus ait : *Confiteor, quòd ego Raymundus sum illiteratus, & per Artem Generalem multos Libros feci, fortè plus quàm centum, DEI semper gratiâ ministrante, inter quos Libros feci multas Artes speciales* : deinde recenset decem harum Artium specialium, quas fecerat : postea pergit in *Principio 2. part. 7. Dist.* affirmare, quòd possit dare solutionem quarumcunque Quæstionum in quacunque Scientia propositarum, etiamsi illam Scientiam nunquam audierit vel didicerit, solâ suâ Arte Generali fretus, dummodo ipsi explicetur, quid dicatur per nomen, de quo fit Quæstio : quod testatur his verbis : *Ut scientes Scientias & amantes videant in me illiteratum (faciendo Quæstiones, quæ eorum Scientiis videantur difficiles & obfuscatæ vel obscuræ, quas quidem Quæstiones & Scientias alias non audivi, neque scio) per quem modum eis satisfaciam in solvendo & dubia removendo in illis Quæstionibus cujuslibet Facultatis, si mihi scriptæ tribuantur (supposito tamen, quòd detur mihi bene intelligere, quid per nomen dicatur sive intelligatur in Quæstionibus mihi factis) veruntamen non promitto semper solvere, sicut ipsi ; nam possibile est, quòd in quibusdam elucidem certiùs veritatem : & ratio hujus est, quia Intellectus altior est cum Principiis generalissimis dictæ Artis Generalis, quàm cum principiis, quæ sunt in aliis Scientiis subalternis.* Et in *Arte Universali* seu *Lectura magna* super Artem Compend. inv. Verit. Dist. 1. de 2da fig. fol. 3. *Quamobrem id, propter quod hæc Ars noviter est inventa, est, ut sine particularium acceptione per Artem sciat C. ad particularia descendere, licèt B. non præhuerit ea ad recolendum ; hoc autem impetrat, ut amissio temporis evitetur.* Videantur etiam Introductoria in Artem Demonst. Ars mixt. Theol. & Phil. item Reg. 4. Artis Inven. ver. ex quibus textibus P. Kircheri & B. Lulli inter se collatis facilè possunt elici sequentia.

Primò : Si vera sunt, quæ Illuminatus Doctor his textibus adpromittit, per illius Artem longè faciliùs acquiri posse Scientias, quàm per Artem Combinatoriam P. Kircheri.

Secundò : Sinè tanto dispendio temporis.

Tertiò : Sinè requisito labore addiscendi priùs Scientias particulares ; imò propriâ experientiâ didici, Discipulis Lulli scientias particulares jam aliunde acquisitas magis obesse, quàm prodesse, non ratione sui (quod enim in Schola ordinaria verum est, in Schola Lulliana falsum esse non poterit) sed quia multa in utramque partem disputabilia, & Sententiæ quandoque erroneæ menti inhærent diuturnitate temporis & credulitatis adeò fortiter impressæ, ut vix etiam agnitâ Ratione & Demonstratione contrariâ exuantur : e. g. *Dari Formam universalem* : *Elementa esse formaliter in mixto* : *Non dari nisi quatuor Gradus intensionis*, & plurima similia, quæ Schola Peripatetica perpetuò negat, & Lulliana perpetuò affirmat, ac Rationibus invincibilibus demonstrat.

Si quis verò neget, vera esse, quæ Lullus de præstantia suæ Artis suis Discipulis spondet, hic meliùs convinci non potest, nisi experimento : legat, intelligat hunc & sequentem Tomum, eaque, quæ didicerit, conetur reducere in praxin, & cessabit omne dubium.

Secundus Defectus Lullo & Lullistis objectus tam à P. Kirchero, quàm à PP. Izquierdo & Knitelio, est, quòd hi tres Authores putent, multas combinationes Principiorum ad probandam aliquam Quæstionem tanquam inutiles esse rejiciendas : unde R. P. Kircherus Lib. 4. Artis suæ Comb. cap. 5. fol. 182. de usu & praxi Tabulæ Generalis Lulli conqueritur, *quòd contrarium fiat in Magna Tabula Lulli, in qua tanta sæpe ac inutilium argumentorum turba vel celeriter per omnes locos discurrentem sequetur, ut vix summo labore ab ea te expedire possis* : & R. P. Izquierdo in *Pharo Sci. disp. 23. q. 4.* Contrarium prorsùs demonstrat noster Illuminatus Doctor in suis Operibus : unde optarem, ut Kircherus, Izquierdo & Knitel legissent Librum de Tribus Sapientibus, Librum de 14. Art. Fid. Artem Invent. & Lecturam super Artem Invent. & absque dubio mentem mutassent : *fundamentum hujus est, quia principia essentialem & necessariam habent connexionem, & quodlibet revelat specialem & propriam sibi proprietatem universalem, per quam & cum qua ex singulis particularibus elicitur specialis & particularis proprietas, & per consequens ratio eâdem connexione junctâ aliis rationibus particularibus ex universalibus aliis principiis elicitis, quâ connexione junguntur universalia principia* : quod principium latuisse videtur hos illustres Authores, quia præfatos Libros non viderunt : de quibus latiùs agemus *in Revelatione Secretorum Artis.*

Tertius Defectus : Ars Lulliana culpatur, quia non demonstrat (rectiùs dicerent, non nobis visa est demonstrare) quot sint combinationes seu conjunctiones possibiles ex terminis datis, & quomodo illæ adæquatè confici & percurri possint : ita R. P. Izquierdo in *Pharo Sci. Disp. 23. q. 4. §. 45. fol. 282.* & ex ipso R. P. Knitel *part. 6. art. 2. fol. 94. suæ Viæ Regiæ.* Sed Ars Lulliana ostendit contrarium ipso facto : videatur primus hic Tomus & sequentes, qui de Artibus agunt : imò Ars Lulliana etiam in hoc puncto se dicit maximè perfectam, quia recenset omnes possibiles combinationes naturales & artificiales, quod non faciunt prælaudati Authores, utpote quibus numerus principiorum naturalium & modus operandi naturalis fuerit incognitus, & per consequens numerus combinationum possibilium naturalium ; quod vel ad oculum patet in una combinatione quatuor qualitatum elementarium, quam habet R. P. Kircherus *Lib. 4. Art. comb. c. 3. propos. 2. fol. 158.* & R. P. Knitel *part. 1. art. 6. fol. 19.* perlustrent Raymundum de Combinationibus Elementorum agentem theoricè & practicè in Libro de Principiis & Gradibus Medicinæ, non opinativè, sed demonstrativè, & combinent ea cum Libro suo de Quinta Essentia, videbunt magnam differentiam.

Quartus Defectus : Ars Lulliana dicitur non agere de quaternariis nec de quinariis combinandis, & per multas Regulas tradit, quod posset per unam : ita R. P. Knitel *part. 6. Viæ reg. art. 2. fol. 94.* & R. P. Izquierdo in *Pharo Sci. Disp. 23. q. 4.* §. 43.

§. 43. *fol. 282. Prima Responsio* : respondet Ars Lulliana, se non debere, nec per consequens posse agere de pluribus combinationibus, nisi quot sunt in natura, ad quorum proin numerum artificiales debent regulari : tot autem sunt naturales, quot Ars Lulliana recenset, nec plures, nec pauciores, quibus si adderetur vel una, esset superflua, sicut si sextus digitus adderetur manui : si verò responsum hoc negent, rogamus, ut priùs mentem Illuminati Doctoris conentur penetrare, antequam ipsum judicent. *Secunda Responsio* est : non esse necessarium nec possibile omnes numeros combinationum recensere ; nam demus, illos in charta exprimi posse calamo, quid prodest, si opere exequi nequeant, cùm ob infinitatem id fieri planè non possit ; aliàs & hi Authores carpendi essent, quòd plures combinationes in numeros non reduxerint. Quod Regularum Lullianarum pluralitatem attinet, *Tertia Responsio* est : tantum abesse, ut Lullus Regulas multiplicet, quòd nemo mihi ullam assignare possit in particulari, quæ non actu sedem suam ab Illuminato Doctore receperit in una universali : e. g. videant 40. Regulas ad unam reductas in Commento super Artem Demonstrativam : videant tot centenas, imò millenas figurarum conditiones reductas ad conditionem unius figuræ generalis in Arte Universali : videant tot demonstrationes reductas ad 10. conditiones Libri de tribus Sapientibus : videant 400. Demonstrationes reductas ad 4. conditiones Libri Mirandarum Demonstrationum : videant plus quàm 10000. Demonstrationes Libri Divini Contemplationum reductas ad regulam unius tabellæ, quæ continetur *Cap. 364.* præfati Libri, volâ manûs tegendæ ; hoc certè (dent veniam insignes hi Viri) in illorum Libris nemo inveniet.

Patet ergò, non esse Defectus in Arte Illuminati Magistri, sed potiùs incomparabiles perfectiones, quæ hactenus pro defectibus ob non sufficientem informationem reputabantur : unde non sinè gravi fundamento Lavineta Vir inter Discipulos Lulli genuinos cum laude numerandus pronuntiavit in Titulo Arti brevi præfixo : *Si Elementum aut demas, aut addas (ipsum vel jota) totius rei summam immutas, & ad alios Artis hujusce Libros te reddis inhabilem* : quod est aureum & verissimum assertum.

Cæterùm plures alios Authores de aliis Defectibus Raymundum nostrum arguentes hic adducere possem, qui, quamvis in aliis fuerint excellentes, tamen ob insufficientem notitiam non poterant non multa carpere in Arte, quibus nullatenus irascor, cùm idipsum mihi acciderit, quando Artem sum ingressus ; nam singula putabam immutanda, alteranda, in numero, in ordine, in principiis, in modo operandi, donec labore inutili defatigatus animum de perficienda unquam Arte penitus abjeci : erexit me Misericordia DEI in spem addiscendæ meliùs Artis ex ipso Illuminato meo Magistro, quæ meam superbiam priùs prostraverat, tandemque cum ingenti gaudio inveni in hac immutabili Scientia priorem meam ignorantiam, quam nunc profiteri non erubesco, ut Condiscipulos meo exemplo alliciam, omnésque bonæ voluntatis homines, ne percurrentes ista Opera præmaturo præveniantur judicio, & velut canes è Nilo lambant, sed potiùs firmiter sibi persuasum habeant, se tamdiu mentem Illuminati Doctoris non assecutos, donec oriatur in illorum cordibus illud gaudium vel simile, quale nactus est, qui thesaurum absconditum in agro invenit ; quia cum illo facilè vendent omnia sua prævia judicia, ut emant agrum istum.

Quod promissa Lullistarum concernit circa pueros impuberes informandos in hac Arte, ultrò fatemur & concedimus, id impossibile non solùm Lullistis, sed cuicunque hoc attentanti ; nam ubi natura nondum est apta, ibi ars frustra locabit operam, neque hoc unquam à B. Raymundo, nec à veris Lullistis adpromissum est ; scimus enim, non omnes, qui hoc nomine gloriantur, eo ipso rem esse sortitos ; neque enim sola Schola Lulliana exempta est fato aliarum Scholarum, quin ipsa quoque dividenda sit in classes suis gradibus dignoscendas & distinguendas : imò sicuti Sacra Theologia invita patitur, parùm versatos in hac sacra Scientia vel etiam prava Dogmata docentes vocari Theologos, & sicut Philosophia seu Scientia & Ars Naturæ nomen suum affingi indulget iis, qui nil minus possident, quàm Scientiam & Artem Naturæ, quidni & ipsa Ars Lulliana sufferat quosdam hoc nomine exteriùs tantùm signatos ? qualis certè fuit Agrippa, quem R. P. Kircherus citat : sed quidquid sit de Arte à Lullistis usque ad sidera elatâ, quâ pueri decennes subitò in pantosophos commigrarint, demus, hoc Lullistas dixisse, quid si idem diceret R. P. Kircherus ? audiamus ipsummet *Lib. 11. suæ Art. comb. cap. 7. & ultimo* sic loquentem : *Finitâ totius Artis expositione in secundo tomo tradere constitueram eum modum, quem jam dudum Lullistæ plenis buccinis in suis monumentis deprædicarunt, videlicet Methodii adeò facilem & expeditam, ut eâ pueri decennes & impuberes etiam & idiotæ exiguo tempore ad omnem Scientiarum assecutionem pertingant ; quæ res primâ fronte meritò incredibilis & paradoxa videtur : quam itaque illi Methodum forsan nunquam, non dicam, docuerunt, sed neque in mentem eis venit, nos hoc loco tradere, uti dixi, constitueramus ; sed consultò amicorum Principum sollicitatione id differendum censuimus, tunc eum publici juris facturi, ubi hoc præsentis Libri exhibitum specimen haud lividis oculis exceptum fuisse intellexerimus.* Si igitur eximius hic Pater, *qui, licèt omnia Artis arcana modúmque in ea procedendi exactè perviderit, in praxin tamen eam redigendi ingentes difficultates expertus est* (ut verba ab ipsomet suprà prolata sonant) potuit pueris communicare, quod ipsemet non habuit, quare veri Lullistæ, tales nimirum, qui verbo & opere potentes sunt, qui sacræ Artis Theoricam & Praxin adepti sunt, idipsum non possent ? imò comparatione hujus longè majora & potuerunt & opere perfecerunt, nempe illum R. P. Kirchero adeò invisum Philosophorum Lapidem & Medicinam universalem, prout illorum nobis relicta Monumenta fidem faciunt, quósque omnes impostura & sycophantiæ placulo involvere, unísque Kirchero sinè fundamento ullo contrarium asserenti, illósque obelisci suis sinè causa pungenti annuere, nec consonum sanæ rationi, nec prudentiæ legibus conforme arbitramur ? nam quemadmodum meritò me quis arguere posset de temerario & indiscreto judicio, si negarem, unquam à R. P. Kirchero promissam publico methodum Principibus solis reservatam aut inventam, aut pueris decennibus & impuberibus utilem extitisse, quamvis mihi & toti publico nunquam fuisset cognita, sed ob graves rationes à præfato P. Kirchero

orbi non exposita, sic procul dubio magis absonum & inconcinnum æstimo judicium, denegare Lullistis, quod se sciviſſe, & non omnibus revelasse pronuntiarunt.

Cæterùm dixi superiùs, Lullistas majora promissis Kircheri præstitisse, componendo suum Lapidem, Lapidem offensionis fatuis Alchimistis, & petram scandali fatuis Philosophis; nunc autem prorsus contrarium dico sinè contradictione, nam cùm suprà professus sim, neminem verorum Lullistarum unquam attentasse, vel impostorum attentaturum esse, quòd velit introducere formam in materiam indispositam, hoc est, pueros decennes & impuberes, & per consequens immaturos, imbuere tam altâ & sublimi scientiâ; nunc assero, facilius esse sinè omni comparatione vel ipsum Philosophorum Lapidem construere, quàm pueros decennes quacunque Arte *ad omnem Scientiarum assecutionem perducere*: nisi practicam & operationem per quosdam bacillos scientificos (ùt vocat) à puero institutam ad Leges ab ipsomet R. P. Kirchero præscriptas sinè ulla præcognita Theoria scientifica (quæ in puero impubere est impossibilis) *sed picarum pstacorumque more sinè judicio potiùs, quam cum veratione* (ùt ipsemet P. Kircherus loquitur in sua *Arte comb. fol. 6. c. 1.*) qualemque docet in sua Arte Musurgica, velit nominare omnem Scientiarum assecutionem, quam nullus verus Lullista ambiet.

Denique, ut ostendamus differentiam, quam invenimus inter Artem Combinatoriam R. P. Kircheri, & Artem Magnam B. Raymundi Lulli, postquam ambas per annos plurimos ruminavimus, observavimus

Primò: Primam non methodo verè demonstrativâ processisse, quamvis hoc alicubi asserat, sed merè disputativâ in utramque partem in Scholis hactenus usitatâ, uti per totum Librum præsertim secundi tomi ad sensum patet: *vide Lib. 6. q. 9. & 10. & 11. §. verum. fol. 307.* Secundam verò esse verè & perfectè demonstrativam, imò perpetuò uti principiis supremis, primitivis, maximè veris & maximè necessariis ad omnes demonstrationes suas efformandas.

Secundò: Primam examinare suam Artem ad sententias Doctorum, ùt ipsemet R. P. Kircherus fatetur in Præfatione ad Lectorem circa finem his verbis: *Ad pragmaticam denique applicandæ Artis rationem quod attinet, Lector non hic novas Sententias expectet, sed in scholis & cathedris tritissimas, & ad mentem D. Thomæ cæterorumque Scholasticorum juxta Artis Regulas deductas:* & Lib. 7. fol. 359. col. 2. §. rectiùs: *Nos enim in hac Artis demonstratione novas opiniones non adducimus, sed ab omnibus receptas excolimus*: Secundam verò elicere suas Sententias ex propria Arte; & examinare aliorum Doctorum Sententias per eandem; si enim Ars & Modus procedendi Artis sunt veri, non nisi veræ sententiæ ex illa deducentur (potest tamen quandoque contrarium fieri, non ex defectu Artis, sed ex ignorantia Artificis)

Tertiò: Primam rejecto Systemate Lulliano Figurarum, Tabularum, Literarum, sibi novum condidisse (ùt autumabat) Lulliano multò facilius: Secundam autem retento suo Systemate omnibus numeris absoluto & perfecto, utpote cœlitùs accepto, non admittere ullam immutationem sinè detrimento suæ perfectionis: testante hoc ipso B. Authore in Introductoria sua cap. 24. ejúsque Discipulis, ac probante per ipsummet experimentum suorum Librorum.

Ex quibus hactenus dictis & pluribus aliis, quæ brevitatis gratiâ omittimus, & cuilibet conferenti Libros Raymundi cum Arte Comb. Kircheri ad oculum patebunt, manifestè licebit eruere, an prælaudatus P. Kircherus *omnia Artis arcana modúmque in ea procedendi exactè perviderit*; nam si sic esset, utique non passus esset *ingentes difficultates redigendi illam in praxin*, ùt ipsemet suprà citato loco ingenuè fatetur: præterea Sententiæ P. Kircheri exactè convenirent cum Sententiis Raymundi; hæc enim est infallibilis proba in scientiis & artibus demonstrativis, v. g. in Arithmetica, Geometria, Algebra speciosa, ut illarum Doctores & experti Artifices in idem productum conspirent: sic omnes veri Discipuli Lulli ob Artis infallibilitatem & necessitatem in omnibus conveniunt & convenire debent: quod tamen ferè ubique apud P. Kircherum in contrarium factum est cernere tam in Philosophicis quàm in Theologicis; exemplo sint sequentes Sententiæ: docet P. Kircherus *Lib. 11. c. 1. §. 2. fol. 454. & Lib. 2. §. 4. 5. fol. 95.* Animam (potentiam vegetativam secundùm Lullum) in homine non distingui realiter ab Anima sentiente & intelligente: contrarium demonstrat B. Raymundus. Sustinet P. Kircherus *Lib. 6. q. 11. fol. 308.* Spiritum Sanctum distingui à Filio, etiamsi non procederet ab ipso: contrarium demonstrat Raymundus. Docet P. Kircherus *Lib. 6. q. 3. fol. 319. col. 1.* Incarnationem Christi fuisse necessariam (scilicet ex suppositione Decreti divini) sequenti curioso Syllogismo: *Voluntas* (divina) *necessario vult id, quod est majoris bonitatis, magnitudinis, potentiæ & perfectionis; sed hæc est Incarnatio: ergo eam necessariò (ex suppositione Decreti divini) vult.* An non hic modus argumentandi esset illusorius, ne dicam, ridiculus, si dicerem: ego necessariò volo majus bonum; sed majus bonum est Virginitas, quàm Matrimonium: ergò necessariò volo Virginitatem (supposito, quòd velim) quasi verò in DEO necessitas & libertas non essent idem realiter, & non possent simul stare sinè contradictione. In hunc scopulum etiam quidam Lullistæ impegisse videntur, qui non intelligentes modum demonstrandi Raymundi nostri demonstrationes illius absolutas aut convertunt in hypotheticas, aut illas omninò frivolas reddunt; ùt videre est in Transumpto Memorialis R. P. Rieræ, ubi ad salvandam libertatem divinam simili utitur cautelâ, quasi non posset salvari libertas divina sinè destructione necessitatis, & quasi libertas esset major ratio DEO ad aliquid volendum, quàm sua necessitas: aliter itaque B. Raymundus noster demonstrat necessitatem Incarnationis sinè ulla læsione libertatis divinæ: unde ipsum consulas, si de modo quæris. *Habes itaque Lector paucis* (sunt verba ipsius R. P. Kircheri in Præfat. ad Lect.) *meum de Lullianæ Artis doctrina emendanda restituendaque consilium, in quo, si non exspectationi literatorum satisfeciſſe videbor, meam in omnium Artium difficillima & abstrusissima explicanda ingenii imbecillitatem excuses velim:* quam humanitatem Viro optimo & de re literaria aliàs quamplurimùm merito lubenti animo Lullistæ impendent.

R. P.

R. P. Casparus Knittel S. J.

PRagæ Typis dedit Anno 1691. in 12mo *Viam Regiam ad omnes Scientias & Artes, h. e. Artem universalem scientiarum omnium artiúmque arcana facilius penetrandi*: est hic Libellus velut Epitome Artis Combinatoriæ P. Kircheri, & in paucis ab illa differt: vidit hic Author quoque maculas in sole, h. e. defectus in Arte Raymundi, quos suprà excusavimus, & rogamus, ut acutiori utatur telescopio ac magis depurato; nam illa phœnomena maculârum apparere possunt, vel ob bullulas aut nævos materiæ vitrorum in officina vitriaria infusas, vel ob pulveres vitris adhærentes: unde de hoc Libello par est judicium ferendum, quod de præcedenti.

R. P. Augustinus Nunnes Delgadillo Concionator egregius Ord. Carmel. Hisp.

IN folio imprimi curavit Anno 1624. præter alios Comentarios in Artem Raymundi methodũ facilem pro Concionatoribus complectentem 100. terminos, quos inter se combinare & ad discurrendum applicare docet, omnia hispano idiomate: porrò cùm hujus Authoris intentio non sit demonstrare, sed potiùs ornatum discursum formare, huic Classi Authorum non immeritò inserendus videbatur.

Petrus Gregorius Tholosanus J. V. Doctor, Professor & Decanus in Academia Lotharingica Pontimussana.

LUgduni in 12mo apud Joannem Piliehotte Anno 1587. typo commisit *Commentaria in Syntaxes Artis mirabilis, per quas de omnibus disputatur habeturque cognitio*; opus magis eruditione quàm demonstratione refertum: unde si eruditus apparere cupis, lege Tholosanum, si autem verè doctus, lege Raymundum.

Cornelius Gemma Medicus Lovanienſis.

ANtverpiæ ex officina Christophori Plantini Anno 1569. emisit Artis Cyclognomonicæ Libros tres. „Doctrina Ordinum universam unáque Philosophiam Hippocratis, Platonis, Galeni „& Aristotelis in unius communissimæ ac circula„ris methodi specimen referentes, quæ per animo„rum triplices orbes ad Sphæræ cœlestis similitudi„nem fabricatos, non Medicinæ tantùm arcana „pandit Mysteria, sed & inveniendis construen„disque Artibus ac Scientiis cæteris viam compen„diariam patefacit: speciosus sanè titulus Operis. *In Lib. 3. can. 9. & ultimo* Artem Lullianam vilipendit, nempe ut suam magis illustrem redderet, eamque potiùs ad sophisticam, quàm ad veras scientias acquirendas utilem arbitratur: tuo Lector committo arbitrio tuæque censuræ, uter meliùs, an Raymundus noster, an Cornelius scopum attigerit; igitur, si placet, & hunc & illum lege, intellige, & videbis differentiam inter Gemmam opacam & lucentem luce cœlitùs infusâ.

R. P. Franciscus Marsal S. Theol. Lector in Regio Conventu S. Francisci Civitatis Majoricarum Lullianæ Artis Moderator.

PAlmæ Majoricarum imprimi fecit in 4to *Artem brevem scholiis illustratam*, cui in fine subjunxit Metamorphosin logicam Anno 1643. eamque renovatam Anno 1669. idem Author reimprimi curavit Artem Generalem ultimam in 4to eodem Anno 1643. ad plura exemplaria collatam: præfata Metamorphosis logica ob suam facilitatem & generalitatem multùm excedere videtur Logicam vocalem Caramuelis, quamvis utrique duo deficiant, nempe suprema generalitas, & suprema necessitas, quibus principiis innititur suprema methodus demonstrandi; nam v. g. iste syllogismus in bammada: *Omnis homo est animal, omne animal est vivens, ergò omnis homo est vivens*, non est perfectè demonstrativus, quia illius medium est intentionale, & extrema sunt realia; ut Illuminatus Doctor ostendit in *Arte DEI, Dist. 2. de Venatione Medii*: sed sequens syllogismus est verè demonstrativus: *Ubicunque divina Libertas est divina Necessitas, actus divinæ Libertatis est actus divinæ Necessitatis, sed in Voluntate DEI volentis creare creaturam divina Libertas est divina Necessitas, ergo in Voluntate DEI actus divinæ Libertatis est actus divinæ Necessitatis.* Deinde illud principium, cui videtur inædificata omnis ratio syllogizandi in schola peripatetica: *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se*, nec in creatura nec in DEO locum habet; in creatura non, quia in creatura non datur realis identitas, sed tantùm intentionalis seu nominalis (ùt demonstrabitur in Logica Raymundi) in DEO non, quia in DEO identitas & distinctio sunt attributa realiter identificata: unde actus unius admittit actum alterius sinè contradictione, ùt loco citato videbitur.

Alphonsus de Zepeda & Andrada Vir militaris Ordinis, simulque literarum notitiâ & Artis Lullianæ peritiâ celebris.

IN Hispanum Idioma vertit Arborem Scientiarum B. Raymundi Lulli, Bruxellísque imprimi fecit in folio Anno 1664. In Prologo hujus Operis Authorem & Magistrum suum non solùm summis laudibus exornat, sed ab amicorum malè informatorum & inimicorum malevolorum sinistra opinione defendit, scientiam illius infusam demonstrat, Zelum in propaganda Fide deprædicat, Martyrium extollit, utilitatem Scientiæ commendat ad omne scibile comparandum: *y si eres Philosopho, hallarás en este libro manifiesto lo mas arcano de la naturaleza* (ait in præfato Prologo) cujus

jus contrarium affirmant, qui impugnant Philosophiam practicam Raymundi: excusat defectum ornatûs putatii verborum & modi loquendi.

Vidi hujus Scriptoris aliud Opusculum etiam Linguâ Hispanâ typis datum in 8vo contra quendam Judæum, qui ad instantiam cujusdam Apostatæ Christiani ad Judaismum perversi impugnavit Arborem Scientiarum à Zepeda ipsi communicatam: in quo Opusculo sophismata hujus Hebræi tanto rationum pondere opprimit, ut non ampliùs ausus sit replicare quidquam ad argumenta contraria: in eodem Libro pluribus docet, quàm infeliciter judicarit hic Judæus de Principiis Chimiæ Lullii.

Plura quidem promisit Zepeda typis vulganda, ut Logicam & alios adhuc Tractatus, quorum tamen nullus ad manus meas pervenit; unde ad ulteriorem & exactiorem Crisin de illo formandam (exceptis suprà laudabiliter commemoratis) mihi non erat copia.

Joannes Henricus Alstedius.

INter Authores acatholicos duo ad manus meas pervenerunt, qui Artem Raymundi Scriptis suis elucidare conati sunt, quorum primus est Joannes Henricus Alstedius: porrexit nobis hic Author *Clavem Artis Lullianæ & veræ Logices duos in Libellos tributam*, id est, *solidam dilucidationem Artis Magnæ Generalis & Ultimæ, quam Raymundus Lullus invenit*, Argentorati impressam sumptibus Lazari Zetzneri Anno 1633. in Præfatione ad Lectorem defendit Lullum & Lullistas; idipsum facit in Præfatione ad Lavinhetam. Cæterùm licèt hic Author non omninò rudis fuerit in Arte Illuminati Doctoris nostri, noveritque, secretum Artis involvere veram Methodum demonstrativam, quàm parum tamen de illa assecutus sit, apparet ex sua *Idea brevissima Artis Lullianæ* ubi *fol. 150.* conatur probare, Papistas esse hæreticos, argumentis non à ratione, sed voluntate & animo passione infecto petitis; nam omnia possent facilè retorqueri in Lutheri sectam, substituendo solummodò unum terminum pro altero. Quàm amarus fuerit hic Author in sacros Ordines Religiosorum, *ibidem fol. mihi 151. lit. B. & 152. lit. C.* ostendit; præsertim autem in Patres Societatis JESU, quos fol. 154. gregem Suitarum vel Esauitas salutat; contra quos & omnes Catholicos putat, se palmam retulisse solis suis assertionibus omni solidâ probâ carentibus: optandum sanè fuisset, ut hic Author Artem ipsam Raymundi & Libros pro defensione nostræ sanctæ Fidei Catholicæ Apostolicæ Romanæ ex ipsamet Arte ab ipso pariter B. Doctore conscriptos legisset absque passione; nam non probabilitates, sed genuinas demonstrationes incurrisset, quibus non solùm suæ, sed quorumcunque adversariorum præteritorum, præsentium & futurorum oppositiones & argumenta contraria omnia possibilia facilè, imò facillimè solvuntur & diluuntur: neque enim opus est veritati aliis armis se defendere, quàm veritate: unde quàm sit reprehensibile in Viro Christiano etiam causam justam vindicare dicteriis & verbis à charitate & humilitate adeò alienis, nemo non videt, nisi Christianus non sit; quantò magis igitur abstinere debent illi, qui se non solùm Christianos, h. e. oves Christi, sed Pastores ovium nominare volunt: nam illorum malo exemplo exacerbantur animi in mutua odia, omnéque medium agnoscendæ veritatis & reconciliationis salutiferæ adimitur: hoc ipsum non minùs nostris Doctoribus, imò quàm maximè observandum; nam cùm illi sint sub uno supremo Pastore, & profiteantur unum Ovile Christi, ad quod conantur reducere oves errantes, magis obligati sunt imitari loquelam Pastoris, alias oves vocem illorum non audient. Cæterùm non obstante malevolo animo, quem erga Catholicos gessit Alstedius, placuit in laudem ipsius adjungere ea, quæ è Gallico in Latinum translata de ipso verè enuntiat R. D. Perroquet in Vita & Apologia B. Raymundi cap. 4. fol. 76. *Quemadmodum* (inquit) *non posset satis æstimari propter magnum lumen, quod habuit in Artibus Liberalibus, & in omnibus Scientiis naturalibus, audeo dicere, quòd si abjurasset hæresin, in qua natus est, & applicasset suum talentum pro defensione Religionis Orthodoxæ, & non ad illam impugnandam, prout fecit, se reddidisset dignum immortali gloriâ; sed de illo dici potest, quod S. Paulus pronuntiavit de omnibus iis, qui abutuntur lumine suæ mentis, & qui non reducunt ad practicam veritates, quarum habent claram notitiam, h. e. quòd persecutus sit veritatem, & per quoddam genus tyrannidæ illam injustè detinuerit captivam in suo intellectu, qui veritatem in injustitia detinent.*

Idem Alstedius super Opera Raymundi Lulli & Lavinetæ.

ITa est, benevole Lector, nunc temporis ludibrium debent ij, qui Lullianæ Philosophiæ operam dant impensè; hem scelus! itanè docuit Aristoteles, ut aliis docendi cathedram jusserit clausam? minimè verò: quale igitur vos habet cacoëthes, inflati, inepti, ridiculi, thrasones, stentores, triobolares, peripatetici & ramei, quòd usque adeò insectamini Lullium? Profectò de vobis ignoto sententiam pro tribunali pronuntiatis homine: legite, si Viri estis, Scripta ejus, ne vanitatis damnate, ne vocate præstigias ænigmaticas; non enim sunt talia, qualia vos esse clamatis: non infiteor, permagnum hujus methodi esse abusum, artificum etiam vitia esse enormia: at scitote, abusum nullatenus tollere usum, & errata artificum non esse imputanda ipsimet Arti. Adeste igitur, & juxta mecum recognoscite Bernardi de Lavineta quædam Opuscula, in quibus ostendit praxin Philosophiæ Lullianæ; sed ostendit more suo & sui sæculi, id est, barbarè: date itaque operam, ut ne impingatis ad hunc Scopulum: offero autem vobis hoc, quidquid est momenti antiqui &c.

Idem Alstedius in favorem Lullistarum, & particulariter Lavinetæ, super suam Rhetoricam & sua alia Opera.

LEctor optime, eâ sum indole, ut Bona DEI in mortales collata æstimem, suscipiam, exosculer: aliter affecti sunt deteriores hominum illi, qui de ignotis etiam pro tribunali judicare non

non dubitant: & ne multa accumulem, considera mihi, qui hodie sunt, Lullistas & Chemistas, qui ferè omnium hominum etiam triobolarium calumniis & puerilibus judiciis expositi sunt: alii illos Magiæ damnare, alii hirsutorum Monachorum discipulos vocare, alii barbariei insimulare, alii (pudeat homines malè feriatos hujus præjudicii) arrogantiæ reos peragere. Haberem, & sat haberem, quod perversissimis illis opponerem; verùm mihi nunc non est propositum illorum objectiones frivolas diluere: respondeat illis Bernardus de Lavineta, cujus Practica Anno 1523. est edita, in qua multa habet ad liberalem eruditionem eximiè facientia. En tibi, Lector, ex ista Bernardi Sylva Secretum Philosophorum maximum, sed verè Secretum: neque enim primo intuitu vulgaris oculus assequetur ea, quæ hoc Secretum habet in recessu; continet enim duo, quæ mortales maximè afficiunt, clinodia: Artem dico cogitandi, disputandi, declamandi de re qualibet, ita tamen, ut non suppeditet res ipsas, sed duntaxat terminos monstret generales, qui ad specialissima quæque sunt contrahibiles: itemque Librum Naturæ, quem omnibus numeris absolutum aperit, inque ejus adyta Lapidem Philosophorum deducit. Profectò *omnia clarè hic descripta sunt iis, qui non sunt planè stupidi vel etiam nimium superbi; his enim stultis, qui insigniti sunt, non facient operæ pretium in hujus Libri verè aurei lectione*; qui verò utcunque sunt ingeniosi, assequentur cum bono DEO non vulgaria quædam Philosophorum ἀρρητα ἀρρητοτερα μυηθηναι τε και ἀρρητοτατα. Ego sanè, qui quidquid est Artificii Lulliani, id omne percalleo, fateor, magnam eruditionis liberalis & reconditæ accessionem factam esse ex hujus Tractatûs diligenti lectione ad pusillum doctrinæ meæ cumulum. DEUM precor, ut nostras mentes ita illustret, ut ea, quæ per homines pios, doctos & cordatos manifestavit in Artibus liberalibus, ritè colamus & excolamus ad divini sui Nominis Gloriam & commune Bonum. Dabam Eirenopoli Anno MDCXI.

W. Chr. Kriegsmannus.

VIr non modò eruditione conspicuus, sed singulari modestiâ in præcedenti Authore desideratâ plurimùm commendandus, typis vulgavit Spyræ Nemetum Anno 1670. Pantosophiæ sacro-profanæ à Raymundo Lullo in artem redactæ, nunc climatæ ac locupletatæ Tabulam cum synoptica in eandem Introductione: est Libellus in 12mo in 10. cap. digestus; cap. 9. dat exemplum Artis, *& super Purgatorio cum P. Kirchero amicè disceptat*, volens infringere argumenta à P. Kirchero pro assertione Purgatorii allata: fundantur præfata argumenta Authoritate Christi & SS. PP. scilicet S. Augustini, S. Gregorii, S. Bernardi: putat autem Kriegsmannus, *Artem Lullianam veritatis investigatricem adeò Purgatorium è dicto Christi non adstruere, ut potiùs evertat*; quod sequenti Argumento conatur evincere: *Si datur Purgatorium, tunc datur retributio pro peccatis, quæ nec est temporalis, nec æterna; atque sic justitia nec finitè nec infinitè durans: at posterius esse nequit, ergò nec prius.* Si hoc argumentum, quod supponitur ex Arte Raymundi desumptum (quod tamen non est) esset bonum, evinceret quidem, purgatorium non esse, sed simul evinceret Authoritatem Christi & præallegatorum SS. PP. esse falsam; nam textus è SS. PP. allati clarè docent, illos affirmare, Purgatorium esse: sic etiam verba Christi dicentis: *Aliquod peccatum nec in hoc nec in altero sæculo remittitur*: unde cùm sit impossibile, quòd (supposito etiam, quòd SS. PP. fuissent decepti) Christus potuerit falli vel fallere, potiùs standum fuisset pro Authoritate Christi, quàm pro Arte Raymundi; sed cùm nos Lullistæ credamus, Artem Raymundi à Spiritu Sancto datam, absit longè ab illa, ut quispiam (nisi per errorem & artis ignorantiam) quidquam contrarium Authoritati S. Scripturæ ab Arte elicere censendus sit: unde ad Argumentum præclarissimi Kriegsmanni respondemus ex Arte Raymundi, prælaudatum Virum ignorasse veram Philosophiam Raymundi, quam cognitam præsupponit Ars Lulliana, quia nescivit distinguere inter tempus & tempus; nam sicut est differentia *inter infinitum & infinitum*, scilicet inter æternitatem & æviternitatem, quarum prima convenit DEO, secunda creaturæ, sic est differentia inter finitum & finitum, scilicet inter tempus simplex & compositum, quorum primum convenit Animæ separatæ à corpore, secundum Animæ conjunctæ cum corpore. His præcognitis facilis est solutio Argumenti Kriegsmanni, & concordantia patescit prædictæ Authoritatis cum Arte Lulliana: certè (ut omittamus argumenta, quæ plurima nobis superessent ab Authoritate) si verum esset, quod putabat optimus Kriegsmannus, nempe Animam separatam à corpore non posse finitè pati, sequeretur, quòd DEUS haberet majorem potestatem agendi per justitiam finitè in Animam conjunctam cum corpore, quàm in Animam separatam à corpore; quod, quàm absurdum sit dicere, & ex sana Philosophia & ex Arte Raymundi lucidè constat. Hæc pauca sufficiant hoc loco.

(34)

PRIMA CLASSIS

Authorum, h. e. Discipulorum B. Raymundi Lulli, qui vel in hac Arte fuerunt togâ & sago celebres, scilicet Theoriâ & Praxi, vel suis Scriptis posteritati relictis evidentia Documenta reliquerunt, se Secreta Artis intimiùs penetrasse.

Author Electorii.

IGitur agmen ducat Author Electorii (est hic titulus incomparabilis cujusdam MSti ex Sorbona desumpti ab Anonymo quodam Viro doctissimo exarati, multisque Voluminibus in folio majori comprehensi, quo præclarus hic Author Secreta Artis Raymundi detegit. Titulus Electorii continet Vitam Beati, nempe illam eandem antiquissimam à coævo conscriptam, & exactè congruentem cum illa, quam Operi præfiximus, collatam cum quatuor antiquissimis Exemplaribus. Frontispicium Libri ornat mirabilis figura, de qua Author sic orditur: *Hæc Figura est initium partis, per quam Homo rationalis disponi poterit ad intelligendum ardua & subtilitates intrinsecas Artis Raymundi.* Totum verò Opus hoc constituitur ex Libris & Tractatibus ipsius B. Raymundi in ordinem naturalem redactis, & Commentariis Anonymi illustratis, Opus typo dignissimum: ex antiquissimo charactere hujus MSti desumitur, illius Authorem fuisse vicinum temporibus Doctori Illuminato.

Reverendus Magister Bernardus de Lavinheta natione Gallus, Artium & Theologiæ Doctor.

IN Conventu S. Francisci, aliàs S. Bonaventuræ Lugduni prælo subdidit *Practicam compendiosam Artis Raymundi Lulli, sive Explanationem compendiosamque Applicationem Artis Illuminati Doctoris Magistri Raymundi Lulli ad omnes facultates* in 4to, Anno Domini 1523. primâ Martii impressam in ædibus Joannis Moylin die 30. Maij; opus aureum & omni laude dignissimum, veràque Methodo demonstrativâ concinnatum, quod postea Alstedius in 8vo vulgavit Coloniæ sumptibus Lazari Zetzneri Bibl. Anno 1612. ex parte mutilum, omissis scilicet, quæ suo errori erant adversa. In *Introductione Artis fol. 20. Lib. 2.* eximia habet de possibilitate, necessitate & utilitate Artis, aitque *fol. 21.* versâ paginâ, illam esse *utilissimam ex eo, quia longè doctior quis mediante hac Arte in uno anno erit, quam in duodecim annis expertum est sequendo communem opinionem, idcirco auro comparari non debere.* Præterea quid hic doctissimus Lullista sentiat de Alchimia, patefacit *Lib. 3. par. 2. fol. 38.* versâ paginâ de Elementativa, ubi sic loquitur: *Est enim ratione elementativæ æqualitas, ut omnia elementa simplicia sint æqualiter gradata in ea, & sit dandum æquale pondus, quod Medici investigant ac etiam Arkimistæ, à quibus quinta Essentia nuncupatur, seu Lapis Philosophorum. Generaliter hi, qui hanc quintam Essentiam ignorant, parum aut nihil in Philosophia habent; maximè cum non in angulis, sed ubique intellectui se offerat; ideo, si Philosophi sunt, non debent eam investigare huc & illuc, sed asserere id, quod veri Philosophi affirmant.* Hujus quintæ Essentiæ theoriam & praxin egregiè demonstrat Lib. 8. p. 2. fol. 149. qui Liber ferè totus ad literam desumptus est ex Libris de Regionibus Sanitatis & Infirmitatis, & de Gradibus Medicinæ, Raymundo sinè controversia adscribendis, item ex Libro de Quinta Essentia. Edidit porrò Excellentissimus hic Doctor Artem Brevem & Magnam Doctoris Illuminati diversis typis.

Reverendus Doctor & præclarissimus Magister Jacobus Januarius Monachus Cistercienſis Ordinis Terraconenſis Diœceſis.

VAlentiæ Anno 1506. imprimi fecit *Artem Metaphysicalem naturalis Ordinis cujuslibet rei intelligibilis Arboris Naturæ pro senioribus junioribusque, qui in antiquis Codicibus proficere minimè valuerunt, vel nequaquam inceperunt; ad intelligendum facillimè primum Subjectum primæ Philosophiæ, & Objectum primæ Scientiæ, aliarumque subjecta Scientiarum ipsâ posteriorum, & sciendum Objectum formale primumque scibile aliâque objecta scibilia ipso posteriora; ratione cujus absque Præceptore ipsâ mediante omnes utique Libros scientificos Artesque artificiosas Illuminati Doctoris Magistri Raymundi Lulli, ac etiam caterorum Doctorum præclarissimorum dissertissimorumque omnes Libros per se conspicere, scire atque intelligere,* ût ex-

perientiâ se edoctum testatur. Doctissimus hic Discipulus de Arte sui Illuminati Magistri præclarè scribit *Lib. 1. cap. 3. fol. 8. vers. p.* quòd *Ars Metaphysicalis generalis sit collectio explicitorum Principiorum & Regularum collata Raymundo Militi Doctori Illuminato in Randepodio supra modum humanum per Spiritum Sanctum, ut esset ei & aliis fidelibus Christianis generale medium cognoscendi veritates omnium entium, & instrumentum expellendi errores & opiniones sophistarum & infidelium hæreses per verum intelligere & scire.* Idem cap. 1. fol. 6. v. p. *Natura quidem rationalis per talem modernum modum recuperat modum naturalem intelligendi primorum Parentum, quem ante lapsum naturaliter possidebant à principiis naturalibus, & ipsam supra naturam gratis habuere, etsi non simpliciter, quia immersa est per naturam materiæ infectæ; tamen artificiosè aliqualiter per Artem; quia ubi natura deficit, ars incipit.* Et Lib. 1. cap. 14. fol. 20. v. p. *Propterea Ars Generalis Doctoris Illuminati Raymundi est modus sciendi, & Scientiam veram agendi, & intelligendi de novem Subjectis realibus veritatem.* Porrò notatu dignissima sunt & scitu pariter utilissima, quæ egregius hic Lullista de Arte Lulli & ejus Modo demonstrandi in Materia Theologica enarrat Lib. 2. c. 4. fol. 82. v. p. verba ejus sunt sequentia: *Raymundus divino Lumine illuminatus, sicut DEUS voluit & ordinavit, permissione divinâ suam Artem Generalem & Universalem constituit & ordinavit, ut esset humano intellectui modus ad intelligendum & sciendum omnes Artes particulares & Scientias, quæ sub Arte Generali integridentice comprehenduntur; & ad corrigendum errores infidelium sophistarum nominalium & Philosophorum tantùm naturalium, & ad interpretandum sacram Scripturam secundùm quatuor sensus* (hunc modum interpretandi longè differentem à vulgariter cognito habet Illuminatus Doctor in Libro mirabili Contemplationum Vol. 3. Lib. 5. cap. 352. 353. 354. 355. 356. 357. stupendo Artificio expressum) *expellendo hæreses Christianorum hæreticorum, & ad agendum veram Scientiam de his, de quibus nunquam notitiam habuerunt antiqui Doctores; quia ad hoc elargita est hæc Ars in fine sæculorum per triangulum rubeum, ut nemo mortalium in finali judicio habeat excusationem de cognitione Veritatis Legis Gratiæ & Doctrinæ JESU Christi Filii DEI & Hominis.* Et Paulò infrà exponit hunc modum dicens: *Ens est primum cognitum priori tate naturæ & originis omni subjecto scibili cujuslibet alterius Scientiæ, & est inclusum in principiis Artis & novem subjectis: & licèt subjectum Metaphysicæ non sit diffinibile, est tamen diffinibile ens, quod est medium demonstrationis; nam diffinitiones sunt novem subjectorum demonstrationes quidditativæ; igitur medium demonstrationis est diffinitio entis & principiorum Artis, præsupponens notitiam distinctam omnium in diffinitione ejus per se includorum: continet ergò medium demonstrationis notitiam subjecti & passionis & totius demonstrationis, quod est præscisè unum ab unitate habitûs medii demonstrationum numerali, sic demonstrando per æquiparantiam æqualia, & per priora quiddica posteriora non quiddica, arguendo metaphysicè &c.* Postea per hæc principia demonstrat Unitatem & Trinitatem DEI, & pergit: *Et isto modo præsuppositâ Fide Articuli ejus demonstrantur & probantur, tanquam fundamento firmissimo: & hanc veritatem sustentat Doctor per suam Artem Generalem & per alios Doctores, inquiens: quòd errores Infidelium, per quos Fides impugnatur, non essent destructibiles; unde major falsitas prævaleret contra majorem veritatem, quæ est veritas Fidei: præterea labor Theologorum esset inutilis, nam impossibile esset eis pervenire ad cognitionem eorum, quæ sunt Fidei, circa quam cognitionem semper laborant; & sic eorum labor sine careret, & per consequens merito & gloriâ.*

„Præterea si Articuli sunt demonstrabiles, ex „eorum demonstratione sequitur illuminatio dubi„tantium, confirmatio credentium, & directio in„credulorum, & etiam sequitur major dilectio in „Anima hominis; cùm certum sit, quòd illud bo„num, quod magis intelligitur, magis diligitur: „quapropter negantes medium probationis Articu„lorum & Principia Artis Generalis contradicunt „B. Thomæ in primo Sent. dicenti: *Ratio manuducta per Fidem excrescit in tantum, ut ipsa credibilia penitùs comprehendat; & tunc ipsa quodammodo intelligit: unde dicitur Isaiæ 7. Nisi credideritis non intelligetis.*

Præterea contradicunt B. Augustino *in 2. de lib. Arb. c. 2.* inquienti: *Rationem redditurus sum, non ut Fidem respuas, sed ut eajam Fidei firmitate tenens etiam rationis luce conspicias.* Et *in Lib. 8. Tria sunt de genere credibilium, quædam sunt, quæ priùs creduntur, & postea intelliguntur, sicut sunt Articuli Fidei, qui sunt supra rationem.* Et *in Lib. de cog. veræ Vitæ: Cùm Christus Veritas & Vita dicat: Hæc est Vita æterna, ut te solum verum DEUM cognoscant, constat profectò, naturam rationalem ad hoc solùm factam, ut Factorem suum intelligat, & intelligendo diligat, & diligendo in eo, qui est æterna Vita, æternaliter vivat: Divinitatis ergò Essentiam rationabiliter investigare, est ad Vitam festinare; hanc verò negligendo ignorare, est utique ad mortem properare; quia nimirum hic ab ea ignorabitur, deinde à beata vita sequestrabitur.* Et etiam contradicunt Magistro Sent. *in 2. dist. 2.* dicenti: *fecit DEUS rationalem creaturam, ut summum Bonum intelligeret, & intelligendo amaret, & amando possideret.* Et etiam contradicunt Richardo à S. Victore dicenti: *Ad ea, quæ sunt Fidei, non solùm possunt haberi Rationes probabiles, sed etiam necessariæ, licèt eas contingat nos latere.* Etiam *in Lib. de Trinit. c. 8.* promittens, *se non solùm Fide, sed etiam Rationibus necessariis DEI Unitatem & Personarum Trinitatem fore ostensurum.* Etiam contradicunt Anselmo *Mon. 13. c.* dicenti: *Duo opuscula feci &c., ut certâ Ratione, non Authoritate, quæ ad DEUM pertinent, manifestarem.* Et etiam contradicunt B. Petro in Canonica sua dicenti: *Estote parati ad satisfactionem semper omni poscenti vos rationem de his, quæ in vobis sunt Fide & Spe.* Et etiam contradicunt Sancto Doctori *in secunda secundæ q. 2.* inquienti: „Quòd „homo non habens voluntatem credendi ea, quæ „sunt Fidei, nisi per Rationem ad id inducatur, „perdit meritum Fidei; sed homo voluntatem cre„dendi habens ea, quæ sunt Fidei ex sola divina „Authoritate non perdit meritum Fidei, licèt ha„beat Rationem demonstrativam ad demonstran„dum, DEUM esse trinum & unum; nam prop„ter hoc non diminuitur meritum Fidei; ideo sa„piens majus meritum habet non recedendo à Fi„de, propter rationes enim Philosophorum na„turalium non perditur Fides, nam tantum auge„tur Fides, quantum voluntas est magis prompta „amare DEUM; cùm enim gratia non tollat na„turam, sed perficiat, oportet ergò, quòd natu„ralis ratio subserviat Fidei ad intelligendum, & „veritatem ejus demonstrandum, sicut naturalis „inclinatio voluntati obsequitur ad amandum: „Philosophi autem sinè Fide, mediante ente natura„li volebant per rationes naturales notitiam de „DEO habere naturaliter (quod est impossibile) Fi„deles enim mediante Fide theologicâ conantur „per Rationes Fidem probare, conservando me„ritum: nam omne præceptum à DEO factum est „bonum & sanctum, sed DEUS præcepit Thomæ, „ut mitteret manum suam in latus ejus, & digitum „in fixuram clavorum ad demonstrandum veram „Fidem, ergò Fides est demonstrabilis &c. Conclu„ditur ergò, quòd Fides non perditur per Rationes „demonstrativas scibiles medio naturali & objecto „scibili, nec etiâ per experimenta sensualia à Chri-

„ sto facta &c.: ergò per Rationes evidentes demon-
„ strativas probatur Fides, & evidentiùs demonstra-
„ tur, ut Fideles augmentum meriti augeant, & non
„ credentes credant, ut Fidem habeant, per quam
„ Vitam æternam possideant; ad quam ostensio-
„ nem & Fidei augmentationem Principia Artis
„ cum Regulis sunt necessaria, mediante objecto
„ formali & medio demonstrativo ad formandum
„ propositiones & Rationes demonstrativas & ne-
„ cessarias; sinè quibus defensio Fidei & ostensio
„ ejus ac augmentatio meriti ipsius Fidei est impos-
„ sibilis, aut valde difficilis, ût in Commento su-
„ pra Artem & in Metaphysica majori experti sumus.

Hucusque Doctor hic versatissimus in Libris Doctoris Illuminati, nam supradicta ferè omnia desumpsit ex Libris B. Raymundi.

Hactenus audivimus, quid sentiat celeberrimus hic Lullista de Arte sui Magistri, & quem usum præstet hæc Ars in Theologia, nunc audiamus ipsum discurrentem de valore Artis in Philosophia: igitur *Lib. 2. physicæ cap. 19. fol. 42. & seqq.* ubi acutissimus hic Doctor ex Magistro suo probans, universale esse ens reale, & modum contrahendi potentiarum elementativæ, vegetativæ, sensitivæ, imaginativæ &c. sic fatur: *Ex qua quidem & tribus prædictis essentiis per insertionem constitutionemque, non tamen per informationem, efficitur & constituitur unum naturæ artificium, in quo, & per quod, & ratione cujus interiùs exteriùsque ipsa naturâ operatur in quacunque naturali operatione physicè; nam omne, quod est sub lunæ globo, dicitur aut elementatum, aut vegetatum aut sensatum, aut imaginatum vel rationatum, ultra hæc nihil est; ût indagatum est habentibus Magisterium Alchimistarum, qui oculo corporali mirabilia vident naturæ secreta in corruptione antiquarum specierum, novarumque generatione in alembico, immutationéque colorum.* Et infrà fol. 44. agens de æquatione quatuor elementorum prosequitur citans Librum de quinta Essentia B. Raymundi & Astronomiam illius: „ Propterea tale ex amussim artificiû naturale à multis Philosophis naturalibus quinta Es-
„ sentia nuncupatur respectu ad quatuor relatas hu-
„ jus mundi inferioris essentias & substantias; quo-
„ niam ad æqualem gradationem regressum habent
„ particularia; quia corrumpitur primò individu-
„ um accidentale, quod est simul totum & mixtum
„ in quarto modo, & in secundo ejus gradu: se-
„ cundò verò corrumpitur species accidentalis, &
„ remanet tantùm abstractivè naturale genus in gra-
„ datione æquali & æqualiter gradatum; quia nec
„ magis calidum nec minùs frigidum, nec magis
„ humidum nec minùs siccum de quinta Essentia,
„ nec de materia prima & chaos naturali prædicari
„ valent, sed solùm de sphæris & massis mixtorum
„ elementorum: & sicut per corruptionem fit ascen-
„ sus de individuo ad speciem, & de specie ad ge-
„ nus, sic per generationem fit descensus de gene-
„ re ad speciem, & specie ad individuum & mix-
„ tum accidentale, ût conspicuum est scientibus
„ Magisterium Alchimistarum, qui per artem na-
„ turam imitantur, mutant individuum in spe-
„ ciem, & speciem in genus in alembico per an-
„ gulum contrarietatis & definitionem ejus, corrum-
„ pendo mixtum & speciem ejus simpliciter usque
„ ad chaos, & per angulum concordantiæ & ejus
„ definitionem faciunt generationem, ipsius genus
„ naturale determinando, & in specie specificando,
„ & speciem in gradu individuali contrahendo:
„ quoniam sicut de hoc cupro fit cuprum, de cupro
„ fit elementatum corruptâ cupreitate per corrup-
„ tionem, & è converso, per generationem de ele-
„ mentato fit aurum, & de auro fit hoc aurum,
„ quia corruptâ unâ specie quamprimùm alia ge-
„ neratur. Aurea sanè verba, quæ scribantur in plumbi lamina, vel celte sculpantur in silice, ut silice duriores sacræ Alchimiæ & veræ Philosophiæ Lullianæ osores instruant, quomodo veri Philosophi educant aquam de petra, & oleum de saxo durissimo; nil enim efficacius & magis demonstrativum analyseos & syntheseos naturalis, nil ad inveniendum & producendum agens universale convenientius potuisset hic incomparabilis Author ex omnibus Libris antiquorum Sapientum eruere, quàm quod verbis luce meridianâ clarioribus expressit: unde quem hæc non afficiunt, aut caret lumine intellectûs, aut æquilibrio voluntatis: notate ergò verba charissimi Condiscipuli, signate mysteria, vobis enim hic scribitur & metitur.

Sed forsan hæc Doctrina est tantùm Lullistæ & non Lulli? objicient adversarii nostri; igitur dignentur attendere ad ea, quæ statim subdit Januarius: *Doctor enim Illuminatus* (inquit) *Raymundus & Joannes Rupescissæ in suis quintis Essentiis asserunt, quòd cœlum est quinta Essentia respectu quatuor inferiorii Essentiarum; quoniam quinta Essentia semper respectu quatuor Essentiarum dicitur; nam illa, quæ ad quintam Essentiam reducuntur, per regressum semper ad cœlum superiùs ascendunt, & non inferius ad terram descendunt; quia corruptis accidentibus terræ & aquæ ratione accidentium ignis & aeris sursum naturaliter ratione levitatis & subtilitatis tendunt: concludit ergò B. rationabiliter per triangulum viridem & H. I. K. quòd cœlum est quinta Essentia, & naturæ artificium similiter ratione regressûs mixtorum ad superius: in omnibus siquidem rebus mixtis tam calidis, quàm frigidis, vel humidis aut siccis invenitur quinta Essentia, dempto aceto, in quo non est quinta Essentia, neque ab eo potest extrahi in alembico, ût est prædictorum Doctorum Sententia in suis quintis Essentiis: extrahitur autem à particularibus ipsa in alembico igne lento mediante usque ad primam regrediendi materiam per angulum concordantiæ & æqualitatis &c.; sic ars debet imitari naturam, quantum potest, corrumpendo speciem plumbi, & generando artificialiter speciem auri.* Hucusque Jacobus Januarius, quibus verbis cum superioribus non solùm demonstrat secretum omnium secretorum Philosophiæ Lullianæ secretissimum, nimirum præparationem primi agentis, seu primæ clavis ad introitum totius arcanæ Philosophiæ & naturalis Anatomiæ, sed insuper testatur, se non ab alio nisi ab ipsomet B. Raymundo ejusque Discipulo Rupescissa hoc didicisse.

Ulteriùs forsan opponent, Januarium fuisse deceptum allegando librum de quinta Essentia tanquam partum genuinum Lulli, qui tamen sit alterius fictitii & pseudolulli (ût conantur ex chronologia evincere) Ad hanc oppositionem respondemus, Authori in Arte Lulliana & lectione Librorum sui Magistri versatissimo magis habendam fidem, quàm recentioribus in Arte minimè versatis, & soli conjecturæ (quam tamen infallibilem putant) innitentibus: sed demus ipsis, Librum de quinta Essentia non esse Raymundi, suppetunt nobis argumenta invincibilia totius præfatæ Doctrinæ ex innegabilibus Libris Doctoris Illuminati desumpta; rogamus itaque adversarios nostros, ut legant Librum Principiorum Philo-

sophiæ

sophiæ & Medicinæ hoc primo Tomo contentorum, quos, utpote non tantùm theoricos, sed practicos, si intellexerint, præfatam quintam Essentiam propriis manibus poterunt efficere; sanctè enim & ingenuè affirmo, me ex his solis duobus Tractatibus plus solidæ & veræ Alchimiæ didicisse, quàm unquam ex Libris aliorum Alchimistarum potuissem; cùm omnia in illis ad oculum demonstrentur: præterea habent hi duo Libri cum Libro de quinta Essentia tam arctam connexionem, ut unius Doctrina necessariò inferat Doctrinam alterius, illámque tam in theoria, quàm in praxi incomparabiliter clariorem reddat: quamdiu igitur adversarii nostri in praxi nil poterunt ex nominatis duobus Libris exhibere, tamdiu asserimus, se illos non intelligere: & quamdiu illos non intelligunt, tamdiu nos in vanum impugnant: sed de hac materia ampliùs in Perspiciliis Philosophicis.

Scripsit insuper celeberrimus hic Author alios adhuc libros in Artem Illuminati Doctoris, scilicet, *Commentum supra Artem & Metaphysicam majorem* & alios; hunc verò librum dignissimum arbitror, qui tanquam insignis thesaurus Scientiæ Lullianæ Libris & Bibliothecæ B. Raymundi adjungatur: unde optandum esset, ut, sicut nunc formis typicis omnia Opera Illuminati Doctoris consignamus, sic his finitis possemus continuare impressionem Librorum omnium illustrium Discipulorum ipsius hâc primâ Classe contentorum. Nec abs re erit coronidis loco mentionem facere, quantæ Authoritatis fuerit tempore hujus Viri Ars Raymundi, utpote quam Privilegio Pontificio & Ferdinandi Regis Hispaniæ Valentiæ publicè & è Cathedra legit, ût patet ex Approbatione Arti brevissimæ subjuncta *fol. 276. & 277.* & præfati Regis Privilegio approbationi prædictæ annexo *fol. 277.*

Doctor Joannes Lobet oriundus Barcinonæ Professor publicus Artis Lullianæ, de quo suprà in Privilegiis laudabilis mentio facta est.

POsteritati se reddidit commendabilem Commentariis in Artem sui Illuminati Magistri: de hoc Authore mutuatus est Januarius Encomium, quod Arti Generali Doctoris Illuminati suprà attribuit, scilicet, quòd *Ars Generalis Doctoris Illuminati Raymundi sit Donum divinum per Spiritum Sanctum datum Raymundo in fine sæculorum supra modum humanum &c.; quia Ars dicitur ab artando & arcendo, quia naturaliter per principia naturalia, & artificialiter per Regulas artat & arcet & constringit Intellectum humanum cum figuris & naturæ arbore ad recuperandum intelligendi modum verum & rectum sine errore & opinione, quem ante peccatum habuere; postquam per naturam talis modus recuperari non valet ratione maculæ originalis, ad minus per Artem & Artificium Artis recuperetur; quia DEUS sic vult fieri, sicut Paulus testatur, per cognitionem veritatis DEUS vult omnes homines salvos fieri, si volunt veritatem per Artem scire; nam Ars ab ares, quod est virtus, dicitur, disponendo Artistas ad Virtutes Morales primò, & ad Cardinales secundò, & ad Theologales tertiò potentias rationales:* sic Lobet in Compend. subj. 4. Quæ verba ultima perpetuò deberent obversari oculis intellectualibus verorum Discipulorum Lulli, qui frustra conantur ascendere ad culmen supremæ Veritatis, nisi per hanc scalam Virtutis. Porrò universalitatem, & per consequens necessitatem Artis Generalis designat Lobet his verbis: *Humanus Intellectus* (ait) *priùs debet addiscere Artem Generalem Illuminati Doctoris Raymundi, quàm scientias particulares, sicut priùs theoricam, quàm practicam; alioquin aratrum ante boves contra naturam poneretur:* in Arte Notatoria seu Introductoria.

Quàm verò versatus fuerit hic Author in Philosophia secreta B. Raymundi, non latere poterit legentem ejus Opera, & conferentem illa cum Libris Philosophicis Raymundi: videatur subject. 7. in Comp. illius: hoc ipsum innuit allegata superiùs *Naturæ Arbor*, quæ quid sit, nemo novit, nisi admissus sit ad hortum & ad fontem Lullianum, hortum conclusum, & fontem signatum.

Joannes de Rupescissa natione Gallus Ordinis S. Francisci, insignis Theologus, & in Philosophia Lulliana peritissimus.

SCripsit Librum, quem intitulavit *de Famulatu Philosophiæ*, sive *de Consideratione quintæ Essentiæ omnium rerum traditum Pauperibus & Evangelicis Viris Servis Domini nostri JESU Christi.* Plura hujus Libri exemplaria vidi tam impressa, quàm manuscripta; ipse verò liber nihil aliud est, quàm præclara expositio Libri de quinta Essentia B. Raymundi Lulli, cujus tenori verbotenus fermè inhæret; multa tamen addidit, quæ multam lucem afferunt prælaudato libro de quinta Essentia: unde perutile esset, hos duos Libros simul junctos habere. Cæterùm quanta in hoc Illustri Authore enituerit Pietas & Scientia, patet tam ex persecutionibus, quibus examinata fuit illius innocentia & patientia (ût infrà audiemus) tum ex propriis textibus à supradicto Libro desumptis; sic enim loquitur in Proœmio fol. mihi 9. „ Consi-
„ deravi ergò, quòd tempus expensum in pruri-
„ tu mundanæ Philosophiæ plùs quàm annis quin-
„ que ante ingressum Ordinis in florentissimo Stu-
„ dio Tholosano, & plùs aliis quinque, ex quo
„ Ordinem hunc intravi, cum strepitu multo ina-
„ nium verborum & conflictu inutilium disputa-
„ tionum & laude vanâ & gloriâ fatuâ lectionum
„ tam in Studiis particularibus, quàm in genera-
„ libus legens, sicut est possibile tempus prædictum
„ redimere, redimam, perditum restaurem, &
„ elapsum reducam ad manum, ut ex eo extra-
„ ham, jussu JESU Christi, meritum ad æter-
„ nam gloriam profuturum: & sic, quod mihi no-
„ cebat ad culpam, nutu Christi, mihi perveniat
„ ad æternam Vitam: & vidi possibilem modum
„ in hoc, si utilitates, quas vidi in Philosophia
„ divino Spiritu illustrante etiam tempore ju-
„ ventutis meæ (quo tempore affuit mihi DEUS
„ misericors & Miserator suprà modum) revelem
„ pauperibus Christi & Evangelicis Viris, ut, qui
„ divitias propter Evangelium contempserunt,
„ sinè humana Doctrina sciant faciliter & de le-
„ vi ac sinè notabilibus expensis suas corporales

„ miserias & infirmitates humanas divinâ benig-
„ nitate sanare.

Ex quo textu notare possunt inimici nobilissimæ & utilissimæ hujus Scientiæ & Artis, scilicet Alchimiæ, qui putant, antiquos Sapientes non alio fine, nisi ad comparandas divitias & ad conficiendum aurum illam indagasse, quòd longè altiori fine illam inquisierint, nempe ut *primò* quidem perfectam totius naturæ creatæ acquirerent cognitionem, ejusque scirent originem, principia, modos operandi, scilicet generationem, corruptionem, alterationem, transmutationem, regenerationem & reductionem in supremum gradum perfectionis; ut scirent connexionem generis cum genere, speciei cum specie, generis cum specie, & speciei cum genere, ut scirent descensum principiorum in principiata, & ascensum principiatorum in principia, ut cognoscerent, quomodo quælibet virtus posset multiplicari in quali & quanto, h. e. in intenso & extenso: ut denique hæc omnia non solùm certâ & infallibili demonstratione intelligerent, sed ipsomet manuali experimento & Arte synthetico-analyticâ naturæ legibus regulatâ perficerent; hac enim ratione hoc inexplicabili Dono DEI ipsis misericorditer concesso poterant habere intrinsecum & naturalem usum omnium creaturarum corporearum ad vitæ suæ conservationem ab Altissimo ordinatum, & ad infirmitates tam proprias, quàm proximi sui expellendas, nec solo usu artificiali auri & argenti (qualem avari divites sibi in finem suæ felicitatis statuunt) tanquam cortice durissimo, cui in pœnam inordinatæ cupiditatis justitia DEI tam utilem nucleum incluserat, cogebantur adquiescere. *Secundò:* ut acquisitâ scientiâ rerum visibilium invisibilia DEI, per ea, quæ facta sunt, intellectu efficaciùs perspicerent, eorumque excellentiâ inescati, hæc priora discerent contemnere, & posteriora totis viribus prosequi; nam cùm in singulis proprietatibus & perfectionibus creaturarum Creator harum possit visibiliter intueri, quis ambigat, quòd, quantò plures harum & quantò certiùs ac perfectiùs revelantur humano intellectui, tantò intensiùs exarsuram voluntatem in amorem tanti Artificis, nisi omninò recalcitrare velit naturali suæ inclinationi: unde tantum abest, ut studium Alchimiæ augeat cupiditatem divitiarum, quòd potiùs illius acquisitio & vera possessio omnem, si quæ priùs animo insederat, extinguat; quis enim aurum & argentum æstimet, in cujus arbitrio est, & tantum illius habere, quantum cupit, & quando cupit? hinc Illuminatus Doctor noster in Testamento suo ait: *Postea, Fili, non æstimabis omnes divitias hujus mundi unum botonem.*

Quis porrò dubitet, DEUM gloriosum & omnipotentem posse & velle resuscitare & regenerare corpus humanum, si mente perspexerit, & visu corporeo intuitus sit, ipsi à DEO concessam Artem, quâ mediante omnium corporum naturalium perfectissimum & maximè incorruptibile homini subditum possit nihilominùs corrumpere, in sua principia resolvere, purificare, reconjungere & exaltare ad quemcunque perfectionis gradum, & per consequens mirabili artificio naturæ regenerare? & quis inspiciens hoc speculum non excitetur ad contemnendum hoc modicum corruptibilis vitæ, & ad inhiandum ore cordis vitæ, quam nulla insequitur mors, & generationi, quam non infestat corruptio? Hæc & millena alia, quæ suis Discipulis revelat Illuminatus Doctor, Secreta in sua Philosophia, ipsos animavit ad inavestigandam illam quintam Essentiam, de qua superiùs mentionem fecimus, quæque est clavis Philosophiæ Lullianæ, à Rupescissa in suo Libro nobis clariùs exposita; cujus subjectum quale sit, sequentibus verbis sat manifestè ostendit, nisi quis letargo opprimatur: „ Ratio autem (inquit) dictat,
„ quòd corpus corruptibile velle conservare per rem
„ putridam & corruptibilem, & rem formare per
„ rem deformitati subjectam, & facere incorrup-
„ tibile per rem deficientem, & infirmum sa-
„ nare per rem infirmam, & turpe pulchrum fa-
„ cere per rem fœdam, & debilem firmum per
„ rem infirmam, est phantasticum & inane: ergò
„ radix vitæ est, quærere rem de se (si staret in
„ æternum) incorruptibilem, quæ omnem rem
„ sibi unitam, & maximè carnem, semper teneat
„ incorruptam, quæ virtutem vitæ ac Spiritum
„ nutriat & augeat & restauret, quæ omne cru-
„ dum digerat, & omne digestum ad æqualita-
„ tem reducat, & omnem excessum, cujuscunque
„ qualitatis, amputet, & quamcunque qualita-
„ tem deperditam restauret, humidum naturale
„ faciat abundare, & ignem naturalem debilem
„ inflammare procuret. Can. 2. fol. 14.

Et ne quis arbitretur, Authorem intendere, quòd homo per talem Medicinam posset fieri immortalis, huic objectioni obviat ibidem dicens: *Hoc autem in textu sacro infallibiliter tenemus, DEUM unicuique terminum constituisse, qui quocunque humano ingenio vel subsidio non valeat præteriri:* citatque textum illum Jobi: *Constituisti terminos ejus, qui præteriri non poterunt: ergò subsidium illud vitæ* (pergit) *ad terminum prolongandum esset phantasticum & inane.* Postea probat, quòd talis Medicina nec ex elementis nec ex elementatis possit elici, *quia omnia talia sint corruptioni & transmutationi subjecta, & omne corruptibile, infirmum & debile additum suo simili augmentat illud.* fol. 15. „ Oportet igitur (ait
„ fol. 16.) rem quærere, quæ sic se habeat respe-
„ ctu quatuor qualitatum, quibus compositum est
„ corpus nostrum, sicut se habet cœlum respectu
„ quatuor elementorum: Philosophi autem vo-
„ caverunt cœlum quintam Essentiam respectu
„ quatuor elementorum; quia in se cœlum est in-
„ corruptibile & immutabile &c.; sic & res, quam
„ quærimus, est respectu quatuor qualitatum cor-
„ poris nostri quinta Essentia in se incorruptibilis
„ sic facta, non calida sicca cum igne, nec hu-
„ mida frigida cum aqua, nec calida humida cum
„ aëre, nec frigida sicca cum terra, sed est Essen-
„ tia quinta valens ad contraria, sicut cœlum incor-
„ ruptibile, quod, quando necesse est, influit quali-
„ tatem humidam, aliquando calidam, aliquando
„ frigidam, aliquando siccam: talis est Radix vitæ
„ Essentia quinta, quam creavit Altissimus in natu-
„ ra, ut possit supplere necessitati corporis citra il-
„ lum ultimum terminum, quem DEUS constitu-
„ tuit vitæ nostræ &c.: quæ extrahitur de corpo-
„ re naturæ creatæ à DEO cum artificio humano.
Hæc Rupescissa, qui in fine Lib. 1. cap. 44. fol. 101. ostendit, quibus data sit hæc Ars.

Nullus valet (ait) *ad sublimia hujus Artis pervenire, nisi fuerit per altissimam contemplationem & sanctissimam vitam deificata priùs mens ejus, ita ut non solum cognoscat omnia interiora naturæ, sed etiam cognoscat transmutabilem transmutare naturam; & hoc*

hoc paucissimis est concessum: & communiter hi (nempe vulgares Alchimistæ) *fictionum & sophisticationum sectatores sunt, & efficiuntur falsificatores monetæ & sigillorum Prælatorum & Principum, vagabundi, deceptores & sinè religione & damnabilis vitæ: de quibus verificatur ad literam proverbium Pauli 2. ad Cor. 3. dicentis: Semper discentes, & nunquam ad Scientiam veritatis pervenientes* (quod malum non solùm fucis Alchimistarum, sed etiam Philosophorum, Medicorum, Theologorum, Juristarum solet accidere) *quia quando non possunt ad Scientiam perfectam pervenire, ad sophisticationes inutiles se convertunt, & communiter malo fine clauduntur.* Eadem est omnium verorum Lullistarum de fatuis Alchimistis sententia, quæ Rupescissæ; quod esset impossibile, si aut Alchimia nihil esset, aut omnes hi Illustres Authores essent deceptores, ût placuit R. P. Kirchero.

His finitis enarrat sua vincula & catenas, quas innocens passus est, dicens: *Reliqua autem Opera philosophica summè stupenda, quæ hic subticeo, conjectus contra DEUM & Justitiam (sicut in Die Judicii DEUS ostendet) ab æmulis in vincula integris jam septem annis inter compedes & catenas per sublimes theorias & Illuminationes cœlestes didici, inferiùs per libros singulos, si DEUS voluerit, vobis Viris Evangelicis, quibus scribo, plenissimè revelabo, ût potero:* non enim omnibus, *sed solis Sanctis fecit hoc Opus,* ût testatur in Procem. fol. 10. & quidni sapientes Lullistæ reservent solis Sanctis, quod R. P. Kircherus solis Principibus?

Non obstante tanto merito hujus Scriptoris non defuere quidam Chronologi, qui eum nigro carbone notare non sibi nefas duxerunt; quibus omnibus potiorem se reddidit acerbissimus in B. Raymundum ejusque Discipulos Bzovius, collocando Rupescissam inter hæreticos & pseudoprophetas: sed illum egregiè vindicavit ab hac calumnia R. P. Dermicius Thadæi Ord. S. Franc. ût & Illuminatum Doctorem nostrum in Libro, cui titulus: *Nitela Franciscanæ Religionis & Abstersio Sordium, quibus eam conspurcare frustra tentavit Abrahamus Bzovius*; cujus proin eximii Scriptoris videatur *Tom. 13. An. 1357. n. 4. fol. 404.* Laudabiliter quoque de Rupescissa scripserunt Frassardus natione Gallus, Majerus & Henricus Villot insignes Historici, præsertim ultimus, cujus verba sunt sequentia: *Joannes de Rupescissa Vir sæcularis Philosophiæ ornamento clarus, & sacris Literis egregiè instructus, fuit ejus nominis tertius Episcopus Parisiis, & futura multa vaticinatus est Spiritu quodam prophetico, cùm Avenione esset incarceratus, quòd acriter illius temporis vitia perstringeret.* Hæc Villot: subjungit Dermicius: *Quis credere potest, Rupescissam ad Cathedram Parisiensem assumptum esse, nisi præeunte innocentiâ?*

Christophorus Parisiensis Præclarissimus Philosophus & unus inter celeberrimos Discipulos Illuminati Doctoris.

NOmen suum posteris veræ Philosophiæ Amatoribus & Condiscipulis suis plurimùm commendavit quatuor sequentibus Tractatibus, quibus magnam lucem præbet Libris practicis B. Raymundi.

Primus est Apertorium Alphabetale, cujus *Initium*: Charissime Fili, die ultimo Junii recepi tuam Epistolam: *Dividitur* in 18. Capita, *finit*: autem datum Parisiis primâ die Sept. Anno 1476. Est hic Liber manuscriptus in fol. Linguâ Italicâ, ab ipsomet Authore ad quendam Italum suum Discipulum sub forma Epistolæ destinatus, ac Romæ cum cæteris tribus sequentibus fideliter copiatus, ût infrà dicetur. Reperitur quidem hic Tractatus impressus sub nomine Thesauri Philosophiæ Nicolai Flamelli, cujus sanè non est, ût patet ex citationibus, sed mutilatus & planè corruptus.

Secundus est Lucidarium, seu Summa major, cujus *Initium:* In Nomine Domini æterni: postea in Prologo: Misericordias Domini in æternum cantabo &c. *Dividitur* in tres Partes, quarum prima est disputativa: & *subdividitur* in 7. Capita: utinam ea legissent vel imposterum legerent Misochimici; nam omnia illorum argumenta, quæ adhuc hodie contra Artem adducunt, jam à Christophoro ante tot centum Annos refutata invenirent. *Finis*: conduces fatigatam naviculam tuam in portum salutis &c. Postea reperiebantur sequentia: Octavius Grachus Civis Romanus de Regione campi Martis scribebat Romæ ex authentico exemplari fideliter, Anno Salutis Christianæ 1548. die verò secundâ Januarii, sedente Paulo III. Pontifice Maximo Anno ejus decimo quarto. Hic Liber continetur impressus in Theatro Chim. vol. 6. tr. 4. sed miserabiliter detruncatus & plenus vitiis.

Tertius est Summa minor, italicè Summetta, cujus *Initium:* In Nomine sanctæ & individuæ Trinitatis: in Procemio: Charissime Fili, die ultimâ Septembris: in hoc Procemio enarrat Christophorus mirabilem & memoriâ dignissimum casum, qui sibi acciderit ob inordinatam tristitiam, quam conceperat ob amissionem unicæ suæ Filiæ, quæ se Christo dicaverat, assumendo habitum Religionis in Ordine Monialium S. Francisci. *Dividitur* hic Liber in duas Partes principales, scilicet in Theoricam & Practicam: Theorica continet 23. Capita, in quibus ostendit impedimenta Artis, refert Argumenta adversariorum Artis, illâque egregiè solvit, & rationibus solidissimis demonstrat illius possibilitatem, certitudinem & veritatem. Secunda Pars *subdividitur* in quinque Partes. *Finis:* tenendo modum & stylum nostrorum Prædecessorum, quorum Animæ sint benedictæ in æternum & ultra. Subscriptum erat: Octavius Grachus scribebat Romæ Anno 1547. mense Octobri die 4. regnante Paulo Pontifice Maximo Anno ejus decimo quarto.

Quartus est Cythara seu Violetta, cujus *Initium:* DEUS Sanctissime existens ineffabiliter gloriosus. Procemium: Si excelso & glorioso DEO &c. *Dividitur* in duas Partes, scilicet in Theoricam & Practicam. Prima Pars habet 8. Capita, in quibus enarrat impedimenta Artis, in cap. 7. invehitur in sophistas & deceptores, docetque modum eos cognoscendi: cap. 8. jubet cavere à quibusdam: *Tertii* (sunt verba Christophori) *& ultimi artifices, qui inveniuntur in hac dignissima Scientia & Arte, debent vitari omnibus viribus, cùm sint homines phantastici; & quamvis hæc tertia secta sint homines docti in aliis Scientiis, nihilominùs in hac sunt ignorantissimi; nam postquam de illa desperarunt, dum non potuerunt adimplere suum desiderium, & ob passionem illius perdiderunt fidem* (scilicet Artis) *facti sunt*

sunt Schismatici & hæretici (nempe hujus Scientiæ, non Religionis) *cum qua fallaci opinione mordent hoc nostrum divinum Magisterium cum infinitis argumentis, quæ in nostra Summa majore vel Lucidario plenariè solvimus, manifestando illorum malignam iniquitatem:* ita Christophorus. Hæc cantilena malè sonaret in auribus D. Segui, si adhuc in vivis esset, qui ob Artem à se frustra attentatam omnes Alchimiæ Professores è commercio humano tolli exoptabat, in Vita Raymundi cap. 8. nisi ab hoc errore (scilicet) desistant; *y no queriendo salir del, quisiera verles tan desterrados del commercio humano, como ellos desterran las verdaderas letras y Philosophia de su entendimiento:* si secundùm D. Segui vera literatura & vera Philosophia concordat cum ignorantia, Doctor Segui fuit optimus Philosophus, sed ego malim esse pessimus.

Secunda Pars: nempe Practica, *subdividitur* in duas Partes, in Opus minerale & vegetabile. *Finis:* Et hìc fecimus finem nostro Alphabeto nostræ prædictæ Violettæ: omnes hos Tractatus ob singularem illorum utilitatem in gratiam Condiscipulorum nostrorum Linguæ universali Operis accomodavimus, retento exactissimè sensu textûs, & nullo verbo omisso; observavimus enim in hoc ipso & in aliis Auctoribus, quòd translatores brevitati studentes multa quandoque omiserunt, quæ ad contextum operis ipsis videbantur inutilia (v. g. præfationes capitulis præfixas) quorum neglectu ingens damnum illatum est studiosis horum librorum; nam cùm Scriptores & Authores librorum citationibus horum vel similium textuum usi sint ad connectendum filum scientiæ, & explicandum unum ignotum per aliud magis notum, omissione talium textuum interruptum est omne vestigium ad inveniendam semitam veritatis: exemplo sit Apertorium & Lucidarium Christophori, quæ à nobis latinæ fidei data conferant cum impressis, & verum me scripsisse propriis oculis testabuntur.

Videamus nunc, quid celebris hic Discipulus dicat de suo Magistro? in Procœmio itaque suæ Summæ majoris seu Lucidarii, postquam enarrasset, quòd Filius DEI ad demonstrandam suam Liberalitatem & infinitam Misericordiam non solùm voluerit incarnari, sed etiam in utilitatem humanæ naturæ voluerit, *quòd hæc famosa Scientia & Ars non maneret incognita & abscondita apud prudentes & justos, sed inspiraverit gratiam suæ Sapientiæ in aliquibus Servis suis,* inter quos numerat Hortulanum & Arnaldum de Villanova: dein, *post istum* (ait) *fuit Præclarissimus Raymundus Lullus de Insula Majoricarum, qui inspirante Spiritu Sancto fecit infinitos & nobilissimos Tractatus & gloriosa Volumina apud prudentes & discretos:* sed quinam sunt hi Libri, quos tantum extollit Christophorus? in Apertorio Alphabetali cap. 6. lit. G. agens de Modo componendi quintam Essentiam fragrantem ait: *Istud est Fili, de quo tractat Raymundus Dux noster in sua Epistola accurtatoria.* Et paulò infrà: *Satis tibi dixi oretenus declarando tibi multa dicta nostri Ducis, & maximè in tertio & quarto capitulo de quinta Essentia* (est Dist. 3.) *de Definitione, quam facit de Menstruis solutivis & resolubilibus.* Et cap. 10. lit. L. §. nunc Fili tibi volumus declarare, ait: *Dux noster revelavit istam materiam in Libro, quem appellavit Librum Secreti occulti, ubi Illuminatus Doctor revelat materiam, celando omninò practicam; & similiter in Libro intitulato Vade mecum, & infinitis aliis Voluminibus, quæ tibi sunt nota.* Et parte 4. Lucidarii adducens rationes in favorem Artis citat *Practicam Testamenti Raymundi*, & parte 6. Lucidarii cap. 5. in Solutione quinti Argumenti citat *Libri de quinta Essentia Raymundi* caput, quod incipit: *Fili, multi Philosophorum*; & statim infrà citat *Codicillum seu Vade mecum.* Item cap. 63. *Formæ minoris*, quod incipit: *Fili, nos tibi diximus, quòd humiditas radicalis, & secundam partem Testamenti*, item parte 7. Lucidarii cap. 2. iterum citat *Dist. 3. Libri quintæ Ess.* item *Librum Quæstionarii*, item *Librum septem Rotarum*, item in quarta Parte 2. par. Summæ minoris cap. 1. citat *in 3. Dist. Libri quintæ Essentiæ Illuminati Philosophi Raymundi Lulli pract. sermoc. cap. quod incipit: Completâ itaquef. & Librum Animæ Artis ejusdem Raymundi* cap. quod incipit: *Tu in virtute de A. Princeps Serenissime.*

Ne quis verò existimet, Christophorum obiter tantùm inspexisse hos Libros, & conjecturis deceptum, audiatur in Prologo Lucidarii: „ Pro „ Duce nostro (inquit) elegimus Patrem Ray„ mundum in Scientia, quam jam multis Annis „ indagavimus, & hoc propter dignissimum Sti„ lum & profundissimam Scientiam & Doctrinam „ prædicti Doctoris. Quare profundissimam? Re„ spondet *in 2. parte secundi Libri Summæ minoris cap. 4. circa finem:* „ Quoniam Raymundus aliquoties „ ponit plus substantiæ in uno suorum capitum, „ quàm in duobus suis Voluminibus. Hunc stilum proin & modum scribendi imitatus est Christophorus, ût ipsemet asserit in cap. 5. primæ partis 2. libri: ubi rationem reddit, quare posuerit literas loco nominum, scilicet *ad observandum laudabilem stilum & modum Præclarissimi Philosophi Raymundi Lulli nostri benigni Præceptoris, cujus Anima sit benedicta in æternum & ultra.*

Denique affirmat Christophorus, *se omnia prædicta recollegisse ex Duce & Patre suo Raymundo cum ordinato modo pro tua informatione descripto, adhoc ut scias separare granum à palea &c., & ut videas, quòd fuerit fidelis Discipulus prædicti Doctoris.* Luc. Lib. 1. p. 7. c. 2. Fidelis certè & verus Discipulus tanti Doctoris, qui non speculativè tantùm, sed practicè assecutus est, quod Philosophia Lulli promittit, ût sanctè affirmat in multis locis horum Librorum: unde cùm prædicti Libri multum conferant ad intelligentiam Librorum practicorum nostri Illuminati Doctoris, testimonio Authoris cap. 6. Aper. dicentis: *Scias Fili, quòd ego tibi elucidaverim omnes Libros Ducis nostri Raymundi*, eorum frequentem & sedulam lectionem suadeo Condiscipulis meis, qui vocatione divinâ sentient se inclinari ad tam nobile & utile studium, nec patiantur se inanibus verbis adversariorum privari tanto DEI Dono.

Ludovicus Cornelius Rigius omnium verorum Discipulorum B. Raymundi Lulli facilè primatum sibi vendicat,

NAm scripsit aureum & incomparabile Opus commentariorum in Libros Doctoris Illuminati viginti uno Voluminibus comprehensum, quo nil sublimius nil excellentius & ad intima Secreta Artis penetranda utilius ac magis necessarium excogitari potest; ac proin candidè fateor, nisi per

per singularem gratiam & misericordiam DEI mihi obtigisset fors acquirendi præfatum Opus, quod meritò inscribitur *Thesaurus mundi absconditus, notus tamen, sed paucis, & est Donum DEI*, sub onere tam absconditæ & ingenio unius hominis imperscrutabilis Scientiæ non debuissem non opprimi: nam præterquam quòd Author hic inclytus, qui plus quàm quadraginta duos annos in studio Librorum Lullianorum emensus est, ût ipsemet par. 1. foculi cap. 13. asserit his verbis: *Nam ætas annorum quadraginta duorum in diversis Studiis & Operibus, ut hoc perficerem, jam consumpta est in his.* Et in par. 1. comment. com. 1. *Quadragesimis singuli anni laboris Studiis accuratissimis Auctoris fuere. Aurea Opera* (sunt iterum verba Rigii par. 1. foculi prologo 2. n. 2.) *magni Raymundi, quæ fragmentata & dilacerata penitus inscitiâ nonnullorum erant, in majori parte inventa alias in unum corpus restauratum solidumque redegerit, & accenderit novum foculum*, h. e. *conscripserit Opusculum multorum terminorum multarumque rerum absconditarum in omnibus Operibus Raymundi undique aggregatis, examinatis fontibus dubiorum theoricalium practicalium que vel occultorum luminum absconditorum in profunditate multarum cavernarum* (ût Author ibidem habet) redegit omnes Figuras totius magni Operis tam theoricas quàm practicas, tam intellectuales quàm instrumentales in certum ordinem integro Libro de his efformato, quem *Voythiæ* sive *Adjutorii* inscribit, deficientes restituit, (ût videre est in Arbore Elementali Testamenti, & pluribus aliis figuris, quæ in omnibus Exemplaribus impressis absunt; sinè qua Arbore Elementali nemo Lullistarum intelliget Arborem Elementalem Libri Arboris Scientiæ; nam hæc est basis & fundamentum, cui totus ille Liber est inædificatus) Tabulas porrò & Literas tabularum partim mancas partim transpositas, indebitis coloribus signatas emendavit (ût apparet n. 21. par. 1. foc. ubi ait: „ Ne„ cesse est emendare optimos Libros magni Autho„ ris depravatos à manibus malorum hominum. Et admirabili Commento sulphurum, quod fecit *super Librum Tabularum & Figurarum Magnæ Artis Raymundi Lulli* (sunt verba Rigii in initio præfati Commenti) totamque machinam universæ Artis & Scientiæ Lullianæ tam intellectualem, quàm operativam ab imo usque ad summum his Voluminibus complexus est, referando suis Discipulis aditum ad ultima & etiam summis Artificibus incognita Secreta; quod stupendum *Opus post multorum annorum laborem, cùm per omnes partes Scientiæ peragrasset, visis Operibus Raymundi, imò inveteratis in suis manibus in canitie annorum septuaginta novem complevit*, sicut testatur cap. 3. n. 3. Comment. sulph.

Inspiciamus nunc, quid sentiat hic sublimis & verè doctus Lullista de suo Magistro & ejusdem Libris? par. 1. Comment. super Yconomum n. 21. *inter Latinos nostros* (ait) *natura concessit nobis celeberrimum Raymundum Lullum Lumen magnarum rerum.* Et cap. 1. Ycon. ubi ponit centum aphorismos, quos, dicit, se hausisse *ex fonte manante profundæ Scientiæ Raymundi Viri primarii inter peritissimos in his rebus scibilibus.* Et in Comment. sulph. lib. 3. c. 21. postquam revelasset secreta Tabularum Testamenti, decerpit unum surculum Magnæ Arboris, h. e. aperit quoddam Opus secretissimum prædictæ Arboris, *quæ radices tendit usque ad profundum incognitum terræ, & folia sive cacumen ad ultimum sphæræ naturæ, ad sensum demonstrandum profundissimum profunditatis ingenii altissimi Doctoris.* Et in Lib. Aftocrator cap. 1. agens de occultatione Artis per antiquos Philosophos: *Tandem* (ait) *natura Raymundum produxit, qui sæculis nostris quodammodo solus ipse Lumen aperuit.* Et paulò infrà pergit: *Namque elapsa tempora annorum quatuor millium sunt, quod nullus antiquorum aut Græcorum vel aliorum hujus turbæ numerosæ Scientiam eorum scitam planè docibilem in lucem adducere voluerit præter ipsum primum Raymundum, quanquam non parvo velamine more quàsi antiquorum.* Et in Lib. Trial. secr. occul. cap. 1. exponens arcana Figuræ S. (cujus ne quidem externam formam ullus reformatorum Lulli vidit, ne dicam intimos illius recessus) *centrum verò hujus profundi* (inquit) *usque ad tempus nostrum, præter Raymundum, neminem vidimus olfecisse.*

Modò inquiramus, quos Libros Raymundo adscribat Rigius? Hos recenset in parte 1. Comment. n. 21. ubi sic habet: *Fecit Raymundus Librum Testamenti divisum in Libros sex, videlicet in formâ majorem, in formam minorem, tertio verò loco Pars secunda Testamenti est divisa in duas Partes practicales, videlicet in Practicam Testamenti, & in Librum Mercuriorum; quintus verò dicitur Liber Patientiæ, incipit: Fili ad componendum dictam Medicinam, ultimus autem Cantilena est, & hæc finis Testamenti est.* (Nota: hujus Testamenti priores tres Libri sunt simul impressi, sed pleni defectibus ac mutili; duo verò posteriores sejuncti à præcedentibus, & à se ipsis; nam ultimus, nempe Liber Patientiæ habetur in Fasciculo aureo Raymundi Lulli Francofurti impresso Anno 1630. sub nomine Practicæ Testamenti novissimi, cujus secundum Librum illum constituit ignorantia amanuensium: est porrò totus hic Liber in suis capitulis tam miserè discerptus, transpositus, innumeris vitiis repletus, ut nemini possit esse utilis; quem proin collatum ad plura Exemplaria MSta antiquissima in primævam puritatem restituimus) *composuit Librum unum divisum in Theoricam & Practicam sub diversis nominibus positum, id est, Artem Compendiosam, Vade mecum, quem Apertorium nominavit, in quo Secreta multa mirabilia denudavit: fecit Librum Secretorum, videlicet quintæ Essentiæ, divisum in tres Partes seu Distinctiones &c.: itaque summum ingenium clausit determinando Librum Secretorum Naturæ: fecit etiam Librum Secreti occulti, fecit Librum Practicæ brancharum, fecit Artem Operativam, fecit Lapidarium magnum, fecit tres Libellos, quos appellavit Apparatus, fecit Epistolam Accurtationis, fecit Commentum Artis Magicæ, fecit ipsam Artem Magicam* (non utique impium illum Librum de Invocatione Dæmonum, sed de Magia Naturali) *fecit Librum Animæ Artis, fecit Librum de Fuga Periculorum, fecit Librum de Rebus sensibilibus, fecit Librum Principiorum Philosophiæ, Gubernaculum Navis, Librum figurarum instrumentalium totius Scientiæ, fecit proprietarium Artis, fecit Librum Experimentorum, qui incipit: Sapientes dixerunt, & alia quàm plura Opuscula.* Hos omnes Libros & plures alios agnoscit Rigius pro genuinis Lulli Operibus, sed negant Mutus, Wadingus, Custurerius, Sollerius, Segui: at enim verò si numero tantùm certandum esset, tot facilè opponerem affirmantes, quot negantes, computa antecedentes & sequentes Authores.

Sed instabis: præfatos negantes probare con-

trarium ex Chronologia, & ego: affirmantes probare ab intrinseco, h. e. ex concordantia Doctrinæ, ex indubitatis B. Authoris Libris cum Libris in quæstionē ductis combinatis, ex sublimitate utriusque generis Artium, quæ in neminem cadere potuit, nisi in B. Authorem, ex Principiis ab Arte desumptis, ex eodem stylo, ex eadem lingua, ex assertis ipsius D. Authoris extractis ab indisputabilibus Operibus, ex his & similibus demonstrationibus, quas in Perspiciliis expansas videre poteris, evincunt suum assertum, & oppositas meras conjecturas in auras abigunt, ût folium, quod vento rapitur: cujus igitur judicio potiùs standum censes? an Virorum, qui triginta, qui quadraginta annis Lullianos Codices volverunt, ruminarunt, in succum & sanguinem verterunt, qui opere comprobarunt, quod mente investigarunt, qui ævo Illuminati Doctoris erant propinquiores? an illorum, qui modicam vel omninò nullam horum Librorum habuere notitiam, qui à temporibus Illuminati Doctoris remotissimi, qui dubiâ Historicorum fide, & per consequens solo fundamento ab extra petito se stabiliunt?

Quàm autem difficile sit hos Libros Raymundi intelligere, eorumque intimum sensum penetrare, vel ipsi Adversarii nostri refutationibus suis ostendunt; nam non ipsam Artem adoriuntur per textus ex his Operibus vel ex Arte in illis contentâ petitos (nisi fortè extremis, ût ajunt, labris unum vel alterum tangendo) absterrentur enim difficultate hujus Scientiæ, quam si binâ vel ad summum ternâ unius libri lectione non statim percipiunt, in Auctorem libri debachantur dicteriis, ajuntque, Chimicos studio affectare hanc obscuritatem ad tegendam suam impostúram, cùm potiùs deberent ingenuè fateri suam ignorantiam, de qua erubescunt: nec insuper reflectunt, se ipsos in communicandis suis inventis comparatione tanti arcani vix paleâ dignis adeò parcos, per consequens idem facturos, si tot annis, tot laboribus, vigiliis, itineribus, studiis tanto thesauro potiti essent: his igitur ut veternum excutiat Author, hortatur ad studium horum Librorum. *Nam non perfacile est* (ait Lib. 4. foc. n. 1.) *catenam tantorum Librorum Raymundi habere &c.; verùm si habebis Doctorem, parvo labore suavissimum quid gustabis; sed si talem non poteris invenire, antequam judicare nostra præsumas, aut studere, primùm judica omnia Raymundi; studere enim ea tibi necesse erit, non postpositâ suâ Arte regulatâ; nam potiùs camelus per foramen acûs, quàm quis in hæc descripta, introire poterit absque præmissis.*

Requirit itaque doctissimus Rigius exactam notitiam Artis Generalis Lulli (in qua qualis & quantus fuerit, ostendunt hi Commentarii) antequam quispiam hos Libros secretos aggrediatur; hâc priùs exactè cognitâ non credat, se statim principia Philosophiæ secretæ Lullianæ ex citatis Libris eliciturum; *quæ principia non cum parva Scientia, non in parvo tempore quis habere potest*, ût idem Rigius part. 3. Voyth. n. 18. & suo proprio experimento testatur; cujus ratio est, *quia antiqui sua, quamvis vera, tamen absconsa dederunt suis figuris, dimittendo Filiis suis laborem studii ad transitum operis.* Auth. in Lib. 1. Chaos n. 9.

Finem dabimus honori magni hujus Philosophi recensendo Syllabum Librorum, quibus Scholam Lullianam ditavit: sunt itaque sequentes: *1. Tconomus. 2. Commentum in Tconomum. 3. Liber Voythiæ. 4. Liber Chaos. 5. Liber Foculi. 6. Trialogus. 7. Practica quadripartita. 8. Liber Secretorum. 9. Gubernaculum Currûs. 10. Hysterologia. 11. Proprietarius Sulphurum. 12. Hermaphroditus Cholericorum. 13. Proprietarius Artis. 14. Aftocrator. 15. Liber Secreti occulti. 16. Elenchus. 17. Liber Fontis Vitæ. 18. Commenta Sulphurum. 19. Liber de Loco & Esse quintæ Essentiæ. 20. Soliloquium Philosophiæ majus. 21. Liber de oportunis Remediis.*

Complevit verò totum hoc immensi laboris Opus circa Annum Domini 1492. die ultimâ Januarii, ût habet in 3. Com. Sulph. n. 23. & quia tum temporis jam agebat annum suæ Ætatis 79. ût suprà est allegatum, ambitu vitæ suæ fermè totum quintum sæculum complexus est.

D. Raymundus de Sabunde in Artibus & Medicina Doctor, & in sacra Pagina egregius Professor.

INter alios Libros, quibus se Doctoris Illuminati genuinum probat Discipulum, *Librum Creaturarum* seu *Theologiam Naturalem* impressum Argentinæ per Martinum Flach Anno 1496. mense Jan. die 21. felicis Ingenii & Artis adeptæ nobis reliquit monumentum; est enim judicio Eminentissimi Cardinalis Joannis Bonæ in Notitia Authorum, quam ponit circa finem suorum Operum impressorum Anno 1694. in lit. R. *Raymundi de Sabunde Theologia naturalis valde ingeniosa, praxin continens Artis Magnæ Raymundi Lulli: Adrianus Turnebus dicebat, hunc Librum esse quintam Essentiam Divi Thomæ.* Digna sunt, quæ in præfato Opere de excellentia Artis & Scientiæ commemorat, ut hìc ponantur: sic itaque Author statim in principio libri: „ Ista Scientia est sicut Alphabetum „ omnium Doctorum; & ideò, sicut Alphabetum, „ primò debet sciri: quare quilibet, si vult intel„ ligere omnes Doctores &c., habeat istam Scien„ tiam, quia est lumen omnium Scientiarum; imò „ ista est incorporata in libris eorum, sed non appa„ ret, sicut Alphabetum est incorporatum in omnibus Libris: ideo si vis esse solidatus, funda„ tus, firmatus, certus, addisce primò hanc Scien„ tiam, aliter eris vagus, profugus, non habens „ stabilitatem in te ipso; quia ista est radix & ori„ go & fundamentum omnium Scientiarum &c.; & „ ideo, qui habet istam Scientiam, habet funda„ mentum & radicem omnis veritatis.

„ Ulteriùs: ista Scientia nullâ aliâ indiget sci„ entiâ neque arte; non enim præsupponit Gram„ maticam atque Logicam, neque aliquam de li„ beralibus Scientiis sive Artibus, nec Physicam, „ neque Metaphysicam &c.: ista Scientia est com„ munis tam Laicis quàm Clericis & omni condi„ tioni hominum, & potest haberi infra mensem „ & sinè labore, nec oportet aliquid inspectorari, „ nec habere aliquem librum in scriptis, nec po„ test tradi oblivioni, si semel habita fuerit, & „ facit hominem lætum, humilem, benignum, „ obedientem, & odio habere omnia vitia & pec„ cata, & diligere virtutes, & non inflat neque „ extollit scientem (videatur Blanquerna Magnus Raymundi.)

„ Præ-

„ Præterea hæc Scientia arguit per Argumen„ ta infallibilia, quibus nullus potest contradicere; „ quoniam arguit per illa, quæ sunt certissima cui„ libet homini per experientiam, scilicet per om„ nes creaturas & per naturas ipsius hominis, & „ per ipsummet hominem omnia probat, & per „ illa, quæ homo certissimè cognoscit de se ipso „ per experientiam, & maximè per experientiam „ cujuslibet rei intra se ipsum; & ideo ista Scien„ tia non quærit alios testes, quàm ipsummet ho„ minem: per istam Scientiam potest solvi omnis „ quæstio, quæ debet sciri &c.; & hoc sinè diffi„ cultate, & cognoscuntur omnes errores anti„ quorum Philosophorum & Paganorum ac Infi„ delium &c.; & omnis Secta, quæ est contra Fi„ dem Catholicam cognoscitur & probatur infal„ libiliter esse falsa & erronea.

„ Item hæc Scientia in principio apparet valde vi„ lis & nullius valoris, eò quia incipit à rebus mini„ mis, quas quilibet vilipendit; sed tamen in fine te„ quitur fructus nobilissimus & infinitus, scilicet „ Notitia de DEO & de Homine; quia quantò „ magìs incipit in rebus humilibus, tantò magìs „ ascendit ad cœlestia & ardua: & ideo, qui vult „ habere fructum, exerciteat se primò in principiis „ humilibus hujus Scientiæ, & non contemnat, „ quià aliter nullum fructum haberet: quia puer, „ nisi bene primò fuerit exercitatus in cognitione „ alphabeti & cujuslibet literæ per se, non pote„ rit postea bene addiscere ad legendum: & ideo „ non sit alicui grave, quia plus sciet infra men„ sem per istam Scientiam, quàm per centum „ annos studendo Doctores. Hucusque doctissi„ mus Raymundus de Sabunde, verè ad mentem sui Divi Præceptoris, cujus ad singulas supradictas assertiones possemus proprias sententias adducere, nisi prolixitatem timeremus.

Sed quid ad hæc Anti-Lullistæ? utique exclamabunt, vah quid ais! *An nos bardi, crassóque ingenio assequi non possemus ea, in quibus Raymundi sectatores reconditas significationes & arcana majora contemplantur melioribus oculis? an hallucinantur potiùs, & videre se fingunt, aut somniant, quod non vident, & digito conantur ostendere, quod nusquam est?* Joannes Mariana S. J. in Hist. de Rebus Hispaniæ Francofurti impressâ 1608. in fol. lib. 15. cap. 10. pag. 643. vult dicere: *nunquid & nos cæci sumus?* Joan. 9. v. 40. sed absit, ut asseramus, Marianam fungorum in patria crassóque sub aëre natum, dicamus potiùs, Lullistas cæcos, & illum videntem; potest tamen quandoque contingere, *ut, qui non vident, videant, & qui vident, cæci fiant* Joan. c. 9. v. 39. Et hoc non ex defectu visûs, sed ex perfectione vel defectu medii dispositi vel indispositi ad videndum, v. g. aëris lucidi vel tenebrosi; *diligunt* enim *homines* quandoque *magìs tenebras, quàm lucem* Joan. c. 3. v. 19. quid igitur mirum, si *tenebris obscuratum habent intellectum* Ephes. c. 4. v. 18. Quapropter si naturâ cæci nati sumus, & in tenebris ambulavimus, gratias agamus DEO nostro, *qui de tenebris nos vocavit in admirabile lumen suum* Pet. 2. v. 9. illuminans illo fidelem Famulum suum Raymundum, ad cujus participationem fraternâ charitate invitantes & amicos & inimicos nostros, dicimus: *Venite & ambulemus in lumine Domini* Isa. c. 2. v. 5. agnoscamus ignorantiæ nostræ cæcitatem, & perveniemus ad scientiæ claritatem.

Quàm plura alia possem adducere ex illustri hoc Authore de altitudine, certitudine & infallibilitate, generalitate, utilitate hujus divinæ Scientiæ, de modo eam acquirendi, de modo ejus demonstrandi &c., quæ in locum magis opportunum, nempe de Secretis Artis, reservare satiùs judicavi.

Admodum Reverendus Magister Petrus Degui Montis Albi Presbyter sæcularis, & Inquisitor generalis hæreticæ pravitatis per totam Hispaniam.

EDidit *Introductorium admodum breve & succinctum ad omnes scientias*, quod Januam Artis Illuminati Doctoris Magistri Raymundi Lulli nuncupavit, impressum Coloniæ Anno 1516. mense Majo. Incipit Liber: *In Nomine JESU, in quo omne genu cœlestium, terrestrium & infernorum flectatur:* ordinatio hujus Libelli mole quidem exigui, virtute verò amplissimi est ad mentem Illuminati Doctoris, nempe à sensualibus ad intellectualia; in quam ordinationem præcedens Author & omnes veri Lullistæ conspirant; rationem hujus assignat in introitu Libri: *Quia à deviatione finis oportet etiam, modum habendi se ad finem deviari* (hanc deviationem factam insinuat per peccatum primorum Parentum, cujus labe non solùm Anima est inquinata, sed etiam intellectus corpori infecto immersus) *ideo* (pergit) *quod primò erat scibile, ei post scibile factum est; propter quod ordine è converso* (inverso) *procedendum est in operatione ipsius intellectûs, à compositis videlicet ad simplicia, & à simplicibus ad divina.* Totus hic eximius Libellus imitatur Librum de Ascensu & descensu Intellectûs Illuminati Doctoris, quo ad ordinem, item primæ Regulæ Commenti super Artem Demonstrativam: plura mutuò sumpsisse videtur ex Libro Chaos & ex Libro Quæstionum in Artem Demonstrativam & Inventivam, aliqua ex Libro de Gradibus & Principiis Medicinæ; quale est istud insigne Secretum de *Materia prima*, non illa Peripateticorum metaphysica, sed Chimicorum Lullistarum physica, de qua suprà egit Lavineta, & hìc Degui agens de mutua informatione quatuor elementorum simplicium; *quæ elementa simplicia ût forma & ût materia cujuslibet aliis, & ût causa formalis & causa materialis totius mutuâ informatione mediante constituunt & in esse ponunt unum esse communi determinatione nominatum, quod elementum commune dicitur* (de hoc elemento communi loquitur Doctor Illuminatus in Lectura super Art. Inv. & Tab. Gen. Dist. 3. par. 2. de quæst. Elem. comm. ubi multa Secreta de hoc elemento revelat) *in quo æquè tam secundùm substantias, quàm secundùm accidentia ingrediuntur, ita, quòd ex substantiis substantia resultat, & ex accidentibus determinatio quædam æquali gradatione æqualiter resultat; quod resultatum & ex his constitutum & proportionatum æqualiter materia prima omnium generabilium & corruptibilium dicitur.*

Item in §. *Insuper DEUS:* ostendens, quomodo ex hac materia prima & quatuor formis universalibus per agentia naturalia *resultet unum artificium naturæ, in quo & per quod producuntur & in*

esse veniunt omnia particularia elementata absoluta & subunita; exhibet ordinem syntheticum illorum à materia prima, *quæ est elementatum de quatuor elementis constitutum, & determinatione accidentali æquali gradatione æqualiter gradatum.* Certè tale animal (talis materia prima) in porticu stagyritæ haberetur pro hircocervo vel vulpanſere; & cùm ſecundùm Doctrinam Raymundi infrà adducendam ſit crudum, & per conſequens coquendum, neſciret culina Ariſtotelis, an magis congrueret aſſum, an elixum.

Admodum Reverendus Dominus Joannes Aubrius Presbyter Monspellienſis Scientia Lulliana, Medicinæ & ſacrorum Canonum Doctor Eximius, Abbas noſtræ Dominæ de Aſſumptione, Conſiliarius & Medicus ordinarius Regis Galliæ.

LInguâ ſuâ vernaculâ, h. e. Gallicâ Librum typis mandavit Pariſiis circa Annum 1659. jam quintâ editione renovatum, & in quinque diverſa Idiomata translatum, ſcilicet Latinum, Hiſpanicum, Italicum, Germanicum, Anglicum. Inſcribitur Liber: „Triumphus Archæi & Miraculum „mundi, vel Medicina univerſalis & vera ad ſa„nandas omnis generis infirmitates etiam deſpera„tiſſimas &c., confirmata per Rationes neceſſarias „& Demonſtrationes infallibiles, quibus nemo ſa„ni judicii poteſt contradicere: ubi inſuper viden„tur Principia & Fundamenta omnium Scientia„rum, Diſciplinarum & Artium omniumque Sci„bilium præteritorum, præſentium & futurorum, „Methodo maximè mirandâ, & hucuſque inaudi„tâ cum altiſſimis perfectionibus, quæ poſſunt at„tingere Intellectum humanum.

Præter hunc Librum fecit alium, cui Titulus: *Sol Microcoſmi*, in quo dat Theoriam Medicinæ Paracelſicæ veræ ſubſtantialis & particularis: item transtulit in ſuam maternam ex latino *Libellum de Amico & Amato B. Raymundi Lulli:* cui præfixit Titulum *Medicinæ univerſalis Animarum:* edidit pariter Librum *de Inſtructione Concionatorum:* vidimus inſuper de hoc Authore Præfationem impreſſam cujusdam libri, quem placuit ipſi nominare *Tubam Evangelii*, vel *Librum Librorum (poſt ſacram Scripturam)* in qua dicit, ſe diu converſatum eſſe cum Atheis, Infidelibus & Doctoribus Paganis, eâ intentione, ut per ſacram Scripturam, Relationem Miraculorum, Hiſtorias, Patres Eccleſiæ & noſtros Doctores illos induceret ad amplectendam veram Fidem, ſed exiguo & ferè nullo fructu, donec cum illis egerit per Rationes neceſſarias & demonſtrativas, de quibus videtur totum hunc Librum compilaſſe; quem tamen non editum puto, nil enim exceptâ hâc Præfatione poſt ſedulam inquiſitionem è Francia obtinere potui. Denique nactus ſum illius *Compendium Ordinis admirabilis Cognitionum & pulchrorum Secretorum S. Raymundi Lulli Martyris cum Compendio conſultationum & gratiarum actionum* ipſi ſubmiſſarum ex omnibus terræ partibus à Sapientiſſimis, Doctiſſimis, & in omni gradu Dignitatis vel Ordinis exiſtentibus Viris.

Qualis verò & quantus fuerit hic Author in Arte & Scientia Lulliana, & ſupradictis Librorum ſelectiſſimorum Argumentis ſufficienter probat veris Lulli Diſcipulis, & Opere per totum orbem notiſſimo omnibus fidem fecit (ſi eos excipias, qui nemini credunt, niſi ſibi ipſis) teſtatur enim Author in præfatione ſupradicta, *quòd ſuis remediis plus quàm ter centum millia hominum omnis ætatis, ſexûs & conditionis fuerint reſtituti in priſtinam ſanitatem ex omnibus Regionibus, Provinciis, Regnis &c.* Præparavit autem has medicinas vel remedia omnia & ſingula quâdam Quintâ Eſſentiâ, de qua loquitur in præf. ſui Archæi fol. 21. his verbis: *Quinta Eſſentia ſimplex præparat remedia ſubſtantialia magis perfecta, in hoc, quòd attrahit tria elementa pura* (tria principia) *promptè & facilitèr; quæ eſt mirabilis commoditas in Medicina.* De hac attractione (Lullianâ phraſi abſtractione) antiqui Sapientes Medicorum mentionem fecerunt ſub nomine excorporationis: unde celeberrimus Arnaldus de Villanova Præceptor Illuminati Doctoris in Libro de Vinis hoc ipſum Secretum, quamvis aliquatenus obſcuriùs per unum modum, ſed clariùs per alterum, expoſuit, immiſcens (Philoſophorum more) vulgaribus arcana Artis, in §. *Vinum naturaliter laxativum*, oſtendens, quomodo ſimplicium virtutes excorporentur per vinum: *Et hæc eſt melior excorporatio medicinarum, quæ fieri poſſit, & pauci ſciunt hoc &c., & nihil eſt forte neque admirabile ſcienti illud: & qui ſcit naturas & potentias rerum ſimplicium, & habet imaginativam fortem, in opere naturæ facit apparere mirabilia &c., & qui neſciunt Magiſterium, mirantur. Beatus igitur ille Medicus, cui DEUS dat ſcientiam & intelligentiam, quia eſt naturæ ſocius: ſed heu! multi ſunt vocati, pauci verò electi &c.: ideo bene diffinit quidam dicens: Medicina eſt Scientia, quæ neſcitur:* hæc Arnaldus.

Lectionem hujus Libri de Vinis jungant Condiſcipuli mei Libro de Graduationibus Medicinarum & Libro de Simplicibus Arnaldi, item Libro de Quinta Eſſentia & Libro de Principiis & Gradibus Medicinæ Illuminati Doctoris; & ſi hos libros intellexerint, tum demum judicent, an B. Raymundus ſit Author librorum Chimicorum, an non, & non antè; tanta enim eſt horum librorum connexio, ut perfecta cognitio unius haberi nequeat ſinè cognitione aliorum.

Redeamus ad Quintam Eſſentiam Aubrii, quæ præter alias perfectiones, quas ſimplicibus ſpecificis communicat, etiam virtutem illorum mirum in modum exaltat, ût etiam ſupra nos docuit Rupeſciſſa: ſed à quo Authore didicit hanc Quintam Eſſentiam Aubrius? *Author hujus Quintæ Eſſentiæ ſimplicis* (ait fol. dicto 21.) *eſt magnus Magiſter S. Raymundus Lullus Martyr, de qua compoſuit quendam Librum, qui fuit notus Rupeſciſſæ Presbytero & Religioſo S. Franciſci*; ſynonimum hujus Quintæ Eſſentiæ dicit eſſe Alkaheſt Paracelſi: ejus præparationem inſinuat fol. præc. 20. *Spagirica* (inquit) *ſeparat elementa pura ab impuris de omnibus mixtis illa decomponendo* (per analyſin naturalem reſolvendo in ſua principia) *pura nominantur ſal, ſulphur & mercurius, & poſtea illa reconjungit vel reunit, ut mixtum vel remedium ſit integrè perfectum, evolutum è ſuis elementis impuris vel veneno, nominatis phlegma & caput mortuum.* Hoc eſt Vinum Arnaldi regeneratum (non vulgare) quo tanquam

tanquam principio & agente vel inſtrumento univerſali (quamvis non univerſaliſſimo) docet Aubrius fol. 22. præparare *remedia generalia & ſpecifica*, quæ *ſpecifica* vocat *Elixiria*, & *generalia* vocat *Arcana*, quibus duobus tot millia hominum ſe ſanaſſe gloriatur; nondum enim tum temporis perfecerat *magnam illam Quintam Eſſentiam, quæ millies altior eſt ſupradictâ priori* (ût habet in Prologo ſui Archæi) *poſtea pervenimus ad cognitionem magnæ & incorruptibilis Quintæ Eſſentiæ, quam S. Raymundus Lullus ſatis obſcurè publicavit ad eundem finem converſionis Infideltum, poſt laborem decem annorum, quæ ſanat omne genus infirmitatum.* quod factum Anno 1658. 15. Sept. vid. conſult. fol. 134. & fol. 263.

Quamvis perfectio Diſcipuli ſatis deprædicet gloriam Magiſtri, libet tamen nunc ipſum Aubrium adducere loquentem præconia B. Raymundi cap. 4. Trium. ſui Archæi ſic habet: *Et cùm retulerim Authoritatem S. Raymundi Lulli Martyris, neceſſarium eſt, ut toti orbi monſtremus, Libros hujus magni Viri debere recipi velut unius Patris Eccleſiæ; quod probo per octo rationes:* has fuſiùs ab ipſo relatas contrahimus, ût ſequitur. *Prima* deſumitur ex Titulis ipſi adhuc viventi datis à Regibus Galliæ, Hiſpaniæ, Angliæ, & aliis nationibus ac Regnis. *Secunda* per Approbationem quadraginta Doctorũ Univerſitatis Pariſienſis. *Tertia* per Miraculum perpetuum Myrti vel Lentiſci literis arabicis ſignatæ. *Quarta* per Diſputationem Raymundi cum ſubtili Scoto ſuper verbo: *DEUS, quæ pars. Quinta* per Decretum R. P. Bernardi Ermengandi Inquiſitoris generalis Regni Aragoniæ, quo abſolvit B. Raymundum à calumniis & impoſturis Eimerici. *Sexta* per Sententiam definitivam Bernardi Epiſcopi Caſtellæ Comiſſarii Apoſtolici, quâ caſſat & annullat, quidquid hactenus actum contra B. Raymundum & ſua Opera. *Septima* per Concilium Tridentinum, quod poſt exactum Examen cauſæ B. Raymundi juſſit expungi illius Libros in Catalogo prohibitorum. *Octava* per Privilegia in favorem Doctrinæ Lullianæ à Regibus Aragoniæ & Hiſpaniæ data, qui fundarunt Univerſitatem Lullianam Majoricæ, ejusque Doctores Sorbonenſibus dignitate æquales. Addit inſuper Aubrius, Leonem X. Summum Pontificem ſpeciali Bullâ Majoricenſibus permiſiſſe recitationem Officii & celebrationem Miſſæ in honorem S. Raymundi Lulli Martyris, de quo alibi, quando ex profeſſo de ejus Pietate agemus. Denique in ſummam redigens Author ſupradicta, ait: *Per has octo rationes videtur, quòd Authoritas hujus magni Viri S. Raymundi Lulli Martyris eſt confirmata per Reges, Generalem Inquiſitionis, Legatum Pontificis, Commiſſarios Apoſtolicos, Concilium Tridentinum, utpote qui nil ſcripſerit niſi infallibile & verum, in quo ſupergreditur omnes Doctores mundi: hinc juſtè poſſidet titulum Magiſtri Sapientiæ, Principis Intelligentiæ, Inventoris Doctrinæ, Fundatoris Scientiæ & Monarchæ omnis generis Philoſophorum & Doctorum.*

Simile Elogium dat ſuo Magiſtro in præfat. ad Lect. Conſultationibus præmiſſa fol. 8. & 9. ubi aſſerit, Paracelſum fuiſſe Diſcipulum Lulli *Excellentiſſimi & maximè ſublimis inter omnes homines, qui fuerunt, & forſan unquam erunt, qui eſt incomparabilis S. Raymundus Lullus Martyr, cujus Myſteria medica* (Paracelſus) *penetravit: non ſicut quidam ignorantes, qui, dum non poſſent cognoſcere ipſius Myſteria & Artificium, inutili ſuâ Rhetoricâ ſe detinuerunt, quam fundarunt ſuper vanas opiniones contrarias luminibus Illuminati S. Raymundi Lulli, qui non ſtabilivit ſua præcepta, niſi ad deſtruendum errorem & falſitatem, quæ ſunt in omni genere ſcientiarum, ſtabiliendo ſolam ſcientiam veram &c.; quod, cùm ſit occultum & valde myſterioſum, obligavit graves & ſubtiles ignorantes, vel putatitios Sapientes (per fatuos, philodoxos, vel adoratores magnorum voluminum) qui illum non potuerunt comprehendere, ut adhærerent fundo ſolius Rhetoricæ Lullianæ (quæ eſt modica pars Doctrinæ) vilipenſæ ab ipſomet S. Raymundo Lullo Martyre &c.* Et cap. 3. fol. 109. Triumph. ſui Archæi: *Ariſtoteles tractavit de Rhetorica valde bene, & S. Raymundus Lullus longè perfectiùs, quæ eſt ratio, quòd plures ignorantes crediderunt, quod Ars brevis & magna S. Raymundi Lulli nil aliud eſſet, quàm excellens quædam Rhetorica, vel quoddam genus Logicæ bene accomodatæ.* Et in Comp. Ordinis adm. Secretorum S. Raymundi Lulli Martyris ſapientiſſimi omnium hominum, ubi fol. 3. loquens de profunditate Artis, monſtransque, quòd, *quamvis ſua alta lumina non niſi in ſeptem rebus conſiſtant, ſcilicet Sapientiâ, Intelligentiâ, Doctrinâ, Scientiâ, Rationalitate, Eruditione & Eloquentia, quæ totum comprehendant (nec inveniantur in Europa niſi quatuor perſonæ, quæ habeant ſua vera lumina & ſuam clavem) & quidam peregrinus, quem Romæ invenerit, nihilominùs, ut ſe aliquatenus accomodaret ignorantiæ, & ne omnino videretur extraordinarius, ſimulavit ſe ſcribere de quadam ſcientia univerſali, quamvis non poſſit eſſe niſi una ſola (ût ipſemet fatetur) quæ eſt cauſa, quòd potior pars hominum, qui non poſſunt comprehendere ſua Myſteria occultata ſub cortice terminorum valde ſimplicium, detenta ſit à Rhetorica Lulliana, quæ eſt modica pars Doctrinæ; & cùm nil niſi admirabile ſit in S. Raymundo Lullo, inveniuntur quidam, qui per hanc Rhetoricam ſe faciunt admirari per diſcurſus ſubtiles & elevatos &c.*

Hæc Aubrius in Theoria & Praxi Artis & Scientiæ Lullianæ verſatiſſimus: quid adhæc R. P. Sollerius, utique dicet in Actis S. Raymundi §. 11. f. 25. *veterem eam eſſe & pervulgatam de Lullo fabulam &c., quòd Chimicam & docuerit, & per ſe ipſe multoties exercuerit: imò eſſe commenta Viro ſanctò injurioſa.* Hem quantum malum! ſed unde probat Sollerius, hanc eſſe fabulam? an fortè legit Libros Raymundi tam illos indubios, quàm de Chimia illi adſcriptos? an utrosque intellexit? minimè gentium, ſed à Vincentio Mut & Waddingo tela mutuatus eſt, & à Chronologia contra Chimicos Lulliſtas, putat enim *plebejas has fabulas* (ſic nominat Aſſertiones Chimicorum) per *plebeja argumenta* horum duorum Auctorum *egregiè* (ſi Diis placet) *confutata:* quid autem roboris in ſe contineant Muti & Waddingi oppoſitæ rationes, examinabimus infrà Perſpiciliis Lullianis; hìc ſolum placet P. Sollerio dare ſolvendũ ſequens argumentũ: aut Aubrius verum ſcripſit de ſe & ſuo Magiſtro, aut verum de ſe, & falſum de ſuo Magiſtro, aut falſum de ſe, & verum de ſuo Magiſtro, aut falſũ de utroque? ultra hæc quatuor membra nullum ſupereſt: ſi dicatur tertium & quartum (quod tamen ſinè impudentia neminem dicturum puto) tollitur omnis fides humana, & Viro toto orbe celeberrimo infertur calumnia falſarii ac deceptoris; præterea tot hominum illuſtria teſtimonia arguuntur mendacii: ſi dicatur primum, habemus intentum; ſi verò ſecundum, admittit Sollerius Diſcipulum majorem Magiſtro, quod abſit; *non enim*

est Discipulus super Magistrum, sed sufficit Discipulo, ut sit sicut Magister ejus. Math. 10. v. 24. & 25. Porrò si injuriosum est, Chimiam scire & practicè exercere, injuriosum est habere scientiam perfectam mineralium & rerum naturalium, injuriosum est scire generationem, corruptionem, transmutationem, regenerationem, perfectionem, multiplicationem virtutum, injuriosum est habere perfectam potestatem & usum naturalem creaturarum dominio hominis subditarum: & si hoc totum est injuriosum, contrarium erit justum, scilicet esse ignorantem, impotentem, inexpertum & inutilem in omnibus prædictis. En, quàm præclara argumentatio! & tamen sic implicitè argumentatur Eximius Pater Sollerius Amicus mihi plurimùm venerandus: unde judico, ipsum potiùs ad sollicitanda Chimicorum ingenia, quàm seriò hoc scripsisse, more scilicet ipsius B. Raymundi, qui simili methodo contradicendi ab Arnaldo suo Magistro certitudinem Artis elicuit, ût ipsemet fatetur in fine Lapidarii sequentibus:

„ Fili (inquit) credere non potuimus ab ali-
„ quo Artem Alchimiæ, quin totum esset factum
„ per sophisticationem, & non virtutem proprie-
„ tatis, quæ data est materiæ: unde nos repro-
„ bavimus unum inter alios, qui ibat per mun-
„ dum, multis rationibus per oppositionem, ut
„ possemus tantùm unam guttam aquæ extrahe-
„ re scientiæ ad extinguendam sitim, quæ adeò
„ fortiter nos torquebat: sed quia citò sensit,
„ quòd nostræ rationes non tangebant factum
„ propriæ radicis, quam natura requirit, statim
„ oppositi, quòd essemus extra res, quæ sunt in-
„ tra latitudinem dictæ naturæ; & illud nobis di-
„ xit, credens, quòd faceremus ad extrahendum,
„ quod suum erat, & quòd non faceremus, nisi
„ ad explorandam veritatem facti: quare contra
„ suum dictum toto nostro posse cum rationibus
„ & causis, quæ sunt à natura, cœpimus mon-
„ strare: tunc ipse incepit intrare in partem di-
„ ctæ naturæ, allegans rationes, quæ tangebant
„ profundè circulos perfectivos, qui sunt in ter-
„ mino & latitudine dictæ partis: unde nos tam
„ citò accepimus arma pro opponendo contra eum,
„ quando vidimus claritatem sui dicti, quòd nos
„ transformavimus per humanas rationes in te-
„ nebrositatem, in tantum, quòd nesciret, quid
„ deberet dicere de sua clara scientia, quousque
„ per experientiam nobis præclusit rostrum sinè
„ aliquo verbo per contrascientiam, quæ clarior
„ est meridie cum sua proprietate, fecitque de
„ plumbo melius aurum in sua virtute, quàm ex-
„ eat de minera. Ita Raymundus: verusnè an
fictitius, ponderabimus lance exactissimâ & im-
partiali admotis insuper Perspiciliis Lullianis, ne
nostros oculos fumis & meteoris aludelorum Ge-
bri hebetatos hallucinari conquerantur.

Petrus Baudovinus Dominus de Montarsis.

PLurimorum Voluminum tam in Artem Generalem, quàm in varias Artes & Scientias particulares ac specificas scriptorum Author ac insignis Lullista, quorum tamen pauci (nempe inferiùs nominandi) typis prodierunt. Collegi Parisiis Authore jam vitâ functo sequentia manuscripta (præter alia non pauca Lulliana antiquissima) ipsius Baudovini propria, sedecim tomulos in quarto solummodò de Arte Generali agentes, Opus eximium, si ad calcem fuisset perductum; sed singulæ ipsius partes rudi quâdam ichnographiâ in chartam sunt conjectæ, & per consequens imperfectæ relictæ, nullius proin utilitatis: asservantur etiamnum in Bibliotheca Serenissimi Electoris Palatini Düsseldorpii.

Transtulit idem Author totum Librum de Quinta Essentia Raymundi Lulli in linguam vernaculam, scilicet Gallicam, adjunctis expositionibus, restituendo deficientia quædam, & exhibendo figuras, tabulas literásque propriis suis ab ipso B. Raymundo præscriptis coloribus, magni pariter laboris, industriæ & perspicaciæ opus, aliquot tomis sat densis in quarto conclusum.

Eidem linguæ suæ maternæ commisit Testamentum novissimum B. Raymundi; scripsit pariter Tractatus de Mathematica, Justitia, Medicina, Astrologia, Morali, de Commercio, de Immortalitate Animæ rationalis, de Agente universali, de Materia prima dissolventis & modo illud præparandi, de Clave in Libros Medicos & Chimicos B. Raymundi, quæ omnia MSta vidimus, legimus, & principiis Lullianis conformia reperimus.

Typis dati sunt sequentes: *le Traité des Fondemens de la Science generale & universelle*, hoc est, Tractatus de Fundamentis Scientiæ generalis & universalis, in quo videtur modus inveniendi maximas immediatas & mediatas, & methodus inde trahendi theoremata, inductiones & consequentias, quibus mediantibus potest fieri investigatio altissimarum & utilissimarum Veritatum &c. Anno 1651. Parisiis impressus in 8vo: totus liber dividitur in *quatuor partes:* in *prima* continentur Conditiones & Regulæ necessariæ, quibus Artifex disponitur ad faciendam investigationem veritatis: in *secunda* continentur Principia universalissima Artis generalis, quæ sunt secundùm Baudovinum tantùm duo positiva, scilicet *ens* & *unitas*, & duo privativa, scilicet *nihil* & *cerus* seu *nulla*, quæ ab ipso in hac parte probantur: in *tertia parte* eliciuntur ex his prædictis principiis Maximæ seu Conditiones: & in *quarta parte* ponuntur Propositiones, Theoremata & Demonstrationes.

Cæterùm hæc Methodus non caret eximiâ laude, cùm verè reguletur ad normam in Scientiis mathematicis usitatam, procedendo per principia universalia & per se nota ad invenienda & demonstranda subalterna, & per hæc ad particularia quævis reperibilia in scientia universali & specificis vel particularibus, & è converso, assumpto quolibet particulari regrediendo ab individuo ad speciem, & à specie ad genus: sicut ipsemet Author docet part. 1. fol 15. his verbis: *Faciam etiam videre modum inveniendi primas maximas Artium & Scientiarum; per quem ordinem possunt stabiliri illarum prima fundamenta, & quomodo conveniat descendere de generali vel universali, & transire per speciem ad faciendam applicationem ipsi individuo: iterúmque ascendere de individuo, transire per speciem usque ad genus vel universale: & per quam viam possint extrahi ab uno solo & unico principio omnes Artes & Scientiæ, ac referre seu reducere totum ad dictum principium, sequendo ordinem rerum realium.* Hanc divinam Methodum Baudovinus non aliunde

aliunde hausit, quàm à divo suo Magistro, quamvis integram assecutus non sit, cùm non habuerit sufficientia Documenta Lulliana, ût patebit confertentibus Opera Doctoris Illuminati, quæ nunc typis mandamus, cum hoc tractatu Baudovini: hoc tamen in commendationem hujus præclari Discipuli non reticere me convenit, videlicet in omnibus Commentariis omnium Reformatorum Lulli tam solidum fundamentum non reperiri, quo pedem figere potuissent ad movendam hanc terram Lullianam, de qua verificandum speramus illud S. Scripturæ: *Terra autem in æternum stat.*

Lucem quoque vidit Parisiis editus Anno 1668. ab ipso Authore sequens liber sub titulo: *Traité de la Raison*, h. e. Tractatus de Ratione, in quo videtur sua origo, quid sit in DEO, in Arte & Natura, & quomodo per ipsius medium possit inveniri veritas, fieri progressus ad applicationes, & reditus ad principia cognitionis secundùm ordinem naturæ & secundùm methodum scientiæ generalis: ubi quoque videntur aliquæ observationes *quoad fundamenta & applicationes hujus Scientiæ generalis, & quanam sit utilitas, quæ possit sperari à Tractatu Clavis Secretorum Naturæ compositæ per B. Martyrem Raymundum Lullum; ubi probat per rationes & demonstrationes, quòd est possibile invenire remedia ad conservandum vigorem & sanitatem & ad curandas infirmitates &c.* Hoc idem integro cap. 10. hujus tractatûs fusiùs probat, ex quo capite quædam excerpere mihi visum est perutile ac jucundum lectu Condiscipulis meis Secretorum Artis Amatoribus, cùm ipse liber sit rarus, & in paucorum manus deveniat, ac Linguæ Gallicæ ignaris non posset esse proficuus.

Sic itaque prælaudatus Author dicto cap. 10. scribit: „ Fecimus applicationes secundùm hanc „ methodum generalem ad Artes & Scientias ac „ Negotia, imò etiam ad Chimiam, quæ est fun- „ data super ordinem Naturæ, ubi videtur pro- „ batio & possibilitas Operis Philosophorum, Ma- „ gisteriorum & Operationum utilissimarum ad in- „ venienda remedia, per quæ possit conservari sani- „ tas, & curari infirmitates. Et cùm B. Martyr „ Raymundus Lullus profundiùs tractaverit de hac „ materia, quàm quivis alius, prout videri potest „ in suis Operibus Chimiæ, Medicinæ, Astrolo- „ giæ, Physicæ, imò majori efficaciâ & ratiocì- „ natione inde locutus sit, & pulchriora ac ma- „ jora secreta revelaverit, me obligatum censui, „ ut secundùm suam Artem generalem explicarem „ quendam Tractatum ab illo factum, qui est *Cla- „ vis Secretorum Naturæ* (est hic Liber de Quinta „ Essentia) per quem quis poterit intelligere omnia „ sua Opera, præsertim Libros Chimiæ & Medi- „ cinæ, ût etiam antiquum & novum Testamen- „ tum (sunt Libri Chimici) Codicillum, Tracta- „ tum de Experimentis, de Lapidibus pretiosis, „ Librum Mercuriorum, Artem Intellectivam, & „ plures alios, quos fecit.

„ In hoc Tractatu (Quintæ Essentiæ) Ray- „ mundus Lullus videre facit per ratiocinationem „ & demonstrationem, quòd sit possibile inveni- „ re Medicinam generalem & universalem ad con- „ servandam sanitatem, & curandas infirmitates „ &c.: potior pars Authorum (quos ibi nominat) „ à Raymundo Lullo mutuata est, quod potissi- „ mùm admiramur in illorum scriptis: & rariora „ Secreta Medicinæ & Chimiæ, quæ sibi aliqui „ attribuerunt, sunt desumpta ex Libris hujus Au- „ thoris, per eundem Tractatum poterit facilè in- „ veniri modus explicandi aliqua ænigmata anti- „ quorum & plures Libros, quos composuerunt, „ per quod potest fieri discretio inter verum & fal- „ sum, inter bonum & malum. Hoc est cineri- „ tium & cupella, quibus omnia possunt exami- „ nari ad separandum purum ab impuro, sic „ erit facilè judicare, quòd per hunc ordinem con- „ veniat operari & ponere manum ad opus, „ vel per ordinem similem, & quòd non sit nisi „ unus tantùm, qui est ille Naturæ, quem opor- „ tet imitari per medium Artis & unionis agen- „ tium naturalium; quia hoc modo semper erit „ quis fundatus in ratione; & per consequens to- „ tum, quod non est secundùm hunc ordinem, est „ error & manifesta deceptio.

Invehitur dein in sophistas, & detegit ac enarrat illorum fraudes; hoc verò nomine sophistarum claudit duo horum genera, illorum scilicet, qui gloriantur, se Libros Alchimicos Raymundi intelligere, & illorum, qui omnia Artis (generalis) arcana modúmque in ea procedendi exactè se pervidisse ostentant; de quibus ait: „ quòd „ subitò se jactent, ad conciliandam sibi fidem, „ se posse explicare & interpretari omnes Libros „ Raymundi Lulli, quos non intelligunt, & non „ possunt comprehendere: non est (inquit) nego- „ tium tam facile, ût plures sibi persuaserunt, „ colligendo notata (modo ordinario) ex Operi- „ bus hujus Authoris, nisi habeatur intelligentia „ hujus Tractatûs Clavis Secret. Nat. & sciatur mo- „ dus illum applicandi ad explicandos alios suos Li- „ bros; totam enim vitam meditando insument, nec „ quidquam poterunt comprehendere, dicentque, „ esse fatuitatem & Chimæram, ac risu excipient, „ imò asserent, Raymundum esse deceptum &c. Moderno tempore pauci sunt Lullistæ, qui sic sentiant, ne Magistro suo injuriam irrogent (suâ opinione) sed facilius se expedire credunt, si negent, Libros Chimicos esse Raymundi; hac enim ratione se exsolvunt debito notitiæ & interpretationis illorum; modo ferè consimili (sit venia verbo) quorundam hæreticorum, qui scientes suam impotentiam consecrandi, facillimè illam obtegere se posse arbitrantur negando, Christi mentem fuisse, se præsentiâ corporali sistere sub speciebus Panis & Vini.

Prosequitur Author: „ Nunquam fuit mens „ Raymundi, vulgo committere intelligentiam „ hujus Libri; hoc enim non competit nisi mag- „ nis Viris & præsertim bonæ voluntatis homini- „ bus &c.: *non est Liber, qui sit magis curiosus, solidior, magis admirabilis inter omnes illos, qui usque modo comparuerunt, si quis considerat intentionem, ordinem, structuram, methodum & ratiocinationes, item secreta, quæ possunt servire Medicinæ &c.*; „ quod inveniri potest per applicationem „ omnium alphabetorum & plurium literarum par- „ ticularium, quinquaginta vel sexaginta tabula- „ rum, sexcentum figurarum ad minus, cum no- „ tis, coloribus, characteribus & signis Elemen- „ torum, quæ oportet nosse ad intelligenda sua „ Opera, & ad observandum, quid fieri conve- „ niat in præparationibus, operationibus, quatuor „ regiminibus, Magisteriis: & nisi habeatur se- „ cretum hujus Clavis vel ordinis huic similis, est „ impossibile illuc pervenire.

Quæ dicta Baudovini sunt verissima; unde si ofo-

si osores Alchimiæ vel jota intelligerent de hoc solo Libro Quintæ Essentiæ, non possent non in stuporem verti ob incomprehensibilem altitudinem scientiæ & artificii in hoc libro expressis, ita, ut certus sim, vel uno hoc argumento se convictos fassuros, à nemine præterquam tanto Doctore quidquam simile potuisse concipi; quod clariùs & ad oculum exponam in Perspiciliis Lullianis. Hæc omnia innituntur principiis & maximis seu conditionibus Artis generalis, ac ordini figurarum suæ Tabulæ Generalis, Modalium ac Logicæ, per quæ convenit transire ad formandum æquum judicium, ût ipsemet B. Raymundus præscribit: neminem certè hactenus Lullistarum vidi, qui tam arduum negotium attentare ausus sit, exceptis his paucis primâ hac Classe recensitis.

Sed fortè quis ista penitiùs considerans, videnséque tantam adstrui Artis difficultatem, me contradictionis arguet, cùm in superioribus Artem de mira facilitate commendare conatus sim, regeretque in me illud Poëtæ: difficilis, facilis, jucundus, acerbus es idem. Ut hanc difficultatem utili solutione hujus dubii amoveam, dico, Scholam Illuminati Doctoris quâdam ratione Cœlo comparari posse; nam sicut Incolæ Domûs illius cœlestis omnes felices sunt, quamvis in illa domo sint multæ mansiones dignitate utique & gradibus differentes, sic in hac Domo Sapientiæ multæ sunt cathedræ, una illustrior alterâ: si tibi placet in hac Schola cum B. Magdalena supremam Veritatem contemplari tantùm, optimam partem elegisti; si cum B. Martha vis agere veritatem, bonam assumpsisti: quid si utramque? jam dixi alibi, majorem esse perfectionem in posse, scire & velle, quàm in scire tantùm, & majorem perfectio non acquiritur nisi majori difficultate: qui potest capere, capiat.

Reverendus Dominus Antonius Perroquet Presbyter.

VIndocini Anno 1667. imprimi curavit Linguâ Gallicâ *Vitam & Martyrium Doctoris Illuminati B. Raymundi Lulli cum Apologia suæ Sanctitatis & suorum Operum contra mendacium, invidiam & maledicentiam.* Hujus eximii Viri & Lullistæ probati mentionem cum laude fecimus suprà in secunda Classe Authorum vel Discipulorum Lulli apud D. Hautevil: jam hìc aliqua ex sua Apologia excerpemus scitu digna, & quæ servient in gloriam & commendationem Artis Lullianæ. „ Si hi (ait „ cap. 3. fol. 67.) qui contemnunt suam (Lulli) „ Artem, insumpsissent laborem examinandi sua „ opera, & se occuparent in illis attentè legendis, „ ut illa redderent sibi intelligibilia, persuasum „ habeo, illos judicio in Artem magis propenso „ usuros, quàm utantur; sed illorum ignorantia vel „ modica curiositas non possunt non esse causa hu„ jus contemptûs. Et cap. 5. fol. 88. „ Opera om„ nium Virorum Illustrium, qui secuti sunt me„ thodum nostri Doctoris (quos citat *præc. cap.*) „ satis monstrant, illam non esse vanam, inuti„ lem & contemptibilem, qualis videtur Philoso„ phis hujus temporis, qui omnem conatum ex„ serunt ad illam deprimendam, & suum Autho„ rem diffamandum; quia hi (primi) non sunt „ minùs habiles & illustres, quàm hi (ultimi) imò „ sinceritas & probitas, quam Doctrinæ junxe„ runt, exaltant illorum Authoritatem, & faciunt, „ quòd approbatio, quam dederunt in favorem „ hujus Scientiæ, sit incomparabiliter magis re„ ceptibilis, quàm censura horum spirituum cri„ ticorum, quorum doctrina semper associata est „ vanitati insuportabili & superbiæ tam luculen„ tæ, quàm est Philosophia exotica, superficialis, „ apparens, puerilis vel fœminea (alludit ad Philo„ sophiam Cartesianam) quam docent: vilipensio, „ quam faciunt omnium aliorum in suis libris, scho„ lis & conferentiis publicis, satis detegit malum „ illorum sensum & mediocritatem scientiæ: ve„ ra scientia non inflat cor, sed disponit potiùs ad „ humilitatem &c.

Conqueritur postea justo planè dolore, quòd suo tempore viderit in scholis traduci Raymundum & suos Discipulos publicis thesibus, & quidem à Viris Religiosis, qui non sint veriti „ appellare „ Lullistas temerarios, eò quòd sustinent, nihil es„ se, quod non possit sciri per illorum Artem: sic „ quidam Professor in Philosophia cujusdam Or„ dinis Religiosi illos nominabat nuper in thesi pub„ lica, in qua hic Philosophus lædendo Justitiam „ & Charitatem religiosam nullum sibi scrupulum „ fecit, Lullistis dare locum inter Infideles, & il„ los separare à Christianis: opprobrium ridicu„ lum & calumnia mali exempli in ore personæ „ hujus professionis. Ostendit postea neminem magis zelo Fidei animatum, quàm B. Lullum & Lullistas: „ quia nemo est, qui legerit Raymun„ dum Lullum, qui nesciat, hunc solum Autho„ rem applicare suam Philosophiam pro defensio„ ne nostrorum Mysteriorum, conando detegere „ veritatem illorum per rationem ad convincen„ dos Infideles, impios & hæreticos: inventio suæ „ Artis & compositio omnium suorum Operum „ non aliò tendit, quàm ad hunc finem. Porrò „ Lullistæ non habent aliud motivum, quàm il„ lud sui Magistri, quem conantur imitari in hoc, „ ad exaltandum meritum Fidei, & confirmandos „ Fideles in sua Fide; est itaque indiscretum & ex„ tra omnem rationem illos separare à Christianis. Ecce Thesin: *Nihil sciri dubius asserit Academicus: nihil non sciri contendit Lullista temerarius: medio tutissimus Christianus.*

Certè si optimus Perroquet incurrisset in quasdam theses hoc tempore impressas, in quibus B. Raymundo nostro affingitur, quasi solâ ratione naturali vellet demonstrare Mysteria Fidei (quod non somniavit Lullus, imò in centenis locis suorum librorum claris terminis contrarium docuit) si legisset ea, quæ R. P. Franciscus Smalzgrueber S. J. in Judice Ecclesiastico Ignolstadii impresso Anno 1719. l. 1. p. 1. tit. 1. de Summa Trinitate §. 1. n. 6. contra Raymundum ex erronea & insufficienti informatione adducit: imò si ipsi innotuisset, Demonstrationes Lullianas à R. P. de Rhodes mutuatâ sententiâ Thesibus publicis inauguralibus *ad aniles Fabulas ablegari*, potuissetnè cohibere bilem? at ego; sed motos præstat componere fluctus: hanc solùm humiliter flagito humanitatem à Viris Ecclesiasticis præsertim & Religiosis, si B. Authoris illos non movet reverentia, moveat proprii honoris observatio & modestia statui suo conveniens; informent se, obsecro, meliùs, antequam calamum chartæ imprimant, ne comparente demum illorum insufficientiâ in formando vero

vero judicio alienam (ût putabant) turpitudinem in se ipsos reflectant nullis sæculis expurgandam. Non potui non mirari, quando in prælaudato R. P. Smalzgrueber pro confirmanda sua sententia sequentia annotata reperi, scilicet *gentiles Philosophos notitiam Mysterii Trinitatis sibi comparasse ex lectione Librorum Moysis:* legi non unà vice Libros Moysis, nec memini, me unquam offendisse in illis vel apicem de Trinitate, nec quicunque alius inveniet, nisi recurrat ad Expositionem Christianorum Interpretum: mirabile planè, Judæos hoc invenire tot sæculis non potuisse in Libris Moysis, quod potuerunt Gentiles; quasi verò Hebræi aut minùs felices fuerint in Philosophia, aut minorem gratiæ apparatum Gentilibus habuerint. Cæterùm adhuc magis intollerabile auditu videtur, Responsa Idolorum & Apollinis Delphici Gentilibus revelasse Mysterium Trinitatis; quasi verò dæmones fuissent magis largi in humanum genus, revelando divina Mysteria, quàm ipse DEUS: an non his omni jure objici posset: *Nunquid non est DEUS in Israël, ut eatis ad consulendum Belzebub?*

Redit in memoriam, quæ S. Augustinum commemorasse ferunt de Platone, illum nempe totum Initium Evangelii S. Joannis usque ad illa verba: *fuit Homo missus à DEO:* ante tot sæcula pronuntiasse; non puto, R. P. Smalzgrueber asserturum, Platoni à dæmone tam nobile dictamen infusum. vid. Conc. 2. in festo S. Joannis Bapt. apud Taulerum, ubi simul docet modum, quo Ethnici Philosophi cognoverunt mysterium SS. Trinitatis.

Non plus roboris habere videtur secundæ objectionis solutio à dicto R. Patre data: *non* (inquit) *Theologorum labor in eo situs est, ut ratione naturali Mysterium hoc demonstrent, sed ut ostendant, veritatem ejusdem rationi illi non repugnare;* vel Lullianâ phrasi, veritatem ejus non esse contrariam rationi. Regerent Lullistæ: si Veritas Articulorum Fidei non est contraria rationi, ergò concordat cum ratione, ergò potest ostendi per rationem: quod si ita est, implicitè affirmat R. P. Smalzgrueber, quod explicitè negat, & quod B. Raymundus nec implicitè nec explicitè unquam asseruit.

Si verò quis instet, Articulos Fidei nec contrarios nec concordantes esse rationi, sed potiùs esse supra rationem, dicimus, hoc responsum involvere contradictionem; nam omne, quod intellectus intelligere non potest, est inintelligibile, sicut omne, quod visus videre non potest, est invisibile: esse autem visibile concordat cum visu, & esse invisibile est contrarium visui (notandum, contrarietatem hìc non sumi, prout est terminus physicus, sed transcendens seu universalissimus, tanquam Principium Artis Lullianæ: unde si nobis de verbo litem quis moveat, illum remittimus ad artem priùs addiscendam, ex qua elicimus hanc conditionem; *quòd omne, quod non contrariatur alteri, necessariò concordet cum illo*, & è converso, juxta dictum Christi: *Qui non est mecum, contra me est.* Math. 12. v. 30. quâ conditione nititur præfatum argumentum.)

Ad hoc propositum egregiè faciunt ea, quæ D. Perroquet habet cap. 2 fol. 47. *Ad convincendum* (ait) *vel de ignorantia vel de malitia illos, qui aggressi sunt hunc Sanctum Virum, præsertim post suam mortem, & qui negotium sibi fecerunt censurare sua Opera, accusando ipsum de hæresi, superstitione, impostura, vanitate & magiâ, sìummodò convenit videre testimonia contraria data durante suâ vitâ & post mortem, diversis temporibus per Universitates celebres, per Reges Christianissimos, Cardinales & alios Prælatos, & denique per plures Authores fide dignos, qui gloriosum sibi duxerunt amplecti suam Doctrinam. Postea convenit insumere laborem, & attentè legere sua Opera; & sum certus, quòd (tantum abest, in illis invenire materiam reprehensione dignam, vel detegere errores, quos sui inimici supponunt) quis erit perculsus de temeritate adversariorum, & gaudio affectus de pietate & merito hujus (B. Raymundi) In Effectu, quantum ad hæresin, potuit quidem accusari, quia est facile censurare hominem post suam mortem, & dum non est ampliùs in statu se defendendi contra maledicentiam suorum inimicorum; nemo tamen inveniet, illum unquam condemnatum esse ab Ecclesia: è contrario potiùs habentur Approbationes authenticæ (ût dixi) in favorem suæ Virtutis & Doctrinæ &c.: per hoc spero extrahere illos de scrupulo & dubio, qui modicam habent cognitionem virtutis & Excellentiæ suæ Artis.*

Et fol. 49. *quod cùm ita sit, hic Author (B. Raymundus) reprehenditur sine ratione, & hi, qui illum vilipendunt, aut nunquam legerunt sua opera, vel si quidquam de his viderunt, modicam reflexionem fecerunt super principia; unde provenit, quòd non conceperint suam mentem nec vim suarum ratiocinationum. Et fol. 51. taliter, quòd justa subsit causa suspectos habere de invidia & ignorantia illos, qui illum voluerunt censurare: ratio, quæ dari potest de hac suspicione, desumitur ab excellentia & subtilitate hujus Doctoris, quia sua Scientia est extraordinaria & maximè sublimis, utitur terminis novis & insuitatis pro expressione suorum conceptuum, quia linguæ nescirent submìnistrare alios magis proprios ad exprimendam eandem rem, præterquam, quòd quælibet Ars debet habere terminos proprios: unde provenit, secundùm meum judicium, quòd hi censores perculsi novitate hujus methodi, & non sufficientes penetrare Mysteria, quæ includit, ad excusandam suam ignorantiam & debilitatem sui judicii prorumpunt in invectivam, & contemnunt Auctorem tam pulchræ inventionis, non immorantes nisi verborum superficiei, absque eo, quòd laborem insumerent considerandi, quid significent, & quis usus illorum possit fieri: nihilominus illorum censura non impedit, quominùs magni Viri, qui attentè legerunt Opera ejusdem Doctoris, & qui curam habuerunt informandi se de ipsius Vita, illum teneant ût Scriptorem fidelissimum, ût S. Martyrem, nominando illum perpetuò Doctorem Illuminatum, & admirando sua Scripta velut Prodigia Artis & Scientiæ.*

Prosequitur Author cap. 4. fol. 80. Encomia Artis, ostendens, quænam ad illam assequendam requirantur, item ejus fidelitatem, utilitatem, certitudinem, sublimitatem sequentibus, quæ ipsamet de verbo ad verbum fideliter translata huc ponere dignissima judicavi, ut *sermonibus* Perroquet *bonis valde exhortati, de quibus extolli posset impetus & animi juvenum* (Lullistarum) *confortari. Lib. 2. Mach. c. 15. v. 17.* majori animositate & alacritate tantam Artem & Scientiam aggrediantur addiscendam: igitur loc. cit. ita fatur. „ Hæc scientia *tria* re„ quirit ad illam perfectè possidendam: primò, *bo„ nam Intentionem*, secundò *Subtilitatem Ingenii*, „ tertiò, *Usum perpetuum Rationis*, quibus oportet ad„ jungere *Cognitionem Logicæ & Philosophiæ* (Lullia„ næ non vulgaris,) insuper solutio à negotiis sæculi;

„ sic, quòd difficulter quis potest fieri magnus Lul-
„ lista, si aliqua harum conditionum deficit: quod
„ me attinet, fateor, quòd post applicationem parti-
„ cularem, quâ feci viginti circiter annis ad hanc Sci-
„ entiam, non me alligando expositoribus, nondum
„ habeo satis claritatis ad faciendũ usum illius per-
„ fectissimum, qui fieri potest; nec sum adeò teme-
„ rarius, ut affirmem, me illam acquisivisse in
„ altissimo gradu, quo haberi potest.

DEUS bone: post viginti annos nondum habuit hic Discipulus, quod aliqui se jactant assecutos, qui forsan vix uno anno Artem ultimam Raymundi nostri per modum chartæ geographicæ perlustrarunt: sed heus vos Lullistæ: quî vestra ampullata promissa stant firma (forsan objicies) modò viginti anni non sufficiunt ad Artem addiscendam, antè non exigebatis nisi menses vel dies? Respondeo, aliud esse, Artem perfectè scire, & Artem perfectissimè scire; aliud esse, perfectam habere theoriam Artis tantùm, & aliud perfectam theoriam & praxin simul, & iterum aliud utramque simul perfectissimas: hoc tamen assero per metaphoram, quòd minimus Sanctus in cœlo major est maximo inter natos mulierum in terra: legantur sequentia, quibus præcedentia confirmantur. *Nihilominùs (pergit Perroquet) hic Doctor Illuminatus mihi dedit tantam satisfactionem per suas ratiocinationes, & sua methodus mihi semper visa est adeò pulchra & propria ad illuminandum intellectum, ut penè valedixerim omni alteri studio, ad me applicandum huic totâ assiduitate mihi possibili, & in quo credo, me incomparabiliter plùs profecisse, quàm fecissem in Scientiis vulgaribus; nam hæc applicatio mihi procuravit cognitionem plurium, quæ non potui comprehendere pluribus annis in cursu Philosophiæ & Theologiæ nec in lectura Doctorum scholasticorum: inde recognovi, hanc Scientiam nil promittere, quod non possit acquiri: unde gratias ago DEO, quòd mihi inspiraverit cogitationem, & præbuerit occasionem illi me applicandi (continuat fol. 83.) Quod fidelitatem attinet suorum (Raymundi) Scriptorum, audeo certificare, si proprium meum testimonium potest recipi post illud tot magnorum Hominum, qui me præcesserunt, quòd, postquam legi & relegi attentè aliquos Librorum hujus Authoris usque ad sexaginta numero vel circiter maximè considerabilium, quorum potior pars tractat de materiis theologicis, nunquam detexi vel reperi unam solam propositionem, quæ non fuerit conformis sensui, quem teneo de Ecclesia, vel quæ non fuerit proficua pro augmentatione Fidei Christianæ, & pro salute Animarum: nam hic divinus Philosophus testatur in omnibus suis Libris Zelum extraordinarium pro gloria DEI, & extremam passionem inflammandi corda igne sui amoris per cognitionem suorum Mysteriorum, exhortando perpetuò mundum ad illum amandum; ùt etiam obligandi Infideles per vim rationis adjutam gratiâ ad amplectendam nostram Fidem, & persuadendi Christianos ad exponendam suam vitam pro controversia JESU Christi, principaliter Personas Ecclesiasticas, quæ deberent ad suam imitationem prædicatum ire Evangelium his pauperibus Animabus, quæ sunt in ignorantia, & quæ moriuntur in suo errore, quia sunt privatæ mediis necessariis ad perveniendum ad cognitionem veri DEI.*

Hoc sine glorioſus Martyr probat & declarat in diversis locis suorum Scriptorum, imò in quibusdam tractatibus & voluminibus separatis Articulos Fidei per rationes tam efficaces & tam evidentes, quòd quis deberet carere lumine naturali, vel non habere sensum communem, si illas non comprehenderet; & esset desicere judicio vel bonitate illas respuere vel contemnere: quòd si ratio non omnibus sufficit ad penetrandas suas demonstrationes, quia sunt quandoque subtilissimæ, ad minus hi, qui bene intelligunt regulas ratiocinandi, & qui habent quandam cognitionem principiorum Philosophiæ, non possent illis contradicere, nisi sint valde pertinaces & obstinati (velut est potior pars mediocrium Philosophorum) & nisi se declarent apertè inimicos veritatis: taliter, quòd, postquam quis concepisset illius rationes, deberet esse infidelior & obstinatior dæmone, nisi confiteretur & amplecteretur veritates, quas demonstrat.

Quod me contingit, dicam ingenuè, quòd, postquam semel cum attentione legi, in principio, quando me huic studio applicavi, certas demonstrationes Articulorum Fidei in Arbore Scientiarum hujus Doctoris, & in Tractatu DEI, meum judicium erat adeò illuminatum, convictum & contentum, ut tunc in me ipso dixerim, quòd post talem convictionem vellem cæcè credere hos Articulos, etiamsi nunquam fuissent revelati, & si insuper contingeret, me oblivisci probationum, quas de illis conceperam, retentâ solâ recordatione, quòd semel fuerim convictus: hinc proposui ex tunc nunquam imposterum petere nec quærere rationes ad intelligenda hæc Mysteria, sed solummodo adhibere illas, quas invenirem satis fortes ad convincendum alios.

Nihilominùs motiva hujus reflexionis non impediunt, quominùs agnoscam obligationem, quam habeo, præferendi, ùt facto, Verbum DEI revelatum omnibus rationibus humanis, sciens, talem revelationem esse infallibilem, & quòd judicium humanum potest decipi in suis cognitionibus: supposito, nos esse efficaciter persuasos (prout sumus) sive interiùs per lumen gratiæ, sive per miracula, vel per meritum illorum, qui attulerunt hoc divinum Verbum, vel aliter, quòd sit ipse DEUS, qui hoc revelavit: si enim Ecclesia non esset certificata & fortiter persuasa, quòd hoc Verbum veniret à DEO, esset animi levitas illi fidem dare; & in hoc casu quilibet haberet causam illi præferendi rationem, posito, quòd monstraret contrarium hujus, quod Verbum revelatum nos docet.

En judicium, quod habeo de Operibus hujus magni Doctoris, de sua Methodo, quam invenio admirabilem ad acquirendas omnes Scientias in perfectione, ùt etiam, ad se disponendum ad practicam Virtutum. Hucusque devotissimus & æquissimus erga suum Magistrum Discipulus Perroquet; quæ licèt forsan aliquibus prolixa videantur, necessaria tamen & utilissima mihi visa sunt ad retundendam suprà allegatorum absurdissimorum de tam sublimi Methodo & exquisitissima Ratione demonstrandi judiciorum temeritatem: quid demum hic Author sentiat de Lullo Chimico, videre poterunt Miso-Chimici, si consulant sequentia loca hujus Libri, scilicet *fol. 14.* de Vita B. Raymundi: item *Apol. c. 1. fol. 44. c. 28. fol. 260.*

Quantum verò hic ipsemet Zelator eximius honoris sui Doctoris profecerit in Arte sacra, sufficienter probat dato specimine verè docto in *cap. 29.* incipiendo *à fol. 261. usque ad fol. 311. inclusivè*: de quo alibi DEO dante.

Agmen Discipulorum B. Raymundi Lulli primæ Classis, h. e. eorum, qui non probabili, sed demonstrativâ & infallibili Methodo Artem Lullianam fundari cognoverunt, hancque post diuturnam investigationem in alto, altiori vel altissimo gradu consecuti sunt, & Libris suis omni laude & admiratione dignissimis nobis concrediderunt, meritò claudat

R. P.

R. P. Sebastianus Izquierdo AlcaraZensis Soc. J. supremi S. Inquisitionis Senatûs Censor, & olim Compluti SS. Theologiæ Professor.

QUamvìs Lullistæ seu Discipuli Lulli nomen ipsi non adscribam, cùm vestigiis Principiorum & Regularum Artis Lullianæ directè non insistat, sed propriam & peculiarem sibi Methodum fabricarit Libro, quem de illa typis mandavit, intitulato: *Pharus Scientiarum, ubi quidquid ad cognitionem humanam humanitùs acquisibilem pertinet, ubertim juxtà atq; succinctè pertractatur, Scientia de Scientia ob summam universalitatem utilissima, scientificisque jucundissima, scientificâ Methodo exhibetur, Aristotelis Organum jam penè labens restituitur, illustratur, augetur atque à defectibus absolvitur. Ars demum legitima ac prorsus mirabilis sciendi, omnésque scientias in infinitum propagandi, & methodicè digerendi, à nonnullis antiquioribus religiosè celata, à multis studiosè quæsita, à paucis inventa, à nemine ex propriis principiis hactenus demonstrata* (cum bona venia addimus, nisi à B. Raymundo Lullo) *demonstratur, apertè & absque involucris mysteriorum in lucem proditur: quò veræ Encyclopediæ orbis facilè à cunctis circumvolvendus eximio scientiarum omnium emolumento manet expositus.* Lugduni Anno 1659. impressus est hic Liber. Cæterùm studio integrum hunc speciosum titulum exprimere hìc volui, primò, ut, qui hactenus B. Raymundum ejusque Discipulos culparunt de possibilitate habendi Universalem Artem demonstrandi, videant, etiam alios Viros Illustres fide dignos eandem vel similem spondere secundò, ut saltem credant, si nondum intelligunt, dari posse Artem & Scientiam universalem, cui propriè competat nomen Scientiæ, quod ut depromam ex ipso ore tanti Viri, cujus vel hoc solum opus, quod multis annis solerti studio à capite ad calcem repetitis lectionibus mihi familiare reddere conatus sum, mihi semper visum est excellentis & acutissimi ingenii partus, quem Veneranda Societas JESU inter alia Doctrinæ ac Scientiæ suæ ornamenta meritò numerare potest, colligam pauca, quæ de hac materia fusissimè habet per totum Librum: sic itaque loquitur in Præfatione:

Suppono quartò, ùt prorsus certum, possibilem esse Artem universalem sciendi, quâ Intellectus humanus ad omnes Scientias brevius facilius q; acquirendas ac sinè fine propagandas methodicè q; dirigendas mirum in modum adjuvetur: si enim cæteræ facultates humanæ, longe imperfectiores cùm sint, in suis operationibus exercendis in suisque operibus exequendis tam mirificè artibus adjuvantur, adeò ut sinè arte, quæ per artem fiunt, plerumque ab illis non possent effici &c., quis dubitet, intellectum humanum omnium nostrarum facultatum perfectissimam arte pariter in suis operationibus exercendis operibusque exequendis adeò juvari posse, ut non solùm facilius brevìusque per artem, quàm sinè illa, quilibet assequatur, sed etiam multa per artem præstare valeat, quæ simpliciter & absolutè seclusâ arte non valeret? ob id scientiarum studiosi, præsertim antiquiores, in arte legitima sciendi vestiganda solerter incubuerunt, eamque nonnullos tenuisse, dissimulasse tamen & occultasse, ut sua opera inventaque mirabiliora essent, in ipsis eorum operibus indicium est.

Et *Disp. 23. q. 2.* An sit possibilis, aut etiam de facto detur Ars universalis sciendi? *prop. 1.* ait: *Censeo, non solùm possibilem esse, sed etiam ad praxin sic reducibilem, ut effectus, quos promittit, revera sortiatur.* Postea in confirmationem adducit idem argumentum, quod suprà in præfat. dein *prop. 2. Ars universalis sciendi, de qua in præsenti sermo est, de facto jam datur re ipsâ, in librisque scripta circumfertur, minùs tamen perfectâ minùsque expositâ, demonstrata (sic judicabat eximius Pater, quia non nisi unum Librum, scilicet Artem generalem ultimam Doctoris Illuminati viderat, de qua postea) quàm nos eam damus in isto opere.*

Quàm modestè verò sentiat de B Raymundo ejusque Arte, in cujus laudem potiùs faciunt, quæ scripsit de utroque, indicant sequentia: *in præf. cit.* sic lego. *Jam verò propè nostra sæcula Raymundus Lullius suam Artem mirabilem evulgavit, in praximque deduxit, eximio mirandoque studiosorum ejus emolumento, ùt ejus Interpretes testantur: & cit. D. 23. q. 2. pr. 2. Potissima verò ac præstantissima pars ejus (Artis Universalis sciendi) est Ars illa, quam dicunt mirabilem (bene dicunt, est etenim) Raymundi Lulli. item q. 4. §. de Arte Raymundi Lullii: Raymundus Lullius, quem Doctorem Illuminatum appellant, sæcularis cùm esset & conjugatus, in eremum pœnitentiæ causâ secessit, ibique Artem quandam sciendi composuit non sinè supernaturali aliqua, ùt fertur, specialique inspiratione, quam primò latè scriptam Artem Magnam, deindè verò ad summam redactam Artem Brevem vocavit: adeóque ad omnes Scientias comparandas proficua & efficax ipsam exercentibus visa est, ut Artis mirabilis sibi nomen arrogaverit.* (*& quidem sinè arrogantia*) Cujus partes postquam R. P. Izquierdo paucis complexus esset, denique in fine descendit ad enumerandos ejus defectus, quos excusavimus superiùs, dum de Arte combinatoria R. P. Kircheri nobis sermo fuit. Nec vitio verti debet Viro optimo & aliàs ingeniosissimo, quòd ob defectum sufficientis notitiæ ac penuriam Codicum Lullianorum aliqua deficere in Arte Lulliana crediderit; nam & ipsemet fateor, me soli Arti Generali Ultimæ ab initio multis annis insistentem semper maximum hunc defectum observasse, nempe, quòd solus hic Liber non sufficeret ad acquirendam Artem universalem sciendi, ne somniare enim potuissem, tanta Mysteria latere sub tam inculto, ùt ajunt, mercurio.

Si quis verò ex me quærat, quid ergò in R. P. Izquierdo ejusque Pharo Scientiarum contineatur, quod tantis laudibus exornaverim, & quid in illa sit, cui Ars Lulliana sit præferenda? huic ad utrumque conabor veridicum ac moderatum dare responsum. Ad primum ergò dico, in prælaudato R. P. Izquierdo incomparabilem laudem mereri, quòd conatus sit cæteras quoque scientias, nempe Metaphysicam, Physicam, Theologiam &c. reducere ad methodum demonstrandi Geometriæ & Arithmeticæ; sic enim sonant ipsius verba *in præfat. Et quoniam (ùt sum jam dudum persuasus) si Metaphysici ex evidentibus principiis, quæ dictarum aliarumque hujusmodi disputationum materiam, ob suam universalitatem suppeditant, demonstrativè discurrissent, ùt fecerunt Geometræ & Arithmetici, bonam partem demonstrativæ Metaphysicæ jam tenuissent, quò multas propositiones metaphysicas, quæ modò latent, jam demonstratas, apud omnésque subinde firmas stabilésque haberemus, eximio profectò emolumento penè omnium aliarum scientiarum, quæ universaliori Metaphysicæ subalternantur; uti innumeras habemus geometricas & arithmeticas pro cæteris mathematicis disciplinis Geometriæ & Arithmeticæ subalternatis. Idcirco (pergit) ego, ut initium faciam, & aliis, quò ulteriùs progrediantur, normam demonstrandi ex principiis metaphysicis præbeam, postquam in singulis prædictis disputationibus metaphysicis, factâ terminorum ad eas spectantium*

divisione, eorum idoneas explicationes sive definitiones præmiserim, quæstionem unicam adjiciam exhibentem propositiones aliquot evidentes, tum per se notas, tum demonstratas ex terminis jam explicatis Disputationis tunc præsentis, atque etiam præcedentium inter se collatis compositas: id, quod etiam prosequar pariter in Opere de DEO Uno, quod jam cœpi prælo disponere &c.; quod quidem ita ordinatè satagam, ut propositiones demonstratæ principia & alias propositiones, ex quibus demonstrantur, semper supponant, prout scientiæ demonstrativæ jura deposcunt &c. Conabor demum integrum opus omnibus legibus scientificæ methodi in eo tradendæ, quantum res tulerit, conformare. Hæc R. P. Izquierdo, quæ per totum opus ad amussim præstitit, tam nobili Idæâ longè feliciori fidere in praxin reductâ, quàm R. P. Kircherus in sua Arte Combinatoria.

Ad secundum, cur Artem Lullianam Pharo Scientiarum præferendam judicem? multæ & gravissimæ me inducunt Rationes, quarum aliquas non celabo: sit igitur illarum

Prima: quòd persuasum habeam, Artem Lullianam Illuminato Doctori cœlitùs infusam, Pharum verò Scientiarum, licèt insigne Opus, non nisi humani ingenii naturalem esse progeniem. Sed unde mihi hæc persuasio? illam mihi præbet Authoritas ipsius B. Doctoris hoc asserentis in pluribus suorum voluminum, v. g. *in Arbore Scient. statim in Prol. in Lib. Desolat. in Introduc. Artis demon. &c.* cùm igitur Opera DEI sint perfecta, & opera manuum hominum non careant defectu, præferendo perfectionem defectui dicere possum, Amice non facio tibi injuriam.

Secunda: ab intrinseco petita, h. e. ab ipsa Arte & Modo agendi Artis, Principia enim Artis Illuminati Doctoris nostri se habent ad Principia R. P. Izquierdo & Modus demonstrandi illius ad modum demonstrandi hujus ût infinitum ad finitum: cùm enim superno Lumine illustratus Divinus Doctor probè cognosceret, humanum intellectum nullâ demonstratione veri exsaturari sufficienter posse, quæ finito clauderetur ambitu, ût humana voluntas nullâ possessione boni, quod limitaretur termino, hinc necessarium censuit ad complementum utriusque potentiæ talia Principia & talem modum operandi adinvenire, quibus sublimiora, certiora ac efficaciora mens humana excogitare & exoptare non posset: hæc autem sunt Principia Artis Raymundinæ, utpote Rationes Divinæ per omnem modum infinitæ, & Modus per eas demonstrandi pariter infinitus, licèt actu semper finitè à potentiis finitis recipiantur, inæqualiter tamen secundùm inæqualitatem perfectionis & dispositionis potentiarum, prout latiùs exponam in Capite de Methodo operandi seu demonstrandi Artis Lullianæ.

Tertia: quòd Methodus Lulliana sit longè facilior illâ R. P. Izquierdo, cùm prior semper exhibeat proximam & immediatam connexionem principiorum cum principiatis, universalium cum particularibus; posterior verò longâ serie connexionum hoc debeat aucupari more in Geometricis usitato: unde patet, Methodum Lullianam etiam hanc, scilicet Geometriæ, longè superare. Ut clariùs exponam, quæ dixi, notetur sequens metaphora: librorum & verborum in illis contentorum innumerabilis est numerus, quæ ût tot particularia & principiata considerari possunt, nil autem faciliùs scienti Artem legendi, quàm primo statim intuitu horum universalia & principia dignoscere: sic est in proposito.

Quarta: quòd Methodus Lulliana sit magis ordinata; cùm enim ordinatio & perfectio conveniant, inordinatio verò & defectus, quantò major est ordo, tantò major erit perfectio; tantus autem est ordo Artis Lullianæ, quòd major esse non possit; complectitur enim & ordinem totius naturæ creatæ tam in essendo, operando & cognoscendo, & ordinem naturæ increatæ: quod non prætendit Pharus Scientiarum R. P. Izquierdo. *Vide Disp. 22. q. 2. pro. 1.*

Quinta: quòd Methodus Lulliana habeat certum numerum principiorum, qui nec recipit additionem nec subtractionem sinè læsione suæ perfectionis (quamvis ignorantibus Artem prorsus contrarium videatur, cùm B. Raymundus toties variaverit numerum horum Principiorum) hoc autem est unum inter maxima Secreta Artis. Talis numerus non invenitur in Pharo Scientiarum; nam licèt R. P. Izquierdo selegerit 20. Principia, ût habetur *Disp. 28. q. 2.* non tamen hic numerus demonstratur, sed potiùs ad placitum assumitur.

Sexta: quòd Methodus Lulliana tradat simul materiam & formam, tam universalem, quàm particularem omnium Scientiarum, quod non facit Pharus Scientiarum. *Vide cit. Disp. q. 2. n. 20.*

Septima: quòd Ars Combinatoria Lulliana sit naturalis & artificialis simul, Methodus verò R. P. Izquierdo sit artificialis tantùm. *Videatur tota Disp. 29.* legibus Arithmeticæ egregiè concinnata. Quantum autem differat Arithmetica vulgaris ab Arithmetica Lulliana, videbitur suo loco: interim dico, quòd homo pictus & sculptus multùm differant ab homine vivo. Has rationes puto sufficere homini prudenti ad præferendam Artem Illuminati Doctoris omnibus Artibus ab aliis Authoribus hactenùs inventis.

Coronidis loco in laudem hujus Eximii Patris convenit me adhuc addere, quòd ipsi duplici jure competat locus inter Discipulos B. Raymundi primæ Classis, primò: quia omnes Methodum demonstrativam insequuntur, secundò: quia plerique eorum fuerunt insignes Alchimistæ, omnes verò defensores Alchimiæ Lulli; cujus Artis & Scientiæ possibilitatem saltem agnovit sagacissimus Izquierdo, quam declarat *cit. Lib. Disp. 20. q. 2. divis. 3. §. 35.* ubi de Magia naturali sic loquitur: *Magia naturalis est, quæ mira & insolita operatur per solas causas naturales, atque adeò licita est &c.; & hujus quidem Magiæ naturalis duæ sunt partes, Chymica scilicet, quæ & pyrotechnica dicitur, quòd virtute ignis potissimum sua opera eliciat, cujus munia sunt reducere mixta ad sua principia sal, sulphur & mercurium, & purum separando ab impuro, succos omnes, liquores, olea, quintam Essentiam &c. ex omnibus mixtis extrahere, nec non ex aliis metallis aurum argentumque conficere: & magia arctiùs sumpta, quæ per alias ab igne causas sua opera exequitur.* Hæc nempe Doctor non illuminatus solo lumine naturali agnovit, & Doctor Illuminatus Lumine supernaturali & Reformator Scientiarum non potuit agnoscere?

PERSPI-

(53)

PERSPICILIA LULLIANA PHILOSOPHICA

Composita duobus Vitris terssissimè politis, & materiâ optimè depuratâ, nec convexa, nec concava, sed planissima, ut objectum non augeant, nec minuant, sed in suo statu naturali repræsentent; quibus examinatur & demonstratur Perfectio Philosophiæ Illuminati Doctoris, stabilitur fundamentum Artis & Scientiæ Universalis, solvunturque opposita Argumenta Adversariorum.

PROLOGUS.

TRahor invito & reluctante animo L. B. orditi materiam, quam cuperem omni modo silentio premere; nisi me urgeret duplex necessitas, & defendendi honorem tanti Doctoris, cujus me indignum Discipulum profiteor, & conservandi integritatem ac perfectionem tantæ Artis & Scientiæ, monstrandique viam charissimis meis Confratribus ac Condiscipulis, quâ illis pateat ostium ad intima Secreta illius penetranda: non ignoro, tantam esse infelicitatem & miseriam hominum, ut optima quæque & ipsis maximè proficua DEI dona, pulcherrimarum & abditarum rerum Scientiam, quâ se altiùs & supra communem sortem efferre, superumque cœtui inserere possent, non solùm vilipendant & aspernentur, sed pedibus proterant, dentibus dilanient, probris & ludibriis afficiant, eorumque studiosos ac cultores spectro infamiæ ab illis absterrere & retrahere conentur; ex quâ ipsâ libertate vel libidine dicendi & agendi quidvis contra hanc Artem & Scientiam, Artifices & Scientificos, compulsi sunt ejus Professores & Alumni durâ & asperâ lege se abscondere, largam manum, quâ vel inimicis suis servire cuperent, comprimere, intenso gemitu incusare ingratitudinem humani generis, mutare domicilia, ne prodantur, & sic circumire, nullo quidem egentes, nisi solatio communicandi bona, quæ affluenter possident, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus.

Hæc profectò fuisset sufficiens & abundans mihi causa silendi, nisi me movisset obligatio erga meum Patrem, & Pietas erga suos Filios, ut gratis darem, quod gratis accepi, neglectâ & vilipensâ vulgi opinione: auspicatus sum laborem hunc non gloriæ cupiditate allectus, sed amore promovendæ tam divinæ Scientiæ, quâ erigantur, imò rapiantur nobiles Animæ in cognitionem & amorem sui Creatoris, quâ non divitias appetere, sed contemnere, quâ se beatos & proximo suo utiles reddere valeant, quâ denique percipiatur ab omnibus, quantam gratiam & misericordiam Salvator noster impenderit dilectissimæ suæ Sponsæ Ecclesiæ, cui velut in dotem providit tantâ plenitudine largitatis, ut in nullo sibi quidquam deficere posset conqueri; donando illi per B. Raymundum fidelem suum famulum Universalem Scientiam, Scientiam, quâ salus animæ & corporis potest comparari.

Ad hanc ultimam Partem, de qua hic Tractatus directè agit, penitiùs cernendam, Perspiciliis munire oculos consulo Confratribus meis; quæ perspicilia commodavit mihi Magister optimus ex tertio Volumine Contempl. Dist. 36. cap. 238. erectâ in hoc bivio Cruce (more Catholicis usitato.) Sciant igitur huic Cruci tanquam thecæ inclusa esse duo genera perspiciliorum, quorum unum deputatur *Philosophiæ*, alterum *Theologiæ*; de Philosophicis nunc agimus, de Theologicis alio & magis congruo tempore acturi: duo ejus Vitra sunt *Fides Naturalis* & *Ratio Naturalis*, sicut duo Vitra Perspiciliorum Theologicorum sunt *Fides Supernaturalis* & *Ratio Supernaturalis*. Primo Vitro inspiciant primum Caput, secundo secundum, utroque tertium & quartum, & videbunt.

CAPUT I.

In quo probatur per Authoritates Philosophorum Catholicorum, quòd Alchimia non solùm sit Ars & Scientia possibilis, sed actualiter existat.

ANtequam examinemus, an B. Raymundus nil exploraverit Periclitatione Chimicâ, h. e. an præclaram hanc Artem ac Scientiam sciverit, opere exercuerit, ac Libris de ea scriptis illam docuerit, necessarium esse censui hanc Quæstionem præmittere adeò controversam inter Eruditos & Doctos, ut à sæculorum memoria vix ulla celebrior facta sit pertinaciâ litigantium, unâ parte mordicùs sustinente, Alchimiam è numero Scientiarum expungendam, imò potiùs ad fabulas & figmenta & nescio quid relegandam; alterâ parte verò non minùs acriter defendente, illam non solùm veram ac genuinam Artem & Scientiam esse, sed etiam in Scientiis naturalibus præcipuum locum obtinere, utpote cujus utilitas, necessitas, sublimitas, perfectio & plures incom-

parabiles illius dotes reliquis omnibus Scientiis naturalibus facilè palmam præripiat. Quòd autem magni momenti ſit ſolida reſolutio hujus quæſtionis, exinde patet; nam niſi primò firmis Rationibus evincatur exiſtentia vel non exiſtentia Alchimiæ, in vanum quærimus, an B. Raymundus noſter illam ſciverit, practicarit & docuerit.

Movet me inſuper alia ratio non levis enucleandi quàm exactiſſimè hanc Quæſtionem; nam cùm primo intuitu & ex definitione infrà ponenda ipſius Alchimiæ pateat, quòd, ſi hæc Scientia eſt ens reale, infinita bona per eam redundent in genus humanum, & infinita mala avertantur ab illo, ſi Alchimia nihil eſt, erit totum contrarium; nam illâ non exiſtente erunt infinita mala, & non erunt infinita bona (ût inferiùs per particularia ad oculũ evincemus) & ex magno malo fient magna bona, & è converſo; ût patet ex hoc exemplo: nam ego perſuaſione Veritatis Alchimiæ & Librorum Alchimicorum B. Raymundi inductus laborem plus quàm 20. annorum ſubire non ſubterfugi, ut opera hujus ſubtiliſſimi Philoſophi & ſapientiſſimi ac piiſſimi Theologi in lucem proferrem; quod onus nunquam aggreſſus eſſem, niſi me allicuiſſet aliquid adeò excellens, adeò ſublime, utile, delectabile, indubium, certiſſimum ac veriſſimum, quod in nullis hactenus Libris vel Auctoribus reperibile autumabam: ſi ergò Scientia & Ars Alchimiæ nihil eſt, ex non eſſe hujus figmenti ſecutum eſt eſſe, h. e. magnum, imò maximum bonum, nempe editio tam præclari Operis. Si quis verò ex hoc ipſo argumento velit inferre, Opus Lullianum nihili faciendum, quia mediante nihilo, ſcilicet vanâ perſuaſione Alchimiæ prodierit, is dignetur priùs legere & intelligere Opus, antequam judicium ferat; quo facto neceſſè eſt, ut mecum ſentiat; quo neglecto mihi perinde eſt, qualitercunque ſentiat.

Multoties mecum expendi & penſitavi, undenam proveniret, quòd hæc Ars & Scientia, quæ de natura ſuî deberet hominum animos ad ſe trahere, cùm tanta & talia promittat, quibus naturaliter humana cupiditas toto niſu inhiat, à tam multis & potiſſimè Viris literatis non modò impoſſibilis, imò ſummè noxia ac vix non infamis habeatur, ita ut illam & Profeſſores ac Alumnos illius quidam putarint à conſortio humano eradicandos; quorum acerba Alchimiſtis nomina referrem, niſi mens mea eſſet, non Authores refellere, ſed errores, & Veritatem ſolâ ſimplici Veritate defendere, non acri, non amaro, ſed modeſto & humili reſponſo, quo forſan faciliùs traham in meam ſententiam Lectores aliàs oppoſitæ opinioni addictos, ſi veritatem manſuetam iratis erroribus obviantem contemplabuntur.

Primam igitur Rationem eſſe arbitror, quòd à teneris annis certis quibusdam & vulgo notis perſuaſionibus enutrimur, ita ut faciliùs aſſentiamur iis, quæ à Viris probis & honeſtis ac in ſtudio literario conſpicuis nobis tanquam fide digna proponuntur; quæ regula, quamvis in quàm plurimis ſit obſervatu digniſſima, non tamen caret ſuis exceptionibus, qualis eſt, quòd, quamvis plures Viri docti & literati aliquod judicium ferant de particulari alicujus ſcientiæ ipſis ignotæ, tunc illorum Authoritas non habeat ſufficiens pondus ad firmandum aſſenſum: ût ſi quis, licèt inſignis Doctor in Theologia, vellet judicare de caſu proprìè pertinente ad Medicinam, & è converſo; & idem eſt in propoſito de Scientia Alchimiæ, de qua, quamvis ſubalternetur Philoſophiæ, ût Medicina, tamen, quia eſt ſcientia ſpecifica, & habet ſua propria & ſpecifica principia, nemo, licèt in aliis ſcientiis verſatiſſimus, poteſt judicium ferre, niſi illius principia & modum applicationis illorum apprimè noſcat.

Secundam Rationem cenſeo, quia, cùm hæc Scientia non ſiſtat in ſola theoria, ſed potiùs tendat ad praxin, & ratione ſuæ profunditatis habeat *duplicem difficultatem*, quâ carent aliæ ſcientiæ, nimirum inveniendi non unam, ſed millenas demonſtrationes theoricas, vel potiùs integram & continuam ſeriem demonſtrationum à principiis rerum naturalium protenſam uſque ad ſingula principiata; quod non ſit uno anno, ſed ſtudio quandoque viginti, triginta & quadraginta annorum, ût teſtatur experientia & Authoritas Sapientum Antiquorum, & præterea requirit in inquiſitore ſingularem ingenii perſpicaciam, conſtantiam, liberum ab omni alio negotio animum, expurgatam à vitiis mentem, rectam intentionem, præterea ſingularem ad hæc ſtudia vocationem, & præ omnibus gratiam à DEO conceſſam; ſinè qua reliqua omnia nil prodeſſent, & hæc ſingula in pauciſſimis collectim inveniantur, quid mirum, ſi pauciſſimi ad optatum finem illius perveniant; & hinc rariſſima vulgo noſcantur exempla Poſſeſſorum hujus famoſæ Scientiæ: unde nec mirum, ſi à quàm plurimis etiam in aliis ſcientiis exercitatiſſimis pro impoſſibili reputetur.

Tantò minus mirandum eſt, à Viris eruditis hanc Scientiam ût abſolutè, vel ſaltem moraliter impoſſibilem proclamatam, ſi inſpiciamus ſecundam difficultatem, præfatâ primâ non minorem, ſcilicet inventionem practicæ, quæ, ſi non plures etiam acquiſitâ theoriâ & habitâ jam perfectâ ſcientiâ, ſaltem non minores ſecum fert difficultates in opere ipſo occurrentes, quas omnes & ſingulas ſuperare & adamantinam exigit patientiam, & lumen ac vires humanis altiores: hoc ipſum me experimento didiciſſe, ingenuè profiteor, qui per tot annos omni induſtriâ, quotquot colligere potui, celeberrimorum Authorum de hac Scientia tractantium Volumina evolvi, ac millenas demonſtrationes effformare didici, quibus & ipſe omni modo perſuaſus eram, & alios faciliè perſuadere poteram, hanc Scientiam certam, veram, infallibilem & indubitatam eſſe, & tamen nunquam potui, tentatis tot experimentis, vel introitum tanti Operis invenire: unde cùm præfatis Viris eruditis ipſemet Author eſſem, ut potiùs dehortarer etiam ſapientes & ingenioſos ab hac Scientia, quàm inſtigarem ad illam, niſi in ſe ſentiant eas, quas antè recenſui, diſpoſitiones.

Ex hac ſecunda difficultate priori addita enatum eſſe non ambigo, quòd tam nobilis Scientia tantis Viris viſa ſit impoſſibilis; ſi enim illius objectum ſolummodò eſſet ſpeculativum, & non practicum, utique de illa ſicut de aliis ſcientiis diſputari poſſet in utramque partem, & quilibet ſalvâ ſuâ laude tueri poſſet ſuam opinionem; ſed cùm in hac diva Scientia examinentur argumenta diſputantium ad lydium lapidem operis, nemo decipere poteſt alium, nec ſe ipſum, niſi volentem: hinc

Tertiam Rationem licet eruere, quare hæc celebris Ars ferè ab omnibus reputetur impoſſibilis, quia

quia ſcilicet ob prædictas difficultates pauciſſimi creantur Doctores & Magiſtri in hoc lycæo; & hic ipſemet puſillus grex ob multas & graviſſimas cauſas rarò prodit in publicum, penſitans illud Divi Gregorii: qui Theſaurum publicè portat in via, depredari deſiderat: unde prognatum eſt perpetuum argumentum adverſariorum, ſcilicet neminem hactenus viſum eſſe, qui hanc Artem publicè exhibuerit aut profeſſus ſit; quibus ſi centenæ opponantur rationes, aut à fide hiſtorica, aut ab Authoritate illuſtrium Scriptorum in Arte Magiſtrorum, aut à demonſtrationibus phyſicis deſumptæ, nec ullâ Ratione vel Authoritate moventur, ſed conſiſtunt immobiles in præconcepta opinione, vellentque convinci ſyllogiſmo Arnaldi de Villanova, nempe viſibili experimento, neque tales conſiderant, ſuam fidem experimento extòrtam non amoturam in poſteris ſuî ſimilibus incredulitatem: unde non aliud agendum eſſet hujus inclytæ Scientiæ Poſſeſſoribus, quàm circuire domos, & tam inſigni quàm periculoſo medio emendicare dubitantium & incredulorum aſſenſum; quod, an operæ pretium foret, judicent alii. Certè ſi Ars eſt vera (prout eam veram eſſe luculentis argumentis infrà probabimus) ſemper manebit vera, quascunque & quotcunque patiatur contradictiones: nam ſicut multi, qui hanc Artem profitentur, falsò affirmant, ſe eam poſſidere, ut tegant ſuam malitiam, ſic multi, qui hanc Artem averſantur, falsò negant, eam eſſe, ut tegant ſuam ignorantiam; adeò enim natura prava & amor proprius & idolum honoris obcæcat noſtrum Intellectum, ut malimus pati jacturam veritatis, quàm vanitatis, & perdere innatum candorem, quàm exuere agnatum errorem.

Quartam Rationem eſſe reperi neglectum Librorum de hac Scientia methodicè exaratorum, qui, quamvis ſint numero pauci, & ideo rari, & hinc à paucis cognoſcantur, & per conſequens legantur, nec ob cauſas Ratione ſecundâ allatas à multis legendi ſint, eſſent tamen ab iis quærendi & ſedulò evolvendi, qui ad hanc Artem accedunt aut animo illam impugnandi, aut animo illius ſecreta penetrandi; quod tamen à nemine factum reperi eorum, qui Artem Alchimiæ impoſſibilem dictitarunt; quin potiùs inveni, quòd neglecto tramite ſolidæ informationis cauſarum & principiorum Artis meris conjecturis rem arduam confici poſſe autumarunt, ût ex adductis & refutatis eorum argumentis luce meridianâ clariùs patebit: unde mirum non eſt, illos latuiſſe veritatem tantæ Scientiæ; quod, ne impoſterùm defectu ſufficientis informationis contingat adverſariis hujus utiliſſimæ Scientiæ, gratis nominabimus præcipuos Authores, qui ſemotâ omni invidiâ per rationes in ſcholis uſitatas & per cauſas phyſicas omnia ſecreta prædictæ Artis poſteritati conſignarunt, ut ſint inexcuſabiles, ſi ſpreto tam amico conſilio perrexerint nil profuturis ſuis machinis impetere inſuperabilem hanc Scientiam & Artem.

Sit igitur inter Illuſtres Authores, quos & inſignis Pietas cum pari Scientia & monumenta inclytorum Operum nobis commendarunt, meritò primus magnum illud Germaniæ Decus Magnus Re & Nomine Albertus, cujus Authoritate in favorem hujus ſacræ Scientiæ utemur, cujuſque Doctrinâ profecerunt, quot ferè in hac Scientia fuerunt conſecuti ſunt. Legant, quæſo, *Tractatum B. Alberti de Mineralibus*, & intelligent, an mente tanti Doctoris Alchimia ſit ens reale, an figmentum. Legant porrò *Petri Lombardi*, qui vulgò Magiſter Sententiarum audit, *Margaritam pretioſam*, & ſi metiri ſe cupiunt, refellant argumenta pro Arte ab illo adducta; neminem hactenus novi, qui hoc aggredi auſus ſit. Legant *Speculum Medicinæ Arnaldi de Villanova*. Legant *Rogerium Baconem* incomparabilem Philoſophum, & inſignem Theologum in Libro *Scientiarum*, *Magiſtrum Artis generalis de Florentia*, *Hortulanum*. Legant Diſcipulos B. Raymundi noſtri, *Chriſtophorum Pariſienſem*, ejusque *Summam majorem & minorem*, *Apertorium & Cytharam*. *Rupeſciſſæ Librum de Famulatu Philoſophiæ*, *Lavinetæ*, *Jacobi Januarii*, *Auctoris Electorii*, *Riplæi Angli*, *Cornelii Rigii Commentaria in Libros Raymundi*, *decem Libris comprehenſa*, *Abbatis Aubrii*, *Domini de Montarſis celebres Tractatus & Commentaria tam in Artem Generalem*, *quàm in Libros Alchimiæ Raymundi ſcripta*. Legant *Bernardum di Avernio*. Legant *Revelatorem*, hos & ſimiles Authores legant, & intelligere conentur, antequam attentent vel ſe committant tam ancipiti prælio. Legant denique ea Opera, quæ ipſemet fons Scientiæ Beatus noſter Author de Alchimia ſcripſiſſe à me aſſeritur, & judicium ſuſpendant, donec Libros illos intelligant, aliàs parum aut nihil contra nos in hac palæſtra effecturi. Memini, me aliquoties hujusmodi volumina obtuliſſe viris cæteroquin eruditione famoſis, eosque rogaſſe, ut ſaltem modico obtutu illos dignarentur; ſed neque me hoc ab illis obtinuiſſe dolenter refero, tam obfirmatos illos expertus ſum in oppoſita Sententia.

Quintam & ultimam *Rationem* invenio, quare tot ac tam celebres Viri in aliis Scientiis præclariſſimi tam obfirmati ſint in neganda & impugnanda hac divina Arte & Scientia, nempe, quòd quàm plurimi illorum ſint aliunde occupati in aliqua particulari ſcientia, aut certo muneri, officio vel profeſſuræ, ordini, ſocietati &c. alligati, & hinc non ſui juris: unde nec tempus, nec licentia, nec commoditas illis indulget, ut animum addicant tam arduæ ſpeculationi, quæ non uno (ût antè notavi) ſed quandoque viginti, triginta aut quadraginta annis abſolvitur; ne dicam de practica, quæ ſinè aliquibus ſaltem ſumptibus fieri non poteſt, & rarò conceditur alienæ poteſtati ſubjectis: quid igitur mirum, ſi tot præclara ingenia tam nobili Scientiâ carere debeant, quam infallibiliter conſequerentur, ſi præfata impedimenta illis non obſtarent.

Audiamus modò quosdam ex his prælaudatis Authoribus, quid illi ſcilicet ſentiant de exiſtentia Alchimiæ; & primò Divum Albertum, qui in Libro 3. de Mineralibus tr. 1. c. 2. de Materia Metalli ait: *Signum autem hujus eſt, quod videmus in Arte Alchimiæ fieri, quæ inter omnes Artes maximè naturam imitatur.* Et c. 9. Utrùm ſpecies metallorum poſſint ad invicem transmutari, ſicut dicunt Alchimici, ait: *Sed tunc oportet nos dicere, quòd Alchimicorum periti operantur, ſicut periti Medicorum; Medici enim periti per medicinas purgativas purgant materias corruptas & facile corruptibiles & impedientes ſanitatem, quæ eſt finis intentus à Medico; & poſtea per confortantia naturæ juvant virtutem naturalem, ut digerendo ſanitatem naturalem inducant: ita enim procul dubio ſanitas erit effectus naturæ effectivè, & artis organicè & inſtrumentaliter. Per*

omnem aut eundem modum dicemus operari Alchimicorum peritos in transmutatione metallorum &c. Item c. 10. de loco gen. metall. *Signum autem, quòd locus debeat eſſe talis diſpoſitionis, ut dictum eſt, eſt, quòd invenimus in operibus Alchimicorum peritorum, qui meliùs naturam imitantur &c.* Item c. 6. quòd Generatio metall. ſit circul. *Artificum autem experimentum eſt, quod faciunt Alchimici, qui unam ſpeciem metalli, ſi cum natura operantur* NB. *deducunt in aliam, quemadmodum dictum eſt.* Et Lib. 1. min. tract. 1. c. 3. affirmat, *quòd Ars vitraria Alchimiæ ſubalternetur.* Magna procul dubio & clara hæc eſt Authoritas D. Alberti in favorem Alchimiæ, ex genuinis ſuis operibus deſumpta.

Sed forſan non deerit, qui negabit Libros de Mineralibus eſſe Alberti (hoc enim effugio, ût expertus ſum, quandoque attentant eludere vim ab Authoritate deſumptam) huic autem facilè ſatisfit, ſi non ſolùm conformitas ſtyli, cohærentia doctrinæ, ſed etiam mutua indubitatorum librorum citatio opponatur; nam Libri Meteororum ſinè controverſia ſunt Alberti, in quorum quarto tract. 2. c. 16. expreſsè citat Lib. de Lapidibus. Item tract. 4. c. 8. in fine. Sic mutuò citat Librum de Mineralibus 1. tract. 1. c. 1. Lib. de Meteoris: imò in Libris de Meteoris aliquoties Albertus poſſibilitatem & exiſtentiam Alchimiæ aſtruit: exemplo ſit ſequens textus, qui habetur Lib. 4. Meteor. tract. 2. c. 8. §. ſi autem, fol. 178. *Non negamus hoc* (inquit) *quod dicunt Alchimici, ſcilicet quòd de omni re trahatur oleum & nitrum & aurum per ignem proportionatum & ſucceſſivè & continuè agentem acutè vel lentè, ſecundùm quòd exigit proportio rei transmutandæ:* & ſtatim ſubdit rationem, quomodo hoc fiat & fieri poſſit: ſimiles textus habet pro Alchimia ibidem c. 9. §. *& hoc modo ſit operatio Alchimicorum*, & §. *eſt autem alius modus molliſicationis, quem Nicolaus Peripateticus in Alchimicis.* Et c. 13. §. *lixivium autem voco &c.*; *& ideo omnes aquæ alchimicæ ſunt quædam lixivia.*

Sed ecce alterum effugium eorum, qui abnegant Raymundo noſtro Artem & Libros Chimicos, dicunt enim, dato, quòd Raymundus de Alchimia aliqua ſuis Libris inſeruerit, id ipſi non magìs vitio vertendum, quàm B. Alberto Magno, D. Thomæ & aliis Doctoribus ſcholaſticis, qui theoricè tantùm de ſimilibus egerunt, at practicè omnino non: ſic cum Vincentio Mut in Actis B. Raymundi §. 11. n. 134. & ſeqq. ſentire videtur P. Sollerius, & P. Cuſturerius in copia Epiſtolæ Barcinone datæ 24. Sept. 1711. ad P. Sollerium, ubi ad transmiſſum ipſi à me per præfatum P. Sollier Quæſtionarium Raymundi Lulli ſic reſpondet. „ Nec omittendum cenſeo, toto hoc tractatu nihil effici aliud, quàm probare, Chimiam eſſe „ abſolutè poſſibilem: qua in re mihi non omnino diſplicet noſtri Georgii de Rhodes judicium, „ qui *Lib. 2. Philoſophiæ ſuæ peripateticæ Diſp. 1. q. 2. ſect. 3.* §. 2. relatis aliis, qui illam negant abſolutè poſſibilem, inter quos refert D. Thomam, „ aliis, qui illam affirmant naturaliter poſſibilem, „ ſed nunquam in actum deductam, ipſe cum „ aliis poſſibilem eſſe naturaliter aſſerit, ſed non „ niſi difficillimè, & perrarò illâ effici verum aurum. *Probarit id Lullus in eo tractatu, quid inde? ſatìnè periclitatione chimicâ aliquid exploraſſe? nequaquam; ſicut neque Delrium, neque Rhodeſium* (de his duobus libenter concedo) *neque B. Albertum Magnum, neque Subtilem Scotum, neque etiam D. Thomam, quem alii Chimicis accenſent, eo fortè ſine, ut honor Arti accreſcat; quo nomine etiam illis B. Martyrem indulgerem, ſi ſineret hiſtorica veritas: verumtamen res hæc ejusmodi eſt, ut nihil novi producatur in favorem Alchimiæ Lullii, in quo ſtatim non deprehendatur figmentum.* Pæana ante triumphum canit Cuſturerius, cujus fruſtraneum conatum in deprehendendo figmento Chimiæ à Raymundo expertæ inferiùs in peculiari capite producemus, in quo omnia argumenta Adverſariorum Perſpiciliis Lullianis intuebimur, eorumque modicam efficaciam oſtendemus; ad præſens ſervit elucidanda quæſtio, an B. Albertus nudâ tantùm ſpeculatione, an potiùs practicâ ſe Chimiam inveſtigaſſe probet? primum tenet de ipſo Cuſturerius, ego ultimum; videamus, quis noſtrûm ſcopum meliùs tetigerit: ſed unde ſumam arma ad oppugnandum Adverſarium? non aliunde, quàm ex ipſis ſcriptis B. Alberti: arrigant igitur aures, applicabo perſpicilia, ut clariùs legere valeam: ſic itaque fatur B. Albertus Lib. 3. de Metallis in Com. tr. 1. c. 1.

Dicam igitur rationabiliter, aut ea, quæ à Philoſophis ſunt tradita, aut ea, quæ expertus ſum, NB. *exul enim aliquando factus fui, longè vadens ad loca metallica, ut experiri poſſem naturas metallorum: hæc enim de cauſa quæſivi in Alchimicis transmutationem metallorum, ut ex his innoteſceret aliquatenus eorum natura & accidentia eorum propria: eſt autem optimum genus hujus inquiſitionis & certiſſimum; quia per cauſam uniuſcujusque rei propriam res cognoſcitur, & de accidentibus ejus minimè dubitatur: nec eſt difficile hoc cognoſcere, ſicut nec de lapidibus ſcientia difficulter inveſtigatur; quia cauſæ eorum ſunt manifeſtæ, & corpora eorum non ſunt diverſa, ſed homogenea per totum, & non ſicut alia corpora, quæ propter ſui diverſitatem per Anatomiam* NB. *non in toto poſſunt inveſtigari & ſciri.* Sanè hæc adeò clara ſunt, ut ſinè perſpiciliis videri queant, niſi quis omninò talpâ cæcior ſit. At forſan rimam quæret Cuſturerius, quâ elabatur, dicendo, Albertum tantùm perluſtraſſe aurifodinas vel officinas metallorum naturales, non artificiales, & in hoc ſe nominaſſe expertum; ſed in vanum: dicit enim in allato textu, *ſe quæſiviſſe in Alchimicis transmutationem metallorum*, & quidem non tantùm theoricè, ſed per *Anatomiam*; quæ inveſtigandi ratio nec eſt ſolius Philoſophi ſpeculativi, nec officinas metallurgicas curioſo tantùm oculo perluſtrantis: ſic enim ipſemet B. Albertus loco cit. confirmat: *de transmutatione autem horum corporum* (inquiens) *& mutatione unius in aliud non eſt Phyſici determinare, ſed Artis, quæ vocatur Alchimia.*

His nondum contentus Vir in Alchimicis expertiſſimus per totum hunc Librum de Mineralibus quinque libris comprehenſum omnia Artis principia cum toto modo operandi per tot lucullentas & profundiſſimas rationes experimentis junctas deſcribit, ut ne quidem vaſorum ſtructuram & regimen ignîs omiſerit cum omnibus ſignis in operatione occurrentibus; quæ omnia ex nuda theoria haberi poſſe, ſi quis aſſerere non veretur, crediderim, pari illum certitudine alios perſuaſurum, quòd ſolâ theoriâ perfectè nôrit omnes reſiduas orbis plagas nondum à Columbo & ſuis ſequacibus detectas. Pervolvite, quæſo, chariſſimi Condiſcipuli prætactos quinque Libros, quia modico volumine clauduntur, & non poterit non vobis ſuboriri admiratio, Viros cæteroquin literatos tam modicâ attentione & tantâ libertate chartis

chartis illinire, de cujus oppoſito ſingulis momentis poſſunt convinci: quod non aliunde provenit, niſi quia hujusmodi Libros non conſulunt, ſed aut aliorum malè ſartis ratiunculis fidem adhibent, aut, ſi quando hos Libros adeunt, id agunt, de quo Illuminatus Doctor conqueritur in Libro del Deſconſuelo §. 22. *Leenlos algunos como gato, que paſſa por braſas encendidas, por eſſo con los tales non hago caſi nada de eſte negotio:* quod omnibus his Authoribus, qui Chimiam Lullianam evertere tentarunt, in veritate accidit, prout in refutatione ſingularum objectionum inferiùs apparebit; nam non ſenſum verborum D. Authoris, ſed ſuperficiem ſolùm oculo radere contenti erant.

Porrò ſi tantum Magiſtrum non dedecuit practica Alchimiæ, cur dedeceat ejus Diſcipulum, ſcilicet D. Thomam? nec indiget hæc inclyta Ars emendicare honorem ab Artificibus, ſed potiùs è converſo; nam illi nil tribuunt Arti, ſed Ars illis dat cum ſcientia gloriam, & cum gloria felicitatem, quam ſpeculativa Philoſophia, non dicam præſtare, ſed ne promittere quidem poteſt.

Alterum eſt, quod pro tuenda veritate & antiquitate Alchimiæ ex B. Alberto me didiciſſe juvat, nempe ferè neminem antiquiſſimorum & celebertimorum Philoſophorum fuiſſe hujus glorioſæ Artis & Scientiæ ignarum; horum enim nomina recenſet Albertus, & ſcripta exactè pervolvit: quorum aliqua huc ponere non abs re erit: itaque Miner. lib. 2. tract. 1. c. 2. inter antiquos Philoſophos nominat *Alexandrum Græcum Peripateticum*, qui virtutem lapidum attribuebat complexioni elementorum, *& probat* (ſunt verba Alberti) *per opera Alchimiæ, in quibus ſimplicia parum proſunt, & cùm complexa fuerint, admirabiles valde reddunt effectus.* Eodem capite citat *Avicennam ejusque dicta, quæ de magicis & alchimicis compoſuit.* Lib. 3. tr. 1. c. 7. citat *Calliſthenem dicentem, Alchimiam eſſe Scientiam, qua inferioribus metallis nobilitatem attribuit ſuperiorum.* Item c. 8. ſtatim ab initio citat *Hermetem, Gilgil & Empedoclem* ût Alchimiſtas: quem Hermetem ſpecialiter tr. 2. c. 3. *Ducem & Patrem Alchimiæ dicit:* eundem citat Lib. 4. c. 4. item c. 7. *Propter quod dicit Hermes, qui eſt radix, ſuper quam omnes Philoſophi ſui ſunt ſuſtentati, quòd rubeum ſolis medicina eſt, album verò lunæ.* Plures alii in præfatis libris citantur, ût *Plato, Anaxagoras, Democritus, Geber, Alkindi, Raſis*, quos brevitatis gratiâ omitto; hi enim ſufficiunt ad duo in adverſariis noſtris cernenda, aut illorum de exiſtentia Alchimiæ ne extrinſecam quidem notitiam, aut, ſi hanc habent, incredibilem pertinaciam.

Tranſeamus ad alium Chriſtianum & Catholicum Doctorem in Philoſophia, Alchimia & Medicina maximæ Authoritatis, Arnaldum de Villanova Catalanum, Magiſtrum & Præceptorem in his duabus ultimis Scientiis Illuminati Doctoris noſtri. Hujus incomparabilis Viri Scripta Philoſophica & Medica qui legerit & intellexerit, nemo pro dignitate ſatis laudare & æſtimare poterit: non potui quandoque me continere à luctu & triſtitia evolvendo horum Sapientum antiquorum monumenta, quòd tantus theſaurus largitate divinâ nobis ultrò oblatus adeò parvi pendatur: nec aliam tanti mali cauſam invenio, niſi pigritiam & ſuperbiam noſtram, quarum prima nos retrahit à labore inveſtigandi profunda illorum eloquia, reiterandi lectiones, conferendi ſententias cum ſententiis, ſequendo monitum ipſius Arnaldi in Lib. de Simplicibus cap. his auditis. f. 242. v. p. in fine dicentis: *Tu excita te ſuper hoc & vigila, quia tu audiviſti Pitagoram ad Philoſophos dicere, tanto magis dictis attollere mentem, quanto magis Doctor abbreviat ſermonem; nam de ſecretis multa docet intelligere, ſed ſemper pauca dicere vel ſcribere.* Et B. Raymundi Lulli in Libro de Gradibus Med. Diſt. 1. c. 5. fol. 5. agentis de Metaphora (non illâ triviali, quâ Rhetorica vulgi utitur) *ut ſit Ars ad exaltandum intellectum in iſta Arte & in aliis Artibus &c.: & hoc propter maximam intenſionem, quam intellectus facit, quando unum audiens aliud intelligit:* nam ſi quispiam unâ die, uno menſe, vel ad ſummum (quod tamen rariſſimè accidit) uno anno ſimilem Authorem evolvit, nec intelligit, rem conclamatam exiſtimat, animum abjicit, & amiſsâ patientiâ invehitur in Authorem blaſphemando ejus modum ſcribendi: & ne cogatur fateri ſuam ignorantiam., contemnit & irridet hæc præcellentia dogmata tanquam impoſturas, ac ad nova & inutilia comminiſcenda convertitur; unde totum germen novatorum ſpuriæ Philoſophiæ & Chimiæ originem traxit: de quibus bene Illuminatus Doctor in ſua Introductoria Artis Demonſt. c. 40. agens de modo addiſcendi: *Timor namque ruboris multos fecit Magiſtros erroris; quia quod à ſtulto non præcogitatur, fugiens unum malum in pejus delabitur.*

Hic itaque Arnaldus in *Speculo Introductionum Medicinalium* de veritate & exiſtentia Alchimiæ cap. 68. de Generatione lactis & ſpermatis ſic loquitur, oſtendens, quomodo ſanguis, qui priùs in utero per umbilicum nutriebat infantem, tranſiens per organa lactis mirabiliter reincrudetur, & de novo per nutrimentum nati in ſanguinem convertatur, *totum Alchimiæ Magiſterium Filiis veritatis lucidiſſimè pandens, & inſuper arguens præſumptionis alumnos, qui aſſerunt abſolutè, quòd coctum incrudari non poteſt.*

Totus hic Liber Speculi Medicinæ Arnaldi ſub una continua metaphora complectitur totum Alchimiæ & Medicinæ Magiſterium, ût hic ipſemet Arnaldus ſe lucidiſſimè pandere profitetur: unde ſicut hic liber in *ſenſu literali* eſt Medicus, & in *ſenſu metaphorico* Alchimicus, ſic totum Antiquum Teſtamentum, quod infrà probabimus eſſe opus B. Raymundi Lulli, in *ſenſu literali* eſt Alchimicum, & in *ſenſu metaphorico* eſt medicum, quaſi ad literam correſpondens Speculo Medicinæ Arnaldi, ejusque ordini ad unguem inhærens, omiſſis tantùm particularibus ad medicinam particularem & vulgarem pertinentibus, & retentis principiis univerſalibus; de qua ratione docendi ab ipſo Arnaldo adhibitâ ipſemet teſtatur, revelans ſimul ſecretum ſtudendi libros antiquorum Sapientum *in Prologo de Conſiderationibus Operis Medicinæ. Proponimus* (ait) *doctrinam iſtarum Conſiderationum patefacere in exemplo particularis operationis more Sapientum Docentium res univerſales per exempla rerum particularium.*

In Tractatu de Doſibus Tyriacalibus circa finem oſtendens virtutem Lapidis cujusdam Bezoardici ad expellendum venenum: *Nec mirabimur de hoc* (inquit) *cùm viderimus magnam medicinam, quem lapidem rubeum vocaverunt, in quantitate unius grani mili quâlibet die ſumptam collectionem duram quindecim annorum exterius eminentem in latere infra tres hebdomadas reſolviſſe: miráque valde ſunt opera naturæ, ſinè quorum notitia in particulari nullo modo*

ſuperbus & indomitus juvenum intellectus retunditur, quâve propter contemptum imaginariâ deluſione fraudantur; præcipuè cùm elata præſumptio facit eos ſuis imaginationibus pertinaciter inhærere. Profectò ſi vidit Arnaldus effectum Lapidis Philoſophorum, hic lapis debuit eſſe; quia non entis nullæ ſunt qualitates.

Petrus Bonus Lombardus Ferrarienſis, vulgò Magiſter Sententiarum dictus, Philoſophus & Chimicus excellentiſſimus in ſua Margarita pretioſa, quam ſuprà citavimus, tantâ energiâ, authoritate antiquorum Philoſophorum, argumentorum copiâ & robore Alchimiæ poſſibilitatem & exiſtentiam demonſtravit, ut, cui hic ſolus Liber non ſufficiat, nihil illi ſuffecturum ſpondeo: & cùm Liber ubique ſit reperibilis, pauca maximè huc quadrantia ex illo deſumam: legatur illius cap. 2. *in quo diſputat & probat, Alchimiam eſſe veram:* legatur cap. 6. *in quo oſtendit, quòd hæc Ars ſit naturalis & ſit divina:* legatur cap. 8. *in quo oſtendit, quomodo hæc Ars inventa ſit, & quibus data ſit, & quibus non, & quare ſic obſcurè ſcripſerunt eam Philoſophi.* In cap. 3. dat Definitionem Alchimiæ, dicendo, quòd *Alchimia eſt Scientia, quâ metallorum principia, cauſæ, proprietates & paſſiones omnium radicitùs* NB. *cogneſcuntur, ut, quæ imperfecta, incompleta, mixta & corrupta ſunt, in verum aurum transmutentur.* „Ex qua ſubtiliter colligi poteſt, „quòd proportionatur & ſubalternatur hæc ſcien„tia libro de mineralibus naturis Philoſophiæ, „ſicut Scientia Medicinæ de ſanitate & ægritu„dine naturalis Philoſophiæ; nam ſicut Me„dicina contrahit genus ſubjectum commune „illius ad corpus humanum tantùm tam theo„ricè, quàm practicè, ſic & hæc contrahit ge„nus ſubjectum commune iſtius ad metalla tan„tùm tam theoricè, quàm practicè; ideo hæc Sci„entia eſt operativa, ſicut & Medicina, & forma „naturalis in ſubjecto naturali introducta à natu„ra per miniſtrationem Artis, ût in illa, & agens „naturale, ſcilicet ignis, modo debito approxi„matus, quamvis agens artificiale & voluntas „illud regat, modificet & coaptet in ſuis propriis „organis cum ſedulitate uſque ad tempus pror„ſus ſtabilitum & præfinitum.

Deinde eodem Capite dat rationem, quare multis etiam Doctis hæc Ars videatur impoſſibilis; „quia pura veritas non videtur in operibus hujus „Artis, ſed ſophiſtica ſolùm ſunt, quæ quotidie „videntur & phantaſtica; ideo arguunt ab effectu, „eam non eſſe veram: & quia vident alteratio„nes magnas & fortes versùs aurum & argentum „non completas, arguunt ex hoc alii, eam poſſe „compleri, & per conſequens Artem veram eſſe „poſſe; ſi enim nulla alteratio in eis fieri videre„tur, tunc nulla eſſet quæſtio: compellitur tamen „utraque pars confiteri, alterationes prædictas „fieri poſſe in metallis; quamvis transmutatio„nem alterationes ſequentem ultimas ignorent fe„rè omnes: non enim diceretur Ars, ſi ſophiſtica „eſſet tantùm; quoniam Ars imitatur naturam; „& ſicut natura non eſt ſophiſtica in operationibus „ſuis, ſic nec Ars. Et paulò inferiùs: „Ergò in „ipſius operatione eſt ſudandum, *ſed ſolùm ab habente ingenium callidum, ſublime & perſpicuum & valde profundum.* „Et quia contra negantes ſua „principia non poteſt quis diſputare, ût patet ex „1. phyſicorum, contra autem confitentes prin„cipia, & propter ignorantiam concludentes falſa „diſputari poteſt &c., ideo contra confitentes „principia, & concludentes ex eis falſa, dirigimus „noſtram Diſputationem. Dein dicit, ſe ſecuturum Authoritatem & verba antiquorum Philoſophorum in hac Arte famoſorum, NB. ut introitus fiat apertus iis, qui hoc ignorant.

„Ampliùs (paucis interpoſitis pergit) ut verum „fatear, dico, quòd, quicunque veritatem alicu„jus Artis vel Scientiæ aut alicujus difficultatis in „illa radicitùs videre intendit, debet cognoſcere „terminos in illa Arte, & differentias proprias, „& quid dicatur per nomen; ſi enim hoc igno„raverit, radicem & veritatem, quam quærit, aut „diſputare intendit, nullo modo perpendit, ſed „arguet ex extraneis & ignotis, & paralogizabit „ſe ipſum; & in hac ignorantia ſtabit & quieſcet: „ſed impoſſibile eſt, ex ignotis pervenire ad no„ta. Ideo vidimus quamplurimos ſapientes hujus „Artis terminos ignorantes, hanc quæſtionem „inveſtigare volentes, arguentes ex extraneis, „hanc Artem non eſſe veram; & ſic in fine con„cludunt, & determinant, & ignorant.

Et paulò infrà: „Ex quibus verbis patet, quòd, „qui ignorat proprios terminos hujus Artis & dif„ferentias, ignorat ipſius diſputationem & verita„tem, & nihil arguit &c.: cogitur ergò neceſſa„riò hanc quæſtionem diſputare radicitùs ad in„tellectum intendens, ut terminos hujus Artis „immiſceat quæſtioni, quibus ignotis igno„ratur diſputatio ejus & veritas, & procedit tan„quam cæcus ad colores, & ſicut carens poten„tiâ ad objectum potentiæ: hactenùs Lombardus. Quæ dicta ex aſſe congruunt in impugnatores noſtros Alchimiæ Mutum, Waddingum RR. PP. Barcelo, Cuſturerium & Sollerium: nam quidquid habent contra Artem, non tangit principia necradicem ejus, ſed ab extraneis & conjecturis dependet.

Rogerius Bacon Anglus ex Ordine S. Franciſci (quantum recordor, me legiſſe in Chronica hujus Ordinis) Vir ſuâ ætate in Scientiis adeò celebris, ut credam, Doctrinam noſtri ſæculi Doctrinæ illius ſæculi comparatam vix nomen doctrinæ promereri; & tamen non ſinè nauſea aliquoties in libris modernorum vano verborum ornatui, quàm veræ & utili ſcientiæ vim omnem tribuentium lego non niſi barbara illa ſæcula, quaſi ignorantia utiliſſimarum & altiſſimarum harum Scientiarum, quas ſapientiſſimi hi Antiqui noverunt, non eſſet major barbaries, quàm inutilis & imaginaria ſermonis facundia cultura.

Dolenda eſt jactura plurimorum Operum à famoſis his Doctoribus exaratorum, quorum ſtudio quantum perfectionis acceſſiſſet Scientiis occultioribus nemo credit, niſi ſolerter ſaltem inſpiciat fragmenta, quæ omni ſtudio oblivioni temporum eripere ſategimus.

Præfatus Rogerius Bacon de Alchimia ſic ſcribit *in Lib. 6. Scientiarum.* „Quarta verò Scien„tia non modicam habet utilitatem in notitia re„rum & ſcientia inquirenda; & eſt Alchimia ſpe„culativa, quæ in particulari & per experientiam „rerum inferiorum, generationem & naturas ac „proprietates inveſtigat: illa verò, quæ practica „dicitur, negotiatur per artificium circa opera uti„lia perſonis & reipublicæ in transmutatione me„tallorum vilium in Aurum & Argentum, & in „compoſitione Uzifur & cæterorum colorum, & „in reſolutione Criſtallorum & Margaritarum & „aliorum Lapidum ac eorum compoſitione & aug„mentatione, & in operibus multis circa lapides „pre-

„pretioſos, & præcipuè in præparatione multa„rum rerum, quæ faciunt ad conſervationem ſa„nitatis, & curationem ægritudinis, & ad pro„longationem vitæ mirabilem & potentem.

Et in Opere de emendandis Studiis *Lib. 3.* ita loquitur: „Deinde completâ partium operis „majoris enumeratione, quia ſexta Scientia eſt „Alchimia, quæ utilis eſt valde, & eſt de majo„ribus Scientiis; ideo poſui eam ſub forma Philo„ſophorum in ſuo loco in ænigmatibus, promit„tens, me expoſiturum eam in ſequentibus: poſthæc „deſcendi ad peccata ſtudii, & ejus remedia, & „in ſexto peccato manifeſtando deſcendi ad ge„nerationem rerum ex elementis, & texui illam „totam uſque ad ſpecialem generationem anima„lium & plantarum; & diligentiùs hanc practi„cavi; quia his aperiuntur magnarum Scientia„rum radices, ſcilicet naturalis Philoſophiæ, Me„dicinæ & Alchimiæ, & res maximæ hìc conti„nentur; nam per eas certificatur non ſolùm ſta„tus generationis rerum corporalium, ſed ſta„tus innocentiæ, quantum ad complexiones & „cauſas immortalitatis, quæ fuit in primis Pa„rentibus, & in omnibus fuiſſet, ſi non eſſet pec„catum ab Adamo commiſſum: item ſtatus Cor„porum immortalium poſt Reſurrectionem. Ex „his extrahuntur cauſæ prolongationis vitæ, & re„media contra infirmitates omnes; & ſic habe„tur multum de expoſitione ænigmatum alchimi„ſticorum, quæ priùs tacta ſunt. Et texui gene„rationem humorum ex elementis, & omnes ge„nerationes eorum; & oſtendi, qui ſint inæqua„les, & quomodo fiant, & qualiter æqualitas „poſſit fieri in humoribus, & omnia; & ſpecia„liter deſcendi ad generationem metallorum; quia „hæc requiruntur ſpecialiter in ſexto peccato ſtu„dii: & tetigi naturas eſſentiales omnium, & „proprietates eorum, & effectus, & maximè de „auro, quia hoc fuit magis conveniens exemplum „ad propoſitum (videantur, quæ ad hoc propo„ſitum Doctor Illuminatus habet in Libro Artis „Intellectivæ) & hæc, quæ tetigi de iſtarum re„rum generatione, ſunt de majoribus & melio„ribus, quæ ſciri poſſunt, tam pro ſpeculativis, „quàm pro practicis, NB. & habent maxima ſe„creta, ſi bene intelligantur. Generationem re„rum ex elementis mirabili artificio oſtendit Bacon *in Lib. de 4. Elem.* quem MStum penes me habeo; & videtur ejus doctrinam hauſiſſe ex Libris Avicennæ de Alchimia, quos citat cum Alberto.

Si hæc, quæ Rogerius enumerat, figmenta dicantur, & ad fabulas remittantur (quod dictu facillimum) remittimus & nos Adverſarios noſtros ad Magiſtros prurientes auribus, qui à veritate quidem auditum avertunt, ad fabulas autem convertuntur; nam illis hic Author non loquitur, ût proteſtatur *in brevi Breviario de Dono DEI*, his verbis:

„Intelligenti itaque loquor atque diligenti, „qui & fundamenta regulæ naturalis, quæ Al„chimia naturalis innuitur, à cunctis quidem „Philoſophis poſita non deponit, nec malè ſuppo„ſita fuiſſe ſupponit: non illis quippe ignoranti„bus loquor, qui ût bruta ſenſibiliter ambulan„tes ea ſolùm credunt eſſe poſſibilia, quæ com„munis uſus & inferioris naturæ communis cur„ſus communiter operatur. Ille procertò eſt Phi„loſophiæ naturalis & rationis inimicus, qui„cunque naturalem eſſe poſſibilemque metallorum „invicem transmutationem negat. Iſta ſufficiant ab Authoritate Sapientiſſimi & Chriſtiani hujus Philoſophi pro poſſibilitate & exiſtentia Alchimiæ tuendis deſumpta.

Poſſem quidem adhuc aliorum quamplurimorum Catholicorum Illuſtrium Philoſophorum teſtimonia afferre, partim ſupradictorum, partim non nominatorum; quia tamen in duobus vel tribus teſtibus ſtat omne verbum, &, ſi ſuprapoſitis adnumerentur Diſcipuli primæ Claſſis, non jam duo vel tres, ſed plùs quàm quater tres habeantur, illos abundanter ſufficere arbitror cuivis adhuc ſenſum Fidei & Authoritatis humanæ admittenti: reſtat nunc, ut hoc ipſum Rationibus ac Demonſtrationibus pro Arte allatis confirmem.

CAPUT II.

In quo probatur per Rationes neceſſarias & infallibiles Demonſtrationes, quòd Alchimia ſit Ars & Scientia poſſibilis, & quòd actualiter exiſtat.

SI tam facilè eſſet pervenire ad ipſum Opus & Practicam tam arduæ Scientiæ & Artis, de qua quærimus, quàm facilè poteſt erui ejus poſſibilitas & exiſtentia per millenas Rationes ac Demonſtrationes ex Arte Generali B. Doctoris noſtri elicitas, nil facilius eſſet, quàm experimento os obſtruere omnibus obtrectatoribus hujus inclytæ Artis (poſito, quòd quis adeò fatuus cuperet eſſe, ut jacturâ ſuæ libertatis vellet comparare inanem incredulorum ignorantium aſſenſum) puto enim, longè ſanius eſſe judicium R. P. Franciſci Reinzer Soc. J. in ſua Meteorologia Philoſophico-politica Auguſtæ Vindelicorum impreſſa Anno 1709. *diſſert. 12. q. 9. fol. mihi 281.* aptiſſimè ad rem reſpondentis quærenti, quis proximus modus ſit producendi Aurum? *ſi hunc ſcirem* (ait) *tibi eo ipſo non manifeſtarem.* Et Rigii in Libro Secretorum Sigillo ſeptimo inimicorum Scientiæ ſectâ quintâ ſuadentis taciturnitatem; *Nunquam* (inquit) *lucraberis iſtos, niſi ſolâ experientiâ, quam tibi conſulo, at ſtrictè apud te teneas: non eſt injuria cæcos dimittere ſuo baculo; imò ſi quietam vitam ducere vis, eſt neceſſe hos deludere taciturnitate; nam latrantes hi ſophiſtæ ſunt, ſapientes verò taciturnos eſſe decet:* ſi enim rationibus & demonſtrationibus tot ac tantis non moventur, non ſunt digni nec apti experimento convinci; nam ego ipſemet novi unum horum incredulorum, qui ſe videntes dicunt, præſentem & oculis propriis videntem transmutari notabilem quantitatem cupri in verum ac purum aurum vix uno grano pulveris rubei (Artifice nullam manum applicante, imò ne quidem præſente) viſo igitur tam luculento teſtimonio veritatis Artis quid actum? primò quidem mirabatur effectum, laudabat & affirmabat veritatem & præſtantiam Artis; poſt paucos verò dies dicebat, fuiſſe illuſionem vel deceptionem, ſubſtituto ſcilicet auro pro cupro; cùm tamen trans-

mutatione factâ cuprum remanſerit in eadem forma cupri, ac ſi nullam vel minimam alterationem recepiſſet, totâ enchiriſi præterea à fideliſſimo Sereniſſimi Electoris Palatini Clementiſſimi Domini mei Cubiculario peractâ: cujus poſtea miniſterio præfatum cuprum delatum ad artis monetariæ peritum, ac rigoroſo examini ſubmiſſum inventum eſt aurum naturali longè præſtantius: retulit mihi ipſemet dictus Cubicularius Vir integerrimæ vitæ, ſe non potuiſſe primò inducere Aurificem, ut crederet, allatum cuprum non eſſe cuprum, ſed aurum; nam lapidi lydio admotum ac in partes diſſectum intùs & extrà non exhibebat niſi formam cupri, donec cupellæ immiſſum, notato priùs quàm optimè pondere, in eodem pondere egreſſum ſit ſub forma puriſſimi & nobiliſſimi auri, cum ſtupore prædicti Aurificis: hoc ipſum aurum mihi gratioſiſſimè oſtendere dignatus eſt ipſemet Sereniſſimus Elector piiſſimæ Memoriæ, addendo, ſe ab Auguſtiſſimo ſacræ pariter Memoriæ Imperatore Leopoldo oretenùs accepiſſe, quòd ſpectante & præſente ſuâ ſacrâ Majeſtate Cæſareâ hoc ipſo pulvere in quantitate grani hordeacei circiter applicato octo libræ plumbi in genuinum aurum fuerint converſæ: non neglexerit haud dubiè altefata ſua Sacra Cæſarea Majeſtas omnem cautelam adhibere, ne dolus aliquis ſubreperet, faciendo experimentum per proprios & fidos ſibi ſervos, prout fecit Sereniſſimus Elector Palatinus.

Cùm verò ea mihi ſit mens, non omnibus, ſed Condiſcipulis meis ſcribere, quorum intellectus principiis & cognitione tam abſtruſæ Artis nondum eſt imbutus, aut adhuc ſub tirannide connutritæ ſibi credulitatis erroneæ captivus detinetur, idcirco horum voluntates invito, ut nempe velint aurem pronam exhibere dicendis, non corticem verborum rodere, ſed maſticare ſenſum ſub iis deliteſcentem, ponderare argumenta, examinare rationes ad fundamenta Artis noſtri Illuminati Magiſtri: hâc etenim normâ procedendi non gravatè traham illos in meam ſententiam, imò ſpontè & cum animi oblectamento in occurſum meum ſe effundent.

Antequam verò ipſas Demonſtrationes aggredior, aliqua notatu digna præmittere debeo, quorum

Primum: quòd ſequentes Demonſtrationes Lulliſtis ſcribam, nimirum iis, qui ſupponunt infallibilitatem Artis Illuminati Doctoris: unde ſi illas alii ſunt lecturi, quàm Lulliſtæ, velintque ipſis hanc proprietatem in dubium vocare, dignentur priùs ad Artem recurrere, illiusque ſibi intelligentiam & uſum comparare, ut rectam menſuram adipiſcantur menſurandi dictas demonſtrationes.

Secundum: quòd cupienti ſatisfacere Lulliſtis, qui affirmant Artem Illuminati Doctoris, & negant Alchimiam, duo mihi erunt obſervanda. *Primò:* ut, quantum potero, principiis Artis inſiſtam, & argumenta ac demonſtrationes vix non de verbo ad verbum ex ipſo Illuminato Doctore ſumam, retentâ demonſtrandi methodo univerſali, & ſubrogando terminos particulares ad rem facientes, terminis particularibus ab Illuminato Magiſtro adhibitis. *Secundò:* ut oſtendam, vel uno octiduo in Arte ſtudenti, & ſaltem definitiones, conditiones & regulas Artis aliqualiter agnoſcenti, eſſe impoſſibile non ſimul agnoſcere veritatem poſſibilitatis & exiſtentiæ Alchimiæ: unde multò & incomparabiliter magis impoſſibile fuiſſe ipſi Divo Magiſtro, certus ſum, ipſum ignoraſſe, quod notiſſimum fuit ejus Diſcipulis, & vel minimo notum eſſe poterit.

Tertium: quòd, quia valde pauci, qui ſe Lulliſtas vel Raymundiſtas dicunt, nec in Geometria Lulliana nec vulgari experti ſunt, nec per conſequens quidquam nôrunt de Modo demonſtrandi à proportione; qui tamen modus eſt longè infallibilior, certior & facilior, quàm per ſyllogiſmos Logicæ vulgaris, & ita poſſent ſequentium argumentorum in dicta proportione fundatorum vim & efficaciam vel non penetrare, vel diſtinctionibus ad propoſitum nihil facientibus eludere, ideo in anteceſſum pauca quædam de prædicta proportione hìc præmittere debeo, reliqua reſervando in locum proprium de Revelatione Secretorum Artis. Dignentur itaque notare, & intellectui ſuo firmiter imprimere, Artem demonſtrandi Lullianam à potiori uti quatuor terminis habentibus inter ſe aliquam proportionem & habitudinem neceſſariam, ratione cujus ſicut ſe habet primus ad ſecundum, ſic neceſſariò ſe habet tertius ad quartum, & è converſo: ut autem hæc proportio ſit utilis ad faciendas demonſtrationes, ſemper debet includere neceſſitatem (neceſſitas enim eſt fundamentum omnis demonſtrationis, ſicut contingentia probabilitatis) unde quantò major eſt neceſſitas, tantò major erit demonſtratio: & hinc demonſtrationes Artis Lullianæ ſunt majores omnibus Demonſtrationibus Geometricis, quia ultimatò reſolvuntur vel reſolvi poſſunt in infinitam neceſſitatem, ex qua formatur infinita demonſtratio; quod hactenus à nemine Geometrarum eſt animadverſum, ût dicto loco oſtendam.

Proportio autem, de qua hìc agimus, multis modis in Schola Lulliana conſideratur, & longè pluribus, quàm in Geometria; nam ab illa non conſideratur, niſi in quantitate & numero, & in utroque tantùm ſecundùm majus & minus & æquale; ab hac verò non ſolùm conſideratur in quantitate & numero, ſed etiam in magnitudine non quanta, & in magnitudine & numero finito & infinito, & in ſubſtantia & in accidente quolibet, & in differentia, concordantia, contrarietate, & in his omnibus ſimpliciter & compoſitè, mediatè vel immediatè; de quibus aliqua dabimus exempla, ut meliùs explicentur: igitur

Proportio alia æqualitatis, alia majoritatis & minoritatis, v. g. cùm bonitas & magnitudo ſint æquales, ſicut ſe habet bonitas ad bonificare, ſic ſe habet magnitudo ad magnificare, & è converſo: vel ût ſe habet bonitas ad magnitudinem, ſic ſe habet bonificare ad magnificare, & è converſo: vel ût ſe habet bonitas ad magnificare, ſic ſe habet magnitudo ad bonificare. Et quia Logiſtica Lulliana ob generalitatem Artis loco terminorum utitur literis alphabeti, ſupponatur, quòd B. ſit bonitas, C. magnitudo, D. bonificare, E. magnificare, ſic exprimit ſupradictas proportiones ſequenti modo. Sicut ſe habet B. ad D., ſic C. ad E.: vel ſicut B. ad C., ſic D. ad E.: vel ſicut ſe habet B. ad E., ſic C. ad D.

Proportio majoritatis & minoritatis, v. g. ſicut ſe habet intellectivum ad intelligere, ſic ſenſitivum ad ſentire, & è converſo: vel ſicut ſe habet ignitivum ad ignire, ſic ſe habet calefactivum ad calefacere, & è converſo.

Propor-

Proportio concordantiæ & contrarietatis, v. g. concordantiæ, ût in præcedentibus: contrarietatis ſic: v. g. ſicut ſe habet bonitas ad bonificare, ſic malitia ad malificare: ſicut ſe habet viſus ad auditum, ſic ſe habet cæcitas ad ſurditatem: ſicut ſe habet meritum ad gloriam, ſic ſe habet culpa ad pœnam: vel ſicut ſe habet forma particularis ad materiam particularem, ſic ſe habet forma univerſalis ad materiam univerſalem. Tales proportiones ex terminis & principiis Artis Lullianæ elicitas innumeras alias perpetuò adhibet Illuminatus Doctor in ſuis Libris, de quibus nullus Geometrarum mentionem fecit, imò nec uſum illarum in Geometria fieri poſſe unquam ulli in mentem venit.

Iterum ex his *proportionibus ſimplicibus* formantur *proportiones compoſitæ* ſinè numero; v. g. ſicut bonitas eſt ratio bonificandi, & majoritas eſt ratio majorificandi, ſic major bonitas eſt ratio magis bonificandi: vel per literas, ſicut ſe habet B. ad C., & D. ad E., ſic B. D. ad C. E.; nam ſi addantur proportionalia proportionalibus, etiam ſummæ erunt proportionales: vel ſic: ſicut ſe habet bonificativum ad bonificabile, ſic vegetativum, h. e. transmutativum ad vegetabile, h. e. transmutabile, & metallificativum ad metallificabile: ergò componendo, ſic ſe habet transmutativum metallificativum ad transmutabile metallificabile: vel ſic: ſicut ſe habet eſſe & operari ad perfectionem, ſic ſe habet eſſe & non operari ad defectum: vel ſicut in compoſito corruptibili generatio tantò magis convenit cum perfectione, quantò magis diſtat à corruptione conveniente cum defectu, ſic in ſimplici incorruptibili generatio convenit cum infinita perfectione, quia infinitè diſtat à corruptione conveniente cum defectu: vel ſic faciliùs: ſicut generatio finita ratione perfectionis eſt finitè contraria corruptioni ratione defectûs, ſic generatio infinita ratione perfectionis eſt infinitè contraria corruptioni ratione defectûs: quæ omnia facilè poſſunt in literas redigi. Et hæc pauca in anteceſſum ſufficiant ad intelligentiam ſubſequentium Demonſtrationum

Prima Ratio per *Bonitatem.* Manifeſtum eſt, quòd ſcire bonum eſt bonum; nam ſi ſcire bonum non eſſet bonum, ſequeretur, quòd ignorare bonum non eſſet malum; & ſi ignorare bonum non eſſet malum, ignorare malum non eſſet bonum; & hoc eſt impoſſibile: cùm igitur ſcire bonum ſit bonum, ſcire bonum & agere bonum erit majus bonum; quod ſi non, ſequeretur, quòd ſcire virtutes & operari virtutes non eſſet majus bonum, quàm ſcire virtutes tantùm; & hoc eſt impoſſibile: igitur ſi Alchimia nihil eſt, ſicut Adverſarii noſtri volunt, totum, quod ſuprà demonſtravi eſſe verum, erit falſum, & totum, quod probavi eſſe bonum, erit malum; nam ſi Alchimia nihil eſt, ſcire principia mineralium & metallorum, quæ ſunt bona, eſt malum, & illa ignorare erit bonum, & ſcire modum operandi naturæ, qui eſt bonus, erit malum, & illum ignorare erit bonum: & hoc ipſum ſequitur de agere & operari, quæ erunt mala, & privatio illorum erit bona, & poſſeſſio utriuſque erit majus malum, & privatio utriuſque erit majus bonum; & ſic eſſe eſt malum, & non eſſe eſt bonum, & majus eſſe majus malum, & majus non eſſe majus bonum: quis autem ſic judicet, niſi qui caret judicio?

Secunda Ratio per *Magnitudinem.* Magnitudo eſt id, ratione cujus principia omnium entium ſunt magna, ambiens omnes extremitates eſſendi horum principiorum, & per conſequens operandi; & hæc eſt definitio magnitudinis: contrahendo igitur hanc definitionem univerſalem ad particulare ſecundùm proportionem, Magnitudo principiorum metallorum eſt id, ratione cujus principia metallorum ſunt magna, ambiens omnes extremitates eſſendi & operandi horum principiorum: ergò principia metallorum habent poteſtatem ſe magnificandi per omnes extremitates eſſendi & operandi, tam ſubſtantiales, quàm accidentales, tam naturales, quàm artificiales, tam ad intra, quàm ad extra; quia ſi unus horum modorum deficeret, eſſet vacuitas magnificandi in aliqua extremitate eſſendi & operandi; & ſic definitio magnitudinis eſſet falſa; quod eſt impoſſibile, cùm omnia principia Artis ſint neceſſaria per ſuam neceſſitatem, & vera per ſuam neceſſariam veritatem: hoc autem totum eſſet falſum, ſi Alchimia nihil eſſet; quia per ſolam naturam nullum principium metalli habet poteſtatem ſe magnificandi per omnes extremitates eſſendi; ût patet ad ſenſum: nam principia auri non poſſunt tranſire extremitatem generationis auri, nec poſſunt attingere regenerationem auri, quæ eſt finis generationis auri, & in qua eſt major magnitudo perfectionis, quàm in generatione auri, ſicut in corpore glorificato & regenerato eſt major, quàm in corpore corruptibili & generato: & ſic privatio magnificandi principiorum auri cauſat vacuitatem finis magnificandi, & cogit parvificare principia in medio, & contra ſuam naturam ſubſiſtere extra ſuum finem, & magnitudo increata eſt contraria magnitudini creatæ in majori ſuî aſſimilatione eſſendi & operandi, & ſic eſt contraria ſibi ipſi; & hoc eſt impoſſibile: ergò Alchimiam eſſe eſt neceſſarium.

Tertia Ratio per *Durationem.* Senſualiter ſentimus, quòd major eſt duratio in auro, quàm in homine; quamvis aurum æquè ſit compoſitum ex contrariis elementis, ût corpus hominis: ſi ergò homo non poteſt corrumpere aurum, major erit poteſtas durandi in auro, quàm poteſtas corrumpendi aurum in homine; & quia homo eſt nobilior auro, erit major poteſtas reſiſtendi in minùs nobili, & minor poteſtas agendi in magis nobili: & ſic eſt perverſa proportio naturæ in entibus naturalibus per 13. Modum Artis Compendioſæ; & hoc eſt impoſſibile: ergò oppoſitum erit neceſſarium. Si autem homo poteſt corrumpere aurum, & non poteſt regenerare aurum, ſequitur, quòd habeat majorem poteſtatem in defectu, qui convenit cum corruptione, quàm in perfectione, quæ convenit cum regeneratione; & hoc eſt impoſſibile: nam ſi eſſet poſſibile, ſequeretur, quòd ſuprema Poteſtas magis ordinaſſet creatam poteſtatem ad defectum, quàm ad perfectionem; & ſi hoc feciſſet, ſuprema Poteſtas eſſet contraria ſupremæ Perfectioni; & hoc eſt impoſſibile: ergò Alchimia eſt, ût patet: & ſi Alchimia eſt, homo poteſt corrumpere & regenerare aurum; & ſi poteſt, poteſt dare auro majorem durationem per naturam & artem, quàm habeat per naturam tantùm: & ſi poteſt dare majorem durationem auro, & ille non habet majorem durationem, quàm aurum, ſequitur, quòd ſuprema duratio majorem habet influentiam per medium ma-

joris in minus, quàm per ſe ipſam ſinè medio in majus; & hoc eſt impoſſibile. Unde cùm per naturam homo habeat majorem durationem, quàm aurum, (ùt ſequitur ex prædictis) & tamen minùs duret, quàm aurum, ejus minor duratio ſignificat peccatum originale, per quod naturalis proportio inter majorem nobilitatem & durationem hominis, & minorem nobilitatem & durationem auri perverſa eſt in proportionem naturæ contrariam; & hoc totum ſignificat & demonſtrat Alchimia, ſi eſt, & contrarium, ſi non eſt: ergò Alchimia eſt.

Quarta Ratio per *Poteſtatem.* Poteſtas ignîs & aquæ eſt major in operando, quàm poteſtas aëris & terræ; quia principia operativa ignîs & aquæ, quæ ſunt calor & frigus, ſunt majora, quàm principia operativa aëris & terræ, quæ ſunt humiditas & ſiccitas; & poteſtas ignîs eſt major in operando, quàm poteſtas aquæ; quia calor naturaliter convenit cum actione & motu, & frigus naturaliter convenit cum privatione actionis & quietè: & hoc ad ſenſum patet in corpore vivo, quod eſt calidum & movetur, & in corpore mortuo, quod eſt frigidum & quieſcit: cùm igitur in auro & omnibus metallis ſenſus ſentiat frigus & quietem, & non ſentiat calorem & motum, manifeſtum eſt, quòd in auro & omnibus metallis aqua ſit in actu & actione, & ignis in potentia & paſſione: ſi ergò aqua in metallis poteſt eſſe in actu & actione, quamvis conveniat cum privatione actûs & actionis, & ignis non poteſt eſſe in actu & actione, quamvis conveniat cum actu & actione, ſequitur, quòd natura in metallis & elementis illorum magis eſt ordinata ad ſuam privationem, quàm ad ſuam conſervationem: & ſi hoc eſſet, natura magis appeteret corruptionem actûs & actionis in metallis, quàm generationem actûs & actionis; & hoc eſt impoſſibile: quia ſi eſſet poſſibile, ſequeretur, quòd non agere conveniret cum perfectione, & agere cum defectu; & per conſequens non eſſe eſſet perfectio, & eſſe eſſet defectus; & hoc eſt impoſſibile: ſed hoc eſt poſſibile, ſi Alchimia nihil eſt; nam ſi nihil eſt, nunquam per ſolam operationem naturalem ignis auri erit in actione & actu, & aqua auri in paſſione & potentia; & ſic nunquam aurum erit in motu ad majorem perfectionem, ſed quieſcet in defectu, donec privatio concordans cum defectu & cum non eſſe per defectum privet eſſe auri, & reducat in non eſſe; ſed hoc eſt contra finem naturæ tam univerſalis, quàm particularis, quæ naturaliter ſemper appetit finem perfectionis, & magis appetit majorem finem perfectionis, quàm minorem: ergò Alchimia eſt.

Quinta Ratio per *Sapientiam.* Quantò magis Scientia contrariatur ignorantiæ, tantò magis concordat cum perfectione; & quantò magis ſcientia contrariatur poteſtati, tantò magis concordat cum defectu: ergò quantò magis concordat cum poteſtate, tantò magis contrariatur defectui, & concordat cum perfectione: & ſi hoc non eſſet ita, ſequeretur, quòd ſcientia & poteſtas poſſent eſſe magis perfectæ in inæqualitate, quàm in æqualitate: & ſi hoc eſſet verum, ſequeretur, quòd infinita ſcientia & infinita poteſtas non eſſent infinita perfectio; & hoc eſt impoſſibile: ſed totum hoc eſſet neceſſarium, ſi Alchimia nihil eſſet; nam ſi Alchimia nihil eſſet, nihil homo ſciret de principiis & de generatione, corruptione & transmutatione mineralium & metallorum, & nihil in his omnibus naturaliter poſſet, & tota ſcientia & poteſtas, quam homo haberet de vegetabilibus & animalibus, concordaret cum ignorantia & impotentia, quam haberet de mineralibus & metallis; & ſic concordando cum contrario perfectionis concordaret cum perfectione, & è converſo; & æquando majoritatem & perfectionem cum minoritate & defectu æquaret perfectionem cum perfectione, & è converſo; & hoc eſt impoſſibile: ergò Alchimia eſt.

Sexta Ratio per *Amorem.* Quia ſcire verum eſt bonum, nullus homo naturaliter amat ignorare verum; & quia habere bonum eſt bonum, nullus homo naturaliter amat privari bono: & quia recolere verum & bonum eſt bonum, nullus homo naturaliter amat obliviſci ipſius veri & boni: & ſi hujus, quod dictum eſt, eſſet contrarium, omnis homo naturaliter magis amaret vacuum, quàm plenum, & non eſſe, quàm eſſe; & hoc eſt contra ſenſum & experimentum: unde cùm hoc ita ſit, ſi Alchimia nihil eſt, verum eſt, quòd nihil ſit, & per conſequens verum eſt, quòd non detur perfecta Medicina, nec perfecta operatio virtutis in ullo ente naturali, nec perfectus uſus naturalis rerum naturalium, nec perfectum dominium, nec perfecta poteſtas &c.: & totum hoc omnis homo naturaliter amat ſcire, & contrarium, quia falſum, amat ignorare, & contrario, quia convenit cum non eſſe, naturaliter amat privari: & quia bonum non eſſe eſt malum, & perfecta Medicina, perfecta operatio, perfectus uſus, perfectum dominium, perfecta poteſtas ſunt bonum, & ſic illa non eſſe eſt malum concordans cum falſo, & illa eſſe eſt bonum concordans cum vero, omnis homo naturaliter amat ſcire falſum, & naturaliter amat ignorare verum, & naturaliter amat habere malum, & privari bono, & naturaliter amat recolere falſum & malum, & obliviſci veri & boni, & naturaliter amat implere has tres potentias per nihil, & amat vacuum, & odit plenum; & hoc eſt contra id, quod quotidie ſentimus, & quilibet in ſe ipſo experitur: ergò Alchimia eſt.

Septima Ratio per *Virtutem.* Senſualiter ſentimus, & intellectualiter intelligimus, quòd in omni ente naturali ſit virtus & materia; & quia materia convenit cum defectu, & virtus cum perfectione, & ſentimus & intelligimus, quòd in omni ente naturali ſit plus de materia, quàm de virtute, ſentimus & intelligimus, quòd in illo ſit plus de defectu, quàm de perfectione: & quia ſentimus & intelligimus, quòd in multiplicatione materiæ diminuitur virtus, & in multiplicatione virtutis diminuitur materia, & materia poſſit multiplicari in infinitum (ùt apparet in grano tritici) intelligimus, quòd etiam virtus poſſit multiplicari in infinitum; & ſi hoc eſſet impoſſibile, DEUS, qui eſt ſuprema Virtus & ſuprema Perfectio, & non eſt materia, magis concordaret cum ſuo diſſimili, quod eſt defectus, quàm cum ſuo ſimili, quod eſt perfectio: & ſi hoc eſſet verum, ſuprema Virtus eſſet contraria ſupremæ Perfectioni; & hoc eſt impoſſibile: ſed totum eſſet poſſibile, ſi Alchimia nihil eſſet; nam cùm per ſolam naturam non producatur niſi corpus naturale generatum, & in omni corpore naturali generato ſit major defectus, quàm perfectio propter peccatum primorum Parentum, & ita major materia, quàm virtus in operando, nunquam eſſet dominium virtutis ſupra materiam, nec multiplicatio virtutis, & diminutio materiæ, niſi per regenerationem; quæ regeneratio fit per opus artis & naturæ; & hoc eſt opus Alchimiæ: ergò Alchimia eſt.

Octava Ratio per *Veritatem.* Verum eſt, quòd ſit vera Theologia, quamvis ſint veri & falſi Theologi; & verum eſt, quòd ſit vera Philoſophia, quamvis ſint veri & falſi Philoſophi; & ſic de Jure & Medicina: & hoc per ſe patet: quia ſuprema Sapientia & ſuprema Veritas non poſſunt producere contra ſuam naturam, quod facerent, ſi producerent falſam ſcientiam: unde ſi DEUS, qui eſt ſuprema Veritas, permitteret, quòd in Alchimia eſſent tantùm falſi Alchimiſtæ, & nullus verus poſſet eſſe, quia nulla vera Alchimia poſſet eſſe, ſequeretur, quòd DEUS in omni alia ſcientia concordaret cum veritate, & in ſola Scientia Alchimiæ concordaret cum falſitate, vel (ſi contrariaretur falſitati) quòd non haberet poteſtatem in illa concordandi cum veritate, ſicut in cæteris ſcientiis; & hoc eſt impoſſibile: ergo Alchimia eſt.

Nona Ratio per *Gloriam.* Magis eſt glorioſum eſſe, quàm non eſſe; & quia apparere magis convenit cum non eſſe, quàm eſſe, ideo magis eſt glorioſum eſſe, quàm apparere: & ſi hoc non eſſet ita, non eſſet magis glorioſum eſſe virtuoſum, quàm non eſſe virtuoſum, & apparere virtuoſum & hoc eſt impoſſibile: unde cùm viſus videat, & auditus audiat, quòd ſint multi falſi Alchimiſtæ, ſi Alchimia nihil eſt, multi apparent Alchimiſtæ, & nullus eſt Alchimiſta; & ſic eſt magis glorioſum non eſſe Alchimiſtam, quàm eſſe Alchimiſtam, & non eſſe Alchimiſtam, quàm apparere Alchimiſtam: & ſic magis eſt glorioſum non eſſe, quàm eſſe, & eſſe, quàm non eſſe; quod eſt contradictio: ergò Alchimia eſt. Ex hoc exemplo demonſtratur, quomodo fit deſcenſus de univerſali ad particulare, & aſcenſus de particulari ad univerſale, demonſtrando ex contradictione univerſali contradictionem particularem, & ex contradictione particulari contradictionem univerſalem.

Sed fortè dices, hoc argumentum eſſe ſophiſticum, & facies argumentum ſequens in oppoſitum: magis eſt glorioſum eſſe, quàm non eſſe, & eſſe, quàm apparere, ergò magis eſt glorioſum eſſe vitioſum, quàm non eſſe vitioſum, & eſſe vitioſum, quàm apparere vitioſum, & eſſe virtuoſum; quod eſt impoſſibile. Reſpondeo, quòd meum argumentum ſit bonum, & tuum ſit ſophiſticum; quod ſic probo: nam ſicut vitium convenit cum non eſſe, quia nihil eſt, & virtus convenit cum eſſe, quia aliquid eſt, ideo vitium facit convenire vitioſum cum non eſſe, & ſic eſſe vitioſum eſt non eſſe, quod opponitur ipſi eſſe virtuoſum, quod eſt eſſe; & hoc non eſt in caſu propoſito de Alchimia, ùt patet.

Decima Ratio per *Perfectionem.* Quantum eſſe convenit cum operari, tantum convenit cum Perfectione, & quantum diſconvenit cum operari, tantum convenit cum defectu: & ſi hoc non eſſet ita, ſequeretur, quòd elementa in mixto, in quo habent plus de operatione, quàm in corruptione mixti, non haberent majorem perfectionem, quàm in corruptione mixti; & hoc eſt impoſſibile: quia ſi eſſet poſſibile, privatio mixti eſſet melior, quàm eſſe mixti; & hoc eſt impoſſibile: igitur quantò major eſt operatio in ipſò eſſe, tantò major eſt in illo perfectio vel in potentia vel in actu: in potentia quidem, quando eſſe per operationem tendit ad perfectionem: in actu, quando eſſe per perfectionem tendit ad operationem: de utroque patet exemplum in lumine ſolis & lunæ. Unde ſi Alchimia nihil eſt, totum eſſe elementorum in metallis & mineralibus convenit cum operatione ad intra tantùm, & major perfectio, quam per operationem poſſunt acquirere, eſt in potentia, & minor in actu, & nunquam poſſunt pervenire ad perfectionem in actu, per quam poſſent operari ad intra & ad extra; & hoc eſt impoſſibile: quia ſi eſſet poſſibile, ſequeretur, quòd DEUS, in quo eſt ſuprema Perfectio eſſendi & operandi, tam ad intra, quàm ad extra, alicui creaturæ communicaſſet ſimilitudinem ſuæ perfectionis operandi ad intra, & non communicaſſet ſimilitudinem ſuæ perfectionis operandi ad extra; & ſi hoc feciſſet, illa creatura faciliùs ſignificaret intellectui creato per operationem ſuam ad intra, quòd DEUS eſſet trinus, quàm quòd eſſet Creator: & ſi ſignificaret, voluiſſet DEUS, quòd majora ſua ſecreta eſſent faciliùs cognoſcibilia, quàm minora; & hoc eſt impoſſibile, & contra id, quod communiter ab omnibus tenetur: ergò Alchimia eſt.

Undecima Ratio per *Juſtitiam.* Juſtitia convenit cum æqualitate, & injuria cum inæqualitate; & quia æqualitas eſt menſura æqualitatis & inæqualitatis (ùt notum eſt in æquatione geometrica) juſtitia eſt menſura juſtitiæ & injuriæ: igitur quantò major erit æqualitas, tantò melior erit menſura æqualitatis & inæqualitatis, & quantò major erit juſtitia, tantò melior erit menſura juſtitiæ & injuriæ; & hoc verum eſſe intelligimus in ſuprema Juſtitia, quæ eſt ſuprema menſura omnis creatæ juſtitiæ & injuriæ.

In auro eſt major æqualitas elementorum, quàm in omni corpore elementato; & ideo aurum magis reſiſtit omni inæqualitati, quàm omne corpus elementatum; & hoc videtur per ignem, in quo conſumuntur alia corpora, & per malleum, per quem lapides pretioſi diſſiliunt in fruſta, quod non facit aurum: ſed quia æqualitas auri conjuncti cum aliis corporibus inæqualibus non æqualificat illa, ſequitur, quòd æqualitas auri non ſit ſuprema æqualitas elementorum; nam ſi eſſet, eſſet menſura agendi æqualitatem in omni corpore elementato inæquali, & agendi majorem æqualitatem in omni corpore elementato minùs æquali, ſicut in illo eſt major æqualitas patiendi; & hoc eſt contra experimentum: nam ſi aurum confundatur plumbo, nihil tribuit de ſua æqualitate plumbo, ſi enim tribueret, aurum fieret inæquale, & plumbum æquale; & ſic æqualitas auri non eſſet ſuprema æqualitas elementorum, & plumbum eſſet minùs corruptibile, quàm antè, licèt maneret plumbum; cùm æqualitas ſit contraria corruptioni, & hoc non videmus. Unde ſi Alchimia nihil eſt, major æqualitas auri, quæ convenit cum actione, eſt in potentia, & minor æqualitas auri, quæ convenit cum paſſione, eſt in actu; & DEUS, qui eſt ſuprema Juſtitia, eſt contrarius majori æqualitati naturali in ſua creatura: & ſi eſt illi contra-

contrarius, ſignificatur per hoc, quòd ſit contrarius ſupremæ Æqualitati ſupernaturali in ſua creatura; & hoc eſt impoſſibile: nam ſi eſſet poſſibile, ſignificaret, quòd non eſſet Reſurrectio mortuorum, & quòd Chriſtus non reſurrexiſſet; & hoc eſt impoſſibile: ergo Alchimia eſt.

Duodecima Ratio per *Largitatem.* Quantò magis operatio ignis convenit cum contrarietate, tantò magis concordat cum avaritia concordans cum largitate; quia quantò magis ſe largitur materiæ combuſtibili, tantò magis conſumit illam: unde cùm ſenſualiter ſentiamus, quòd ignis habeat tantam virtutem operandi, quòd poſſet ignificare & comburere totum mundum, ſi totus mundus eſſet materia combuſtibilis, & ultrà, ſequitur, quòd totus mundus non ſit ſufficiens menſura menſurandi magnitudinem largitatis & avaritiæ ignis: igitur ſi Alchimia nihil eſt, nullus datur ignis naturalis habens potentiam infinitè ignificandi & non comburendi; & DEUS, qui eſt infinita Largitas, eſt magis largus in dando largitatem cum avaritia contrariâ largitati, quàm in dando largitatem ſinè avaritia; & hoc eſt impoſſibile: quia ſi eſſet poſſibile, ſignificaret, quòd largitas non eſſet virtus, vel avaritia non eſſet vitium; & hoc eſt impoſſibile: ergo Alchimia eſt.

Decima tertia Ratio per *Miſericordiam.* Manifeſtum eſt, quòd minor ſit Miſericordia dare pauperi infirmo aureum, quàm ſanare pauperem infirmum; & ideo major fuit miſericordia Divi Petri, quando ſanavit claudum ſedentem ad portam ſpecioſam templi, quàm ſi dediſſet ipſi aureum; quia cùm ſanitas ſit intra hominem, & divitiæ extra, & meliùs ſit illud bonum, quod eſt intra hominem & eſſentiale, quàm quod eſt extra & accidentale, major eſt miſericordia donare ſanitatem, quàm donare divitias: unde cùm opus naturale ſit tantò melius, quantò major eſt proportio inter illud & opus ſupernaturale, ſi tu haberes unum tantùm aureum, & illum corrumperes, & generares ex illo medicinam ad curandam infirmitatem pauperis, & illum propter amorem tui Domini curares hâc medicinâ, eſſes magis miſericors, quàm ſi dares pauperi infirmo tuum aureum; quia faciendo te ipſum pauperem ob amorem Domini, & ſanando pauperem infirmum, eſſes magis ſimilis D. Petro in opere miſericordiæ, quàm ſi ſanares, & non fieres pauper.

Et ſi dicis, quòd ſit impoſſibile facere ex auro talem medicinam ad ſanandas infirmitates, tunc ego dico, quòd tu non intelligis Librum de Gradibus Medicinæ B. Raymundi, vel ſi dicis, quòd poſſem emere medicinam pro auro, & ſic curare infirmum pauperem, & fieri pauper, reſpondeo, quòd melior ſit actus certus, naturalis & immediatus, quàm incertus, artificialis & mediatus, & quòd per primum meliùs producatur ſanitas in paupere, & paupertas in divite, quàm per ſecundum; & ſic cum primo convenit major miſericordia, quàm cum ſecundo: ſed totum, quod demonſtratum eſt de majori miſericordia, eſſet impoſſibile, ſi Alchimia nihil eſſet: ergo Alchimia eſt.

Decima quarta Ratio per *Humilitatem.* Major eſt Humilitas, quando dives ſe humiliat pauperi, quàm quando pauper ſe humiliat diviti; quia dives ſe humiliat ex libertate, & erga minorem ſe, & pauper ex neceſſitate, & erga majorem ſe: & adhuc major eſt humilitas, quando dives contemnit divitias, & fit pauper amore humilitatis, & vult contemni à divitibus: unde ſi tu haberes omnes divitias totius mundi in tua poteſtate, & illas contemneres, & fieres pauper, & ires mendicatum, & reciperes opprobria & irriſiones à divitibus hujus ſæculi, & patereris famem & ſitim & omnia incommoda amore tui Domini, haberes maximam paupertatem & humilitatem: & quia DEUS factus eſt Homo, & hoc, quod diximus, oſtendit nobis in ſua Humanitate, demonſtravit ſuo exemplo, quòd non ſit contrarius majoritati paupertatis & humilitatis; ſed eſſet contrarius, ſi Alchimia nihil eſſet: nam nullus Rex aut Imperator poteſt habere tot divitias, quot poteſt habere unus verus Philoſophus, ſi Alchimia eſt: & per conſequens plus poteſt contemnere divitiarum, & magis poteſt eſſe ſimilis Chriſto in paupertate & humilitate verus Philoſophus Chriſtianus, quàm Rex aut Imperator: ergo Alchimia eſt.

Unde ſi has Rationes Perſpiciliis Lullianis inſpexiſſent Raymundiſtæ aliqui, qui putabant, mirum ſervitium ſe præſtare B. noſtro Magiſtro, ſi omnibus viribus negarent, ipſum fuiſſe Alchimiſtam, vidiſſent, quàm parùm exaltaſſent magnitudinem ſuæ Sapientiæ & Virtutis.

Decima quinta Ratio per *Dominium.* In metallis ſentimus gravitatem & opacitatem, & non ſentimus levitatem & diaphanitatem: unde cùm levitas ſit contraria gravitati, & diaphanitas opacitati, ſi verum eſſet, quod dicunt quidam modernorum Mathematicorum, nempe quòd non ſit levitas, ſequeretur, quòd gravitas in ſuo ſubjecto non haberet contrarium; & ſi non haberet contrarium, gravitas eſſet infinita (cùm ſolus DEUS ſit Ens, quod in ſe non habet contrarium) & hoc eſt impoſſibile: igitur cùm in metallis ſentiamus gravitatem & opacitatem, & gravitas ſit proprietas terræ & aquæ, & levitas ſit proprietas ignis & aëris, & opacitas ſit proprietas terræ, & diaphanitas ſit proprietas aëris, ſequitur, quòd in omnibus metallis aqua & terra habeant dominium, & aër & ignis ſint in ſervitute: unde cùm ignis & aër ſint magis nobilia elementa, quàm aqua & terra, ſequitur, quòd dominium, quod aqua & terra in metallis habent in actu, poſſit tranſire de actu in potentiam, & dominium, quod ignis & aër in metallis habent in potentia, poſſit tranſire de potentia in actum: & ſi hoc non eſſet poſſibile, ſequeretur, quòd dominium non magis naturaliter conveniret cum magis nobili, quàm cum minùs nobili: & ſi hoc eſſet verum, ſequeretur, quòd ruſtici deberent eſſe Domini, & nobiles deberent eſſe ſervi; & hoc eſt contra naturam & contra ſanam rationem.

Si dicis, quòd gravitas & opacitas ſint proprietates metallorum, & nullum ſubjectum poſſit eſſe ſinè ſuis proprietatibus, reſpondeo, quòd ſint proprietates accidentales, & non ſubſtantiales (& hujus exemplum potes videre in vitro, quod poteſt eſſe diaphanum vel opacum ſinè corruptione ſuæ ſubſtantiæ)

Si dicis, quòd metalla non eſſent ductilia, ſi eſſent diaphana, ſed eſſent friabilia ſicut vitra, & ita natura metallica eſſet transmutata in naturam vitream, reſpondeo, quòd non neceſſariò ſequitur, quia ductile non eſt contrarium diaphano, ſed opacum; ſi enim ductile eſſet contrarium diaphano, ſequeretur, quòd omne opacum eſſet ductile; quia omne ductile concordaret cum opaco, & omne opacum cum ductili; & hujus contrarium videmus in ſilice, qui eſt opacus & friabilis.

Per omnia ſupradicta demonſtravimus, quòd metalla poſſint fieri diaphana, & quia diaphanitas convenit cum majori perfectione, quàm opacitas, aurum diaphanum erit magis perfectum, quàm aurum opacum; & hoc teſtatur S. Joannes in ſua Apocalypſi: ſed hoc naturaliter eſſet impoſſibile, ſi Alchimia nihil eſſet; quia ſola natura ſinè adjutorio Artis nunquam tranſcenderet gradum perfectionis naturalis auri: ergo Alchimia eſt.

Decima ſexta Ratio per *Patientiam.* Quia homo eſt paſſibilis, non poteſt habere patientiam ſinè paſſione; & quia patientia eſt virtus, & paſſio eſt medium inter hominem & patientiam, ſequitur, quòd homo debet tranſire per medium paſſionis ad finem virtutis; & quia finis eſt id, in quo principium quieſcit, ſequitur, quòd mobile in fine virtutis ſit immobile, & paſſibile impaſſibile.

Quantò major eſt paſſio, tantò major poteſt eſſe virtus patientiæ; & quantò major eſt virtus, tantò major poteſt eſſe actio virtutis: unde, quia actio meliùs convenit cum Impaſſibilitate, quàm paſſio, ſequitur, quòd actio conſequitur finem perfectionis in impaſſibilitate, quando paſſio conſequitur finem privationis in paſſibilitate: & hæc ſunt clara intuenti proportiones terminorum, & definitiones principiorum.

Cùm omne compoſitum ex contrariis ſit paſſibile, & metalla ſint compoſita ex contrariis, metalla ſunt paſſibilia; & quia paſſio eſt medium, per quod fit tranſitus ad finem virtutis, ſequitur, quòd metalla per medium paſſionis poſſint attingere finem virtutis; quia ſi non poſſent, illorum impotentia ſignificaret homini, quòd per medium paſſionis non poſſet pertingere ad finem patientiæ: & ſi poſſent attingere, & non attingerent majorem finem virtutis, quàm primò habuiſſent, ſequeretur, quòd illorum motus ad finem eſſet fruſtra, & ſignificaret homini, quòd non poſſet majorificare ſuam patientiam, niſi ad certum terminum; & hoc eſt impoſſibile.

In magis nobili paſſibili poteſt eſſe major paſſio, quàm in minùs nobili; & in fine majoris paſſionis poteſt eſſe major virtus: & quia aurum eſt magis nobile paſſibile, quàm plumbum, in auro poteſt eſſe major paſſio, quàm in plumbo: ergo in fine majoris paſſionis auri poteſt eſſe major virtus auri: & quia major virtus convenit cum majori actione, & actio meliùs convenit cum impaſſibilitate (ût ſuprà demonſtravimus) quàm paſſio, ſequitur, quòd actio auri conſequitur ſuum finem perfectionis in impaſſibilitate tunc, quando paſſio conſequitur ſuum finem privationis in paſſibilitate; & hoc totum eſt impoſſibile, ſi Alchimia nihil eſt, ergo Alchimia eſt. Et per hoc patet revelatio mirabilis Secreti naturalis, & pulchra metaphora naturalis alicujus Secreti ſupernaturalis.

Fecimus ſedecim Demonſtrationes ex ſedecim Principiis univerſalibus Figuræ A. extractas, & poſſent adhuc innumeræ aliæ ex eadem Figura extrahi; hoc ipſum poſſet etiam fieri de reliquis Figuris S. T. V. X. ſinè ulla difficultate, ſi neceſſitas poſtularet: unde cùm hæc ſufficiant, quicunque negat Demonſtrationes datas, debet alias in contrarium ponere his fortiores, ex Arte Illuminati Doctoris & per Artem formatas; quod eſt impoſſibile: cùm antepoſitæ ſint ex Arte & per Artem factæ, ex qua duo contradictoria vera non poſſunt educi.

CAPUT III.

In quo probatur, quòd B. Raymundus Alchimiam ſciverit, opere exercuerit, & Libros de ea conſcripſerit.

STabilito & roborato fundamento Poſſibilitatis & Exiſtentiæ ipſius nobiliſſimæ Scientiæ Alchimiæ ſuper Authoritatem ac Rationem naturalẽ, jam ordo poſtulat inquirere per eandem Authoritatem & Rationem ab ipſomet Divo Magiſtro noſtro petitam, an præfatam Artem ac Scientiam poſſederit, opere ipſo exercuerit, ac in Libris ſuis Diſcipulis Veritatis Ratione & Experimento certificatæ cupidis tanquam dignam tanto Patre hæreditatem dignis Filiis Teſtamento reliquerit; quòd à facilioribus incipiendo & paulatim ad difficiliora progrediendo non multo conatu ſperamus evincere.

Primò. Notum eſt verſatis in lectione & intelligentia Librorum Illuminati Doctoris tam de Arte Generali, quàm de Philoſophia, Medicina & Alchimia exaratorum, quòd quàm plurimi illorum ſint ſcripti Linguâ vernaculâ, h. e. Catalanâ ſeu Lemovicenſi; talis eſt Liber de *Principiis & Gradibus Medicinæ*, quem ipſemet in Latinum transtuli, talis eſt *Ars Amativa*, *Ars Inventiva*, *Ars Univerſalis*, *Ars Compendioſa inveniendi Veritatem*, *Liber Principiorum Philoſophiæ*, *Blanquerna Magnus & Parvus*, *Liber Felix ſeu de Mirabilibus orbis*, *Liber Contemplationis*, & plures alii, quorum potiores latino ore loqui fecimus, alios jam transpoſitos accepimus, ac non ad amuſſim translatos ad vernacula Exemplaria collatos reſtituimus: ex Libris verò Chimicis ſunt Theorica antiqui Teſtamenti, cujus Exemplar eximium ex Bibliotheca Auguſtiſſimi Imperatoris Sereniſſimo Electori Palatino mutuò conceſſum ſub titulo *Codicilli* ſeu *Teſtamenti* inter Codices Alphabeti Fuggeriani contentum, fideliter copiatum, & ad eandem Bibliothecam reſtitutum fidem facere poteſt; nam etſi Latinum ſit, ejus tamen differentia cum aliis Exemplaribus impreſſis, ût Colonienſi ſub Anno 1566. & Anno 1573. & cæteris recentioribus, & MSto alio Gallico antiquiori ſub Anno 1543. (quod tamen in multis impreſſo eſt præferendum, quia plura habet, præſertim figuras quasdam inſtrumentales ad integritatem Libri & Artis requiſitas, quibus carent Exemplaria impreſſa) & convenientia ſtili ad unguem cum ſtilo Lemovicenſi in latina verſione retento ſatis indicant, ipſum Opus primitùs dictâ linguâ vernaculâ compoſitum. Hoc ipſum probat Compendiũ Animæ eâdem linguâ compoſitum; nam citat Capita Teſtamenti in eadem linguâ, ût fol. 213. edit. Col. Anno 1573. citat cap. Teſt. *Quand tu auras diviſa*; & fol. 217.

Quand tu auras acabades les dites coſes, è ages feta; & infrà: *Fil tu prendras* 3j. *de la Medicina dita multiplicada*; & fol. verſo: *Ara Fil encercant aqueſt menſtrual*; & fol. 219. *Quand tu auras fixat laigua ſobre la terra*; & plura alia, quæ ibi videri poſſunt, quæ manifeſtè probant, hos Libros linguâ vernaculâ eâdem ſcriptos, quâ alii ſuprà citati: ex quo arguitur certum & indubitabile, à nullo Germano, Gallo, Italo, vel alterius nationis eos formatos.

Jam propiùs accedendo, quomodo inveſtigabimus inter tot Catalanos vel Majoricanos, qui tum temporis eâ linguâ uſi ſunt, ſolum Raymundum eſſe Authorem horum Librorum? dico, hoc eſſe æquè facilè, ſi obſervetur ſcribendi ratio in utroque genere Librorum obſervata; quæ regula, ſi his Libris applicetur, oſtendet, unius capitis & ingenii eſſe partus: dicere enim cum Adverſariis, aliquem deceptorem catalanum, velut Raymundum de Terraga vel Tarraga Judæum hoc ſcripſiſſe, nihil aliud eſt, quàm dicere, hunc impoſtorem adeò dextrè ſcivisſe imitari modum ſcribendi hujus Divi Authoris, ut nemo poſſit unum ab altero diſcernere; quod (fateor) facillimè dicitur, ſed difficillimè in effectum redigitur. Certè ſi adverſa pars tantum laboris inſumpſiſſet ad reddendum ſibi familiarem uſum utriusque generis Librorum, illósque viginti ad minus annis evolviſſet, út nos fecimus, nullus dubito, quin rejectis ſuis conjecturis nobiscum ſenſiſſet. Ad quorum confirmationem ſciendum

Secundò. Quòd, modum ſcribendi Authorum obſervare multum conferre ad inveſtigandum & inveniendum ipſum Authorem, nemo ibit inficias; & quamvis hic modus non ſemper poſſit infallibiliter deducere in notitiam Authoris, poteſt tamen plerumque, ſi obſerventur ſequentia: ſcilicet, ut ſufficiens præ manibus habeatur copia librorum unius Authoris; nam hâc habitâ, cùm quilibet Author hunc infallibilem characterem quaſi ſibi agnatum habeat, ut aut naturali ductu aut conſuetudine certum ſemper obſervet modum ſcribendi, præſertim ætate jam adultâ, & acquiſito ad ſcribendum ſufficienti habitu, certos porro terminos Artis, certas dialectos (ſic loquendo) certum modum ſyntaxeos ſeu combinationis verborum, quæ in omnibus & ubique alterum imitari eſt impoſſibile; ſi inſuper accedat legentis ſufficiens attentio & mora temporis, út ſuprà animadverti, non poſſe non certò cognoſci nullus dubito, an genuinum an fictitium ſit opus, de quo fit quæſtio; præſertim ſi concurrant alia & plura indicia; de quibus in ſequentibus fiet mentio.

Eſt autem hoc in modo ſcribendi Illuminati Doctoris noſtri adeò peculiare, quo omnes alios Authores à ſe tantâ facilitate diſtinguit, ut etiam ipſum in hoc inimitabilem pronunciare auſim; percurrat quispiam omnium ſuorum Diſcipulorum Libros, quotquot à tempore Vitæ ſuæ veſtigia illius preſſerunt, ne unum quidem inveniet, qui non lectione unius vel alterius pagellæ ſe prodat eſſe Discipulum & non Doctorem ipſum: certè & hos quàm plurimos pervolvi ſedulò, & ipſemet tot annis jam in hac inclyta Schola firmum pedem fixi, nec ſacram illam barbariem omni nectare dulciorem in illis guſtare potui, nec omni meâ arte, quam labore & ſtudio viginti annorum mihi comparavi, vel ſcripturâ unius quaternionis tam exactè imitari me poſſe glorior, ut non formidarem judicium verorum Diſcipulorum dicturorum: *Vox quidem vox Jacob, ſed manus manus ſunt Eſau.* Exhibeat mihi quispiam vel unum tractatum omni aſtutiâ ad normam Stili Lulliani elaboratum de Materia Philoſophica, Theologica, Medica, Alchimica, eumque dijudicandum ad me deſtinet, & videbit, an artem didicerim ſeparandi pretioſum à vili.

Tertiò. Ut indicem, quid ſuprà voluerim dicere per *ſacram illam barbariem*, nunc aſſero, illam conſiſtere non ſolùm in certa quadam inflexione nominum in Grammatica barbara Romanorum non uſurpatâ, ſed bene in Grammatica Arabum; út ipſemet Illuminatus Doctor in fine ſui Commenti ſuper Artem Demonſtrativam teſtatur, ſed in certis quibusdam terminis aliarum linguarum linguæ latinæ intermixtis, in certóque uſu terminorum peculiarium explicandis ſecretis Artis ſuæ ex profeſſo & tanto judicio adaptatorum, ut ſit ridiculum, imò ſummè noxium alios in eorum locum velle ſubſtituere: hujusmodi autem termini & applicatio illorum reperiuntur tam in Libris Medicis, Philoſophicis, Artis generalis, quàm in Libris Chimicis, quos apud neminem alium, imò aliquos vix bis vel ter in omnibus Libris Raymundi offendes: e. g. in Arbore Scientiarum, Arbore quæſtionali de quæſt. centum form. de quæſt. 29. Mollitiei fol. mihi 657. in fine ait Doctor Illuminatus: *Et in hoc paſſu eſt multum de Medicina & de Muſatione Alchimiſtæ.* Item in Arbore exemplificali de Proverbiis Florum Arboris cœleſtis. fol. 430. *Sol & Venus Mercurium increpaverunt, qui homines muſare facit in argento vivo, quod in terra naſcitur.* Hunc terminum *muſatio, muſare*, in nullo alio libro inveni ampliùs reiteratum, excepto libro chimico Apertorii magni, ubi cap. 1. habetur: adhoc, ut illis ſufficiat hoc, *quod muſatum eſt in toto vel in parte per noſtros anteceſſores Philoſophos:* & in tractatu de Auro potabili, ubi ferè eadem verba repetit. Quæſo, dicant Raymundiſtæ & Antichimici, quid ſignificat hoc verbum *muſare*? & quomodo caſu reperit hunc terminum ſimulator Lulli, ut his duobus Tractatibus illum inſereret? His ſimiles ſunt: *avantagium, carreria, maneries, zuccara* & *breſca, aviſare, ratus cum lardone, unum botonem, bladum*, & plures alii peculiares B. Raymundo noſtro, quos nullus Lulliſtarum hucuſque adhibuit, quíque partim in libris Artium, partim in Libris Chimiæ ſedem ſuam habent; út ſtudioſis horum Librorum notum.

Iterum dicant noſtri Adverſarii, quare terminos *Abſtractionis, Evacuationis, Multiplicationis*, qui habentur Diſt. 3. de Secretis Naturæ, ſeu de Quinta Eſſentia, B. Raymundus noſter aſſumpſerit ad demonſtrandum uſum ſuæ Artis Generalis, præſertim terminum *Evacuationis* tribuendo *tertiæ Figuræ*, & terminum *Multiplicationis* dando *quartæ Figuræ?* quid, obſecro, ad rem faciunt in uſu harum figurarum? Si dicant, Chimicos mutuaſſe hos terminos ab Arte Raymundi ad tegendam ſuam impoſturam, & Raymundum non mutuaſſe illos à Libro Quintæ Eſſentiæ, ego Adverſarios hortor, ut legant cap. 12. Diſt. 3. præfati lib. de ſeptimo principio per G. ſignificato, h. e. de Evacuatione, & cap. 13. ſequens de octavo principio per H. ſignificato, h. e. de Multiplicatione: poſtea legant ſextam partem Artis generalis de Evacuatione, & ſeptimam partem de Multiplicatione, & judicent, cuinam loco magis congruant? Ulteriùs ad illos magis convincendos petimus ab ipſis, exponant nobis, ſi omnia Artis Arcana, vel ſaltem

Secretum

Secretum Syſtematis Lulliani ſe callere præſumunt, quid per præfata duo vocabula Evacuationis & Multiplicationis Illuminatus Doctor in ſua Arte Generali intenderit? prodeant, & nos inſtruant; ſed nolumus conjecturas, demonſtrationes volumus ab Authoritate & Ratione ipſius B. Magiſtri depromtas.

Quartò. Non minus eſt argumentum pro affirmanda Scientia Alchimiæ B. Raymundi conformitas Doctrinæ Philoſophicæ Illuminati Doctoris cum Alchimica in Libris ipſe à nobis adſcriptis contenta, & è contra diſcrepantia inter hanc & illam, quæ communiter in ſcholis traditur: unde quando legi Adverſarios noſtros contrarium aſſerentes, non potui non mirari aut eorum neglectum in conferendis inter ſe Sententiis Philoſophiæ Lullianæ & prædictæ Alchimiæ, aut inadvertentiam; nam ne una pars incipiendo à primis elementis & principiis harum duarum Scientiarum deficit, quin exactè reſpondeat alteri: & ut illos ſublevem labore diuturnæ inquiſitionis & comparationis locorum, inſpiciant infrà poſitam concordantiam.

De Chäos. *Liber Chäos integer contentus Tomo 3. Theor. Teſt. edit. Colon. cap. 49. 74. 75. 77. 78. 79. Lib. de Quinta Eſſent. Diſt 3. in Arbore Philoſ. cap. 1. & in Lib. Chäos de tribus Gradibus Chäos f. 4.* Quis unquam in Philoſophia peripatetica tradidit quidquam de Chäos?

Quòd Genus ſit Ens reale. *Theor. Teſt. cap. 39. edit. Colon. Lib. Chäos fol. 20. n. 10.*

Quòd detur forma univerſalis. *Lib. Chäos fol. 6. n. 1. fol. 39. n. 6. Ars inv. part. in univ. q. 10. fol. 42. Lib. Princ. Phil. Diſt. 5. fol. 9. Theor. Teſt. c. 53.*

Quòd in Chäos ſunt quinque Univerſalia & decem Prædicamenta. *Lib. Chäos fol. 40. n. 7. Tract. de 24. Exper. totius naturæ creatæ Exper. 2.*

Quòd detur Quinta Eſſentia, ſeu Anima Elementorum, Anima mundi, Anima cœli, Elementum commune, Chäos, Hyle, univerſalis Potentia motiva. *Theor. Teſt. cap. 36. 48. 52. 53. 54. 56. 78. Lect. Artis Inv. Diſt. 3. p. 2. de quæſt. Elem. com. Lib. Aſtron. part. 1. p. 4. in fine Lib. de Aſcen. & Deſc. de Cœlo, Lib. de Quint. Eſſ. Diſt. 3. Lib. Chäos fol. 39. n. 6. Arbor. Scien. de Arb. cœl.*

Quòd detur Agens univerſale naturale. *Lib. de Aſcenſ. & Deſc. Intel. de ſp. pl. Pract. Teſt. cap. 4. Theor. Teſt. cap. 37. Lib. Chäos de act. ch. n. 6. f. 31.*

Quòd idem Agens ſit generans & corrumpens. *Ars Gen. ult. p. 10. art. 79. p. 11. q. 79. Pract. Teſt. cap. 4. Theor. Teſt. cap. 37.*

Quomodo Agens univerſale ſe habeat liberum & coactum? *Tab. Gen. Diſt. 5. p. 6. Reg. 2. §. 4. Lib. de Quint. Eſſ. Diſt. 3. in quæſ. de Arb. Phil. q. 4.*

Quòd Materia prima ſit cruda, & debeat coqui. *Theor. Teſt. cap. 37. 38. 39. 53. Lib. Chäos c. de qual. ch. n. 3. fol. 30. Lib. Princ. Phil. p. 2. cap. 73. fol. 47. p. 1. Diſt. 14. rat. 2. fol. 22.* Quis unquam in culina Ariſtotelis vidit coqui crudam materiam primam?

Quòd Materia ſit quatuor, & Forma ſit tria. *Lib. Mirand. Demon. 3. cap. 44. n. 3. Pract. Teſt.*

Quomodo compoſitum reducatur in Materiam primam, & è converſo? *Lib. Princ. Phil. p. 1. Diſt. 16. fol. 31. rat. 3. Theor. Teſt. cap. 77.*

Quòd Elementa ſimplicia ſint mixta in ſuis Sphæris. *Lib. Quæſt. ſuper Artem Invent. & Demon. q. 128. Theor. Teſt. cap. 70. Lib. Fur. cap. 3.*

Quòd Elementa ſimplicia in Arte nihil proſint. *Lib. Felix. l. 6. cap. 4. Theor. Teſt. cap. 70.*

Quomodo intelligenda ſit Separatio Elementorum compoſitorum in ſimplicia? *Lib. de Quint. Eſſ. Diſt. 3. Arb. phil. q. 19. Lib. de Region. ſanit. de modo grad. med. de q. grad. med. Liber Quæſt. ſuper Artem Inv. & Dem. q. 159. Theor. Teſt. cap. 63. 74. 78.*

Quomodo fiat Transmutatio unius Elementi in alterum? *Ars Demon. Diſt. 2. fol. 13. de Cam. aquæ aquæ. Theor. Teſt. cap. 22. 79. 80. 81.*

De Aſcenſu & Deſcenſu quatuor Qualitatum. *Lib. de Princ. & Grad. Med. Diſt. 10. cap. 36. met. 25. fol. 45. Ars Intell. cap. 30.*

De quatuor Humoribus ſeu Complexionibus & quatuor Elementis literaliter & metaphoricè ſumptis. *Lib. de Princ. & Grad. Med. ab init. Theor. Teſt. cap. 51. MSti, in Colon. cap. 47.*

Quomodo una Complexio mutetur in alteram? *Lib. Princ. Phil. p. 1. fol. 32. de Cond. R. 5. Cond. Theor. Teſt. cap. 71. 95.*

Quomodo quatuor Elementa reſolvantur in tria Principia? *Ars Dem. Diſt. 2. p. 2. cam. NR. fol. 25. Theor. Teſt. in pluribus cap.*

Quòd ſinè Materia & Forma communi non poſſit fieri transmutatio formarum naturalium. *Ars Dem. Diſt. 2. p. 2. fol. 22. de cam. ER. Theor. Teſt. cap. 53.*

Quales ſint Colores Elementorum ſimplicium & compoſitorum? *Lib. de Quint. Eſſ. Diſt. 3. de Quæſt. Arb. Phil. q. 16. 19. Tab. Gen. Diſt. 5. p. 6. reg. 6. fol. 36. Lib. de Region. ſan. de Reg. Ur. Lib. Quæſt. ſuper Artem Inv. & Dem. q 144.*

De Virtute & Materia. *Lib. de Princ. & Grad. Med. Diſt. 5. cap. 15. fol. 23. Theor. Teſt. cap. 25.*

De Spiritu, Anima & Corpore. *Lib. Mirand. Demon. 3. cap. 34. n. 4. Lib. Gentil. & trium Sap. 3. fol. 50. Theor. Teſt. cap. 17 Lib. Cont. cap. 246. 47. 48.*

De quatuor Potentiis Vegetativæ, Appetitiva, Retentiva, Digeſtiva & Expulſiva. *Lib. Princ. Phil. Diſt. 15. f. 28. de poten. veget. Lib. Chäos fol. 19. n. 10. f. 21. n. 9. f. 39. n. 1. f. 44. n. 8. Theor. Teſt. cap. 32. 40. Codic. cap. quat. ſunt nat. vir. fol. 184.*

De Rebus naturalibus, innaturalibus & contra naturam. *Lib. de Princ. & Grad. Med. prima Brancha Arb. Lib. Princ. Phil. p. 2. cap. 80. Theor. Teſt. cap. 2.*

De Igne, non culinari, ſed inſtrumento naturæ & Artis. *Lib. de Grad. Med. Diſt. 6. c. 20. §. quemadmodum. Lib. de Levit. & Pond. Elem. q. 1. Lib. Quæſt. ſuper Artem Inv. & Dem. q. 164. Arbor Scien. quæ. fruc. de Arb. elem. f. 641. Theor. Teſt. cap. 51. 52. 67.*

Utrùm ſit Alchimia? *Lib. Felix. l. 6. cap. 4. Lib. Quint. Eſſ. Diſt. 3. in quæſt. Arb. Phil. q. 19. & in quæſt. Fig. S. q. 1. & in Lib. 7. Rot. cap. 5. in Lib. de Ente reali & rat. Item in Lib. Quæſt. ſuper Artem Inv. & Dem. q. 165. in Arbore Scien. Arb. exempl. de exem. fruc. Arb. cœl. fol. 437.*

Quòd Mercurius inferior ſit út ſuperior. *Lib. de Aſtron. de Ariete cap. 6. cap. 12. 21. 22. 24. 27. Lib. de Region. San. cap. de modo grad. med. & cap. de conj. ari. Theor. Teſt. c. 38.*

Quòd Metalla in terra producantur ſecundùm naturam planetarum. *Arb. Sci. Arb. exem. de Prov. flor. arb. cœl. item de exempl. fruct. arb. cœl. Theor. Teſt. cap. 3.*

Quòd ſit poſſibilis Transmutatio unius Speci

 ci

ciei in aliam, & per conſequens unius Metalli in alterum. *Lib. Quæſt. ſuper Artem Inv. & Dem. q. 137. §. 6. Theor. Teſt. cap. 21.*

Quòd ſit poſſibilis Productio Metallorum per Artem. *Lib. Quæſt ſuper Artem Inv. & Dem. q. 165. §. 3. Theor. & Pract. Teſt. & omnes Libri Chimici Lulli.*

Quòd Aurum ſit corruptibile. *in Quæſt. Thomæ Attreb. q. 25. Theor. Teſt. cap. 59.*

Quomodo Aurum per Artem reducatur in primam Materiam? *Lib. Quæſt. ſuper Artem Inv. & Dem. q. 164. §. 4. Theor. Teſt. cap. 28.*

Quòd per Artificium poſſit fieri Aurum de Argento. *Arb. Scien. de Quæſt. fr. de Arb. elem. f. 64. Lib. Contempl. Diſt. 39. de Amore cap. 310. §. 23.*

Quomodo fiat Generatio, Corruptio & Regeneratio Metallorum? *Dialog. Monaldi cum Ray. in fine Diſt. 3. de Quint. Eſſ. item Theor. Teſt. cap. 3. fol. 13. item Lib. de Princ. & Grad. Med. cap. 20. fol. 30.*

Quomodo Metalla ſignificent æternam & infinitam Generationem? *Lib. Princ. & Grad Med. Diſt. 6. cap. 20. Lib. de Quint. Eſſ. Diſt. 3. Arb. Phil. q. 21.*

De Medicina, quam ſcis vel neſcis. *Lib. Princ. & Grad Med. Diſt. 10. cap. 36. met. 28. fol. 45. Theor. Teſt. cap. 32. 36. Col.*

Quòd ſint veri & fatui Alchimiſtæ. *Lib. Felix Lib. 6. Lib. Quæſt. ſuper Artem Inv. & Dem. q. 165. §. 3. & 8. Theor. Teſt. cap. 3. & cap. 24.*

Hæc pauca memoriæ quaſi ultrò occurrentia intellectui opponentium maſticanda & concoquenda porrigo, méque offero, ſi hæc non ſufficiant, ad ſingula, quæcunque Philoſophia Lulliana continet, dogmata ſua parallela ex Alchimia Lulliana exhibere: & cùm quidam textus hic ſint allegati pro Alchimia, qui ſunt extra controverſiam ipſius Illuminati Doctoris, & ſunt adeò clari, ut nullâ vi in contrarium ſenſum torqueri ſe ſinant, ne quis putet, B. Raymundum ſibi ipſi contradixiſſe, in Capite ſequenti, in quo Argumentis Adverſariorum conabor ſatisfacere, demonſtrabo, contradictiones hujusmodi non niſi formâ externâ tales eſſe.

Quintò. Citatio Librorum eſt etiam Regula ſingularis diſcernendi genuina Opera Authorum à ſuppoſititis: quæ, qualiter nobis ſerviat hoc loco, videtur difficile, cùm nunquam reperiatur explicita citatio unius Libri Chimici in aliis Libris Lullianis, ut potiùs Adverſarii hoc argumento contra nos ſe prævalere poſſe forſan ſibi imaginentur: at ſi cauſam hujus ſilentii ab ipſomet Illuminato & Sapientiſſimo Magiſtro prolatam intimiùs & Perſpiciliis Lullianis conabuntur intueri, videbunt, non ſinè prudentia id actum eſſe: nam ſicut in præcedentibus Capite 1. quando de Arnaldo Villanovano locuti ſumus, oſtendimus dicto tanti Philoſophi morem antiquorum Sapientum non fuiſſe in Philoſophia ſpeculativa apertè & ſinè metaphora de Myſteriis & Secretis Philoſophiæ practicæ ſcribere, ſic fidelis in hoc tanti Magiſtri Diſcipulus Doctor noſter Illuminatus hoc idem ſtrictè obſervare juſtum cenſuit: unde in Libro de Principiis & Gradibus Medicinæ cum Arnaldo hortatur & monet ſuos Diſcipulos cap. 5. fol. 6. in fine primæ Diſt. *Quòd Virtus hujus Artis per Metaphoram maximè decurrat; & hoc ideo, quia Elementa & Scientiæ univerſales ſua ſecreta & ſuas operationes intellectui abſcondunt, & revelant valde ſubtiliter; propter quam obſcuritatem oportet, quòd exaltetur intellectus ad intelligendum metaphoricè, ut ei prædicta Secreta revelentur.* Et in Libro Patientiæ cap. 10. *In noſtris Scripturis non eſt totum poſitum ad ſenſum literalem, quare convenit eis ſupplere cum ratione ſenſuali hoc, quod non jacet in litera, cum luce & claritate Spiritûs divini.*

Planè ſi nil intenderet hìc Illuminatus Doctor, niſi revelationem veritatis theoricæ tantùm, non eſſet operæ pretium illam adeò occultare, & ſub metaphora tegere; nec enim minùs pauper cum Ariſtotele pedes ire cogeris, ſi centum mille veritatibus ſpeculativis ditior eris, quàm ſi illis careas: imò, ſi fas eſt dicere, obligati fuiſſent antiqui Philoſophi ad revelationem veritatis, ſi fuiſſet ſpeculativa tantùm, & non practica; cùm omnes teneamur amare proximum, ſicut nosmet ipſos, quod non feciſſent, ſi illos non conati eſſent adducere de tenebris ignorantiæ & erroris ad lumen ſcientiæ & veritatis. Unde altior ſubeſt cauſa hujus taciturnitatis, imò non una tantùm, ſed multæ; de quibus unam ad propoſitum adducam, quæ habetur in fine tertiæ partis Teſtamenti cap. 25. *Fili, ſcias, quare non eſt datum legere iſtam Scientiam, niſi in generalitate cum aliis ſcientiis ſinè nominando quidquam de iſta, nec publicè, nec occultè? eſt ideò, quia non debet dari motus homini per alium ad intrandum in rebus naturalibus per artificium, niſi per proprium motum naturæ, per quem benedictus eſt ille, cui DEUS noſter Dominus volet inſpirare per donum gratiæ; quia ipſe eſt Dominus cœli, qui ſcit cor illius, in qua forma volet uti; quia multa ſunt, quæ fiunt per naturam, quæ ſi multi ſcirent, & vellent malè uti, totum mundum confunderent, niſi ipſi per Supremum primò confunderentur & deſtruerentur.* Contra morem igitur ſuorum Prædeceſſorum antiquorum Sapientum, contra ſanam rationem & leges juſtitiæ ac prudentiæ, & contra id, quod ipſemet Illuminatus Doctor ſuis Diſcipulis præſcribit in ſuis Operibus, egiſſet, ſéque millenis periculis expoſuiſſet, ſi aperte profeſſus eſſet in aliis ſuis Libris, citando Libros Chimicos, ſe eſſe horum Authorem.

Hoc non obſtante ſuppeditavit nobis Magiſter fidelis modum dignoſcendi per citationes, quinam Libri ſint ſui, qui alieni; nam primò ſicut citationibus Librorum theoreticorum connexuit Libros Libris, & ita cohærere fecit, ut integra illorum Genealogia facilè confici poſſet ab eo, qui tertiam partem Catalogi noſtri in auxilium vocaret, ſic ſimilis pariter poſſet conſtrui per citationes Librorum practicorum, demonſtrando ad oculum, quinam ſint unius Authoris, vel quinam non: hoc habito ſolummodò ſupereſt demonſtrare connexionem unius generis cum altero; quod non gravatè eruemus, ſi monſtraverimus, tantam ab ipſomet Divo Authore concordantiam & neceſſariam dependentiam unius generis cum altero de induſtria eſſe factam, ut, qui *textus, ordinem, figuras, tabulas, alphabeta, principia, modum procedendi, modum loquendi, terminos Artis* amborum inter ſe contulerit, non poſſit non eundem Authorem amborum agnoſcere, niſi ultrò oculos comprimat. Legat quispiam vel ſolam Diſtinctionem tertiam Libri de Quinta Eſſentia, & ſi vel rudem habet notitiam Librorum Lullianorum, dicat, an ovum ovo ſimilius eſſe poſſit per omnia, quàm ſimilis eſt hic Liber in omnibus ſuprà allegatis cæteris Libris Illuminati Doctoris? legat Diſtinctionem primam & ſecundam ejusdem Libri, & combinet cum Libro de Principiis & Gradibus Medicinæ, & videat, an unus liber conſpiret cum altero quoad doctrinam de Gradibus, utrùm non unus ſit practica alterius, & utrùm unus plenariè poſſit intelligi ſinè juvamine alterius? conferat Librum Principiorum Philoſophiæ cum Diſtinctione tertia prælaudati & nunquam ſatis laudandi libri, addatque Librum ſeptem Rotarum, inſpiciat porrò illius novem Columnas, & ſi intelligit & horum librorum & harum tabularum artificium, dicat, an neceſſariò connectantur, an non? quòd ſi nihil horum ſe penetraſſe fateri cogatur, nec ſe judicium quoque ferre poſſe de agnatione affirmanda vel neganda horum Librorum eo ipſo fateri debebit.

Hinc parùm me movet judicium R. P. Cuſturerii, dicentis: affectatum eſſe ſtilum Lullii ab aliquo ſimulatore Alchimiſta; nam licèt ex ſequentibus manifeſtum ſit futurum, quàm nullo fundamento hoc judicium poſſit ſubſiſtere, ex eo nunc facilè refellitur, quia præfato P. Cuſturerio ne minima quidem inerat notitia ſuprapoſitorum requiſitorum ab intrinſeco Artis deſumptorum ad ſolidum judicium formandum: unde putabat, confectum negotium, ſi monſtraret, B. Raymundum Anno 15. ſæculi tertii jam Martyrio abſumptum, hos verò libros poſt decimum quintum compilatos, ſcilicet Librum de Quinta Eſſentia Anno 19. & Librum Teſtamenti Anno 32. ponatur enim extra dubium, mortem B. Martyris in annum decimum quintum incidiſſe (quod nondum certò demonſtratum eſt, nec demonſtrari poterit) quomodo probat, datum horum librorum diuturnitate temporis non variatum & vitiatum à transcriptoribus? hoc non in caſſum ſuſpicari me jubet Chronologia Catalogo Librorum à me poſtpoſita; quam ſi quis contulerit cum ipſis voluminibus, inveniet, illam omninò firmam ſtare non poſſe, ob citationes è diametro impugnantes terminum ſubſcriptum temporis; quæ obſervatio me reflectere fecit, an ab ipſomet B. Raymundo vel aliis fuerit additus, quod rarò reperi, & quod non viſus eſt animadvertiſſe ſæpè laudatus P. Cuſturerius. Sed reſtat adhuc fortius argumentum inferiùs adducendum, nimirum dato caſu, quòd omnes Libri Chimici poſt annum decimum quintum ſcripti B. Raymundo eſſent abdicandi, quod tamen non concedimus, adhuc ſufficiens copia librorum nobis ſupeteret extra controverſiam poſitorum, quibus Chimiam Lullianam ſalvam ſartámque ſervare poſſemus.

Ut ad propoſitum noſtrum revertar, præter connexionem mutuam dictorum Voluminum, quam occultam citationem non incongruè nominare poſſum, inveni aliam apertam, è qua non leve argumentum prodit Librorum Chimicorum B. Raymundo adſcribendorum; cùm enim Libri Chimici perpetuò citent Libros Artium Illuminati Doctoris, Artemque ipſam Lullianam intimo ſinu ſuo complectantur, primo intuitu Lectorem intelligentem perſuadent, ſe non eſſe fœtum Raymundi de Terraga Judæi ad Chriſtianiſmum converſi; quod à multis & ipſomet P. Cuſturerio gratis dicitur, oſtenditque, hos Authores prætatos Libros, ne extremis (ùt ajunt) labiis deguſtaſſe; ſi enim hoc ultimum verum eſſet, aut Judæus hic debuiſſet per ſuam Alchimiam ſe totum transmutaſſe in Lullum, applicando adeò perfectè & exquiſitè, quidquid ad Methodum Lullianam requiritur, ut ipſemet Illuminatus Doctor hoc meliùs non potuiſſet, aut B. Raymundus noſter debuiſſet induiſſe per metempſichoſin pitagoricam ipſum Raymundum de Terraga: quorum utrumque ùt ſenſus & experientia librorum negat, ita abſurdum eſt contra ſenſum & experientiam adſtruere. Evolvant Adverſarii Librum Patientiæ, quæ eſt tertia pars Teſtamenti Ultimi, & invenient, quantum impugnet Illuminatus Doctor in illo perfidiam Judaiſmi & Judæorum, cujus contrarium aſſeritur de Raymundo de Terraga adhuc judaizante.

Citantur inſuper in his Libris Chimicis tales libri, quorum nemo Lulliſtarum mentionem unquam fecit, qui tamen inter genuinos numerandi probantur per citationes aliorum librorum genuinorum; quod indicium eſt, prætactos libros adeò antiquitate ſuâ excedere omnes Diſcipulos Lullianos, ut fuerint coævi cum illis, quos citant, qui proin vetuſtate deleti effugerint manus Diſcipulorum: conſulatur ſuper hoc Catalogus Operi præfixus.

Sextò. Accedit in majus robur præcedentis argumenti contra inſimulatores Alchimiſtarum de mentito Alchimiſtis artificio ſcribendi Lulliano, & præſertim contra R.P. Cuſturerium hujus ſimulationis ſingularem aſſertorem, quòd inimitabilis profunditas Scientiæ & Doctrinæ Lullianæ, quæ reperitur in omnibus libris tam Artis Generalis, quàm aliarum Scientiarum & Artium particularium ab Arte Generali defluentium comparata cum dubiis tractatibus loco lapidis lydii adhiberi poſſit ad examen faciendum de illorum integritate & origine: unde, qui libros chimicos vel prætenſos illorum Authores de ſimulatione reos agunt, conſiderare debuiſſent, an hæc Ars vera ſit, an non? ſi etenim vera eſt (ùt illam indubiè veram probavimus Authoritate & Ratione in præcedentibus duobus Capitibus) & hæc Ars verè deſcripta eſt in libris, de quibus quæritur, non habuit Author illorum ullam rationem vel prudens motivum ſuam gloriam devolvendi in alium, cui illa non competit; nemo enim prudens veritate commutat falſitatem: ſi verò veram Artem admittunt, & non verè in dictis libris chimicis traditam ſuſtinent, tenentur non nudâ aſſertione, ſed efficaci ratione hoc demonſtrare, quod nunquam poterunt; nam aut illos ſtudio continuo & diuturnâ ſpeculatione intimè penetrabunt, & tunc percipient ex æqualitate profunditatis unius & alterius doctrinæ, impoſſibile fuiſſe, ab alio quàm ab Illuminato Doctore illos potuiſſe concipi, & ſic nobiſcum ſentient; aut neglecto ſtudio innitentur ſuis conjecturis ambulantes in circuitu, non ſaturati & murmurantes, & tunc iterum impotens & inefficax dabunt judicium.

Ego itaque admoneo precorque Condiſcipulos meos, ſi quos forſan ſingularis divina vocatio, ingenii præſtantia, & abditarum naturæ cauſarum inveſtigandi nobilis cupiditas excitat, aggrediantur magno animo ſtudium horum ſecretorum Librorum, ſtatuantque illis conſenescere abdicatâ (ſi poſſunt) rerum temporalium curâ, neque ſe patiantur abſterrere, ſi uno vel altero luſtro necdum metam ſuorum votorum conſecuti ſint, nec credant, ſemper ob defectum ſuæ ſedulitatis vel talenti imbecillitatem DEUM illis denegare ſcopum deſideratum; hic enim ſupremus Arbiter ſuâ ſapientiâ ſelegit congruos temporum terminos,

quibus cum miſericordia negat, quod poſſet in principio nocere, & quibus cum eadem miſericordia dat, quod poteſt in fine prodeſſe. Si ſolâ cupiditate inordinatâ & pravâ intentione, & non amore ſcientiæ, quâ trahantur in amorem ſui Creatoris, acceſſerint, fruſtrà ſe defatigabunt; ſi verò eam, quam ſuprà exegi, longanimitatem & reliqua requiſita non ſimul ſecum tulerint, non ſunt digni, ut tanto bono potiantur: non invideant igitur aliis, quod ipſi ſponte neglexerunt: quòd ſi meo conſilio perſuaſi poſt debitum penſum admiſſi fuerint in interiora divinorum horum Operum, ingenti gaudio reperient, me verum ſcripſiſſe; nempe, quòd tanta reluceat Scientiæ Abyſſus in his Operibus & tantum Artificium, ut ſi omnium hominum literatorum ingenia in unum concentrata fuiſſent, nil præſtantius potuiſſent comminiſci. Exponam in Præfatione de Secretis Artis in gratiam Condiſcipulorum meorum unum aut alterum Secretum hujus Artificii, ut noſcant ex ungue leonem.

Septimò. Dixi numero quinto Librorum Chimicorum B. Raymundo attributorum intimum & neceſſarium nexum cum libris Artis Generalis eſſe occultam & mutuam citandi rationem, quæ inducat in certam criſin de uno eodemque amborum Authore ſtatuendo; nunc infero ex hac neceſſitate aliam non minùs fortem & efficacem, ſcilicet ablatis Libris Chimicis neminem poſſe perfectè & plenariè intelligere Libros Philoſophicos B. Raymundi & Medicos, imò ne quidem Artem Compendioſam, Artem Univerſalem, Artem Demonſtrativam, Librum Chàos, Librum Principiorum Philoſophiæ, Librum Principiorum Medicinæ & cæteros hujusmodi (dico perfectè & plenariè, ita ut ea, quæ in his libris theoricè traduntur, poſſit ad praxin reducere, ſicut hi ipſi libri innuunt, & ad hanc ordinantur) poteſt quidem ſuppoſito fundamento Artis jam ab ipſomet Divo Authore neceſſariis & indefectibilibus naturæ legibus inædificato in omni ſcibili infinitarum veritatum ſpeculativarum ſeriem texere, hoc eſt, ſimulacra veritatum, quas Schola Lulliana reales vocat, in intellectu ſuo depingere, ore pronuntiare, & calamo exarare; at Illiricos penetrare ſinus, atque ultima tutus Regna Liburnorum & fontem ſuperare Timavi, volo dicere, ultima penetralia Artis & fontem quatuor in flumina univerſam terram irrigantia ſe divaricantem permeare, nemini dabitur, niſi in Libris citatis Chimicis Magiſterium priùs ſumpſerit, & non merâ ſpeculatione, ſed manuali experimento ſe legitimum naturæ filium comprobarit, percurrendo per Analyſin & Syntheſin naturalem omnes gradus ſcalarum Arboris Philoſophiæ: hâc enim viâ etiam nota erunt ipſi omnia ea, quæ in Libro de Gradibus & Principiis Medicinæ ad veram Medicinam præparandam per graduum diverſorum inter ſe miſcendorum technaſmata ab Illuminato Doctore methodicè præſcribuntur & demonſtrantur: quæ non aliâ à me indigent probatione, quàm amandare Adverſarios ad prædictos duos Libros de Principiis Philoſophiæ & Medicinæ, illoſque rogare, ut opere exequantur, quod hi libri docent de praxi.

Octavò. Neque ipſi Adverſarii noſtri, qui tamen fautores B. Raymundi ſe venditant, ſinè manifeſta jactura honoris illius, Opera Chimica ipſi denegare poſſent, ſi modò penetrarent, quid implicite hâc negatione affirmarent; nam cùm ex præcedenti numero pateat, libros medicos non poſſe intelligi, & ad utilitatem practicam reduci ſinè intima cognitione Chimiæ & librorum chimicorum, nunc id ipſum adhuc altiori & fortiori ratione probabo, oſtendendo, quòd fuiſſet impoſſibile Doctori Illuminato perfectam medicinam tradere ſinè adminiculo Alchimiæ: cùm enim poſt naturam lapſam omnis virtus naturalis in materia infecta recipiatur, & per conſequens quaſi compedibus corruptionum & ſordium alligata in actione ſua impediatur, clametque, quis me liberabit de corpore mortis hujus, nunquam poterit perfectum præſtare uſum in Medicina, donec liberetur à ſuis defectibus, in eamque libertatem exeratur, ut, ſicut primò materia dominabatur ſuper virtutem, ſic nunc virtus dominetur ſuper materiam; cùm virtus & operatio conveniant, & materia ac privatio operationis: unde quantò majus erit dominium virtutis ſuper materiam, tantò major erit infallibiliter operatio prædictæ virtutis; quod dominium nunquam acquiri poteſt, niſi per opus Alchimiæ: ût ad ſenſum patefit *in cap. 15. Diſt. 5. Lib. de Princ. & Grad. Med.* Si proin hoc ſolum caput ex fundamento penetraſſent noſtri Adverſarii, & noſtram ſententiam amplecti, & Divo Magiſtro noſtro infinitas gratias rependere deberent pro communicatione tanti Secreti; *verè enim aureis Literis fuiſſet imprimendum, cùm ſit baſis & fundamentum totius ſecretæ Philoſophiæ.*

Si igitur nullum ſimplex (ût vocant Medici) vegetabile, minerale vel animale reperitur, quod non indigeat exſpoliatione ſui corruptibilis corporis, ut fiat proportio inter materiam & virtutem, quantò magis hoc requirit illud univerſale agens, de quo ſuprà in multis locis mentionem fecimus, ſinè quo ſingula particularia aut perfectè præparari omninò non poſſent, aut ſi poſſent, tempus enorme requirerent; hæc autem primi agentis præparatio non habetur à natura; nam ſi haberetur, non eſſet tanta contentio inter Philoſophantes de illius exiſtentia; habetur autem ab Arte Chimica, artificio miniſtrante opem naturæ, & exaltante illud agens univerſale, quod à B. Doctore ſignatur literâ A. in prima Figura Artis obſcuro nomine Chàos, donec perveniat ad gradum ſupremæ bonitatis, magnitudinis, durationis, poteſtatis corporalis, generalis & univerſalis &c. bonificantis, magnificantis, durare facientis, poſſificantis omnia particularia in eodem gradu ſinè læſione differentiæ ſpecificæ.

Cùm igitur ſenſualiter ſentiamus quotidiano experimento, quòd, quamvis medicamenta ordinaria à DEO virtutes ſuas receperint ad ſanitatem corporum vel conſervandam, vel reſtaurandam, tamen tarditate ſuæ operationis & commixtione corruptionis multùm retardentur in ſuo effectu producendo, fateri compellimur ipſo ſenſu, medicinam nunquam perfectionis ſuæ apicem obtenturam, niſi artis adminiculo ſuffragium recipiat, quod ſola præſtat Alchimia; non illa ſpuria, quæ ſophiſticis manipulationibus peragitur, ſed quæ ſecundùm naturæ placita per reſolutiones naturales & cæteras operationes ab Illuminato Doctore in ſuis libris expoſitas exercetur.

Ulteriùs: ſi intellectualiter intelligimus ſupremum illud bonum, quod omnes veri Lulliſtæ non poſſibile tantùm, ſed actualiter ab illis vel aliquibus illorum elaboratum unanimiter teſtantur, nec erubeſcunt originem indicare, unde tantum bonum

bonum ad illos derivatum ſit, ſupremam & univerſalem Medicinam ſubaudio, ſi, inquam, intelligimus, talem Medicinam eſſe, ſtatim intelligimus, Alchimiam eſſe; non enim ſola natura nec ſola Ars, ſed utraque ſimul juncta ſupremum opus artis & naturæ conſequi valet; ût ex terminis conſtat. Si verò quis poſſibilitatem & exiſtentiam hujus Medicinæ negat (ût communiter ab omnibus etiam Medicinam profitentibus negatur) is negando Medicinam univerſalem affirmare tenetur, ſupremum Bonum in Medicina nihil eſſe, & inferius bonum eſſe aliquid; nam Medicinam particularem eſſe docet communis perſuaſio: tenetur ergò fateri ſupremam perfectionem in Medicina nihil eſſe, & inferiorem eſſe: unde quemadmodum Atheus negando exiſtentiam DEI affirmare tenetur ſimpliciter, ſupremum Bonum nihil eſſe, & tamen particularia bona, quæ ſenſu attingit, eſſe aliquid, certum habet, & hæc perfectio inferiorum bonorum ſimul ſumpta ac relata ad defectum ſupremi Boni non exiſtentis demonſtraret, quòd tota dicta perfectio eſſet tantùm finita, defectus verò infinitus, ſic à proportione tota perfectio omnium particularium medicinarum ſimul ſumpta ac relata ad defectum ſupremi Boni non exiſtentis in Medicina ſe haberet ût perfectio finita ad defectum infinitum in Medicina; nam ſi omnes particulares medicinæ nihil eſſent, non tantum perfectionis abeſſet, quantum abeſt, ſi ſola univerſalis Medicina nihil eſt; aliàs non eſſet ſupremum Bonum in Medicina.

Ex hactenus dictis ſole clariùs elucescit, Adverſarios noſtros eò redigi, ut dicere cogantur, aut Beatum noſtrum Magiſtrum Scientiam Medicinæ perficere neſciviſſe, aut, ſi ſciverit, illum Alchimiam quoque non ignoraſſe: malè igitur laudant ipſum de ignorantia hujus tam utilis Scientiæ & Artis; adhuc pejùs ipſemet Illuminatus Doctor auſus eſſet reformare Medicinam & Medicos Platearium, Conſtantium, Avicennam Alchimiæ peritum, & inter Medicos Virum Principem, niſi plus ſciviſſet, quàm hi ipſi, quos reformat, & juſto titulo Cardanus ipſum morderet, quòd omnes ſcientias docuerit, & nullam ſciverit.

Nonò. Redeamus ad ipſum Illuminatum Doctorem noſtrum, & augmentando, multiplicando ac intendendo rationes oſtendamus ab experimentis in Libro de Gradibus Medicinæ contentis, ipſum in Anatomia Metallorum fuiſſe expertiſſimum: in cap. 20. Diſt. 6. præfati libri agens Illuminatus Doctor de Generatione & Corruptione in Metallis §. *Cùm igitur* (ait) *in naturali appetitu conſervatio humanæ ſpeciei magis ametur, quam conſervatio aliarum ſpecierum (& illud ideo, quia gradus ipſorum A. B. C. D. in ipſa exiſtunt nobilius, quàm in aliis) idcircò natura ſubmittit alias ſpecies ad inſerviendum humanæ ſpeciei: & quia metalla ſunt neceſſaria humanæ naturæ, ideo natura divinâ ordinatione metalla generat, quibus ſolummodò humana ſpecies indiget; ex quo revelatur nobilitas humanæ ſpeciei.* Quæſo, dicant Adverſarii, quâ intentione voluit Illuminatus Doctor metalla ordinatione divinâ humanæ ſpeciei ſervire; an forſan ferrum arando, ſcindendo, metendo, aurum & argentum emendo &c., ût alibi quandoque ſcribit? certè ſi hoc voluiſſet, nihil faceret ad propoſitum Medicinæ; & ad quid ſerviret agere hìc de generatione & corruptione metallorum? applicent ergò perſpicilia, & legant ſequentia.

Certum & indubitatum eſt ſecundùm Principia Scholæ Lullianæ, in metallis eſſe A. B. C. D.; & quia ſpecies metallorum ſubmiſſæ ſunt ſpeciei humanæ, ût Illuminatus Doctor in ſuperiori textu affirmat, ergò A. B. C. D. metallorum ſubmiſſa ſunt ipſis A. B. C. D. hominum; ſed A. B. C. D. metallorum in metallis ſunt in potentia operandi in homine, & non in actu, ût ad ſenſum patet; nam, ſi integram libram auri ſive in pulvere, ſive in foliis aut quacunque ratione præparatam (auro manente concreto & compoſito) introſumpſeris in corpus tuum, deaurabis forſan inteſtina tua, ſed actionem medicam ab auro fruſtra exſpectabis: ergò rediguntur in actum per corruptionem: ſicut enim A. B. C. D. metallorum per generationem componunt metalla, ſic ipſa metalla per corruptionem reſolvuntur in A. B. C. D.: audiant ipſum Illuminatum Doctorem. *Quemadmodum piſcis extra aquam non poteſt habere vitam, ita metalla, quando ſunt in ſuperficie terræ per rubiginem ad corruptionem moventur, & per generationem in aliam ſpeciem* NB. *convertuntur, ſicut ſunt Elementa in animalibus: unde ſicut corpus humanum ſe inclinat ad non eſſe per febrem, per apoſtema & per paralyſin & per alios morbos perducentes ad mortem, ita metalla ad corruptionem per rubiginem inclinantur.*

Metalla igitur ſecundùm mentem B. Magiſtri noſtri per *rubiginem* moventur ad *corruptionem*, & per corruptionem ad *novam generationem*, & per novam generationem convertuntur in *aliam ſpeciem:* ſed à quo? à natura ſola, vel à natura & arte ſimul? pergit Divus Author: *Illud autem, propter quod vides rubiginem in ferro, & non vides in auro, eſt, quia ferrum eſt magis corruptibile, quàm aurum, cujus auri rubiginem non potes ſentire, niſi cum igne, cum quo purificas aurum. Lo Rovil del qual aur no pots ſentir, ſino per foc, ab que purifics Laur:* ſic ſonat textus originalis à me fideliter translatus. Heus vos Miſochimici, vidiſtisnè aliquando apud aurifices, metallurgos, monetarios vel alios artis peritos aurum rubiginari vel in rubiginè verti igne culinari vel vulgari? vidiſtisnè aurum hac rubiginatione corrumpi, regenerari, in aliam ſpeciem converti? nullo modo: attendite, quæſo, quàm appoſitè & exquiſitè ad rem faciant ea, quæ habet in Theorica Teſtamenti cap. 3. f. 12. agens de ſcala ſeu rota naturæ, poſtquam recenſuiſſet modum generationis metallorum, exponens modum corruptionis, regenerationis & perfectionis, ait: *ſed per corruptionem, quando extra ſuas mineras extracta ſunt, intendit natura rubificare & rubiginare ad redeundum per motus circulares* (nota hos motus, & inſpice citatum caput 20. libri de Princ. Med. Diſt. 6. f. 30.) *illa corrumpendo & iterum generando, tantum quòd terminentur in novam generationem per digeſtionem in ſuis mineris, in quibus ſunt incluſi vapores reſoluti ab illis, corrupti propter gravitatem ſuorum elementorum inſtinctu naturali, & ibidem ſuo motu digeruntur, quouſque in ſpeciem meliorem terminentur.*

Quare autem inter cætera metalla ſingulariter mentionem Auri fecerit, ratio eſt, *quia tu intelligis* (ſunt verba D. Authoris Diſt. 4. cap. 12. f. 20. de mixtione K. O.) *quòd de rebus majoribus fieri poteſt majus temperamentum vel intemperamentum:*

tum: unde cùm in auro ſit major duratio, quàm in omnibus aliis metallis, erit in illo majus temperamentum, & per corruptionem auri reducendo illud in A. B. C. D. erit majus intemperamentum; & regenerando ſeu reuniendo poſt purificationem ipſorum A. B. C. D. auri in aurum novum ſeu formam auri erit adhuc majus temperamentum; quia poteſtas temperandi, quæ erat in auro generato in potentia, erit in auro regenerato in actu: & hic eſt finis præſtantiſſimi hujus Libri de Principiis & Gradibus Medicinæ; cujus media, ſcilicet integrum modum operandi cum omnibus ſuis principiis ſparſim in toto libro per evidentes, certas & infallibiles demonſtrationes probat, ut in omnibus libris Chimicorum nil ſimile ſis reperturus. Poſſem hìc adducere ex præfato libro fundamenta totius proceſsûs, niſi caput hoc nimis turgeret, tu Perſpiciliis Lullianis utere, & perluſtra diligenter tres triangulos & cameras illorum, fige aciem, & acue ingenium, percurre Diſtinctionem 10. aſſueſce Metaphorarum Lullianarum rimari alvearia, & guſtabis fructus dulciores omni breſcâ & zuccarâ.

Unum addam in gratiam Condiſcipulorum meorûm, ut videant, Codices Lullianos optimè armatis oculis eſſe intuendos, antequam penetrare ſinant ſenſum in illis obvelatum. In cap. 14. Diſt. 5. f. 22. §. *Avicenna* docet Illuminatus Doctor, quomodo in argento vivo ſint inveſtigandi gradus C. D. h. e. aëris & aquæ, cùm argentum vivum ſit à prædominio illorum, & ſit dubium, an ſit in quarto de C. vel de D.: unde ad probandum, utrùm ſit in quarto de C. vel de D., jubet miſcere cum argento vivo ipſa E. K.; nam ſi ſe magis inclinet ad A., quàm ad B., erit in quarto de C., ſi magis ad B., quàm ad A., erit in quarto de D.: hoc unicum experimentum exhibeant mihi Adverſarii ſinè Alchimia, & ego fatebor, B. Raymundum non fuiſſe Chimicum. Jam me verto ad Condiſcipulos: ſciant igitur, per E. intelligi ſimplex in quarto gradu calidum, & per K. ſimplex in quarto gradu ſiccum: ſi quis ergò ad faciendum ſupradictum experimentum eſſet adeò fatuus, ut miſceret cum mercurio piper in forma pulveris, cùm piper ſit in quarto gradu calidum, & ſic tentaret experiri, an argentum vivum reciperet alterationem in calido, ac per hoc ſignificaret, quòd eſſet in quarto gradu humidum, & in tertio calidum, ne hic egregiè rideretur à mercurio cum illo Alchimiſta Cosmopolitæ, qui mercurium miſcuit cum ſtercore & aliis impertinentibus? idem illi accideret, ſi miſceret cum mercurio glandes virides vel tuciam, quæ ſunt in quarto gradu ſiccitatis & de K.: quid igitur, principianè D. Doctoris falſa? abſit; ſed error in hoc eſt, quia talis ignorat A. B. C. D. ipſius mercurii, neſciens, quòd ignis, qui calefacit hominem, frigefacit leonem, & ignis, qui calefacit leonem, comburit & cremat hominem: unde cùm mercurius & quodlibet naturale individuum ſuam propriam ſcalam habeat, per cujus gradus illius elementa aſcendunt & deſcendunt, qui hanc ſcalam ejuſque gradus ignorat, nihil unquam experimentis ſuis obtinebit, etiamſi ad finem ſæculi ſecundùm proceſſum Libri de Gradibus & Principiis Medicinæ miſceret literas A. B. C. D. vel E. K. O. S. vel quascunque alias.

Diſcite itaque Confratres dilectiſſimi reſolvere omnium individuorum naturalium corporeorum optimum in duratione in ſua A. B. C. D., & tunc erit vobis apertus introitus non ſolùm in hunc librum, ſed in omnia individua naturalia corporea totius univerſi: & ſic experimentorum infinitorum vobis non deerit copia. Sed ubi (forſan quæritis) inveniemus clavem? jam dixi in antecedentibus, remittendo vos ad Diſt. 5. cap. 15. fol. 23. de *Virtute & Materia:* cui nunc addo, *quod in privatione operationis ipſorum C. A. deſtruitur eorum virtus, & in deſtructione virtutis corrumpitur materia*: ût habet Doctor Illuminatus Diſt. 8. cap. 29. fol. 37. Diſcite, quomodo fiat intenſio & remiſſio primarum qualitatum ex Libro Principiorum Philoſophiæ, hoc Libro de Gradibus Medicinæ & aliis Tractatibus Philoſophicis B. Magiſtri noſtri, nec à ſtudio vos retrahat veſtra impatientia, donec manualis experientia vos ſecuros faciat de theoria veſtra; tunc ridebitis incredulos, & ſcietis, an B. Raymundus Lullus Doctor noſter Illuminatus docuerit Alchimiam, an non.

Ad finem hujus numeri vos quoque moneo, Librum de Gradibus & Principiis Medicinæ ejusque Arborem continere opus vegetabile, non minerale, quamvis eadem principia illi applicari poſſint ſalvâ proportione; ejus intelligentiam clariorem vobis faciet Arbor Philoſophalis Diſt. 3. Lib. de Quint. Eſſ. & Rota de A. cum ſuis quinque rotis, quæ eſt Dux exercitûs medicinarum.

Decimò. Antequam è manibus ponam librum tanti pretii & mihi gratiſſimum de Principiis & Gradibus Medicinæ, libet adhuc ſemel intueri ipſius frontem, ut oculi in contemplatione pulcherrimæ Arboris, non ligni ſcientiæ boni & mali, ſed ligni vitæ, à continua lectione defatigati recreentur: & ecce, dum contemplor brancham arboris ad lævam poſitam, videor mihi aliquid detegere meis perſpiciliis, quod libero obtutu non obſervarunt Anti-Chimici, nimirum totam illam brancham fol. 2. uberiùs expoſitam de verbo ad verbum mutuatam eſſe ex Speculo Medicinæ Arnaldi de Villanova: quod ſi negare audent Adverſarii, provoco ad ocularem inſpectionem utriusque Libri: eſt itaque hæc brancha epitome quædam præfati libri Speculi Medicinæ. Alterum quid obſervo neceſſarium ſcitu Condiſcipulis meis, nimirum totam Theoricam Teſtamenti antiqui ejusdem branchæ eſſe expoſitionem literalem pro Chimia, ſicut totum Speculum Medicinæ Arnaldi eſt expoſitio literalis ejus pro Medicina: unde hæc excellentiſſima brancha ſub una Metaphora inter cæteras ſcientias complectitur duas tam utiles, quibus genus humanum ſinè maximo detrimento carere non poteſt.

Quòd hæc Brancha non ſit ipſius B. Raymundi, fatetur ipſemet cit. fol. 2. *Dicit enim, illam eſſe de Principiis Medicinæ, ſecundùm quòd relatum eſt per antiquos Medicos, qui ipſum præceſſerunt:* in nemine autem antiquorum Medicorum, ſi Arnaldum excipias, invenies hunc ipſum ordinem principiorum, licèt habeantur per partes: lege Hippocratem, præſertim verò Avicennam, Galenum & Rhaſin Medicorum facilè Principes, in quos tres ultimos potiſſimè commentatus eſt Arnaldus, & non invenies: neque dicere poteris, Arnaldum à B. Raymundo illa principia mutuaſſe; nam ſeniorem Arnaldum B. Raymundo ſtatim infrà probabo: faciliùs inſuper eſt ex magno aceryo colligere

ligere pauca grana, quàm ex paucis granis producere magnum acervum; cùm Arnaldi Speculum Medicinæ ſit integer liber.

Quid igitur opponent hìc noſtri Impugnatores Chimiæ Lullianæ? latuitnè B. Raymundum hæc Scientia? at quomodo ipſum latere potuit, qui Speculum Arnaldi legit, in quo verbis apertis Alchimiam profitetur: dignentur, oro, legere caput 356. Libri magni Contemplationum cum antecedentibus & ſequentibus capitibus, & huic lectioni adjungant lectionem alicujus tractatûs, qui habetur in Operibus Arnaldi fol. mihi 290. v. p. qui incipit: *Philoſophantes antiquos:* & dicant, an B. Raymundus Arnaldum legerit? & an fruſtra in hoc Libro de Principiis & Gradibus Medicinæ locarit Metaphoram? (non hìc agitur de materia theologica, ſed merè philoſophica, ſi fortè objicerent, Librum Arnaldi inter prohibitos poſitum, donec expurgetur, non legendum.)

Præterea hi, qui negant, Raymundum didiciſſe Scientiam Medicinæ ab Arnaldo vel alio homine, ût in cap. ſeq. allegabo, non videntur legiſſe Quæſtionem 17. Libri de Levitate & Ponderoſitate Elementorum, ubi Doctor Illuminatus ſic habet: *Scientia* (inquit) *eſt duobus modis; eſt enim Scientia infuſa, & eſt Scientia acquiſita; Scientia infuſa eſt illa, quæ influitur à DEO per gratiam; Scientia acquiſita eſt illa, quam homo habet per Doctorem: in medio iſtarum duarum Scientiarum eſt unus alius habitus Scientiæ, qui ſapit quamlibet prædictarum Scientiarum &c.: & iſta Scientia eſt neceſſaria, quia ſinè illa perderetur diſtinctio, quam Medicus habere debet ſuper propoſitiones, quas Medici antiqui in ſuis libris poſuerunt, & humana ratio influentiam non reciperet à Scientia infuſa & à Scientia acquiſita; & talem perditionem natura ſuſtinere non poſſet in humana ratione, ſi Medicus verum judicium facere non poſſet in concordantia Scientiæ infuſæ & acquiſitæ ſecundùm bonam arbitrationem, de qua oportet Scientiam eſſe.* O mirabilem ſapientiam & diſpoſitionem ſupremi Doctoris! qui voluit ſuum Diſcipulum Raymundum omni modo humanâ ratione excogitabili perficere, nempe ſinè medio, & per medium, ut haberet perfectam & abſolutam Scientiam: quid igitur mirum, ſi illum poſt illuminationem miſit ad Arnaldum Medicum, ut illum inſtrueret in Medicina, qui poſt illuminationem intellectualem & excæcationem ſenſualem miſit Apoſtolum Paulum ad Ananiam, ut illum curaret à cæcitate?

Non igitur ſinè cauſa gratitudinem ſuam erga hunc inclytum Virum aliquoties in ſuis Libris poſteritati voluit notam reddere; hujus unum exemplum ad præſens optimè faciens adferam: in Vade Mecum ſeu Codicillo cap. de Informatione agens Doctor Illuminatus de difficultate primæ ingredinis ſecretæ ſolutionis, quæ præ omnibus aliis à Philoſophis eſt celata: *Et nos* (inquit) *de illa prima ingredine à paucis cognita benignum ſpiritum aggregare affectantes pugnam ignis vincentem, & non ſuperatum, licet ſenſibus corporis multoties palpavimus, & oculis propriis vidimus, extractionis tamen ipſius notitiam non habentes quicunque ſcientiâ vel arte, ſentientes nos adhuc aliquâ ruſticitate ſuffultos, nullo modo eam plenè comprehendere valuimus, donec Almus Spiritus Prophetæ ſpirans à Patre Luminum deſcendit tanquam ſuos nullatenus deſerens, aut in ſibi poſtulandis deficiens, qui nobis in ſummis vigilantibus tantam claritatem oculis mentis noſtræ infuſ-*

ſit, ut illam intùs & extrà remotâ figurâ gratis revelare dignatus ſit, inſatiabili bonitate nos reficiendo.

Ne quis autem exiſtimet, DEUM immediatè ipſi hoc ſecretum revelaſſe, dicit cap. 63. de Circulatione ultima fol. 223. impr. Colon. *ſed iſta fiunt per viam circulorum, quorum ignorantiâ plures magnates in literatura fuerunt decepti in Magiſterio, credentes firmiter cum confidentia ſuæ Scientiæ intelligere dictorum formam & modum circulandi; ex quibus nos fuiſſe unum lethaliter vulneratum non intendimus celare, cùm ſolâ præſumptione & temeritate alterius ſcientiæ naturam firmiter credebamus intelligere, nec ullo modo intellexeramus, donec tempus adfuit, in quo Spiritus non immediatè, ſed mediatè per Magiſtrum Arnaldum de Villanova ſuâ largitate immensâ reficienter in nobis inſpiravit.*

Undecimò. Ulteriùs peto ab Adverſariis, ab illis nempe, qui tuentur ſacram Artem & Doctrinam Illuminati Doctoris, qui Diſcipuli illius audire geſtiunt, per quid differat Philoſophia B. Magiſtri noſtri à Philoſophia Ariſtotelis, quam B. Raymundus perficere fatagit? Reſpondebunt forſan, ſi legerunt Lecturam Artis Inventivæ & ejus Diſt. 3. p. 2. de mille quæſt. minut. *Quia Philoſophia Ariſtotelis ſit adeò malè applicabilis ad ſacram Theologiam; & Philoſophia per infuſionem & gratiam ſit altior & magis vera, quàm per doctrinam & acquiſitionem;* bene quidem dicunt, & de hoc ego ſum plenariè perſuaſus; ſed per quid & quomodo traham in meam ſententiam, & convincam tot Baccalaureos, Magiſtros & Doctores? qui tanti Philoſophi jam per tot ſæcula vireſcentem lauream non patientur vertice ſuo excuti, niſi ſubſtitutâ melioris notæ coronâ: nec centum profectò nec mille ſyllogiſmis quantumcunque demonſtrativis rem tanti momenti conficiam; excipient, diſtinguent, clamabunt mille contra unum, & me facient grillum unum voce raucâ & barbarâ cum barbaro Magiſtro meo roſtrum obfirmare. Unum ſubvenit conſilium, quo me confido extricare, accedam curioſos, veritatis avidos, morigeros, imò etiam aſperos, protervos, inflexibiles, uno verbo huic Sectæ Lullianæ, quam dicunt hæreſin, penitus adverſos, cum omni humilitate & manſuetudine; & ſi à me petierint, quid pera Lulliana promat obſonii, quo guttur illorum nitidiùs oleo ineſcari queat, promittam non nuces caſſas, ſed multa bona notabilia, ſcilicet *Artem inquirendi ſecreta naturalia & rerum proprietates* Lect. ſuper Art. Inv. in Prol.: dicam, quòd in hoc libro, & præſertim Diſt. 3. q. 5. de Quantitate *multùm revelata ſint Secreta naturæ:* dicam mira *de Arbore vegetabili, & qualis poſſit haberi cognitio de ſuis Secretis & naturis* Arb. veget. in Arb. Scient. in fine fol. 56. affirmabo, *quod hæc Philoſophia ſit multùm delectabilis ad intelligendum, & ſit via ad cognoſcendum multa Secreta naturalia* in Arb. cœleſt. de truſco fol. 244. repetam, *quod hæc Philoſophia ſit delectabilis ad intelligendum, & ſit via ad cognoſcendum plura Principia & Secreta naturalia* ibid. de fol. fol. 251. diſcurram de habitu ſuperiori agente in habitum inferiorem, & quòd hæc cognitio ſit paſſus, *in quo intellectus humanus exaltatur ad intelligendum pulchra ſecreta naturalia,* ibid. fol. 253. de habit. Arb. cœleſt.: loquar de qualitate Angelorum, quomodo poſſit eſſe major aut minor, manens ſemper ſub certa quantitate, *& quòd iſte paſſus ſit via ad cognoſcendum plura Secreta naturalia qualitatum propriarum, & appropriatarum,*

Arb. Angel. de qual. fol. 266. Poſtea ſermonem inſtituam de Aſtronomia, & qualis ſit relatio inter hanc Scientiam & Medicinam, oſtendendo combinationes ſignorum & planetarum exactè reſpondere combinationibus elementorum & complexionum tam corporum ſanabilium, quàm medicinarum ſimplicium & compoſitarum, & quomodo inveſtigentur gradus & deviationes, & fiant electuaria &c., & in quo erraverint antiqui Aſtronomi & Medici, & producam *novos modos, per quos homo poterit habere cognitionem de pluribus ſecretis naturalibus*, Lib. Aſtron. in Prol.

Et ne putent, has cognitiones eſſe purè ſpeculativas & inutiles, certificabo illos, *quòd per hujusmodi cognitiones poſſit homo habere magnum avantagium in hac Scientia*, Lib. Aſtr. p 2. Quæſt. q. 49. & ſi ſcire aveant, in quo conſiſtat hoc avantagium? reſpondebo, in duobus, *in Medicina* ad faciendas decoctiones & electuaria, vide q. 52. & *in Alchimia, quia mercurius eſt convertibilis in bonum per bonam actionem ſolis, & bonam paſſionem veneris*; & ideo *hæc conſtellatio eſt bona Alchimiſtis & Medicis*, vide cap. 21. Aſtr. de Ariete, Sole, Venere & Mercurio: & hinc percipiēnt, quòd, ſicut Mercurius ſuperior *eſt inſtrumentum, cum quo fiunt converſiones influentiarum ſignorum & planetarum ſuperiorum*, Lib. Aſtr. cap. de Mercurio, ſic Mercurius inferior ſit inſtrumentum, cum quo fiant converſiones influentiarum ſignorum & planetarum inferiorum. Si hæc nondum ſatient cupiditatem illorum, *dabimus ampliorem cognitionem de Secretis abſconditis naturæ*, Lib. de Levit. & pond. Elem. in prol. monſtrando modum menſurandi gradus levitatis & ponderoſitatis Elementorum; & *quomodo Medicus ſciat ponderare artificialiter medicinas, & graduare ſecundum figuram, quæ eſt de gradibus elementorum, & ſecundùm figuram T., quæ eſt in Principiis Medicinæ; cum qua figura homo invenit ſecreta naturæ, & per quam intellectus exaltatur ad intelligendum plures ſubtilitates, ſinè quibus illa ſecreta intelligi non poſſent*, Lib. de Levit. & Pond. Elem. p. 2. de quæſt.: exponam deinceps uſum ignis Philoſophici, & modum transmutandi unam ſpeciem in aliam, ſcilicet, *quòd calor ſit inſtrumentum, per quod ſit diſſolutio ſpecierum; quia ignis eſt illud elementum, quod dividit & diffundit partes ſubſtantiarum unam ab alia; & ideo ſuus calor eſt inſtrumentum, cum quo ſit diſſolutio ſubſtantiæ; quod inſtrumentum eſt motum per agens naturale, quod generat humidum nutrimentale transmutando res de una ſpecie in aliam*, Lib. de Levit. & Pond. elem. p. 2. q. 1. Et ut delectabilem finem imponam huic numero, narrabo, quòd mediante hoc igne & artificio non ſolùm ex animalibus & vegetabilibus, ſed etiam *ex auro & lapidibus pretioſis poſſint fieri Electuaria ad ſanandos infirmos*, Lib. Felix lib. 5. cap. 3. n. 2. ampliùs, *quòd per iſta Electuaria homo poſſit habere experientiam de gradibus infirmitatum, & etiam de gradibus medicinalium in decoctionibus*, Lib de Reg. San. & Inf. cap. de 16. Elect. & Lib. Princ. Phil. p. 1. de Cond. R. condit. 5.

Quid vobis videtur, Raymundiſtæ, replicaturos ad tanta promiſſa Ariſtotelicos Sapientes? nonne cilia oculorum plùs quàm transverſo pollice ampliabunt ad tanta præſtigia oculorum? at ſi à me poſcerent non verba, ſed opera, non ſecretorum promiſſa, ſed ipſa ſecreta, *quod datis mihi conſilium, ut reſpondeam populo huic?* nonne ridebunt me cum meo Illuminato Doctore, ſi dixero, *non ſum Medicus, & in domo mea non eſt panis?* ſi avidos vento paſcam inanium verborum? videtis, quantam injuriam veſtro Patrono, veſtro Magiſtro & Doctori infertis, dum erroneâ veſtrâ opinione ab illo injuriam avertere creditis, negando, ipſum eſſe Authorem *Libri Secretorum Naturæ?* quid, quæſo, Illuminatus Doctor convenientius, quid tot & tantis promiſſis magis conforme, quid ad exſolvendum debitum per ſupradicta promiſſa magis ſufficiens, quid ad convincendos incredulos de præſtantia ſuæ Philoſophiæ ac Medicinæ magis forte & efficax indagare & opere exequi potuiſſet, quàm relinquendo ſuis Diſcipulis & omnibus practicæ Philoſophiæ amatoribus theſaurum hunc pretioſiſſimum divini *Libri de Secretis Naturæ ſeu de Quinta Eſſentia?* in quo plus ſinè omni comparatione realitatis continetur, quàm omnia ſupradicta promiſſa ſtipularunt.

Duodecimò & ultimò. Dico & affirmo, & ad ſenſum & intellectum demonſtro, quòd, ſi Illuminatus Doctor non habuiſſet integram & perfectam cognitionem Philoſophiæ practicæ, h. e. Alchimiæ, eamque in ſcriptis nobis communicaſſet, non tradidiſſet Syſtema integrum, perfectum, & ex omni parte abſolutum ſuæ Artis Generalis; quod ſic probo.

Fideliter credimus, & experimento ſentimus, quòd humanum genus per deviationem primi Hominis à ſuo fine perfectionis deorſum ceciderit uno gradu, nimirum à ſtatu naturæ intellectualis ad ſtatum naturæ ſenſualis; & per conſequens à libertate nobilioris naturæ ad ſervitutem ignobilioris: unde cùm Illuminatus Doctor ſuperna luce cognoſceret, hunc flebilem caſum humani generis non meliùs erigi poſſe, quàm inverſo ordine exaltando intellectum hominis per gradus ſcalæ ſenſualis à natura ſenſuali ad naturam intellectualē, ſciretque totam naturam creatā ſenſualē repreſentare naturam intellectualē: *Nam ſicut ſpeculum repræſentat & demonſtrat figuram vel figuras poſitas in ſua præſentia, ſic res ſenſuales ſunt ſcala & demonſtratio, per quas aſcendit homo ad habendam cognitionem de rebus intellectualibus*, Lib. Contempl. Diſt. 29. cap. 169. n. 1. ab infimo gradu incipere voluit & debuit, eum tantā ſoliditate & ſecuritate ſtabiliendo, ne plantæ ſcandentium dubio ſuſtentarentur fundamento; hoc autem aliter conſequi non potuit, niſi indiſſolubiliter jungendo cum ratione naturali demonſtrationem experimenti ſenſualis; *quia experimentum eſt fundamentum, ſuper quod intellectus fundat ſuum intelligere ſive ſcire*, Lib. de Exper. Real. Artis in princ. & *quia convenit, quòd omne id, quod eſt demonſtratio neceſſaria, æqualiter ſignificetur in theorica & in practica eſſe poſſibile vel impoſſibile*, Lib. 2. cap. 19. Mirand. Dem.; & cùm *quælibet intellectualitas habeat appropriatam ſenſualitatem, quæ illi poſſit eſſe ſubjectum, per quod cognoſcatur, & quædam intellectualia habeant aliqua ſenſualia, per quæ percipiuntur, & alia intellectualia habeant alia, & ſic de gradu in gradum qualibet intellectualitas habeat ſenſualitatem illi convenientem ad ſignificandum & demonſtrandum illam intellectui humano*, ibid. §. 26. & horum particularium ſenſualium ſit numerus quaſi infinitus, & tamen à particularibus & individuis fiat principium cognitionis & aſcenſūs, eſſet prorſus impoſſibile ad perfectam horum ſcientiam pervenire, niſi *per partem poſſet homo aſcendere ad percipiendam totam generalitatem; cùm ſenſualitas in ſua parte tantum ſit ab homine ſenſibilis, & tota generalitas ſenſualitatis ſit ab homine intelligibilis*, ibid. §. 22. ſinè qua generalitate intelligibili in principio, & ſenſibili in fine per experimentum certificans rationem nunquam homo haberet infallibilem & innegabilem cognitionem principiorum realium univerſaliſſimorum totius naturæ creatæ, nec per conſequens poſſet Anatomiā naturali ſeu analyticā cujuslibet individui naturalis corporei retrogredi (ſi vellet) à principio individui per medium ſpetiei uſque ad finem generis ſubalterni, & ab hoc tanquam alio medio uſque ad finem generis generaliſſimi; à quo tanquam unico fonte omnia ac ſingula individua naturalia profluxere: & ſicuti illum lateret motus hic analyticus *à deorſum ad ſurſum*, ſic illum pariter lateret motus ſyntheticus *à ſurſum ad deorſum*, ſcilicet à primis & univerſaliſſimis principiis, h. e. à genere generaliſſimo ad genus ſubalternum, & ab hoc ad ſpeciem & individuum quodlibet; multò magis ipſi eſſet abſconditus *tertius motus* his duobus longè perfectior, quos Illuminatus Doctor paucis & digito quaſi oſtendit diſt. 6. cap. 20. de Princ. & Grad. Med., *Circularis* nempe, quo mediante artificio omnium artificiorum maximo non ſolùm principia combinantur (combinatione phyſicā & reali) cum principiis, ſed principia cum principiatis, & è converſo, & principiata cum principiatis; in quo ſolo conſiſtit verus uſus & perfecta quies ſenſualis & intellectualis de rebus naturalibus poſſibilis in Philoſopho naturali.

Si quis autem negat, talem poteſtatem datam eſſe hominibus à DEO, is *duo* negat implicitè, quorum *unum* eſt, res naturales ſenſuales habere principia naturalia ſenſualia (modo loquendi Lulliano) h. e. ſenſibilia; & per hoc affirmat dari vacuitatem in triangulo rubeo rerum naturalium, & non eſſe proportionem debitam inter principium, medium & finem corporum naturalium, & non vidit differentiam inter ovum & pullum, & inter farinam, aquam & panem: *alterum* eſt, hominem eſſe dominum rerum inferiorum, & DEUM eſſe largum, & hæc omnia ſunt impoſſibilia.

Ex his autem ſupradictis clariſſimè conſtat, Illuminatum Doctorem fuiſſe obligatum fundare ſuam Artem Magnam ſciendi ſupra petram immobilem, contra quam nullæ adverſæ machinæ robur haberent: quis enim, quæſo, poterit dubitare, ſi id, quod Philoſophia Lulliana in theoria demonſtrat, in ipſa praxi oculis cernendum, & manibus palpandum exponit? qui Regulam nonam *de Modalitate* in Arte Generali Illuminati Doctoris legerint, forſan opinantur, ad nil illam ſervire, niſi ad quæſtionem formandam, *quomodo partes ſunt in toto*, & *quomodo totum extra ſe mittit ſuam ſimilitudinem:* idem dicendum de Regula 2. & 3. Artis Inventivæ *de modo eſſendi & intelligendi:* at intentio D. Doctoris fuit, non tantùm facere quæſtiones, ſed illas ſolvere, in primo eſt modica ars, in ultimo maxima. Tu ergò dic ſodes, quâ via meliùs ſolvitur quæſtio? ſolvendo totum in ſuas partes, intellectualiter, an ſolvendo realiter? quâ ratione clariùs oſtenditur, quomodo totum corpus phyſicum extra ſe mittat ſuam ſimilitudinem naturalem, intellectualiter, an realiter? Quis audebit ambigere quatuor elementa (phyſica, non logica aut metaphyſica, idem dicendum de materia & forma phyſica, tam univerſali, quàm particulari) eſſe actualiter & formaliter in mixto, ſi ipſi practicè mixtum in illa reſolvitur? Quis diſputabit de numero graduum intenſionis & remiſſionis primarum qualitatum, & de modo illas intendendi & remittendi, ſi ad ſenſum omnia iſta exhibeantur in opere? certè nemo, niſi nivem velit atram appellare, & carbonem album: unde cùm hæc omnia ſint vera & indeſtructibilia fundamenta, à quibus cognitio humana in ſcala ſenſuali & intellectuali ſecurè aſcendit de gradu in gradum, ab imo uſque ad ſummum, dummodò obſervet methodum à Divo Authore præſcriptam, fruſtra nos Lulliſtas conantur Adverſarii & Oſores Chimiæ perſuadere, Divum Magiſtrum noſtrum illam non docuiſſe, ne dicam, omninò ignoraſſe; præſertim, cùm in ſequenti ultimo Capite objectiones illorum per arma ab ipſismet commodata poſſimus perimere ſinè magno labore. Sit igitur

CAPUT IV.

In quo reſpondetur ad Objectiones Authorum B. Raymundo Alchimiam abnuentium, illarúmque datur ampla & ſolida Solutio.

INter omnes Amico-Inimicos B. Raymundi Lulli unum mihi ſeligendum judicavi, qui & ſe Raymundiſtam h. e. Diſcipulum Illuminati Doctoris eſſe prætendit, & minimè omnium ferre poteſt, B. Raymundo Alchimiæ & Alchimiſtarum Patrocinium attribui, ejuſque libris libros de hac Arte & Scientia conſcriptos adnumerari: is eſt R. P. F. Raphaël Barcelo Ord. Min. de Obſer. S. Franciſci, Lector Jubilatus Lullianæ Doctrinæ in Lulliana Baleari Univerſitate Doctor Excathedraticus & Collegiatus, ſanctæ Inquiſitionis Cenſor & Judex Ordinarius, Synodalis Examinator ac Ex-Provincialis, Vir de Lulliano hoc Opere optimè meritus, cujus, dum vitam hanc mortalem ageret, amicitiā & commercio literario plurimùm ſum adjutus, cujus fato, poſtquam de illo certior factus ſum, magnopere indolui, vel ex hoc etiam capite, quia ſperabam ejus animum à veritate, quam defendendam aggredior, innocenter & ex ſola inſufficienti informatione averſum, hoc meo ſcripto mitigatum iri: non enim diſſidium judiciorum ſemper eſt adverſum amicitiæ animorum, ſi diſceptatio inter illos obveniens reguletur & diſcretione partium & moderamine actionum.

Scripſit hic Eruditiſſimus Vir Dialogum in ſeptem capita diſtributum ſub nomine *Rationalis Aſtræ Raymundiſtam & Alchimiſtam ad dialogeticum convocantis Luctamen, ut juxta allegata ac utrinque probata exactiori lance trutinans ineluctabilem ferat criſin:* hoc MStum cum aliquot aliis MStis Lullianis à præfato optimo Patre ad me Majoricā Moguntiam directum eſt, adeòque quòd ſciam, nondum typis editum; cujus Objectionibus & Argumentis in ſummam, quantum potero, contractis, dum ſatisfacere neceſſitor, conabor, ût vulgo dicitur, unā fidelià dealbare plures parietes, h. e.

ſimul etiam reſpondere iis, quæ ab aliis Authoribus Muto, Waddingo, Cuſturerio & Sollerio contra idem propoſitum obmota ſunt.

Sic itaque orditur ſuam Aſtræam prælaudatus R. P. Barcelo: *Sol coruſcum lucis ethereæ jubar radiorum ſpicula eſto ſpargat in terras, nubium tamen amicitur involucris denſo glomeratis pulvere: aſt lucidus ejus nitor inter ſibi obvia integer, & quamquam aliquid interjaceat, quod nos auricomæ lucis prohibeat aſpectu, in opere eſt, ac curſu ſuo fertur &c.*: quamprimùm has paucas lineolas initiales libelli legendo aliquoties repetii, ut excuſſo denſo pulvere nubium rhetoricarum vel poëticarum, quibus velut involucris ſenſum ſuæ mentis obvelare potiùs, quàm revelare videbatur P. Barcelo, poſſem percipere, quid vellet: recepto demum anhelitu interrupto ſolvi vocem in hæc verba: Bone DEUS, qualis eſt iſta maneries loquendi Lulliana! quis unquam in omnibus Libris noſtri barbati Doctoris unum dictamen adeò cincinnatum (cum bona venia) offendit? totam intentionem hujus prætiunculæ Authoris in hac periodo ſitam animadverti, *Scientiam B. Raymundi, quam ſoli comparat, non extingui, licèt nubibus Alchimiſtarum obfuſcetur*: nunc ad rem ipſam.

Impoſuerat R. P. Barcelo in ſuo Dialogo ſibi nomen Raymundiſtæ, ſuo Adverſario verò nomen Chimiſtæ: unde melioris diſtinctionis gratiâ cum ipſo agam ſub eodem titulo Raymundiſtæ, abbreviando tamen ipſum nomen, & Chimiſtæ confiƈto ſubſtituam me ipſum Lulliſtam, ut inter decertantes ſit paritas.

Materiam hujus Capitis dividam in *duas Partes*, quarum *prima* ventilabit Argumenta Raymundiſtæ à conjecturis petita: *ſecunda* reſolvet objeƈtiones ab Authoritate & Sententiis ex Libris ipſius Illuminati Doctoris deſumptas. *Primam* Partem ſubdivido in *duas* Sectiones: *prima* tangit Authorem, h. e. ipſum B. Raymundum: *Secunda* Libros Authoris. Sit igitur.

PARS I. SECTIO I.

Objeƈtio 1. Cap. 1. n. 1. & 2. conatur Raymundiſta probare, quòd Illuminatus Doctor nullam ſcientiam ab homine didicerit, & allegat textum ex Lib. de Exper. real. Artis gen. quem ſuprà in Authoribus ſecundæ Claſſis contra R. P. Kircherum citavimus; urget autem illa verba textûs: *quas quidem quæſtiones & ſcientias alias non audivit*: ſed decipitur in vocula *alias*, non enim adjeƈtivè, ſed adverbialiter hìc ſumitur, ût ex ſenſu integrè ſumpto elucefcit: unde deberet ſcribi cum accentu *aliàs*, ſicut ſupradiƈto loco poſuimus. Sed demus, eſſe adjectivum, quid inde infertur? hoc tantùm, quòd Illuminatus Doctor promittit, ſolutionem ſe daturum de quæſtionibus ſibi propoſitis ex aliis ſcientiis, quas nunquam audivit; ergò nullas omninò audivit? nulla eſt ſequela, cùm ſit à particulari ad univerſale. Quæ in confirmationem ſuæ opinionis n. 3. citat ex Libro de Fine, ſcilicet, quòd centum Libros fecerit auxilio DEI & Arte generali fretus, & n. 4. quòd aſpiraverit Diſcipulatum Chriſti, nil faciunt ad rem, quia ambo ſtare poſſunt cum Doctrina humana, & ambo clarè explicantur per textum ex Lib. de Princ. & Grad. Med. ſuprà adduƈtum, ubi allegat antiquos Medicos, & ex Lib. de Lev. & Pond. Elem. ubi Doctor Illuminatus docet, ad perfeƈtionem ſcientiæ requiri, ut ſcientia infuſa & acquiſita conſtituant unum habitum; contra quas ſententias claras conjecturis nihil evincitur.

Quòd autem eodem cap. 1. n. 22. ab ipſis inimicis, nempe Libris Chimicis tela ſumit, hanc ſcientiam non haberi ab homine, cùm ſit gratia gratis data, etiam nihil probat; quaſi verò nulla gratia gratis data poſſet dari mediatè: & ideo textus ex præf. Teſt. Raymundi: *Tibi Fili doƈtrinæ clarificare intendimus donum nobis datum*, non patrocinatur Ræ., debuiſſet pedes altiùs immergere huic alveo, h. e. inſpicere cap. 14. p. 3. Teſt. ubi Illuminatus Doctor ſic ait: *Multi vadunt per mundum, qui ſciunt aliquas res bonas, fortia & placentia delecƈabilia; unde ſi tales inveneris, videas, ſi aliquid poteris extrahere ab eis utile, & facias eis bonum vultum, meliorem, quàm unus Rex fecit nobis, dando eis de tuo ſecundùm bonam rationem* (quomodo placet tibi hæc latinitas Ra.? dices haud dubiè, quòd ſol coruſcus Ciceronis inter nubes furnellorum Chimicorum denſo glomeratas pulvere non poſſit ſpargere ſua ſpicula) *& habeas cum illis ſolicitationem, quia, licèt ab eis nihil poſſes trahere, niſi modicum praƈticæ, illa tibi ſufficiet cum noſtro Teſtamento; ſemper tamen cuilibet dicimus, quòd caveat à demonſtratione praƈticæ; quia ſi erraverit in hac demonſtratione, fatuè inveniet ſe per ſuum deliƈtum: ſed tu, qui nos intellexiſti, verbo debes petere illam, ſi ipſe vult eam tibi dare: unde nos conſulimus, quòd, ſi vult oſtendere, ſinè auro & argento velit annuntiare: attamen reſpiciat, quid faciat; quia ſi nimis publicat, malâ morte morietur, nec evadet, quia DEI eſt dare, qui creavit naturam, & non alterius; ideo accipe pro gratia totum hoc, quod DEO placet: unde ſi DEUS tibi dedit aliquo modo, teneas ſecretè, quòd mundus nihil ſciat &c.: quare ſi tibi non dat, ex hoc non traƈtes ipſum malè, à quo tu petis; quia ipſe facit hoc, quod debet, quando reſpicit finem ſui defeƈtûs.* Hæc Illuminatus Doctor, oſtendens hoc bono aviſamento, quòd Alchimia poſſit eſſe gratia gratis data, & tamen dari ab homine gratiâ DEI ad hoc ordinato: non ergò abſolutè vult Magiſter noſter prohibere, ne hæc Ars ab ullo homine reveletur (ſi enim hoc voluiſſet, neque ſcripto debuiſſet tradere) ſed tantùm indignis, & ut dignis cum moderatione.

Objeƈtio 2. Cap. 1. n. 10. & ſeqq. invehitur Ra. in Alchimiſtam, & inculpat ipſum, quòd *pudoris repagula perfregerit*, quia Arnaldum fecerit Doƈtorem & Profeſſorem B. Raymundi, cùm Arnaldus ſit natus circa annum Chriſti 1300. adeóque impubes reſpeƈtu Lulli; vult ipſum inſuper fuiſſe natione Gallum natum in Provincia Narbonenſi in Oppido de Villanova: Authores ſuæ conjecturæ producit Symphorianum Campegium & Laurentium Bejerling in Th. tom. 5. p. 552. lit. C.; ſed Ra. magno infortunio incidit in hos duos Authores; quod enim Campegium attinet, legi ejus præfationem in tertiam & recentiorem editionem Arnaldi, in qua negat ac pernegat, Arnaldum fuiſſe Alchimiſtam; cujus contrarium in Libro ipſo, in quem commentatus eſt, multoties potuiſſet videre, ût patet vel ex unico textu, quem ſuprà citavimus Capitulo de Generatione Lactis & Spermatis: debachatur hic Campegius non ſolùm in Alchimiam, ſed in Principes Alchimiſtarum, præſertim Gebrum, quem putidiſſimum lurconem non veretur appellare, tantâ rabie & ſinè omni ratione, ut canis non homo prudens, poſſet æſtimari; qui enim libros hujus excellentiſſimi Philoſophi ſinè paſſione percurrerit, nil niſi de DEO glorioſum, de ſcientia egregium ac maximè ſublimè in Gebro conſpiciet: unde à Doƈtoribus Artis omni jure Magiſter Magiſtrorum ſalutatur.

Si igitur hic Campegius Domeſtica Arnaldi ignoravit, quid cenſendum eſt, ipſum ſciviſſe de forinſecis: idem judicium eſto de Bejerling hiſtorico de Arnaldo parùm informato. Quare non conſuluit Ra. proprios libros Arnaldi? facilè enim conſpicere potuiſſet ſuum errorem: unde in hoc paſſu R. P. Cuſturerius aliàs Conſodalis ipſius R. P. Barcelo in impugnandis Alchimiſtis diſſentit & recedit ab illo, facitque Arnaldum ſeniorem Lullo, taliter, ut non potuerit eſſe Magiſter illius; & ſic conveniunt ambo ſub ſchino & prino: nam conſtat ex antiquiſſimo Exemplari Arnaldi, quod penes me habeo editum Anno 1509. Lugduni, quòd Arnaldus vixerit tempore Pontificum Cœleſtini V. Bonifacii VIII. Clementis V. item tempore Roberti Regis Siciliæ, ût conſtat ex Prologo ipſius de Conſiderationibus Operis Medicinæ, item Lib. de Conſer. Juv.; & cùm fuerit Medicus præfati Clementis, ût patet ex ipſius Praƈtica Summaria, non potuit profeƈtò eſſe impubes Anno 15. poſt trecenteſimum, quando B. Raymundus fingitur vitam hanc mortalem exuiſſe: videatur inſuper Traƈtatus contra calculum & prol. Breviarii. Quòd autem Arnaldus fuerit natione Catalanus, & non Gallus, mihi ſuadet aſſertio librorum antiquiſſimorum chimicorum, quos Raymundo Lulliſtæ attribuunt, & probabile faciunt libri ad Reges Aragonum ſcripti; ût Lib. de Regimine Sanitatis, & Lib. Flos Florum &c. Lubet addere in gratiam hujus celeberrimi Viri præcellens Teſtimonium celeberrimi quoque Juriſconſulti coævi ipſius Arnaldi, Joannis Andreæ, qui in tit. de Crim. falſi atteſtatur, Arnaldum feciſſe laminas aureas, quæ auro ex Arrugia quæſito aurifodinisque extraƈto bonitate non cederent; quem mirabilem effeƈtum ab Andrea omni laude deprædicatum non erubeſcit Ra. auxilio dæmonis affingere; more ſcilicet uſitato illorum, qui omne, quod eorum intellectum ſuperat, à diabolo petendum arbitrantur, non cernentes, ſuperbiam & nigram ignorantiam magis convenire cum nigromantia, quàm humilitatem & ſcientiam.

Objeƈtio 3. obj. Ra. *Primò.* Quia eſſet contra ſtriƈtiſſimam paupertatem, quam profeſſus eſt Raymundus. cap. 2. n. 29. cap. 5. n. 16. *Secundò.* Et requirit divitias, quas non habuit: diƈto cap. 2. n. 29. *Tertiò.* Quia eſſet contra Sanƈtitatem. cap. 1. n. 21. *Quartò.* Quia poſt aurum non abiit. cap. 3. n. 5. *Quintò.* Potuiſſet omnia auro efficere, ſcilicet terram ſanƈtam recuperare, hoſtes domare, conſtruere Monaſteria, non eguiſſet ſolicitatione decimarum &c. cap. 3. n. 43. 44. *Sexto.* Quia debuiſſet ſe ipſum curare, ac ſenium ſuum excutere. cap. 4. n. 10. *Septimò.* Quia debuiſſet Artem revelare, & non abſcondere. cap. 3. n. 15. cap. 4. n. 13. *Oƈtavò.* Et quidem Filio ſuo. cap. 3. n. 20. cap. 4. n. 15. *Nonò.* Debuiſſet Balearibus relinquere, quia Filiis Doƈtrinæ. cap. 3. n. 27. *Decimò.* Injuriam feciſſet Regibus Aragoniæ communicando Regibus Angliæ. cap. 3. n. 43. *Undecimò.* Quia teſte Eymerico Alchimia infamat. cap. 1. n. 21. Studio collegi has minutias in unam objeƈtionem, quia revera vix refutatione dignæ ſunt, & à quovis in Cauſa & Arte Lulliana vel modicè informato dilui poſſunt.

Ad Primum reſpondeo, id non eſſe contra ſtriƈtiſſimam paupertatem, quod non eſt contra perfeƈtiſſimam paupertatem, in Capite autem ſecundo demonſtravi, Alchimiam veram non eſſe contrariam paupertati, ſed potiùs eam perficere; de falſa per ſe admittunt adverſarii: dein, quid ſi negarem (quod abſit) B. Raymundum fuiſſe ſtriƈtiſſimè pauperem? haberem forſan rationes, quas Ra. non poſſet infringere: ſcribit Illuminatus Doƈtor in Libro del Deſconſuelo n. 14. *Fui cinco vezes à la Corte Romana à mis coſtas, y tam bien anduve à tres Capitulos generales de Predicadores, y aun à otros tres Capitulos de Menores*: h. e. fui quinquies in Curia Romana meis ſumptibus, adii tribus vicibus Capitula generalia Prædicatorum & totidem Minorum. Et n. 18. *En eſte negotio he ſiempre gaſtado de mis dineros con tanta Largueza, que por eſto mis Hyos quedan pobres*: h. e. in hoc negotio ſemper inſumpſi meos denarios tantâ largitate, ut propter hoc mei Filii remaneant pauperes. Quæro, quomodo, qui ſtriƈtiſſimè pauper eſt, poteſt proprios ſumptus allegare? hoc dico, non ad inhonorandum meum Illuminatum Magiſtrum, de quo certum teneo ex argumento Capite 2. poſito, ipſum fuiſſe pauperrimum; ſed ad vexandum Ram.; quia vexatio dat intellectum.

Ad Secundum. Verum eſt, Alchimiæ ſtudium & experientiam petere divitias, non tamen tales ac tantas, quæ ſemper lædant paupertatem: divitiarum enim nomine nil aliud hic ſubauditur, quàm media neceſſaria ad conſequendum finem hujus Artis & Scientiæ; quæ volunt innuere congruam ſuſtentationem & inſtrumenta ac materialia requiſita, quæ teſte Gebro vili pretio comparantur, ſi Artis principia non ignoraveris: Joannes de Rupeſciſſa de ſacra Familia D. Franciſci potuit ſinè læſione paupertatis hoc Magiſterium complere, quidni & Raymundus noſter?

Ad Tertium. Unde tantum abeſt, quòd hæc Ars Sanƈtitati adverſetur, ut potiùs eam promoveat, cùm augeat Scientiam, & illam certificet: quis verò dicat, ignorantiam convenire magis cum Sanƈtitate, quàm ſcientiam, cùm DEUS ſit ipſa Sapientia & Sanƈtitas?

Ad Quartum. Aliud eſt poſt aurum abire, aliud poſt ſcientiam; qui Alchimiam adit amore divitiarum, malum finem habet, qui amore Scientiæ, bonum; hoc ultimum de B. Magiſtro aſſerimus, probetur contrarium.

Ad Quintum. Poſſe omnia auro efficere, eſt idem dicere, ac poſſe omnes gladio interimere; ſed ſicut eſt impoſſibile, unum hominem privatum gladio poſſe enecare omnes homines, ſic eſt impoſſibile, unum hominem privatum quantocunque auro omnia poſſe perficere; ût ad ſenſum patet: quid enim? congregabit exercitus? conſiliet impunè, vel permeabit Regum ac Principum ditiones? colliget annonas & requiſita belli? occupabit munitiones, terras, imperia? nullo modo. At (inquies) poteſt ſuas divitias offerre Regibus Chriſtianis idem facturis? at (ajo) poteſtnè illos compellere, ut promiſſa compleant? poteſtnè ſe eximere infortunio ſervitutis? ſi non aliud majus malum eſſet pertimeſcendum: quid B. Raymundo contigerit cum Eduardo, enarrat ipſemet in Libro magnorum 24. Experimentorum, & poſt ipſum eximius ejus Diſcipulus Chriſtophorus Pariſienſis

riſiensis In *Lucidario ſuo par. 6. cap. 1. & 2.* cujus reſponſum jam ante ducentum annos ad hanc objectionem datum, optarem, ut Ra. & Mutus legiſſent, & labra obturaſſent. Cæterùm negamus, quod in Actis Raymundi fol. 27. n. 138. nobis objicit Mutus, Raymundum adinſtar mendiculi pecuniam corrogaſſe; nam Matronæ Genuenſes illam ultrò obtulerant: ſed demus, ergò non potuit aurum facere? nulla ſequela; ſed vel non potuiſſe, vel non voluiſſe, benè concluditur: quòd ſapienter noluerit, probat mea & Chriſtophori Pariſienſis ſolutio omnino videnda, quibus integrè ſolvitur objectio Muti, ipſi viſa inſolubilis. Sequentia, quæ addit de auro dando ab Alchimiſtis ad recipiendum aurum, non ſapiunt Rationem, ſed calumniandi libidinem, & ad rem nil faciunt.

Ad Sextum. Quis negat, B. Raymundum ſuâ Medicinâ & ſe ipſum & alios potuiſſe curare, & actu curaſſe, niſi illi, qui abnegant ipſi perfectionem hujus Scientiæ? oſtendant, quis ipſum ſervaverit in tanto vigore corporis & ingenii, ut, poſtquam jam fermè compleſſet ætatem 80. annorum, potuerit excurrere pedes ad Concilia, ratiocinari, alacriter diſputare cum Petro Phantaſtico, perluſtrare regiones, eludere toxica ipſi propinata in Cypro, & ſimilia plura? hæc vix aut omninò non promittit vel admittit ſolius naturæ curſus.

Ad Septimum. Debuiſſet Artem revelare, & non occultare, illamque facere omnibus & lippis notam & tonſoribus eſſe, debuiſſet margaritas projicere ante porcos: aliud ergò eſt Artem omnes celare, aliud indignos; ultimum fecit B. Doctor juſtiſſimo titulo, legant ipſius Antiquum Teſtamentum, & plures ac ſufficientes ſolutiones hujus objectionis in illo reperient.

Ad Octavum. Debuiſſet præ omnibus illam Filio ſuo nativo & hæredi Teſtamento relinquere: quomodo? ſcriptis, an vivâ voce? ſi ſcriptis, aut claris, aut obſcuris? ſi claris, quomodo potuiſſet illum diſtinguere ab exteris non hæredibus? nonne & ipſi hæc ſcripta intellexiſſent? at Filius non debuiſſet illa monſtrare; hem pulchram cautelam, quam Pater maturus non obſervaſſet, Filius immaturus debuiſſet obſervare: ſi obſcuris? quis illa Filio denodaſſet? ſi autem vivâ voce, duo illi agenda fuiſſent, & Filium impuberem maturare, & illum in ſemita pietatis adeò conſolidare, ne tanto theſauro abuteretur inconſtantiâ juvenili abreptus; quod utrumque non fuit in poteſtate Raymundi, multò minùs Ræ. Præterea Ra. videtur neſcire, quòd in hac Arte non ii Filii computentur, qui Filii carnis, ſed qui Spiritûs & laboris; unde debuiſſet legere Theoricæ Teſt. caput 33. MSti. vel 29. impreſſ. Colon. ubi ſic loquitur Illuminatus Doctor. *Fili, omnes Philoſophi hujus Artis loquuntur vocibus tactis & multùm notabilibus, adhoc, ut principalis res contenta in illis non poſſit dari niſi Philoſophis & Filiis noſtræ Philoſophiæ, qui ſunt inveſtigatores veritatis & amatores illius, & non Sophiſtis plenis mendaciis & mundanis, nec amicis mundi &c., qui nolunt laborare, niſi in rebus palpabilibus; & ideo ipſi imbuti & coinquinati in rebus mundanis non poſſunt aperire ſuum intellectum ad intelligendum bonas doctrinas, cum quibus poſſent habere theſaurum perpetuum ſalvationis: propter hoc Fili tibi dicimus, quòd velis diſcernere ſapienter ſectationes, quas dedimus in noſtro libro, & illas notare cum multis reiterationibus, conſiderationibus & ſpeculationibus, ſi nos velis intelligere; & cùm nos intelexeris, capias illud duabus manibus coopertum pallio Philoſophiæ, dimittendo illam* (Artem) *tuis Filiis, ſicut noſtri Patres Philoſophi dimiſerunt nobis, & non aliter; quia maledictus eris, & eſſes ſicut participans in confuſione mundi; quare non reveles vivâ voce; quia ſine conſideratione illius Ars non debet oſtendi nec poſſideri ab aliquo actualiter, niſi cum coopertura Philoſophiæ illorum, qui cum intellectu elevato direxerunt ſua inſtrumenta ad penetrandum res ſecretas naturæ: & tu Fili mi, qui cupis ſtudere & nutriri in Philoſophia, debes perſcrutari cum revelatione tui nobilis Intellectûs hoc, quod nos dicimus eſſe verum in noſtro Magiſterio.* En Ra. quales Filios velit Raymundus hæredes ſuorum bonorum.

Ad quid ergò Filio ſuo ſuadet addiſcere Artem Mechanicam? (dicit Ra. allegans Librum Doctrinæ puerilis) reſpondeo, hunc librum non Filio ſuo tantùm ſcriptum, ſed omni juventuti; malum placitum haberet nobilis Filius ſuo Parenti, ſi ipſi conſuleret artem ſutoriam vel ſartoriam addiſcere: an tu Ra. optares Filios Raymundi ſartores, qui modò voluiſti eos aurifices?

Ad Nonum. Quòd verò vos Baleares tanquam primogenitos illius Filios cæteris præferendos putatis, hanc præcedentiam & prærogativam vobis omni humanitate concedimus; imò rogamus, ut adeatis hæreditatem ſive teſtamento ſive ab inteſtato vobis competentem: ſed quid ſi illam reſpuatis? quid ſi odio & perſecutione veſtrâ vosmet ipſos excluditis, & illâ indignos redditis? an vobis nos exteri injuriam irrogamus, arripiendo illius poſſeſſionem pro derelicta habitam? nolo, hoc intelligi de omnibus Balearibus, quaſi credam, neminem Virorum ſapientum in illo omnium Scientiarum ac Bonorum florentiſſimo Regno inveniri, qui tam nobili Scientiæ ſit addictus; ſed de iis tantùm, qui Raymundiſtæ noſtri ſententiam tenent. Adeſte igitur, imponite Perſpicilia hæc Lulliana, inſpicite Teſtamentum & Codicillum tamdiu, donec vos in illis legitimos Filios nominatos legeritis, & laudabimus pariter & unà Parentem noſtrum.

Ad Decimum. Quod injuriam Regibus Aragoniæ illatam concernit, malè huic objectioni providit Ra., ſi ea, quæ cap. 4. ſuæ Aſtrææ n. 7. 8. 9. contra Reges ex Raymundi Libro de Contemplatione citat, huc applicemus; dicamus potiùs, tum temporis Regem Angliæ B. Raymundo viſum eſſe Expeditioni in Orientem faciendæ magis inclinatum, & Claſſe navali magis inſtructum, quàm alios Reges; quis enim omnes circumſtantias illius temporis conjecturis ſuis penetrabit?

Inſtabis cum PP. Cuſturerio, Sollerio, nunquàm fuiſſe B. Raymundum in Anglia. Reſpondeo, illum ibi fuiſſe ſemper hactenus creditum à veris Diſcipulis Lulli; quam credulitatem ipſis fecerunt Libri Chimici hoc affirmantes, & aliæ conjecturæ ex libris indubiis petitæ conjecturis Cuſturerii & Sollerii non inferiores, vel (ſi fas eſt dicere) fortiores: quis docuit Raymundum contemplari & deſcribere tam exactè fluxum & refluxum Maris Anglici, ſi nunquam fuit in Anglia? *vide Quæſt. in Art. Inv. & Dem.* q. 153. manemus igitur in quieta poſſeſſione, donec Adverſarii nos illâ exturbent aut jure aut vi demonſtrationum oppoſitarum. Neque nos angit objectio P. Sollerii Authore recentiori fidem facere volentis, in Anglia tempore Raymundi monetam auream nondum cuſam: quis enim credat, Regnum mineris & fodinis metallorum adeò fertile, Dominio quoque in exteras nationes latè porrecto indiguiſſe ſimul commercio, ſciviſſe uſum argenti ſignati, & neſciviſſe illum auri?

Sed conjecturam eſſe dicet Sollerius, quod profero: reſpondeo & ſuam talem eſſe; nam nudâ affirmatione & negatione litigantium nil utrinque probatur: ſuadet tamen antiquitatem monetæ aureæ decantata illa Roſa nobilis aurea ſub Eduardo ejusque effigie & inſcriptione fabricata, cujus duas à Sereniſſimo Piiſſimæ Memoriæ Electore Palatino Clementiſſimo Domino meo dono acceptas adhuc diligenter aſſervo; characteris vetuſtas & ipſa inſcriptio prodit hoc, quod Raymundus noſter in prælegato libro ſuo clariùs indicat: dolendum, quòd in nulla exprimatur curſus annuus illius temporis; ex qua ipſa veterum incuria eruitur impoſſibilitas ſtatuendi vel decernendi quidquam certum per Hiſtoricos recentiores: unde ſi P. Sollerius cum P. Cuſturerio nobis litem intentare cupit vel de dicta Moneta, vel de Eduardo, tenetur priùs ſe ipſum legitimare, certò demonſtrando, quot fuerint Eduardi in Anglia, quo tempore ſinguli Sedem Regiam conſcenderint, quo depoſuerint, non vacillando, modò Eduardum unum eundemque vocare tertium, modò ſextum aut quintum; nec ipſum juvabit Polidorus Virgilius Hiſtoricus jam multùm elongatus ab illis temporibus, nec nos dejiciet argumentis in Olaum Borichium aut ſimiles Authores ſimilibus conjecturis nitentes verſis; quidquid enim hi Authores de præfatis Eduardis ſenſerint (idipſum intelligendum de Richardo, Ruperto, Carolo, circa quos multùm aberrat Cuſturerius) non aliunde hauſerunt, quàm à quibusdam Librorum Chimicorum vitiatis inſcriptionibus, non per ipſum B. Raymundum, ſed poſteros ignorantes præfixis; ad quod reflectere debuiſſent hi Viri: unde ridiculum mihi viſum eſt argumentum R. P. Barcelo fundatum in quadam tali inſcriptione (*Liber Raymundi Lulli Doctiſſimi & Celeberrimi Philoſophi*) quis enim adeò ſimplex eſt, qui neſciat, hujusmodi titulos non ab ipſis librorum Auctoribus præmitti, ſed Amatoribus poſteris? hinc fateor, *Libro Demonſtrationum* ſecundi Tomi à me additum vocabulum *Mirandarum*, nam ſunt tales.

Ad Undecimum. Miror, Ram. adeò inopem fuiſſe, ut ipſum penuria objectionum adegerit copias auxiliares emendicare ab infenſiſſimo hoſte B. Doctoris noſtri; ſi enim judicium Eymerici tantum valet P. Barcelo infamiam affigentis Alchimiæ, etiam valere deberet infamantis omnes alios Libros Raymundi; quod DEUS avertat: unde recta ratio nos docet non malevolorum inſiſtere dicteriis, ſed Prudentum rectis & ſanis rationibus.

PARS I. SECTIO II.

AB Authore Librorum Chimicorum defenſo nos dirigit ordo tendere ad defendenda Opera Authoris, ſcilicet Libros Chimicos, contra quos inſurgit cum Ra. fortior inter cæteros R. P. Cuſturerius, facitque potiſſimam vim ſuorum argumentorum in tuendo termino vitæ B. Raymundi ſecundùm Documenta Majoricana in Annum 15. poſt milleſimum trecenteſimum incidente; quæ Documenta in dubium vocare nefas putat; libuit ergò ſingulari diligentiâ & perſpiciliis inſpicere præfata Documenta in Diſſertationibus laudati P. Cuſturerii, & Actis P. Sollerii, ut, quanti momenti eſſent, experirer: Diſſert. 1. cap. 3. §. 5. n. marg. 23. adducit *Translatum fideliter ſumptum à quodam libro Determinationum & Memoriarum recondito in ſcrinio Sacriſtiæ Eccleſiæ Monaſterii Fratrum Minorum Ord. S. Franciſci Civitatis Majoricarum*, quod ſic incipit: *Tranſumpt, lo qual es eſtat trobat en part imperfet, ò faltat per molta velleſa tant per arnes, com encare per eſtar las letras molt orbades*, ût ſequitur. In hoc Tranſumpto aſſeritur, Illuminatum Magiſtrum Raymundum Lullum in fine anni decimi quarti poſt MDDD. transfretaſſe Bugiam, & Anno 15. Bugiæ lapidatum obiiſſe in navi die 29. Junii in Feſto SS. Petri & Pauli; translatum hujus tranſumpti factum eſt Anno 1580. 9. Decemb. Cæterùm cùm non conſtet, quo tempore, & à quo dictus Liber Determinationum & Memoriarum ſit formatus, aut illi inſcriptum præfatum tranſumptum, licèt ſit antiquum, nil certi inde ſtatuitur.

Eodem cap. 3. §. 8. n. 30. allegat Memoriam exhibitam in Proceſſu Anno 1612. extractam ex Archivo Civitatis Majoricarum, quæ ſic incipit: *Memoria: Diſapte, ques contave 29. de Junii 1448.* in qua Memoria refertur honorifica Translatio Corporis B. Raymundi adhuc integri reperti in Sacello novo PP. Min. S. Franciſci, non obſtante, quòd 133. Anni effluxerint, à quo Vitam finierit; aſſeriturque, hanc eſſe publicam vocem & famam populi. Ibid. §. 6. habetur Epitaphium ſequens: *Raymundus Lulli, cujus pia dogmata nulli ſunt odioſa Viro, jacet hic in marmore miro, hic MCCCC. cum P. cæpit ſinè ſenſibus eſſe.* quod à Franciſco Ximeno Can. circa Annum 1438. vel poſt lapidi ſepulchrali B. Martyris inſcriptum teſtatur Diſſert. 2. cap. 6. n. 82. cujus literas MCCC. ſæculum decimum tertium, & literam P. annum decimum quintum innuere volunt PP. Cuſturerius & Sollerius cum aliis. Supponamus omnia iſta, è quibus non plus eruitur, quàm non inefficax conjectura & rationabilis præſumptio, B. Martyrem tempore aſſignato obiiſſe, non tamen ulla certitudo; cùm centum & plurium annorum interruptio ſit ſufficiens ad transformanda certa in dubia; proin non abſque temeritate contrarium ſtatui, niſi fortior obſit ratio & proba luculentior, quam nunc confido ſubminiſtrare.

Suppono primò tanquam certum & innegabile, ſequentes quinque Libros eſſe abſque controverſia B. Raymundi, ſcilicet *Librum magnum de Contemplatione* tribus Voluminibus quinque Libris & 4o. Diſtinctionibus conſtantem, *Librum Principiorum Philoſophiæ*, *Librum Principiorum Medicinæ*, *Librum Arboris Scientiarum*, *Librum Quæſtionum ſuper Artem Inv. & Dem.* Selegi hos præ cæteris, quos poſſem citare; quia ipſi Adverſarii iis uſi ſunt ad nos impugnandos; quod non feciſſent, niſi eos indubios agnoviſſent, & quia illis velut quinque limpidiſſimis Lapidibus è flumine Scientiæ Llullianæ collectis fundam noſtram armabimus, quâ in ſequenti Parte proſternere ſperamus inſuperabilem (ût putabant) machinam in Alchimiſtarum phalanges converſam.

Suppono ſecundò, in his præcitatis Libris D. Magiſtrum noſtrum non tantùm Alchimiam non impugnaſſe (prout Adverſarii noſtri extra dubium ponebant) ſed ex profeſſo docuiſſe, demonſtraſſe, & praxin illius explanaſſe; quam ſuppoſitionem partim

in præcedentibus probavi, sed potissimè in sequenti Parte secunda adeò claris argumentis deducam, ut Antagonistæ manibus illam palpare queant, si oculos nolint in testes vocare.

Suppono tertiò, in tertio Capite probatum, Librum de Quinta Essentia, Theoricam & Practicam Testamenti, Codicillum &c. ob rationes allatas à nemine potuisse confingi, etiamsi voluisset, ob sublimitatem & conformitatem Doctrinæ in illis contentæ; quam suppositionem tamdiu illæsam servabimus, donec Adversarii non per suas conjecturas, sed per argumenta ab intrinseco horum librorum desumpta illam diruant; quod sequenti decennio non fiet: his tribus suppositis sartis tectisque aut admittere tenentur opponentes nostri, B. Raymundum non Anno decimo quinto Vitâ functum, aut præfatos Libros Chimicos ante nominatum hunc annum compositos; quidquid statuerint, meâ parùm refert; nam extra teli jactum sumus, & absolvimur à censura, quâ nos impetunt Mutus, Waddingus, Riera, Custurerius & Sollerius, hocque unico lapide evertimus omne, quod à laudato P. Barcelo in sua Astræa contra hos Libros per plures numeros & capita est erectum: unde inutile & superfluum judico impugnare ea, quæ nimiâ animositate in Chimicos & certâ ideâ victoriæ de his Libris partim in suis Literis, partim in suo conatu conatus est nobis obtrudere P. Custurerius: asservabo quædam in gratiam Adversariorum, nondum enim res ad triarios rediit.

Unum hìc reticere nequeo terribile argumentum P. Custurerii contra Libros Alchimicos in Literis ad P. Sollerium 1712. 10. Oct. datis contentum: nempe Librum de Quinta Essentia citare Librum Compendii Animæ, & hunc illum; *hæc autem mutua citatio horum librorum supponit, utrumque librum alium tempore præcessisse, quo quid absurdius?* (sunt verba Custurerii) sed quid si simile dare possem ex libris indubiis Raymundi? applicent perspicilia: in Arte Compendiosa quæst 53. citatur Liber Contemplationis, & ne detur facultas ambigendi, cùm sint duo Libri Contemplationis, signatur ejus Dist. 11. cap. 46. ergò scriptus est Liber Contemplationis ante Artem Compendiosam: in Libro Contemplationis verò Dist. 40. cap. 367. citatur Liber Gentilis; & ne errori sit locus, additur alia denominatio Dist. 5. cap. 11. per quam noscimus, esse illum Librum Gentilis, qui habetur Tomo 2. sequenti: ergò Liber Gentilis tempore præcedit Librum Contemplationis, & per consequens Librum Artis Compendiosæ; in Libro verò Gentilis circa finem citatur Ars Compendiosa ipsissima, quæ suprà; ergò præcedit illam & succedit illi tempore: solvant mihi hunc nodum, & ego solvam alterum.

PARS II.

JAm in planitiem educemus hostiles copias, ubi non ampliùs eminùs, sed cominùs congredi licebit, volo dicere, non conjecturis, sed argumentis ab Authoritate & Rationibus Librorum ipsius Illuminati Doctoris petitis dimicare.

Supponunt igitur prælaudati Authores tanquam infallibile & innegabile, Illuminatum Doctorem in libris supradictis & aliis infrà nominandis Alchimiam impugnasse, ejus possibilitatem & existentiam pernegasse, multò minùs ipsum periclitatione chimicâ quidquam explorasse: hoc ipsum objecerat Raymundo Monaldus Abbas in Dialogo Dist. 3. de Quinta Essentia annexo, ubi, postquam Raymundus possibilitatem Alchimiæ affirmasset, Monachus respondet: *Possibile est, quod dicis; sed quia dicimus, quòd tua Ars asserit contrarium, ut patet per Felicem, & per Librum Entis realis & rationis, & per Artem Magnam, & per Arborem Scientiæ, & per cætera alia Volumina, in quibus asseruisti contrarium hujus, quod hic dixisti, tu bene scis, o Raymunde, quòd ille, qui contrariatur suæ Arti, non debet de sua Arte canonizare:* ad quæ Raymundus: *si utique cognovisses principia naturalia, & elevares intellectum, scires, quòd tu in meis Libris & Artis meæ nil contrarium principiis hujus Artis invenire posses, & poteris videre in ambas Artes te existente sinè contrarietate principiorum.* Applicemus nunc perspicilia, quibus in tota hac parte indigebimus, ut cernamus, fictitius an verus hìc lateat Raymundus? & an verum asserat, scilicet nihil contineri in suis supradictis Libris huic Arti contrarium?

Ra. noster in sua Astræa provocat ad sequentes libros B. Raymundi contrarios Alchimiæ: nimirum *cap. 1. n. 5.* ad Librum de infinita & ordinata Potestate *Dist. 3. tit. de quæst. DEI ad extra, cap. 2. n. 3.* item *cap. 5. n. 3. & 11. q. 128.* ad Quæst. ejusq; *quæst. 185. cap. 3. n. 16. & cap. 5. n. 8.* ad Librum Proverbiorum *p. 2. cap. 97. de Metallis*: ad Librum de Principiis & Gradibus Medicinæ *Dist. 6. cap. 20.* eodem *cap. n. 40.* ad Arborem Scient. *& n. 41. cap. 5. n. 12.* ad Librum Felix. *cap. 5. n. 2. & n. 13.* ad Artem Generalem. *p. 9. cap. 8. c. 2. n. 8.* quòd fleant Alchimistæ: hos vel omnes vel aliquos citant etiam alii Adversarii nostri; unde satisfaciendo uni satisfactum erit omnibus. Examinemus nunc singula loca.

Quærit Illuminatus Doctor Libro de infinita & ord. Potest Dist. 3. n. 137. *Utrùm Alchimia sit Scientia?* & respondet, *quòd non, quia creatura non est:* rationem hujus dat, quare creatura non sit, *quia divinum posse de æternificare, virtuificare & verificare sit prædicatum.* Si quis superficialiter hunc textum intuetur, nec rationem subjectam ex Arte elicitam, nec alios textus aliorum librorum Lulli considerat, & cum hoc combinat, huic nil clarius erit, quàm Raymundum negare existentiam Alchimiæ.

Sed ut dem Adversariis meis mensuram confertam & coagitatam, fortificabo allatum textum alio textu, quo gaudebunt.

In Libro de Ente reali & Rationis Dist. 6. & ultima de quæst. per Dist. 3. *Utrùm Alchimia sit Scientia realis aut figmentum? respondendum est, quòd figmentum: & vade ad §. relat. metallorum.*

Utrùm sit possibile, quòd per Alchimiam naturales actiones & passiones Elementorum (forsan legendum metallorum) *mutentur in alias species? respondendum est, quòd non: & hoc patet per §. actionis & passionis metallorum.*

Per quem modum Alchimistæ habent habitum phantasticum? respondendum est per §. habitûs metallorum.

Utrùm Alchimista possit transmutare successionem temporis in metallis? respondendum, quod non: & hoc patet per §. temporis metallorum.

Utrùm Alchimista possit mutare proprium locum cujuslibet metalli? respondendum, quòd non: & hoc patet per §. loci metallorum.

Dist. verò 5. hujus Libri de Metallo per Prædicamenta tractans de genere, specie & individuo metallorum reali, cui ens rationis non est contrarium,

trarium, ait: *Contra quod ens rationis sunt Alchimistæ, qui credunt transmutare unam speciem in aliam; quod est impossibile.* Et infrà: *Agens naturale in aurum est disparatum ab agente naturali in argentum; quia ipsum agens agit formaliter in materia auri (& sic de argento suo modo) non quòd aurificans deducat in materiam argenti, nec è converso; quia ibi non est realis relatio, sed figmentum, sub quo Alchimistæ se ipsos decipiunt.* Et iterum ibid. *In essentia metalli sunt actiones & passiones naturales, quæ actiones & passiones perderentur, si Scientia Alchimistarum foret ens reale, & ens rationis.* Et iterum: *Natura sub habitu auri individuat aurum usque ad numerum individuatum (& hoc etiam facit per habitum argenti) & ad talem habitum concurrunt motus cœli & elementorum; qui motus est disparatus à motibus Alchimistarum, qui sub habitu argenti opinantur aurum facere, & sub habitu mercurii argentum; & hìc apparet, quomodo sunt fatui & bubulci.* Et iterum distinguens tempus naturale ab artificiali inquit: *Ha ha animal bubulcum, quare venisti, quòd cum motu artificiali credis transmutare motum naturalem temporis?* Et paulò post: *Metalla sunt in mineris, quæ sunt loca, in quibus generantur & deducuntur de potentia in actum; & tu bubulce credis generare aurum in argento extra minerам auri & argenti.* Quis unquam audivit talia horribilia de Alchimistis? sed nondum statim finis.

Et in Libro, qui est novus Modus demonstrandi: *Utrum Alchimia sit Scientia? Suppono, quòd sit magnum bonum, magnum verum, quòd Alchimia non sit Scientia, & quòd hoc intelligere & amare sit magnum bonũ, magnum verum; & si contraria suppositio est vera, necessariò sequitur, quòd Alchimista habeat ita magnum vigorem bonum & verum, sicut agens naturale naturaliter.*

In Libro Proverb. par. 2. cap. 97. ait: *Nullum metallum est in potentia in alio metallo.*

Et in Libro Quæstionum ad Thomam Attreb. q. 25. *Utrum aurum sit corruptibile, quia Alchimistæ dicunt, quòd non? Solutio: aurum est in potentia visiva Alchimistarum incorruptibile, cùm sua corruptio non videatur ab ipsis; & sic dicunt, quòd aurum non est corruptibile.*

Et in Libro de Regionibus Sanit. & Infirm. Dist. 2. de Gem. ait de mercurio: *Et ipse est deceptor Alchimistarum, quia mar supia evacuat, & tunicas laceratas induere ipsos facit, & operationes manuum annihilat.*

Et in Libro Arboris Scientiarum in Arb. Quæst. quæst. prov. fl. arb. cœl. *Ars Alchimiæ potest esse vera?* Solutio in Arb. Exempl. prov. fl. Arb. cœl. *Sol & venus mercurium increpaverunt, qui homines musare facit in argento vivo, quod in terra nascitur.*

Et in Libro Felix lib. 6. cap. 4. *Felix quæsivit à Philosopho, an Alchimia esset Ars, per quam homo posset facere transmutationem unius metalli in aliud:* & sibi ipsi respondet, dicens Philosopho: *Secundùm tua verba apparet, quòd tu dicas, quòd sit impossibile facere transmutationem unius elementi in aliud, neque unius metalli in aliud secundùm Artem Alchimiæ.*

Et in Libro de Principiis & Gradibus Medicinæ Dist. 6. cap. 20. fol. 31. *Illud autem, propter quod unum metallum in speciem alterius metalli converti non potest, est, quia naturaliter generatio metallorum fit per digestionem in corpore terræ &c.: illud verò, propter quod alicui metallo similitudo alterius metalli dari potest, est, sicut Pictor in materia ligni figuram hominis artificialiter potest generare; quæ figura cum tali materia disconvenit: per quam inconvententiam revelatur, quod forma, quam Alchimista extraneæ materiæ dat, brevi tempore in corruptionem perducitur.*

Et in Libro Quæstionum super Artem Inv. & Dem. q. 165. *Utrum Alchimia sit in re vel in ratione tantùm?* respondet n. 1. *Sicut natura habet ordinem in animalibus & plantis respectu principiorum, mediorum & finium, ita, quòd nullus Artifex potest unum animal in aliud, vel unam plantam in aliam transferre, similiter nec etiam Alchimista unam speciem metalli in aliam potest transmutare; cùm non possit tantum attingere, quantum potest forma de primis principiis usque ad secunda principia; & ideo patet, Alchimiam non esse in rei veritate, considerante atque optante Alchimistâ, quòd metalla multas habeant & habere possint proprietates, quas non habent, nec habere possunt, cùm non possint esse in perfectione specierum suarum, eò quòd Alchimista perfectionem auri vel argenti alteri metallo dare conatur privando illud à suâ specie.* Et n. 6. *Restat igitur, quòd Alchimia non est in rei veritate.* Et n. 8. *Præterea Alchimista plùs agit quoad materiam, quàm quoad formam; forma autem potentior est, quam materia: ergò.* Et n. 9. *Licèt Alchimistæ artificium aliquas proprietates in materiam ingesserit propter aliquem modicum motum naturalem, illa materia remotis illis proprietatibus ad suam propriam formam naturalem revertetur in subjecto naturali.*

Denique in Arte Generali ult. par. 9. de oct. subj. cap. 52. *Elementativa habet veras conditiones, ut una species non se transmutet in aliam speciem; & in isto passu Alchimistæ dolent, & habent occasiones flendi.*

Hucusque visi sumus militare stipendiis Adversariorum, nunc revertamur ad castra Chimicorum, ne nos transfugas & trufatores esse arbitrentur: inquiramus, an nullas omnino suppetias nobis conferat è suis suprà nominatis Libris Illuminatus Doctor, quibus protegamur à tantis insultibus.

Ex omnibus supradictis textibus duæ tantùm conclusiones videntur elici posse in favorem Adversariorum; scilicet non esse possibilem productionem vel transmutationem unius metalli in alterum per Artificium, & per consequens non dari Alchimiam: probando igitur contrarium ex iisdem textibus, & demonstrando, quòd per hos ipsos textus eorumque antecedentia & consequentia non solùm D. Author ostenderit, quòd per Artificium possibilis sit productio & transmutatio unius metalli in alterum, sed insuper demonstrarit, & fermè ad literam exposuerit *Modum Generationis, Corruptionis, Regenerationis, Transmutationis Metallorum & Præparationis eorum ad Medicinam*, repetamus hos textus, exponendo illos per propria verba Authoris; & quia corruptio metallorum artificialis est medium inter generationem & regenerationem, & est motus contrarius generationis, primò inspiciamus, quomodo Excellentissimus Philosophus Illuminatus Doctor noster nos doceat modum generationis, & postea modum corruptionis metallorum.

In Libro de Principiis & Gradibus Medicinæ Dist. 6. cap. 20. de Generatione & Corruptione Metallorum generationem metallorum sic describit: *Digestio & generatio metallorum fit in corpore terræ, vel intra terram secundùm dispositionem prædictorum motuum, habente qualibet specie metallo-*

rum ſuum proprium planetam: & quia hæc deſcriptio eſt nimis ſuccincta & obſcura, placuit optimo Magiſtro illam clariorem dare in Theor. Teſt. cap. 89. ſic dicendo: *Si natura individualis invenit aptum & habilem locum ſuæ generationis in forma metalli, vel iſte locus generationis eſt complexionatus ad naturam plumbi ſecundùm ſuum planetam vel Jovis, vel Martis, vel Veneris, vel Mercurii, vel Solis, vel Lunæ; ſi eſt complexionatus ad naturam plumbi propter debilem digeſtionem, transmutabit individuum in formam & ſpeciem plumbi crudi, lutoſi & immundi; & ſi eſt complexionatus ad naturam Martis vel Veneris vel Jovis vel aliorum, individuum convertetur in naturam loci, cum quo conjungetur per ſuam imperfectam digeſtionem: & ſi dictus locus generationis eſt magis complexionatus ad naturam Mercurii, erit magis debilis digeſtionis & minoris poteſtatis ad terminandum individuum in forma corporis duri; & propter hoc non poteſt illud convertere, ſed tantùm inſpiſſare, & convertit de natura æris in naturam aquæ per condenſationem, quam aër capit à ſuis partibus terreſtribus aliquantulum digeſtis, quæ miſcentur cum vapore elementali propter defectum virtutis conſtrictivæ; & ideo inſpiſſatur in reincrudando ſe per actionem caloris uniformis, & humiditatem unctuoſam laxativam tartaream, ſicut lac facit in mamillis.*

Quamvis dicta non careant adhuc omni obſcuritate, cùm nondum explicent, quid ſit, *locum eſſe complexionatum ſecundum hunc vel illum planetam*, quod alibi declaratur, nec hujus loci eſt revelare, tamen manifeſtam præbent concordantiam cum priori textu; dein alteram concordantiam de natura & proprietate Mercurii, de quo Auctor dicto Libro de Princ. Medic. Diſt. 5. cap. 14. §. Avicenna: revelatur præterea concordantia Arb. Scient. & ſolvitur illa difficultas, quæ eſt objecta de Arb. Exempl. prov. flor. arb. cœl. *Sol & Venus* &c.; & in Exemp fr. arb. cœl. *Mercurius dixerat Alchimiſtæ.*

Pergit Doctor Illuminatus dicto Lib. de Princ. Med. loco cit. *Unde ſicut corpus humanum ſuſtentationem recipit per hoc, quod ſumit interiùs de rebus exterioribus comedendo & bibendo, ita metalla generantur in corpore terræ per hoc, quod deſcendit ex ſuperficie per ponderoſitatem, & per innaturalem motum levitatis ignis & aëris.* Hæc, quæ nunc dicta ſunt, *generaliùs & ſpecialiùs* exponuntur in Libro Quæſtionum ſuper Art. Inv. & Dem. cap. 165. quod agit de Generatione & Corruptione Metallorum, ubi n. 1. generationem metallorum *per generalia principia corporalis bonitatis, magnitudinis &c.* ſic deſcribit: *Hæc autem* (ait) *ſunt principia ſuperiora, de quibus metalla ſunt conſtituta, & ex illis producta in inferioribus actu, & convertunt in ſpecies ſuas id, quod influitur eis de ſuperioribus principiis; quemadmodum vegetativum grani convertit in ſpeciem ſuam id, quod grano influitur per viam generationis. Per ſpecialia verò principia* ibid. n. 2. *Quando terra & aqua ſeceſſerunt infra terram propter nimiam ſiccitatem & frigiditatem, generant metalla, quæ ſunt ponderoſa & ſicca & frigida, ac etiam propter terram & aquam, quæ multum habent materiæ, ipſa metalla ſunt corpora multùm ſolida & multùm durabilia.* Et n. 3. *Sicut ignis generat piper, & in eo terra retinet colorem nigrum, ſic ſimiliter terra & aqua generant aurum, argentum, plumbum, auricalcum, electrum, cuprum & argentum vivum &c., ita, quòd in auro, & in cæteris metallis auro ſimilibus in colore, ignis retinet ſuum colorem, & aër & aqua in argento, plumbo & cæteris hujusmodi; & in hoc patet, quomodo partim ignis & aër operantur ad generationem metallorum.*

Sed ut adhuc clariùs intelligantur ea, quæ poſtea de ſecunda generatione, vel regeneratione, vel multiplicatione, quæ eſt operatio naturæ & artis ſimul, dicentur, convenit generaliſſima & univerſaliſſima principia ex Libro ſupradicto de Quæſt. in Artem Inv. & Dem. præmittere, quibus tam theoria quàm praxis totius operis exponendi regulatur & dirigitur: ſciendum igitur ex cap. 122. quòd ad intelligentiam perfectam generationis, corruptionis, multiplicationis, regenerationis omnium rerum naturalium, & præcipuè metallorum, conveniat conſiderare n. 1. *Vegetativam duobus modis*, videlicet *primam & ſecundam: Prima eſt univerſalis conſtituta de prima forma & de prima materia; & hæc implet, quidquid eſt ſub orbe lunari, & habet in ſe quatuor potentias, videlicet quatuor elementa ſimplicia:* ibid. n. 4. *Secunda vegetativa eſt actus primitivus, & habet in ſe quatuor potentias, videlicet quatuor elementa compoſita: ſecunda vegetativa eſt ſituata & habituata in prima, & elementa compoſita ſunt organa elementorum ſimplicium, & ſimiliter ſunt organa ſecundæ vegetativæ; & ex prima & ſecunda vegetativa procedunt planta, lapis*, NB. *corpus animatum & cætera hujusmodi corpora vegetationi ſubdita; & hæc ſunt ſenſibilia, h. e. ſenſu perceptibilia: & ideo hæc prima vegetativa eſt eſſentia omnium corporum elementatorum, habens in ſe ſituata & habituata corpora vegetabilia, ùt plantarum, animalium, lapidum & metallorum.* cap. 123. n. 1.

Hæc prima vegetativa quæſt. 134. n. 4. vocatur *primum Chäos*, vocatur etiam ibid. *ſecunda ſubſtantiæ* ſive *intenſiones naturales:* de hoc & ſequenti Chäos vide Lib. Chäos. Secunda verò vegetativa diviſa in individua ſpecierum vocatur *tertium Chäos*, & *primæ ſubſtantiæ.* Agens naturale eſt duplex, primum & ſecundum: primum eſt in prima vegetativa, ſecundum in ſecunda cap. 122. n. 5. Agens naturale cap. 134. n. 4. vocatur *ſemen generantis*: ibid. n. 5. *quatuor ſpecies univerſales mixtionis* dicuntur *quatuor elementa compoſita ſenſibilia*, quæ in Arb. Scient. vocantur quatuor maſſæ in Arb. elem. *& iſtæ quatuor ſpecies mixtionis ſunt medium, per quod prima vegetativa ducitur in ſecundam, eò quòd ſunt materia, de qua ſecunda venit in actum; quia omnes ſubſtantiæ individuabiles ſunt habituatæ in ipſis ſpeciebus, mediante agente naturali.*

Ex his præſuppoſitis eruuntur ſequentes poſitiones.

Prima. Quòd omne corpus naturale vocetur tertium Chäos.

Secunda. Quòd prima Vegetativa vocetur primum Chäos.

Tertia. Quòd in omni corpore naturali ſive ſit animal, ſive planta ſeu minera vel metallum, ſit prima & ſecunda vegetativa habitu & potentiâ vel actu.

Quarta. Quòd prima Vegetativa ſit in primo & tertio Chäos, & per conſequens intra & extra tertium Chäos.

Quinta. Quòd prima Vegetativa ſit inſenſibilis & corporea, ſed non corpus, ſecunda verò ſit ſenſibilis & corpus.

Sexta. Quòd prima Vegetativa ſit univerſalis, ſecunda verò ſpecialis.

Septima. Quòd ſit duplex Agens naturale, primum & ſecundum.

Octava.

Octava. Quòd ſit duplex Semen naturale, univerſale & ſpecificum, quod ſuprà nominatum eſt ſemen generantis: hæ omnes poſitiones eliciuntur & manifeſtè inferuntur ex antecedentibus locis, textibus & capitibus Libri Quæſtionum ſuper Artem Inv. & Dem.

Si quis autem hìc mecum vellet diſputare, quòd lapides & metalla non poſſint habere potentiam vegetativam, quia aliàs eſſent vegetabilia, & inter vegetabilia & metalla non eſſet differentia, huic reſpondeo, me hoc loco uti ſententiâ apertâ mei Illuminati Magiſtri ad oſtendendam generationem, corruptionem & transmutationem metallorum, & non intendere hìc defenſionem hujus ſententiæ ob vitandam prolixitatem; ago enim hìc contra Condiſcipulos Raymundiſtas, qui ſupponunt, Doctrinam ſui Magiſtri eſſe veram: unde ſi petit argumenta & demonſtrationes hujus ſententiæ, adeat ipſum Doctorem Iluminatum in prædicto libro & aliis, & ſatisfiet ſuo deſiderio.

Cùm igitur in omnibus metallis, ſcilicet in mercurio, plumbo, ſtanno, cupro, ferro, argento & auro ſit prima & ſecunda vegetativa, ût patet ex tertia poſitione, & hæ duæ potentiæ ſint duo agentia naturalia, ût habet ſeptima poſitio, & contineant in ſe ſemen naturale, ût fert octava poſitio, manifeſtum eſt, quòd poſſint generare ſuum ſimile & multiplicare ſe, ſicut cætera corpora naturalia; aliàs enim fruſtra haberent ſemen & potentiam vegetativam, cujus naturæ eſt *generare, gubernare, nutrire, augmentare, alterare, corrumpere, appetere, retinere, digerere, expellere*, ût docet Illuminatus Doctor in dict. Quæſt. cap. 122. n. 5. & transmutare in ſuam ſpeciem, ût habet cap. 130. n. 5. unde, quòd hoc ſit poſſibile, ad literam expreſſit Illuminatus Doctor in ſuis indubiis voluminibus: e. g. in Arb. Scient. de fructu Arb. elem. fol. mihi 22. ubi ſic ait: *Fructus Arboris elementalis eſt elementatum, ſicut lapis, aurum, pomum, piſcis, avis, beſtia & corpus hominis; hæc omnia ſunt elementata & individuata, & ipſa fructum vocamus; quia bonitas, magnitudo, poteſtas & virtus majorem quietem & finem habent in illis, quàm in trunco, branchis, ramis, foliis & floribus; & hoc eſt, quia in pomo (quod eſt fructus) conſervatur ſpecies, in quantù in pomo ipſius aliud pomum continetur* (jam erige aures Pamphile, & applica perſpicilia) *& idem eſt de aliis rebus, quas prædiximus.* Si idem eſt de aliis rebus, quas prædixit, ergò in auro conſervatur ſpecies, ſicut in pomo, & per conſequens in auro continetur aliud aurum, ſicut in pomo continetur aliud pomum: quid clarius? & tamen oculos habent, & non vident.

Ne autem putent, hoc fieri per naturam, & non per artem, videant per Perſpicilia Lulliana Arb. quæſt. de q. fr. Arb. elem. ubi affirmat, quòd *per flammam exeat aurum de potentia in actum:* & ne exiſtiment, Raymundum adeò ruſticum fuiſſe Philoſophum, quòd crediderit vel voluerit tantùm inſinuare, quomodo aurum per flammam ignis vulgaris eliquetur ex lapidibus (quod non eſſet exire aurum de potentia in actum, cùm jam etiam in lapide ſit actu aurum) ſubjunxit ſtatim: *Poſtquam per artificium poteſt exire forma de potentia in actum:* & poſtea quærit: *Utrùm per artificium poſſit fieri aurum de argento?* & reſpondet: *Martellus non producit clavum de ſe ipſo, nec Medicus ſanitatem de ſe ipſo producit in patiente:* quod dictum oſtendit, nec Artificem Alchimiſtam producere aurum de ſe ipſo, ſed de materia convenienti & modo artificiali à natura regulato; ſicut per medicinam producitur ſanitas in infirmo; & hunc eſſe genuinum ſenſum hujus textûs non ſolùm probant ipſa verba, ſed duplex Authoritas, primò Diſcipuli Jacobi Januarii, de quo ſuprà in prima Claſſe: qui in Libro Artis Metaph. 2. fol. 154. v. p. ſic loquitur allegans ſupradictum textum. *Opus artificiale* (opere artificiali) *per flammam de potentia in actum ſit aurum vel argentum; nam per artificium poteſt de argento fieri aurum; nam forma de potentia in actum exire poteſt per Magiſterium artificiale: & ſicut Medicus de ſe ipſo ſanitatem in patiente non producit, ſic plumbum non producit aurum de ſe ipſo, nec etiam argentum; nam ex homine homo generatur, & non leo: in Arb. quæſt.* hæc Diſcipulus.

Quid Magiſter? in Lib. Contempl. Diſt. 39. de Amore cap. 310. agens de forma media, ſcilicet compoſita ex forma naturali & artificiali, & explicans, *quomodo ex actione & paſſione componatur forma media*, dicit: *Si forma media non eſſet inter formam naturalem & formam artificialem, eſſet impoſſibile, quòd res naturalis per paſſionem poſſet eſſe ſubjectum formæ artificialis; & hoc idem eſt de forma media, quæ componitur in metallis per actionem & paſſionem; ſicut aurum habet formam naturalem, & ſua forma ſtat in argento potentialiter per opus artificiale; cùm per Alchimiam forma argenti convertatur in formam auri.* Quid contra hunc textum poterunt excipere noſter Ra. & P. Cuſturerius? qui ultimus ridiculâ interpretatione conatus eſt detorquere textum ex Arb. Scient. allatum in ſenſum à mente D. Authoris alieniſſimum, nempe ut faceret Raymundum per fas & nefas non Chimicum.

Quòd opus Artis & Naturæ poſſint confluere in unum opus, clariſſimè demonſtrat Illuminatus Doctor in Quæſt. Thomæ Attreb. q. 28. ubi quærit: *Utrùm Ars poſſit meliores operationes facere, quàm natura, vel aliquid melius facere, quam natura?* & ſolvit: *Quòd Ars propriè non poſſit meliorare operationem naturæ, neque facere aliquid naturaliter; quod ſi faceret, jam Ars non eſſet Ars; quod eſſet contradictio: veruntamen per appropriatum* NB. *Ars poteſt accidentaliter diſponere materiam, cum qua* (diſpoſitione) *natura ſe adjuvare poſſit naturaliter in nutriendo humidum radicale per humidum nutrimentale.* Et Theor. Teſt. cap. 24. *Cùm igitur Fili volueris facere noſtrum Lapidem, ſcias primò, quomodo & qualiter natura operatur, & imitare illam viam, & habebis ex dictis elementis, quidquid volueris; quia natura debet operari, & non tu, & formare & mundare: & propter hoc neceſſariò expedit, quòd tu ſcias ipſam ducere per rectitudinem viæ, & informare ſuam materiam, in qua natura eſt introducta; & ſi bene ſcis ducere aut dirigere, ipſa tibi confert plus, quàm tu ſcires petere.* Et ibid. cap. 75. *Fili, quando vis aliquid facere, ſemper facias per naturam, & ſcias concordantiam naturæ; quia ſine illa nihil poſſes facere, eò quòd nulla res mundi, quæ fieri debeat, eſt extra limites naturæ, quin per illam & de illa & in illa ſit facienda.*

Et cap. 49. *Fili, non intelligas, quòd hoc opus fiat coactè, ſed per ingenium & ſubtilitatem, quas tu debes intelligere à natura; quia ipſa habet magnam ſolicitudinem per ſuum ſecretum portandi materiam ad ſuam perfectionem: quare ſi illam vis invenire, operare quotidie per naturam, & bene diſpone ſuam materiam cum ſcientia cognita in*

igne , & facias illi , ſecundùm quòd natura poſtulat & requirit ; & illa tunc faciet ſecundùm ſuum proprium debitum ; quia ipſa colligit , format & permutat materiam , & non tu , quando invenit , quòd per artem reſpectu naturalium principiorum ſibi appropriatur NB. : *igitur natura cum ſua ſolicitudine & intelligentia perficit totum opus in materia obediente ; & ſic tu non es niſi adminiſtrator illius &c.* En, quàm præclarè concordet Lullus Philoſophus cum Lullo Chimico.

His textibus Illuminatus Doctor duo beneficia præbuit ſuis Diſcipulis , exponendo ſcilicet, quomodo textus in Arb. quæſt. ſit intelligendus : item quid intenderit, quando in Lib. Arb. Scient. in quæſt. radic. Arb. elem. fol. m. 447. in favorem Alchimiſtarum ait : *Quod nulla diſpoſitio artificialis poſſit eſſe ſinè naturali : & in hoc paſſu gaudet* (verus) *Alchimiſta :* ſicut in Arte Generali Ultima *flet* (fatuus) *Alchimiſta :* & quomodo ex metallis poſſit præparari Medicina ad prolongandam vitam humanam : ût quæſt. 27. antecedente , *Utrùm Vita hominis poſſit prolongari per naturam & artem?* teſtatur , affirmativam hujus quæſtionis eſſe tenendam , aſſeritque , *Medicum poſſe adjuvare naturam diſponendo humidum nutrimentale , quod naturæ magis competit* NB. : nemo autem poteſt ambigere , illud humidũ nutrimentale magis competere ad diutiùs prolongandam vitam humidi radicalis ; quod humidũ nutrimentale præ omnibus magis durat : & cùm omnia corpora elementata ſint à DEO creata , ut faciant homini ſervitium nor. tantùm artificiale , ſed naturale , quod eſt nobilius priori , hinc metalla , & præ cæteris aurum , quod eſt magis durabile cæteris , & tamen eſt corruptibile, ût q. 25. docet , oſtendens ſimul , ex qua materia dictum humidum nutrimentale debeat elici, per artem reſolvi & præparari poſſunt legibus & regulis in Libro de Grad. & Princ. Med. contentis , ut huic uſui poſſint inſervire.

Hanc præparationem metallorum artificialem naturali artificio fundatam , ordinatam tam ad conſervandum humidum radicale corporum humanorum (in quo conſiſtit conſervatio ſanitatis) quàm ad multiplicandum , nutriendum , augmentandum , perficiendumque humidum radicale metallorum (in quo conſiſtit ipſa transmutatio & generatio artificialis metallorum) lucidiſſimè cum omnibus requiſitis revelat ſuis Diſcipulis Doctor Illuminatus in ſæpe allegato Libro Quæſt. ſolvendarum per Art. Inv. & Dem. per diverſa capita inter ſe combinata ; in quibus omnia Artis hujus arcana adeò ſolidis Principiis detexit , ut in ipſis Libris Alchimicis omnia ſimul ſumpta tam manifeſtè non ſint poſita ; quamvis per partes aliqua clariùs exponantur , ſicut exempla inferiùs prodent.

Sic Quæſt. 165. docet Modum generationis metallorum artificialis in exemplo generationis argenti , dum ait n. 3. *Argentum , priusquàm fuiſſet reductum de habitu in actum , erat naturaliter in habitu quoad formam , & in potentia quoad materiam ; ſed Artifex* NB. *materiam præparavit , ut idem, quod erat in habitu & potentia , deduceretur in actum:* hunc ipſum textum allegat Adverſarius noſter Ra. in ſua Aſtræa cap. 2. n. 5. unde aut ipſum tranſiliit como los gatos por las braſas encendidas , aut ût quandoque bonus dormitavit Homerus ; nam etiam ſinè perſpiciliis potuiſſet videre , in illo aſtrui artificialem productionem argenti ; ſed non erat ad ſuum propoſitum : proin ſuaſor ipſi fuiſſem , ut illum omninò omiſiſſet, ne cæcitatis argui poſſet.

Sed quomodo *Argentum fuit naturaliter in habitu quoad formam , & in potentia quoad materiam , antequam fuit reductum de habitu in actum ?* hoc pulcherrimè declarat Illuminatus Doctor in cap. 150. Lib. Quæſt. dans doctrinam generalem , *quomodo generabilia exiſtant in habitu & potentia?* ſic dicendo n. 3. dicti cap. *In bonitate , magnitudine & ceteris principiis ſuperioribus conſiſtunt generabilia in prima forma & prima materia , quæ ſunt conſtituta ex ipſis principiis ſuperioribus , & in eis omnia principia ſuperiora ſunt unita , & per conſequens habitus & potentia , ita , quòd unus habitus ex omnibus illis principiis eſt conſtitutus , & una potentia ex omnibus eisdem eſt conſtituta , videlicet una forma univerſalis , & una materia prima &c. : poſt iſtud exiſtere ipſa generabilia exiſtunt magis infrà alio gradu , videlicet in quatuor elementis ſimplicibus mediantibus diſtinctis proprietatibus : & ſub iſtis deſcendunt inferius adhuc alio gradu , videlicet in elementa compoſita usque ad agens naturale , videlicet animal , plantam , metallum* : ſcimus ergò ex hoc §. quid ſit agens naturale, ſcilicet *animal , planta , metallum.*

Ad quid prodeſt hæc cognitio ? n. 4. pergit : *In planta* (& per conſequens in metallo) *quæ eſt in actu , eſt alia planta in habitu & potentia , ut prædictus finis ſequatur ; itaque de bonitate &c. plantæ poteſt generari bonitas &c. alterius plantæ ſimilis primæ ſpeciei ; & hoc formaliter , cùm habituata ſit in illa per formam , atque planta materialiter per materiam ; cùm bonitas &c. plantæ ſit paſſiva , eo quòd bonificabilis : ideirco quando venit ſuperior influentia ad radicem vel granum* (ſemen) *plantæ exiſtentis in terra , tunc habitus & potentia ſuperiores , & habitus & potentia inferiores in gradibus antedictis gradatim ſibi ipſis mutuò obviant usque ad ultimum ; & tunc , quod eſt habitu per formam , reducitur formaliter ad actum , & hoc , quod exiſtit in potentia , reducitur materialiter ad actum ; hoc autem per ſe ſatis patet : & cùm unum principium ſit demonſtratio & doctrina aliorum*, ût habetur in Lib. Princ. Med. Diſt. 2. cap. 8. de mixt. E. K. *& cùm unus paragraphus ſit demonſtratio alterius , & etiam unus paragraphus ſit principium alterius ſecundùm iſtam Artem* , ût habetur ibid. Diſt. 3. cap. 11. de mixt. E. O. *& finalis intentio hujus Artis ſit , quòd intellectus per unum principium exaltetur ad alterum principium artificialiter intelligendum* , ût notatur Diſt. 10. cap. 36. metaph. 7. mutando terminum *plantæ* in terminum *metalli* vel *argenti* , demonſtratus erit totus modus reducendi argentum , vel quodlibet aliud metallum , de habitu & potentia in actum ex argento vel alio metallo actu exiſtente & agente.

Hoc autem eſt artificium ſolius naturæ , & non artis ; de quo in Theor. Teſt. cap. 53. & MSto cap. 57. aptiſſimè ad rem præſentem , ubi requirit tres virtutes vel tres formas ad hoc opus perficiendum : *Prima deſcendit à primo motore , aut à motu ſtellato ; & iſtam in noſtro Teſtamento* (ait) *nominamus primam formam formarum , per quam inferiores materiæ transmutantur de forma in formam per curſum & inſtitutionem naturæ tantùm : & de iſta forma natura ſatis habet ad formandum & ponendum de potentia in actum ſua prima compoſita per materias elementorum. Secunda virtus eſt virtus infuſa in materiis elementalibus compoſitis , quam trahere ab illis materiis opus eſt tibi , in quibus eſt , per modum con-*

vertendi genus ſuum ad primam ſuam naturam , vel appropinquandi , quantum eſt poſſibile , ſuæ primæ rei ; & hæc eſt arti ſufficiens , quia eſt materialis : & in hoc puncto ars non poteſt aſſimilari naturæ , quia non poteſt dare formam ſubſtantialem rebus , ſicut facit natura per ingenium ſuæ nobilis operationis & intentivæ : & ideo neceſſe eſt arti , ut recurrat ad naturam , & ei ſupplicet , ut velit ei commodare de ſuis ſubſtantialibus formis , quas ipſa jam creavit NB. , *ad formandum unum corpus in tam magna potentia , ut mors illud nunquam tangat , & oſtendere & docere , quomodo illa poſſit illud corpus extrahere à ſuis compoſitis creatis , & illi oſtendere ſuam inceration em , quæ ducit materiam de potentia in actum generationis.*

Quare Fili (continuat) *Artifex ſubtilis debet multùm reſpicere , quomodo natura operatur , adhoc , ut cum ſua arte poſſit illam imitari in tantum , quantum eſt ei poſſibile , & ut illud , quod ei non eſt poſſibile , per ingenium intellectuale ſciat ſupplere reſpectu naturæ , ſi vult habere rem noſtram , quæ fit per naturam ; & ſupplementum eſt à* tertia virtute, *quam potes intelligere per* ſecundam formam : *& licet ſic ſit* (nota phraſin Lemovicenſem , *è quand be aſo ſia enaxi*) *quòd ego dixerim , quòd ſint tres formæ , non eſt tamen niſi una ſola , quia ipſa non recipit finem terminationis , niſi per naturam ſui generis , in quo eſt influxa per curſum naturæ , & capta & condenſata ab illo in ſubſtantiali forma , ſinè qua nil in mundo vivere poſſet. Et ad faciendam & intelligendam hanc rem nos convenit conari , ut aperiamus intellectum humanum ; quia dicta virtus eſt influxa in humidis radicalibus , quæ ſunt imbuta in partibus eſſentialibus rerum compoſitarum mercurialium & elementatarum purarum & non purarum &c.*

In hoc paragrapho multa elucidantur eorum, quæ ex Lib. Quæſt. ſuprà ſunt adducta , & ſolvuntur multæ apparentes contradictiones ex Libris D. Authoris ab Adverſariis contra nos allatæ nam concordantia hujus & prioris §§. oſtendit opus naturæ ſolius , & opus artis & naturæ ſimul, quod conformari debet operi naturæ , quantum eſt poſſibile : demonſtratur autem impoſſibilitas vel poſſibilitas artis comparatæ ad naturam in hoc, quia natura *duo* facere poteſt , quæ ars non poteſt ; natura enim ex prima vegetativa vel prima univerſali forma & materia tanquam principiis remotiſſimis , in quibus ſecunda vegetativa & particulares formæ & materiæ , & per conſequens individua exiſtunt in habitu & potentia , poteſt reducere illa individua de potentia in actum ; ût docet & demonſtrat Illuminatus Doctor cap. 122. Lib. Quæſt. ſuper Art. Inv. & Dem. n. 3. Et hoc idem probat textus Theor. Teſt. , contra quam operationem ſunt quidam fatui Alchimiſtæ , qui ignorantes poſſibilitatem artis volunt producere ipſa individua , vel formas ſubſtantiales individuales , ex primis iſtis univerſalibus principiis ; quos proin reprehendit Doctor noſter in Lib. de Princ. & Grad. Med. Diſt. 6. cap. 20. fol. 31. §. *Illud autem , propter quod unum metallum in ſpeciem alterius metalli converti non poteſt , eſt , quia naturaliter generatio metallorum fit per digeſtionem in corpore terræ &c.* Et in Lib. Quæſt. ſolv. per Art. Dem. & Inv. q. 165. n. 1. *Sicut natura habet ordinem in animalibus & plantis reſpectu principiorum , mediorum & finium , ita , quod nullus Artifex poteſt unum animal in aliud , vel unam plantam in aliam transferre , ſimiliter nec etiam Alchimiſta unam ſpeciem metalli in aliam poteſt transmutare* ; jam NB. addit rationem, *cùm non poſſit tantum attingere , quantum forma poteſt de principiis primis uſque ad ſecunda.* Fatui igitur Alchimiſtæ volentes transmutare ſpeciem argenti in ſpeciem auri , & videntes, quòd hoc fieri non poſſit, niſi ſpecies argenti corrumpatur , conantur corrumpere argentum , & illud in elementa (ût ajunt) reducere , ſcilicet ſimplicia & univerſalia , ut ex illis purificatis & ſimpliciatis conjunctisque producant ſubſtantiam puram auri ; quos irridet ignis in Lib. Felix 6. cap. 4. & meritò , quia duplicem committunt inſaniam , intendendo aliquid impoſſibile ipſi naturæ , quantò magis arti ; ſcilicet omnimodam ſeparationem unius elementi ab altero : per quam fatuam intentionem (etiamſi poſſibilis eſſet) elementa duo mala acquirerent, unum , quòd nunquam ampliùs appeterent compoſitionem , alterum , quòd fatuo Alchimiſtæ non ampliùs poſſent inſervire , quia eſſent intangibilia & inſenſibilia ; alteram autem ſtultitiam in hoc committunt , quia reducendo particulare in univerſale non eſt in ſcientia & poteſtate illorum de novo reducere *habitum & potentiam particulares* ex univerſali illo in *actum* ; quod demonſtrat D. Doctor in allegatis textibus Felicis , Arbor. Scient. Theor. Teſt. Lib. de Princ. Med. , inſipienter enim ruſticus triticum in igne quàm optimè calcinatum , & in elementum terræ & aquæ , h. e. cineris & ſalis reductum ſeminaret ad triticum producendum ; cùm ſinè tritico actu exiſtente non poſſit generare triticum.

Alterum , quod natura poteſt , & ars non poteſt , eſt , quòd, ſicut natura ex prima *forma univerſali* (& hoc idem de materia) producit *ſecundam formam* , ſcilicet ſpecificam , de habitu in actum , ſic ex prima & ſecunda actualiter exiſtentibus poteſt producere *tertiam* , ſcilicet individualem , quæ eſt in habitu in ſecunda , in actum ; & hoc patet ex Lib. Chãos de tribus Grad. n. 1. f. 4. & cap. de gen. & cor. n. 2. f. 8. & in Quæſt. Artis Inv. & Dem. cap. 122. n. 4. & Theor. Teſt. cap. 53. ſuprà citato. Sicut igitur natura *duo* poteſt , quæ non ſunt in poteſtate artis , ſic ars *duo* poteſt (cum natura tamen & per naturam) quæ ſola natura nunquam poteſt ; quorum primum eſt , ex concreto generato facere concretum regeneratum, h. e. ex imperfecto perfectum , & ex corruptibili incorruptibile , & ex concreto facere abſtractum, & utraque intendere ad libitum operantis ; in quibus duobus latet fundamentum omnium terribilium ſecretorum naturæ , quibus ſe Sapientes antiqui , & præ omnibus Illuminatus Doctor noſter admirabilem reddidit ſuis Diſcipulis : hoc teſtatur in Theor. Teſt. cap. 59. *Quoniam natura* (inquit) *non habuit poteſtatem dicta metalla ponendi in aliam digeſtionem , ut per aliam circulationem feciſſet elixir completum , & hoc ratione ſpiſſitudinis , duritiei & compactibilitatis humidi mercurialis terminati & inſpiſſati per vaporem ſui ſulphuris & caloris naturalis* NB. *in forma metalli , quemadmodum ſolem & lunam creavit de ſubtili ſubſtantia ſuorum propriorum mediorum virtute ſui primi circularis operis , ideo in hoc caſu ſupplemus impotentias naturæ , ſcilicet corpora dura faciendo mollia , & groſſa gracilia adjutorio naturæ , quæ non recedit hinc ; & liquefacimus* NB. *cum putrefactionibus , quousque ad naturam argenti vivi ſint reverſa per ſublimationem groſſi in ſimplum , & reductionem cocti in crudum , & reſolutionem & diſſolutionem ſicci in humidum.*

Agamus hìc de primo, oſtendendo , quo-

modo ſapientiſſimus Magiſter noſter modum regenerandi *concretum naturale* in libris diverſis demonſtret, præſertim in Lib. Quæſt. ſuper Art. Inv. & Dem. q. 164. in quo capite docet modum generationis & corruptionis metallorum; modum generationis quidem apertè, modum autem corruptionis ſub metaphora, *quomodo ignis liquefaciat aurum*: unde ſi hoc caput Perſpiciliis Lullianis fuiſſent intuiti noſtri Antagoniſtæ, detexiſſent, non hìc ruſticam liquefactionem auri tantùm tractari à D. Authore per ignem culinarem, ſed philoſophicam & ſecretam; quam nunc in Condiſcipulorum gratiam in lucem proferam.

Nulla regeneratio eſt poſſibilis ſinè corruptione, & nulla multiplicatio ſinè regeneratione; nam niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet; corruptionem verò præcedit liquefactio (naturalis, non violenta) tanquam diſpoſitio prævia ad corruptionem; ſicut enim generatio ex corpore liquido efformat ſolidum, ſic corruptio, agens contrarium generationis, ex corpore ſolido efformat liquidum: unde cùm ſint duo genera liquefactionum, una artificialis, altera naturalis, ſecunda hìc deſcribitur ab Illuminato Magiſtro in exemplo auri dante præceptum generale reducendi quodlibet corpus in liquorem naturalem, quem vocat Schola Lulliana aperto nomine *materiam primam* cujuslibet rei, ſeu *Chàos phyſicum:* de prima verò utpote vulgariter cognita ſic præmittit n. 4. cit. cap. *Ignis liquefacit aurum ac ferrum & cætera conſimilia metalla; & hoc iſto modo:*

Aurum artificialiter figuratum eſt & depuratum ex minera ſua, ſicut ferrum ex lapidibus, & tunc fundit ignis figurando & depurando aurum, prædominans cæteris elementis; poſtmodum refrigerato auro caliditas ignis concluſa fuit in illo, & habituata propter reſtrictionem aquæ & concatenationem (concordantiam) *ignis & terræ in ſiccitate, & terræ & aquæ in frigiditate.* Hìc finit opus artificiale & mechanicum pertinens ad metallurgos, quod igne vulgari peragitur: de quo opere Baſilius Valentinus & ipſe Diſcipulus D. Raymundi exactè concordans cum ſuo Magiſtro ſuæ Officinæ Metallorum cap. 2. de ſemine Metallorum eundem proceſſum vix non ad literam recenſet ſequentibus verbis: *Non autem minimus labor eſt, ùt quidam antiquiſſimorum Philoſophorum dixerunt, qui ipſum duplicem laborem nominarunt; nam ita dicunt: primò metallum debet tranſire manum liquefactoris, poſtea manum Alchimiſtæ, ſi quis cupit artificiali labore cognoſcere ſemen: quid hoc aliter eſt dicere, niſi quòd reſolutio ſit duplex: una, quando experti Liquefactores ſeu Metallurgi corpus friabile ex cõadunatione naturali reducunt in ductile, à quo amovetur omnis impuritas: poſtea accedit Alchimiſta, & reducit corpus in ſuum cinerem, calcem, laticem, vitrum, colorem, fuliginem ſubterraneas, in quibus quieſcit, & ſe fructiferum videre & reperire permittit ſemen & liquor metallorum æthereus in corpore, & ſe reducere in aquam ſpiritualem vel primam materiam ſecundùm naturam & proprietatem metalli &c.*

Nunc incipit opus naturale & artificiale, quod Beatus Raymundus noſter, ùt Philoſophum decet, philoſophicè ſic exponit ibidem: *Ut autem aurum revertatur in illam figuram, in qua naturaliter* NB. *priùs fuerat* (ſcilicet antequam per artem reductum fuit in corpus ſolidum) *aqua & terra quantum poſſunt corrumpunt artificialem figuram illius, ſicut aqua ablata ab igne materiali expellit artificialem caliditatem ſuam, ut frigiditas ſua reducatur in priorem actum ſibi naturalem: unde quando ignis venit ad aurum* (non vulgaris ignis, ſed ille, quem ſuprà dixit incluſum & habituatum in auro) *liquefacit ipſum* (poſtquam nempe jam terra & aqua artificialem figuram auri duxerunt in corruptionem) *diſſolvens reſtrictionem aquæ, & duritiem terræ* (auri) *nam ipſum durum & reſtrictum factum eſt propter terræ groſſitiem, cruditatem & aquæ reſtrictionem claudentis poros, quantum poteſt; ſed ignis aperit eos, & illa caliditas concluſa & habituata in auro revertitur in actum, ut ipſum aurum non amittat illam artificialem figuram, quam ignis dedit ei contra aquam:* h. e. ignis de novo revertitur de potentia in actum, & aqua & terra, quæ in corpore ſolido auri dominabantur reſtringendo & conſolidando corpus auri, de actu redeunt in potentiam, adhoc, ut aurum corruptum primo ab aqua & terra non perdat illam figuram artificialem, & per conſequens ſuam formam naturalem, à qua figura artificialis dependet, quam ignis auro dedit contra aquam in mineris, ex quibus per ignem vulgarem eſt eliquatus. Nil poſſet ad theoriam operis clariùs addi, niſi demonſtratio practica; præſertim ſi hic ultimus §. combinetur cum ſuperiori ex cap. 59. Theor. Teſt. adducto.

Sed ut omninò nil patiar abeſſe meis Contratribus, adjiciam lumen lumini, videant igitur, quid Theor. Teſt. cap. 28. Illuminatus Doctor noſter, & quàm appoſitè de hac liquefactione differat: *Ignis naturæ* (inquit) *cùm ſit incluſus in profundiori ſui corporis, non poteſt ſe oſtendere ſtatim, quouſque ſit apertum; nam in groſſis elementis* (terrâ & aquâ) *eſt incluſus & abſconditus: & ideo eſt neceſſe, elementa ſubtiliare, ſcilicet terram & aquam per debilem digeſtionem, unde cauſatur viriditas, quæ eſt primus color; cujus ſignum dat cognoſcere, quòd actio caloris reſoluti ſit frivola & lenta, & per conſequens inſufficiens diſſolvere & rarificare partes terreſtres; ideo in cute & ſuperficie & ubique color viridis manifeſtatur indigeſtus & terreſtris, in cujus ventre calor naturæ multiplicatur, qui propter cauſam humidi excellentis tenentis eum hebetatum non poteſt manifeſtari; ſed (ùt prædictum eſt) calor naturalis paulatim vigoratur adjutorio caloris ignis adminiſtrati ab Artifice & Operatore, qui bene ſcit intellectu ſuo diſponere, informare & coquere ſuam materiam, quouſque appareat deſuper nigra; quia tunc ignis naturalis pugnat contra humorem, à quo creatur nigredo.*

Vides nunc chariſſime Confrater etiam ſinè perſpiciliis, quid voluerit B. Magiſter noſter in Libro de Princ. & Grad. Med. Diſt. 6. cap. 20. de gen. & corrup. metal. quando dixit: *Illud autem, propter quod vides rubiginem in ferro, & non vides in auro, eſt, quia ferrum eſt magis corruptibile, quàm aurum; cujus auri rubiginem non potes ſentire niſi cum igne, cum quo purificas aurum;* quòd nempe hìc non agat de igne culinari, qui aurum non poteſt corrumpere, nec rubiginare, ſed de intrinſeco innato naturali igne ipſius auri per liquefactionem ſui corporis naturalem in actum reducto: unde quando noſtri Adverſarii hunc textum legunt, cùm neſciant, & nunquam viderint alium ignem, quàm illum, cum quo ciceres coquuntur, accidit illis, quod enarrat Doctor Illuminatus in Theor. ſui Teſt. cap. 67. *Quando dicimus, quòd lapis per ignem generatus eſt, non vident alium ignem, nec alium ignem corporaliter credunt, niſi communem ignem &c.; ideo manent decepti per ſuas cæcas æſtimationes, inferentes, quòd ſimus cauſa ſuæ deceptionis, & quòd dederimus intelligere unum pro alio: ſed non eſt verum (ſalvâ eorum pace) ſicut probavimus per illa, quæ Philoſophi poſuerunt in ſcriptis.*

Monſtrato igitur modo corrumpendi ſeu liquefaciendi aurum & omnia metalla monſtravi ſemitam rectam, quâ itur ad finem regenerationis auri & omnium metallorum, quamque in libris toties nominatis Condiſcipuli mei infallibiliter invenient, ſi libros illos perpetuâ concordiâ aſſocient libris chimicis Teſtamenti, Codicilli, Quintæ Eſſentiæ & aliorum, ut ſimul theoriam & praxin ex illis hauriant; nam liber librum aperit, & quod in uno eſt diminutum, eſt completum in altero.

Reſtat nunc ad perficiendum ſubjectum hujus Capitis, nimirum fundamentum, quo ſolo omnes objectiones contra Alchimiam ex B. Raymundo perperam intellecto ſuprà conglobatæ collidentur, ut de altero quoque Artis ſupra naturam privilegio aliquid diſcurram; ſcilicet de *Abſtracto phyſico* jam in actione poſito: (nam de ratione præparationis & confectionis illius agere nec hujus eſt loci, nec mei eſt muneris) ut clariùs me explicem, reſtat oſtendendum, quomodo aurum jam regeneratum, in ſuis gradibus exaltatum, ſtante & permanente eàdem proportione metallicâ & aurificâ, ac in formam phyſicam converſum operetur ad extra, convertendo argentum & alia metalla in ſuam ſpeciem: hoc enim apprimè expoſito patebunt ſolutiones omnium objectionum, quæ contra converſionem unius ſpeciei in alteram ſunt ſuprà factæ.

In ſæpe dicto Libro Quæſt. ſolv. per Artem Inv. & Dem. q. 130. *Utrùm ignitivum habeat ignibile propinquum & remotum?* n. 5. ſic philoſophatur Illuminatus Doctor noſter: *In elementato, ùt hæc planta vel hoc animal* (vel hoc metallum) *in ſpecie ſua attingit nutrimentum, quod advenit in ſemet ipſam, convertens illud in ſpeciem ſuam, ſicut planta influentiam terræ & pluviæ convertit in ſe, eò quòd vegetativa* (aurificativa) *quoad formam attingit in ſuo proprio vegetabili* (aurificabili) *vegetabile* (aurificabile) *remotum, videlicet terram, pluviam &c.* (aut quatuor elementa metallica) *alioquin ſinè ſuo proprio vegetabili* (aurificabili) *non poſſet attingere vegetabile* (aurificabile) *remotum; quia deficeret medium conjunctionis & proportio inter formam & materiam remotam; & hoc, quod venit ad plantam* (aurum) *eſſet annihilatum in materia prima, priusquam converſum eſſet in ſpeciem plantæ* (auri) *& nunquam eſſet, qui reduceret illud vegetabile* (aurificabile) *remotum, niſi eſſet vegetabile* (aurificabile) *propinquum, in quo per transmutationem attingit vegetabile* (aurificabile) *remotum, priusquam in materiam primam convertatur: hoc per ſe manifeſtum eſt.*

In eodem Libro q. 133. *Quomodo individuatur ſubſtantia?* n. 4. demonſtrat, quomodo ex prima & ſecunda vegetativa (quas ſuprà dixit eſſe etiam in metallis) ſive ex primo & tertio Chàos individuetur ſubſtantia: *Hæc autem individuatio habeat eſſe, quia in prima vegetativa habituata eſt ſecunda vegetativa; quæ ſecunda reducitur in actum, dum alia ab alia mediantibus elementis ſimplicibus & compoſitis & agente naturali, videlicet ſemine generantis, individuatur in conſtituendo ſubſtantias elementatas, ùt hanc plantam, hoc animal* (& per conſequens hoc metallum) dein n. 5. docet, quòd quatuor elementa compoſita, ſeu *quatuor ſpecies mixtionis, ſint medium, per quod prima vegetativa* (quam etiam vocat primam materiam, Chàos &c., ùt ſuprà habetur in poſitionibus) *ducitur in ſecundam, eò quòd ſunt materia, de qua ſecunda venit in actum:* & quia in individuando ſeu generando fit motus de prima materia ſeu elementis ſimplicibus ad elementa compoſita, & de elementis compoſitis ad elementata, ſcilicet plantam, animal, metallum, ùt hoc n. 5. & ſequenti 6. oſtendit, naturalis ordo & ratio dictat, quòd corrumpendo elementata primus motus eſt de elementato in elementa compoſita, quæ ſunt ſenſibilia, & de elementis compoſitis in materiam primam. Quòd autem hæc ipſa materia prima & dicta elementa ſimplicia, quatenus ſunt entia phyſica, ſint ſenſibilia, ſicut ſunt inſenſibilia, quatenus ſunt entia metaphyſica, hoc ſuprà probavi; quia aliàs triangulus rubeus in principiis naturalibus non eſſet perfectus, exiſtente ſcilicet medio & fine corporum naturalium ſenſibili, & principio inſenſibili; quod Illuminatus Doctor noſter per totum Librum Quæſtionum in multis locis impoſſibile probat; & quidem ſenſuali experimento de *ſemine* ſeu *agente naturali*, quod eſt principium phyſicum & ſenſibile cujuslibet individui naturalis: hoc ipſum probat in Libro de Principiis Philoſophiæ p. 1. Diſt. 8. de Elem. ſimpl. rat. 2. 4. 5. & Diſt. 11. rat. 4. & Diſt. 13. rat. 3. & Diſt. 14. rat. 2.

Hunc verò regreſſum de Q. ad G., ſeu de compoſito ad materiam primam clarè demonſtrat in præfato Libro de Princ. Phil. p. 2. cam. 29. ſequentibus: *Conditiones ipſorum C. R.* h. e. *motûs & alterationis ſunt, quòd in R. partes cujuslibet particularis ad univerſale per indigeſtionem* (reincrudationem termino chimico) *moventur, ſicut per P.* (digeſtionem) *deſcenderunt ex univerſali ad particulare; & ideo C. R. exiſtunt in Q.* (compoſito) *in quo deſtruunt O. P.* (mixtionem, digeſtionem) *per diſſolutionem & annihilationem ipſius Q., ſeparando partes* NB., *ex quibus Q. eſt compoſitum.* Hac ſolidiſſimâ theoriâ nondum contentus optimus Doctor noſter ſtatim ſubdit ipſam practicam ibidem legendam; quâ clariorem nunquam me legiſſe ſanctè teſtor in omnibus libris Chimicorum: addam tamen hujus parallelam ex Lib. de Quint Eſſent. Diſt. 3. in Quæſt. abſtr. à fig. quadr. q. 2. *Quemodum tenebit Artiſta, ut ſequatur naturam per artificium?*

Modus eſt iſte, quia tu Fili primò objectare debes materiam primam &c., ſecundo elementa ſimplicia, tertiò elementa compoſita, quartò individua elementata &c.: in his claudit modum generationis, jam oſtendit modum corruptionis ibid. pergens: *& Fili nota iſta, quæ hìc tibi dicimus, quod natura orbis corrumpens aliquod individuum putrefacit illud, poſtea ſeparat elementa compoſita, quæ ſunt individuo magis propinqua, & quodlibet illorum reducit ad primam materiam: exinde verò, poſtquam finita eſt tota rota corruptionis, incipit rota generationis* (ſed in arte regenerationis) *incipiendo generare à prima materia, poſtea ad elementa compoſita, quæ ſiunt per mixtionem elementorum ſimplicium, & ex elementis compoſitis ad ſubſtantiam elementatam ſecundùm propriam ſpeciem & formam, ſub qua attrahuntur elementa ad compoſitum individuatum. Fili, ſi hìc nos bene intellexi-*

tellexiſti, explanatus eſt modus, ſecundùm quem Artiſta debet ſequi naturam per artificium.

Proſequitur modum individuationis Magiſter in ſupradicta quæſt. 133. n. 6. *Poſt iſtum gradum individuationis ſubſtantiæ ſequitur ultimus gradus, qui eſt de ſemine plantæ vel animalis* (vel metalli) *habentis in habitu multiplicare generativè ſubſtantiam ſibi ſpecie ſimilem, & ex præparatione & celebratione ſive diſpoſitione prædicta deſcendit una ſubſtantia ab alia derivante illam, convertente ſubſtantiâ generativâ id, quod de ſuperioribus principiis advenit in ſpeciem ſuam; nam ſuperioribus principiis influentibus illud convertibile hujus ſpeciei, quod habent in habitu, & illo ejusdem ſimiliter ſpeciei, quod eſt ex habitu generantis, convertente illud convertibile in hoc eſſe ipſius ſpeciei, individuatur ſubſtantia in ultimo gradu individuationis; & ſic oritur & individuatur ſubſtantia de ſubſtantia in ſimilem ſpeciem, ût planta de planta, animal de animali* (& per conſequens metallum de metallo) n. 7. *& hæc poſitio per ſe patet,* & non tantùm ſit ſolâ operatione naturæ, ſed etiam naturæ & artis ſimul: unde *& artificialiter eſt demonſtrabilis; & per hanc attingit intellectus individuationem generum & ſpecierum:* ſic Illuminatus Doctor cit. n. 7.

Hæc omnia neceſſariò debui in anteceſſum ponere tanquam generalia principia transmutationis, ut ſpecialia faciliùs intelligantur in transmutatione nempe ſpecifica, quæ ſic à B. Doctore deſcribitur Quæſt. 137. n. 3. *Dum aqua & vinum ſimul commiſcentur, illud convertit ad ſe illam in colorem & ſaporem ſuum, eò quòd vinum eſt magis elementatum, quàm aqua, & habitus & actus ſunt in vino majores, quàm in aqua:* & quia per ſupradictam doctrinam unum principium B. Raymundi facit cognoſcere alterum, & metaphora *ſignificat unam rem pro alia*, ût Doctor Illuminatus habet Diſt. 10. cap. 36. Lib. de Princ. Med., & metaphora intendit intellectum, ut legens vel *audiens unum intelligat aliud*, ût habet Diſt. 1. cap. 5., & *ut eodem tempore giretur ſuper diverſas ſpecies* ibid., mutemus tantùm terminos ſpeciales in alios ſpeciales ſervato proceſſu generali, dicendo: *dum argentum & aurum* (reductû de habitu in actum operandi) *ſimul commiſcentur, hoc convertit ad ſe illud in colore, pondere, ſubſtantia & cæteris proprietatibus auri, eò quòd aurum eſt magis elementatum, quàm argentum, & habitus & actus ſunt in auro majores, quàm in argento:* nonne hæc optimè quadrant?

Adhuc clariùs n. 6. *Quando cibus eſt receptus in ſtomacho, & de illo fit transmutatio in ſanguinem, & de ſanguine in carnem, hæc eſt vera transmutatio, cùm fiat de ſpecie in ſpeciem; hic enim ſanguis eſt attractivus & converſivus, cibus verò influxivus & communicativus ſui, & transmutabilis; non enim eſt tantum fortis in ſenſitiva & vegetativa, quantum ſanguis, neque tantum ſanguis, quantum caro viva; & hoc modo nutrimentum fit converſivum & convertibile, & elementorum eſſentia eſt ſubjectum, quare oportet eam pati, & remanere ſub diverſis transmutationibus, & vegetativa activa & ſenſitiva &c. attingunt omnes partes vegetativæ paſſivæ transmutabilis &c.: hoc igitur prædicto modo fit converſio & transmutatio de elementis in mixtum; mixtum autem eſt actus reductivus de habitu per formam, & de potentia per materiam; & fluxus ac refluxus transmutationis fit in materia, habitus autem remanet per formam, ſpecies verò, ût planta, & ſic de aliis, eſt permanens, & forma & materia illius ſimiliter: & cum metalla, quando ſunt in ſuperficie terræ, per rubiginem ad corruptionem moveantur, & per generationem in aliam ſpeciem convertantur, ſicut ſunt elementa in animalibus:* ût dicitur Libro de Principiis & Gradibus Medicinæ Diſt. 6. cap. 20. h. e. *Sicut in corpore animalis naturaliter per digeſtionem ſanguinis fit caro, & per digeſtionem cibi & potûs in corpore receptorum fit ſanguis*, ergo transmutatio in metallis fit ſicut in animalibus: unde *quando* argentum *per modum cibi eſt receptum in ſtomacho* auri, *de illo fit transmutatio in ſanguinem*, h. e. mercurium auri, *& de ſanguine in carnem*, h. e. de mercurio auri in aurum; *& hæc erit vera transmutatio, cùm fiat de ſpecie* argenti *in ſpeciem* auri; *hic enim ſanguis*, h. e. mercurius auri, *eſt attractivus & converſivus, cibus verò*, h. e. argentum corruptum, & in nutrimentum converſum, *influxivus & communicativus ſui & transmutabilis; non enim eſt tantum fortis in vegetativa, quantum ſanguis*, h. e. mercurius auri, *neque tantum ſanguis*, hoc eſt mercurius auri, *quantum caro viva*, h. e. aurum vivum NB.; *& hoc modo nutrimentum fit converſivum & convertibile*, h. e. mercurius auri, in quo ſtat forma media compoſita ex naturali & artificiali, de qua ſuprà locutus eſt Divus Author in Libro Contemplationum, & in quo eſt prima & ſecunda vegetativa, & agens naturale ſpecificum, *eſt converſivus*, in quantum corrumpit totam formam & materiam ſpecificam argenteam, & convertit totam formam & materiam generalem metallicam in ſuam naturam ſpecificam auream; *& eſt convertibilis*, in quantum convertitur in ſubſtantiam ſpecificam duram & fixam auri: *& elementorum eſſentia eſt ſubjectum*, h. e. elementorum metallicorum, non generalium, eſſentia eſt ſubjectum commune, quod exuendo ſpeciem argenti induit ſpeciem auri, *quare oportet eam pati, & remanere ſub diverſis transmutationibus*; *& vegetativa activa* auri *attingit omnes partes elementorum vegetativæ paſſivæ* metalli NB. *transmutabilis: hoc igitur prædicto modo fit converſio & transmutatio de elementis* metallicis *in mixtum* auri; *mixtum verò* auri *eſt actus reductivus de habitu per formam, & de potentia per materiam, & fluxus ac refluxus transmutationis fit in materia* prima metallica, quæ conſtat ex forma & materia prima metallorum generali, & derelinquit formam & materiam ſpecificam argenti: unde in illa materia generali metallica *remanet habitus ſpecificus* auri *per formam*; ſpecies verò, ût aurum, *eſt permanens, & forma & materia illius ſimiliter.*

Poſſetnè addi aut demi vel unum jota in toto hoc Syſtemate à capite usque ad calcem nunc perducto, & per meros textus ex genuinis operibus Illuminati Doctoris noſtri deſumptos demonſtrato? licèt majoris claritatis gratiâ illuſtraverim illos per aliquos ex libris chimicis excerptos: profectò, qui hæc, quæ hactenus dicta ſunt, modicâ ſaltem attentione ruminaverit, non tantùm mirabitur profundam ſcientiam Illuminati doctoris noſtri, ſed paulatim penetrabit ſummum artificium diſpergendi ſecreta artis per integrum librum, imò per plures libros, appenſâ tamen vel adjunctâ concordantiâ, ut ſedulos & ſtudioſos ſecretorum naturalium indagatores ſuos Diſcipulos admitteret, & inimicos excluderet.

Porrò, optaſſem, ſi fata conceſſiſſent, ut Author Rationalis Aſtrææ Raymundiſta noſter Vir cæteroquin omni laude digniſſimus, licèt in hac ſcientia minimè inſtructus, iſta legere potuiſſet, quia omnibus ſuprà citatis apparenter contrariis ſententiis à B. Raymundo mutuatis plenariam & perfectam ſolutionem datam perſpexiſſet: proin verum affirmavit Illuminatus Doctor in Dialogo Quint. Eſſ. quando repoſuit Monacho: *Si utique cognoviſſes principia naturalia, & elevares intellectum, ſcires, quòd tu in meis Libris & Artis meæ nil contrarium principiorum hujus Artis invenire poſſes &c.*

Sed quia non omnes æquali visûs acie pollemus, ſolvam magis difficiles harum objectionum, quibus ſolutis & reliquæ per ſe ſubſiſtere non poterunt.

Prima Objectio. Quòd non detur tranſmutatio argenti in aurum; *quia in ſpecie argenti nunquam habitu & potentiâ fuit ſpecies auri, nec è converſo, ſunt autem forma & materia actu: ſed forma & materia auri habituatæ ſunt in imaginatione Alchimiſtæ, ſicut in medicina ſanitas alicujus incurabilis infirmi; quia ſicut eſt impoſſibile, ſanitatem ad actum reduci in infirmo, in quo ipſa ſanitas non eſt in habitu & potentia, ita eſt impoſſibile formam & materiam hujus in illud metallum ad actum adducere, ubi nunquam fuit in habitu & potentia; cùm ſit impoſſibile, actum venire ſinè naturali habitu & naturali potentiâ:* hæc Illuminatus Doctor in Lib. Quæſt. ſolv. per Artem Inv. & Dem. q. 165. n. 3. quæ ſunt veriſſima, nec ullo modo contraria præcedentibus, dummodo Perſpicilia Lulliana viſum corroborent: nam in ſpecie argenti nunquam fuit habitu & potentiâ ſpecies auri; & ideo quamdiu forma & materia ſpecifica argenti manet, quam fatui Alchimiſtæ aut neſciunt corrumpere, debitâ ſcilicet corruptione, ût ſtatim videbimus, aut non corrumpendam putant, non eſt poſſibilis ulla transmutatio in aurum, ſicut quamdiu forma & materia ſpecifica carnis bubulæ manet, non eſt poſſibilis transmutatio illius in carnem humanam: unde meritò ſpecies argenti comparatur infirmo incurabili, cùm nulla ſit poſſibilis converſio, donec ſpecies argenti omninò deſtruatur.

Quòd autem corruptio hujus ſpeciei ſit valde difficilis, & non opus alicujus Sophiſtæ (quos more vulgi ſemper nominat Illuminatus Doctor Alchimiſtas, ſicut veros Philoſophos practicos vocat Artifices) claret ex n. 5. ubi dicit, *Quòd forma & materia argenti majorem inter ſe habeant proportionem, quòd ſint argentum per ea, quæ habent ex ſuperioribus ſuis principiis, & ex corporibus ſupracæleſtibus, quæ meliùs & prius* NB. *concordant cum eſſe argenti, quàm cum transmutatione argenti in ſpeciem auri; & quòd hæc concordantia eſt intra ſubſtantiam argenti, & eſt per appetitum naturæ, in contrario autem eſt artificium Alchimiſtæ.* Nihil eſt in tota hac ſententia, quod non ſit verum; nam forma & materia ſpecifica non ſolùm argenti, ſed cujuslibet entis naturalis, v. g. plantæ, porci &c. majorem habent proportionem, ut ſint ſui proprii individui, quàm alterius, licèt ſit nobilius: unde natura illius ſpecifica ſemper appetit magis conſervationem ſuam, quàm transmutationem in aliud, licèt nobilius: & hoc egregiè declarat Magiſter in Libro Felix, irridens ignorantes, qui putant, ipſum illic negare Alchimiam, per exemplum porci & leonis, qui, quantum potuit, ſe defendit contra leonem, ne deſtrueretur & devoraretur ac converteretur in ſubſtantiâ leonis, voluitq; magis eſſe porcus, quàm leo, licèt leo ſit nobilior, quàm porcus: unde ſicut porcus, quamdiu manet ſub ſpecie porci, non eſt transmutabilis in ſpeciem leonis, ſic argentum, quamdiu manet ſub ſpecie argenti, eſt intransmutabile in ſpeciem auri; ſicut autem non eſt impoſſibile, quamvis ſit difficile, quòd porcus poſſit deſtrui & occidi à leone, & converti in ſubſtantiam leonis, ſic non eſt impoſſibile, quamvis ſit difficile, quòd argentum poſſit corrumpi, putrefieri, & per aurum, quem metaphoricè leonem vocat ipſe Raymundus in ſuo Teſtamento, converti in ſpeciem & naturam auri à ſapiente Artifice, quamvis non poſſit à Sophiſta, h. e. Alchimiſta.

Quòd autem hæc ſit vera mens B. Raymundi, patet ex n. 8. ubi dicit: *quòd Alchimiſta plùs agat quoad materiam, quàm quoad formam; formam autem eſſe potentiorem, quàm materiam: ſi tamen accidat, quòd Alchimiſta, eò quòd agat quoad potentiam, in argento diverſificet colorem argenti, transmutans eum in colorem auri, & pondus argenti in pondus auri, & ſonum argenti in ſonum auri, hoc fiat imperfectè:* ſed quæſo, quare ſit imperfectè? *quia perfectè fieri non poteſt, niſi agat æqualiter per formam & per potentiam*, (materiam) optimè: ergò ſi agat æqualiter per formam & materiam, poteſt fieri perfectè, quid clariùs? nam ſi fieri non poſſet, fruſtra hoc B. Author addidiſſet. Hoc magis elucidat n. 9. *Sicut ignis* (ait) *calefaciens aquam, ſive igniens ferrum agit quoad potentiam, non autem quoad formam aquæ ſive ferri, videlicet tanquam forma & materia remota, deinde igne extincto aqua & ferrum ſuam naturalem frigiditatem recuperant, recedente accidentali* NB. *caliditate, ſic ſimiliter licèt Alchimiſtæ artificium* (ſophiſticum) *aliquas proprietates in materiam ingeſſerit propter aliquem modicum motum naturalem, illis proprietatibus remotis illa materia ad ſuam propriam formam naturalem revertetur in ſubjecto naturali:* & hoc nemo negabit, niſi Philoſophiæ omninò rudis ſit, ſed corrumpat formam & materiam ſpecificam argenti modo ab Illuminato Doctore ſuprà præſcripto, & ita agat per formam & potentiam, & cum igne eſſentiali, & non accidentali, tunc videbit, quòd illa materia argenti non revertetur ad ſuam propriam formam naturalem, cùm ſit corrupta.

Idem aſſerit Doctor Illuminatus in Lib. de Princip. Med. Diſt. 6. cap. 20. toties citato his verbis: *Illud verò, propter quod alicui metallo ſimilitudo alterius metalli dari poteſt, eſt, ſicut pictor in materia ligni figuram hominis artificialiter poteſt generare, quæ figura cum tali materia diſconvenit: per quam inconvenientiam revelatur, quòd forma, quam Alchimiſta extraneæ materiæ dat, brevi tempore in corruptionem perducitur:* nil verius. Hunc textum ipſemet Illuminatus Doctor allegat in Theorica Teſtamenti citans Librum de Principiis & Grad. Medicinæ & cap. de gen. & corrupt. Met. & declarat dicens: *Et cùm ibidem deſcribitur determinatione metaphoricâ & literali, quòd, cùm Alchimiſta nitatur dare aliquibus metallis formam, quæ ſit ſimilis alteri metallo, ſimilis eſt pictori, qui in materia ligni vel lapidis infigit & figurat formam hominis aut beſtiæ artificialiter; quæ forma diſcrepat & differt à materia, quare in illo caſu dictum eſt, quòd, cùm forma ſit ſuæ materiæ extranea, brevi tempore corrumpitur, & talia opera non bonis naturæ operibus aſſimilantur: & de hac aſſimilatione vide paragraphum: Cùm igitur &c.* (qui §. habetur ibid. cap. 20. Libri Principiorum & Graduum Medicinæ, ubi Illumi-

luminatus Doctor docet metalla corrumpere ac reducere in A. B. C. D., ut medicinæ accomodentur) *tales enim Alchimiſtæ & pictores in ſuis operibus & materia non aſſimilantur operi naturæ; quia neſciunt dare informativam virtutem materiæ convenientem:* & plura, quæ citato loco habet B. Raymundus, aut Judæus de Terraga (ſi Superis placet) egregius Lector Librorum B. Raymundi noſtri: quamdiu enim argentum retinet ſuam materiam & formam ſpecificam, tamdiu reſpectu auri, in quod deberet vel poſſet converti, eſt materia extranea, ſed quamprimùm forma & materia ſpecifica corrumpitur, tunc forma & materia generalis metallica remota & recepta in forma & materia ſpecifica aurea propinqua convertitur & transmutatur in illam; ſicut ſuprà de cibo datum eſt exemplum.

Secunda objectio. Quando ſuprà ex Lib. Quæſt. ſolv. per Artem Inv. & Dem. q. 165. n. 1. *ſicut natura habet ordinem* dicitur, *quòd nullus Artifex poſſit unum animal in aliud, vel unam plantam in aliam transferre, ſimiliter nec Alchimiſta poſſit transmutare unam ſpeciem metalli in aliam*, reſpondeo, quòd unum ſit poſſibile vel impoſſibile ſicut alterum; nam ſicut eſt impoſſibile, quòd ruſticus ſinè tritico poſſit ex primis principiis naturalibus facere triticum, vel ex arbore pomi producere pirum ſinè arbore piri, ſic Artifex Chimicus ſinè metallo jam à natura producto non poteſt ex primis principiis naturalibus producere metallum, vel ex metallo argenti producere aurum verum ſinè auro: & hoc ſolùm vult textus allatus; quod probant ſequentia, quando dicit: *Cùm non poſſit tantum attingere, quantum poteſt forma de primis principiis uſque ad ſecunda principia:* & licèt ſequentia verba videantur involvere difficultatem, *quòd Alchimiſta perfectionem auri vel argenti alteri metallo dare conetur, privando illud à ſua ſpecie:* ex quo Adverſarii poſſent inferre, quòd, etiamſi aliquis ſciret modum privandi metallum à ſua ſpecie, tamen non ſecundùm mentem Illuminati Doctoris eſſet convertibile in aurum vel argentum, reſpondeo, me totum concedere; non enim ſufficit carnem bubulam corrumpere, & à ſpecie ſua alienare, ut fiat caro humana, niſi intret ſtomachum hominis, & ſubdatur agenti ſpecifico, in quod eſt transmutanda; ſic eſt in propoſito: ſunt enim etiam moderno tempore & Chimici & libri Chimicorum, qui contra doctrinam antiquorum Philoſophorum mordicùs defendere conantur, ex cupro & aliis metallis vilioribus poſſe fieri aurum & argentum ſinè auro & argento; contra quos aptè applicatur hic textus: nullam tamen vim habet contra noſtra aſſerta; aliàs Illuminatus Doctor ſibi ipſi manifeſtè contradiceret, imò ſtatueret, nullam dari converſionem unius ſpeciei in aliam; quod eſſet contra ſenſum & experientiam.

Inde ſolvitur etiam objectio petita ex Arte Generali Ultima par. 9. de 8. ſubj. cap. 52. *Quòd elementativa habeat veras conditiones, ut una ſpecies non ſe transmutet in aliam*; nam proprietas elementativæ non eſt transmutare, ſed vegetativæ; hinc dolor & lacrymæ fatuorum Chimicorum, quia neſciunt vegetativam, quæ in elementativa metallorum eſt in potentia, deducere in actum.

Tertia Objectio. Ra. noſter cap. 5. n. 11. ſuæ Aſtrææ dicit, *quòd elementorũ ſeparatio ſit prorſus aliena à mente Lulli:* & citat. quæſt. 128. Lib. Quæſt. & Lib. Felix 6. cap. 4., ſed infeliciter utrumque; quia in locis ambobus citatis non eſt quæſtio de elementis compoſitis, ſed ſimplicibus; quæ utique ſunt inſeparabilia, ût jam ſuperiùs demonſtravi de fatua quorundam Alchimiſtarum intentione: quòd autem elementa compoſita tam per naturam quàm per artem ſint ſeparabilia, hoc docet totus Liber de Princ. Med. totus Liber Princ. Phil. Lib. Chãos, & Lib. Quæſt. ſolv. per Artem Inv. & Dem. Utinam legiſſet Ra. quæſt. 149. ejuſque n. 4. 8. 9. 10. item quæſt. 159. *Quæ ſint elementa ſimplicia, & quæ compoſita?* quam quæſtionem ſi combinaſſet cum capitibus Theor. Teſt. cap. 63. 70. ubi dicitur: *Quòd elementa ſimplicia parùm operantur & proficiunt in hac arte*, & additur ratio, *quia ſunt extra corruptionẽ & generationẽ:* & eſt clarum, quia nullũ ſimplex, quâ tale, eſt generabile vel corruptibile. Item cap. 71. 78. 79. 80. 81. his capitibus debuiſſet jungere capita practica Lib. Princ. Phil. præſertim illud, quod ſuprà adduxi, item Lib. Pati. cap. 3. 4. 5. 6. 7. 9. item Codic. ſeu Vade mecum per totum, ſingulariter verò cap. *Quatuor ſunt naturales virtutes*, & ſequens, *Quibus inſtrumentis prædictæ virtutes.* Item Diſt. 3. Lib. de Quint. Eſſen. in Quæſtionario quæſt. abſtr. ab Arb. Phil. q. 19. *Utrum diviſio elementorum à quocunque elementato ſit poſſibilis artificialiter?* cui omnes hæ demonſtrationes non ſatisfaciunt, huic Perſpicilia Lulliana nil proderunt.

Quarta Objectio. Ra. in cap. 6. n. 23. ſuæ Aſtrææ reprehendit Alchimiſtam, quia per Dialogum Lib. Quint. Eſſ. voluit probare, *materiam univerſalem eſſe ens magis nobile, quàm materias particulares;* & pro ſe allegat Artem Inv. Diſt. 4. §. de 3. modo prob. n. 8. q. 8. ubi Doctor Illuminatus aſſerit, *quòd elementatum ſit nobilius elementis.* Idem conatur ibi confirmare per Lib. Princ. Phil. compl. &c., ſed infortunato ſucceſſu; quia neſcivit diſtinguere inter univerſale & univerſale, particulare & particulare: in Lib. Mirand. Dem. 2. cap. 40. de forma. n. 5. demonſtrat per hoc ipſum argumentum Illuminatus Doctor Exiſtentiam DEI; *quia ſi non hoc eſſet* (inquit) *ſequeretur, quòd particulare haberet majorem nobilitatem, quàm univerſale; & hoc eſt impoſſibile.* Dic Raymundiſta, contradicitnè ſibi Raymundus? nequaquam, ſed aſſero de ipſo, quod Rogerius de Avicenna in Lib. de Arte Chim. *Non contradixit Hermeti, ſed non intelligentibus Hermetem:* non contradicit Raymundo, ſed non intelligentibus Raymundum: videatur Com. ſuper Artem Dem. de Quæſt. primæ Fig. Dem. n. 2. lit. C. fol. 147.

Quinta Objectio. Ra. cap. 6. n. 29. & 30. ſuæ Aſtrææ iterum Dialogum carpit, dicens: *quòd, licèt Alchimia non ſit, tamen generationem metallorum ſignificare æternam generationem:* reſpondeo, nemo negat Lulliſtarum, quòd generatio metallorum ſit imago æternæ generationis; ſed quare eſt imago? nonnè ideo ſecundùm Doctrinam Doctoris Illuminati, quia magìs diſtat à corruptione? ergò quantò magìs diſtabit à corruptione, tantò melior erit imago. Quæro iterum, quodnam magìs diſtet à corruptione, an metallum generatum, an regeneratum? an metallum, quod eſt tantùm incorruptibile, an quod eſt incorruptibile, & facit alia incorruptibilia? certè ultimum dices, ſi prudenter dices: unde ſi Alchimia non eſſet, DEUS nollet illam eſſe, ergò & vellet, eſſe minus ſignificatum ſuæ æternæ generationis, & nollet, eſſe majus ſignificatum illius; & ſi nollet, eſſet contrarius majori veritati, & concordans cum minore; & per conſequens ſuprema Voluntas eſſet contraria ſupremæ Veritati: en quantum abſurdum! mi Ra. Quapropter ſi tu Artem noſtri Illuminati

minati Doctoris ſciviſſes, tibi nota fuiſſet prima Conditio primæ Arb. Lib. de Gent. & tribus Sap., nempe, *quòd quilibet ſemper debeat attribuere DEO, & in ipſo agnoſcere omnem majorem nobilitatem in Eſſentia & Virtutibus & in Operationibus:* notus fuiſſet 3. modus ſignificationis Artis Comp. Diſt. 2. p. 1. fol. 12. item ibid. de Reg. fol. 42. §. triangulus croceus &c. in Arte Univerſali contenta.

Sexta Objectio & ultima duo membra ſimul claudet, valde ridicula: *Primum* eſt cap. 4. n. 14. ubi aſſeritur: confectionem lapidis non eſſe difficiliorem confectione vitri, hanc verò eſſe opus ruſticorum, ergò facilem, illam autem Philoſophorum, ergò difficilem: det veniam, quæſo, Ra. noſter, ſi riſus me moderatus occupat: an ipſe tantus Philoſophus & Lulliſta ignoravit uſum trianguli viridis & lividi Figuræ T., ut potuiſſet diſtinguere inter vitrum artificiale & naturale, lapideum & metallicum? vitrum lapideum & artificiale ſciunt facere ruſtici, vitrum metallicum & naturale, h. e. per artificium naturæ operationi conforme productum ſciunt facere Philoſophi; & qui hoc ſciunt, ſciunt absque dubio producere Lapidem Philoſophorum. Similis eſt hæc objectio illi cujusdam magni Viri, qui, poſtquam in Paracelſo legiſſet hoc ænigma: *Viſitabis interiora terræ rectificando invenies occultum lapidem veram medicinam*, colligens literas initiales illius produxit nomen *Vitriolum:* & neſciens aliud vitriolum, quàm quod vulgò proſtat venale in officina pharmaceutica, traduxit ineptè Paracelſum & Chimicos: unde tales Philoſophi deberent priùs aliquot annis Perſpiciliis Lullianis illius Philoſophiam non aſpiciendo percurrere, ſed optimè inſpiciendo penetrare, præmiſsâ primò Arte Generali probè cognitâ, antequàm de tantis Secretis judicandis ſe vellent intromittere.

Secundum, quòd Mercurius à Chimicis dicatur incorruptibilis, cùm tamen à Lullo omnia metalla, & per conſequens etiam mercurius ſtatuantur corruptibilia, ût cap. 5. n. 14. & 15. Ra. noſter objicit: eſt argumentum ejusdem farinæ cum priori; qui totâ ſuâ vitâ nullum alium Regem vidit, vel de nullo audivit, quàm illos quatuor, qui ſunt in chartis luſoriis, putat, nullum alium Regem eſſe, quàm illos quatuor: ſic qui nullum alium vidit mercurium, quàm currentem (de quo ipſe Ra. eod. cap. n. 10. allegat Chimicos illius corruptionem promittentes) putat, nullum alium eſſe: unde hujusmodi opponentes ablegandi ſunt ad magìs ſedulam & attentam lectionem Teſtamenti & aliorum librorum chimicorum Raymundi noſtri, ut priùs addiſcant, quot numerentur mercurii in hac Arte, & quales quilibet habeat proprietates: hoc optimè percepto redeant, & nobiſcum diſputent.

Propoſueram ad demonſtrandam ſublimitatem Artis in libris chimicis B. Raymundo noſtro dicatis contentam ſubjungere aliquod ſpecimen ex Lib. de Quint. Eſſ. Diſt. 3. & Lib. de 7. Rotis deſumptum; ſed cùm hoc caput jam ultra modum excreverit, cogor differre in Præfationem de Revelatione Secretorum Artis acturam, ſi dabitur locus oportunus.

Abundè nunc cenſeo demonſtratum, utrùm & qualiter Alchimia ſit, qualiter non ſit, & quòd utrumque poſſit dici ſinè ulla contradictione; quòd præterea Illuminatus Doctor noſter illam ſciverit, practicè exercuerit, & in ſuis libris docuerit, quæ omnia ex indubitatis Voluminibus extrahere volui, non adhibendo Libros Chimicos ipſi adſcriptos, niſi majoris elucidationis gratiâ: hoc autem compulſus ſum facere, ut demonſtrarem, Alchimiam eſſe neceſſariam neceſſitate abſolutâ ad perfectionem Philoſophiæ Lullianæ & Artis Generalis, præſertim verò Medicinæ, utpote ſinè qua majora & præſtantiſſima Secreta Medicinæ nos laterent; de quibus Magiſter Doctoris Illuminati in Tract. de Simpl. Med. cap. *His itaque auditis* fol. m. 241. v. p. *Inſipientes, cum legerint in Libris prudentum Medicorum & ſenum, qui ſciverunt jam ipſum eſſe ſecretum Medicinæ, cùm vident eos facere bonum intellectum, & facere prudentem, & facere fidelem, fortunatum, valde derident eos, & deriſi valde elongati ſunt à ſecretis Medicinæ, & non volunt audire nec credere, quòd ad Medicinam ſpectet, niſi curare dolorem capitis, aut apoſtema, aut febrem, & ipſi deberent curare ſe ipſos de groſſitie intellectûs, donec poſſent intelligere ea, quæ noſtri Senes in Medicina nobis ſcripſerunt: & propter tales, qui vituperant ſecretorum Inventores tu audiviſti, quòd Hypocrates præcepit phyſicis, quos docebat, quòd ſecreta non pandant, quia redundat in vituperium Sapientum & in infamiam, quia ſi homo ſit ſapiens & inveſtigans, bene veniet ad ipſa, & participabit nobiſcum donum Philoſophiæ: item ſi ipſe non eſt dignus eo, nec inveſtigans, nec intelligens, quidquid dicatur ei, perditur, imò dedecus eſt talibus ſecreta pandere.*

Cùm igitur Adverſarii noſtri legerint libros B. Raymundi, ſaltem illos, quibus contra nos & Alchimiam pugnarunt, & nihil horum ſecretorum in illis animadverterint, verificatur de illis citati Authoris dictum de mala compl. diverſa fol. 55. v. p. *quòd viderunt cornua literæ, ſed non inſpexerunt corpus ſententiæ:* hinc etiam proveniſſe arbitror, quòd omnes Defenſores Raymundi non Chimici tam jejunè laudant ipſius Doctrinam, ût non ſinè magna triſtitia & afflictione animi in illorum Scriptis me legiſſe conqueror; quod non egiſſent, ſi tanta myſteria in illa delitеſcere agnoviſſent.

Exempli loco ſit Vincentius Mut Hiſtoricus celebris, & Vir aliàs in literis non obiter verſatus, qui cæteroquin amicus illuminati Doctoris, non contentus ipſum ſpoliare habitu nobilis ſcientiæ ſecretorum naturalium etiam auſus eſt ipſi detrahere veſtem vulgarem ſcientiæ Geometriæ, quâ Raymundo obtegere libuit ſuam Geometriam altioris ordinis: audiamus Mutum loquentem in Actis B. Raymundi à R. P. Sollerio editis fol. 26. §. 134. ubi conatur concordare locos controverſos Librorum B. Raymundi indubiorum Alchimiam inſinuantes, quâ occaſione delabitur ad Geometrica: *Si fert animus* (ait) *locos controverſos ad concordiam adducere, ad ſummum dici poterit ad excuſationem, loqui hic Raymundum velut de aliis ſpinoſis proplematis, quæ jam à multis retrò ſeculis ſolvere conati ſunt plurimi, & uſque adhuc ſolvit nemo;* (ſi Muto credimus) *qualia ſunt Quadratura Circuli, Duplicatio Cubi, Punctum fixum, Motus perpetuus, & Lapis, quem Philoſophalem nuncupare paſſim placuit* (& bene, quia ejus productio nemini competit, niſi veris Philoſophis) *horum enim ſcrutamur demonſtrationes, & tantùm non in lucem protrahimus, ſed nondum omnino conſequimur: ſcimus, datâ circumferentiæ ad diametrum proportione, eſſe epidictice quadratum circulum, & datis duabus mediis proportionalibus cubum duplicari: quin imò tam propè abſumus ab iſtis propoſitionibus aſſequendis, ut poſt multiplicem apparatum multò plura, quàm ſenſu poſſimus percipere, in majoribus circulis ac lineis aliquamdiu mente contemplemur; ſed dum rem ipſam aggredimur concluſionem elicituri, omnia fugiunt, omnia in fumum & leves auras abeunt.* Verificatur de Muto, quod

de ſimilibus veriſſimè profert Author Electorii in par. 1. c. 1. dicens: *tales de facili pronunciant, judicantes, quod ignotum eſt eis, eſſe omnibus ignotum, ſupponentes, ultra id, quod ſciunt, vel cognoſcunt, nullum alium poſſe plus ſcire, vel cognitionem, quam habent, poſſe aliquem tranſcendere.*

Unde cùm tot ac tanti præſtantes ſint Authores antiqui pii & doctiſſimi, qui uno ore aſſerunt & teſtantur, non ſolùm poſſibilem eſſe confectionem Lapidis philoſophici, ſed ſe ipſos Poſſeſſores illius fuiſſe & Artifices, nec nudâ aſſertione contenti, etiam ejus theoriam & praxin per rationes & argumenta in ſcholis uſitata demonſtrarint (ût ſupra eos nominavimus) adhuc velle perſiſtere in opinione contraria aut arguit obſtinatam & ſuperbam voluntatem, aut debilem vel parùm informatum intellectum: præterea ſi Mut etiam ipſe Hiſtoricus tot Hiſtoricis fide dignis fidem derogat, quâ arte obligabit poſteros, ut ipſi credant? Ut autem clariſſimè pateat, quantum fuerit hic Author deceptus negando exiſtentiam ſuprà recenſitorum propleematum, monſtrabo hoc in uno tantùm hactenus etiam à primariis Mathematicis pro impoſſibili habito, nempe in *Mobili perpetuo*, cujus exiſtentia jam toti Germaniæ & haud dubiè pluribus jam nationibus exteris eſt nota, cujus Inventor eſt D. Elias Orffyreus Conſiliarius Commercii Sereniſſimi Principis Landgravii Haſſiæ idem Germanus & natione Saxo Vir Machinarum Artificio & absque dubio Mathematum præſertim ſtaticæ Scientiâ Archimedi celebertimo inter Antiquos anteferendus; nam immortali hac Machinâ immortale ſibi nomen comparavit, Artisque dignitatem hactenus ab innumeris incredulorum Muto ſimilium exploſionibus vindicavit.

Erecta eſt hæc admiranda Machina unâ conſtans Rotâ, quantum ex deſcriptione illius conjicere potui, octo, novem vel decem circiter pedum in Diametro in Arce de Weiſſenſtein præfati Sereniſſimi Principis Anno 1717. & probæ ſubdita 12. Novemb. ejusdem anni, præſente ac ſpectante ipſomet Sereniſſimo Principe ejusque Miniſtris, à quo ad motum incitata continuavit curſum integro bimeſtri ſpatio, nempe uſque ad 4. Jan. 1718. quâ ſua Serenitas in Arcem ſe contulit obſervatura continuationem motûs; remotis igitur ſigillis, quibus omnis ad conclave aditus obſignatus interea erat, inventa eſt machina cum omni ſedulitate deproperare ſuum curſum (nam uno horæ minuto ad 60. vel 100. revolutiones perficit) quem continuaret uſque ad finem ſæculi, ſi materiæ robur correſponderet durationi motûs; viderunt eandem multa hominum millia: unde juſtum arbitror, memoriam tanti Artificii & Artificis ad compeſcendam malevolorum invidiam huic operi inſerere, ut, ſi qui relationi huic nolint aſſenſum dare, locum & tempus habeant ipſam Machinam conſulendi, & oculari inſpectione ſuum erroneũ judicium corrigendi.

Quæ §. 135. dictorum Actorum de Alteratione Metallorum *temerè & fortuitò, vel certæ cujusdam regulæ beneficio* (ſi Diis placet) peractâ Mutus commemorat, refutatione non indigent; non enim in caſuali inventione, ſed in reali ſcientia hæc Ars locata eſt, ût cum omnibus veris Philoſophis teſtatur Cosmopolita. *Nunquam* enim *erit Ars aut Scientia, niſi primò inchoetur & incipiat à ſuis certis principiis*; ût habet Doctor Illuminatus in Pract. Teſt. cap. 2. *Et quia homines ignorant naturam & naturalem illius commixtionem & operationem, ideo rarus eſt & paucus* (Lapis Philoſophorum) *in actione manifeſta, quia ſuccurrere non poſſunt naturæ ratione ſuæ ignorantiæ, quouſque tranſierint per Philoſophiam univerſalem & deſideratam, quæ revelat eis res, quæ eis erant abſcondita & celatæ atque ignotæ:* Doctor Ill. in Theor. Teſt. cap. 88. quapropter *pro communi utilitate Philoſophantium, nec minùs quoque de præſenti Philoſophia cupientium perfici*, placuit Doctori Illum. ſcribere *omnia certa principia, non ſolùm conſiderationis, ſed ad oculum demonſtrationis hujus per modum textûs theorematum principiorum demonſtrabilium, ex quibus doctrinæ Filii intellectûs poterit faciliter conſequi omnimodam veritatem; maximè cùm ſecundaria & cætera principia ſequentia ex præcedentibus velut ex primordiis dependentibus ex hujus Artis principiis demonſtrentur*; Illuminatus Doctor in Codic. cap. 2. & 3.

Denique tentatâ infeliciter concordantiâ ſcriptorum chimicorum, quæ Mutus planè hâc ſuâ concordiâ parùm ſe inſpexiſſe probat, §. 136. Quadraturam Circuli Lullianam in examen vocat, & Doctorem noſtrum reprehendit; *quoniam vult circulo quadraturam convenire, ſed non intra limites Archimedis, quæ* (ût Mutus cenſet) *eſt optima maximèque legitima ratio aliquid examinandi* (meliorem ergò Methodum docuit Archimides Mutum, quàm S. Spiritus Raymundum) *verùm per hypotheſes impoſſibiles, & per ratiocinationem laborantem vitio manifeſti paralogiſmi & conſecutionis abſurdæ*: videamus viſionem hanc magnam: *Nam ſi figuras iſoperimetras omnes circulus magnitudine exſuperat, vel non poſſunt quadratum & circulus, licèt ſint iſoperimetra, æqualia eſſe; vel, ſi ſunt æqualia, iſoperimetra eſſe non poſſunt.* Muſtelam pro vulpe cepit Mutus, nam evenit illi, quod ſupra recenſui de ignorantibus alios Reges, niſi quos chartæ luſoriæ continent, ſic Muto in Geometria particulari aliqualiter verſato, & de Geometria Lulliana univerſali ne jota quidem ſcienti Quadratura Circuli Lulliana offendiculo fuit; quod illi non contigiſſet, ſi modicâ attentione & Perſpicuitate Lullianis textum Artis Generalis de hac materia agentem inſpexiſſet: nam ego, qui ultra triginta annos & diu, antequam ſors mihi obtigit ſacræ Artis Myſteriis initiari, in ſpeculationibus Theorematum Geometricorum inſumpſi, imò à teneris unguiculis in illis enutritus ſum, probèque novi, æqualitatem circumferentiarum circuli & quadrati non admittere æqualitatem ſuperficierum, nec è converſo, nunquam potui videre in adducta Demonſtratione Lulliana, Ill. Doctorem hìc agere de *Geometria ſenſuali* vel *imaginali*, ad quam Theorema vel Problema quæſitum pertinet, ſed de *Geometria intellectuali*, ût ipſe textus clariſſimè indicat, de qua, quid ſit, & qualiter differat ab hac, citato loco exponam.

Reddatur igitur Honor & Gloria tanto Doctori, qui tot ſæculis ipſi injuſtè fuit ablatus. Adeſte Chariſſimi Confratres & Condiſcipuli mei, arripite mecum arma, non quibus trucidantur corpora, ſed quibus devincuntur ingenia, vincamus non vi, non irâ, ſed amore & ratione volentes, non nolentes vinci; trahamus illos in noſtram ſententiam voluptate veritatis, quia trahit ſua quemque voluptas, non neceſſitas, non obligatio, ſed delectatio, ut nobiſcum participent Scientiam, quâ perducamur omnes ad ſupremam Sapientiam per medium prudentiæ, recolentes illius, cujus nos monet ſapientiſſimus Magiſter in Lib. de Virt. & Peccat. cap. de Prud. & Sapient. ſub ſenſu literali & metaphorico, quòd *Prudentia facit de terra argentum, & de argento aurum, & Sapientia veſcitur illo auro in faciendo Sapientias.*

(1)

REVELATIO SECRETORUM ARTIS,

In qua exhibetur integrum ejus Syſtema, oſtenditur admiranda & hactenùs incognita Methodus Analytica & Synthetica univerſaliſſima, tam in demonſtrando quàm in operando infallibilis & certiſſima, regulatur & adaptatur Potentia ad Objectum & Subjectum, & miniſtrantur Inſtrumenta, quibus Potentia agit in utrumque.

PROLOGUS.

CHariſſimi Confratres & Condiſcipuli, ubicunque terrarum degitis, præſentes ac futuri, ad Vos nunc converſo ſermonem, quorum DEUS tetigerit Corda & illuminaverit Mentes ad hanc Scientiam Scientiarum & Artem Artium addiſcendam; præ cæteris verò Vos alloquor feliciſſimos Sapientiæ Alumnos, qui Majorem inter Baleares incolentes cæteris mihíque Palmam præripitis, dum ſub Patrocinio Magnæ noſtræ Dominæ perpeti gaudetis aſpectu & ſupernâ influentiâ Sideris lucidiſſimi è Cœlo in terras veſtras micantis (volo dicere) Illuminati Doctoris noſtri & Beati Martyris Raymundi Lulli: quis mihi det, ut poſtremum inter Vos locum occupans, Vobiscum, non mente tantùm, ſed corpore præſens, me provolvam ante Aram amantiſſimi Magiſtri mei, ut exoſculer veſtigia, ubi ſteterunt pedes ejus, ut grates referam, licèt meritis ſuis impares, protantis beneficiis, quibus munificentiſſima illius Dextera in extremas quoque has oras exporrecta me immerentem ſuum Clientem dignata eſt beare! quis mihi det centum linguas det oráque centum, ut elatâ multiplicíque voce toti Orbi annunciem Laudes Doctoris Illuminatiſſimi, Magiſtri Fideliſſimi, Parentis Amantiſſimi, Martyris Glorioſiſſimi, Medici Excellentiſſimi, Philoſophi Profundiſſimi, Theologi Sublimiſſimi, uno verbo omnium Scientiarum & Artium nobiliſſimarum Ducis, Regis & Imperatoris! non hìc agam de Pietate, de Virtutibus, de laboribus, de perſecutionibus, opprobriis, carceribus, plagis, quæ omnia ob amorem Amati ſui, & ob zelum propagationis & exaltationis Sanctæ Fidei Catholicæ & Apoſtolicæ Romanæ perpeſſa campum ampliſſimum in illo mihi præberent ad Encomia illius multiplicanda ſinè numero: ſilebo pariter Meritum & Gloriam illius, quam nunc ab Amato ſuo recipit, cujusque idem ſupremus Amatus ad honorandum ſuum Amicum, & vindicandum à calumniis, detractionibus & injuriis iniquorum hominum in terris illuſtria ferè dietim dat Teſtimonia; hæc enim omnia & Vobis horum omnium, quæ dico, Spectatoribus non ſunt incognita, & ſufficienter in Libris Virorum Illuſtrium Acta illius & Cauſam continentibus toti orbi ſunt expoſita, & à me quoque loco huic materiæ magis competenti, nempe in Libro de Contemplatione referentur; ſolam nunc illius Scientiam ac Sapientiam defendendam & Vobis exponendam ſuſcipio, utpote quæ etiam ab Amicis ſuis ſupradictis Defenſoribus ob exiguam, vel, ſi fas eſt dicere, ferè nullam ejus cognitionem in modico habita eſt valore; hanc ſuſpicio, hanc veneror, quia (ût piè credo, & lectione tantorum Operum per tot annos continuatâ convictus ſum) cœlitùs acceptam tantò altiorem, tantò perfectiorem illam pronuncio, quantò potentius & univerſalius nacta eſt miniſterium: non enim uſui unius hominis, nec uni Scientiæ vel Arti, ſed omnium Scientiarum & Artium naturalium Reformationi & ultimatæ Perfectioni, omnium errorum ac hæreſum extirpationi, omnium Infidelium converſioni, ac proin Sacroſanctæ Fidei Catholicæ & Apoſtolicæ per univerſum mundum propagationi eſt deſtinata: jam tandem tot votis exoptatum à B. Magiſtro noſtro tempus adeſſe ſpero, quo non ampliùs maneat abſcondita Scientia, *cum qua noſtra Fides tũ commodè poteſt probari,*

& per quam homines errantes possunt acquirere Salvationem DEI, Lib. Desol. n. 22. *per quam potest exaltari nostra Sancta Fides Catholica, ut tot Infideles veniant ad veram conversionem*, ibid. n. 3. *per quam totus mundus poterit reduci in bonum statum*, ibid. n. 22. nunc denique tempus acceptabile, nunc dies salutis, (ût confido in Misericordia Domini) quo perficiatur & compleatur *hoc sanctum Negotium, pro quo triginta annis laboravit Illuminatus Doctor noster, & finem consequi non potuit*, Lib. Desol. n. 3. Arb. Scient. in prol. *Negotium magnum honoris magni DEI nostri & salvationis gentium*, ibid. n. 7. Prodeat in lucem Ars, cujus interitus, ne post suam mortem accideret, adeò angebat optimum Magistrum nostrum, ut afflictissimum illius Cor in hæc verba compassione dignissima se solverit Lib. Desol. n. 35. *O Domine glorioſe, estnè in mundo tale martyrium, quale id, quod suffero, quando tibi non possum servire, nec habeo, qui me adjuvet! quomodo potest bene permanere ista Ars, quam mihi dedisti, de qua potest sequi tantum bonum? quæ, timeo, ne post meam mortem perdatur; quia secundùm meum judicium nemo illam intelligit; nec possum ego cogere homines, ut illam audiant. O me tristem, si illa perdatur! quid potero tibi dicere, Domine, qui mihi illam dedisti, ut eam ampliarem?* Absit, amantissime Pater, ut pereat Ars, quæ tibi ab Amato tuo data est, ne milleni perdantur; *jam non sis solicitus de tua Arte, imò de illa gaude; cùm enim DEUS illam dederit, justitia & virtus illam multiplicabunt in legalibus Amatoribus:* nunc enim per gratiam DEI adimplebitur, quod quondam Consolator tuus Eremita tibi prædixerat, scilicet, *quòd, quamvis propter illam experiaris adversitates, alio meliori tempore sis habiturus tales Adjutores, qui illam addiscent, & cum illa vincent errores hujus mundi, & facient multas proficuas actiones*, ibid. n. 10. nunc felicem sortietur exitum Vaticinium Pastoris, *qui Libros tuos videns in monte deosculatus est eos flexis genibus, suis lacrymis rigans eosdem, dixitque, quòd per illos Libros multa bona Christi Ecclesiæ provenirent:* in Vita cap. 2. n. 2.

Eja igitur Pater Venerande, Magister Sapientissime revela Filiis & Discipulis tuis Confratribus meis Secreta Artis tuæ; non enim convenit, me Discipulum Condiscipulos docere, sed cum illis discere; à te igitur tanquam fonte haurire debeo, quod illis impertiar, non de meo, sed de tuo accipiens: & quamvis vox tua suavissima in auribus nostris non ampliùs resonare valeat, cùm corpus hoc mortale exueris, fiat tamen, obsecro, Pater mi, triplex Spiritus tuus in nobis, qui nobis manifestet *Veritatem, in cujus investigatione per unum & per alium modum diu laborasti, & per gratiam DEI ad finem & cognitionem veritatis devenisti, quam scire tantum desiderabas, & quam in Libris tuis posuisti: & licèt Libri tui modicè apprecientur, imò plures te teneant pro fatuo, quia nec te nec Libros tuos cognoscunt*, in Prol. Arb. Scient. in Lib. Desol. n. 16. 47. in Lib. Disput. Petri; nos autem Filii & Discipuli tui aliter judicamus, quos ratio & experimentum certos reddidit de ineffabili pretio tuorum Voluminum; malumus itaque tecum inter fatuos reputari, ut Scientiæ, Prudentiæ & Sapientiæ tibi à DEO affluenter infusæ possimus esse participes, quarum amor nos insensibiles faciat, *ut nec affectemus laudes hominũ, nec vituperationes expaveſcamus.* S. Hier. in Prol. ad l. Est.; multò minùs nos retrahat à studio tuorũ Librorũ latinitatis (ût ajunt) barbaries, quæ, licèt revera talis non sit, sed solummodò videatur iis, qui barbaræ Romanorum Grammaticæ legibus nullâ ratione sed placito Ethnicorum stabilitis assueverunt, nec Artem tuam efformandi rationalem Grammaticam norunt, facilè mitigatur amœnitate sublimitatis Doctrinæ: *Fatuis sanè consuetudo hæc est*, testante S. Cyrillo in Joan. c. 21. *semper enim sublimiori Doctrinæ, quam ipsi non intelligunt, detrahere solent, cumque attendere magis deberent, & subtilitate rerum elevari, contrà dejiciuntur, & durum appellant sermonem, quem admirari deberent; non aliter igitur, quàm edentuli soleant, molliora enim eligunt alimenta, etiamsi pejora sint, solidiora verò ac meliora edulia magnopere vituperant, ægrotationem suam celare studentes, mentis quoque acumine privati scientiam abhorrere solent, quæ magno studio magnáque operâ esset conquirenda.* Quapropter nobis Discipulis tuis *placuit* tecum & cum S. Gregorio Epist. ad Leand. *non metathismi collisionem fugere, non barbarismi confusionem devitare, hiatus motusque etiam propositionum casus servare contemnimus, quia indignum vehementer arbitramur, ut verba cœlestis Oraculi restringamus sub regulis Donati:* unde longè *melius est, ut reprehendant nos Grammatici, quàm ut non intelligant populi*; S. Aug. in ps. 138. nam *docendi modus hic est optimus, quo fit, ut, qui audit, verum audiat, & quod audit, intelligat; bonorum ergò ingeniorum insignis est indoles,*

les, in verbis verum amare, non verba; quid enim prodest aurea clavis, si aperire, quod volumus, non potest? aut quid obest lignea, si hoc potest, quando nihil quærimus, nisi patere, quod clausum est? S. Aug. de Verb. del.

Dum hæc & plura alia dirigerem ad B. Magistrum meum, totâ mente in ipsum & oculis in imaginem ejus defixis, nimiáque me premeret anxietas, quomodo Mysteria & Secreta tam ininvestigabilis Artis ac Scientiæ possem & deberem Condiscipulis meis declarare, ita quidem, ut ex una parte sufficeret expositio, & ex altera non abundaret, *hoc autem succincti sermonis eloquio non penitùs occulto, nec penitùs manifesto, non tamen sub ænigmate vel figura, sed potiùs sub plana sermonum serie, tali tamen, quòd hoc prudentes non lateat, mediocribus autem profundissimum sit, fatuos verò miserabiliter excludat, ne improbus æquè ac probus tam excelsam Scientiam usurpet indignè*, Mag. Artis Gen. de Flor. de Mag. Lap. Comp. cap. 1. ecce, lateri meo ipsemet adstat Doctor Illuminatus promissâ, ût pingi solet, barbâ, venustâ ac hilari facie me interpellans, Fili: cúmque perterritus me verterem in latus, noli timere (ait) respice hunc librum, aperiensque mihi librum prægrandem, quem secum tulerat, septem sigillis clausum, jussit, ut legerem altâ voce; incepi itaque legere, ût sequitur.

„ In quodam vertice alti montis stabant tres Domicellæ multùm nobiles & multùm pulchræ, quarum una ascendebat & descendebat & circuibat totum montem; dum sic ambularet, respexit & vidit quandam arborem altam multùm pulchram & magnam oneratam multis floribus, foliis, fructibus: arbor sita erat ad pedem montis, & illam rigabant fontes & flumina, quæ descendebant de monte & ascendebant. Dum sic Domicella considerabat arborem, vidit è magna silva progredi quoddam animal, quod appropinquabat versùs arborem; collum illius bestiæ erat divisum in duo capita, quorum dextrum erat in figura hominis, & sinistrum in figura bestiæ: in sinistro capite erant duæ scalæ erectæ, quarum prima habebat quatuor gradus, secunda quinque; in prima scala quatuor graduum erant duæ bestiæ, una differens ab altera; in secunda quinque graduum erant quinque bestiæ omnes inter se differentes in figura & officio: postea contemplata est caput dextrum in figura hominis, in quo vidit pariter duas scalas erectas, in quarum qualibet erant quinque gradus; in prima scala stabant tres Reginæ multùm pulchræ & nobiliter vestitæ; in secunda quatuor, omnes septem differentes inter se in figura, specie & munere: interim animal junctum erat arbori, levavitque dextrum caput, & duas illius scalas ad arborem, quibus scandentes septem Reginæ in ipsam arborem comederunt de floribus & fructibus illius, prout cuilibet conveniebat: illis verò comedentibus septem bestiæ clausæ in sinistro capite depresso in terram præ fame multùm clamabant, ut animal erigeret sinistrum caput, & dextrum inclinaret; quod cùm animal fecisset, ascendebant septem bestiæ per scalas in arborem, vorabantque folia, & arrodebant branchas, destruebant autem flores & fructus cibum Reginarum: quo viso septem Reginæ plangebant, inieruntque consilium, quomodo septem bestias debellarent; quarum una dixit, ut facerent vexillum rubeum, in cujus uno latere pingeretur figura solis, & in altero figura lunæ, quia sunt individua, quæ non habent simile, nec par, nec æquale in toto mundo.

„ Perceptâ intentione septem Reginarum concordarunt quoque septem bestiæ, ut facerent vexillum nigrum, in cujus una parte esset figura hominis inversi, & in altera parte figura serpentis; prælio itaque inito fortissimo & diuturno septem Reginæ auxilio unius trium Domicellarum vicerunt septem bestias: quibus devictis una Domicellarum vidit exire è magna quadam silva duas bestias multùm feroces & multùm extraneas ac silvaticas: una illarum fuit nigra à medio ad sursum, & altera medietas fuit in colore croceo; altera bestia fuit viridis à medio ad sursum, & altera medietas fuit in colore albo: ambæ bestiæ confligebant multùm fortiter una contra aliam mutuò se vulnerantes, donec bestia nigra & crocea vicit bestiam viridem & albam; quâ superatâ ivit ad animal, & destruxit ac vicit illud, & divisit in duas partes, de una parte fecit quatuor partes, quas tulit in silvam, è qua duæ bestiæ exierant; alteram partem non potuit dividere, nec in silva collocare.

„ Quando de animali omnia ista fuerunt facta, venit magna quædam avis, & apprehendit partem animalis, quæ non

„potuit dividi in partes contrarias, & ap-
„prehendit ſeptem Reginas, & tulit illas in
„magnam ſilvam; & tres Domicellæ in u-
„no tempore erant jucundæ in vertice mon-
„tis, & in alio tempore erant triſtes & de-
„ſolatæ in ſilva, in qua erant incarceratæ:
„unde per carcerem, in quo erant, una
„conquerebatur de altera uni ſeptem Re-
„ginarum, quæ torquebat quamlibet Do-
„micellarum in ſilva de injuria, quam
„quævis alteri fecerat. Interea dum una ſep-
„tem Reginarum torquebat tres Domicel-
„las, concordarunt mittere unam ſeptem
„Reginarum ad verticem montis, ut inde
„afferret unum pomum, quod comederent,
„& odorarentur, adhoc, ut cum ſapore
„& odore pomi conſolarentur & confortа-
„rentur de gravibus pœnis, quas ſuſtine-
„bant: denique poſtquam tres Domicel-
„læ mutuò ſatisfecerant, venit pomum,
„& ſtatim illa Regina, quæ Domicellas tor-
„ſerat, & alia Regina ſua ſoror ſumpſe-
„runt tres Domicellas, & trahentes eas de
„ſilva repoſuerunt in vertice montis in
„multò pulchriori & magis delectabili lo-
„co, quàm in quo priùs ſteterant, quando
„Reginæ & beſtiæ præliabantur. Doctor
Illuminatus in Lib. Contemp. Vol. 3. Lib. 5.
Diſt. 40. cap. 354.

Finitâ hac lectione quæſivit à me, putasnè, intelligis, quæ legis? & ego: quomodo poſſum intelligere (mi Pater) ſi non aliquis oſtenderit mihi? at ille: ſi Artem meam, ſi Rhetoricam meam, ſi Philoſophiam, Theologiam meam intelliges, etiam ſupradicta poteris intelligere; „nam qui „hunc Librum vult intelligere, convenit, „quòd ſciat vocabula Philoſophiæ & Theo-„logiæ, ad hoc, ut poſſit intelligere & ſci-„re rationes Philoſophiæ, de quibus iſte Li-„ber eſt compoſitus & formatus; quia quan-„do vocabula non intelliguntur, non po-„teſt intelligi hoc, quod prædicatur ſuper „vocabula, quæ ſunt ſubjecta hujus Scien-„tiæ noviter & novo modo demonſtratæ; „& convenit, quòd ſciat tres arbores pri-„mas in tertio volumine, ut per illas poſſit „venire ad hanc Scientiam. Doctor Illu-minatus Lib. Contemp. Vol. 3. Lib. 5. Diſt. 40. cap. 366.

Dicas amantiſſime Pater (iterum rogavi) ad quid & in quem finem me juſſiſti legere ſuprapoſita, quæ ſunt mera ænigmata? ego verò promiſi Confratribus meis, Diſcipulis tuis Revelationem Ænigmatum & Secretorum tuorum, quomodo igitur ſtabo promiſſis, ſi tu non feceris miſericordiam nobiscum, & denodaveris hos nodos? Reſpondit Doctor Illuminatus: Fili, non ſunt ænigmata, quæ legiſti, ſed ſenſus literales ſcientibus legere in hoc Libro: nam dicas mihi, eſtnè hoc ænigma, quando dico: *magnes attrahit ferrum?* Diſc. non, ſed eſt ſenſus literalis. Mag. ſed quando dico: magnes attrahit ferrum, intelligisnè Fili, *quòd ſcammonia purget choleram*? nequaquam, niſi ſcias Artem meam, quæ tibi dabit perſpicilia, ut uno intuitu videre poſſis centum & mille in uno, & unum in centum & mille: tu enim noſti, quòd ille, qui eſt in centro, tangit omnes radios ad circumferentiam extenſos; & qui eſt in circumferentia, per quemlibet radium poteſt pervenire ad idem centrum: & ex hoc tibi revelatur jam unum ac maximum Secretum, quomodo ſenſus literalis ac metaphoricus ſint convertibiles: nam quando dico: magnes attrahit ferrum, tunc ſenſus literalis ſignificat, quòd magnes attrahat ferrum, & ſenſus metaphoricus ſignificat, quòd ſcammonia purget choleram: ſed quando dico: *ſcammonia purgat choleram*, tunc ſenſus metaphoricus transmutatur in literalem, & literalis in metaphoricum; quia dicendo, ſcammonia purgat choleram, metaphoricè ſignifico, quòd magnes attrahat ferrum: unde ſcire debes Fili, quòd ſenſus literalis ſit centrum, & ſenſus metaphorici ſint radii profluentes à centro ad circumferentiam: & ſicut infiniti radii eliciuntur ex uno centro, ſic infinitæ metaphoræ ex uno ſenſu literali; nam omnis ſenſus literalis unius Scientiæ habet ſuum ſenſum parallelum metaphoricum in altera Scientia: Doctor Illum. Lib. de Grad. Med. Diſt. 1. cap. 5. Diſt. 5. cap. 16. Diſt. 6. cap. 20. & hoc eſt terribile Secretum, de quo infrà in Revelatione Secretorum meæ Rhetoricæ.

Quare autem & in quem finem te juſſerim legere ſupradictum caput, eſt, quia in eo continetur totum Syſtema, quod poſtea revelare intendo; in eo enim continetur Arcanum totius naturæ creatæ ſecundùm ſenſum literalem, & totius naturæ increatæ ſecundùm ſenſum metaphoricum: unde conſulo, ut petas à Reformatoribus meæ Artis ac Scientiæ, ut tibi vel hoc ſolum caput exponant, ac, quid per illud voluerim, demonſtrent. Diſc. hoc difficulter ab ipſis impetrabo, à te verò facillimè, ſi vis Magiſter opti-

optime; quis enim meliùs noverit ſenſum tuorum Librorum, quàm tu? Sed quid conſequemur nos tui Diſcipuli intelligentiâ tam magni Libri, quem nobis afferre dignatus es? Mag. Fili, *per hunc Librum poteſt homo habere ſanitatem ſenſualiter & intellectualiter, & poteſt homo ſanari de infirmitate ſenſuali & intellectuali.* Vol. Contemp. cap. 366. Diſc. magnum eſt, quod ſperare nos jubes Pater; at unum eſt, quod & ſcire quidem cupio, & quærere pertimeſco. Mag. ne timeas Fili, non te celabo quidquam. Diſc. quia tanta mihi fuit controverſia cum quibusdam tuorum Diſcipulorum & aliorum Scriptorum, qui negant, te docuiſſe Artem comparandi divitias, quæſo, tu litem noſtram dirimas, eſtnè talis Ars forſan etiam in hoc Libro contenta? nam cùm hic Liber ſit tuus ſinè ulla ambiguitate, uno ictu tota quæſtio eſſet deciſa. Mag. quinimo Fili, qui ſupremum gradum in ſcala fabricavit, infimum non omiſerit, niſi voluiſſet ſcalam imperfectam relinquere; & ideo ſis certus, *que aqueſt Libre es bo à crexer è à multiplicar la Honor de la ſancta Esgleya de Roma, el Poder è la Riquea daquella; la qual multiplicatio de Honor è de Riquea è de Poder eſta en la forma potential*, NB. *ala actualitat de la qual es aqueſt Libre aparellament è endreſament, ab que la bonea daqueſt Libre ſia membrada è enteſa è amada:* Vol. cont. dicto cap. 366. Quid igitur ampliùs à me depoſcere poſſes Fili, quàm quod in hoc libro tibi teſtamento reliqui, ſcilicet Sapientiam? nam quia *longitudo dierum in dextera ejus*, illa tibi tribuet *ſanitatem ſenſualem & intellectualem*, & quia *in ſiniſtra ejus divitiæ & gloria*, Prov. 3. v. 16. illa te beabit *theſauro ſenſuali & intellectuali.* Diſc. ſed forſan hæc multiplicatio divitiarum eſt tantummodò moralis, & non phyſica, hoc eſt, per induſtriam & bonam œconomiam producta? (hoc enim poſſent opponere noſtri ſpeculativi) Mag. Fili, ſicut docui in hoc libro Artem ſanandi etiam ſenſualiter, cujus ſecreta per totum librum diſperſa invenies, ita, ut quilibet homo ſapiens in particulari illam ex illo poſſit addiſcere, dummodò librum intelligat, ſic in eodem libro docui Artem diteſcendi; cùm cognitio unius magnam habeat connexionem cum cognitione alterius; utraque enim non poteſt haberi, niſi acquiſitâ perfectâ notitiâ Analyſeos & Syntheſeos naturalis, quam integrè expoſitam in hoc libro invenies, utpote *formam*, cui inædificata eſt tota *figura* Analyſeos & Syntheſeos intentionalis; quam ultimam clariùs elucidabo in ſequentibus.

Nec tamen hoc egi, ut prima tua intentio ſit addiſcendi Artem ad congregandas divitias, ſed ad acquirendam Sapientiam; *melior eſt enim Sapientia cunctis pretioſiſſimis, & omne deſiderabile ei non poteſt comparari*, Prov. 8. v. 11. *& melior eſt acquiſitio ejus negotiatione argenti, & auri primi & puriſſimi fructus ejus:* Prov. 3. v. 14. *propter hoc* & ego, Fili, *optavi, & datus eſt mihi ſenſus, & invocavi, & venit in me Spiritus Sapientiæ*, Lib. Sap. cap. 7. v. 7. *& præpoſui illam regnis & ſedibus*; ibid. v. 8. & quamvis per illam ſciverim *diſpoſitionem orbis terrarum & virtutes elementorum*, ibid. v. 17. (ût videre poteris in Libris meis Philoſophicis) *naturas animalium & iras beſtiarum &c., differentias virgultorum & virtutes radicum*, ibid. v. 20. (ût teſtantur mei Libri Medici) *anni curſus & ſtellarum diſpoſitiones*, ibid. v. 19. (ût verificant Libri Aſtronomici) productionem metallorum & lapidum pretioſorum, (ût docent Libri Chimici) nam *quæcunque ſunt abſcondita & improviſa, didici, omnium enim artifex docuit me Sapientia*, ibid. v. 21. nihilominus *Divitias nihil eſſe duxi in comparatione illius*, ibid. v. 8. *nec comparavi illi lapidem pretioſum; quoniam omne aurum in comparatione illius arena eſt exigua*, & ab eo, qui Scientiam & Artem producendi metalla poſſidet, *tanquam lutum æſtimabitur argentum in conſpectu illius:* ibid. v. 9. quapropter & vos, chariſſimi Filii, *accipite* à me *diſciplinam & non pecuniam; doctrinam* hujus libri, quem vobis trado, *magis quàm aurum eligite.* Prov. 8. v. 10.

Diſc. antequam auſpiceris ipſam Revelationem Secretorum tuæ Artis, unum reſtat, quod ſcire averem, Pater, eſtnè hic Liber, de quo tanta bona nobis proventura certificas, ille, quem primo Tomo nunc luci expono? Mag. non, Fili, ſed primus & reliqui tres ſequentes ſunt claves ad hunc aperiendū: in hoc autem eſt ſupremus apex & centrum Scientiæ & Sapientiæ humanæ: unde ſi infenſiſſimus meus inimicus potuiſſet pertingere ad Secretum hujus Libri, quē adeò infectatus eſt, intelligendum, infinitas gratias reddidiſſet DEO altiſſimo & glorioſo omnium maximorum donorum Largitori, à quo omne & tantum bonum hujus libri promanavit.

Diſc. Obſecro, Pater, nomina hunc librum nomine ſuo proprio, ut Diſcipulis

tuis non maneat abſconditus tantus theſaurus. Mag. libenter faciam, eſt *Liber magnus Contemplationis* conſtans tribus Voluminibus, quinque Libris, quadraginta Diſtinctionibus, & trecentum ſexaginta ſex Capitibus, addito ultimo in quatuor Partes diviſo ob diem intercalarem, quolibet inſuper Capite in triginta paragraphos exactè diſtincto: licèt autem hic Liber ſit melior, altior, profundior, perfectior, utilior omnibus meis aliis libris, eò quòd, quidquid bonitatis, altitudinis, profunditatis, perfectionis, utilitatis & infinitorum aliorum donorum in aliis meis libris continetur, in hunc tanquam fructum tantæ arboris eſt adunatum; habent tamen præfatæ nobilitates adhuc ſuos gradus in illo, quia *bonitas libri eſt major & melior in ſecundo Volumine, quàm in primo, & in tertio Volumine, quàm in ſecundo*, Lib. Contemp. cap. 366. ab initio: & hoc ideo dico, ut, quando ad lectionem hujus libri acceditis, vos non lateat modus illum ſtudendi & addiſcendi; „cùm enim „homo debeat addiſcere res captu facilio„res, idcirco omnis homo, qui vult ad„diſcere & ſcire hunc librum, debet inci„pere in primo Volumine, & poſtea per„gere ad ſecundum, & dein ad tertium; & „hoc ideo, quia ſecundum Volumen eſt „magis obſcurum & difficilius ad intelli„gendum, quàm primum, & tertium, quàm „ſecundum: eod. cap. part. 2. propter hoc „convenit, quòd homo elevet, quan„tò altiùs poteſt, ſuum intellectum in hoc „Libro: Lib. Mir. Dem. in Prol. f. 2. & ratio „& cauſa hujus eſt, quia iſte Liber eſt per „gratiam & auxilium DEI; quia quantò „magis Anima fruitur & contemplatur ſu„um Creatorem, tantò magis declaratè & „magis pulchrè habet præparatam ſuam „memoriam, intellectum & voluntatem „ad dictandum & componendum hunc Li„brum: quem eundem gradum præparationis ſinè dubio debet habere memoria, intellectus & voluntas Animæ legentis, ſi vult intelligere mentem ſcribentis, ût poteritis percipere ex regula prima Com. ſuper Art. Demon. „Unde cùm hæc „ſit ratio & modus, & cùm ſit ordinatum „& conveniens, quòd in rebus bonis inve„niatur major dulcedo & placitum, quan„tò magis tractatur de illis, ideo eſt ordi„natum in hoc Opere Contemplationis, „quòd ſecundum Volumen ſit majus & me„lius, quàm primum, & tertium Volumen „ſit majus & melius, quàm ſecundum: in dicto Lib. Contemp. cap. 366. par. 1.

Quapropter ut magis augeatur amor & fervor tuus & Condiſcipulorum tuorum ad ſtudium hujus Libri, & ad comparandam Artem ac Scientiam, per quam aperiuntur & revelantur Secreta illius, dilucidabo in primo Capite vobis aliquas incomparabiles Proprietates & Dignitates, quas ſecumfert mea Ars & Scientia, ut ſciatis menſurare ex ungue leonem; (ût ſonat proverbium) ſi enim clavis eſt adeò nobilis, quo Palatium aperitur, quid cenſendum putatis de ipſo Palatio? Adeſte igitur Filii chariſſimi, & videte, quoniam *non ſoli mihi laboravi, ſed omnibus exquirentibus veritatem*; Lib. Eccl. cap. 24. v. 47. *nihil enim eſt opertum, quod non revelabitur, & occultum, quod non ſcietur*: Math. 10. v. 26. quoniam *doctrinam quaſi antelucanum illuminabo omnibus, & enarrabo illam usque ad longinquum.* Eccl. cap. 24. v. 44.

CAPUT I.

De Proprietatibus & Dignitatibus Artis ac Scientiæ in Genere.

MAg. Multæ ſunt Proprietates & Dignitates meæ Artis & Scientiæ, quas omnes longum eſſet enarrare, ſed neceſſarium, utile ac delectabile erit vobis ſcire tredecim ſequentes, quarum

Prima eſt, quòd ſit *Univerſaliſſima*; *nulla enim Scientia aliquid tractat, niſi per hanc Artem, aut per terminos hujus Artis, aut reducibiles ad eos, aut reſolubiles per eos*; Doctor Illum. in Introd. Art. Dem. cap. 33. n. 4. f. 29. „nam principia figurarum ob eorum „maximam Univerſalitatem ſunt valde ſufficientia ad reſpondendum infinitis quæ„ſtionibus: Doctor Illum. in Lib. Prop. Art. Dem. Diſt. 4. p. 2. de Quæſt. f. 41. „hoc „autem fieri oportet, ut infinitas im„plicitorum ſub finitate explicitorum com„prehendatur, exiſtentibus terminis infi„nitis implicitis in terminis finitis explici„tis, & infinitis diffinitionibus implicitis „in finitis diffinitionibus explicitis; & ſic „de conditionibus, regulis & quæſtioni„bus, ad hoc, ut Ars ſit univerſalior ſeu ge„neralior apta infinita implicita ſucceſſivè in

„in ſuis explicitis explicare: Doctor Illum. in Art. Inv. Diſt. 4. q. 9. K. K. f. 157. „igitur om„nis ratio, quæ fit, aut fieri poteſt, imò „omne, quod fit, aut fieri poteſt, NB. „quod eſt, aut eſſe poteſt, in iſta Arte tan„quam in ſpeculo relucet, in quo omnes „Scientiæ apparent. Doctor Illum. in Introd. Art. Dem. cap. 34. n. 1. f. 29.

Eſt etiam Univerſaliſſima, quia eſt univerſalior, quàm Metaphyſica & Logica; nam quamvis „iſta Ars & Logica & Meta„phyſica quodammodò circa idem verſen„tur, quia circa omnia eſt earum intentio, „veruntamen in duobus differt ab aliis, vi„delicet in modo conſiderandi ſuum ſubje„ctum, & in modo principiorum; Meta„phyſica enim conſiderat res, quæ ſunt ex„tra Animam, prout conveniunt in ratio„ne entis; Logica autem conſiderat res ſe„cundùm eſſe, quod habent in Anima; „tractat enim de quibusdam intentionibus, „quæ conſequuntur eſſe rerum intelligibi„lium, ût puta, de genere, ſpecie & de ta„libus, & de iis, quæ conſiſtunt in actu ra„tionis, ût puta, ſyllogiſmo, conſequen„tiâ & talibus; ſed hæc Ars tanquam ſum„ma & ſuprema omnium Scientiarum hu„manarum indifferenter reſpicit ens ſecun„dùm iſtum modum & ſecundùm illum. „Differt etiam ex parte principiorum, quia „Metaphyſica principia ponit, format & „invenit, ut ſtatim ea applicet actualiter ad „probandas paſſiones aut proprietates de „ſubjecto; Logica verò regulas & conſide„rationes omnes ponit, ex quibus ſyllogi„zari poſſit; iſta autem Scientia nulla prin„cipia actualiter exprimit, per ſe loquendo, „ex quibus arguatur, ſed ſolùm docet viam „inveniendi communia principia in qua„cunque Scientia, cognitis terminis illius „Scientiæ, cujus vult principia invenire; „& aliquâ notitiâ habitâ illius ponit aliquos „terminos principiorum, quibus poſſunt „infinitæ propoſitiones formari, quemad„modum infinita verba formantur ex pau„ciſſimis literis, videlicet ex literis Alpha„beti &c.: ſi tamen demonſtrans per iſtam „Artem utatur propoſitionibus ab aliquo „formatis, eſt per accidens, quia demon„ſtrans per iſtam Artem non ſolùm habet „uti iſtis principiis, ſed formare & inveni„re principia, & non ſolùm communia „principia, ſed etiam particularia: Doctor Ill. in Introd. ad Art. Dem. cap. 1. n. 2. & non ſolùm principia particularia, ſed etiam quævis particularia ex principiis particularibus aliarum Scientiarum principiata: „ratio au„tè hujus eſt, quia hæc Ars ſuper cæteras Sci„entias eſt univerſalis, ratione cujus uni„verſalitatis particularia aliarum Scientia„rum per viam rationis ad eam ſunt reduci„bilia; idcirco cùm hæc ſit omnibus gene„ralior, huic omnes ſubeſſe debent, ut, „dum fit ex particularibus earum judicium, „depurentur & cognoſcantur earum condi„tiones, quas habent per ſe, ſecundùm „conditiones, quas habent in ſuis univer„ſalibus principiis. Doctor Illum. in Comp. Art. Dem. Diſt. 2. de Reg. reg. 39. f. 88.

„Et licèt hæc Scientia intendat de iſtis „univerſalibus tanquam de primis cauſali„bus & eſſentialibus principiis, veruntamen „principaliter intendit de univerſali actua„liter cauſato ſeu conſtituto de ipſis primis „& ſimplicibus principiis, quod eſt medi„um hujus finis, ſcilicet concludendi quod„vis particulare ſub illo contentum: iſtud „autem univerſale eſt compoſitum; & quan„tò magis eſt compoſitum ſeu mixtum, „tantò plura particularia ſub ſe continet; „quia quantò magis eſt compoſitum ſeu „mixtum, ex tantò pluribus ſimplicibus „principiis conſtat: Doctor Illum. in Comp. Art. Dem. Diſt. 3. de Quæſt. f. 147. & hoc eſt maximum Secretum.

Secunda eſt, quòd ſit *Certiſſima & maximè Infallibilis*: ratio hujus eſt, quia *principia hujus Artis in majori parte per ſe nota ſunt*, imò *notiſſima*, ſcilicet ab experimento ſenſuali & intellectuali, quorum primum tangit infimum gradum, infra quem non patet deſcenſus; ſecundum autem tangit ſupremum, ſupra quem non datur aſcenſus; ſunt enim principia hujus Artis de primitivis, ſupremis, eſſentialibus, ſubſtantialibus & realibus veritatibus: „illa verò, quæ fortè per ſe non „ſunt manifeſta, ſunt per T. demonſtrabi„lia, perquirendo particulare in univerſa„li illius principii, quod indiget probatio„ne: quare, ſi quis neget principia per ſe „nota hujus Artis, non eſt cum eo confe„rendum; ſi verò neget ea, quæ per ſe no„ta non ſunt, probentur ei, modo proban„di hujus Artis. Comm. Art. Dem. Diſt. 2. p. 2. reg. 26. f. 85.

Eſt etiam certiſſima & infallibilis ratione modi operandi cum principiis; *nam quot ſunt cameræ in iſta Arte, tot ſunt principia & regulæ infallibiles*: Introd. Art. Dem. cap. 22. fol. 12. unde cùm modus operandi nihil aliud

aliud sit, quàm „regula & quædam utilis „ordinatio ex necessariis principiis proce„dens, tanquam via compendiosa seu me„dium veniendi ad finem optatum, Ars Inv. Dist. 3. de Reg. f. 37. sicut ipsa principia ratione suæ necessitatis sunt infallibilia, sic regula operandi cum principiis ratione suæ necessitatis provenientis ex necessitate principiorum, ex quibus procedit, necessariò est infallibilis; ût infrà fusiùs probabitur in Capite de Secreto Modi operandi. Præterea „quia „omnes trianguli T. & alii universales ter„mini hujus Artis inveniuntur simpliciter & „secundùm suam mixtionem universalem „in subjecto uniuscujusque Scientiæ seu Ar„tis, omnes Scientiæ seu Artes sunt concor„dantes adinvicem ad unum finem, & sunt „unum subjectum hujus universalis Scien„tiæ, videlicet hujus Artis; (quod maxi„mum Secretum latuit Reformatores meæ Artis) „ & ex hoc, quòd communia prin„cipia seu universalia hujus Artis simplici„ter & secundùm suas mixtiones inveniun„tur, & ita sunt necessariò de infimis parti„cularibus cujuslibet earum usque ad suum „universale supremum, infallibiliter ergò, „quantum est de vi hujus Artis, procedunt „conditiones & conclusiones hujus Artis in „omni Scientia vel Arte: fallibilitas autem „in ea contingere potest ex imperitia ope„rantis, Com. Art. Dem. Dist. 3. de q. Y. n. 2. f. 127. quemadmodum fallibilitas operantis in Arithmetica vel Geometria, quarum principia & modus operandi de se sunt infallibilia, ipsius imperitiæ, & non Scientiis, est adscribenda. „ Plures autem, qui „non viderunt ista principia, credunt, in „Scientiis particularibus multa solùm esse „probabilia, quæ per Artem ostenduntur „necessaria. ibid. Dist. 2. pag. 2. de Reg. fol. 81.

Tertia est, quòd sit *Subtilissima:* Fili, *cùm homo sit conjunctus & compositus ex natura sensuali & ex natura intellectuali, idcirco quidam homines habent subtilitatem sensualem, & alii habent subtilitatem intellectualem*, Lib. Contemp. Vol. 2. cap. 215. & aliqui habent utramque; & tales fuerunt antiqui Philosophi: *unde cùm Philosophi tractaverint de natura universaliter & particulariter, habuerunt subtilitatem compositam de rebus sensualibus & intellectualibus:* ibid. Quapropter, ut omnibus tribus generibus horum hominum satisfacerem, dedi Artem & Scientiam subtiliandi ingenium, quantum est possibile, in rebus sensualibus, in rebus intellectualibus, & in rebus compositis ex utrisque; & ideo Volumen secundum Libri Contemplationis composui de *quinque Sensibus sensualibus*, & de *quinque Sensibus intellectualibus*; quia hi sunt instrumenta, cum quibus intellectus potest esse subtilis in rebus sensualibus & intellectualibus: „& „quia illi, qui incipiunt in rebus gene„ralibus, & descendunt, ut sint subti„les, ad res speciales sensuales, non pos„sunt habere tantam subtilitatem, ût illi, „qui incipiunt in rebus sensualibus, & as„cendunt, ut sint subtiles, ad res generales; „(& hoc accidit ideo, quia intellectus illo„rum, qui incipiunt in generalitatibus, „descendit ad res sensuales, & intellectus „illorum, qui incipiunt in rebus sensuali„bus, ascendit ad res intellectuales) ideo „antiqui Philosophi in multis rebus fuerunt „decepti respectu Magistrorum, qui tra„ctant de Philosophia & Theologia perfe„ctè & ordinatè per hoc, quia de rebus in„ferioribus elevant suum intellectum esse „subtilem in rebus superioribus & altis: ibid. & hæc est causa, quare in Commento super Artem Demonstrativam dedi vobis Regulam primam, supremam ac universalissimam, quâ mediante posset vester intellectus exaltari & subtiliari ab infimo gradu rerum sensualium, de quibus agit Philosophia, usque ad supremum gradum rerum intellectualium, de quibus agit Theologia: & hoc ipsum docui in Libro de Ascensu & Descensu Intellectûs. Et quia est impossibile, ut quis possit ascendere de infimo gradu usque ad supremum gradum Subtilitatis & subtilissimæ Veritatis sinè perfecta scientia Punctorum transcendentium (de quibus in Lib. Demonst., sed fusissimè & clarissimè in Arte Inv. regulâ octavâ scripsi) ideo Illuminatione supernâ mihi revelata est natura & usus horum Punctorum, per quos poteritis cognoscere omnes errores antiquorum & modernorum Philosophorum in rebus naturalibus demonstrandis commissos, qui horum Punctorum nullam omninò notitiam habuerunt.

Fili, inter hos Punctos supremus est *Fides supernaturalis & Ratio supernaturalis*; nam cùm intellectus creatus hominis tanquam ens finitum solis naturæ viribus non possit transcendere naturam finiti ad attingendum Ens infinitum, voluit Ens infinitum per suam gratiam dare intellectui instrumentum ad transcendendum suum terminum naturalem, ut posset cognoscere objectum supernaturale infinitum, quod est finis, ad quem primariò à DEO est creatus: & hæc est ratio, quare in Libro Contempl. Vol. 3. Lib. 4. Dist. 36. cap. 238. posui *Arborem Fidei & Rationis*, & in Figura S., hoc est, Animæ rationalis posui *Quadrangulum rubeum*, qui est Fidei, & in Lib. Mirand. Demon. 2. cap. 27. fol. 50. exposui, *quid sit Demonstratio supernaturalis:* „ unde cùm Philosophi an„tiqui non investigaverint veritatem cum „fide, sed cùm ratione tantùm, sequitur, „quòd illorum scientia suo tempore non „tantùm valuerit, quantùm nostra scientia „hoc tempore; Lib. Contempl. Vol. 3. Lib. „5. cap. 364. quia sicut Philosophi antiqui „habuerunt introitum & modum, ut es„sent subtiles, per hoc, quia habuerunt „cognitionem de quinque generalitatibus „universalibus & de decem prædicamentis, „in quibus versatur tota subtilitas philoso„phica, sic nostri Sapientes & Magistri ha„buerunt modum & semitam, ut essent „subtiles in Theologia, quia habent fidem „& cognitionem, quid sit Anima, & quid „sint suæ virtutes & qualitates. Lib. Contempl. Vol. 2. Lib. 3. cap. 215.

Discite igitur Filii meam Artem, præsertim verò materiam de Punctis transcendentibus, & modum faciendi Demonstrationes supernaturales; discite porrò non nudâ speculatione, sed ipso experimento, assequi id, quod supradicto cap. Lib. Mir. Dem. & sequenti docui, & non ambigetis, Artem & Opus dictum esse subtilissima; „quæ Ars „& Opus mihi fuerunt multùm magni la„boris & periculi sensualis & intellectualis; „quia sicut magnum pondus offendit & de„struit dorsum animalis, sic propter longi„tudinem & subtilitatem & novas & multas „rationes habui multas pœnas, labores & „pericula, & pertuli multas injurias & con„temptus ab hominibus &c.; ita, ut multo„ties putarim, me periturum in hoc Libro „Contemplationis propter meam fragilita„tem, quæ est multùm magna & misera, „& propter longam continuationem & „magnas subtilitates hujus Operis. Lib. Contempl. Vol. 3. Lib. 5. cap. 366. p. 4.

Quarta est, quòd sit *Altissima* simul & *Profundissima:*

Primò, quòd sit *Altissima*, *nam ista Ars ratione suæ Universalitatis super cæteras Artes & Scientias ad altissima puncta pervenire docet, quæ per cæteras Scientias particulares sive Artes attingi non possunt:* Doctor Illum. in Lib. Comp. super Art. Dem. Dist. 2. de Reg. 21. *de conditionibus ergò hujus Artis est, quòd Artista suum E. altiùs, quò poterit, extollat, eo modo, sicut exigit altitudo hujus Artis, ratione cujus altitudinis est super cæteras Scientias universalis; quòd si non, non poterit utique recipere influentiam hujus Artis:* ibid. & ad altitudinem hujus Artis nemo posset ascendere, nisi ipsi præparassem tres scalas, quarum prima habet decem gradus, secunda duodecim, tertia quinque, scilicet *sensibile, imaginabile, dubitabile, credibile, intelligibile:* Lib. de Asc. & Desc. Intell. dis. 1. & quia „humanus „intellectus duobus modis intelligit; primus „modus est, cum sensu & imaginatione & „cũ sua propria natura; secundus est, quan„do intelligit cum divinis Rationibus & „cum sua natura, Doctor Illum. in Lib. Ser. cont. error. Averr. in prol. & per meam Artem non solùm habeam demonstrare res naturales, sed etiam res supernaturales, ût sunt Articuli Sanctæ Fidei Catholicæ, quod videre poteris in diversis meis Libris, singulariter in Lib. Gent. & trium Sap. in Lib. Mir. Dem. in Lib. de Art. Fidei, ad hoc, ut errantes reducantur, & infideles adducantur ad veram Fidem, *quæ sublimis est secundùm modum intelligendi cum altissimis divinis Attributis*, ibid. ideo DEUS mihi dedit altissimam Artem, quæ contineret in se *ambas species* intelligendi; & hæc est *Ars Compendiosa inveniendi Veritatem, quæ est Ars, per quam sic ascendit intellectus ad intelligendum, sicut vox ad cantandum per Artem Musicæ.* Doctor Illum. in Lib. Eva. 4. c. *Et in terra Pax.*

Secundò, quòd sit *Profundissima* ratione humilitatis, sinè qua nemo unquam Secreta hujus divinæ Scientiæ & Artis assequetur: unde scito Fili, quòd hæc Scientia sit propriè Scientia parvulorum; nam sicut parvuli totam scientiam suam claudunt viginti quatuor literis Alphabeti, sic tota mea Scientia & Ars viginti quatuor literis alphabeti comprehenditur; quas nisi te humilies addiscere, etiamsi viginti vel triginta annis Philosophiæ vel Theologiæ Doctor fuisses, nunquam Secreta meæ Artis intelliges. Fili, dum eram in hac mortali vita, *fui contemptus, vilipensus, prostulto habitus* Arb. Scient. in prol. Lib. Desol. n. 7. 16. & 47. Lib. Phant. propter meam Artem, & amore humilitatis ac conservandæ & propagandæ Artis libenter omnia pertuli: unde & vos, si estis

veri amatores veritatis, ſi mei Diſcipuli eſſe deſideratis, non debetis derelinquere donum ſcientiæ, ut evitetis nomen ſtultitiæ: tu ſcis, quòd ſecundùm meam Artem in omni creatura neceſſariò ſunt oppoſita, & quòd ſecundùm Philoſophiam ſecretam intùs & extrà opponantur, ſic ſapientia & ſtultitia; & quia melius eſt intùs, quàm extrà, melius eſt intùs eſſe ſapientem, & extrà apparere ſtultum, quàm intùs eſſe ſtultum, & extrà apparere ſapientem: igitur, qui mecum cupit penetrare profunda Sapientiæ DEI, *quæ DEUS nobis revelavit per Spiritum ſuum (Spiritus enim omnia ſcrutatur, etiam profunda DEI)* 1. ad Cor. 2. v. 10. *ſtultus fiat, ut ſit ſapiens*, ibid. c. 3. v. 18.

Diſc. Pater, videtur mihi, quòd profunda Scientia & profunda Humilitas non poſſint ſimul ſtare; nam quia *ſcientia inflat*, 1. Cor. 8. v. 1. quantò profundiùs penetrabo per ſcientiam, tantò magìs ero inflatus per ſuperbiam; hinc bonum conſilium puto, quod dedit Fides intellectui in Lib. Diſp. Fid. & Intell., quem feciſti, ſcilicet, ut *tranſeat, ſicut tranſivit diu in tempore præterito*, & potiùs humiliter credat, quàm altùm ſapiat; præſertim cùm *Philoſophi antiqui non habuerint notitiam de tua Arte, per quod monſtratur, quòd non ſit multùm proficua; quia ſi fuiſſet vera, jam fuiſſet inventa per illos in principio; & hoc ideo, quia illorum intellectus fuit magìs altus, quàm tuus:* Illum. Doctor in Lib. Deſol. n. 36. ex quo quis inferre poſſet, quòd *nimiùm te implicaveris Scientiis usque ad curioſitatem, & illas velut Dominas ac Magiſtras ingredi feceris &c., & quòd fueris tui proprii capitis, ac volueris calcare ſemitas nullis adhuc veſtigiis preſſas, non communicando ſatìs cum Doctoribus tui temporis in opinione & concordia*; R. P. Cauſinus in Cur. ſ. to. 4. ſect. 14. f. 137. quæ dicta non congruunt humilitati.

Mag. paucis ad ſingula tibi reſpondebo, Fili, nam magna reſtat nobis via emetienda: ſcias igitur, quòd ſcientia non inflat per ſe, ſed per accidens; corpora inflata turgent vento, & ideo videntur plena, ſed ſunt vacua; ſic ſemper diſcentes, & nunquam ad veram ſcientiam pervenientes, exteriùs turgent falſæ & fucatæ ſcientiæ tumore, interiùs autem ſunt velut æs ſonans aut cimbalum tinniens; *elati enim ſunt inflatique vento memorativo, nam continuitas eorum conſuetudinis eſt altera natura &c.; hi verò non ſcientiam veri in reali re dant.* Rig. in Lib. 7. Sigil. ſig. 5. Fili, quantò plùs pertinges ad profunda meæ Scientiæ, tantò plures veritates infallibiliter cognoſces de DEO & creatura, ergò tantò clariùs cognoſces magnitudinem DEI, & tuam parvitatem in omnibus, quæ in te ſunt; ergò hæc ſcientia erit ratio tuæ voluntati ad te magìs humiliandum, & non ad ſuperbiendum: unde noveris, quòd mei Diſcipuli inter alia bona, quæ ex mea ſcientia lucrantur, habeant, quòd ſemper gaudeant, quòd mundum contemnant & omnem vanam gloriam, & quòd ament humilitatem & DEUM: audi, quid dixerit Monachus juvenis meus Diſcipulus ad ſuum Abbatem: *Domine, tam magnum eſt placitum, quod mihi venit de Scientia, quam addiſco, per quam Philoſophia mihi eſt cauſa habendi cognitionem* DEI, *& tam felicem me æſtimo, quòd ſim in Religione, & fugerim è mundo, quòd diu noctúque ſum in gaudio & placito; & maximè cùm mea Scientia me faciat tantùm contemnere mundum & vanam gloriam, & me faciat amare humilitatem & DEUM.* Doctor Illum. in Lib. Evaſt. 2. de Relig. cap. de vana Glor.

Si legiſti conſilium, quod fides dedit intellectui, etiam legeris, quomodo intellectus ploraverit, & etiam nunc ploret, *quòd Dominus DEUS noſter per paucos homines ſit cognitus & dilectus, & per multos ignoratus, & quòd illi à pluribus derogetur:* loco cit. quis, obſecro, Fili, non plangat, ſi quotidie videt tot libros in lucem prodire contra Sanctam noſtram Fidem Catholicam ſcriptos, quibus oves errantes per rationes apparentes & à Scriptura malè errori ſuo accomodata petitas Paſtorem ſuum impugnant, quos errores omnes facilè poſſent detegere & deſtruere, ſi mea Scientia eſſet cognita, quæ in hunc finem principaliter à DEO mihi eſt data; ût in ultima proprietate percipies?

Antiqui Philoſophi non fuerunt principium totius illius, quod eſt bonum ad cognoſcendum Sanctiſſimam Trinitatem & Incarnationem, quia non putarunt, in DEO eſſe Trinitatem Perſonarum, & futuram ejus Incarnationem, nec cognoverunt Productionem, quam DEUS habet in ſe. Lib. Deſol. n. 37.

Quòd autem me arguas de nimia curioſitate in Scientiis & reliquis, quæ ſuprà dixiſti, videtur tibi deeſſe aut bona memoria, aut bona voluntas; nam vel non recolis, qualiter meam Scientiam habuerim, vel amas magìs eſſe humilis per ignorantiam,

tiam, quàm per ſcientiam; quid enim vis dicere cum Authore, quem allegaſti, nempe *Scientias* debere eſſe *fideles ancillas Crucis, ſubjectas ſanctæ humilitati*? P. Cauſin. ibid. quæro ego, per quid? per falſitatem an veritatem, per ignorantiam an cognitionem, per dubium an certitudinem? Fili, in DEO ſapientia & humilitas ſunt æquales, quia ſunt idem, per quod demonſtratur, quòd major perfectio utriusque poſſit eſſe in creatura per æqualitatem, quàm per inæqualitatem; ex quo reſponſo elicies alterum in illo implicitum, ſcilicet, quòd ſit inordinatus affectus deprimere unum, ut extollas alterum; & quia quilibet Sanctus tantùm amat gloriam alterius, quantùm ſuam, displicet Sanctis veſtra partialitas.

Quinta eſt, quòd ſit *Perfectiſſima:* Fili, hoc dicitur perfectum, quod nec additionem recipit, nec diminutionem patitur: unde ſi ex perfectione Artificis cognoſcitur perfectio Operis, quàm perfectum debet eſſe Opus, quod me docuit ſupremus Artifex? loquor *de Arte Generali, quam mihi DEUS in quodam monte* (in monte Randa) *oſtendit:* Lib. Quæſt. ſuper 4. Lib. Sent. in prol. cùm igitur *DEI perfecta ſint Opera*, Deut. cap. 32. v. 4. quid poterunt Emendatores meæ Artis illi addere, vel ab illa detrahere? Diſc. fateor, chariſſime Pater, & ego fui quondam in numero illorum, qui Libros & Artem tuam corrigere nitebantur. Mag. *correctioni librorum non des te omninò, Fili, ſed intelligendo quantumcunque poteris, pauca opponas; libros enim plures corrigunt, & ſe ipſos ignorantes & errantes relinquunt.* Doctor Illum. in Introd. Art. Dem. cap. 40. n. 6.

Diſc. Sed ſi quis negaret, Pater, te Artem tuam divinitùs accepiſſe, non pauci enim fuerunt, qui hoc negarunt, imò aliqui, qui te hiſtrionem, fanaticum & Diſcipulum diaboli proclamare non ſunt veriti; quid poſteri ſint facturi, neſcio, DEUS ſcit. Mag. Si vos anxietas tenet, Fili, à quonam Ars & Libri mei originem traxerint, aſcendite in Arbores meas, guſtate & videte; *nam ex fructibus earum cognoſcetis eas, nunquid colligunt de ſpinis uvas, aut de tribulis ficus? ſic omnis arbor bona fructus bonos facit, mala autem arbor malos fructus facit, non poteſt arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala bonos fructus facere.* Math. 7. v. 16. 17. 18. Fili, ſecundùm meam Artem Generalem ex præcedenti demonſtratione particulari elicitur ſequens univerſalis: *omne bonum bonificat, & omne malù malificat, non poteſt bonum malificare, nec malum bonificare:* quis Chriſtianus auſit negare, hanc demonſtrationẽ èLogicaChriſti petitam eſſe meliorem omni ſyllogismo in barbara methodo argumentandi Logicæ Ariſtotelis contento? nihilominùs nolo, Fili, judicium tuum eſſe ultimam regulam examinandi meos Libros & Artem, tu enim falli potes & fallere, ſicut & ego potui; quæ poſſibilitas errandi obligat & compellit oves, ut recurrant ad Paſtorem.

Unde in hoc ſuadeo, Fili, ut Diſcipulus imiteris me Magiſtrum, niſi miſerè decipi & perire cupias cum ovibus errantibus, quæ falsò æqualem vel majorem infallibilitatem à ſupremo Paſtore ſibi attributam arrogant, quàm ſubſtituto in terris Paſtori, non intelligentes proportionem, quæ debet eſſe inter utrumque: inſpice omnia mea Opera, quæ, non obſtante quocunque ſuperno lumine, quo fui illuſtratus, cum omni ſubmiſſione & humilitate, ût morigerum filium decet, Cenſuræ ſanctæ Matris Eccleſiæ ſubjeci; quorum omnium loco de omnibus, quæ ſcripſi, primario & mihi pretioſiſſimo, ſcilicet Libro Contemplationis, ſumas ſequens exemplum. „ Nam „ſi forſan in hoc Opere eſſet ullus defe„ctus, vel ullus error, qui ſit contra „ſanctam Fidem Catholicam, dico & af„firmo, illum defectum eſſe meum, & in „illo errore me erraſſe per ignorantiam, ha„bens intentionem bonam, caſtam & ca„tholicam, quem errorem non credo nec „affirmo, imò rogo, ut ex hoc Opere eji„ciatur; ideo non affirmo, in hoc Opere „nullum eſſe errorem: & ſi quispiam in ali„quo dubitaret, vel illi videretur, quòd „eſſet error & contra Fidem, poſſet eſſe, quòd „ipſemet erraret, & illud non intelligeret, „& quòd ſua intentio eſſet bona, ſicut eſt „poſſibile, quòd ego erraverim in hoc O„pere, ſi erratum in illo eſt, habens inten„tionem non ponendi ullum errorem in „hoc Opere, nec quidquam, quod ſit con„tra ſanctam legem Romanam. Doctor Illum. in Lib. Contempl. Vol. 3. Lib. 5. cap. 365. Ne formides igitur, Fili, nam ſi Ars mea eſt donum Spiritûs Sancti, idem Spiritus, qui regit Sponſam ſuam in terris, Matrem noſtram, non patietur, illam huic Arti eſſe contrariam, quæ (ût ſuprà tetigi) multa bona ab hac Arte recipiet.

Sexta eſt, quòd ſit *Ordinatiſſima*: quia perfectio & ordo neceſſariò mutuò connectuntur,

ctuntur, ex perfectione demonstratur ordo, & ex ordine perfectio; nam omne perfectum est ordinatum, & è converso: si igitur mea Ars est perfectissima, etiam erit ordinatissima. Disc. credo & scio, Pater, esse vera, quæ dicis; sed quia non omnes credunt & sciunt hoc ipsum de tua Arte, vellem, ut probares per rationes necessarias. Mag. Fili, prolixum fieret hoc Caput, si singula demonstrare deberem; adeant meos Libros, qui mihi fidem non adhibent, illi enim testimonium perhibent de me & mea Arte; percurrant sequentia Capita, & invenient, quo dubium exuant: sed ne in via deficiatis, nolo vos hic omnino jejunos dimittere; notate igitur ex opposito propositum: viginti literæ alphabeti sunt principia primitiva omnium syllabarum, verborum & constructionum ab illis derivatorum, sed non sunt principia naturalia, nec habent certum & determinatum numerum, nec habent naturalem ordinem inter se, nec mutuò necessariò connectuntur, nec quælibet cum qualibet est combinabilis, nec, qui tangit unam, tangit omnes, nec sunt circularia, nec una est subordinata alteri; hoc idem dicendum de syllabis, verbis & constructionibus, ex quibus formatur oratio vel discursus: plures adhuc defectus possem adducere de hoc Systemate artificiali linguarum, quod inquirere vos convenit infrà Capite 3. in *Grammatica Naturali & Artificiali*.

Totum autem oppositum proponite vobis de mea Arte, & patebit, illam esse ordinatissimam; omnia enim Principia meæ Artis non solùm sunt primitiva, suprema, vera & necessaria, sed realia ac naturalia: vide Art. Inv. Dist. 3. reg. 2. & habent certum & determinatum numerum, ita, ut nec unum possit addi vel demi: vide infrà cap. 3. de Musica, & inspice totam Artem Comp. inv. Verit. ac Art. Univ. Dem. Invent. Amat., & habent naturalem ordinem inter se, & mutuò necessariò connectuntur, ût demonstrabo infrà dicto cap. 3., & quodlibet est combinabile cum quolibet, ût ad oculum patet in toto hoc primo Tomo, scilicet in Arte Universali, Lib. Princ. Theol. Phil. Jur. & Med. item in Art. Inv. Dem. Tab. Gen. Ama. & Lecturis earum, & pluribus aliis meis libris; & qui tangit unum, tangit omnia, & sunt circularia, & unum est subordinatum alteri, ût in allegatis libris est cernere, & in sequentibus Capitibus per singula dabuntur exempla & demonstrationes: quod de Principiis dixi, hoc idem intelligendum de Conditionibus & Demonstrationibus, quæ sunt syllabæ & verba rationalia ex literis rationalibus composita.

Septima est, quòd sit *Facillima*: Fili, id est facile, quod memoria facilè retinet, intellectus facilè intelligit, & voluntas facilè vult, & potestas facilè potest; hæc omnia promitto de mea Arte: id autem memoria facilè retinet, quod est maximè ordinatum; intellectus facilè intelligit, quod est maximè clarum & maximè intelligibile; voluntas facilè vult, quod est maximè amabile; potestas facilè potest, quod est maximè possibile.

Disc. hoc est in quæstione, mi Pater, expone quæso, quæ sunt hæc? Mag. nihil aliud, quàm *Circulus*, *Triangulus* & *Quadrangulus*: Arb. Scient. de ram. Arb. elem. fol. mihi 16. de flor. Arb. sens. f. 72. de fol. Arb. cœl. f. 251. in Arte Comp. Med. cap. de sexta fig. in Lib. de Astron. p. 2. cap. de 12. Sig. & in Pract. Test. cap. 5. 6. & seq. ac in pluribus meorum librorum: in his tribus figuris continetur totum Secretum meæ Artis; quid autem faciliùs posset memoria retinere, & intellectus intelligere, & voluntas velle, & potestas facere, quàm has tres figuras? igitur pone in memoriam tuam, & intellige, & ama, & fac, ut possis opere formare has tres figuras, & tota mea Ars erit tibi facillima; *nam si habueris optimum intellectum fundatum in Logica & in Naturalibus, & diligentiam, poteris ipsam scire duobus mensibus, uno mense pro theorica, & alio mense pro practica:* Art. Gen. Ult. p. 13. quid facilius? Disc. certè; sed quid est esse fundatum in Logica & in Naturalibus? Mag. est intelligere prædictas tres figuras. Disc. jam scio, quod nescio. Mag. Fili, tu nescis modò, scies autem postea, scilicet in cap. 3.

Octava est, quòd sit *Delectabilissima*: quia omne naturale objectum est delectabile suæ naturali potentiæ; veritas, quæ est naturale objectum intellectûs, & bonitas, quæ est naturale objectum voluntatis, & duratio utriusque, quæ est objectum memoriæ, sunt delectabilia: & quò magis hæ tres potentiæ excedunt in nobilitate & perfectione inferiores potentias, eò nobiliot & perfectior est earum delectatio; & quò altiùs objecta vel objectum earum transcendunt objecta inferiorum potentiarum, eò magis transcendit delectatio horum

rum delectationem illorum: unde cùm mea Ars & Scientia sit dispositio, quâ dictæ tres potentiæ per influentiam supremi Objecti exaltari ac perfici possunt tam extensivè quàm intensivè sinè numero & mensura in operationibus suis, quis est, Fili, qui æstimare possit delectationem felicis Animæ, quæ usu meæ Artis fruitur suo delectabilissimo objecto? *si autem utilitas ista te moveat ad sciendam hanc Artem, primò præpares te ad suscipiendum A. diligendo hanc cameram, & quamlibet ejus partem super omnia, postpositis omnibus aliis; neque enim qui contrariis delectatur, unquam eam habebit, sed solus ille, qui eam quasi cordialissimam desponsavit; cujus contrarium si occurrerit, illud repellas quasi venenum, semper cogitans, quòd eam præelegeris.* Doctor Illum. in Introd. Art. Dem. cap. 1. n. 4. f. 3.

Nona est, quòd sit *maximè Necessaria: primò, quoniam intellectus humanus est valde plùs in opinione quàm in scientia constitutus, ex eo, quia quælibet Scientia habet sua propria principia & diversa à principiis aliarum Scientiarum, idcirco requirit & appetit intellectus, quòd sit una Scientia generalis, & hoc cum suis principiis generalibus, in quibus principia aliarum Scientiarum sint implicita & contenta, sicut particulare in universali: ratio hujus est, ut cum ipsis principiis alia principia sint subalternata & ordinata & etiam regulata, ut intellectus in ipsis Scientiis quiescat per verum intelligere, & ab opinionibus erroneis sit remotus & prolongatus.* Doctor Illum. in Prol. Art. Gen. ult.

Secundò: „quia ista Ars seu Scientia addit plura, quæ in unaquaque Scientia per „se considerata non sunt, videlicet mutuam „habitudinem & combinationem terminorum principalium in qualibet; quod patet „per BC. BD. CD. CE. &c. addendo in illa „combinatione alios universales terminos, „qui non sunt simpliciter de speculatione „illius Scientiæ: ac etiam addit plura, quæ „in aliis Scientiis collectis insimul possunt „minimè reperiri, videlicet *modum artificiatum operandi sub E. I. N. R., & modum artificiatum universandi & particulandi sub mixtione terminorum T., & attingendi puncta transcendentia:* Doctor Illum. in Comp. Art. Dem. Dist. 3. de Quæst. fig. alph. f. 154. & hoc est tam altum Secretum, quòd hic non potest sufficienter declarari: *veruntamen sciendum est, quòd, licèt hæc Ars in omni materia necessaria sit, tamen propter Theologiam principaliter est inventa; quia Theologia est finis omnium aliarum Scientiarum, utpote de ultimo finiens determinans.* Doctor Illum. in Introd. Art. Dem. cap. 1. n. 4.

Decima est, quòd sit *Utilissima: multæ quidem sunt utilitates, propter quas hæc Ars est inventa; instruit enim nos intelligere & diligere DEUM, adhærere virtutibus, odire vitia, & confundere cogentibus Rationibus Infidelium erroneas opiniones: docet etiam facere & solvere quæstiones, & alias Scientias sub brevi spatio temporis posse acquiri & reduci ad necessarias conclusiones secundùm exigentiam materiæ, & ostendit inquiri & inveniri conditiones rerum & proprietates, & ad puncta transcendentia præsertim elevat intellectum; nec non alia multa utilia sequuntur Scientibus istam Artem:* Doctor Illum. in Comp. Art. Dem. in prol. *docet enim bene memorari, bene intelligere, bene velle, credere, contemplari, invenire, dirigere, prædicare, exponere, solvere, judicare, consulere, demonstrare & bene sanare*, uti in Libro, qui intitulatur Liber Artis Demonstrativæ Dist. 3. de Inten. fol. 43. dicitur. Doctor Illum. in Introd. cap. 1. n. 4. Et scias Fili, quòd sub cortice literali dictarum proprietatum, quas in Lib. Dem. voco sedecim modos, lateat magnum Secretum Figuræ Elementalis; nempe sub modo demonstrandi modus operandi.

„In omnibus ergò rationibus conside„ra, si hanc Artem invenire poteris, & in„venies utique, si diligens inquisitor fue„ris; & sic practicam hujus Artis addisces, „& miram utilitatem, si ad cameras hujus Ar„tis rationes, quascunque inveneris, adjun„xeris; hoc enim faciens poteris te exercere „ad videndum in paucis plura, comparan„do omnem cameram ad angulos, & com„miscendo cameras cum angulis, & angu„los etiam invicem cum terminis quæstio„nis propositæ; & ex eorum derivationibus „infinita occurrent &c.; sicut infinita ge„nera miscibilium ex quatuor elementis „tantùm proveniunt secundùm diversum „modum commiscendi. Doctor Illum. in Introd. cap. 34. n. 2. fol. 29.

Undecima est, quòd sit *Artificiosissima*: magnitudo artificii significat sapientiam Artificis: unde, qui totam structuram hujus vastissimæ Machinæ, quæ est Opus artificiale DEI, in omnibus suis partibus & partium partibus intimè perspectam haberet, qui omnium vegetabilium, animalium, mineralium essentiam, naturas, proprietates, formas specificas, ordinem & habitudinem naturalem cujuslibet ad alterum,

qui elementorum & orbium cœlestium motus, influentias, essentialem inter se connexionem in essentia & qualitatibus perfectissimè cognosceret, in tantam admirationem raperetur tanti Opificis, ut non haberet ultrà spiritum; *à magnitudine enim speciei & creaturæ cognoscibiliter poterit Creator horum videri:* Lib. Sap. cap. 13. v. 5. *à proportione inversa* argumenti dico, Fili (si parva licet componere magnis) qui sciret potestatem & sapientiam, quam DEUS infudit primo Homini, quando illum constituit Dominum totius hujus mundanæ fabricæ, cerneret in hac potestate & sapientia creatis aliquod opus microcosmi (cujus solum nomen est notum pluribus Sapientum hujus sæculi) quod in singulis suis partibus partim actu existentibus, partim per Artem possibilibus respondet singulis partibus macrocosmi; & hoc est Secretum, Fili, omnium Secretorum naturalium secretissimum, quod DEUS sublimis & gloriosus paucissimis fidelibus suis Servis reservavit & revelavit, cujus me quoque indignum suum famulum participem reddere voluit.

Fili, DEO omnipotenti, Domino Dominantium placuit mihi revelare universalem Scientiam in omni transmutatione metallorum nec non & lapidum pretiosorum, atque modum omnium corporum humanorum sanandorum, & DEUS omnipotens hoc ordinavit, ut sua mirabilis potentia apud universum mundum sit manifestata; & ignorantes mundi &c., qui impossibile arbitrantur, omnia ista vera esse, si libros nostros legissent (Fili, non hic loquor de Libris meis chimicis tantùm, quos in quæstionem trahunt, sed de Libris, quos primo Tomo jam in lucem profers, v.g. Clavem Artis, Libros Principiorum Philosophiæ ac Medicinæ, & si non omninò cæcutirent) *facillimè crederent, omnia à DEO data & vera esse.* Doctor Illum. in Aper. Ani. in prol. n. 2. *Fili, tu vidisti in figura magnum Librum, qui est Liber Paradisi terrestris, quem nos vidimus in visione; & dico tibi, ut eum custodias à manu inimicorum Ecclesiæ DEI & avarorum & peccatorum, ego vidi arcanum totius naturæ in visione super magno monte, super sphæram ignis, ubi vidi ea, quæ non licet loqui.* Et ut te non lateat ratio, quare plurimos meorum Librorum scripserim sub figura arborum, scias, quòd omnes significent unam arborem, cujus secretum & figuram tibi revelavi in meo Testamento, & in Dist. 3. Libri de Quinta Essentia; nam *vidi arborem vitalem, & vidi figuram, quam tibi tradidi cum licentia DEI.* Doctor Illum. Lib. 3. cap. 7. n. 14. Test. Secr. ult.

Considera, Fili mi charissime, potentiam divinam, quæ me illuminavit, ille verus Dominus fortis est & clemens, potentissimus, piissimus, qui mihi indigno peccatori malevolo revelavit Arcana totius naturalis Philosophiæ: Doctor Illum. in Lib. Secret. Test. ult. l. 1. c. 1. n. 61. & non solùm me docuit artificium omnium artificiorum naturalium altissimum, *viginti quatuor Experimentorum totius naturæ creatæ* (videatur dict. Lib. Illum. Doct.) quod claudit in se omne artificium & omnia experimenta, ad quæ creatura rationalis in hac mortali vita pertingere potest, & quod forsan ante me nemo cognovit, & post me pauci sunt adepturi, sed etiam aperuit mihi artificium omnium artificiorum intellectualium sublimissimum, quia *dedit mihi Clavem omnis Scientiæ, & Thesaurum omnis Sapientiæ super terram:* Doctor Illum. in Lib. Secret. Ang. de Conser. Vit. in prol. n. 14. hujus artificii duas tibi explanabo formas in Capite sequenti; unam in Secreto Figurarum seu Rotarum, alteram in Secreto Tabularum, ex quibus à longè conspicere poteris sublimitatem artificiosissimæ meæ Artis.

Duodecima est, quòd sit *Naturalissima:* duæ sunt Naturæ, scilicet Natura creata, & Natura increata: *& cùm mundus*, seu natura creata, *sit speculum humano intellectui, per quod supremum Bonum*, seu natura increata, *est demonstrabile*, Doctor Illum. Lib. Mirand. Dem. 2. cap. 34. n. 1. *& supremum Bonum sit tam altum, tam excellens & tam nobile, quòd per omne id, quod est, sit demonstrabile*, ibid. l. 2. cap. 23. n. 1. manifestum est, Fili, quòd nullum sit particulare vel individuum in tota natura creata, per quod natura increata non possit demonstrari: ex quo sequitur, quòd tota natura creata cadat in *tertium Modum* meæ Artis Compendiosæ: unde cùm totus modus essendi naturæ creatæ ordinetur à modo essendi naturæ increatæ ad modum significandi tanquam medium inter intellectum creatum, & objectum illius increatum, quanta est relatio *proportionis & comparationis* inter modum essendi naturæ creatæ & increatæ, & inter modũ significandi & essendi naturæ creatæ, tanta debet esse inter modum significandi naturæ creatæ & modum intelligendi intellectûs humani, ut sit naturalissimus: vide Dist. 3. Art. Inv. Verit. Reg. 9. & Reg. 2. vid. Lib. Cont. 4. Dist. 35. cap. 234. & Lib. 5. Dist. 40. cap. 353.

Ex dictis intelligere potestis, Filii, quanta fuerit necessitas significandi & demonstrandi vobis Systema totius naturæ creatæ per omnes suas partes, incipiendo à primis principiis ipsius Chàos usque ad ultimata principiata; sinè quo Systemate naturali & reali essendi perfectè cognito nunquàm potuissem formare perfectum Systema artificiale intentionale intelligendi, quod vobis exponam per singula sua membra, jungendo unum alteri, ut clarissimè vobis pateat Secretum necessitatis utriusque concordantiæ: & quamvìs in pluribus Capitibus Theoricæ antiqui Testamenti mei utrumque Systema perfectissimè demonstraverim per rationes physicas ad leges meæ Artis Generalis regulatas, incipiendo à Chàos naturali per supremum Artificem fabricato, ût vos docet Caput 75. dicti Libri, & exponendo Chàos artificiale per hominem ad normam primi producendum, ût invenietis cap. 77. 78. ita, ut nil omiserim, quidquid pertinet ad acquirendam perfectam cognitionem totius modi essendi, operandi & intelligendi, ne tamen vos terreat phantasia ignarorum hujus Scientiæ, qui mihi hunc Librum attribuere renuunt, id ipsùm in Libris primi hujus Tomi, scilicet in Arte Compendiosa, Arte Universali, Libris Principiorum quatuor Scientiarum, & in Libris tertii Tomi, præsertim in Arte Demonstrativa lucidissimè patefactũ invenietis; quorum Librorum textibus in sequentibus Capitibus utar, ut præfata Systemata eorumque Arcana vobis pandam, simulque demonstrem necessariam connexionem Librorum meæ Artis Generalis cum Libris Chimiæ & aliarum specialium Scientiarum. *Fili, si hanc rem intelligis bene, scies, qualiter omnes res mundi per naturam factæ sunt, & quomodo eas facere poteris respectu naturæ (exceptâ Animâ rationali, quam DEUS creat) ideo certas artes habemus ad multas alias Scientias, de quibus hæc est una, quæ est forma ad sciendum omnes alias.* Pract. Test. cap. 17.

„ Ista, Fili, est Scientia, quæ appella„ tur flos regalis, per quam potest consti„ tui & rectificari intellectus humanus per „ vim experientiæ ad aspectum oculi in mi„ rabili notitia, cùm homo scit, quòd suæ „ experientiæ non possint pati aliquas pro„ bationes phantasticas, sed ad introeun„ dum vivaciter in omnes alias Scientias illa „ demonstrat intellectui, quomodo debet „ penetrare in virtutes divinas, quæ mul„ tùm debent celari: nam per talem Scien„ tiam intellectus est expulsus à superfluita„ tibus, quæ ipsum removent à tota verita„ te. Et alio modo hæc Scientia nominatur „ vexillum & instrumentum philosophi„ cum, per quod boni Philosophi & antiqui „ Poëtæ direxerunt sensus suos in qualibet „ Scientia, ad intrandum in illam cum om„ ni experientia, quæ per Artem debet fieri „ secundùm cursum naturæ cum reali cog„ nitione; ût infrà Capite 3. videbis de Trivio & Quadrivio antiquorum Sapientum. ibid. cap. 1. „ Quare ista Scientia sit tibi spe„ culũ tui intellectûs, si claram viam vis ha„ bere in omnibus aliis Scientiis, quia ista de„ monstrabit tibi rationem tangentẽ verita„ tem per claram experientiam, quæ non pa„ titur rationes nec probationes logicales re„ motas à claro intellectu. Theor. Test. MS. cap. 77. & impr. c. 73. quid igitur magis naturale exoptare posses de mea Arte?

Decima tertia & ultima est, quòd sit *Divina.*

Primò ratione originis, nam cùm sit moraliter, ne dicam, physicè impossibile, quòd ullo humano ingenio vel in una Scientia particulari & specifica talia principia certa infallibilia & talis modus operandi cum principiis certus & infallibilis possint excogitari & inveniri, quæ sint sufficientia ad omnia particularia illius Scientiæ eruenda & demonstranda, ût quotidiana vos docet experientia per reformationem Scientiarum, quam Viri in illis Scientiis particularibus famosi meditati sunt, & adhuc futuris temporibus tentabunt & meditabuntur, de quibus verificatur, quòd DEUS *mundum tradidit disputationi eorum, ut non inveniat homo opus, quod operatus est DEUS ab initio usque ad finem:* Lib. Eccl. cap. 3. v. 11. quis enim Astronomorum, Fili, adhuc reperit perfectum Systema motuum cœlestium? quis ex illo deduxit calculum omnibus numeris absolutum? nonne cernis, Fili, vestros Sapientes Geometras principia Geometriæ, rejectis veterum finitis, novo habitu infinitatis vestire conatos, negare vel primam definitionem puncti, quam veteres ût lapidem angularem totius Geometriæ venerati sunt? quid dicam de Philosophia Aristotelis, nonne Libri tanti Philosophi undique pertusi & perforati sunt à vermibus Cartesii, ût Almagestum Ptolemæi à tineis Copernici? quàm difficile,

le, quàm impossibile igitur erit tantam Iliadem omnium Scientiarum & omnium rerum naturalium & supernaturalium comprehendere & concludere in una nuce capitis humani?

Ex præcedentibus autem percepisti, & in sequentibus ampliùs perspicies, quòd mea Ars sit *universalis Scientia subjecta omnibus aliis Scientiis, in qua sunt certa & universalia principia, per quæ potest infinitorum particularium quæstionibus responderi*; Doctor Illum. in Art. inv. Part. in Univ. Dist. 3. q. 10. f. 35. Fili, in multis meorum librorum per argumenta invincibilia demonstravi, dari talem Artem, & illam à me inventam; *hoc tamen* non lumine naturali, sed *Sancti Spiritûs gratiâ, per cujus infusionem ipsam scientiam decuit influi ad omnes scientias dirigendas.* Doctor Illum. ibid. fol. 38. cam. 13. Intelligas hoc de *Arte Generali, quæ mihi fuit data per Spiritum Sanctum, cum qua potest homo scire omnes res naturales, secundùm quòd intellectus attingit per sensus: est bona ad sciendum Jus, Medicinam, & omnes Scientias, & ad sciendum Theologiam, quam teneo in majori æstimatione: nulla Ars tantùm valet ad solvendum quæstiones, & ad destruendum errores ratione naturali.* Doctor Illum. in Lib. Desol. n. 8. fol. 37.

Secundò est Divina ratione Principiorum hujus Artis, quæ sunt ipsæ *Rationes Divinæ*, quæ nomine in Scholis usitato vocantur Attributa Divina, à me verò multis nominibus in meis libris nominantur, ût Formæ, Dignitates, Qualitates essentiales, Virtutes &c.: hæc verò Principia exigit perfectio & altitudo Artis, nam sinè illis non possent formari tales demonstrationes, quæ perfectè quietarent mentem humanam, ût jam suprà bene animadvertisti, Fili, in Authoribus primæ Classis fol. 52. Rat. 2.

In sequenti Tomo, qui continet usum & praxin primi Tomi, videbis, quomodo omnes meæ demonstrationes sint actu reductæ, vel facilè reducibiles ad hæc suprema Principia.

Tertiò est Divina, quia modus operandi seu demonstrandi cum his principiis non est naturalis tantùm, sed naturalis & supernaturalis simul: unde si de hoc modo informari desideratis, legite Lib. de Mir. Demonst. Lib. 2. cap. 27. fol. 50. *de Demonstratione, quæ est supra naturam*, qui habetur Tomo 2., & gaudebitis gaudio magno valde, si intelligetis, quæ ibi dicuntur.

Quartò est Divina, *maximè enim hæc Scientia assimilatur Scientiæ Divinæ, quæ cùm sit unita Essentiæ Divinæ, omnia ipsi DEO repræsentat, ita hæc quodammodo est repræsentativa omnium, quæ cadere possunt sub investigatione humana brevibus & paucis:* Doctor Illum. in Introd. Art. Dem. cap. 37. fol. 33. Tomo 3. Fili, multa Secreta in his tredecim proprietatibus continentur, quorum partem in sequentibus Capitibus, quantùm discretio permittit, & necessitas exigit, vobis revelabo.

Ut hoc Caput finiam utili & vobis scitu necessaria admonitione ac informatione, quomodo hanc Artem & Scientiam, quam supernâ influentiâ me accepisse ex supradictis intellexistis, faciliùs & citiùs acquirere valeatis, scitote Filii, quòd Scientia est *infusa* aut *acquisita*; *Scientia infusa procedit ex voluntate, devotione & oratione, & Scientia acquisita ex intellectu, studio & labore:* Doctor Illum. Lib. de Amic. & Ama. n. 249. unde duæ sunt portæ, per quas mei Discipuli possunt ingredi in atrium meæ Scientiæ; quarum una est porta intellectûs, altera est porta voluntatis: ex his portis prodeunt etiam duo genera Discipulorum, quorum unum est nobilius & perfectius altero; & quandoq; ex ipsis producitur tertium genus, quod est nobilius & perfectius utroque: & hoc fit dupliciter, quidam enim meorum Discipulorum primò ingrediuntur per portam intellectûs, & egrediuntur per portam voluntatis; alii verò primò ingrediuntur per portam voluntatis, & egrediuntur per portam intellectûs; & hi ambo in fine conveniunt; & hi mihi gratiores & mundo utiliores sunt duobus præcedentibus; nam habent habitum Scientiæ infusum & acquisitum simul: ex quibus colligetis, tres esse gradus Discipulorum, Magistrorum & Doctorum Lullistarum, positivum scilicet, comparativum & superlativum; eligite vobis, Filii, ad quem horum trium ascendere vobis est animus: & ne media vos destituant ad perficiendum hunc ascensum, præparavi vobis in multis meorum Voluminum scalas valde commodas, quarum inter alias duæ sunt, nempe *Fides & Devotio, quæ sunt scalæ, per quas ascendit intellectus ad intelligendum Amati sui Secreta, & Fides ac Devotio habent suum principium ab Amato, qui illuminat Fidem, & accendit Devotionem:* Doctor Illum. Lib. de Amic. & Ama. n. 300. fol. 174. & quia hæc Doctrina est nimis curta, consulo vobis, ut adeatis *Artem Compendiosam inveniendi Veritatem,*

ritatem, ejusque Modum septimum de Oratione Dist. 2. p. 1. f. 13.; nam hic Modus est Clavis, quæ vobis aperiet Secretum Distinctionis quadragesimæ magni Libri Contemplationis, cujus Volumen tertium & Liber quintus ab initio usque ad finem de Oratione tractat per quinquaginta unum Capita fusissimè, in quibus revelantur stupenda & omnibus Sapientibus hactenus incognita Arcana Scientiæ & Sapientiæ: præcedens Distinctio dicti Libri, scilicet trigesima nona de Amore habens quadraginta septem Capita aperiet vobis *portam secretam Voluntatis:* & ne putetis, mea promissa excedere ipsa facta, dabo vobis horum specimen in Capite ultimo hujus Tractatûs.

Subministratis Mediis convenit quoque ostendere Modum, quo *Infusio* hujus Artis & Scientiæ comparatur: „ hic igitur „modus discurrendi duobus modis efficitur, scilicet *per sanctam Vitam & Contemplationem*; nam quicunque ad habendum „Scientiam per infusionem laborare nititur, oportet, eum in conversatione sanctæ vitæ vivere, & honestè, scilicet multùm charitativum & devotum esse, & habere totas septem virtutes in Anima ad repugnandum vitiis (notate hic Filii unam rationem, quare virtutes posuerim in numero Principiorum meæ Artis) & sicut hæc Ars ex universalibus principiis est, in quibus perquiruntur particularia, ita oportet, eum magis diligere generale bonum, quàm speciale; alioquin repugnaret regulæ hujus Artis, & per hanc repugnantiam non posset à DEO infusionem recipere, nec in hac Scientia per consequens informari: Contemplationis sunt duæ species ad obtinendam Scientiam infusam ab altissimi Largitoris gratia, quas ibi videre potestis; maximè verò in toto meo Libro Contemplationis: si enim ea, quæ ibi præscribuntur, diligenter opere quis executus fuerit, *tunc hujus Scientiæ & aliarum Scientiarum copiosam infusionem recipiet.* Doctor Illum. in Art. inv. Part. in Univ. Dist. 2. p. 2. n. 4. f. 5.

CAPUT II.

De Secreto Systematis Artis ac Scientiæ Universalis.

MAg. Systema voco ordinatam & regulatam Structuram seu Machinam, in quibus Ars & Natura suas operationes perficiunt; *& quia Ars debet imitari Naturam*, Doctor Illum. in Introd. Art. Dem. cap. 39. n. 2. & tota mea Ars intelligendi & operandi intentionaliter est formata ad leges naturæ essendi & operandi realiter, ût ex antedictis patet, ideo etiam Systema Artis meæ conformare debui, quantum potui, Systemati Naturæ; quod in tribus sequentibus Secretis hactenus occultatum vobis nunc revelandum & exponendum aggredior; quorum *primum* est de Secreto Arborum Generalium, *secundum* de Secreto Figurarum Generalium, *tertium* de Secreto Tabularum Generalium. Fili, delineatio & figuratio harum trium secretarum Formarum est significatio sensualis, & expositio illarum est significatio intellectualis totius Systematis Artis & Scientiæ universalis, & per consequens Systematis Naturæ universalis sub illo contenti; *& quia per universalia potes descendere ad particularia*, Doctor Illum. Lib. de Princ. Med. Dist. 8. in princ. f. 36. *ut in universalitate ipsius Artis particularia valeant reperiri*, Doctor Illum. Lib. Princ. Phil. in prol. f. 2. observare debes, quòd Systema generale est regula, secundùm cujus dispositionem & ordinem disponuntur & ordinantur omnia Systemata specialia & particularia singularum Artium & Scientiarum, ût cap. 3. de Musica vobis dabo clarum exemplum: sit igitur

De Primo Secreto Arborum Generalium, & primò

De Prima Arbore.

AB Unitate & Trinitate suprema, quæ est in DEO, sumit Principium omnis Unitas & Trinitas inferior, quæ est in creaturis, *in quarum creaturarum qualibet est unitas & trinitas, ad demonstrandum, quòd illæ sint opus supremæ Unitatis, quæ est in Trinitate*; Doctor Illum. in Lib. Mir. Dem. Lib. 3. cap. 7. n. 4. f. 100. *nam omne id, quod est creatura &c., est in unitate & trinitate; in unitate est, in quantum est una substantia; in trinitate est, in quantum est composita de materia & forma & de concordantia, cum qua materia & forma conveniunt &c., & convenit, quòd omne id, quod est operatio, sit per tria, hoc est, per agens & per operatum & per medium, cum quo agens est operans, & operatum est operatum; & hoc sequitur in omni opere naturali vel artificiali;*

unde cùm omne id, quod eſt in inferiori bono, rotet & currat per unitatem & trinitatem, ſecundùm quòd ſuprà dictum eſt, Doctor Illum. Lib. 3. Mir. Dem. cap. 13. n. 2. f. 111. primam Arborem tanquam baſin & fundamentum totius fabricæ & ſtructuræ meæ Artis ſtatui in Unitate & Trinitate; in Unitate, in quantum Arbor eſt una, quæ vocatur Arbor *Eſſe, Neceſſitatis* & *Privationis*; in Trinitate, in quantum eſt de tribus ſupradictis principiis: & quia inter circulum, qui convenit cum unitate, & triangulum, qui convenit cum trinitate, quadrangulus eſt medius, ideo in hac Arbore ſequuntur quatuor principia, quæ ſunt *Poſſibilitas*, *Impoſſibilitas*, *Potentia*, *Actualitas*.

Diſc. Pater, quare quadrangulus eſt medius inter triangulum & circulum? Mag. Fili, rationem quære in mea Geometria, in Arbore Scientiarum & aliis meis Libris, præſertim in Practica Teſtamenti, ibi invenies; volo enim hìc agere quantò compendioſiùs poſſum, ut vobis tradam tantùm neceſſaria & utilia. Diſc. adquieſco Pater, ſed puto, eſſe neceſſarium ſcitu, quare hæc tria Principia elegeris pro prima trinitate, & non alia? Mag. hæc quæſtio eſt utilis & neceſſaria: ſcias igitur Fili, quòd *Eſſe* & *non Eſſe* ſeu *Privatio* ſunt termini univerſaliſſimi & primi, qui tranſcendunt omnes alios, quos intellectus creatus poteſt concipere; quia quidquid eſt, per eſſe eſt, & quidquid non eſt, per non eſſe non eſt; & quia omne, de quo quæritur, eſt, aut non eſt, ideo omne eſt reducibile ad *eſſe* vel *non eſſe*: & hæc eſt ratio, Fili, quare in quinto triangulo figuræ T. poſiti ſunt termini *Entis*, *non Entis*, ut deſignetur in illo, quòd omne affirmabile, dubitabile vel negabile cadat in hæc duo principia: neceſſitatem verò poſui in medio, quia cùm tota mea Ars & Scientia ſit demonſtrativa, & principium omnis demonſtrationis ſit neceſſitas, ideo neceſſitatem poſui in medio ipſius *Eſſe* & *Privationis*, quia omnis quæſtio ſolvitur vel per Eſſe, vel per Privationem; & hoc neceſſariò, ût videbis in praxi Capite 5. de Secreto Operationis ſeu Demonſtrationis.

Diſc. miror Pater, quare Privationem poſueris in numero horum trium principiorum, cùm Privatio nihil ſit? Mag. *Privatio dividitur in duas partes, hoc eſt, in privationem generalem & in privationem ſpecialem: privatio generalis nihil eſt, quia nulla res ſive accidentalis ſive ſubſtantialis poteſt cadere in illam, nec poteſt eſſe per illam, quia nulla res eſt illi ſubjecta, nec illa eſt ſubjecta ulli rei: privatio ſpecialis eſt unum trium principiorum* (phyſicorum) *ſinè quo principio materia non poſſet generare formam, nec illam corrumpere*: Doctor Illum. Lib. Cont. Vol. 3. Lib. 4. cap. 229. & hæc *privatio eſt ens reale & primum*: Doctor Illum. in Arb. Scient. de fruc. Arb. elem. de cent. for. 15. de pri. f. 26. & licèt hæc privatio phyſica ſit generalis reſpectu privationum inferiorum ſpecialium, eſt tamen ſpecialis reſpectu ſupradictæ generaliſſimæ.

Diſc. Superiùs dixiſti Pater, quòd tua Principia ſint ſuprema, ad hoc, ut poſſint menſurare omnia inferiora principia, quare igitur non poſuiſti loco *Eſſe* ſupremum Eſſe, & quia ſuprema Trinitas habet tria principia realia, quare in numero horum trium principiorum ſtatuiſti principium non reale? Mag. Fili, famelici, qui delicatis epulis aſſident, uno hiatu cupiunt abſumere totam menſam, ut famem ſuam expleant, & propterea ſtomacho nimis ingerunt, & virtutem digeſtivam nimiùm onerando retardant, ſicque malum cauſant nutrimentum; ſic vos ad altam & ſublimem Scientiam caninâ, ût ajunt, fame accedetis, unâque ingluvie regias dapes deglutire avetis, & ſic molinſin patimini: unde, Fili, ſequere meum modum addiſcendi: *Modus autem addiſcendi talis eſt, ut primò ſupponantur, quæ dicuntur, & non nimis homo ſe profundet in principio, nec circa aliquid nimis immoretur, ſed pertranſeat librum aut libros, & iterum redeat, & tunc magis patebunt dicta, & in tertio adhuc magis*: Doctor Illum. in Introd. Art. Dem. cap. 40. n. 1. f. 34. nam ea, quorum rationes ab initio non ſunt neceſſariæ ad Artem addiſcendam, non convenit demonſtrare; acquiſitâ autem Arte, ſi fundamenta Artis penetrare cupitis, illorum demonſtrationes hinc inde per libros meos diſperſas colligere & adunare non vobis moleſtum accidat; quorum fundamentorum ſummam & mineras demonſtrationum in ſequentibus tribus Capitibus ſubminiſtrabo: pergamus ergò ad declarandas reſiduas partes primæ Arboris.

Quatuor ſupradicta Principia, quæ ſunt *Poſſibilitas*, *Impoſſibilitas*, *Potentia*, *Actus* vel *Actualitas*, ſubalternantur tribus dictis Principiis, & quodlibet illorum combinatur cum quolibet horum, ût infrà de Secreto Tabularum generalium dicetur: tria verò ponuntur in triangulum viridem Figuræ T., &

& per illum reducuntur in binarium *ſenſualis & intellectualis*; & hic binarius in unitatem ipſius Arboris.

Porrò quatuor ultimis Principiis ſubordinantur alia quatuor, quæ conſtituunt truncum ſequentis ſecundæ Arboris, quæ ſunt *Cauſa Efficiens*, *Materialis*, *Formalis*, *Finalis*; & per hæc connectitur prima Arbor cum ſecunda, & ampliatur ac multiplicatur per illam.

Fili, hìc tibi figurabo per figuras literarum totam diſpoſitionem & ordinationem Arboris; ſed antequam hoc faciam, revelabo tibi magnum Secretum (quia hìc eſt locus conveniens) ſcilicet, quare totam meam Artem tradiderim per formas literarum & figurarum ſenſualium; *quia convenit, quòd omnis homo, qui vult intrare in iſtam Artem, & in hanc inquiſitionem, ſciat ſe dirigere cum forma figuræ* (ſeu tabulæ) *primò figuratæ cum literis rubeis, & convenit, quòd homo figuret in ligno vel in charta figuras, adhoc, ut illarum non obliviſcatur, & convenit, ut, quamprimùm illarum fuerit oblitus, recurrat ad figuras figuratas per literas rubeas, ad hoc, ut ſciat illas literas, quibus fuerunt appropriata nomina, per quæ iſta Ars determinatur.*

„Finalis ratio, quare iſta Ars meliùs „poteſt determinari per figuras ſenſuales, „quàm ſinè figuris, eſt, quia natura intel„lectûs eſt, quòd meliùs intelligat per bre„ves ſermones, qui illi ſufficiunt ad intelli„gendum, quàm per longos: unde cùm „breviùs dicatur una litera, quàm *Incarna„tio* vel *Trinitas*, & ſic de aliis rebus, quam„primùm intellectus recepit per brevem di„ctionem vel orationem, velociter ſe mu„tat vel movet ad intelligendum unam rem „per alteram: & quando dictiones & ora„tiones ſunt longæ, non poteſt intellectus „ſe mutare ad intelligendum tam velociter, „nec toties intra certum terminum de una „re ad alteram, ſicut facit per breves di„ctiones & ſermones. Doctor Illum. in Vol. 3. Lib. 5. Contemp. Diſt. 40. cap. 3. 6. circa finem: iſtas figuras cum literis rubeis in dicto libro deſcriptas invenies, quas hìc ob inopiam temporis colore nigro deſcribere debuiſti.

Fili, literæ alphabeti ſunt ſigna adeò univerſalia, quòd his univerſaliora excogitari non poſſint: unde cùm quælibet litera poſſit ſubſtitui cuilibet nomini, ût à me factum conſpicies in meis libris, præſertim in toto Libro 5. Contemplationis, vides, quantum damnum intulerint meæ Arti, qui rejectis his literis alia ſigna minùs univerſalia & nominibus tantùm ſpecificis affixa adinvenerunt. Præterea, Fili, tu ſcis, quàm incomparabile Artificium excogitarint veſtris temporibus ſapientes Mathematici, ſubrogando numeris literas alphabeti, quibus longè commodiùs, univerſaliùs ac perfectiùs poterant perficere ſuas demonſtrationes in Arithmetica & Geometria mediante hâc Logiſticâ verè ſpeciosâ. Quid igitur, Fili, putas, hos ingenioſiſſimos Viros fuiſſe præſtituros, ſi ipſis innotuiſſet mea Logiſtica ſpecioſa univerſaliſſima jam ante plùs quàm quadringentos annos inventa? quæ non tantùm Arithmeticæ & Geometriæ cæterisque Scientiis mathematicis ſed univerſo ſcibili eſt adaptata, hancque illorum ſpecificam non ſolùm in ſe complectitur, ſed eam longè tranſcendit, & illâ longè facilior eſt, ût te uſus certum reddidit, & Caput ſequens ac quintum monſtrabit. Nunc aſpice ſequens Schema.

A { Arbor Prima & Univerſaliſſima { b Senſuale, c Intellectuale } { d Eſſe, e Neceſſitas, f Privatio } { g Poſſibile, h Impoſſibile, i Potentiale, k Actuale } { l Efficiens, m Materia, n Forma, o Finis. }

De Secunda Arbore.

MAg. Secunda Arbor occulta latet in triangulo viridi & rubeo Figuræ T., & vocatur *Arbor Senſualitatum & Intellectualitatum*, cujus truncus formatur ex quatuor ſequentibus Principiis, quæ ſunt *Cauſa efficiens ſeu Factor*, *Materia*, *Forma*, *Cauſa finalis*: hæc quatuor ſub ſe habent alia quatuor, quæ ſic nominantur: *Senſuale propinquum*, *Senſuale remotum*, *Intellectuale propinquum*, *intellectuale remotum*: ſub his quatuor

locantur alia quinque, quæ ſunt *Firmamentum*, *Vegetabilia*, *Animalia*, *Metalla*, *Opera artificialia*.

Fili, hæc Arbor eſt abſolutè neceſſaria ad omnes Scientias acquirendas, & connectitur cum prima Arbore, & una revelat Secreta alterius: unde utramque firmiter imprimas tuæ imaginationi & memoriæ, ſi vis, ut intellectus tuus non careat materiâ ad operandum & intelligendum.

In hac præſenti & præcedenti Arbore b. c. ſunt duo capita illius Animalis, de quo legiſti metaphoram in Prologo hujus Tractatûs contentam; quorum nunc tibi ſenſum literalem aperio: & hæc eſt illa Arbor, cujus corticem, branchas, folia, flores & fructus conſumebant ſeptem beſtiæ & ſeptem Reginæ in his duobus capitibus contentæ.

Diſc. de qua Arbore hæc intelligis, Pater, de hac ſecunda, vel de prima? Mag. de utraque, Fili; nam licèt ſecundùm ſenſuale ſint duæ Arbores, ſecundùm intellectuale non eſt niſi una Arbor, continens in ſe primam, ſecundam & ſequentem tertiam Arborem. Diſc. delinea, obſecro, effigiem hujus ſecundæ Arboris, ut ſemper oculis meis obverſetur. Mag. libenter, en ichnographiam illius.

A Secunda Arbor.
- b Senſualitatum
  - d Efficiens — h Senſuale prop. — m Firmamentum
  - e Materia — i Senſuale rem. — n Vegetabilia
  - f Forma — k Intellectuale prop. — o Animalia
  - g Finis — l Intellectuale rem. — p Metalla — q Opera artif.
- c Intellectualitatum.

De Tertia Arbore.

MAg. Hæc tertia Arbor etiam elicitur ex *Figura Principiorum & Significationum*, unde denominatur *Arbor Qualitatum & Significatorum vel Significationum*; & eſt major, quàm duæ antecedentes, in figura, quâ hìc deſcribitur, ſed in forma eſt ipſis æqualis; quia tot ſunt ſignificata rerum, quot ſunt res; & tot ſunt ſignificata habitudinum rerum, quot ſunt habitudines rerum. Fili, in hac Arbore continetur ſubjectum & objectum univerſale ſeptem Inſtrumentorum generalium, quæ habentur in Capite ſequenti; nam ſicut prima & ſecunda eſt Arbor eſſendi, ſic hæc tertia eſt Arbor ſignificandi, in qua principiat primum Inſtrumentum illarum ſeptem, ſcilicet *Grammatica*.

Hæc Arbor non minùs eſt neceſſaria ad habitum Scientiarum comparandum, quàm præcedentes duæ; nam ſinè iſta non revelarentur Secreta illarum: hæc ambitu ſuo ſtringit univerſam Naturam creatam, in cujus ſignificatione manifeſtantur Secreta Naturæ increatæ: unde b. c. d. f. g. illius pone in prima camera, & b. c. e. f. in ſecunda camera, & A. ſupremum in tertia camera, & primum caput & primum pedem pone in camera b. c. d. f. g., & ſecundum caput & ſecundum pedem in camera b. c. e. f., & tertium caput & tertium pedem in camera A., & tunc adaptaſti potentiam ad objectum & ſubjectum, prout convenit.

Diſc. ego nihil horum intelligo, mi Pater, quæ dixiſti de cameris, de capitibus & de pedibus; certè ego non habeo niſi unum caput & duos pedes, quòd ſi unum caput eſt in camera, ambo pedes ibi ſunt, & in aliis cameris nullum horum eſt: unde ſi Condiſcipulis meis vel Viris literatis loquerer de tribus cameris, capitibus & pedibus, illi dicerent, in multiplicatione camerarum, capitum & pedum mihi diminutum eſſe cerebrum. Mag. Fili, quando audis Rhetores dicentes, prata rident, tu rides, quia ſcis, qualis ſit hæc metaphora, & quàm vulgaris; & quando tu ſermocinaris de tuis cameris, capitibus & pedibus, Rhetores de ridebunt, quia ignorant, qualis ſit hæc metaphora, & quàm ſecreta, & quanta contineat in ſe Secreta: igitur riſus compenſatur riſu, ſed eſt quæſtio, quis veſtrûm ſapienter rideat? ad illam ſolvendam monſtra Condiſcipulis tuis Caput 353. Libri 5. Vol. 3. Contempl.; quod ſi intelligent, ſapienter ridebunt, & non irridebunt. Jam conſpice figuram dictæ tertiæ Arboris.

A Tertia

A Tertia Arbor.
- b Qualitatum
  - d Senſualium — h Quomodo Qualitates ſignificant qualitates.
  - e Intellectualium — i Quomodo Qualitates ſignificant ſubſtantiam, & ſubſtantia qualitates.
  - f Eſſentialiũ — k Quomodo Qualitates ſignificant veritatem & falſitatem.
  - g Accidentalium — l Quomodo Qualitates ſignificant ordinationem & inordinationem.
- c Significatorum.

Ex his quatuor ultimis Ramis progerminant ſecundùm ordinem naturalem ſequentes:

h
- m mutuò.
- n non mutuò.
- o unius de pluribus.
- p plurium de una.

i
- m cum ſignificatione alterius qualitatis.
- n cum proprio ſuo ſignificato.
- o in ſubſtantia aliam qualitatem.
- p Qualitas una vel plures ſubſtantiam.
- q Subſtantia unam vel plures qualitates.

k
- m Quando ſenſuale & intellectuale concordant ad ſignificandam veritatem.
- n Quando ſenſuale eſt ordinatum, & intellectuale eſt inordinatum ad ſignificandam veritatem.
- o Quando intellectuale eſt ordinatum, & ſenſuale eſt inordinatum ad ſignificandam veritatem.
- p Quando ſenſuale & intellectuale ſunt inordinata ad ſignificandam veritatem.

l
- m per Perfectionem.
- n per Defectum.
- o per Eſſe.
- p per Privationem.

De Quarta Arbore.

MAg. Hæc quarta Arbor deputatur Potentiæ, ſicut tres præcedentes Objecto: ſicut igitur per tres antecedentes ordinatur Objectum ad Potentiam, ſic per hanc quartam Potentia ordinatur & habituatur ad ſuum Objectum proportionatè recipiendum.

Fili, hæc eſt Arbor *Fidei & Rationis*, cujus mentionem feciſti in tuis Perſpiciliis, ſinè qua nulla vera & perfecta notitia acquiri poteſt de rebus naturalibus & ſupernaturalibus: ad perfectam verò cognitionem hujus Arboris præſupponitur cognitio prædictarum trium Arborum: „unde, cùm „hæc Arbor Fidei & Rationis ſit gravis ad „tractandum, & gravis ad intelligendum, „convenit recolere & intelligere alias tres „ſupradictas Arbores, h. e. Arborem Eſſe, „Neceſſitatis & Privationis, & Arborem „Senſualitatum & Intellectualitatum, & „Arborem Qualitatum & Significatorum; „quia per demonſtrationes & ſignificata „ſuarum qualitatum & proprietatum poteſt „homo venire ad certam cognitionem Fi„dei & Rationis: nam per Arborem Eſſe, „Neceſſitatis & Privationis habet homo „cognitionem de Fide & Ratione, quando „inquirit Fidem & Rationem in rebus, quæ „ſunt potentialiter vel actualiter per poſſi„bilitatem vel impoſſibilitatem, vel per ne„ceſſitatem vel per privationem: per Arbo„rem Senſualitatum & Intellectualitatũ ha„bet homo cognitionem de Fide & Ratio„ne, ſecundùm quòd monſtrant res ſen„ſuales propinquæ, & res ſenſuales remotæ, „res intellectuales propinquæ, & res in„tellectuales remotæ: & hoc ipſum demon„ſtratur per Arborem Qualitatum & Signi„ficatorum; quia ſecundùm quòd quædam „qualitates dant ſignificationem de aliis, & „ſecundùm ſignificata qualitatum & ſub„ſtantiæ, & ſecundùm ſignificata vera & „falſa, & ſecundùm ſignificata ordina„tionis & inordinationis demonſtrantur & „ſignificantur Fides & Ratio. Doctor. Illum. Vol. 3. Lib. 4. Cont. Diſt. 36. cap. 238.

Diſc. quam Fidem & Rationem hìc intelligis, Pater, an naturales, an ſupernaturales? Mag. bene interrogas, Fili, quapropter ne vos ignorantia veſtra decipiat, ſicut decepit meum Adverſarium, notate, quòd Fides & Ratio in hac Arbore tripliciter

considerantur, scilicet aut naturales tantùm, aut supernaturales tantùm, aut ambæ simul. Disc. sed quomodo discernam, in quo trium sensuum accipiantur, si librum tuum legam? Mag. facillimè, applicando l. m. n. tertiæ Arboris tanquam regulam. Nunc sequitur ipsa Arbor.

A { Quarta Arbor. { b } Fidei / { c } Rationis
- d — Potentialis
- e — Actualis
- f — Vera
- g — Falsa
- h — Naturalis
- i — Non Naturalis
- k — De Modo, secundùm quem operantur in Anima rationali.

Mag. *Qui de Fide & Ratione, Quæ sunt in hac Arbore, vult habere cognitionem, debet primò habere cognitionem trium Arborum, quæ præcedunt istam:* Doctor Illum. Lib. Contempl. Vol. 3. Lib. 4. cap. 246. & hæ tres Arbores non solùm necessariæ sunt ad cognoscendam fidem & rationem, *sed ad hoc, ut per illas possit homo venire ad hanc Scientiam:* Doctor Illum. ibid. Lib. 5. cap. 366. p. 2. tota enim Scientia in his tribus Arboribus radicatur, & per quartam Arborem è radicibus, truncis, branchis, ramis, foliis, floribus & fructibus generalibus harum Arborum producitur in radices, truncos, branchas, ramos, folia, flores & fructus speciales Scientiarum; ac ex his specialibus è converso reducitur ad generales; quod in sequentibus & ipsa praxi demonstrabitur. Denique, ut noscatis viridarium, in quo hæ quatuor Arbores sunt plantatæ, adeatis Distinctionem 33. 34. 35. & 36. maximi inter omnes meos libros Libri Contemplationum.

De Secundo Secreto scilicet Figurarum.

MAg. Sicut secundùm naturalem ordinem præcedentium Arborum una procedit ab altera, nempe secunda à prima, & tertia à secunda & prima, & quarta ab omnibus tribus, sic omnes sequentes Figuræ eliciuntur ex prædictis Arboribus; quod observabitis, Filii, si technasma Figurarum conferetis cum illo Arborum: & sicut Figuræ derivantur ab Arboribus, sic per rectum & naturalem ordinem una Figurarum derivatur ab altera, ac proin quælibet cum altera necessariò connectitur: de quibus singulis antequam agam in specie, notetis hæc sequentia priùs in genere.

Primò: quòd omnes meæ Figuræ, non solùm hæ, quæ sequuntur, sed quotquot in meis libris reperiuntur, non nisi *tres generales* constituant, nempe *Circularem, Triangularem* & *Quadrangularem*; hæ enim tres Figuræ sunt primæ formæ generalissimæ omnium Entium creatorum, & per consequens omnium entium scibilium; nam primæ duæ à primo Ente increato sumunt originem, & diffunduntur in tertiam in Ente creato, quæ illas duas in se recipit, tanquam materia suam formam, & per quam tertiam creatura distinguitur à suo Creatore, sicut per duas priores concordat cum illo.

Secundò: quòd secundùm prioritatem originis (sic loquendo) Circularis sit prima, Triangularis secunda, Quadrangularis tertia, sed secundùm naturalem ordinem situs sensualis & intellectualis Circularis sit prima, Quadrangularis secunda, Triangularis tertia in analysi, & è converso in synthesi; & hoc tibi demonstravi per metaphoram in mea Geometria & mea Arte Generali, part. 10. cap. 14. forma 44. 45. & 46. ubi per metaphoram trianguli, quadranguli & circuli sensualis & artificialis locutus sum de triangulo, quadrangulo & circulo intellectuali & naturali; quæ loca debuisset consulere Mutus, antequam habuisset rationem carpendi meam Quadraturam circuli, ût bene animadvertisti, Fili, in

in fine Perspiciliorum: hoc clariùs intelliges per istam metaphoram. Tu vides, quòd inter omnes figuras poligonas circulo inscriptas ultima sit triangularis; nam in illam omnes resolvuntur: ergò circulus est prima, & triangulus est ultima; sed incipiendo à triangulo triangulus est prima, & circulus ultima, omnes autem multilateræ intermediant utramque; & quia quadrangulus est prima post triangulum, triangulus est principium, quadrangulus medium, & circulus finis: sapienti satis. Disc. ad quid prodest hæc cognitio? Mag. ad hoc, ut scias ordinem in operando & intelligendo.

Tertiò: quòd ratione dimensionis vel mensurationis & ratione essentiæ & naturæ harum trium figurarum naturalium quælibet est tota per quamlibet aliam totam, scilicet totus circulus per totum quadrangulum & triangulum, & totus quadrangulus per totum circulum & triangulum, & totus triangulus per totum circulum & quadrangulum: Doctor Illum. in Art. Inv. Dist. 3. Reg. 8. de Elem. §. similiter f. 48. Tom. 4. & hoc in omni ente sensuali & intellectuali finito; sed in Ente infinito realiter non est quadrangulus.

Disc. cui usui servit hæc annotatio? Mag. magnum Secretum latet in illa, Fili; nam sinè perfecta cognitione illius millenæ veritates te latebunt in omni Scientia; præsertim in Geometria & Musica tam specialibus, quàm generalibus, ût in Secretis illarum infrà percipies, quia nescires invenire naturalem mensuram entium & speciem illius mensuræ, quæ occulta est in qualibet harum trium figurarum: *unde* (quamvis quælibet sit in alia, nec una possit esse sinè alia, prout dixi) *secundùm quòd istarum dimensionum alia est à prædominio inter alias &c., contrahit cæteras ad suum situm.* Doctor Illum ibid. Disc. o quàm pauci intelligent, quæ hìc dixisti, mi Pater! Mag. verum est, Fili; & ideo infrà loco citato majorem lucem accendam, ut, si non omnes, saltem aliqui videant hoc Secretum.

Quartò: quòd quælibet harum trium Figurarum sit transmutabilis in alteram: Fili, hæc positio sequitur necessariò ex præcedenti; cùm enim essentia cujuslibet sit in essentia alterius, & quælibet possit esse à prædominio super quamlibet, ergò quælibet potest alteram transmutare in se ipsam, aliàs devincens non conveniret cum actione, & devicta cum passione; sed hæc transmutatio non destruit naturam simplicem cujuslibet, aliàs simplicitas principiorum perderetur: Fili, nullus Geometrarum, quòd sciam, egit de triangulatura circuli, vel de circulatione trianguli, quam docui in mea nova Geometria: ne erres, Fili, accipiendo Geometriam specialem pro generali.

Quintò: quòd his tribus Figuris absolvitur triplex operatio seu triplex motus naturalis realis, & artificialis intentionalis, scilicet *Circulationis, sursum & deorsum*; de quibus mentionem feci in Lib. de Princ. & Grad. Med. Dist. 6. cap. 20. fol. 30., & in aliis meis Libris: ex quarto & cæteris antecedentibus notandis resultat hoc quintum, quod est immensæ utilitatis in tota hac Scientia, & maxima ac profundissima Secreta in illo absconduntur, quorum unum hìc aperiam, scilicet, quòd motus circularis necessariò est connexus cum motu sursum & deorsum, & motus sursum cum motu circulari & deorsum, & motus deorsum cum motu circulari & sursum; de quibus partim in ipsis figuris, partim in Quadrivio majus lumen recipietis.

Sextò denique & ultimò: *licèt omnes Figuræ hujus Artis sint & de esse & de bene esse ipsius Artis, veruntamen A. S. T. sunt ipsæ Figuræ hujus Artis, in quibus consistit principaliter totum pondus & necessitas hujus Artis*; „ nam de„ficiente aliquâ istarum Ars nihil est: ha„bet enim necessarium A. tanquam princi„palem regulam, primam causam & finem „omnium investigabilium; nam impossi„bile esset, S. per T. sinè A. pervenire ad „metam veritatis rei investigabilis; quia, „cùm omnis Creatura sit similitudo ipsius „A., sicut per bonitatem ipsius A. monstra„tur omnis bonitas, ita per veritatem ip„sius A. monstratur omnis veritas; & sic de „aliis hujusmodi. Habet etiam necessa„rium S. ita ordinatum (ût patet in ipsa Ar„te) tanquam agens, sinè quo humana „scientia nihil est: ac etiam habet necessa„rium T. tanquam instrumentum sic ad „ investigativum modum agendi artifi„ciatum, quòd impossibile est, sinè ipso „T. investigare vel perpendere veritatem „alicujus rei. In his tribus Figuris pendet „tota necessitas investigandi hujus Artis: per „X. tamen maximè investigatio hujus Artis „recipit fulcimentum, & per V. circa mo„ralia dependentia ex parte finis, ac etiam „per cæteras figuras, & per omnes similiter „patet modus inveniendi; quemadmo„dum

„dum in processu hujus voluminis per „conditiones & regulas & per exempli „gratiam quæstionum hujus voluminis „declaratum est. Doctor Illum. in Comp. Art. Dem. Dist. 3. de quæst. 2. fig. dem. fol. 150. Tom. 3.

Ex dictis colligere potes, Fili, non ita esse, prout Author meæ Vitæ cap. 2. n. 6. f. 4. putabat, nimirùm, quòd resecaverim vel dissimulaverim in mea Arte Inventiva & in Arte Generali Ultima aliquas figuras, quas posui in Arte Majori, Introductoria, Demonstrativa &c. propter fragilitatem humani intellectûs; non enim abesse potest, quod est de necessitate Artis; sed subest alia ratio, quam dictus Author ignoravit, scilicet quia Ars Inventiva & Ars Generalis Ultima ac reliquæ ab illis dependentes fundantur super *numero ternario*, qui jam præsupponit cognitum *numerum quaternarium*, cui superstructa est Ars Major seu Compendiosa inveniendi veritatem, Ars Universalis seu Lectura Compendiosæ, & reliquæ Artes seu Scientiæ illis subnixæ: secundùm enim ordinem naturalem intellectûs creati conjuncti cum corpore corruptibili in præsenti statu motus investigativus & inventivus veritatis est à *deorsum* ad sursum, hoc est, ab infimo gradu scalæ sensualis ad supremum gradum scalæ intellectualis; quæ scala sensualis constat quatuor gradibus quater in se ductis, sicut scala intellectualis tribus ter in se ductis; quod non huc pertinet expandere, sed ad Secretum meæ Arithmeticæ. Jam igitur agamus in specie de singulis Figuris ad Artem necessariis; & primò

De Secreto Figuræ A.

Prima Ratio, quare ponatur Figuræ A. in hac Arte. Mag. „Notandum est, „Fili, circa Figuram istam, quòd secun„dùm Figuram A. maximè dirigitur homo „circa quamcunque quæstionem ad inve„niendum Y. non solùm propter communi„tatem Dignitatum ejus, quibus omnia par„ticipant & mensurantur, quia tantùm ha„bet aliquid de entitate & veritate, quan„tùm participat in ipso A., sed etiam prop„ter influentiam, quam homo percipit me„ditando in camera ejus mediantibus trian„gulis, bonâ vitâ concomitante, quæ in„fluentia veritatem demonstrat aut per su„bitam acceptionem, aut per rectam dedu„ctionem ex cameris cujuscunque figuræ: *unde hæc Figura dirigit omnes alias Figuras tanquam regula & tanquam virtutem influens super omnes.* Doctor Illum. in Introd. Artis Dem. cap. 8. n. 2. f. 8. Tom. 3. Justo igitur titulo denominasti hanc Figuram Dominam & Imperatricem omnium Figurarum.

Secunda Ratio: „Quoniam Dignitates A. „in se ipsis sunt incessantes, & in creaturas „suas similitudines influunt, positum est A. „in hac Arte, ut à suis creaturis cognoscatur „& ametur, investigando particulare, & for„mando universale in ipso A., quocirca fa„ctæ sunt & regulatæ propositiones ejus isto „modo, scilicet, quòd sint conditiones „& regulæ, scilicet forma & exemplar om„nibus aliis propositionibus hujus Artis, ut „inveniatur particulare in suo universali, „habendo respectum ad illam beatissimam „operationem, quam prædictæ Dignita„tes habent intrinsecam per modum essen„tiæ, & ad illam operationem, quam ha„bent extrinsecam per modum influendi in „creaturas. Doctor Illum. in Lib. Prop. Artis Dem. Dist. 2. de A. f. 8. Tom. 3.

Tertia Ratio: „Quia hæc Figura pluri„mùm necessaria est in hac Arte, ut ex ea S. „accipiat principium, & in suo discursu di„rigatur per conveniens vel inconveniens „primæ Figuræ ipsius A.; quoniam est im„possibile, quidquam in veritate manere, „unde in figura vel operibus seu inter u„nam & aliam cameram ipsius A. inconve„niens sequitur: ergò cùm ita sit, *discursus & ordinatio, quos accipit S. in hac Figura, omni ordinationi, discursui & consequenti hujus Artis & omnium aliarum principium & antecedens existunt.* „Ulteriùs velut artificiatorum „materia & forma directionem accipiunt „ad unum ultimum finem, qui est perfectio „operis, *sic ad finem primæ Figuræ ipsius A. omnes reliquæ Figuræ diriguntur.* Doctor Illum. in Art. Univ. Dist. 1. de fig. A. fol. 9. Tom. 1.

Ex dictis tribus rationibus paucis tibi eruam tria magna Secreta meæ Artis; nam sicut ex prima Ratione potes cognoscere, quòd Dignitates DEI, quæ ponuntur in *circulo* hujus primæ Figuræ, sint literæ rationales supremæ, quæ dirigunt omnes alias literas rationales inferiores, in quas influunt suas similitudines, sic ex secunda Ratione tibi innotescit, quòd ex his literis rationalibus supremis formentur syllabæ rationales supremæ, quas voco propositiones, conditiones, maximas, regulas &c. ex definitionibus Dignitatum vel Principiorum supremorum notas vel demonstratas; quibus syllabis rationalibus supremis regulantur & diriguntur omnes syllabæ rationales inferiores, hoc est, conditiones seu maximæ: & ex tertia Ratione ulteriùs deducitur, quòd ex his syllabis rationalibus supremis componantur verba rationalia suprema, hoc est, demonstrationes supremæ, quæ sunt norma & exemplar omnium verborum rationalium inferiorum, hoc est, demonstrationum; quæ omnia, Fili, in hoc primo Tomo, præsertim in praxi camerarum Figuræ A. Artis Universalis, adhuc clariùs autem in Tomo sequenti in Lib. Gent. & Lib. Mir. Dem., clarissimè verò in Arte Inventiva, quæ habetur Tomo 4. explicata invenies. Quis unquam, Fili, hactenus in Geometria vel quacunque alia Scientia scivit reducere principia hujus Scientiæ ad certum numerum, & ad talem æqualitatem, ut essent circularia, ex quibus tanquam literis geometricis conficere potuisset tales syllabas geometricas, & ex his verba geometrica sinè numero per certam & infallibilem methodum demonstrativam? certè nemo; & quamvis ipso opere hoc præstitisset, nondum assecutus esset supremam & universalissimam Methodum demonstrandi.

Disc. Verum est, quod hìc asseris, Pater; nam legi, quotquot de hac materia celebres Scriptores reperire potui, nec in illis inveni, quod tamdiu quæsivi, & quod à te nunc tantâ benignitate recipio. Unum inter præclariores commemorem, scilicet ingeniosissimum Leibnüzium, celeberrimum Mathematicum, cujus Dissertatio de Arte Combinatoria mentionem facit tuæ Kabbalæ & Artis Magnæ fol. mihi 31., multáque in tua Methodo ob insufficientem informationem desiderare videtur: hic igitur Vir Analyseos Geometricæ peritissimus probl. 2. f. 35. n. 64. §. *Analysis hæc est*, ingeniosum planè Systema proponit, ejusque potiùs conficiendi delineationem & formam exhibet, quàm perfectam genesin, *resolvendo quemcunque terminum in partes formales, has partes iterum in partes usque ad partes simplices seu terminos indefinibiles &c.*; quæ illic videnda: at hoc Systema, salvâ pace tanti Viri, multis scatet incommodis.

Primò: quia hæc Analysis non est naturalis, sed artificialis tantùm, nec conformata secundùm formam naturalis, utpote cujus Leibnüzius nullam notitiam habuit.

Secundò: quia specimen illius non est universale, sed particulare tantùm, ût patet fol. 42., ubi exhibet aliquod in Mathesi: & quamvis Vir eruditissimus optimè noverit, *Methodum universalem à primis simpliciter terminis ortum sumere debere*, non tamen ausus est aggredi seriem texere tantæ structuræ, ne fortè ob defectum sufficientis notitiæ principiorum & fundamentorum tam arduæ methodi ipsi accideret, quod tibi ab ipso, Pater; nam semper faciliùs est arguere nævos alienos, quàm evitare proprios.

Mag. Ita est, Fili; sed ne tempus perdas inutiliter in vindicanda mea Arte, quæ se ipsam sufficienter tuebitur, si non ignoretur, dummodò ponderetur ad alias hactenus inventas: excusare libet tantùm defectus, quos Arti meæ putabat Leibnüzius imponendos: utinam vidisset Vir Scientiæ avidissimus hunc & sequentem Tomum, in quibus *non Artem differendi ex tempore, sed plenam de re data Scientiam consequendi tradidi, nec ullo modo numerum terminorum determinavi pro arbitrio*, quamvis doctissimus P. Izquierdo in sua Pharo id licitum crediderit; sed ratio, quæ me ad novenarium assumendum induxit, Leibnüzium latuit, nec volo, illam omnibus innotescere; nam in numero principiorum determinando maximum Secretum occultatur: unde hunc numerum toties variavi, ne mysterium omnibus palam fieret. Quasi verò *voluntas, veritas, sapientia, virtus, gloria* non essent prædicata tam absoluta, quàm *bonitas, magnitudo, duratio &c.*? *figura, pulchritudo, numerus* non pertinent ad suprema principia: unde probat Leibnüzius, quòd meis prædicatis relativis multò plura debeant adnumerari? *majoritatem, æqualitatem & minoritatem nihil aliud esse, quàm concordantiam & differentiam magnitudinis* non bene asseritur, quia in DEO est concordantia & differentia magnitudinis, sicut est magnitudo concordantiæ & differentiæ, nec tamen in DEO est majoritas vel minoritas: vides, Fili, qualiter de mea Arte judicant, antequam illius fundamenta percipiant; nescivit enim Leibnüzius, majoritatem, minoritatem, æqualitatem, differentiam, concordantiam, item veritatem, voluntatem, gloriam esse prædicata vel veriùs formas reales absolutas extra intellectum nostrum existentes, & non tantùm relativas; nam majoritas in creatura est principium æquè absolutum majorificandi, sicut

bonitas bonificandi, & majoritas sic majorificat bonitatem, sicut bonitas bonificat majoritatem; aliàs enim majoritas non esset realis imago immensitatis, ût fert ejus definitio: Quæstionum mearum naturam & numerum examinat, sed unam omisit, scilicet *Quare* sic ordinaverim, à me non quæsivit: pergamus iterum

Disc. Tuâ veniâ, Pater, assumam ego illud quare omissum à Leibnüzio, interrogando, quare in hac prima circulari Figura posueris sedecim Dignitates, nec plures, nec pauciores? Mag. duas Rationes tibi dabo, Fili, unam claram, alteram obscuram: *Primam* sic habeto. „A. est summum „Ens entium habens Dignitates ineffabiles; „sed quoniam intellectus per modum rea„litatis nequaquam potest intelligere totali„ter, sed solùm intelligit per gratiam & in„fluentiam ipsius A. sedecim Dignitates in „ipso A., & non, quòd sint nisi sedecim tan„tùm, cùm ipsæ sint innumerabiles una „eadem Essentia, sed quia ipsi intellectui „sufficit sumere sedecim divinas Dignitates „secundùm hanc Artem NB. ad responden„dum omnibus quæstionibus, quæ de A. „fieri possunt. Lib. Propos. Art. Dem. Dist. 4. p. 1. de fig. 2. f. 18. *Secundam* sic accipe: quia hoc numero clauduntur gradus primarum formarum simplicium in scala totius naturæ creatæ, ita, ut nec una addi nec una demi possit sinè læsione scalæ: & hoc est Secretum illud, quod suprà paucis tetigi, per quod investigatur & invenitur numerus principiorum in omni Scientia; cujus demonstrationem exemplificabo Capite sequenti in unò ex septem instrumentis generalibus. Fili, multa alia Secreta tibi aperiam de hac Figura dicto Capite.

De Secreto Figuræ S.

MAg. Hæc secunda Figura, quamvis sit etiam circularis, sicut prima, est tamen à prædominio *quadrangularis*, constans quatuor quadrangulis positis in circulo, & est Figura *Potentiæ* seu *Agentis universalis*; *S. enim est tanquam Agens super cæteras Figuras hujus Artis*, Doctor Illum. Comp. Art. Dem. Dist. 1. p. 1. fig. S. f. 3. sicut prior *Objecti*: vocatur quoque *Figura Objectorum*: Doctor Illum. in Art. Univ. Dist. 1. f. 2. Tom. 1. quia omnia objecta Figurarum T. A. V. X. & omnium aliarum Figurarum in illa recipiuntur: item nomen ipsi indidi *Figuræ Veritatis*, Doctor Illum. Vol. 3. Lib. 5. Dist. 40. cap. 331. Lib. Contemp., quia omnis veritas cum illa, in illa & per illam investigatur.

Jam impone oculis tuis perspicilia mea, Fili, in hac enim Figura situatur propriè principium Revelationis omnium Secretorum Artis & Naturæ: tu audivisti, quòd hæc sit Figura Agentis universalis, & quia Agens universale est clavis ad aperiendum omnia supradicta Secreta, ideo ab hac Figura meam Artem Compendiosam inveniendi Veritatem intitulavi *Librum S.*, Doctor Illum. in Lib. Princ. Phil. part. 1. de volun. fol. 30. illamque omnium meorum Librorum *Clavem* constitui, quia est primum Agens reale & intentionale, naturale & artificiale, sinè quo nulla harum operationum potest perfici: & quòd hoc verum sit, ipsa praxis dicti Libri Artis Compendiosæ te certificabit: in hac Figura continetur secretè *Opus magnum & majus*, de quo, quid sit, consule Dist. 3. Libri mei de Quint. Ess. de Fig. S. Et hæc est ratio, quare dicta Ars Compendiosa vocetur *Ars Magna*, Doctor Illum. in Art. Univ. Dist. 1. fol. 3. de 3. fig. S. & *Ars major*; ibid. fol. 5. de trian. rub. vocatur etiam *Ars Magna Particularis* in mea *Arte Universali*, Dist. 3. de 1. fig. T. cam. 39. fol. 34. ut cognoscant mei Discipuli, opus Artis Compendiosæ non esse *Opus maximum*, de quo agit dicta Ars Universalis, uniendo Figuram specierum ipsius S. & Figuram generalem A. T. V. X. in unam Figuram universalem, cujus partes præparat & disponit Ars Magna & Major.

Ex Revelatione hujus maximi Secreti intellige aliud minus Secretum, scilicet, quare unus liber à me sæpiùs multis nominibus signetur, ût dato exemplo *Ars magna*, *Ars major*, *Ars particularis*, *Ars Compendiosa*, *Liber S.* non nisi unum & eundem librum denotant: sic *Ars Universalis*, *Lectura Artis Compendiosæ* etiam unum: sic *Liber Gentilis*, *Liber Quæstionum & Petitionum*: sic *Liber Felix*, *de Mirabilibus Orbis*: sic *Thesaurus Sanitatis*, *Cor meum*: sic unum Librum, quem scripsi, continentem in se tres tractatus, nempe *Artem Intellectivam*, *Artem Amativam & Artem Memorativam*, qui sunt tres partes antiqui Testamenti, insigniti titulis *Libri Prudentiæ*, *Charitatis & Patientiæ*: hoc autem feci, ut citatione horum Librorum paucis notorum mentem meam possem aperire meis Discipulis, & claudere extraneis; quis enim me facilè intelliget, Fili, quando dico, *qui vult secreta naturæ invenire*, *debet conjungere prudentiam cum charitate & patientia*, quòd per hæc velim dicere, ad inventionem secretorum naturæ requiri studium horum trium librorum? de hac materia esset utile scribere caput singulare de methodo studendi meos libros & antiquorum Sapientum; ad quod caput hoc secretum propriè pertinet. Disc. ô mi Pater, quàm pauci sunt & erunt, qui amore veræ scientiæ cupiunt subire laborem tantæ investigationis! nam si libros tuos horumque Senum festino percurrunt oculo, & tales in illis offendunt difficultates, statim illos aspernantur metu incassi forsan laboris in tam abstruso studio perferendi. Mag. Fili, tales non considerant, quot laboribus & periculis homines mundani debeant subjici, & se sponte subjiciant ad honores vel divitias vel alias vanitates obtinendas, quæ tanto tempore conquiruntur, tam serò acquiruntur, & tam facilè ac citissimè iterum amittuntur.

Cùm sub una Figura ipsius S. *duplex agens* delitescere dixerim, per literam S. significare mihi placuit duas Animas, scilicet *rationalem*, quæ est agens intentionale & artificiale, & *vegetativam*, quæ est agens reale & naturale: Doctor Illum. in Lect. Fig. Art. Dem. de Fig. S. f. 7. Tom. 3. nam in prima est potentia motiva intellectualis, in secunda verò potentia motiva sensualis: Doctor Illum. in Art. Dem. Dist. 2. p. 2. fol. 26. de cam. RR. n. 4. Tom. 3. ut vobis exponam Secreta concordantiæ utriusque agentis, licèt *per doctrinam*, *quam de ipso S. rationali exhibemus*, *tractari possit de alia specie præhabita* animæ vegetativæ, Doctor Illum. in Art. Dem. Dist. 2. p. 2. de cam. SS. fol. 19. Tom. 3. majoris tamen claritatis gratiâ addam unam alteri; hac etenim ratione efficaciùs convincam Censores meæ Artis, quòd, si tanto artificio vel unicam partem illius concinnare potui, ad cujus cognitionem toto suo conatu pertingere nequiverunt, quantò minùs integram Artem assequi quantâcunque industriâ valuissent. Sit igitur

Primum Secretum de *Circulo*.

S. Agens { Intellectuale / Sensuale } Circulus Principiorum. { Recolentia. Intelligentia. Volentia. / Terreitas. Igneitas. Aëreitas. }

Conjunctio, Forma, Materia, Esse, Simplicitas, Compositio.
Aqueitas, Forma, Materia, Esse, Simplicitas, Compositio.

Substantia, Accidens, Virtus, Operatio, Interioritas, Exterioritas,
Substantia, Accidens, Virtus, Operatio, Interioritas, Exterioritas,

Motus. Doctor Illum. in Lib. Prop. Art. Dem. Dist. 1. p. 3. fol. 3. de Fig. S.
Motus. ibid. part. 9. fol. 6. de Fig. Elem.

Vides Fili, quàm perfectè numerus principiorum unius agentis respondeat numero principiorum alterius agentis, imò quodlibet principium unius cuilibet alterius? Disc. omnia exactè conspirant, exceptis primis quatuor. Mag. etiam hæc conveniunt, Fili, videntibus. Disc. quomodo possibile? Mag. quare non? recolentia enim concordat cum terreitate, intelligentia cum igneitate, & volentia cum aëreitate, de quibus statim. Doctor Illum. in Art. Dem. Dist. 3. de 1. 2. 3. Modo fol. 43. & 44. Circulatio itaque principiorum S. significatur in circulatione principiorum Figuræ Elementalis, *quibus scilicet elementis assimilatur S. in sua descriptione in parte; quia per sedecim res essentiæ spirituales describuntur, quemadmodum ipsa elementa per sedecim res essentias corporales.* Doctor Illum. in Prop. Art. Dem. Dist. 1. p. 9. fol. 6. Tom. 3.

Secundum Secretum de *Quadrangulo*. S. rationale est *Genus*, „& est *Figura circularis*, „in qua quatuor quadranguli existunt „diversificati per colorem *lividum*, *nigrum*, „*rubeum* & *viridem*: in hac autem sunt E. I. „N. R. *Species*, sub quibus continentur *Individua* B C D. F G H. K L M. O P Q. pro„ut unumquodque individuum cum sua „specie convenit in quadrangulo, angulo „& colore. Doctor Illum. in Art. Univ. Dist. 1. de Fig. S. fol. 2. S. vegetativum est *genus*, & est *Figura circularis*, ût patet in Radice Arboris Medicinæ, in qua sunt quatuor Quadranguli Aëris, Terræ, Ignis, A-

quæ, qui apparent in trunco dictæ Arboris, & in Figura Elementali Artis Compendiosæ; qui quatuor quadranguli sunt *species* ipsius S. vegetativi, & se habent ût E. I. N. R. rationativi, pingunturque iisdem coloribus, ût docet mea Ars Universalis de 2. fig. T. fol. 6., & constant iisdem duodecim Individuis, quæ faciunt quatuor triangulos, ût in Comp. meæ Art. Dem. Dist. 1. fol. 60. Tom. 3., quibus revelatur

Tertium Secretum de *Triangulo* Figuræ S.; nam sicut genus unius respondet generi alterius per circulum, & species unius speciebus alterius per quadrangulum, sic individua unius individuis alterius per triangulum. Disc. hæc nimis mihi videntur abdita, Pater, rogo, remove modium de lucerna. Mag. Fili, tu nosti, quòd *Elementa sunt speculum S.; nam quemadmodum ordinantur elementa in natura, sic ordinantur potentiæ in S., & S. est speculum ipsius A.* Doctor Illum. in Lib. Prop. Art. Dem. Dist. 2. f. 10.: unde quando in Figura S. ordinandæ à me erant potentiæ ipsius S., priùs inspexi hoc speculum elementorum, ut contemplarer in illo situm, dispositionem & ordinem illorum, secundùm quos regulare possem situm, dispositionem & ordinem potentiarum; imò Fili, cùm S. rationale sit unitum in homine cum S. vegetativo unito cum quatuor elementis, naturaliter alligata sunt B. C. D. &c. ipsius S. rationalis ipsis B. C. D. elementorum: unde non mea speculatio posuit hunc ordinem artificialem, sed ipsa natura proportionando potentias inferiores potentiis superioribus condidit ordinem naturalem.

Disc. Quid est B. C. D. Elementorum? Mag. Fili, ardua sunt & subtilia valde, quæ hìc postulas, igitur ausculta solerter: tu scis, quòd B. in Figura S. significet *recolere*, unde, ut scias, quid sit B. elementorum, & quomodo proportionetur memoriæ in recolendo, nota, quòd *B. habet concordantiam cum siccitate per concavitatem, & cum frigiditate per restrictionem, & propter has duas qualitates possunt in B. recipi multa particularia, de quibus formatur universale, in quo C. invenit id, quod D. petit:* Doctor Illum. in Art. Dem. Dist. 3. de 1. Modo f. 43. est igitur B. elementorum *aqua & terra*, seu *frigiditas & siccitas*, quibus in Arbore Medicinæ rota radicis componit *melancholiam*, ût dixi loc. cit. Art. Dem. Etiam scis, quòd C. denotet *intelligere*, huic autem C. elementorum attribuit duo elementa simplicia, scilicet *ignem & terram*, componentia unum elementum compositum, scilicet *choleram*, quæ est *calida & sicca:* & sicut naturalis ordo in elementis mihi revelavit naturalem ordinem in potentiis S., sic modus naturalis operandi elementorum mihi manifestavit modum naturalem operandi potentiarum S.; *nam per ignem & terram significatur, quomodo C. suum opus purificat per caliditatem & siccitatem; quia per caliditatem distinguit unum ab altero, & per siccitatem objectum evacuat, illud attrahendo ad se, in implendo semet & ipsum B.; ideòque exist it C. in fronte.* Doctor Illum. ibid. 2. Mod. f. 44. Nec ignoras, quòd D. sumatur pro *velle*, cui D. elementorum adjungit *ignem* & *aërem* duo elementa simplicia componentia unum compositum, scilicet *sanguinem:* & quia in sanguine est majus temperamentum *humiditatis & caliditatis*, quàm in cholera & in melancholia, *per cameram ignis aëris potest F. recolere, & G. intelligere, quomodo D. oportet velle, quòd cor sit ipsis duobus elementis subjectum, quia cum ipsis habet concordantiam, quorum temperantiam oportet esse per temperatam humiditatem & caliditatem.* Doctor Illum. ibid. 3. Mod. f. 45. Tom. 3.

Cùm hæc, quæ dicta sunt, sint maximi momenti tam ad intelligendum modum operandi realiter, quàm intentionaliter, paucis repetam, ut firmiùs imprimas memoriæ: nota igitur, quòd „ B. mediante „ siccitate & frigiditate est operativum, ut „ sit tanquam vas ex parte terræ vacuum, „ sed ex parte aquæ clausum, quod est, quia „ terra evacuabilis est, aqua verò restringi„ bilis est: similiter C. mediante caliditate „ & siccitate est operativum; nam sicut ig„ nis divisivus est & evacuativus, ita C. si„ militer evacuativum & divisivum est, ip„ so discurrente de specie in speciem; unde „ C. subtilius est in corpore calido & sicco, „ quàm alterius complexionis: & inde se„ quitur, quòd vehemens applicatio studii „ habet corpus desiccare: atque D. simili mo„ do mediante humiditate & caliditate est „ operativum; quia caliditate ardenter de„ siderat repletionem per humiditatem, „ quia proprium est aëri adimplere: & per „ ista patet, quomodo mediante corpore S. „ operatur accipiendo species recolendo, „ intelligendo & volendo. Doctor Illum. in Lect. Fig. Art. Dem. de cam. SS. f. 40. Tom. 3.

Nunc

Nunc arbitror, Fili, intelliges, quid sit B. C. D. Elementorum. Disc. Intelligo, sed non perfectè; nam cùm (ex dictis) E. I. N. R. sint aër, terra, ignis, aqua, quomodo in E., hoc est, aëre B. C. D. possint significare terram, ignem & aërem, non capio. Mag. in quolibet elemento est *tivum, bile* & *are*, & ideo in aëre est aërificativum, aërificabile & aërificare, in terra terreificativum, terreificabile, terreificare, in igne ignificativum, ignificabile, ignificare: hinc aërificativum est ignis aëris, aërificabile terra aëris, aërificare aër aëris: unde multoties in meis Libris scriptum legeris, quòd quodlibet elementum sit ex quatuor elementis. Disc. memini; sed quare quartum omisisti, scilicet *aquam*? Mag. quia nullus antiquorum Sapientum hanc revelavit; hæc est enim *Clavis*, quæ aperit & claudit, quapropter retine, Fili, & nunquam è mente tua excidat, quòd ex B. generetur C., & ex B. C. producatur D., Doctor Illum. in Lib. Mir. Dem. Lib. 1. cap. 2. fol. 3. Tom. 2., & ex B. C. D. proveniat E., quod est *aqua*; idem intellige de F. G. H., ex quibus fit I., quod est aqua: ex B. F. fit K., ex C. G. fit L., ex D. H. fit M., ex E. I. fit N., quod est aqua: ex his omnibus formantur O. P. Q. R., quod est aqua. Si nondum capis, quæ dixi, transmuta secundum modum meæ Artis Demonstrativæ in quartum modum, hoc est, intelligere in credere; nam credere convenit cum *aëre & aqua:* unde *sicut phlegma, quod existit ita grossæ materiæ, quòd propter frigiditatem, quæ restringit ipsum, & propter humiditatem, quæ ipsum replet, non potest in eo recipi triangulus viridis nec rubeus*, Doctor Illum. ibid. f. 45., sic K. per L. M. non potest distinguere E. ab I., & è converso, in N.

Contrahendo hactenus dicta de Secreto Figuræ S. & ejus dispositione, manifestum vobis erit, quòd „ A. creavit proportionem & similitudinem inter S. & quatuor elementa, ut insimul convenire valeant ad serviendum ipsi A.; nam in quantum S. in se quatuor species continet, quæ sunt E. I. N. R., quæ species sunt ex tribus principalioribus potentiis ipsius S., & in quantum elementa sunt quatuor, quorum quaternitas se revolvit super tria principia, in quibus constituitur elementatum subjectum, scilicet forma, materia & conjunctio, idcirco S. est in quaternitate & trinitate, unde sequitur quadrangulus & triangulus, per quos S. & corpus conveniunt in unum suppositum. Unde quia „ hoc ita est, R. similitudinem quaternitatis & N. trinitatis in se retinent ad significandum per ipsa N. R. particulare intellectuale vel sensuale. Doctor Illum. in Art. Dem. Dist. 2. p. 2. de cam. N. R. fol. 25. Tom. 3.

Fili, tene Secretum hoc maximum de quaternitate & trinitate Figuræ S., quibus tibi revelatur particulare intellectuale in intelligendo, & sensuale in operando: plura de dispositione hujus Figuræ, præsertim de septem illius Figuris & Secretis illarum exponenda superessent; sed non omnia potes portare modò: de mirabili tantùm usu magna tibi aperiam in Capite ultimo de Secreto modi operandi.

De Secreto Figuræ T.

MAg. „ Sicut Artifex suis mediantibus „ instrumentis operatur formam artificialiter, ita ipsum S. ea, quæ operatur „ in hac Arte, operatur mediante T., po„ nendo ipsum in suis potentiis objectivè, & „ ponendo ipsum in Figurarum cameris, „ prout in eis recipi potest: Doctor Illum. in Art. Dem. Dist. 1. de Fig. T. fol. 4. Tom. 3. „ & ideo T. est instrumentum & materia ipsi „ S., quando formatur in cameris ipsius T., „ secundùm quòd S. intrat in A. V. X. Y. Z.; „ nam sicut aqua recipit colorem à vase, in „ quo continetur, sic S. assumit formam se„ cundùm cameras ipsius T. Doctor Illum. in Art. Comp. inv. Verit. Dist. 1. p. 1. de Fig. T. f. 3. „ Ratio autem, quare Figura T. sic „ dispositа est, consistit in hoc, quia unus„ quisque triangulus ipsius T. est universale, „ in quod cadit, quidquid est, ût per se „ patet: & sunt quinque trianguli, quoniam „ ita necesse est ratione literarum alphabeti, „ quod est in ipso T.; si enim essent plures „ trianguli, non utique sufficeret alpha„ betum; etenim arbitramur, quòd, qui„ cunque alius triangulus posset excogitari „ adeò universalis sicut isti, in aliquo sive „ in aliquibus istorum implicitè continetur. „ Si autem essent pauciores, quàm quinque, „ sic esset Ars defectiva ratione absentiæ ali„ cujus istorum triangulorum. Hæc etiam „ necessitas suo modo cadit in cæteras figu„ ras hujus Artis. Doctor Illum. in Comp. Art. Dem. Dist. 1. de Fig. T. f. 3. Tom. 3.

Disc. Si quinque trianguli sunt necessarii in Figura T., quare tu Pater posuisti in aliquibus tuis libris tantùm quatuor vel tres, ût in tua Arte Generali ultima & in Arte In-

ventiva? Mag. Fili, hæc quæstio pertinet ad meam Arithmeticam, scilicet ad Secretum numeri principiorum meæ Artis: interim scias, quòd in quinario est ternarius formaliter, & in ternario quinarius virtualiter: Fili, si in DEO non esset numerus ternarii, nec quaternarius nec quinarius nec ullus alius numerus esset in creatura; quia sicut Unitas DEI est principium omnis unitatis, quæ est in creatura, sic Trinitas DEI est principium omnis trinitatis, quæ est in creatura; quæ trinitas creaturæ est principium omnis numeri subsequentis, scilicet quaternarii, quinarii, senarii &c., sicut suprà ostendi de triangulo in circulo: & si in trinitate, quæ est in creatura, esset æqualitas sinè majoritate & minoritate, sicut est in Trinitate DEI, esset impossibile, in creatura inveniri numerum quaternarii, quinarii &c.: igitur majoritas & minoritas, quæ reperiuntur in principiis ternarii creaturæ, sunt principia quaternarii, quinarii & reliquorum numerorum possibilium, qui intermediant triangulum & circulum.

Disc. Capio Secretum, sed nondum capio, quid faciat ad necessitatem hujus numeri quinque triangulorum vel quindecim principiorum numerus determinatus literarum alphabeti? cùm literæ alphabeti non videantur habere necessariam connexionem cum naturali & necessario numero principiorum Artis. Mag. literæ artificiales per se non habent ullam connexionem essentialem cum principiis hujus Artis, nec per consequens numerus illarum cum numero horum; sed quia modus intelligendi & significandi debet imitari & sequi modum essendi rerum, ideo literæ artificiales, ordo ac numerus illarum nobis repræsentant literas naturales, ordinem & numerum illorum, & hoc necessariò, si sapienter ab Artifice disponuntur. Fili, ab A., quod significat DEUM, usque ad S., quod significat Animam rationalem, sunt sedecim literæ naturales, scilicet B. C. D. E. F. G. H. I. K. L. M. N. O. P. Q. R., nec pauciores, nec plures: unde si vel unus triangulus adderetur, requirerentur octodecim literæ, quot in natura creata non sunt inter A. & S.

Disc. Figura T. habet tantùm quindecim principia, ergò deficit unum. Mag. ex præcedentibus recoles, quòd S. habeat sedecim principia, & quia T. est medium inter A. & S., & A. est principium ipsius S., sicut unitas est principium numeri, si ab A. tanquam unitate progrederis in proportione dupla usque ad numerum S., elicies numerum principiorum T., sic 1. 2. 4. 8., quæ simul addita producunt 15., & hic idem numerus producitur ex multiplicatione ternarii in quinarium. Disc. video, audio, sed rationem, quare sic, & non aliter, non penetro.

Mag. Si mysterium omninò detegerem, non facerem differentiam inter Amicos & Inimicos Artis; sed quia multi temerè gloriantur, se omnia Arcana meæ Artis intelligere, & ipsam Artem emendare præsumunt, meritò Secreta Artis tali arte propono, ut Filii mei illa percipiant, & inimici experiantur, quod de meis Libris scripsi; nempe quòd *nostrorum librorum compositio nihil aliud sit, quàm sagacis ingenii subtilitas ad nostram Artem celandam.* Doctor Illum. in Eluc. Test. in prol. Sed quia *Figura ipsius T. est duplex, una circularis composita de dictis triangulis, alia de quatuor figuris elementalibus*, & hinc in se abscondit duo maxima Secreta meæ Artis, scilicet principia & modum artificialem significandi ac demonstrandi, & principia & modum naturalem essendi & operandi, quorum notitiam paucissimi, imò ferè nullus meorum Discipulorum, habuere (quid igitur in tanta nocte obscurissimæ ac profundissimæ Artis de his duobus Secretis somniasse putes, Fili, meos Emendatores?) horum nunc auroram surgentem serenis oculis contemplandâ offero: quare tam Figuræ S., quàm huic Figuræ T. Figuram Elementalem junxerim, hæc est ratio; *Figura Elementalis significat in hac Arte operationem* A.T.V.X.Y.Z.; *quia sicut Elementa operantur naturaliter, ita S. per simile in illis accipit demonstrationem in Figuris istius Artis.* Doctor Illum. in Art. Comp. inv. Verit. de Reg. Fig. T. fol. 42. de Fig. T.

Quapropter, qui perfectam & integram & centralem vult habere cognitionem Secretorum meæ Artis, primò discat non tantùm speculativè, sed practicè, hoc est, manuali operatione & ipso experimento certificari, quomodo Elementa operantur naturaliter; & huic modo conformem inveniet meum modum demonstrandi per Figuram S.: sed quia ad intima Arcana hujus Artis multi vocati & pauci electi, & inter decem vel centum mille vix unum reperias, qui possit aut velit manum ad hoc aratrum ponere, nec retrospicere, ideo in gratiam Virorum religiosorum & contemplativorum, quibus non est copia Analyseos & Syntheseos physicæ demonstrationes practicas exercendi, utrumque Systema, scilicet & intelligendi & operandi jam perfectum & ex omni parte integrum in meis Libris, præsertim hoc primo Tomo proposui, ut utrumque genus meorum Discipulorum, scilicet speculativi tantùm, & speculativi & practici simul inoffenso pede incedant in particularibus investigandis, inveniendis & demonstrandis: qui igitur cupiunt solâ contemplatione & demonstratione veritatis animum oblectare, addiscant mirificum usum Figuræ T.; nam *descensus universalium rerum ad particulares, & ascensus particularium ad universales fit mediante T.:* Doctor Illum. in Reg. Art. Comp. inv. Verit. fol 42. de Fig. T. hujus usûs Secreta, hactenus omnibus Commentatoribus meis sub chao meæ Artis Generalis ultimæ abscondita, in parte revelata invenient in Arte Univ. Dist. 3. in Fig. T., & per T. in tribus sequentibus Figuris, scilicet A. V. X.; quo obtento & optimè impectorato pergant ad Librum Principiorum Theologiæ, vel Juris, vel etiam Philosophiæ, quatenus speculatio principiorum hujus Scientiæ & particularium illius servit utrique dictarum Scientiarum, cui quispiam vocatione vel professione suâ animum addixit; quibus expletis & saltem aliqualiter intellectis fructum laboris sui cum singulari oblectamento capere possunt in & ex lectione Tractatuum secundi Tomi, in quibus perpetuum mirandarum demonstrationum fluxum ex dictarum Figurarum præsertim Figuræ T. scaturigine promanantem intuebuntur: & hæc sufficere puto solis speculativis ad convincendos illos de præstantia & immensa utilitate ac infallibilitate Artis; speculativis verò & practicis simul consulo, ut præter jam dicta adeant Libros Principiorum Philosophiæ & Medicinæ & alios cum illis cohærentes, de quibus mentionem fecisti in meis Perspiciliis, sinè quorum concordantia non possunt plenariè intelligi: hi sunt Liber de Regionibus Sanitatis, Liber de Levitate & Ponderositate Elementorum, Ars Compendiosa Medicinæ, Liber Astronomiæ, in quibus omnibus illis occurret usus practicus Figuræ T.

Jam tempus est, ut me debito liberem revelatione pulcherrimi Secreti & maximi Artificii, quod subministrat divina methodus demonstrandi in circulum per Figuram T., quam suprà Cap. 1. fol. 14. col. 2. §. *considera* promisi loco speciminis exponendam: notate igitur Filii, quòd, quamvis Figura T. à prædominio sit triangularis, sit tamen & quadrangularis & circularis, ût superiùs audivistis; qualiter itaque sit circularis, nunc animadvertite per Secretum metaphoræ demonstrandi in circulum. In mea Arte inveniendi Particularia in Universalibus, quæ habetur Tomo 3., ubi magis explicitè revelavi *Descensum universalium rerum ad particulares*, & è converso, ostendi, quomodo ex Figura T. fiant tres rotæ seu circuli sibi mutuò inserti componentes unam figuram similem figuræ quartæ meæ Artis Generalis ultimæ; in quolibet horum trium circulorum scribuntur quindecim literæ alphabeti significantes quindecim principia Figuræ T.: factâ igitur tali ordinatione assumatur quæcunque quæstio in quacunque scientia, v.g. hæc sequens: *utrùm sit aliqua universalis Scientia subjecta omnibus aliis scientiis, in qua sint certa universalia existentia principia, per quæ possit infinitorum particularium quæstionibus responderi?* quæ est quæstio decima præfati Libri, ubi demonstro affirmativam; vel sequens: *utrùm per principia illius Scientiæ debeant dirigi omnia particularia principia particularium scientiarum?* quæ est quæstio undecima, cujus etiam affirmativam demonstro. Ad solvendas ergò has vel alias quascunque quæstiones seligantur ex dicta Figura T. trium circulorum tria principia, quæ implicitè aut explicitè in quæstione continentur, sicut literæ alphabeti in verbis aut nominibus: v. g. ad solvendam primò assumptam quæstionem ego selegi *Finem, Medium, Principium*; hæc tria principia constituunt unam & primam cameram, & vocantur à me figura substantialis; his porrò addantur statim alia tria secundùm ordinem sequentia ad formandam primam demonstrationem, quæ vocantur figura accidentalis, & secunda camera: factâ igitur primâ demonstratione abjicitur secunda camera, retinetur prima, cui jungitur tertia camera ordine sequens, & formatur secunda demonstratio, eodem modo tertia, quarta, quinta &c., donec compleatur totus circulus.

Disc. Legi dicto loco solutionem hujus & aliarum quæstionum; legi etiam solutionem hujus quæstionis in Libris aliorum Doctorum Artem magnam sciendi tradentium, at tantum artificium in illis non reperi; quin potiùs ignorantia hujus abditissimi Secreti Viros cæteroquin doctissimos in il-

in illius contemptum perpulit, ût videre est in Crisi, quam de tua Tabula Generali simili artificio constructa dat R. P. Kircherus in sua Arte Combinatoria, loco, quem suprà citavi apud eundem in secunda Classe Authorum, scilicet Lib. 4. Art. Comb. fol. 182. §. Usus & praxis tabulæ: ubi rejectâ tuâ Tabulâ novam condidit, aitque, in illius usu *non esse necesse pulsare ostium, & omnia latibula scrutari: quia si veri quidpiã habuerint, ex singulis locis sponte argumenta esse proditura: contrarium autem fieri in tua magna Tabula, in qua tanta sæpè ac inutilium argumentorum turba vel celeriter per omnes locos discurrentem sequatur, ut vix summo labore ab ea te expedire possis.*

Mag. Ponamus, suppositum P. Kircheri esse verum (quod tamen verum non est) non omnes cameras meæ Tabulæ esse utiles ad quamcunque quæstionem solvendam, nunquid & sua tabula hoc vitio laborat? nam si sic non esset, non diceret citato loco: *quia si veri quidpiam habuerint:* supponit igitur, non omnes combinationes ad omnem quæstionem applicabiles: sed ut, quod res est, dicam Fili, nescivit optimus Pater Kircherus genesin hujus Tabulæ, nescivit principiorum illius necessitatem, ordinem, connexionem tam inter se quàm cum quolibet particulari: unde non est mirum, quòd argumenta illius ex mea Arte & hac Tabula ab ipso desumpta sint adeò debilia, inefficacia, incongrua & pari facilitate contrariis sententiis applicabilia, ut in fine solutionis suarum quæstionum æquè anceps hæreas, cui parti debeas assensum præbere, ac in principio; quod manifestè ostendunt Quæstiones theologicæ in libro sexto, & philosophicæ in libro septimo ab ipso ventilatæ.

Fili, conferas meas demonstrationes de his materiis ex mea tabula elicitas, & quidem secundùm ordinem camerarum & columnarum, nullâ omissâ, nullâ neglectâ, & vide, an vel una sit, quæ non majestatem, profunditatem & infallibilitatem Artis in se prodat: has invenies in mea Arte Inventiva ejusque Lectura, item in Libro peculiari ipsius Tabulæ generalis; has copiosissimè tibi subministrat hic Tomus primus, in quo tantam & tam necessariam harmoniam meorum principiorum conspicies, ut in demonstratione cujuscunque particularis tacto uno tangantur necessariò omnia, & quodlibet illorum non solùm utile, sed necessarium sit ad veritatem per unum principium demonstratam per novas ac multiplices demonstrationes confirmandam, elucidandam, persuadendam, ita, ut sit impossibile, ullum intellectum veritati à me tot demonstrationibus intensæ resistere, obstinatam verò voluntatem sic. Quòd si hic primus Tomus non potest adversarios meos convincere ob profunditatem & obscuritatem Artis, quam cum dicto Patre Kirchero forsan possent prætendere, conveniant Tomum secundum, ac legant modicâ saltem attentione Librum de Gentili & tribus Sapientibus, Librum Mirandarum Demonstrationum, Librum de 14. Articulis Fidei, in quibus omnibus me alligavi certo ordini Conditionum & Principiorũ tantâ punctuitate, ut ne latum unguem ab illis unquam deflexerim: examinent mea argumenta, an centum jugis boum (ût dicteria quorundam in me sonant) ad propositum sint tracta, quibus tam ardua Mysteria Existentiæ & Unitatis DEI, Trinitatis, Incarnationis & cæterorum Articulorum Fidei demonstravi: & si has explodere non verentur, dent vel ostendant in suis libris similes vel meliores. Disc. tales hactenus in libris illorum non inveni, Pater, nec deinceps inveniam, nisi principiis tuæ Artis insistant: quis enim unquam audebit quamlibet quæstionem de quavis materia resolvere per veras & legitimas demonstrationes ex tabulis tuis secundùm ordinem camerarum depromptas, qui non intimè calleat Secreta tuæ Artis?

Mag. Fili, si hæc magna tibi videntur, & meritò videri debent omnibus non livido oculo dicta experimenta Artis perlustrantibus, quid dicerent, si sponderem, quòd, quicunque penetraverit vel speculativè tantùm Secreta meæ Artis, poterit per quemcunque terminum assumptum quamcunque excogitabilem veritatem certò & infallibiliter demonstrare; & ne magnitudine promissi scandalum patiantur, si verbis meis fidem non adhibent, saltem factis credent, quæ illis in Libro Mirandarum Demonstrationum velum ab oculis removebunt. Disc. Arcanum hoc arcanissimum nunquam olfecissem, etiamsi consensissem lectioni tuorum Voluminum, nisi gratiâ miserentis Domini & tuâ benignissimâ revelatione, amantissime Pater, illud didicissem: quocirca cùm totius hujus Secreti fundamentum sit locatum in Figura T., obsecro, illud etiam Condiscipulis meis commune facias. Mag. in Capite sequenti sedes propria est

est revelationis & demonstrationis multorum Secretorum hujus & aliarum Figurarum Artis, quatenus sunt ordinata Instrumenta septem Instrumentorum generalium, quibus Potentia exercèt suas operationes circa suum subjectum & objectum: proderit tamen prægustum dare hoc loco Figuræ T. destinato de hac ipsa figura.

Igitur memori tenete corde, Filii, quòd Figura T. *tres* in se continet *Circulationes*, de quibus manifestè locutus sum in meo *Libro Mixtionis Philosophiæ & Theologiæ* in Prologo & in multis locis libri.

Prima Circulatio est Principiorum Artis, quæ est minima, & se habet per modum alphabeti: de hac etiam egi in *Arte mea Inventiva* Dist. 3. de Reg. Reg. 3. & hanc Circulationem expressi in Figuris circularibus per lineas transversales de uno principio ad alterum, ut vobis innotesceret essentialis connexio principiorum & definitionum ac propositionum primitivarum ac simplicium illorum; *cùm unum principium sit probabile per alterum vi connexionis, quam habet unum cum altero:* Doctor Illum. in Lib. Princ. Theol. p. 1. Dist. 1. fol. 2. ex qua proprietate resultat hæc infallibilis regula seu maxima, *quòd nulla propositio ipsius T. nec ipsius A. nec cæterarum Figurarum perit aut frustranea est*; Doctor Illum. Lib. Prop. Art. Dem. Dist. 3. p. 1. fol. 10. ût falsò credebant quidam mei Interpretes.

Secunda Circulatio est Conditionum Artis, quæ est major, & se habet per modum syllabarum, ac immediatè oritur ex Circulatione prima: Conditiones verò nihil aliud sunt, quàm Maximæ seu Dignitates ex primis Principiis & Definitionibus Principiorum demonstratæ, quarum naturam & infinitum usum ac miram facilitatem in demonstrationibus absque numero contexendis de qualibet materia vobis Tomus primus, tertius & quartus aperiet, ac infrà Capite tertio multa exempla exhibebunt. *Et hæc est Ars, quòd, qui diffinitè novit conditiones unius istorum terminorum T. per conditiones aliorum terminorum T., habet diffinitam viam cognoscendi conditiones cujuslibet per conditiones cujuslibet terminorum; quia tacto uno eorum tanguntur cætera sibi annexa*; Doctor Illum. in Comp. Art. Dem. Dist. 1. de 2. p. T. fol. 10. Tom. 3. quo loco dedi exemplum per omnes terminos Figuræ T. conditionando singulos cum conditione *majoritatis*.

Tertia Circulatio est Demonstrationum Artis, quæ est maxima, & se habet per modum verborum aut nominum in Grammatica, ac immediatè procedit ex Circulatione prima & secunda: de qua ultima superiùs imperscrutabile & omnibus Sapientibus inopinabile Secretum demonstrandi in Circulum lucem apertam dedi, integráque Volumina conscripsi. Sigillet Secretum Figuræ T. sequens Typus duarum suprà datarum Quæstionum solutiones tabularum formâ referens, quas tabulas imaginatione vestrâ transmutate in Circulos.

		0.	1.	2.	3.	4.	5.	6.	7.	8.	9.	10.	11.	12.	13.	14.	
10. Quæstio. *Vide Librum Art. inven. Part. in Univ.*	Solutiones	k	l	m	n	o	p	q	b	c	d	e	f	g	h	i	1. Circulus.
		i	k	l	m	n	o	p	q	b	c	d	e	f	g	h	2. Circulus.
		h	i	k	l	m	n	o	p	q	b	c	d	e	f	g	3. Circulus.
11. Quæstio.	Solutiones	e	f	g	h	i	k	l	m	n	o	p	q	b	c	d	1. Circulus.
		l	m	n	o	p	q	b	c	d	e	f	g	h	i	k	2. Circulus.
		f	g	h	i	k	l	m	n	o	p	q	b	c	d	e	3. Circulus.

Hæ tres Circulationes subdividuntur iterum in *tres*; nam aut Principia, Conditiones & Demonstrationes sunt universales tantùm, aut sunt particulares tantùm, aut sunt compositæ ex utrisque, scilicet universalibus & particularibus, quales sunt illæ, quæ in dicto Libro inveniendi Particularia in Universalibus continentur, & quæ suprapositis tabellis repræsentantur; circa quod tamen notandum, quòd, licèt dixerim *particulares tantùm*, nolim intelligi, ac si Principia, Conditiones & Demonstrationes particulares non includant universales; hoc enim est impossibile, cùm nullum particulare possit subsistere sinè universali, sed quòd terminis explicitis non exprimantur.

De Secreto Figuræ V.

MAg. Sub cortice metaphorico Figuræ V. abscondi meis inimicis multa Se-

creta meæ Artis, Fili, quorum aliqua & præcipua nunc vobis Filiis meis revelabo.

Primum est, quòd Virtutes sint instrumenta ad acquirendam scientiam, & expellendâ ignorantiam, & è contra vitia sint instrumenta ad possessionem ignorantiæ, & privationem scientiæ; ex quo infertur, *quòd si S. vult habere in V. magnam figuram, recipiat habitum virtuosum de E. I. N., & intret in A. V. T. Z., & det E. N. ipsi A. & T. & V. lívido, & det I. ipsi V. rubeo & Z., & caveat sibi à societate ipsius R.*, Doctor Illum. in Art. Comp. de Fig. V. Dist. 1. p. 1. fol. 4. & applicet Figuræ V. *Modum decimum tertium Conversionis & Perversionis* meæ Artis Compendiosæ; quia *iste modus præbet homini cognitionem de modo, quo S. convertitur de ignorantia ad scientiam, & quo pervertitur de scientia ad ignorantiam, & de T. in Z., & de Z. in T., & de V. lívido in V. rubeum, & de V. rubeo in V. lividum*: Doctor Illum. in Art. Comp. Dist. 2. p. 1. fol. 16. adeò necessaria est cognitio & usus hujus Secreti de Figura V. in mea Arte, quòd sit impossibile sinè illis quemquam posse pervenire ad perfectionem Artis.

Fili, humilitas Idiotas facit Sapientes, & superbia Doctores ignorantes, & si modica vanæ gloriæ cupiditas, vel amor proprius, vel erubescentia confessionis nostræ ignorantiæ nos privat scientiâ veritatum naturalium rerum, & in errore nos detinet triginta, quadraginta & ampliùs annis, imò quandoque toto vitæ cursu, quid, putas, nisi producturam multorum gravium vitiorum sentinam in homine subdito peccatis? si quispiam te doceret artem elaborandi aliquod Telescopium adeò nobile & excellens, quo posses extrema & intima terræ, profunda maris, corporum cœlestium abditissimos recessus inspicere tantâ claritate, quasi oculis tuis præsentissimè essent admota, nonne magnum ac nobile tibi subministraret instrumentum ad comparandam magnam scientiam rerum sensualium? si verò traderet artem perficiendi tuos oculos proprios in tantum, ut sinè tubo optico omnia prædicta & totum naturæ corporeæ sinum liberè permeare ac perlustrare posses summâ claritate, nonne majus ac nobilius instrumentum tibi traderet? certè sic; nam hoc ultimum instrumentum esset intra te, & primum esset extra te, & omnis perfectio, quæ est ad intra, est major, quàm quæ est ad extra; quamprimùm igitur scires hanc artem, statim te accingeres ad opus artis, si sapiens esses.

Disc. Utique, mi Pater, & vellem facere, & facerem, si esset possibile; sed hoc in hac mortali vita est impossibile. Mag. verum est, sed est aliquid, quod est majus dicto opere, quod in hac mortali vita est possibile, per quod illud impossibile in hac vita vertetur in possibile in altera vita, & per quod hæc possibilitas tantâ certitudine & claritate demonstratur tuo intellectui, & repræsentatur tuis oculis, quantâ tibi tua facies in speculo sensuali.

Disc. Obsecro te, Pater, quidnam est hoc? Mag. dictum Secretum Figuræ V. & Scientia secretorum illius principiorum & secreti modi operandi cum illis; nam his duobus acquisitis habebis duo instrumenta, unum, quod est intra te, & alterum, quod est extra te; quibus non solùm consequeris ea, quæ antè dixi, sed veritatem & veritates omnium scibilium oculo intellectuali clariùs intueberis, quàm prædicto Telescopio (si illud haberes) & oculo sensuali posses contemplari totam naturam corpoream.

Disc. Sicut famelico magìs acuit famem, & non extinguit, qui de optimis cibis illi perorat, & nullum tribuit, sic sermo tuus aviditatem meam non mitigat, sed magìs exasperat. Mag. ex bono & magno medio potest sequi bonus & magnus finis, ideo conor in te accendere magnum appetitum Virtutis, ut sit magnum medium, per quod pervenias ad magnum finem scientiæ per virtutem, & virtutis per scientiam; quia nolo unum sinè altero, nec enim tibi utilis esset scientia sinè virtute: nonne legisti, Fili, quantúm conqueratur mea *Philosophia Amoris* de hominibus, qui plùs amant ipsius sororem Philosophiam Scientiæ, quàm ipsam? „Causa (inquit) ob quam mea so„ror plures nunc habeat amatores, quàm „ego, est, quia, quando homines scien„tiam incipiunt discere, per me incipiunt „ipsam amare, & quando Philosophiam „Scientiæ sciunt, ipsam amant, de qua „plures Libros fecerunt & plures Artes, & „delectantur valde amando ipsas, & non „amando me, neque meam Philosophiam, „quæ propriè est de mea essentia & natura; „& ideo, quando me amare volunt, ama„re nesciunt, neque meas conditiones in „tam magna virtute intelligere sciunt, sicut rerum

„rerum veritates, quas discunt; & hoc est „ideo, quia diu laborant discendo scien„tias veritatis & intellectûs, sed non discen„do scientias amoris & bonitatis: & ideo „contra me magna fit injuria & magnum „peccatum & magnum damnum pluribus „amatoribus scientiæ; quoniam quantò „magìs sciunt non diligendo me, neque „bonitatem, tantò majorem habent astum „faciendi malum & decipiendi se invicem „atque prodendi; & ideo lugeo & ploro, „& sto in desolatione & tristitia. Doctor Illum. in Præf. Phil. Amor.

Jam suprà in fine Capitis primi fol. 16. dixi, duas esse portas, quibus pateat introitus in meam Artem & Scientiam, scilicet *Intellectûs* & *Voluntatis*, ad quarum utramque necessarium est V. lividum; sed magìs ad secundam, quàm ad primam; cùm secunda magìs perficiat & magìs perfectos velit suos sequaces, quàm prima. Nunc ordiar hujus Figuræ tibi nudare viscera, & naturalium ejus partium symmetriam earumque munia ad obtinendum supradictum finem explanare.

Secundum Secretum. In Figura V. est aliquid *extra*, & est aliquid *intra*; quod est *extra*, sunt septem Virtutes & septem Vitia, ût cernis in ipsa figura; quod est *intra*, sunt septem literæ Virtutum & septem literæ Vitiorum, scilicet B. C. D. E. F. G. H. I. K. L. M. N. O. P.; quod est extra, est apertum, & quod est intra, est occultum. Disc. quomodo literæ sunt occultæ? nunquid non quælibet stat apertè sub suo principio, tanquam signum sub suo significato? Mag. verum est, sed non stat sub hoc solo; nam scire te convenit, quòd Principia sint particularia, & literæ sint universalia, quæ non essent, si tantùm significarent unum particulare; v. g. si B. nihil aliud significaret, quàm *Fidem*, & C. *Spem*, & D. *Charitatem*, B. C. D. essent æquè particularia ac Fides, Spes, Charitas: & si hoc ita esset, mea Ars non esset universalis, sed particularis tantùm, quia non haberet universalia Principia, sed particularia tantùm; & hoc fundamentum erat occultum illis, qui sublatis meis literis alphabetalibus, & introductis aliis novis particularibus à se inventis putabant Arti magnam perfectionem & facilitatem conferre. Cùm igitur Fides, Spes, Charitas sint particularia, & B. C. D. sint universalia, quæ significant hæc & plura alia particularia, manifestè vides, quòd in B. C. D. hæc sint aperta, & omnia alia occulta; & hoc est unum ex maximis Secretis meæ Artis.

Disc. Estnè hoc intelligendum, quod nunc aperis de Figura V., etiam de cæteris Figuris, scilicet de A. S. X. &c., vel de V. tantùm? Mag. de omnibus; non enim in Figura A. litera B. significat tantùm Bonitatem, & C. Magnitudinem, & D. Durationem, sed quælibet harum literarum potest significare quamcunque dignitatem DEI vel creaturæ; & hoc Secretum colligere potuisses ex differentia Figurarum meæ Artis Compendiosæ & meæ Artis Demonstrativæ, in quibus Figuræ A. & X. non habent omnia Principia eadem: hoc idem tibi patere potest in ipsa mea Arte Generali ultima & aliis meis Artibus, in quibus eidem literæ multa & varia dedi significata: nec solùm hoc observare debes de partibus figurarum, hoc est, literis & principiis positis in circumferentia figurarum, sed etiam de totis figuris, hoc est, de litera centrali figurarum; nam e. g. litera centralis Figuræ A. non solùm significat DEUM, licèt illi primariò & principaliter tribuatur, sed etiam Angelum, hominem, chaos vel quodcunque particulare vel individuum creatum: *quapropter sumimus*, vel supponimus, *Figuram A. esse quoddam universale suum particulare habens subjectum, quod est DEUS.* Doctor Illum. in Lect. Fig. Art. Dem. de fig. A. fol. 2.

Disc. Si ita est, Pater, ût dicis, quomodo est possibile scire significata literarum, & discernere, quot significata sint abscondita sub qualibet litera? Mag. in practica magni mei *Libri Contemplationis Volumine tertio Libro quinto* quasi per totum tibi monstravi, quamlibet literam alphabeti pro libitu primò posse assumi ad significanda Principia tam generalia quàm specialia demonstrationum ex ipsis faciendarum, dummodò inter illas servetur ordo naturalis, quem in meis Tabulis dicto Libro contentis, & sequenti Secreto describendis latentem semper observatum animadvertes, si proportiones mearum formarum geometricarum universalium, quas in *Magna Lectura Artis Compendiosæ* ejusque secunda & tertia Distinctione usque ad finem exaravi, intellectu tuo assecutus fueris, & memoriâ firmiter retinueris: quàm verò præcellens sit hoc artificium substituendi literas alphabeti loco terminorum,

partim ſuprà jam oſtendi, & mirabilis uſus ſufficienter perſuadebit, ſed etiam ex Logiſtica veſtra ſpecioſa à recentioribus & ſubtiliſſimis veſtris Geometris inventa ſatis clareſcit; quæ, licèt ſit particularis & contracta ad numerum & quantitatem, ac proin ſub mea, tanquam particulare ſub ſuo univerſali contenta, majorem tamen ſinè comparatione præbet utentibus facilitatem formandi Demonſtrationes Theorematum Geometricorum, quàm methodus Antiquorum.

Tertium Secretum eſt, & majus præcedenti, invenire occulta Syſtemata generalia, quæ ſub ordine ac numero literarum alphabeti à me ſunt abſcondita: niſi enim vobis Filiis meis hoc ob amorem Domini mei, ad cujus cognitionem non ſolùm vos ducere, ſed trahere omni modo deſidero, revelarem, eſſet vobis impoſſibile ullo ſtudio vel ingenio illud aſſequi, niſi fortè immediatâ infuſione ſuperni Luminis, quæ paucis ſolet contingere. Quid autem ſit occultum Syſtema, ab exemplo hujus Figuræ V. diſce (& hoc idem de aliis Figuris ſuo modo intellige, quod de hac exponam) ſenſualiter ſentis, quòd in Figura V. ſint ſeptem literæ alphabeti, quæ ſignificant ſeptem Virtutes, & ſeptem literæ, quæ ſignificant ſeptem Vitia; & quia ex ſupradictis intellectualiter intelligis, quòd literæ ſint ſigna univerſalia, & Virtutes ac Vitia ſignificata particularia, & omne univerſale conveniat cum concordantia, & omne particulare cum differentia, & ideo multa & diverſa particularia poſſint concordari in uno univerſali, & neceſſariò in illo concordent, per hoc, quia omnis differentia neceſſariò eſt in concordantia; & quia omne univerſale regulat & dirigit omne particulare ſub illo contentum; *virtute enim & poteſtate univerſalis confirmatur particulare, & non è converſo:* Doctor Illum. in Comp. Art. Dem. Diſt. 2. Reg. 16. fol. 83. Tom. 3. ideo literæ Figuræ V. non ſolùm denotant Virtutes & Vitia, ſed ambitu ſuo claudunt, ſignificant, regulant, dirigunt multa alia particularia.

Diſc. Sed quomodo poteſt infallibiliter & certò cognoſci, quænam particularia & quot ſub his univerſalibus comprehendantur? Mag. hoc certò & infallibiliter dignoſces per occultum Syſtema harum literarum. Diſc. ſed hoc ipſum Syſtema occultum eſt mihi occultum. Mag. ergò occultum hujus metaphoræ faciam tibi apertum per ſequentem metaphoram: ponas, te in quadam charta alba videre multas lineas, quarum una ſit rubea, altera nigra, tertia viridis, quarta livida; ergò omnes differunt inter ſe colore: ad inveſtigandam nunc concordantiam hujus differentiæ ponas, in manu tua eſſe regulam (quam vulgò lineale vocant) quid ageres cum illa? Diſc. applicarem illam ſingulis lineis, ut neglectâ differentiâ coloris viderem, an concordarent in rectitudine. Mag. hoc idem fac in applicatione quatuordecim literarum Figuræ V. ad particularia, & ſcies, quæ & quot in illis contineantur, ſinè ulla difficultate, & eâdem certitudine, quâ per tuam regulam dignoſcis rectitudinem linearum; nam ſicut rectitudo, quæ eſt intra lineas, concordans cum rectitudine, quæ eſt extra lineas intra regulam, neceſſitate concordantiæ hujus univerſalis cum differentia cujuslibet particularis te neceſſariò ducit in cognitionem dictæ differentiæ particularium, ſic, à proportione inverſa, rectitudo, quæ eſt intra occultum Syſtema univerſale Figuræ V. concordans cum rectitudine, quæ eſt extra illud intra Syſtemata particularia, neceſſitate concordantiæ hujus univerſalis cum differentia cujuslibet particularis te neceſſariò ducet in cognitionem dictæ differentiæ Syſtematum particularium; & ſicut totum univerſale revelat totum particulare, ſic à proportione pars univerſalis partem particularem.

Diſc. Omnia tua dicta, Pater, clariſſimè obverſantur oculis meis in univerſali, ſed caliginem patiuntur, quando fit deſcenſus ad particulare. Mag. deſcendam igitur ad *ſenſuale*, ut tu poſſis aſcendere ad *intellectuale:* in Figura V. viſus videt differentiam & concordantiam, quæ eſt inter circulum interiorem & exteriorem; differentia eſt in hoc, quia literæ ſunt univerſales, & nomina ex literis compoſita ſunt particularia: item differentia eſt inter literam & literam, nomen & nomen: concordantia eſt in hoc, quia literæ ſunt ſeptem & ſeptem, & nomina ſunt ſeptem & ſeptem; item viſus videt differentiam inter colorem lividum & rubeum, & videt concordantiam coloris in literis & nominibus: & quia viſus intellectualis plus videt, quàm viſus ſenſualis, videt totum triangulum viridem in V., quia videt differentiam inter virtutes & virtutes, virtutes & vitia, vitia & vitia; videt concordantiam inter virtutes & virtutes, vitia & vitia; & videt contrarietatem inter virtutes & vitia: hoc viſo in particulari virtutum & vitiorum aſcendit viſus intellectualis ad univerſale literarum, & videt differentiam, concordantiam & contrarietatem inter particulare & particulare, particulare & univerſale, univerſale & univerſale.

Ulteriùs conſiderat viſus intellectualis numerum ſeptenarium, & in illo videt occultum numerum ternarium & quaternarium, & ſic invenit in Figura V. Figuram S. & T.; & quia S. T. continent in ſe duas Figuras, unam in manifeſto, quæ eſt principiorum, & alteram in occulto, quæ eſt elementorum, etiam Figura V. continet in ſe duas Figuras, unam in manifeſto, quæ eſt B. C. D. &c. virtutum & vitiorum, & alteram in occulto, quæ eſt B. C. D. &c. elementorum: igitur in differentia utriusque generis ipſorum B. C. D. &c. invenit concordantiam ſeptenarii, hoc eſt, quòd, ſicut ſunt ſeptem virtutes & vitia, ſic ſint ſeptem elementa; & ſicut ſunt ſeptem virtutes contrariæ ſeptem vitiis, ſic ſint ſeptem elementa contraria ſeptem elementis; & ſicut color lividus ſeu cæruleus & rubeus ſunt ſigna contrarietatis, quæ eſt inter ſeptem V. livida & ſeptem V. rubea, ſic ſint ſigna contrarietatis, quæ eſt inter ſeptem elementa livida & ſeptem elementa rubea.

Quemadmodum viſus ſenſualis & intellectualis ſimul currunt in inveſtigando *numero* Principiorum & Elementorum Figuræ V., ſic ſimul currunt in inquirendo *ordine* dictorum Principiorum & Elementorum; nam viſus ſenſualis videt per triangulum croceum majoritatem, minoritatem & æqualitatem inter virtutes & virtutes, vitia & vitia, & videt per triangulum rubeum principium, medium & finem virtutum & virtutum, vitiorum & vitiorum; hoc idem videt viſus intellectualis, & videt ultra eosdem triangulos, ſcilicet croceum & rubeum in elementis; & quia eſt impoſſibile, quòd principia & elementa poſſint eſſe ſinè his duobus triangulis, & hi duo trianguli ſinè ordine, ideo neceſſariò videt ordinem in principiis & elementis.

Diſc. Inventâ differentiâ, concordantiâ, contrarietate, principio, medio, fine, majoritate, æqualitate, minoritate, & per conſequens numero & ordine principiorum Figuræ V. nunquid inventum eſt Syſtema occultum Figuræ V.? Mag. eſt equidem, ſed reſtat inquirendum alterum Secretum adhuc majus præcedenti, ſinè cujus inventione totus labor eſſet fruſtraneus, quem in inveſtigatione & inventione hujus occulti Syſtematis pertuliſti. Diſc. qualenam illud? Mag. Ars utendi Syſtemate; nam ſicut ille, qui ſcit artem faciendi Citharam, Teſtudinem vel Cymbalum, & qui ſcit artem diſponendi numerum & ordinem & proportionem chordarum, & ſcit artem illas concordandi & temperandi ad edendos ſonos naturæ legibus proportionatos, habet quidem perfectum Syſtema muſicum, & habet perfectum inſtrumentum, quo poterit exhiberi perfecta harmonia, ſed nondum habet finem, ſcilicet artem formandi harmoniam, ad quem ordinatur medium, quod eſt inſtrumentum; & majus ſinè omni comparatione nactus eſt artificium, qui didicit artem ultimam, quàm qui primam, & qui utramque, quàm qui ultimam. Sic in propoſito: „ſicut inſtru„mentum ſeu cithara temperatur per Ar„tem ſenſualem artificialiter, ſic oportet „de neceſſitate, quòd S. ſit in tali diſpoſi„tione, quòd per artem & ordinationem „intellectualem poſſit habere officium, quo„modo inquirat in ſe ipſo & in T. viam & „modum, per quem poſſit & ſciat habere ar„tem & modum cognoſcendi A. T. V. X. „Y. Z.; & ſi ita non foret, ſignificaretur, „quòd ars & modus convenirent meliùs „cum formis ſenſualibus & artificialibus, „quàm cum naturalibus & intellectualibus; „& hoc eſt impoſſibile: quoniam ſi eſſet „poſſibile, formæ artificiales, ſenſuales & „accidentales eſſent nobiliores & digniores, quàm naturales, intellectuales & eſſentiales. Doctor Illum. in Art. Comp. inv. Verit. Diſt. 1. de fig. A. fol. 2. Sed longè majus opus Artis & majus Secretum aſſequéris, ſi elaboratâ magno artificio citharâ ipſius V. ſciveris incitare chordas illius ad harmoniam intellectualem ſuaviùs ſonantem omni harmoniâ ſenſuali. Præterea major eſt perfectio in fine, quàm in principio & medio, ût noſti; nam niſi eſſet, principium & medium non tenderent ad finem, nec quieſcerent in illo, & ſic definitio finîs eſſet falſa; quod eſt impoſſibile: unde ſequitur, quòd finis ſit magis delectabilis, quàm principium & medium, quia major eſt differentia & concordantia perfectionis in fine, quàm in principio & medio: om-

nes hæ conditiones universales ex Figura T. sumptæ sunt demonstrabiles ex definitionibus suorum principiorum, & ideo infallibiles.

Disc. Sunt certè, sed quodnam particulare ex hoc universali inferre velis, quomodo discernam? cùm innumerabilia sint in illo abscondita. Mag. respondes tibi ipsi, quod interrogas, & scis, quod ignoras. Disc. at quomodo? Mag. ab exemplo disce: quia ars conficiendi concentum harmonicum est finis artis construendi instrumentum, & per illam possunt confici infinita particularia musica, manifestum est, quòd major sit differentia & concordantia perfectionis in fine artis componendi, quàm in principio artis construendi instrumentum; nam effectus hujus est unus tantùm, at illius sunt infiniti; & quia omnes sunt in uno fine universali, quanta erit multitudo particularium in illo, tanta erit perfectio; & quanta perfectio, tanta delectatio. Disc. sufficit, Pater, jam teneo mirandum Arcanum; unum igitur superest, ut reveles Artem, quomodo ex hoc universali educantur particularia; in hoc enim consistit usus instrumenti seu Systematis. Mag. hoc propriè expetunt sibi *Caput tertium & quintum*: unde hìc breviter perstringam, quæ ibi expansa invenies: sit igitur.

Quartum Secretum. Quoniam *hæc præsens Ars, de qua nunc agere intendimus, investigativa est, existens breve compendium artificialiter investigandi unumquodque particulare in suo universali*, Doctor Illum. in Lect. Fig. Art. Dem. de fig. A. fol. 2. Tom. 3. & majus sinè omni comparatione sit artificium ex causa & cognitione causæ elicere effectum & cognitionem effectûs, quàm ex effectu & cognitione effectûs elicere causam & cognitionem causæ, cùm una & eadem causa ratione suæ universalitatis in se contineat infinitos effectus, ad quos Ars docet & demonstrat descendere tanquam ab universali ad sua particularia, sed singuli effectus ascendendo ab illis ad suam causam, tanquam à particulari ad suum universale, non plus manifestent nisi unam & eandem causam; quod patet ab exemplo analyseos naturalis cujuslibet corporis naturalis, cujus resolutio naturalis non demonstrat nec detegit nisi naturam & essentiam quatuor elementorum, ex quibus omnia corpora naturalia sunt composita, & in quæ per consequens analyticâ naturali sunt resolubilia: *quamobrem id, propter quod hæc Ars noviter est inventa, est, ut sinè particularium acceptione per artem sciat C. ad particularia descendere, licèt B. non præbuerit ea ad recolendum: hoc autem impetrat, ut amissio temporis evitetur* (quam evitare esset impossibile, si necessarium esset præter & ante universalem Scientiam scientias particulares addiscere ad particularia scientiarum ex universali Scientia eruenda, prout mei Commentatores voluerunt) *& ut detur Ars & Regula ipsi B., qualiter sciat recolere*, hoc est, habere Artem memorandi; cùm Ars memorandi ratione ordinis naturalis necessariò debeat præcedere Artem intelligendi, præsertim in lectione librorum antiquorum Sapientum & meorum, qui nequeunt intelligi, nisi locatâ & optimè retentâ singularum partium secretarum operis per libros nostros studio dispersarum materiâ in memoria; quam ipsa memoria postea debet ipsi intellectui offerre & repræsentare, *ut per Artem ipsum C.*, sive intellectus, *valeat generare operationem*; Doctor Illum. in Art. Univ. Dist. 1. fol. 3. col. 1. de Secr. Fig. S. Tom. 1. hoc est, ut intellectus dispersam hanc materiam memoriæ primitus commissam de novo possit adunare, ac in naturalem & illi debitum ordinem redigere.

Fili, hoc est adeò nobile & secretissimum Artificium, quod nemo Sapientum ante me revelavit, imò, si fas est dicere, nemo ante me revelare potuit, quia nemini superno lumine data fuit hæc Ars universalis sciendi; vel si fuit aliquibus concessa, aut non fuit scripturæ concredita, aut scripto ad nos non pervenit: lege Libros B. Alberti, qui inter omnes Doctores Christianos optimè & perfectissimè Philosophiam tradidit, nilque omisit, quidquid tam ad theoriam quàm practicam universi hujus scibilis naturalis posset expeti, quando excellentissimus hic Doctor agit *de Productione Formarum specificarum*, vid. D. Albert. Lib. 2. de Cœlo tr. 3. cap. 5. fol. 111. & Metaph. Lib. 11. tract. 3. cap. 7. quibus individua naturalia determinantur, productionem dictarum formarum specificarum cœlo tribuit; sed de quo cœlo voluerit intelligi, non expressit, & quâ arte hæ formæ specificæ producantur, aut nescivit, aut non docuit; in quo Arcano tamen latet tota Ars descendendi ab universali ad particulare.

Ut hanc Artem totumquè ejus processum Filiis meis ob oculos ponerem, summâ subtilitate sub omnibus & singulis Figuris meæ Artis semper occultavi Figuram Elementalem: *hæc siquidem Figura in hac Arte quamplurimùm est necessaria, eò quia per ipsam dirigitur Artista ad habendam cognitionem cæterarum figurarum; hoc enim est, quia in operationibus naturalibus significantur opera intrinseca & extrinseca ipsorum A. S. V., discurrente T. per elementalem Figuram & per A. S. V. cum X. T.*: Doctor Illum. in Art. Dem. Dist. 1. de 2. Fig. elem. fol. 6. Tom. 3. unde, ad cognoscenda opera intrinseca & extrinseca ipsorum A. S. V., priùs convenit scire opera intrinseca & extrinseca ipsius Naturæ, incipiendo ab ipso Chaos ût supremo Universali Naturæ, & descendendo per gradus naturales ad singula particularia: ad hunc finem *secundùm modum secundæ Figuræ elementalis sit hæc positio, quam Chaos appellamus, demonstrabilis manifestè*; de quo integrum Librum compilavi, qui habetur Tomo 3., in quo totus processus naturæ hujus descensûs de universali ad particularia, & ascensus de particularibus ad universale lucidissimè demonstratur: quare ne actum agam, te ad dictum librum optimè ruminandum amando, multa enim miranda in illo invenies, de quibus nullus antiquorum Philosophorum nullus modernorum tractavit.

Hoc Chaos dividitur in *tres gradus*, de quibus vide fol. 4. col. 2. n. 1.; in primo gradu *sunt semina causalia, scilicet genera, species, differentiæ, proprietates & accidentia naturalia, nec non universalis forma & prima materia &c.: in isto siquidem gradu primo ipsius Chaos creavit DEUS, quidquid est naturale in corpore physico, scilicet per modum potentialem, habitualem, dispositivum, appetibilem, ut ipsum Chaos agenti naturali sufficeret, accipiendo de ipso Chaos, quidquid ipsum agens indiget ad generationem & conservationem specierum.* Doctor Illum. in Lib. Chaos de trib. grad. fol. 4. Tom. 3. In hoc primo gradu Chaos sunt etiam *decem Prædicamenta*, ût ibid. à fol. 26. usque ad 42. de illis agitur, & adnumerantur seminibus causalibus, ût habetur fol. 40. n. 7.: præcipua, quæ ad nostrum scopum servient, scilicet quomodo fiat *descensus naturalis ab universali ad particularia, & è converso ascensus à particularibus ad universalia*; ut illum possis imitari in modo operandi intellectualiter, sunt sequentia: scilicet ut legas & intelligas Caput *de Operatione intrinseca & extrinseca Chaos*, fol. 12. *de Generatione & Corruptione Chaos*, fol. 8. *de universali Transmutatione Formæ & Materiæ Chaos*, fol. 11. *de Mixtione & Virtute Chaos*, fol. 13. *de Universali & Particulari Chaos*. fol. 18.

In primo Chaos assituata est etiam *potentia motiva*, de qua suprà locuti sumus; *& hæc est universalis potentia motiva, sub qua ipsum Chaos aggregatum est & compositum; per quod sequitur, quòd forma universalis movet in materia universali, scilicet in prima materia, omnes formas naturales super materias secundarias, de quibus tertium Chaos assituatum est.* Doctor Illum. dicto Lib. Chaos cap. de situ ch. fol. 39.

In eodem Chaos assituata est etiam potentia vegetativa, *& in vegetativa potentia situati sunt hi quatuor actus, scilicet appetere, retinere, digerere, expellere*; Doctor Illum. ibid. fol. 39. n. 1. quæ omnia imò theoriam totius hujus Libri Chaos te exactè prænosse convenit, antequam præsumas accedere praxin intentionalem vel realem descensûs de universali ad particulare, vel ascensûs de particulari ad universale: praxin verò realem te docebit meus Liber de Principiis Philosophiæ, qui habetur hoc primo Tomo: hunc igitur memoriæ tuæ imprimendum & intellectui tuo masticandum porrigo, si magìs amas demonstrationem intellectualem & sensualem simul, quàm unam tantùm totius hujus processûs physici.

Ad investigationem particularium in suis universalibus maximè quoque necessarium est observare, quòd illa *semina causalia, id est, quinque universalia & decem prædicamenta*, Doctor Illum. ibid. fol. 40. de hab. ch. n. 7. quæ in mea Schola sunt entia realia, hoc est, universalia, non tantùm logica, sed physica, hoc est, existentia extra intellectum, ût docui per totum Librum Chaos, & passim in aliis meis libris, se habeant revera sicut alia semina; nam sicut ex semine v. g. tritici, vel piri, vel alterius vegetabilis tanquam ex universali per potentiam motivam motam à potentia vegetativa tam generali quàm specifica producitur in actum illud particulare, quod antea in semine latebat in potentia, & tota differentia plurimarum partium illius particularis; quæ erat confuso modo in tertio gradu Chaos illius seminis, prodit in lucem, sic ex dictis seminibus causalibus tanquam ex supremis universalibus physicis per potentiam motivam motam à potentia vegetativa tam generali quàm specifica artificio vel

cio vel naturæ ſolius, vel naturæ & artis ſimul producuntur in actum ſingula particularia à natura ſola, vel natura & arte ſimul intenta, quæ antea in ſeminibus cauſalibus latebant in potentia, & tota differentia illorum particularium & partium eorum, quæ erat confuſo modo in primo, vel in primo et tertio gradu Chaos illorum ſeminum cauſalium, educitur in lucem.

Diſc. Difficilia ſunt hæc intellectu, ergò magis difficilia factu. Mag. quia ignorantia convenit cum difficultate, & ſcientia cum facilitate, quod ignoranti eſt difficillimum, ſcienti erit facillimum: ſed quia ignorantia eſt in principio, & ſcientia in fine, & *de principio non poteſt homo venire ſinè medio ad finem &c., per hoc ſignificatur, quòd tu, qui incipis hanc Artem addiſcere, non potes deſtruere ignorantiam hujus Artis, quam habes, ſinè medio; quod medium ſunt conditiones* ſupradictarum Arborum & Figurarum, *per quas tuus intellectus tranſire debet, ſi vis venire ad finem ſciendi hanc Artem.* Doctor Illum. in Lib. Princ. Med. Diſt. 2. cap. 8. fol. 11. Sed ne totum pondus tuis humeris me imponere velle videar, hactenus dicta clariùs exponam per ſequentem metaphoram, & ſimul oſtendam modum ſeu artem deſcendendi ab univerſali ad particularia, ſumendo exemplum à Grammatica & Muſica: in Grammatica ſunt viginti quatuor literæ alphabeti, quibus abſolvitur totum Syſtema grammaticum, quod deinceps nominabo ſcalam Grammaticæ; & in Muſica ſunt ſeptem literæ ſonoræ, quibus perficitur totum Syſtema muſicum, quod appellabo ſcalam Muſicæ: hæ duæ ſcalæ ſunt illud univerſale, à quo fit deſcenſus ad quodcunque particulare: modus igitur ſive ars deſcendendi conſiſtit in hoc, ut litera combinetur literæ, prout convenit.

Diſc. Hoc *prout convenit* eſt facilè in Grammatica, ſed non eſt æquè facilè in Muſica. Mag. quare? Diſc. quia combinatio literarum in Grammatica eſt & fuit ad placitum, & dummodò ad producendam ſyllabam conſonans jungatur vocali, vel è converſo, vel conſonans non jungatur conſonanti ſinè vocali, combinatio ſemper dabit ſyllabam; tam levi arte non producitur ſyllaba muſica. Mag. tam levi, vel ſi mavis, leviori. Diſc. demonſtra, obſecro. Mag. quia Ars eſt habitus recta cum ratione operativus; *Ars enim propriè eſt menſura recta operationis operabilium, in quantum circa illam verſatur, ut eam regulet, & ejus modum præfigat, aut determinet,* Doctor Illum. in Introd. Art. Dem. cap. 1. fol. 2. To. 3. ideo dirigit Artificem rationalem ad rectè & faciliter operandum; *hoc enim commune eſt Arti & Scientiæ, quòd facilitant potentiam in ſua operatione:* Doctor Illum. ibid. & ſi hoc valet in artificialibus ad placitum & ſinè ratione inventis, magis valebit in naturalibus, & in naturalibus & artificialibus ſimul; quæ duo nunquam ſunt ſinè ratione, quia reguntur à D. Principiorum Philoſophiæ, hoc eſt, ab Intelligentia.

Exemplo rem illuſtrabo: tu vides, Fili, quantâ facilitate & velocitate in organo pitaulico dato quocunque themate claves taſtaturæ in concentum deſideratum animet, qui organum pulſare didicit, & eſt Magiſter in Arte, licèt taſtatura veſtra hactenus uſitata non ſit formata ad leges artis & naturæ, & integrum Syſtema muſicum non ſit rationale, ût *Capite ſequenti* demonſtrabitur; quid igitur cenſes, illum acturum in Syſtemate perfecto & ordinatiſſimo? præterea in alphabeto muſico non ſunt niſi quatuor literæ & tres ſyllabæ, in alphabeto verò grammatico ſunt viginti quatuor, & ſyllabæ multò plures; facilior autem eſt operatio in quatuor, quàm in viginti quatuor, ût ad ſenſum patet.

Diſc. Tu ſuprà, Pater, ſeptem literas muſicas ſive ſeptem gradus enumeraſti, nunc verò quatuor tantùm adſtruis, quomodo hæc conveniunt? Mag. hoc eſt Secretum Artis, quod ſic intellige. Quia ſupremum principium numeri ternarii ſoli DEO convenit, & numerus quaternarius eſt primus poſt ternarium, principium numeri quaternarii eſt primum & ſupremum principium, quod convenit creaturæ; & ideo in natura corporea ſunt quatuor elementa, & in Muſica ſunt quatuor ſoni, qui ſunt quatuor Elementa Muſicæ, ſcilicet uniſonus, tertia, quinta & octava: & ſicut omne particulare naturale corporeum neceſſariò eſt compoſitum ex illis quatuor, ſic omne particulare naturale muſicum neceſſariò eſt compoſitum ex his quatuor. Hanc proprietatem, Fili, intellige non ſolùm de Phyſica & Muſica, ſed de omni Arte & Scientia; *nam omnis proportio, quæ reperitur in una, neceſſariò reperitur in quavis alia.*

Unde ulteriùs nota, à proportione converſa, quòd, ſicut in Muſica per quatuor primò dictas literas producuntur ſeptem ſupradictæ ſcalam diatonicam conſtituentes, ſic in natura per quatuor Elementa producuntur ſeptem ſcalam naturalem efformantes, per quam, in qua, & ex qua tanquam univerſali omnia particularia naturalia ſumunt originem, ſicut ex ſcala dicta muſica omnia particularia muſica. Diſc. ergò ſeptenarius principiorum Figuræ V. eſt metaphora, quæ nobis pandit omnia dicta Secreta? Mag. hæc & plura alia. Diſc. eſtnè poſſibile, Pater, omnia particularia geometrica è tam paucis, ſcilicet quatuor vel ſeptem univerſalibus principiis deducere & demonſtrare? Mag. eſt omninò, cujus ſpecimen tibi dabo *Capite ſequenti* in Muſica & Geometria, & *Capite ultimo* in aliis materiis. Diſc. quid amplius de tua Arte expetere poſſent, qui demonſtrandi methodo delectantur, illâque tuam Artem privari hactenus crediderunt, non video.

Mag. Denique ut ponam prava in directa, & aſpera in vias planas, planiſſimam & facillimam vobis monſtrabo viam inveſtigandi & inveniendi infinita particularia in paucis univerſalibus: aſſumite quatuor Arbores præcedentes, & ponite Figuram V. & reliquas, ſcilicet A. S. T. X. in illas ſecundùm ordinem Arborum; in prima enim Arbore habebitis *Univerſale*, in ſecunda *Particulare*, in tertia *Modum eſſendi & operandi*, ſeu *deſcendendi, aſcendendi & circulandi*, in quarta ſituatur *Ordinatio & Diſpoſitio Potentiæ ad Objectum*, in tertia locatur *Ordinatio & Diſpoſitio actûs medii* inter potentiam & objectum, in ſecunda & prima *Ordinatio & Diſpoſitio Objecti* ad actum & potentiam. In prima Arbore eſt *Scala univerſalis ternarii & quaternarii*, qui faciunt deſideratum *ſeptenarium*; & eſt unita cum *Scala particulari*, ut concordantia utriusque ſit medium tranſitûs de una ad alteram. In ſecunda Arbore eſt *Scala particularis*, & ſicut univerſale primæ ſcalæ conſtat *genere & ſpecie*, ſic particulare ſecundæ ſcalæ *ſpecie & individuo.* In tertia Arbore eſt *Scala Operationum.* In quarta Arbore eſt *Scala Potentiæ.*

Fili, Arbores cohærent cum Figuris, & Figuræ cum Arboribus, & ambæ cum Tabulis ſequentibus, & Tabulæ cum ipſis, ſicut juncturæ in catena; nam *quemadmodum in ferrea catena vel lorica ſunt catenatæ partes adinvicem, ita in Scientia demonſtrativa ex quibusdam principiis eruuntur alia principia, & quædam principia ſunt revelatio aliorum principiorum: idcirco revelatio ſupradictorum principiorum tibi ſufficit ad alia principia cognoſcenda,* Doctor Illum. in Lib. Princ. Med. Diſt. 5. cap. 15. fol. 24. O Fili, quantum gaudebit Anima tua, ſi hæc, quæ ob brevitatem non omni carent obſcuritate, in ipſo fonte guſtaveris, hoc eſt, in Volumine tertio magni Libri Contemplationis, libro quarto per multa capita deducta & exemplis illuſtrata perlegeris! Diſc. quinimò, Pater amantiſſime, guſtavi & vidi, & præ dulcedine hujus cœleſtis doctrinæ amara eſt mihi omnis mundana ſcientia.

De Secreto Figuræ X.

Mag. Quia *omne univerſale unumquodque ſuum particulare revelat per viam concordantiæ vel contrarietatis aliorum univerſalium*, Doctor Illum. in Lib. Prop. Art. Dem. Diſt. 4. p. 1. fig. 10. fol. 37., & Figura X. *ſit quædam figura contrariorum & concordantium*, Doctor Illum. in Lib. Princ. Jur. p. 2. fol. 32., *idcirco, cùm X. ſit Figura Oppoſitorum, & oppoſita ſint diverſa, & habeant diverſas habitudines & ſolutiones, & requirant diverſas habitudines ſecundùm propoſitum & oppoſitum, ſignificante propoſito ſuum oppoſitum*, Doctor Illum. in Comp. Art. Dem. Diſt. 1. de Fig. X. fol. 32. Tom. 3.: „officium hujus Figuræ in „hac Arte eſt, quòd det objecta ipſi S. per *Oppoſita relativa & compoſita*, Doctor Illum. in Art. Comp. de Fig. X. fol. 44. Infinitus & perpetuus eſt uſus hujus figuræ in mea Arte, ût te docebit praxis meorum librorum; nam ſinè illa nulla demonſtratio formari poteſt ſive in Arte & Scientia univerſali, ſive in Artibus & Scientiis particularibus, ût *Capite ſequenti* in mea Logica & reliquis ſex Inſtrumentis per exempla demonſtrabo. Unde cùm omnia principia reliquarum Figurarum relativè ſe habeant, vel per modum differentiæ & concordantiæ, vel per modum differentiæ & contrarietatis, & hoc neceſſariò, ût teſtantur ſuperiùs dicta, hæc Figura X. neceſſariò cadit in omnes alias Figuras, & ortum trahit à triangulo viridi Figuræ T.

„In hac Arte nos oportet formâ & qua„litate uti, ſecundùm quòd X. diviſum eſt „in *Species*, *Figuras* & *Membra* (prout à „nobis traditur in Arte Univerſali:) am„pliùs oportet, ut cameras ipſius X. came„ris aliarum Figurarum applicemus *per ſimilitudines, metaphoras & principia; præterea, quòd per unum principium intelligatur aliud, &*

per unam metaphoram alia, „& ut hæc ordi-
„natio tota dirigatur ad unum finem, vi-
„delicet ad majorem nobilitatem trium ca-
„merarum [E. A. V. Y.] [I. V. Z.] [M. A.
„V. Y.] quem finem per particularia Figuræ
„perſcrutamur. Doctor Illum. in Art. Univ.
Diſt. 3. de Fig. X. fol. 103.

„Quoniam autem X. eſt ſubtilis Figu-
„ra, attribuitur ei nomen Prædeſtinatio-
„nis; nam hæc figura eſt valde ſubtilis &
„utilis, quia exiſtit in quæſtionibus & ſo-
„lutionibus *per medium*, & *ſinè medio*, veluti
„in ſuo Tractatu refertur in principiis dis-
„curſûs Artis Compendioſæ inveniendi Ve-
„ritatem. Doctor Illum. in Lib. Princ. Theol.
p. 2. de X. fol. 57.

Diſc. In quo ergò conſiſtit ſubtilitas & utilitas hujus Figuræ, ſi eſt valde ſubtilis & utilis? Mag. in multis, quorum aliqua recenſebo.

Primum: Fili, tanta eſt ſubtilitas hujus Figuræ, quòd nemo Enciclopediſtarum ejus eſſentiam & uſum hucuſque viderit præ nimia ſubtilitate; quod aſſertum veriſſimum invenies, ſi methodum probandi illorum compares cum illa à me uſitata; nam ſolo uſu hujus figuræ facilè diſcernes mea ſcripta à ſcriptis illorum.

Secundum: per hanc Figuram & quatuor figuras illius, de quibus egi in mea *Arte Compendioſa* & *Arte Univerſali*, attinges illa, quæ propter ſuam ſummam ſubtilitatem & altitudinem naturaliter non ſunt attingibilia, ſcilicet Puncta tranſcendentia, de quibus mea *Ars Inventiva* Diſt. 3. Reg. 8. Tom. 4. ampliſſimè diſcurrit, tam in Phyſicis, quàm in Theologicis eſt impoſſibile vel uno paſſu progredi ſinè intima cognitione horum punctorum, quorum nemo ante me mentionem fecit, vel ſcientiam tradidit: ex Figura verò X. diſces, *quomodo Puncta tranſcendentia attinguntur*; Doctor Illum. in Comp. Art. Dem. Diſt. 3. de Quæſt. X. fol. 106. Tom. 3.; nam quia una potentia tranſcendit aliam, & objectum tranſcendit potentiam vel potentias, impingeres in infinitos ſcopulos contradictionum, ob impotentiam potentiarum attingendi realitatem objecti, niſi in hoc oceano te regeret acus nautica hujus Figuræ: exemplo ſit tibi intellectus Carteſii ab impotentia imaginativæ conantis imaginari, quod eſt inimaginabile, deluſus; videlicet dari putans ultra ſphæræ, quam ultimam & ſupremam ponimus in orbibus cœleſtibus ſuperficiem, adhuc corpus vel ſpatium corporeum creatum.

Tertium: ſicut antedictæ Figuræ in ſinu ſuo condunt Figuram Elementalem, ſic hæc in ventre ſuo habet Dageſch ſubtiliſſimum & vix non inviſibile, ſcilicet punctum, circa quod volvitur tota machina omnium orbium non ſolùm Figurarum, ſed quatuor Elementorum. Diſc. ergò annumerandum punctis tranſcendentibus, quia tranſcendit viſum ſenſualem & intellectualem. Mag. multorum, ſed non omnium: invénit ars perſpicilia, ut, quod ſola natura nequit, ars ſuppleat, adhibe hæc mea, & centrum hujus Figuræ inſpice, quid vides? Diſc. video X. flavum ſplendidum Figuræ Imperatricis ſeu trianguli S. Diſt. 3. Lib. Quint. Eſſ. Mag. bene vides, ſed quare flavum? Diſc. quia Chäos compoſitum ex rubedine & albedine. Mag. & quare in forma Crucis? Diſc. *quia nulla forma artificialis eſt tam ſimilis formæ naturali, ſicut beatiſſima Crux.* Doctor Illum. in Art. Comp. de Reg. in fine fol. 44. Mag. ſic eſt, Fili; nam tota mea Ars & Scientia incluſa eſt in natura Crucis, ût dicto loco figura exprimit; & natura eſt baſis & fundamentum Artis, ſicut *Elementalis* eſt baſis dictæ Crucis.

Diſc. Cur autem X. in Cruce, ſi X. eſt Crux? Mag. quia Crux minor in majore, & Crux major in minore. Diſc. hoc videtur excedere captum. Mag. minimè, nam nunquid X. flavum eſt minus, & continetur cum omnibus aliis literis figurarum in Cruce rubea, quæ eſt major, (vide *Lib. de Fine*) ſicut *particulare* continetur in ſuo *univerſali*? eſt ergò minus in majori: & nunquid in flavo eſt rubeum, ſicut in *particulari* eſt *univerſale*? eſt ergò majus in minori. Diſc. quomodo poteſt eſſe univerſale in particulari & extra particulare? Mag. Fili, ſi univerſale non eſſet in particulari, nullum particulare concordaret cum altero particulari; & ſi univerſale non eſſet extra particulare, nullum univerſale, quod eſt in uno particulari, eſſet continuum cum altero univerſali, quod eſt in altero particulari; & ſic in natura deficeret vel continuum vel diſcretum; & hoc eſt impoſſibile. Diſc. ſed quare rubeum convenit cum univerſali, & flavum cum particulari? Mag. quia rubeum convenit cum forma, & flavum cum concreto ex forma & materia compoſito, & major eſt univerſalitas in forma, quàm in concreto; & ideo nominavi ſuprà Figuram Crucis

Crucis formam artificialem, & formam Crucis rubeam formam naturalem, quia ex albo, quod eſt materia, & ex rubeo, quod eſt forma, natura conſtruit & componit flavum, quod eſt concretum.

Quartum. Revelaſti nobis Pater unû punctû flavum valde ſubtile Figuræ X., & tamen, ni fallor, hoc punctum non eſt omninò indiviſibile, quia habet in ſe adhuc duo puncta, ſcilicet album & rubeum, in quæ erit diviſibile. Mag. ſicut in magnete eſt unum punctum, quod eſt virtus magnetica, & eſt indiviſibile, in quantum eſt univerſalis virtus, & eſt diviſibile, in quantum in ſe, hoc eſt, in uno puncto univerſali continet duo puncta ſpecifica, ſcilicet virtutem attractivam & expulſivam, quæ ſunt duæ potentiæ unius formæ vegetativæ, Doctor Illum. in Lib. Chäos de ſpec. fol. 21. n. 9., ſic in puncto flavo, in quantum eſt univerſale Chäos, ſunt duo puncta particularia, album & rubeum, quæ ſunt materia & forma ipſius; & in quantum eſt in primo gradu, *eſt ipſum Chäos quoddam univerſale vel generale incorruptibile*, Doctor Illum. in Lib. Chäos de gen. & corr. fol. 8. & ideo indiviſibile; ſed in quantum eſt in tertio gradu, eſt corruptibile & diviſibile in ſuam formam & materiam. Doctor Illum. ibid. de tribus grad. ch. fol. 5. n. 4. Per dictum punctum ſeu centrum tranſit axis naturæ in duos polos oppoſitos, per quos formatur prima & univerſalis oppoſitio naturalis in Figura X., quæ eſt metaphora omnium oppoſitionum particularium, naturalium & artificialium, realium & intentionalium; *dirigitur enim homo ex hac Figura ad Theologiam, ad Logicam, ad Naturalia (Philoſophiam) ad Medicinam, ad Jus & ad alias Scientias, & hoc metaphoricè, ſecundùm quòd metaphoricè Figura elementalis applicatur aliis Scientiis.* Doctor Illum. in Art. Comp. inv. Verit. de Reg. & Fig. X. fol. 44. Diſc. qui ſunt hi duo poli? Mag. *Eſſe* & *Privatio*, de quibus formata eſt *prima Arbor ſecreta*, quam ſuprà dedimus, & *ſecundus quadrangulus* Figuræ X.; nam omne ens naturale corporeum giratur circa hæc duo, ût cœlum circa polos.

Quintum. Quemadmodum principium motûs Naturæ eſt circa dictos polos, ſic principium motûs Artis eſt circa eosdem; & ſicut in Arbore *Actus* & *Potentia* conveniunt cum *Eſſe* & *Privatione*, ſic in ſecundo quadrangulo Figuræ X. *Perfectio* & *Defectus* conveniunt cum *Eſſe* & *Privatione*; & quia forma convenit cum actu & perfectione, materia verò cum potentia & defectu, ſequitur, quòd forma conveniat cum eſſe & Perfectione, & materia cum privatione & defectu. Ulteriùs, quadrangulus Figuræ X. ſeu Prædeſtinationis habens in ſe dicta quatuor principia, ſcilicet *Perfectionem*, *Eſſe*, *Privationem*, *Defectum*, habet quatuor colores; nam *Perfectio* pingitur *cæruleo*, *Eſſe rubeo*, *Privatio nigro*, *Defectus viridi:* Doctor Illum. in Lib. Princ. Med. Diſt. 1. cap. 1. fol. 3. & quia hi quatuor colores ſunt quatuor Elementorum, ut ibidem vides in Arbore, rubeus & cæruleus ſignificant A. C., niger verò & viridis ſignificant B. D.: igitur concordantia colorum in differentia principiorum & elementorum ſignificat, formam convenire cum A. C., hoc eſt, cum igne & aëre, & materiam cum B. D., hoc eſt, cum terra & aqua: unde, Fili, totus modus eſſendi & operandi realis & naturalis, qui invenitur in his quatuor elementis, eſt ſecreta ſignificatio modi intelligendi & operandi intentionalis & artificialis.

Ampliùs: cùm forma conveniat cum perfectione, & materia cum defectu, perfectio verò concordet cum eſſe, & defectus cum privatione, manifeſtum eſt, quòd A. C. conveniant cum eſſe, & B. D. cum privatione; *cùm B. D. ſint cauſa mortis, & A. C. ſint cauſa vitæ:* Doctor Illum. in Lib. Princ. Med. Diſt. 7. cap. 21. fol. 32. igitur in Figura X. & ſecundo ejus quadrangulo & in prima Arbore apertè revelavi vobis prima rerum naturalium principia, nempe *cauſam vitæ & mortis*, & per conſequens rerum intentionalium; nec ſolùm principia, ſed etiam modum operandi cum principiis, quem per totum Librum Principiorum Philoſophiæ & Medicinæ diſperſum invenietis; ſed clavem repoſui in Diſtinctionis 7. caput 29, dicti Libri Medicinæ, ubi dixi, quòd *in privatione ipſorum C. A. deſtruitur eorum virtus, & in deſtructione virtutis corrumpitur materia*; quem textum bene applicaſti ſuprà in meis Perſpiciliis cap. 3. f. 72., imò totum modum *generationis & corruptionis*, *mortificationis & vivificationis* naturalis, in quo conſiſtit Syſtema generale harum operationum, ad quod regulari debent omnes particulares mortificationes & vivificationes, ad literam expoſui, demonſtravi, & tantâ claritate revelavi in Metaphora 24. *Mortificationis & Vivificationis* Diſt. 10. cap. 36. dicti Libri de Principiis Medicinæ, ut clariùs in nullo

librorum Chimicorum sitis inventuri. Fili, lectioni hujus Metaphoræ 24. conjunge doctrinam, quam tradidi *de Febribus* Dist. 7., præsertim cap. 22. *de Febre quartana simplici*, & ob oculos pone quadrangulum *de Melancholia*, qui habetur in Rota Radicis, & doctrinam de *Generatione & Corruptione*, quam dedi Dist. 6. per tria prima capita hujus Distinctionis Libri suprà citati, & doctrinam de *Contrarietate*, quam habes capite 11. Dist. 3., singulariter in §. de Mixtione E. S., quem lege à capite ad calcem. Cum hac lectione combinabis Distinctionem 6. de Probatione ipsius G. Libri Principiorum Philosophiæ & cameram 53. dicti Libri p. 2., quæ incipit: *Cerebrum est complexionis frigidæ*; item cameram 100., quæ incipit: *Ignis habet M.*, & 102., cujus initium: *X. est Figura ex contrariis:* pleni sunt hi duo Libri nobili & utilissimâ Scientiâ horum duorum naturæ motuum, in tantum, ut integrum volumen de hac sola materia ex illis posses excerpere, nec te onerant mole suâ, sunt enim formati secundùm normam Tincturæ Philosophorum, *quæ parum habet materiæ, & multum virtutis.*

Disc. Quisnam est proprius finis & utilitas hujus quinti numeri? Mag. Ille & Illa, quæ suprà tibi revelavi de *Secreto Figuræ* V. *Primo*, fol. 34. §. *Fili humilitas:* sed quia lux addita luci magis illuminat, recollige ea, quæ dicto loco fol. 35. §. *Jam suprà in fine* de duabus Portis *Intellectûs & Voluntatis* dixi per Metaphoram, & nunc ad literam expono: intellige igitur, quòd duæ Portæ, quibus datur introitus in omnem scientiam & veram sapientiam, sunt *Vita* & *Mors*, quas paulò antè vocavi *duos Polos*, circa quos Rota & Opus Naturæ, & Artis ac Naturæ simul volvitur; quorum actus sunt *vivificatio & mortificatio*, *generatio & corruptio.* Fili, quia tu tuam propriam faciem intueri non potes, invenit Ars & Natura speculum, per quod tibi artificialiter fiat visibile, quod naturaliter est invisibile: & quia DEUS, qui est magis in te, quàm tua propria facies, & quia est Spiritus, & tu propter peccatum originale à statu claritatis Spiritûs prolapsus es in statum obscuritatis corporis, magis invisibilis tibi factus est DEUS, quàm tua propria facies; ne autem crederes, quòd major esset potestas Artis in formando speculum artificiale sensuale, per quod invisibile sensuale potest fieri visibile, dignatus est DEUS tibi componere & exhibere in Natura speculum naturale & artificiale, sensuale & intellectuale, in quo posses videre omnia invisibilia tam sensualia quàm intellectualia, & maximè centrum omnium invisibilium, quod est in te, scilicet DEUM.

Disc. Ex qua materia & forma formavit DEUS hoc speculum? Mag. materia & forma hujus speculi sunt *Principia Mortis & Vitæ*; nam materia speculi naturalis sensualis sunt terra & aqua, quæ sunt principia mortis, ût suprà audivisti, & forma illius sunt aër & ignis, quæ sunt principia vitæ; „quemadmodum enim de materia & forma „componitur magis nobile, hoc est, com„positum, & illa nobilitas est in composito „per hoc, quia causa finalis movet materiam „& formam ad compositum, Doctor Illum. in Lib. Mir. Dem. 2. cap. 27. n. 2. fol. 50. sic DEUS ex duobus inferioribus elementis velut ex materia, & ex duobus superioribus velut ex forma, composuit dictum speculum sensuale; & ut nil deesset ad analogiam & proprietatem veri speculi, posuit aquam loco vitri, & obduxit albedinem hujus vitri aquatici nigredine terræ loco folii, & per aërem reddidit diaphanum, & claritate ignis splendescere fecit: Doctor Illum. in *Art. Comp. Med. p. 2. q. 5.* & sicut in potentia speculi artificialis ejusque forma universali latent omnes formæ particulares repræsentabiles, & possunt transire de potentia in actum, sic in potentia hujus speculi naturalis ejusque forma & materia universalibus latent omnes formæ & materiæ particulares, & possunt educi de potentia in actum.

Disc. Quâ viâ? Mag. per dictas *duas Portas*; „nam in eo, quòd G. dat se in sub„tili materia igni & aëri, & in grossa ter„ræ & aquæ, & materia ignis subtilior est, „quàm materia aëris, & materia terræ gros„sior est, quàm materia aquæ, idcirco se„cundùm dispositionem ipsorum F. G. H. K. „in I. quodlibet Elementum suam sphæram „habet habituatam: & ideo per K. H. ex locis „altis ad ima, & è converso, movetur, & „quodlibet Elementum in sphæra alterius „suam propriam sphæram habet in habitu, „& intrat in O. P. Q. R. cum forma extra„nea & cum propria & simplici virtute at„que qualitate & proprietate, & M. for„matur in triangulo viridi & rubeo in vasis, „quæ plena sunt ex O. P. Q. R., quæ quidem „vasa *duas portas* habent, *per quarum unam intrant individua specierum, & per alteram exeunt, & C. per omnia illa vasa movetur exeundo ex G.; & redeundo ad ipsum G.*; „totum „verò hoc opus oportet fieri NB. secundùm „H. M. & alia principia supradicta. Doctor Illum. in Lib. Princ. Phil. p. 1. Dist. 11. de habit. Ra. 4. fol. 19.

Disc. Quid intendis per G., Pater, visnè materiam primam Aristotelis? Mag. nequaquam; nam hanc considerant Logica vel Metaphysica in abstracto, in quo statu non potest servire operationi physicæ, sed tantùm speculationi; mea autem prima materia est ens physicum & in concreto, quod potest videri & tangi: & quia est in duplici statu, nempe G. *crudum*, & G. *coctum*, Doctor Illum. in Lib. Princ. Phil. p. 2. cam. 73. fol. 47. crudum potest digeri & coqui, Doctor Illum. *in Lib. Chãos de Qual. Ch.* fol. 30. & coctum potest reincrudari, ibid. *de Quinque Univ.* n. 5. fol. 19., item *de Subst. Ch.* n. 13. fol. 27., item *de Quant. Ch.* n. 8. fol. 28.: hæc duo G. in dicto Libro Chãos nominavi duo Chãos, scilicet *primum & tertium*; & primum iterum distinguitur in duo, in propinquum & remotum, *mediante scilicet materiâ propinquâ & remotâ*; ibid. *de Differ. Ch.* n. 6. fol. 22. quorum ultimum, licèt sit compositum, non tamen est generabile vel corruptibile nec sensibile, ibid. *de Gen. & Corr. Ch.* n. 1. fol. 8. sed primum propinquum est generabile, corruptibile & sensibile, sicut tertium; *quod patet in grano frumenti generativo, quod moriendo in terra confundi oportet, priusquàm possit producere grana de se generabilia sub specificas formas; & propter hoc primum & tertium Chãos sunt opposita relativè, scilicet primum per modum confusionis, tertium verò per modum specificationis*; Doctor Illum. in Lib. Chaos *de Relat.* n. 4. fol. 29. *hoc tamen differt, quia compositio primi gradûs cruda est & indigesta, compositio verò tertii Chãos digesta propter frequentem introitum aliarum partium in alias.* ibid. *de Situ Ch.* n. 5. fol. 38. Fili, percurre omnes libros Chimicorum, & vide, an clariùs de hac prima & secunda materia, de hoc primo & tertio Chãos physico loquantur? hæc sunt illa duo vasa, quæ duas portas habent, hæc sunt illa duo subjecta, in quibus Natura & Ars descendendo ab universali ad particulare, & ascendendo à particulari ad universale suas operationes exercent, quas analysin & synthesin naturales nominamus, & quas intellectus humanus in suo ascensu & descensu imitari debet.

Disc. Cùm ad componendum hoc speculum naturale sensuale sit valde necessarium habere notitiam *primi Vasis & primæ Portæ*, obsecro, Pater, in gratiam Filiorum tuorum resera hoc vas, & aperi hanc portam. Mag. *primum Vas* est aqua, & *prima Porta* est mors.

Unde ad majorem elucidationem hujus *primi Vasis* „Fili intellige constitutionem „hujus magni mundi, quem DEUS omni„potens post naturæ creationem fecit in „forma confusa, scilicet, quòd omnia ele„menta erant mixta tali modo, quòd nec „ignis nec terra nec aër apparebant, nisi „in forma confusa *aquæ*, quæ attingebat „usque ad circulum lunarem, sic, quòd „nec ignis calorem, nec aër humiditatem, „nec terra siccitatem habebat, imò totum „versum erat in frigiditatem propter con„fusionem suarum naturarum; quoniam „quantò magis frigida erat natura aquæ, „tantò magis stringebat naturam calidam „ignis in profundum aliorum elemento„rum, & per consequens naturam aëris ma„gis puram; cùm aër sit cibus & materia „ignis, sic, quòd postea, cùm mirabilis „ipsorum divisio facta fuit per potestatem „divinam, & quodlibet eorum fuit associa„tum & hospitatum in suo loco secundùm „debitum naturæ, fuit repertum, quòd „in terra remansit de igne & aliis elementis, „in quibus est res, quæ rebus conjunctis „participat. Doctor Illum. in Theor. Test. cap. 75.

Hoc opus divinum est tanquam speculum, in quo humanus intellectus potest cernere principium omnis rectæ rationis essendi, operandi & intelligendi; „hæc enim „est generalis regula operandi, quam DE„US & Dominus noster dedit Naturæ, & „nobis monstravit per figuram, & qui ha„bet aures audiendi, habet totum in suo „intellectu; quia insequendo hanc doctri„nam Natura facit omnia sua opera: qua„re patet, quòd, qui ignorat hanc divi„nam doctrinam, est extra opus Naturæ. „Ideo Fili, si vis facere operationem no„stram per Naturam, insequere operatio„nem doctrinæ Naturæ; nam ei non est „datum, quòd per aliam doctrinam possit „operari, nisi per illam, quam habet à DEO „Magistro suo præceptam & doctam per in„telligentiam perfectam, per quam mo„ventur suæ operationes &c.; & ex hoc sit „speculum tuum Natura. Doctor Illum. ibid. cap. 76.

Hanc autem operationem insequeris, si G. coctum converteris in G. crudum, hoc est, si ultimum vas mutaveris in primum, „scilicet per reductionem, quæ fit per re„trogradationem illius in formam confu„sam, respectu massæ hujus mundi, quo„usque versa sit in qualitatem magnæ frigi„ditatis, in qua primò fuit: & quando sic „erit versa, notare potes & cognoscere, „quòd non est nisi unum compositum per „artem confectum respectu Naturæ, ac si „absque adjutorio artis esset factum per Na„turam ad consequendum finem sui intel„lectûs &c. Et per hanc primam conver„sionem *dictum G. coctum* vertitur in natu„ram frigidiorem, scilicet in *G. crudum*: „& ideo oportet, quòd *aqua* ibidem domine„tur, & in se contineat alia elementa, ex qui„bus Natura per divisionem se habet postea „verti de qualitate in qualitatem: ibid. cap. „77. hanc massam confusam, Fili, Philosophi „vocaverunt similitudinariè totum mun„dum; nam in ipsa sunt quatuor elemen„ta confusa, quæ separari possunt & dividi „quodlibet ad suam partem imprægnata de „natura quinta, & per quam separantur „&c.: vide ergò, Fili, naturam, quæ erat „in toto composito integraliter primò fri„gida, & postea conversa est in quatuor „qualitates elementarias, scilicet in siccia„tatem, frigiditatem, humiditatem & ca„liditatem per divisionem elementorum. ibid. cap. 78.

Totum hoc Chäos physicum & reale necessariò tibi debui exactè describere (cujus demonstrationem intellectualem reservo in *Caput sequens*) & usque ad numerum quaternarii deducere; nam hoc est fundamentum, cui inædificavi Chäos intentionale Figuræ S. & X., ût statim infrà monstrabo, ne fortè putares, inventum harum Figurarum esse tantùm lusum ingenii vel phantasiæ.

Disc. Non deerunt forsan, Pater, qui suprà allegata à te Capita Theoricæ Testamenti tibi à me afficta dicent. Mag. Fili, liberabo te ab hac impositione; nam *Capite quinto de Secreto Operationis* ponam parallelum ex Libro meo indubio *de Ponderositate & Levitate Elementorum ejusque Quæstione 13. desumptum* adeò clarum, cui non poterunt resistere omnes Adversarii tui; totus enim processus ibi adfertur, & tam distinctè exponitur sub metaphora conversionis nutrimenti in corpus humanum per ordinem singularum officinarum incipiendo à stomacho, ut, si hanc theoricam & practicam conferas cum theorica & practica dictorum Capitum mei Testamenti, non possis non agnoscere, me Authorem utriusque Libri: præsertim si accedat contemplatio perfectæ concordantiæ, quam paulò inferiùs exponam comparando structuram & opus Figuræ S. cum structura & opere hujus Chäotis elementalis; hæc enim omnia & singula casu exactè convenire est impossibile.

Reserato primo Vase nunc aperiam tibi *primam Portam*. Non te latet, Fili, quòd in omni composito naturali sit *actus & potentia*, hoc est, *forma & materia*; & quia forma convenit cum *esse*, & materia cum *privatione*, omne compositum est subjectum privationi ratione materiæ: cùm igitur omne compositum naturale sit unum & totum & concretum, per privationem, quæ convenit cum corruptione & mortificatione, est resolubile in duo, quæ sunt dicta forma & materia physica, & sunt partes & abstracta ipsius compositi.

Disc. In Philosophia peripathetica numerantur tria principia rerum naturalium in fieri, scilicet forma, materia & privatio; & in facto esse duo, vel etiam tria, scilicet forma & materia & conjunctio, & hoc videtur necessarium; nam si materia esset ipsa privatio, & forma ipsum esse, nunquam fieret ex illis compositum, cùm esse & privatio opponantur. Mag. privatio physica, de qua hìc agimus, est ens reale, ût jam suprà dixi, & est ens visibile & tangibile; nam nisi tale esset, Analytica naturalis non haberet instrumentum, cum quo privaret vel naturaliter resolveret, sicut si non haberet formam, non haberet instrumentum, cum quo formaret: hoc autem ens, si rectè meministi, dixi convenire cum duobus elementis materialibus, scilicet cum *terra & aqua*, & maximè cum *aqua:* & hæc est ratio, quare sapientes Philosophi per metaphoram vocaverunt aquam hyemem, quia hyems est causa putrefactionis seu privationis physicæ: rem ab exemplo disce, Fili: glacies est aqua congelata, & aqua calida est aqua resoluta, si posueris glaciem in aquam calidam, resolvet aqua aquam, vel meliùs dicendo, liquefaciet aqua aquam: glaciem nomina compositum ex materia & forma, aquam congelatam voca materiam, & aquam calidam

lidam voca privationem, & habebis duo & tria principia, prout vis: sed differt nostra aqua ab aqua calida, quia nostra est frigidissima, est enim in quarto gradu frigida, & in primo calida. Doct. Illum. *in Th. Test. cap. 54.*

„Natura (hujus aquæ) talis est, quòd „mortificat & obscurat omnem rem, & ob„umbrat & denigrat aërea nostra omnia, & „omnem animatam rem corrumpit, & de„siccat res virides & humidas res naturales, „quæ sunt generatæ aut in via generationis, „acerbat res dulces solutas, & reincrudat „res coctas & terminatas, & facit de calido „frigidum, & de sicco humidum, de „duro molle, de ponderoso leve, de gros„so subtile; & hæc omnia facit à sua propria „natura prima per operationes certas. *ibid.*

Fili, quia hæc aqua est creatura, in illa est *actus & potentia*, unde quando actu est frigida, potentiâ est calida; & quia potentia potest transire in actum, & actus in potentiam, potest facere totum oppositum, quando extrà est calida, hujus, quod facit, quando extrà est frigida, quod dicto loco videre poteris: & per hoc tibi revelatur Secretum, quomodo privatio transmutatur in conjunctionem, & corruptio in generationem, & mortificatio in vivificationem &c. In magno Chäo, quod supremus Artifex tanquam supremum universale totius Naturæ corporeæ produxerat, ex quo omnia particularia mirabili analyticâ & syntheticâ prodierunt, terra erat inanis & vacua, & tenebræ erant super faciem abyssi, ergò totum Chäos erat nigrum; & quia nigredo secundùm meam Scholam est color terræ, aqua ejecerat totam terram in superficiem vel circumferentiam; quando igitur Spiritus DEI ferebatur super aquas, nondum erant aquæ divisæ, sed adhuc involutæ uno spolio tenebrarum.

Disc. Quid ergò significat hæc nigredo? Mag. *ista nigredo demonstrat signum primæ Portæ &c., & sinè ipsa non potest aliquid fieri, quia est ignis naturæ &c., qui sinè corruptione sui corporis non potest manifestari; & nisi manifestetur, nunquam erit in actione, per quam possit crescere aut generare &c.; quia ignis naturæ, cùm sit inclusus in profundiori sui corporis, non potest se statim ostendere, quousque sit apertum; nam ignis est inclusus & absconditus in grossis elementis, sicut lux in centro tenebrarum: & ex hoc extitit declaratum, quòd in puncto nigredinis noster ignis incipit operari, & non antè:* Doctor Illum. in Theor. Test. cap. 28. operatio verò hujus ignis est putrefactio & separatio lucis à tenebris: perlege totum Caput citatum, & compara ad primum Caput Libri Geneseos, videbis ante oculos tuos totum speculum illud naturale sensuale, ejusque fabricam ab initio usque ad finem: inspice igitur, & fac secundùm exemplar.

Nunc ordo exigit, à speculo naturali, sensuali & reali te convertere ad speculum artificiale, intellectuale & intentionale, ut in illo conspicias non solùm mutuam utriusque proportionem & habitudinem, sed parem utriusque usum in eruendis particularibus, quæ sub obscuritate potentiæ universalis absconduntur. Quemadmodum Chäos naturale, reale & sensuale sub metaphora duorum vasorum & duarum portarum duplex esse percepisti, scilicet primum & secundum, sic Chäos artificiale, intentionale & intellectuale duplex esse scito, scilicet *primum & secundum:* & quia finis Naturæ est principium Artis, & è converso, à *secundo* nunc sumemus initium, ascendendo ad primum, sicut antea exorsi sumus à *primo*, descendendo ad secundum.

Spero, te memorem esse, Fili, eorum, quæ suprà in *Secreto Figuræ S. §. Cùm sub una*, fol. 27. de duplici agente dixi, *vegetativo* scilicet & *intellectivo*, ubi tibi monstravi duos Circulos Principiorum utriusque perfectè similium: unde cùm de priori, nempe vegetativo, multa hucusque revelaverim Secreta, de posteriori nunc sub analogia prioris agam, taliter quidem, ut sensus literalis sit circa posterius, sensus verò metaphoricus circa prius; & hoc necessariò sic debet esse, cùm unum sit in altero, & unum unitum cum altero, & unum significatio alterius, & opus unius operis alterius: idcirco Fili introrsum te verte in centrum, nam abdita, obscura & profunda tibi aperiam.

Tu audivisti, quòd, ubi natura desinit, ibi Ars incipit; & hoc ideo, quia cùm Ars, quæ est imitatrix naturæ, cogatur sumere materiam à natura, natura præparat Arti materiam in tanta perfectione, quantâ potest, adhoc, ut id, quod Arti est impossibile, natura suppleat & ministret ipsi: unde cùm tota perfectio, quam natura per opus suum intendit, & potest attingere, sit in fine operis naturæ, & perfectio, quæ est in dicto fine, & est in actu, non sit sinè defectu in potentia, recurrit natura ad Artem, ut hoc, quod soli naturæ est impossibile, per Artem & naturam simul compleatur; quod

fit

fit in fine operis Artis & naturæ ſimul, in quo perfectio eſt in actu absque defectu in potentia; & hic eſt major finis, quàm primus finis operis naturæ; quod patet ex ſequenti exemplo.

Senſualiter ſentimus, quòd corpora magìs perfecta in duratione, quæ format natura, ſunt lapides & metalla; & quia inter lapides major duratio convenit cum majori duritie in adamante, & major duratio cum majori mollitie in auro, aurum & adamas inter lapides & metalla in his proprietatibus ſunt magis perfecta corpora; nec tamen ſentimus, quòd aurum & adamas perficiat ullum aliud corpus inferius in eundem gradum perfectionis: unde ſequitur, quòd in illis ſit perfectio in eſſe, & defectus in operatione: ergò in illis eſt eſſe in actu, & privatio ipſius eſſe in potentia, quia ex defectu operationis ſequitur privatio ipſius eſſe; & ex privatione ipſius eſſe ſequitur privatio perfectionis; ſed quia in nullo corpore glorificato eſt defectus operationis, per quem perfectio, quæ eſt in actu, poſſit tranſire de actu in potentiam, defectus in potentia eſt impoſſibilis; nam ſi eſſet poſſibilis, poſſet tranſire in actum; & ſi non poſſet, fruſtra eſſet in potentia; & hoc eſt impoſſibile: unde *cùm major finis, ad quem moventur elementa, ſit corpus glorificatum*, ût docui in Diſt. 3. Fig. T. cam. 85. fol. 43. Artis Univerſalis hujus Tomi (*habente in elementali Figura quolibet elementorum tam magnum naturalem appetitum in dando ſe ipſum aliis, & recipiendo ſe ipſum in aliis, quòd inde ſuppoſitum quoddam generatum reſultet, in quo ſignificatur illa una Eſſentia & illa tria Suppoſita, quæ ſunt in eadem extra rubeum*, ibid. de Fig. A. cam. 71. fol. 70.: in quo corpore glorificato eſt æqualis perfectio in eſſendo & operando) intellectualiter intelligimus, quòd Ars & natura ſimul poſſunt attingere illum majorem finem in omni corpore naturali: quapropter cùm ſit impoſſibile, quodlibet corpus naturale particulare per Artem & naturam reddere glorioſum, niſi habeatur agens univerſale tam reale, quàm intentionale jam glorificatum, & ad ſupremum gradum gloriæ, quæ Arti & naturæ eſt poſſibilis, jam reductum, ideo omnes antiqui Sapientes ingeniati ſunt tale agens invenire & præparare.

Diſc. Quis, quæſo, credet, tale opus Artis & naturæ eſſe poſſibile, per quod tale agens producatur? Mag. ille, qui amat veritatem, & qui intelligit meam *Artem Univerſalem*; nam conditiones camerarum Figuræ T. demonſtrant, „ quòd illud opus „ debeat affirmari, per quod E. habeat ma„ jorem æqualitatem in operatione ipſorum „ B. C. D. capientium A. V. Y. pro objecto, „ & illud, per quod in elementali Figura ha„ beatur major æqualitas unius elementi ad „ aliud, ac illud, per quod creatura fortiùs „ elongatur à minoritate, appropinquans „ ipſi A., Doctor Illum. ibid. in Fig. T. cam. 80.: quid clariùs poſſet dici? & tamen tam pauci etiam docti hoc admittunt; ſed quid hos inculpo, cùm & quidam meorum Diſcipulorum, qui meæ Artis Profeſſorum titulo gloriantur, hoc in Arte ad literam expreſſum non agnoverint, imò ore & calamo impugnarint.

Diſc. Non dubito, multos illorum, qui hæc & ipſos tuos Libros acutiori nunc viſu rimabuntur, non ampliùs adeò impolitos fore, ut, te theoricam hujus operis ignoraſſe, contendant, ſed bene practicam, quaſi Viros literatos minimè decentem. Mag. quaſi verò theorica boni eſſet decens, & practica boni indecens: ſed quid fruſtra litem terimus, en ipſam practicam cum toto Syſtemate utriuſque agentis ſub habitu agentis intentionalis in medium proferam, auſculta. Diſc. omni attentione, loquere Pater, quia audit ſervus tuus.

Mag. In unam Figuram S. congeſſi Agens & Opus Agentis tam reale quàm intentionale tanto artificio, ut ſublimitate redderem Artem illuſtrem, brevitate & ordine memorabilem, facilitate intelligibilem, utilitate amabilem: quapropter ſcias, S. eſſe ſupradictum ſecundum Chäos, quod eſt finis naturæ & principium artis, habens in ſe R.; quod eſt primum Chäos, & S. eſt R., & R. eſt S.; ſed differunt per accidens, quia R. eſt prima materia, & S. ſecunda. Diſc. quomodo R. & S. poſſunt eſſe idem, cùm S. ſit genus, & R. ſpecies? ût tua Ars Compendioſa & Univerſalis oſtendunt. Mag. eſt duplex R., ſcilicet R. ſimplex, & R. compoſitum: R. ſimplex eſt ſpecies, & R. compoſitum eſt genus; nam quando E. I. N. miſcentur & componuntur in R., tunc R. eſt compoſitum; ſed quando E. I. N. ſeparantur ab R., tunc R. eſt ſimplex: & quia E. I. N. R. ſimplicia valent S., manifeſtum eſt, quòd R. compoſitum valet S.

Diſc. capio, ſed quoniam eſt differentia inter R. & S., quodnam horum eſt magìs perfectum, Pater? Mag. per unum modum

dum S. eſt magìs perfectum, quàm R., & per alterum R. eſt magìs perfectum, quàm S.; nam quia Ars & natura tendentes ad majorem perfectionem reducunt S. in R., clarum eſt, quòd R. ſit magìs perfectum, quàm S.; ſed quia R. eſt minùs durabile, quàm S., & eſt facilè alterabile in E. I. N., & S. difficilè, ût infrà audies, ideo major eſt perfectio in S., quàm in R.: item eſt alia major perfectio in S., quàm in R., ſed hoc eſt S. ſecundum, & non primum.

Diſc. Danturnè ergò duo S. ſicut duo R.? Mag. dantur utique; quia ſi non, quomodo motus naturæ & artis, & motus eſſendi & intelligendi eſſent circulares? unde quemadmodum fit motus circularis in natura, *ſicut patet in agreſta, quæ eſt ſiccæ & frigidæ complexionis, deinde factâ ipsâ racemo eſt humidæ & calidæ complexionis, & poſtea vinum, quod de ipſo racemo producitur, eſt calidæ & ſiccæ complexionis, & ultimò acetum de ipſo vino factum eſt ſiccæ & frigidæ complexionis*, Doctor Illum. in Lect. Art. Dem. de Fig. Phil. fol. 47. Tom. 3., ſic fit motus circularis in arte & natura convertendo S. in R., & R. in S.; nam ſicut finis operis naturæ eſt principium operis artis, ſic finis operis artis eſt principium operis naturæ, ſed in altiori gradu: hoc autem exigit natura univerſalis agentis, ut, quantò altiùs aſcendit in ſua univerſalitate, tantò altiùs aſcendat in ſua bonitate, magnitudine, duratione, poteſtate & in omnibus perfectionibus in figura A. contentis, & per conſequens in operatione bonitatis, magnitudinis, durationis, poteſtatis & omnis perfectionis in A. contentæ; nam A. eſt S., & S. eſt A., ſed A. creatum.

Diſc. Quanta myſteria latent in his figuris, & quis penetrabit ipſa? Mag. qui non deſcendet, non aſcendet; nonne legiſti, *niſi converſi fueritis, & efficiamini ſicut parvuli, non intrabitis in Regnum Cœlorum?* Math. 18. v. 3.; & ego dico vobis, niſi cum parvulis de novo addiſcatis meum alphabetum, non intrabitis in Cœlum Philoſophorum. Diſc. quomodo hæc faciunt ad propoſitum? Mag. quàm maximè, quia Agens quæſitum (ut ore aperto dicam) eſt Cœlum Philoſophorum. Diſc. & quid literæ alphabeti ſerviunt ad cognitionem hujus Agentis? Mag. quia ſinè cognitione literarum non acquiritur notitia diſpoſitionis vel productionis hujus Agentis; hanc autem occultavi ſub ſedecim literis *Libri Principiorum Philoſophiæ*, quæ reſpondent ſedecim literis *Figuræ Libri Chäos*, & ſedecim literis *Figuræ S. Diſtinct. 3. Libri Quint. Eſſ.*, ex quibus tribus Libris & Figuris formavi unum Librum & unam Figuram circularem ſeptem Rotarum, continentem omnia arcana & omnia particularia, quæ in dictis tribus Libris ſeorſim erant poſita, & hinc inde diſperſa.

Ex his ſeptem Rotis compoſui novem Columnas ſuſtentantes totam Machinam meæ Artis, quam ſub velo Figuræ Univerſalis compoſitæ ex quatuor ſpeciebus primi Agentis & ex Figura Generali in Arte Univerſali tradidi: harum columnarum duas ponam infrà in Secreto Tabularum, non ſubſcribendo ſignificata illarum; nam expoſitionem illarum tibi dabunt Emendatores & Reformatores meæ Artis.

Diſc. Si poſſunt: vereor, mi Pater, ne hæc omnia truffas eſſe dicant, ſic enim ſinè ſuo incommodo me expedient; quòd ſi paululum importunior inſtabo pro obtinendo meliori reſponſo, recipiam aliquot colaphos dicteriorum pro viatico, & in pace dimittar. Mag. hæc omnia adhuc vivens expertus ſum, & futura quondam prævidi; hinc in quibusdam meis Libris meâ commonitione vos præmunivi, ne inſolita vobis accidant: exemplum hujus habes in Dialogo ad Monachum in fine. *Diſt. 3. Lib. Quint. Eſſent.* Diſc. non credunt à te factum. Mag. *qui non credit, fleat ſuper ſe*, Arnal. de Villan. de ſimpl. cap. *His itaque auditis*: hoc idem aſſero de maximis his Secretis, nam ſi nec ratio nec authoritas meorum indubiorum Librorum illos movet, etiam ad ſenſuale experimentum manebunt inſenſibiles.

Diſc. Quid autem his ſeptem Rotis & novem Columnis nos doces? Mag. multa & profundiſſima Secreta in illis demonſtravi, „ non tantùm ad intelligentiam columna„ rum, quantùm ad intelligentiam profun„ diſſimæ Artis, & contra illos, qui veris prin„ cipiis & mediis abjectis vilipendunt hanc „ Artem à DEO paucis conceſſam, Rig. in part. 3. foc. n. 7.: „ cùm enim hæc ſcientia ſit „ ex determinatis, infallibilibus & recolitivis „ principiis, ideo ipſum ingenium inſtruen„ dum eſſe determinavi ad hanc rem reco„ lendam; ideirco firmatis fideliſſimis prin„ cipiis univerſalibus in *tribus Rotis* commu„ nicantibus ſe ſimul omnia locavi, ût eſt „ Figura S., Figura Principiorum Arboris, „ (quàm Chäos ſuprà dixi) & Figura Princi„ piorum Philoſophiæ, ſunt enim lux multa„ rum rerum in natura abſconditarum, ib. n. 1.

Disc. Paulò antè septem Rotas nominasti, nunc tres, quomodo differunt? Mag. non differunt in essentia, sed in dispositione; nam ex his tribus factæ sunt septem, tres ex Rota Figuræ S., tres ex Rota Figuræ Chaos, & una ex Figura Principiorum Philosophiæ situatâ in medio utriusque. Nota insuper, quòd tres colores, qui sunt in prima brancha meæ *Arboris Medicinæ*, sunt iidem, qui sunt in his tribus Rotis, nempe rubeus, cæruleus & croceus, unus horum est color significativus primi Agentis.

Disc. Sed quis usus harum Rotarum & Columnarum? Mag. duplex præcipuè: primus ostendit operationem *ad intra* dicti primi Agentis, hoc est, ejus præparationem ascendendo ab infimo usque ad supremum gradum: secundus operationem *ad extra*, hoc est, combinationem & applicationem ejus ad alia subjecta: & hoc ultimum demonstrat praxis totius meæ Artis Compendiosæ, quam ideo intitulavi Librum S., item Figura universalis & practica ejus tam in Arte Universali, quàm in Arte Demonstrativa; præsertim verò septima Figura ipsius S., h. e. Figura Specierum: *igitur cùm ita sit, hæc Figura septima ipsius S. super omnia diligatur; nam in ea & in generali Figura de A.T.V.X. composita hæc Ars tota consistit, ponendo septimam Figuram ipsius S. in generali Figura supradicta, quæ duæ Figuræ præ omnibus reliquis Figuris amentur; in illis enim reperietur particulare Figuræ compositæ de A. Y. Z., quæ cum ambabus ipsis Figuris inquiritur, concordantibus in eorum particularium individuis; in earum enim concordantia Secretum particularis, quod investigatur, revelabitur. Igitur cùm hoc ita sit, in hoc puncto & transitu tota fortitudo hujus Artis consistit*, Doctor Illum. in Art. Univ. Dist. 1. Fig. S. 7. fol. 4. Hic autem descensus Agentis universalis ad particularia in opere intentionali & artificiali fit prorsus eodem modo, sicut descensus Agentis universalis ad particularia in opere reali & naturali, & è converso; quorum tibi mutuam connexionem jam suprà ostendi in fine Secreti Figuræ S.: unde sequitur, quòd, *sicut per elementalem Figuram inquiruntur significationes ipsius S. & motus suarum specierum & suorum individuorum, sic cum motu ipsius S. inquiritur motus camerarum Figuræ Elementalis*, Doctor Illum. in Arte Comp. Dist. 3. p. 2. de 60. Quæst. q. 55.; quod esset impossibile, nisi esset perfecta proportio inter utrumque motum, scilicet realem & intentionalem.

Jam introspiciamus ipsas partes hujus Agentis tanquam gradus hujus ascensûs & descensûs, ac simul observemus earum motus & operationes tam ad intra, quàm ad extra, sursum, deorsum & in circulum, simul miscendo unam cum altera; tuum autem est discernere, quando fiat sermo de motu intrinseco vel extrinseco, cùm de utroque seperatim agere sit nimis prolixum.

Prima operatio est reductio ipsius S. in R.; nam „R. est ens de similitudinibus & dissimi„litudinibus E.I.N. constitutum; & ideo R. est „quædam confusio, in qua species S. sunt in„digestæ, quare de ipsis verbum phantasticũ „non est assertivum, sed potiùs dubitativum „vel ambiguum; & ideo ipsum R. est subje„ctum & materia confusa ipsis E. I. N., ut „ratione affirmationis vel negationis à du„bitatione se prolongent: *sicut elementata supposita à confusione primæ materiæ ratione generationis procedentia se specificantia, à confusione ipsius primæ materiæ recedunt*;„ & ut „etiam, quando E. I. N. objectivè fati„gata sunt, requiescant in ipso R., *sicut natura, dum fatigata est, quòd non potest conservare sua supposita in esse specifico, permittit ea redire in confusionem primæ materiæ, unde exierunt*, Doctor Illum. in Comp. Art. Dem. Dist. 1. p. 2. de 1. p. Fig. S. fol. 15. Tom. 3.: & hoc accidit, *cùm ignis impeditur ad recipiendam siccitatem à terra, & ad dandam caliditatem aëri, tunc enim diminuitur ejus operatio, quâ diminutione devenit ad privationem; & ideo privatio operis est privatio subjecti*, Doctor Illum. in Art. Univ. Dist. 3. de Fig. V. cap. 78. fol. 100. Ex hac privatione verò causatur, *quòd in R. partes cujuslibet particularis ad universale per indigestionem moveantur, sicut per P.* (digestionem) *descenderunt ex universali ad particulare; & ideo C. R.* (motus, alteratio) *existunt in Q.* (composito, quod hìc est S.) *in quo destruunt O. P.* (mixtionem & digestionem) *per dissolutionem & annihilationem ipsius Q., separando partes, ex quibus Q. est compositum*, Doctor Illum. in Lib. Princ. Phil. p. 2. de Cond. Univ. Fig. cam. 29. fol. 39.

Contrarium autem accidit, quando R. de novo reducitur in S., descendendo ab universali ad particulare regeneratùm; nam sicut ascendendo per indigestionem diminuitur virtus in Q.,& per privationem virtutis diminuitur operatio, sic descendendo per digestionem augetur virtus in G., & per esse virtutis augetur operatio;„ nam quan„tò magis G. mortificatum est in O. P. Q.,

„tan-

„tantò major virtus resultat in Q., quod „compositum est ex ipso G.; unde illa mor„tificatio ipsius G. in Q. est P. &c., Doctor Illum. ibid. p. 1. Dist. 14. Ra. 2. fol. 22.

„In elementali Figura incipit ignis sim„plex ex entitate sua producere ignem com„positum, & quia in illo igne composito „sunt alia elementa, ideo resultat ex ipsis „elementis quoddam corpus in aliam spe„ciem, quæ neque est ignis simplex, ne„que est aliquid aliorum elementorum, li„cèt ex ipsis sit compositum; nam ex com„positione ipsorum, id est, aggregatione si„mul unitâ resultat quædam nova species, „sicut ex partibus domûs simul debitè uni„tis resultat species, quæ est domus; tamen „illa species non est species alicujus partis „domûs. Unde cùm hoc ita sit, simili mo„do absentia magnitudinis ipsorum E.I.N., „atque præsentia parvitatis eorum sunt „principium ipsius R., quod non est E.I. „N, quamvis ipsum sit ex E. I. N. existen„tibus inter perfectionem & imperfectio„nem in ipso R., *quod est medium perfectionis & imperfectionis ipsorum E. I. N., per quod medium fit transmutatio ipsius E. in I. & in N., & ipsius I. in E. & in N., atque ipsius N. in E. & in I.; quæ transmutatio est finis, per quem S. suis speciebus in diversis temporibus possit uti*, Doctor Illum. in Art. Dem. Dist. 2. p. 2. de cam. R.R. n. 3. fol. 26.

A. creavit R. ipsis E.I.N., namsinè R. nun quã posset fieri transmutatio de E. in I., neque de I. in N., nec è converso; quoniam sicut sinè forma & materia non posset fieri transmutatio formarum naturalium, ita tres species ipsius S. nequirent transmutari altera in alteram absque quarta specie ipsius S., scilicet R., quod est subjectum ipsis E. I. N., ut in eo exerceant suas operationes in transmutatione & conversione facta ab altera in alteram, Doctor Illum. ibid. cam. E.R. fol. 22.

„A. creavit I.R. in actibus potentiarum „ipsius S., ut ipsum S. in suis potentiis ha„beat operationem ordinatam, *quia I. habet recursum ad R., quando ipsum I. patitur defectum in F. G. H. per maximam* (nimis magnam) *abundantiam, seu per modicam* (nimis parvam) *accipiente I. de hoc, quod R. continet ex E. N., fortificando se ipsum, vel diminuendo quantitatem ipsorum F. G. H., & hoc multiplicando R., ut habeat temperamentum & justitiam in se ipso.*

„Differentia est inter I. & R., quia I. „est simplex species ipsius S., sed R. est ipsius „S. species composita ex E. I. N.; & propter „diversitatem, quæ est in simplicitate & „compositione, sequitur, quòd I. R. quan„doque habent concordantiam, quando„que contrarietatem: *eorum autem concordantia existit in hoc, quòd per nimiam vel per minimam quantitatem ipsorum F. G. H. ipsum I. componit vel deponit ipsum R.*; „cùm autem „componit ipsum, tunc ipsum I. habet cum „eo concordantiam, & contrariatur sibi ip„si, quia diminuit semet ipsum: habet „etiam concordantiam cum eo, temperan„do se ipsum; sed contrariatur ei, quando „I. deponit R., & privat ab esse, & è con„verso.

„In quantùm I. est pars ipsius R., in „tantùm est principium suæ partis existen„tis in R.; & quoniam R. continet de E.N., „ad hoc potest esse principium ad multipli„candum seu diminuendum partem, quam „habet ex I.; *ideóque R. est medium & subjectum, in quo se revolvunt multiplicatio seu diminutio ipsorum I. E. N. in R., ut finis ipsorum E. R. inde sequatur, per quem finem I. in E. participat cum E. N.; qui finis est* NB. *transmutatio, quam oportet fieri, ab una specie in alteram ad formandum V. Y. contra V. Z.*, Doctor Illum. ibid. in cam. I. R. fol. 24.

Plura exempla habes, Fili, in mea Arte Compendiosa & Universali, quæ sunt in primo Tomo; sed ista sufficere possunt illi, qui omninò bardus non est, ut videat etiam libero oculo, quòd *A. in R. ordinaverit, S. esse creaturam in oppositione similem Figuræ Elementali*; „quoniam sicut elementa alia in alia „intrant per triangulum viridem, rubeum „& croceum, & formant elementatum, ita si„mili modo quando hi tres trianguli intrant „in potentiam memorativam, intellectivam „& volitivam, tunc formant R., in quo „R. sunt istæ cameræ [*esse, privatio*] [*perfectio & impefectio* seu *defectus*] Doctor Illum. ibid. cam. R.R. fol. 25.

Ad confirmationem supradictorum, & ostensionem omnimodæ conformitatis, quæ est inter speculum sensuale & intellectuale finem huic Secreto imponam ostendendo duos polos, per quos transit axis, super quem volvitur hæc sphæra intellectualis, & quomodo fiat motus ab uno polo ad alterum; item quæ sint *duo vasa* & *duæ portæ*, ac nigredinem primæ portæ, quam in speculo sensuali necessariam vidimus: nota, quòd hos duos polos tibi signant literæ Y. Z. in Arte Compendiosa; sed nota, quòd duas Artes Compendiosas fecerim, quarum pri-

mam hoc primo Tomo accipis,& hæc Theoriam continet, altera sequetur in aliquo Tomorum sequentium, quæ Practicam exhibet: & sicut in hac prima Arte Compendiosa dicta duo signa ad literam significant duos polos intentionales & artificiales, & per metaphoram reales & naturales, sic in secunda Arte Compendiosa eadem signa ad literam significant duos polos reales & naturales, & per metaphoram intentionales & artificiales; & hoc clarè revelavi *in fine tertiæ Partis mei antiqui Testamenti* cap. 25., quod incipit: *Fili, accipe de bono &c.*, Quæstione: *Quare igitur fecimus hanc Artem?* ubi expressè has duas Artes Compendiosas in unum colligavi cum tota integritate dicti Testamenti; in hac parte tertia dicti Testamenti Capite illius 22. incipiendo à Quæstione, quæ sic incipit: *Quare Virtutes in Deitate faciunt triangularitatem &c.?* revelavi pariter magnum Secretum de Figura A., & dicto cap. 25. de Figura T., cujus mirabilem usum per totum Testamentum practicatum invenies; sed (quod ad rem nostram pertinet) habes ibi specialiter clariùs expressos hos duos polos, scilicet E.A.V.Y., I.V.Z., & axem transeuntem per utrumque, scilicet M. A. V. Y. Z., quorum origo est ex *Figura particularis* Artis Universalis, videlicet A. Y. Z.

Nigredinem, quæ est illud medium vel axis, super quem fit circulatio intellectualis, & per quem fit transmutatio ipsius Y. in Z., & è converso, significat triangulus niger, qui est quintus in Figura T., quæ *duas Figuras* in se claudit, unam *Principiorum*, alteram *Elementorum*, ût in Arte Univ. Dist. 1. de Fig. T. dixi, per hoc insinuando, quòd ordo, dispositio & colores horum triangulorum habeant duplicem significationem, scilicet literalem & metaphoricam, quod nunc in opere ipsorum monstrabo exemplo trianguli nigri, & motu dictorum polorum.

„ Rationalis potentia affirmat aut ne„gat sive dubitat per E. I. N. R., & sensitiva „ per quinque sensus, *aut vegetativa per quatuor potentias, quæ sunt de entitate sua, scilicet appetitiva, digestiva, retentiva & expulsiva:* „ veruntamen in sensitiva & vegeta„tiva potentia metaphoricè intelligitur, „ quod dandum est de triangulo nigro; id„circo secundùm quòd triangulus niger exi„stit in tribus potentiis per triangulum viri„dem, croceum & rubeum, existit Z. in „objectis, quæ tres potentiæ accipiunt; & „hoc idem sequitur de Y., Doctor Illum. ibid. in cam. X. Z. fol. 40.

Adhuc clariùs. „ In R. existit vehemen„tiùs camera ipsorum Y. Z. per triangulum „ rubeum, quàm in E. I. N., ideóque Y. Z. „transeunt per multa media, priusquàm sim„pliciter sint in E. I. N.; nam in O. est absentia „ ipsorum B. F. per præsentiam ipsius K.; & „ propter hoc absentia ipsorum B. F., & præ„sentia ipsius K. sunt principia, quomodo „ E. habeat Y. in privatione, & Z. in actu; „ & ideo Z. est principium privationis ipsius „ Y. in E. I. N.: hoc idem etiam sequitur de „ P. Q. in E. & in I. N.: unde à contrario „ sensu denotatur, quòd Y. est principium „ absentiæ ipsius Z., *medium verò est in subjecto, quod est R., in quo fit transmutatio, quæ fit ex Y. in Z., & ex Z. in Y. per E. I. N., sicut fit ex elementis per individua specierum*; „ sed „ in hoc est finis, quòd Y. destruat Z. per E. „ I. N., Doctor Illum. ibid. in cam. Y. Z. fol. 41.; quam destructionem facilè perficies, si cum Y. jungas V. lividum, & V. rubeum cum Z.

Cùm igitur Z. sit principium privationis ipsius Y., Y. convenit cum esse, ût Z. cum privatione; & quia *vita* convenit cum esse, & *mors* cum privatione, manifestum est, quòd Y. convenit cum vita, & Z. cum morte; & per hoc manifestantur tibi *duæ Portæ*, quæ sunt in R., quarum *prima* est in actu, & *secunda* in potentia; „ per hanc enim „ figuram (R.) E. I. N. ingrediuntur confu„sionem, miscentur & dissolvuntur eorum „ operationes &c., cum hac figura mortifica„ri & suffocari potest quædam species ipsius „ S., & altera vivificari, ipsum R. ex omni„bus speciebus componendo; & ideo S. mul„toties recreatur in confusione suarum po„tentiarum: *quia velut sensualiter primordialis materia existit potentia distinctioni elementorum & operationibus eorundem, sic R. intellectualiter existit materia ipsorum E. I. N.*, Doctor Illum. in Arte Univ. Dist. 1. de 5. fig. S. fol. 4.: en, quanta sit concordantia utriusque Systematis.

Sed ne tibi suboriatur error & suspicio, ac„si S. in hac nigredine & confusione intereat, ût corpus elementare in sua nigredine, no„ta, quòd quidem „ in R. magis confusus est „ triangulus niger, quàm in E. I. N., hoc „ enim est propter mixtionem, quam E. I. „ N. habent in R.; ideóque apparet, E. I. „ N. non esse de entitate ipsorum B. C. D., „ F. G. H., K. L. M., quia S. esset corrupti„bile

„bile in R., & esset ita mortale, sicut corpus, „ quod de entitate elementorum est mix„tum, digestum & compositum; sed quo„niam S. non commiscet suas potentias, „ sed solos actus earum, quæ de entitate sua „ non sunt, nec de entitate potentiarum ejus, „ idcirco ipsum S. non est corruptibile, li„cèt E. I. N. sint corruptibilia in triangulo „ nigro, Doctor Illum. ibid. in cam. R. R.: & hic finis esto de Secreto Figurarum.

Disc. Gratias tibi immensas ago, Beate Magister, pro Revelatione tantorum Secretorum, quæ, licèt secreta sint, non tamen à te adeò secretata, ut Discipuli tui ea omninò videre nequeant, vel *habeant fingere, se videre id, quod nusquam est*, ût nobis falsò affingitur à nostris Adversariis; quæ si ipsi, datâ tantâ luce, adhuc non percipiant, nullo collyrio sanari se patientur; non enim ex Libris dubiis, sed genuinis tuis Operibus omnia supradicta depromsisti, paucis pro confirmatione tantùm additis.

De Tertio Secreto scilicet Tabularum.

HOc tertium & ultimum Secretum est quoddam Systema universale generalissimum occultans in se septem Systemata particularia subalterna & specialia à quatuor præcedentibus Arboribus & quinque Figuris tanto artificio abstractum, ut ex ipso individuorum particularium numerus possit elici sinè ullo numero & fine terminationis, & est velut Organum musicum, cujus septem Registra. *Capite sequenti* per ordinem exponentur, hac tamen arte fabricatum, ut non solùm materiam & formam universalem, sed materias & formas particulares omnium harmoniarum naturalium & rationalium possibilium ex se subministret. Constat autem hoc Systema *quatuor Tabulis* universalibus, quarum prima ex prima Arbore, secunda ex secunda, tertia ex tertia, & quarta ex quarta est extracta. In his porrò Tabulis universalibus implicitè continentur omnes Tabulæ particulares in omnibus meis aliis Libris descriptæ, sicut in Arboribus universalibus omnes Arbores particulares, & in Figuris Figuræ, quarum ordinem, subalternationem, descensum & colligationem nemo perfectè assequetur, nisi Secreta Magni *Libri Contemplationum ex Scientia naturali & Theologiæ compositi* penetrarit, Doctor Illum. dicto Lib. cap. 230. Quibus verò animus deficit, aut desunt vires aut media ad prædicta Secreta investiganda, non despondeant, sed contenti contemplatione veritatis rerum abditarum præstantissimarumque addiscant usum sequentium quatuor Tabularum, quem in *primo hoc Tomo* ejusque duobus primis Tractatibus, scilicet *Arte Compendiosa & Universali* sinè involucro fideliter detectum invenient; huic enim viæ insistentes incedent hilares & securi per semitas infallibilium demonstrationum, ac vobiscum eundem finem ultimum consequentur (mediante tamen gratiâ DEI) scilicet cognitionem & fruitionem supremi Veri & Boni.

De Secreto primæ Tabulæ.

HÆc prima Tabula est composita ex forma & materia universali actualiter in illa existentibus, in quibus potentialiter omnes formæ & materiæ particulares comprehenduntur, & ex quibus mediante arte & naturâ extrahuntur, applicando Tabulas sequentes ad ipsam, & informando illarum cameras per cameras hujus secundùm modum & artem, quæ tradentur *sequenti Capite* in Grammatica, Logica & aliis Instrumentis.

Sequitur nunc ipsa Tabula.

Tabula I.

l d g i	l e g i	l f g i	
l d g k	l e g k	l f g k	
l d h i	l e h i	l f h i	
l d h k	l e h k	l f h k	
m d g i	m e g i	m f g i	b
m d g k	m e g k	m f g k	
m d h i	m e h i	m f h i	
m d h k	m e h k	m f h k	
n d g i	n e g i	n f g i	
n d g k	n e g k	n f g k	
n d h i	n e h i	n f h i	
n d h k	n e h k	n f h k	c
o d g i	o e g i	o f g i	
o d g k	o e g k	o f g k	
o d h i	o e h i	o f h i	
o d h k	o e h k	o f h k	

Significationes literarum quære in prima Arbore.

In hac prima Tabula repræsentatur motus primorum universalissimorum & generalissimorum Principiorum in se ipsa ascendendo, descendendo & circulando in pri-

ma Scala & prima Rota, ejus practicam uberiorem dedi per *tria Capita* in Volumine tertio Libro 4. Contemp. ſcilicet Capite 227. 228. 229.

De Secreto ſecundæ Tabulæ.

HÆc ſecunda Tabula eſt compoſita ex formis & materiis particularibus ac ſpecificis regulatis & directis per formam & materiam univerſalem primæ Tabulæ; nam mediante illâ & hâc formæ particulares, quæ ſunt in potentia, deducuntur in actum: ejus typus eſt ſequens.

Tabula II.

m d h	n d h	o d h	p d h	q d h
m d i	n d i	o d i	p d i	q d i
m d k	n d k	o d k	p d k	q d k
m d l	n d l	o d l	p d l	q d l
m e h	n e h	o e h	p e h	q e h
m e i	n e i	o e i	p e i	q e i
m e k	n e k	o e k	p e k	q e k
m e l	n e l	o e l	p e l	q e l
m f h	n f h	o f h	p f h	q f h
m f i	n f i	o f i	p f i	q f i
m f k	n f k	o f k	p f k	q f k
m f l	n f l	o f l	p f l	q f l
m g h	n g h	o g h	p g h	q g h
m g i	n g i	o g i	p g i	q g i
m g k	n g k	o g k	p g k	q g k
m g l	n g l	o g l	p g l	q g l

Significationes literarum quære in ſecunda Arbore.

In hac ſecunda Tabula figuratur motus ſecundorum Principiorum ſubalternorum informatorum per prima aſcendendo, deſcendendo & circulando in ſecunda Scala & ſecunda Rota, cujus practicam clariorem exhibent *quatuor Capita*, incipiendo à Capite 230. Voluminis tertii Libri quarti Contemp.

De Secreto tertiæ Tabulæ.

HÆc tertia & ultima Tabula eſt conſtituta ex formis & materiis individualibus, quæ deſcendunt, informantur & individuantur à duabus formis & materiis antecedentibus, ſcilicet generali & ſpecifica: unde, ſicut in prima eſt principium, in ſecunda medium, ſic in hac tertia eſt finis & complementum operis: ejus figura eſt iſta.

Tabula III.

d h m	e h m	f h m	g h m	
d h n	e h n	f h n	g h n	
d h o	e h o	f h o	g h o	
d h p	e h p	f h p	g h p	
d i m	e i m	f i m	g i m	
d i n	e i n	f i n	g i n	b
d i o	e i o	f i o	g i o	b
d i p	e i p	f i p	g i p	b
d i q	e i q	f i q	g i q	b
d k m	e k m	f k m	g k m	c
d k n	e k n	f k n	g k n	c
d k o	e k o	f k o	g k o	c
d k p	e k p	f k p	g k p	c
d l m	e l m	f l m	g l m	
d l n	e l n	f l n	g l n	
d l o	e l o	f l o	g l o	
d l p	e l p	f l p	g l p	

Significationes literarum quære in tertia Arbore.

In hac tertia Tabula demonſtratur motus tertiorum & ultimorum Principiorum informatorum à primis & ſecundis & in individuo poſitorum aſcendendo, deſcendendo & circulando in tertia Scala & tertia Rota, de quibus in Secreto Grammaticæ & Logicæ audies, cujus practicam amplam tibi dabunt Caput 234. & ſequentia tria in Vol. 3. Lib. 4. Contempl.

Diſc. Quare, Pater, hæ duæ ultimæ Tabulæ habent cameras tribus tantùm literis conſtantes? Mag. quia ad complendum numerum perfectum quaternarii unam loco formæ mutuant à prima Tabula.

De Secreto quartæ Tabulæ.

HÆc quarta Tabula deputatur Potentiæ ſeu Agenti, in illa revelatur Ars & Modus, per quem aperitur veritas vel falſitas in omni re. Significationes & diſpoſitio literarum, quæ ſunt in Tabula, non ſunt penitus eædem, quæ ſunt in quarta Arbore, ſed ſicut ſequens Tabella indicat.

A	eſt Veritas.
B	apertura, h. e. inventio veritatis.
C	clauſura, h. e. occultatio veritatis.
D	eſt Falſitas.
E	apertura, h. e. inventio falſitatis.
F	clauſura, h. e. occultatio falſitatis.
G	eſt Fides & Credentia.
H	eſt Ratio neceſſaria.
I	eſt Fervor & Timor.

De

De iſtis novem Figuris ſimplicibus convenit componere unam Figuram diviſam in octo Figuras, & convenit imponere figuram ſeu literam cuilibet octo Figurarum, ut ſit ſignum, per quod cognoſcatur quælibet Figura ſeu Camera Tabulæ, prout ſequitur

Tabula IV.

K.	L.	M.	N.
B A G		C A G	
B A H	B A G I	C A H	C A G H I.
B A I	B A H I	C A I	
O.	P.	Q.	R.
E D G		F D G	
E D H	E D G I	F D H	F D G H I.
E D I	E D H I	F D I	

Fili, modica eſt hæc Tabella, quam volâ manûs poſſes abſcondere, ſed abſcondit in ſinu ſuo omnes Tabulas & Figuras meæ Artis, præcipuè verò omnes illas, quæ toto Libro Contemplationis clauduntur; *nam ſicut potentia rationalis continet ſub ſe quatuor potentias, ſic hæc ultima Tabula & Figura Libri Contemplationis continet ſub ſe omnes alias Figuras antecedentes, in qua Figura omnes aliæ poſſunt recipi & recipere formam*, Doctor Illum. cap. 364. dicti Libri: Fili perlege dictum Caput, & ſedulò rumina, ne te effugiat ſapor fructûs illius; poſtea examina fructum Tabularum, Figurarum, Circulorum, Arborum &c. aliorum Authorum Artem magnam ſciendi docentium, & conſule judicium tui guſtûs. Diſc. feci, Pater, maſticavi diu multumque, hunc & illum, uno verbo, utrumque. Mag. quomodo ſapit? Diſc. de guſtibus non eſſe diſputandum, ajunt.

Mag. Abſoluto Secreto Tabularum tempus eſt adimplere promiſſa, quocirca erigam hìc in fine hujus Capitis duas Columnas herculeas ſelectas ex novem, ut, ſi cui forſan rigidi ſunt pili, vires ſuas metiatur ad illas. Diſc. quare, Pater, vocas eas herculeas? Mag. quia tantum eſt in illis Naturæ & Artis Magiiterium, ut non plus ultra; *nam nemo Anteceſſorum potuit, nemo Poſterorum poterit Artem demonſtrandi & operandi, quæ in his columnis ſunt ſimul unitæ, altiùs efferre, vel magis perficere.* Diſc. omnia Arcana Sapientum Taneos & omnes characteres barbaros in obeliſcis Mempheos faciliùs denodari poſſe credo, quàm Secreta camerarum his columnis inſcriptarum: tu igitur, Pater, quid ſibi velint, nobis indica.

Duæ Columnæ Herculis.

	P.	A	A	A.		P.	A	A	A.
	c	a	c	d		i	a	c	d
	d	b	d	e		k	a	c	e
	e	c	e	f		l	a	c	f
	f	d	f	g		m	a	c	g
	g	e	g	h		n	a	c	h
	h	f	h	i		o	a	c	i
	i	g	i	k		p	a	c	k
	k	h	k	l		q	a	c	l
	l	i	l	m		r	a	c	m
	m	k	m	n		b	a	c	n
	n	l	n	o		c	a	c	o
	o	m	o	p		d	a	c	p
	p	n	p	q		e	a	c	q
	q	o	q	a		f	a	c	a
	r	p	a	b		g	a	c	b
B	b	q	b	c	H	h	a	c	c

Mag. Duæ Columnæ ultimæ ex novem, quas per figuram ſeptem Rotarum conſtruxi, ſunt compoſitæ ex *Principiis Philoſophiæ & Principiis Chaos*; nam prima linea verticalis in utraque columna, cui litera P. ſuperpoſita eſt, ſignificat ſedecim principia mei libri Principiorum Philoſophiæ; reliquæ verò tres ſuccedentes literâ A. ſignatæ ſunt ſedecim Principia Arboris ſeu Chaos: integra columna comprehendit integrum opus, ſingulæ autem ſedecim cameræ ſunt totidem demonſtrationes infallibiles & totidem operationes particulares unâ ſerie mediorum tendentes in productionem & perfectionem alicujus magni finis, ſcilicet individui, quod non nominavi, & vos ſcire convenit, ſi meam Artem noſcitis.

Jam conſidera, Fili, quis unquam auſus eſt (quantumcunque glorientur ſuis inventis) ſe alligare ordini literarum alphabetalium, & verè ac realiter contexere ſeriem continuam demonſtrationum ac operatio-

rationum, per quas intellectus & sensus confluentes simul in investigationem alicujus particularis quæsiti illud scirent invenire, & opere practico perficere? hoc verissimè & exquisitissimè præstant hæ duæ columnæ; nam quælibet dat suum individuum, & hoc ipsum dant reliquæ septem hìc omissæ: quod si placet, & Artem noris, similia tu quoque sinè numero produces; quæ si poteris habere, poteris ridere, nec tamen felix eris, nisi possis simul tacere: interim hi fruere à me tibi præparatis, quibus acquisitis non magna te premet aviditas inquirendi plura. Disc. certè, Pater, si Inimici hujus gloriosæ & inclytæ Artis possent agnoscere tantum DEI Donum, erubescerent de suis calumniis, exsangues licèt essent ût limaces.

CAPUT III.

De Secreto septem Instrumentorum generalium Artis Magnæ, quæ conficiunt unum Instrumentum universale sciendi.

Septem Regiſtra Organi Rationalis.

	Trivium.			*Quadrivium.*			
	1.	2.	3.	4.	5.	6.	7.
I.	Gramatica	Logica	Rhetorica	Arithmetica	Musica	Geometria	Astronomia
II.	Fides	Spes	Charitas	Justitia	Prudentia	Fortitudo	Temperantia
III.	Intellectus	Scientia	Sapientia	Consilium	Fortitudo	Pietas	Timor.

MAg. Arduũ iter ingredimur, Fili, à pauciſſimis tritum, accinge te igitur, nam *Trivium* & *Quadrivium* antiquorum Sapientum pertransire nos convenit, non festino, sed lento pede: unde cùm *Philosophus tractet de Trivio & Quadrivio, & suum subjectum sit intelligere*, Doctor Illum. in Lib. de Ven. Sub. & Accid. Dist. 8. de 9. Sub. de Phil., nec sit possibile naturaliter pervenire ad hunc finem, scilicet intelligere, nisi transeundo dicta media Trivii & Quadrivii, convenit, nos agere de illis; his enim perpetuò utitur mea Ars Generalis tanquam necessariis instrumentis, ascendendo ab infimo gradu Philosophiæ usque ad supremum gradum Theologiæ (*cùm vera Philosophia sit ancilla veræ Theologiæ*, Doctor Illum. in Præf. Lib. de Efficiente & Effectu) per medium gradum, quem cernis in suprapositа Tabula, in qua *primus gradus* est naturalis, *tertius* supernaturalis, *secundus* medius inter utrumque.

„ Dividitur autem Philosophia in *tres* „ *partes*: *prima* pars est de Trivio, in quo „ agitur de Sermone: *secunda* autem de Qua„ drivio, in quo agitur de Ente mathema„ tico: in *tertia* parte agitur de Ente na„ turali: *Trivium* autem constituunt *tres Sci*„ *entiæ* de Sermone, scilicet *Grammatica*, „ *Dialectica* & *Rhetorica*: *Quadrivium* verò „ constituunt *quatuor Scientiæ*, scilicet *Arithmetica*, *Musica*, *Geometria* & *Astronomia*, Doctor Illum. in Lect. Tab. Gen. p. 6. de Applic. Artis ad Phil.

Disc. Jam didici, Pater, has septem Artes liberales in juventute, hinc non est opus, me de novo hunc laborem reiterare. Mag. ô Fili, jam devias in introitu viæ; toto namque cœlo differunt Artes hæ septem, quas tibi nunc revelabo, ab Artibus, quas tu quondam didicisti; nam illæ non sunt nisi minima & infima pars harum, & sunt veluti habitus externi & accidentales, quibus harum substantiæ ab antiquis Sapientibus tegebantur. Disc. Expone nobis, obsecro, hanc differentiam. Mag. ex definitionibus ipsarum illam intelliges; nam

Grammatica	est Ars & Scientia	significandi
Logica		demonstrandi
Rhetorica		persuadendi
Arithmetica		numerandi
Musica		concordandi
Geometria		mensurandi
Astronomia		movendi:

Et hæ sunt septem definitiones generales illarum convenientes in hac universalissima, quòd omnes sint *Ars* & *Scientia*; hinc patet illarum genus & differentia. Ulteriùs autem

autem scire debes, quòd quælibet iterum subdividitur in *decem* Individua simplicia, quæ sunt hæc: *Universalis*, *Particularis*, *Naturalis*, *Artificialis*, *Realis*, *Intentionalis*, *Substantialis*, *Accidentalis*, *Intellectualis*, *Sensualis*; ex quibus fiunt *octo* composita: in universum igitur sunt septuaginta simplices, & quinquaginta sex compositæ.

Disc. Quis, quæso Pater, harum omnium nomina, ne dicam ipsas Artes & Scientias suæ memoriæ imprimet? Mag. Fili, monstrabo tibi modum, quo non solùm septuaginta, sed si velis, septuaginta millia facillimè memoriæ tuæ commendabis, & quidem absque ullo periculo oblivionis, nec defatigationis tuæ memoriæ: & quid si assererem, id tempore unius horæ fieri posse, nonnè altùm riderent, qui nil putant possibile, quod ipsi ignorant? veritatem autem dico tibi, Fili, non mentior; nam naturalis ordo, super quem fundata est mea Ars memorandi, hæc & adhuc longè majora potest, quæ nefas esset omnibus, præsertim irrisoribus arcanorum, patefacere: vobis enim datum est nosse mysterium, cæteris autem in parabolis.

Disc. Habentnè hæ septem Artes illum ordinem inter se, quem in Tabula posuisti? Mag. habent; nam Ars significandi est prior Arte demonstrandi; & Ars demonstrandi prior Arte persuadendi, & sic de cæteris; & sic ponuntur in scala majoritatis & minoritatis, in quantum demonstrare est plùs, quàm significare, & persuadere plùs, quàm demonstrare; quia quantò plures significationes conveniunt in unam significationem, tantò magìs naturaliter demonstrant; & quantò plures demonstrationes conveniunt in unam demonstrationem, tantò magìs naturaliter persuadent.

Disc. Quare dicis *naturaliter*? Mag. ideo, quia naturale est potentiæ, moveri à suo naturali objecto; & si potentia huic motui resistit (quod fieri potest, & multoties fit in potentia libera) tunc potentia agit contra naturam: v. g. sicut intellectus, qui non vult intelligere verum, & voluntas, quæ non vult amare bonum: in quantum autem hæ septem Scientiæ ponuntur in Rota, sic non habent ordinem, quia omnes inter se sunt æquales, & in concreto sunt ipsa mea Ars Generalis, in abstracto autem sunt partes illius. Jam inspiciamus singulas, & primò agamus

De Secreto Grammaticæ.

De Significatione.

MAg. Secundùm ordinem naturalem Trivii hoc est primum Instrumentum sciendi valde secretatum à me & antiquis Sapientibus sub pallio Grammaticæ vulgaris: unde quando Commentatores & Interpretes mei in Libris meis & illorum legerunt nomen Grammaticæ, non potuerunt in sua imaginatione & intellectu sibi præfigurare aliam formam Grammaticæ, nisi illud phantasma notum Grammaticæ artificialis & particularis; sed si modicum gustassent de fructibus tertiæ Arboris suprà datæ Voluminis tertii Libri quarti Contemplationis, & ipsius Libri, præsertim quinti, folia Perspiciliis meis introspexissent, vidissent illa plena characteribus hactenus invisis Grammaticæ universalis, particularis, naturalis, artificialis, intellectualis, sensualis, realis, intentionalis, ût folia meæ Lentisci characteribus arabicis, persicis, turcicis &c. De his omnibus hoc loco agere, earumque Secreta in lucem proferre, non patitur Capitis hujus arcta planities, in qua expandere libet duas, quæ sufficiunt ad dandam uberem significationem reliquarum suprà memoratarum: hæ sunto Grammatica Naturalis, Universalis & Particularis, & Grammatica Artificialis, Universalis & Particularis; à quarum prima sumemus exordium, tractando

De Significatione Naturali, Universali & Particulari.

CUm *Significatio sit ens, per quod Secretum revelatur, eò quòd significatio attingit ea, quæ in subjectum intrant, & ex subjecto exeunt*, Doctor Illum. in Log. nova Dist. 4. de 100. formis, & Grammatica Naturalis, Universalis & Particularis (contrahendo definitiones simplices in unam compositam) nihil aliud sit, quàm Ars & Scientia naturalis, universalis & particularis significandi naturaliter, universaliter & particulariter, ex definitione ipsa statim eruitur, hanc Grammaticam circuitu suo ambire totam Naturam creatam & increatam, earumque singulas particulares rationes ab intellectu creato objectabiles, quatenus quælibet illi se offert sub ratione repræsentationis vel significationis naturalis cujuslibet alterius: dicitur *Naturam creatam & increatam*, ut intelligas, quòd Natura increata significet

creatam, & creata repræsentet ac significet increatam: dicitur *repræsentationis vel significationis naturalis*, ut noscas, has significationes non esse ab homine ad placitum inventas, ût in Gramatica artificiali & particulari, sed naturaliter ipsis significatis suis inditas: dicitur *quælibet cujuslibet alterius*, ut scias, quamlibet habere naturalem connexionem cum altera, vel immediatam, vel mediatam, secundùm quòd insinuat *tertia* & *quarta species Figuræ X. in Arte Universali*, & *tertia Arbor Libri Contemplationis* superiùs posita. Fili, hoc mirabili Instrumento perpetuò usi sunt Sancti Patres in suis Voluminibus, ût singulis ferè momentis animadvertes percurrendo Libros SS. Gregorii, Ambrosii, Augustini, Hieronymi, imò ipsæ sacræ Paginæ dictamine Sancti Spiritûs formatæ plenæ sunt Arte & Scientiâ significandi.

Disc. Verum est, Pater, veruntamen quando pervolvi illorum libros, & incidi in similes significationes, non, vel parum afficiebar hujusmodi significationibus, quia putabam illas potiùs congruitates & pias meditationes SS. Patrum, quàm veras, necessarias & legitimas illationes; & sic æstimo, illas à potiori parte etiam Doctorum judicari. Mag. Fili, opinio tua significat defectum scientiæ, sicut scientia significat defectum opinionis; qui enim opinatur, non certò scit: unde in sequenti *Secreto meæ Logicæ*, quæ est Scientia & Ars demonstrandi, plenariè solvetur hoc dubium: cùm enim Ars significandi & Ars demonstrandi non sint nisi una & eadem Ars, quamvis secundùm ordinem naturæ Ars significandi sub sua ratione formali sit prior, & Ars demonstrandi sub sua posterior, necessarium est, ut, quantum una significat, tantum altera demonstret: & hoc idem verificatur de Arte demonstrandi & Arte persuadendi; quia quantum una demonstrat, tantum altera vi sui ipsius persuadet; sed ut fundamentum dictorum tibi reseram, attende ad sequentia.

Fideliter credimus, & ratione demonstramus, quòd DEUS sit, & quòd sit unus in Essentia, & trinus in Personis, & quòd sit infinitus & immensus in omnibus suis Dignitatibus & Perfectionibus, & quòd ipsius bonitas, magnitudo, duratio, potestas &c. realiter sint in illo, & sint ille, & quælibet illarum sit altera, & unum & idem cum altera, & omnes sint una eadem Essentia, & hoc idem dicimus de actibus earum: hoc fundamento stabilito manifestè ex illo inferuntur sequentia axiomata.

1. Quòd omnes Dignitates DEI sint inter se æquales tam in essendo, quàm in operando, tam ad intra, quàm ad extra; & patet ex Conditione 9. Fig. T. triang. liv. de *DEO* Lib. Prop. Art. Dem., quæ dicit: *Quidquid est de Essentia DEI, est immensum & æternum.*

2. Quòd quælibet habeat suam propriam & realem significationem simplicem, ût bonitas significationem bonitatis, magnitudo significationem magnitudinis &c.

3. Quòd quælibet, vi connexionis necessariæ cum altera, realiter & naturaliter significet alteram, ût bonitas magnitudinem, duratio potestatem, virtus gloriam &c.; quia bonitas sinè magnitudine esset malitia, & duratio sinè potestate esset privatio durationis, & virtus sinè gloria esset vitium &c.

4. Quòd quælibet, vi ejusdem dictæ connexionis necessariæ, necessariò significet sub ratione significati intentionaliter compositi ex significatis realibus simplicibus, ût bonitas magna, voluntas libera, potestas infinita &c. significant bonitatem informatam formâ magnitudinis, voluntatem formâ libertatis, potestatem formâ infinitatis &c.

5. Quòd, quia quælibet Dignitas concordat cum altera Dignitate, & nulla est alteri contraria, etiam quælibet significatio Dignitatis concordet cum altera significatione, & nulla alteri contrarietur, ût libertas & necessitas, voluntas libera, potestas libera, justitia & misericordia, sapientia & justitia &c.

6. Quòd nulla Dignitas seu perfectio sit in creatura, quæ non sit imago seu similitudo alicujus Dignitatis seu perfectionis, quæ est in DEO; hoc axioma infertur ex primo, & ex conditione 3. trian. liv. de *Creatura* Lib. Prop. Art. Dem., quæ sic sonat: *omnis Creatura est speculum DEI, in quo sunt similitudines & dissimilitudines DEI.*

7. Quòd omnes Dignitates, quæ sunt principia creaturarum, necessariò sint inter se æquales; hoc axioma necessariò etiam infertur ex primo.

8. Quòd axiomata tertium, quartum & quintum etiam secundùm proportionem verificentur de dignitatibus seu perfectionibus creaturarum vi connexionis & proportionis.

9. Quòd nulla Dignitas sit in una creatura, quæ non etiam inveniatur in altera aut formaliter, aut secundùm similitudinem, analogiam vel proportionem: v. g. in lapidibus non est intellectus & voluntas, sed loco illorum est naturalis instinctus & appetitus: hoc axioma pariter elicitur ex primo.

10. Quòd, sicut creaturæ, incipiendo à nihilo suæ productionis, sunt ordinatæ à DEO in scala majoritatis, minoritatis & æqualitatis usque ad finem supremæ æqualitatis, sic etiam dignitates & perfectiones creaturarum, & per consequens significationes illarum.

11. Quòd, sicut in DEO omnes Dignitates sunt in infinita concordantia sinè ulla contrarietate, propter infinitatem perfectionis, sic omnes dignitates creaturarum sint inter se concordantes, & quælibet earum habeat suum accidens contrarium propter finitatem suæ perfectionis; & hoc necessariò, ût *Esse Privationem*, *Perfectio Defectum*, *Scientia Ignorantiam &c.*

12. Quòd quælibet dignitas creaturæ naturaliter & necessariò significet quamlibet aliam dignitatem creaturæ, & è converso, & quamlibet Dignitatem DEI, & è converso, vel per concordantiam, vel per contrarietatem; & hoc axioma manifestè infertur ex præcedentibus, præsertim ex 1. 9. & 11.

Fili, hi pauci Canones sufficiunt ad te introducendum in abyssum scientiæ per abyssum significationum. Disc. quomodo verificatur hic ultimus Canon, Pater, cùm tu in tertia tua Arbore Qualitatum & Significatorum, quam suprà nobis revelasti, posueris qualitates significantes se mutuò & non mutuò? Mag. Figura X. solvet tibi hoc dubium per tertiam & quartam speciem; sed ut omnem scrupulum tibi eximam circa infallibilitatem hujus Canonis, adi inter cæteros meos libros *Librum mirandarum Demonstrationum*, nam ejus practica est experimentum te certificans, quòd quælibet veritas sit significabilis, & per consequens demonstrabilis, per quamlibet: quomodo enim ego in dicto tertio Libro per quemcunque terminum assumptum, v. g. *Abstracti & Concreti* cap. 33., *Vitæ & Mortis* cap. 25., *Generationis & Corruptionis* cap. 19., *Humilitatis & Superbiæ* cap. 24. potuissem demonstrare Trinitatem in DEO, nisi fundamento hujus Canonis duodecimi? & quomodo in dicto Libro quarto per terminum *Fidei* cap. 13., *Sacrificii Altaris* cap. 20., *quatuor Causarum* cap. 21. 22. 23. 24., *Appetitûs naturalis* cap. 38., *Prædestinationis & liberi Arbitrii* cap. 39., & sic per quemcunque terminum assumptum potuissem demonstrare Incarnationem, nisi directione hujus Canonis?

Disc. O mirabile arcanum etiam Doctissimis non solùm hactenus absconditum, sed pro impossibili habitum! restat, Pater, ut, antequam nobis manifestes methodum hujus Artis significandi, ostendas nobis introitum in Artem, scilicet ubi incipiendum, an in Dignitatibus DEI? an in Dignitatibus creaturarum? Mag. Fili, cùm vos sitis inferiùs, & Dignitates DEI superiùs, non potestis descendere, nisi priùs ascendatis, ût jam in præcedentibus ostendi: unde ordo naturalis exigit incipere ab infimo gradu scalæ rerum sensualium, abstrahendo ab illis significata sensualia, & paulatim ascendere de sensuali ad sensuale, de sensuali ad intellectuale, de intellectuali ad intellectuale, & de intellectuali finito ad intellectuale infinitum; sicut vos instruit practica *meæ primæ Regulæ Compendii Artis Demonstrativæ*, quæ continetur Tomo 3., & sicut in supracitato *Libro Mirandarum Demonstrationum primo*, qui habetur Tomo 2., *quarta Conditio in Prologo* vos docet.

Fili, DEUS formavit nobis librum compositum ex verbis sensualibus & intellectualibus, in quo continetur tota dicta scala, in quo pauci sciunt perfectè legere; & si ignoras dictum librum, ego tibi monstrabo illum; nam *quid est mundus? est liber scientibus legere, in quo cognoscitur DEUS*, Doctor Illum. in Lib. de Amico & Amato n. 310. Disc. cùm sint tam multa verba in hoc maximo libro, quis omnia & singula poterit legere, ne dicam, unum cum altero comparare? Mag. quia DEUS est unus, & creaturæ sunt multæ, & in DEO continetur totum & plus sinè omni comparatione, quàm in omnibus creaturis, ideo omnis multitudo est reducibilis ad unitatem: unde ut DEUS significaret modum reducendi totam hanc multitudinem ad unitatem, voluit scribere in hoc vasto volumine unum Verbum, & quidem abbreviatum in summo compendio, in quo fundaretur *Ars Compendiosa inveniendi Veritatem*, quod esset adeò universale, altum, sublime, necessarium, ut in illo omnia verba particularia necessariò comprehenderentur, & per consequens significarentur.

Disc. Et quale, obsecro, illud Verbum? Mag. Verbum incarnatum, quod tibi repræsentat in speculo & ænigmate Icon titulo hujus Libri supposita, *in quo sunt omnes Thesauri Sapientiæ & Scientiæ absconditi*, ad Collos. cap. 2. v. 3. Disc. at quânam Arte in hoc uno Verbo universali possunt inveniri omnia verba particularia & omnes significationes verborum particularium? Mag. jam dixi, Fili, *Arte Compendiosa inveniendi Veritatem* ejusque Figuris A. & T.; nam A. est Figura Qualitatum essentialium, & T. est Figura Significationum Qualitatum, seu Dignitatum & Principiorum, & triangulus lividus seu cæruleus, qui est primus in figura, significat dictum Verbum compendiosum, mediante quo inter DEUM & totam creaturam est unum continuum, ût significavi in *Regula prima Commenti super Artem Demonstrativam:* & huic triangulo serviunt reliqui quatuor trianguli figuræ, & quatuor Arbores *Voluminis tertii Libri quarti Contemplationis*, præsertim *Arbor tertia Qualitatum & Significatorum.*

Disc. Hæc tua dicta nos potiùs remittunt ad ipsam Artem & Arbores ac Figuras Artis, quàm quòd revelent aliquod Secretum ipsius: unde cuperem scire methodum facilem eliciendi significationes particulares ex hoc Verbo universali. Mag. sicut tota natura creata, & per consequens singulæ ejus partes, & tota natura increata fuerunt unitæ in hoc unum Verbum potestate divinâ, tanquam in unum finem (sic loquendo) sic ordine inverso ex hoc fine tanquam uno & supremo principio significandi panditur via recta ascendendi, descendendi & tendendi in circulum ad omnia & per omnia significata DEI & creaturarum; sed quia intellectus humanus solis viribus naturæ non posset sufficere ad faciendum ascensum ad res supernaturales, ideo DEUS ipsi tribuit instrumentum quartæ Arboris. Disc. capio ordinem, sed nondum capio modum hujus processûs. Mag. in *Secreto Musicæ* illum magis demonstrativè exponam; hic verò

Nota, quæ sequuntur: Fili, tu nosti, quòd, quoniam supradictum Verbum incarnatum est supra naturam, & non omnes homines sunt habituati de dicto instrumento supernaturali, quo mediante possent attingere Verbum, non omnes capiunt verbum hoc: unde, ut DEUS omnes homines alliceret ad comparandum sibi dictum instrumentum, in Verbo hoc, in quo produxit omnia, produxit adhuc aliud verbum uno gradu inferius, scilicet naturam creatam, ut esset medium naturaliter attingibile ab intellectu creato humano, per quod medium repræsentans & significans superius medium paulatim reciperet lumen in illo refractum ad insequenda vestigia altioris luminis de gradu in gradum, secundùm quòd Scriptura dicit: *in lumine tuo videbimus lumen*, donec perveniat, si sequatur lumen gratiæ, ad supremum Lumen.

Hoc igitur inferius Verbum DEUS infinitâ suâ Sapientiâ taliter condidit, ordinavit, disposuit, proportionavit, ut omnes & singulæ ipsius partes tam sensuales, quàm intellectuales, secundùm omnes suas habitudines, relationes & proportiones exactè repræsentarent & significarent dictum medium verbum, quemadmodum hoc medium verbum quoque ordinavit, disposuit & proportionavit, ut ipsum & omnes ipsius dignitates, qualitates &c. repræsentent & significent ipsum supremum Verbum; hoc verò totum à DEO factum, *ut invisibilia DEI per ea, quæ facta sunt, intellectu conspiciantur:* hanc autem veritatem in toto Libro Contemplationis per millena exempla demonstratam invenies, & ferè in omnibus meis libris, in quibus perpetuus usus Artis significandi mirandum tibi lumen accendet ad penetrandam ipsam Artem.

Sed ut tibi in hoc inferiori verbo præbeam aliquod exemplum generale significationis hujus ordinis & dispositionis, & simul ostendam modum eliciendi significationes particulares ex universali vel universalibus, pone ante oculos tuos *Clavem Naturæ & Artis* ejusque *Tabulam*, quam habes in *fine Secreti Geometriæ*, & applica ad illam Tabulam Arbores & Figuras & Tabulas, quas in præcedenti *secundo Capite* exposui, & videbis præter exactissimam symetriam trium Verborum totum ordinem emanationis (sic loquendo) omnis multitudinis significationum ex unitate unius verbi naturalis: & ne me accuses de obscuritate, accipe ex dicta Tabula quodcunque principium, vel generale, vel speciale, & pone illud in Figuram T. & A., sic enim erit locatum in *Scala & Rota* universali: hoc facto intra primum triangulum Figuræ T. ejusque ultimum angulum & cameram specialem primi anguli, in qua scribitur Unitas, Essentia, Trinitas; & postea pone assumptum terminum in primam Arborem, & sic videbis, dictum terminum per mensuram primi trianguli esse ordinatum & proportionatum in Arbore; & tunc videbis, assumptam unitatem per dualitatem esse conversam in trinitatem, inventis scilicet extremis & medio inter utrumque: sed quia in dictum medium propter extremorum inæqualem distantiam cadit *actus & potentia*, quære adhuc aliud medium inter medium & primum extremum, concordans cum utroque; & sic habebis *primum quaternarium*, qui est principium & basis inventionis infinitorum ternariorum & quaternariorum significativorum.

Disc. Quare, Pater, non præcipis quærere adhuc aliud medium inter alterum extremum & primum medium ad extrahendum *quinarium*, & inter hæc inventa adhuc alia pro senario, septenario &c.? Mag. quia inter dictum primum medium & alterum extremum non est possibile medium existens cum utroque in perfecta & immediata concordantia, sicut inter primum extremum & primum medium, ût constat ex numero & ordine primarum concordantiarum, & inferiùs suo loco demonstrabitur.

Invento igitur primo quaternario duorum extremorum & duorum mediorum relativè oppositorum sic procede ad secundum, & à secundo ad tertium, quartum, quintum, & sic in infinitum, si placet, deducendo semper unum vel duos extremorum vel mediorum, vel unius extremorum vel unius mediorum de actu in potentiam, & alterum novum de potentia in actum, sicut à me practicatum reperies in usu tertiæ Arboris per totum Librum Contemplationis, præsertim quintum. Fili, hic est verus, unicus & naturalis modus ascendendi, descendendi & circulandi de significato ad significatum, extra quem omnes alii sunt superflui & contra naturam, quam Ars debet imitari. Hunc eundem modum, scito, te observare debere in reliquis sex Instrumentis, secundùm naturam suarum sex formarum specificarum.

Hunc ipsum motum potes peragere per *ternarium* vel *binarium* principiorum, vel etiam per quinarium, senarium, septenarium &c.: sed nota, quòd primus motus est diminutus ratione defectûs unius vel duorum principiorum, & in natura est instabilis propter mutabilitatem actûs & potentiæ de compositione in simplicitatem, & de simplicitate in compositionem, ût docui in *Libro de Regionibus Sanitatis & Infirmitatis cap. de mod. grad. Med. §. si verò, & §. secundùm quòd:* secundus verò motus jam continetur æquivalenter in motu quaternarii; quia principia quaternarium excedentia in sua generalitate non sunt aliud, quàm reiterationes eorum, quæ includuntur in dicto quaternario.

Disc. Accidit mihi, quod itinerantibus in plenilunio, multa equidem video, sed adhuc sub luce ancipiti. Mag. tarditas tuæ receptionis & cupiditas sciendi faciunt, me mutare propositum differendi specialius exemplum in *Caput ultimum* agens de *Secreto Operationis*, quod eò libentiùs hic statim subdam, quia illud caput aliàs nimis excresceret: sed ante exhibitionem hujus experimenti proderit dare aliqua particularia specimina *Significationis sensualis, naturalis, universalis & particularis*; hæc enim tanquam syllabæ viam tibi parabunt ad meliorem intelligentiam sequentis verbi ex similibus syllabis constructi: igitur accipe *Clavem Naturæ & Artis*, quam in fine Secreti Geometriæ posui, ejusque Tabulam ante oculos tuos pone, ut perspicias, quomodo unum principium naturale significet aliud: porrò huic Tabulæ junge Tabulas primæ & tertiæ Arboris, nam in iis implicitè continentur omnes modi significandi, sicut in Tabula proportionalium dictæ Geometriæ omnes modi proportionandi.

„ Sensualiter sentimus, & intellectualiter „ intelligimus, quòd *calor* significat *siccitatem* „ in *igne*, quia calor non potest esse in igne „ sinè siccitate; & *frigus* significat *humidi-* „ *tatem* in *aquâ*, quia sinè humiditate nulla „ aqua posset esse frigida: unde cùm hoc ita „ sit, omnis ignis significat siccitatem ratio- „ ne sui caloris, & omnis aqua significat hu- „ miditatem ratione sui frigoris.

„ Cùm ignis sit per se ipsum calidus, & „ aqua sit per se ipsam frigida, & cùm aër „ sit per se ipsum humidus, & terra sit per se „ ipsam sicca, ideo calor & frigus signifi- „ cant, *passionem* esse in aëre & terra, & aër „ & terra significant, *actionem* esse in igne & „ aqua; per hoc intelligitur, quòd calor & „ frigus sint *qualitates activæ*, sed humiditas „ & siccitas *qualitates passivæ*: ratio & demon- „ stratio, quare significetur, quòd calor & „ frigus sint qualitates activæ, & humiditas „ & siccitas sint qualitates passivæ, est per „ hoc, quia aër est medium inter aquam & „ ignem; & hoc est ideo, quia aër recipit „ suum calorem ab igne, & aqua recipit suam

„ humiditatem ab aëre, & terra recipit ſuam „ frigiditatem ab aqua, & ignis recipit ſuam „ ſiccitatem à terra: unde cùm calor non „ ſit tam magnus in aëre, ſicut in igne, & „ hoc ideo, quia aër non habet calorem de „ ſe, & participat cum aqua, quæ eſt frigi- „ da, & cùm terra non habeat frigiditatem „ de ſe, & participet cum igne, & hinc non „ habeat tantum frigoris in ſe, quantum a- „ qua per ſe, ideo ſignificatur, quòd ignis „ & aqua habeant qualitates activas, & aër „ & terra habeant qualitates paſſivas.

„ *Qualitates eſſentiales* ſignificant acci- „ dentaliter *qualitates accidentales*, ſicut ca- „ lor ignîs, qui accidentaliter ſignificat „ calorem in aqua, quando aqua bullit ſu- „ per ignem.

„ *Calor* & *humiditas* ſignificant *compoſi- „ tionem* & *unionem* & *conſervationem*, quæ „ compoſitio, unio & conſervatio ſignifi- „ cant *vitam* in homine, & *frigus* & *ſiccitas* „ ſignificant *diſſolutionem* & *corruptionem* in „ homine; quæ corruptio & diſſolutio ſig- „ nificant *mortem* in homine, & privatio- „ nem vitæ & formæ.

„ *Generatio* elementata ſignificat *ſim- „ plicitatem* elementalem, & ſimplicitas ele- „ mentalis ſignificat *corruptionem* elementa- „ lem; & hoc ſignificatur in levitate ignîs & „ aëris, & in *ponderoſitate* aquæ & terræ; „ propter hoc enim ignis & aër habent levi- „ tatem, quia illorum natura requirit, ut „ redeant ad ſuam ſimplicitatem, quando „ ſunt in compoſitione; & aqua & terra „ propter hoc habent ponderoſitatem, quia „ illorum natura eſt deſcendere, adhoc, ut „ vadant ad ſuam ſimplicitatem: & ideo ge- „ neratio ſignificat ſimplicitatem, & ſim- „ plicitas ſignificat corruptionem generatio- „ nis elementatæ. Hæc pauca exempla ti- bi facem præferunt ad infinita alia ſimilia ex dicta Tabula extrahenda, & inſuper mon- ſtrant, quomodo principia explicita Ta- bulæ ſignificent principia implicita Figura- rum & Arborum.

Nunc addamus aliqua de *Significatione intellectuali*, *ſupernaturali*, *univerſali & par- ticulari* ex Figura A.

„ *Infinitas* DEI ſignificat *Magnitudi- „ nem* DEI, quæ eſt major & melior, „ quàm omnis alia magnitudo; quia infi- „ nitas DEI ſignificat, ſe ipſam eſſe ſinè „ quantitate, & ſinè principio & fine, & „ ſignificat in omnib us aliis magnitudini- „ bus creatis quantitatem & finem & princi- „ pium; & omnis quantitas creata ſignifi- „ cat de ſe ipſa, quòd habeat principium, „ quantitatem & terminum & finem.

„ *Sapientia* DEI ſignificat *Vitam*, *Amo- „ rem*, *Juſtitiam*, *Miſericordiam* & *Humilita- „ tem*, quia nulla iſtarum qualitatum eſſen- „ tialium ſubſtantialium poſſet eſſe in DEO „ ſinè ſapientia, nec ſapientia ſinè illis; nam „ ſicut forma non poteſt eſſe ſinè termina- „ tione, ſic in DEO una qualitas non poteſt „ eſſe ſinè aliis: *unde cùm quælibet qualitas det „ ſignificationem de altera*, per hoc ſignifica- „ tur & demonſtratur, quòd nulla qualitas „ DEI det ſignificationem privationis alte- „ rius qualitatis, imò omnes inſimul mu- „ tuam dant ſignificationem, cùm ſint in- „ ſimul una Eſſentia divina, quæ non pos- „ ſet eſſe ſinè ſuis qualitatibus inſimul ſe mu- „ tuò ſignificantibus.

„ *Bonum* dat ſignificationem *perfectio- „ nis*, & *malum* dat ſignificationem *defectûs*, „ & perfectio dat ſignificationem boni, & „ defectus dat ſignificationem mali: unde „ bonum ſignificat perfectionem *in ſe*, & „ malum ſignificat defectum *in ſe*; ſed quan- „ do bonum dat ſignificatum mali, tunc „ ſignificat illud *extra ſe*, ſicut malum ſig- „ nificat bonum *extra ſe*: *unde cùm hoc ita ſit, quædam ſignificata fiunt per concordantiam & per unionem, & alia ſignificata fiunt per contra- rietatem & per ſeparationem & elongationem unius ab altero.*

„ Calor & frigus & infirmitas & mors „ & fames & ſitis & ignorantia & alii defe- „ ctus & pœnæ, quæ ſunt in homine, omnes „ dant ſignificationem juſtitiæ & æquitatis „ DEI, & errorum & culparum, quæ ſunt „ in homine; quia omnes illæ pœnæ & af- „ flictiones, quæ ſunt in homine, ſunt in „ illo per juſtitiam DEI, & per peccata & „ culpas, quæ ſunt in homine, per hoc, „ quia fuit inobediens ſuo Creatori & ſuo „ DEO, Doctor Illum. Libro 4. Vol. 3. Contempl. cap. 234.

Præmiſſis quibusdam exemplis ſyllaba- rum de verbo infimo & ſupremo jam dabo exemplum ſeu experimentum de ipſo verbo medio ex ſyllabis omnium trium Verborum compoſito, & ſimul tibi revelabo aliud Se- cretum, nempe modum conjungendi Ar- tem ſignificandi cum ſequenti Arte demon- ſtrandi: manifeſtabo tibi inſuper aliud Se- cretum mirabile & utiliſſimum, *Quomodo homo*

homo recipit Artem & modum, per quem habet cognitionem in Diſputatione, quænam ſit vera, vel affirmativa, vel negativa?

„ Qui vult in Diſputatione cognoſcere „ & ſcire, quæ affirmatio ſit vera, vel falſa, „ convenit de neceſſitate, quòd ſciat forma- „ re figuras ſenſuales, per quas ſciat exalta- „ re ſuum intellectum ad formas intellectua- „ les, per quas habet cognitionem in diſpu- „ tatione, utrùm affirmatio vel negatio ſit „ in veritate vel falſitate: unde ponimus & dicimus, quòd

a ſit Veritas.
b ſignificatio veritatis.
c affirmatio.
d ſignificatio affirmationis.
e negatio.
f ſignificatio negationis.
g memoria, intellectus & voluntas.
h ſignificatio ipſius g.

„ Quando homo figuraverit iſtas octo „ figuras, convenit, quòd figuret per iſtas „ figuras alias *tres* figuras, quarum *prima* eſt, „ quòd intelligamus, affirmationem eſſe in „ veritate: *ſecunda*, quòd intelligamus, ne- „ gationem eſſe in veritate: *tertia*, quòd „ intelligamus, veritatem eſſe in affirma- „ tione & negatione: quia ſicut natura de „ contrariis & diverſis figuris format unam „ vel plures figuras, ſic in diſputatione, „ quando unus affirmat, & alter negat, de „ octo figuris formantur dictæ tres figuræ, „ per quas tres figuras habet homo cognitio- „ nem de vera affirmatione vel negatione, „ vel de veritate, quæ eſt in affirmatione & „ negatione. *Unde, cùm affirmatio & negatio ſint contrariæ, qui vult inquirere & ſcire, quænam ſit melior & magis virtuoſa, vel affir- matio, vel negatio, convenit, quòd inquirat in ſignificatis, quæ qualitates DEI ſignificant de ſua glorioſa Eſſentia, & in ſignificatis, quæ creaturæ ſignificant de Eſſentia DEI, quænam trium figurarum ſit melior vel pejor ſuper alte- ram, quia illa figura, de qua homo meliùs reci- pit ſignificata qualitatum DEI & creaturarum ad demonſtrandam perfectionem glorioſæ divinæ Eſſentiæ, eſt melior, quàm altera figura, quæ non eſt tam bene diſpoſita ad recipienda dicta ſignifica- ta; & illa figura eſt pejor, quæ fortiùs impedit humanum intellectum ad recipienda ſignificata, quæ ſignificant divinam Eſſentiam & opera glo- rioſa DEI*, Doctor Illum. Vol. 3. Lib. 5. Con- templ. cap. 362. Fili, hæc Regula eſt infalli- bilis; ſed quia multi, qui meam Artem ad- huc ignorant, ſunt in K. L. Figuræ S., & pu- tant, ſe eſſe in B. C., ideo neſciunt uti hac Regulâ, quibus conſulo, ut, priuſquam ju- dicent de illa, addiſcant *Regulam nonam meæ Artis Inventivæ de Majoritate finis* Tomo quarto contentam; hæc enim reſolvet du- bia & objectiones, quæ circa hanc Regu- lam fieri poſſent. Jam ad ipſum experi- mentum.

Prima Figura eſt, quando b. & d. ſigni- ficant & demonſtrant ipſi g., quòd a. eſt in c., & non in e., Doctor Illum. ibid., quando unus homo affirmat, quòd detur Salvator univerſalis ſenſualis, & alter hoc negat, tunc b. & d. ſignificant ipſi g., quòd a. eſt in c., & f. ſignificat, quòd a. eſt in e.: unde quan- do g. recipit b. & d., tunc recipit plus ſigni- ficationum & demonſtrationum, quàm quando recipit f., & non recipit b. d.; & ideo h. demonſtrat & ſignificat ipſi g., quòd a. eſt in c., & non eſt in e.; quia ſi a. eſſet in e., & non in c., quando unus homo affir- mat, quòd detur Salvator univerſalis ſen- ſualis, & alter hoc negat, h. demonſtraret ipſi g., quòd plus perfectionis eſſet in priva- tione, quàm in eſſe, & plus defectûs eſſet in eſſe, quàm in privatione: unde, cùm eſſe & perfectio conveniant & concordent, & cùm defectus & privatio concordent & conveniant ſecundùm relationem perfecti- onis & eſſe, quando g. recipit quodlibet ſu- pradictorum ſignificatorum, & intelligit differentiam & contrarietatem ipſius eſſe & perfectionis cum defectu & privatione, tunc intelligit, quòd a. eſt in c., & non in e.

Quando g. per præcedentem ſignifica- tionem & demonſtrationem intellexit, quòd detur Salvator univerſalis ſenſualis, tunc aſcendit uno gradu altiùs, & quærit, utrùm detur Salvator univerſalis intellectualis? un- de, ut h. ſignificet & demonſtret ipſi g., cum quo magis conveniat a., vel cum c., vel cum e., aſſumit ſupradictam regulam, per quam g. videt, quòd plus perfectionis ſit in eſſe, quando c. affirmat, dari Salvatorem uni- verſalem intellectualem, quàm quando e. hoc negat.

Invento Salvatore univerſali ſenſuali & intellectuali g. recolit, quòd ſit differentia inter unum & alterum; & quia intelligit per conditiones Figuræ T., quòd omnis diffe- rentia ſit major in concordantia, quàm in contrarietate, iterum deſcendit & quærit, utrùm detur Salvator medius participans de natura ſenſuali & intellectuali, & concor-

dans

dans cum utroque? tunc h. iterum significat ipsi g., quòd d. det majorem significationem perfectionis per c., quàm f. per e.; quia si deficeret Salvator medius inter supremum & infimum, minor Salvator, conveniens cum minori perfectione, esset in esse, significans & demonstrans, supremum Salvatorem esse in esse, & major Salvator, conveniens cum majori perfectione, esset in privatione, significans & demonstrans, supremum Salvatorem esse in privatione: & quia major significatio & demonstratio privat minorem sibi contrariam, sequeretur, quòd e., negans supremum Salvatorem, conveniret cum a., & c., affirmans illum, cum privatione a.; & hoc est impossibile & contra datam regulam.

„ Sensualiter sentimus, & intellectualiter intelligimus, quòd vas vacuum non „ potest impleri per nihil, quia nihil non „ habet proprietatem & naturam, quòd det „ complementum & perfectionem; quia si „ hoc faceret, conveniret, quòd nihil esset „ aliquid: unde cùm hoc ita sit, quando g. „ recipit f., & negat, quòd dicti tres Salvatores sint in esse, & non vult recipere d., „ nec affirmare, quòd sint in esse, tunc h. „ significat, quòd g. non potest tam bene „ impleri, nec potest habere tam perfectum „ nec tam magnum recolere, intelligere & „ velle per e., quàm quando affirmat c.: unde cùm recolere, intelligere & velle sint „ tam nobilia, & sinè istis tribus virtutibus „ homo nihil valeret, & cùm g. nihil valeat, „ nec ullum bonum contineat in se, quando recipit f., & non recipit d., respectu „ nobilitatis & valoris & perfectionis, quas „ habet in se, quando recipit d., idcirco b. „ & h. demonstrant ipsi g., quòd a. sit in c., „ & non in e.; quia si esset in e., sequeretur, „ quòd g. esset melius, si dicti Salvatores „ non essent in esse, quàm si sint in esse; & „ hoc est impossibile.

Secunda Figura est, quando b. & f. demonstrant ipsi g., quòd a. est in e., & non est in c.: unde cùm probaverim, quòd in supradictis c. sit melius, quàm e., sic probabo, quòd in aliis diversis ab his e. sit melius, quàm c.; quia sicut affirmatio est melior per a., quàm negatio per privationem a., sic negatio est melior per a., quàm affirmatio per privationem a.; nam sicut forma non potest subsistere sinè subjecto, sic c. & e. non possunt habere ullum bonum sinè a.

Quando c. affirmat, quòd sit major perfectio, si sit tantùm unus Salvator & Mediator universalis, & non sint plures particulares, & e. hoc negat, tunc g. inquirit in b. d. f., per quod illorum possit magis impleri, vel per f. vel per d.? & ideo ponit f. d. in Figuris A. T. X., & Elementali, & Clave Artis & Naturæ, & in tribus Arboribus, ut videat, an f., an d. in illis tribuant majorem significationem, & invenit, quòd major sit perfectio in sole, quia illuminat terram immediatè & mediatè, scilicet mediante lunâ & aliis planetis & stellis, quàm si tantùm illam illuminaret mediatè, & invenit in A. majorem bonitatem, quia in illo est bonitas producens & producta, quàm si esset tantùm una bonitas, & invenit in T., quòd melior & major est concordantia in differentia, quàm in privatione differentiæ: & ideo h. b. significant ipsi g., quòd a. est in e., & non in c.; quia si esset in c., esset major perfectio in g., si intelligeret minorem perfectionem per c., quàm majorem per e.; & hoc est impossibile.

Tertia Figura est, quando b. d. & f. significant ipsi g., quòd a. est in c. & e., quando a. intrat æqualiter in c. & e.; quia quando c. affirmat, quòd Hostia per Consecrationem verè transmutetur in Carnem, & Vinum in Sanguinem, & quòd Christus adhuc quotidie se offerat DEO Patri in Sacrificio Altaris, & quòd debeat adorari, & permittat se manducari & bibi ab impiis & justis, & portari de uno loco ad alterum, scilicet ad infirmos, & quòd sit unus in diversis locis, & totus sub qualibet parte Hostiæ, & similia, & quando c. negat, quòd sit absens à cœlo, & quòd in Hostia & Vino consecratis sit forma & materia Panis & Vini, & quòd Christus sæpiùs se offerat DEO Patri, quàm semel, & quòd Panis & Vinum debeant adorari, & quòd Christus corrumpatur vel defectum patiatur, licèt comedatur & bibatur, & quòd sit contra humilitatem Christi, si patiatur se deferri ad infirmos, nec contra potestatem ejus, si sit unus in diversis locis, & totus sub qualibet parte Hostiæ, tunc d. f. significant & demonstrant ipsi g., quòd a. est in c. & e.; quia si non, sequeretur, quòd c. & e. concordantes in perfectione non facerent simul sumpta majorem perfectionem, quàm unum solùm sinè altero; & hoc est impossibile.

Fili, hoc solum experimentum tibi præbet infinitam copiam similium demonstrationum & significationum formandarum

rum in omni scibili, præsertim verò in Theologia, ad convincendum incredulos & aberrantes à Fide nostra sacrosancta Catholica Apostolica Romana; nam hæc est methodus adeò facilis & potens, ut omnes errores subitò detegat, & omnia argumenta in contrarium allata funditùs evertat: quapropter Fili, esto certus, quòd per gratiam DEI multi Viri prudentes & amantes veritatis, qui hactenus propter defectum scientiæ & educationem errori fuerunt obnoxii, ad agnitionem veritatis pervenient, & ad sinum Sanctæ Matris suæ veræ & unicæ Ecclesiæ revertentur, à qua illorum antecessores recesserant, si meam Artem & millenas demonstrationes ex Arte factas ad normam harum in dicto Libro Contemplationis intelligent, & bonâ voluntate recipient.

Disc. Si verò rationes non admittant, sed confugiant ad Scripturam, ût communiter solent, quid agam, Pater? Mag. Fili, veritas non est contraria veritati; nam si esset, falsitas concordaret cum veritate; & si concordaret, veritas esset contraria sibi ipsi: unde si tua argumenta sint secundùm meam Artem facta, necessariò erunt vera; & si necessariò sunt vera, necessariò concordabunt cum Scriptura, quæ tota est vera: unde si veritatem meorum & tuorum argumentorum ac demonstrationũ non admittent, non operantur secundùm rectã rationem; quod si non agunt, multò minùs illos convinces per Scripturam; cùm Scriptura ab illis, qui non admittunt judicium Ecclesiæ, & qui respuunt sanam rationem, nunquam nisi perverso modo possit interpretari: imò tales non solùm Scripturâ & ratione, sed nec miraculis ad veram Fidem adduceres; hos igitur DEO committe.

De Grammatica Artificiali, universali & particulari multa essent dicenda, quæ sola integrum volumen requirerent & explerent; quod hìc est impossibile: interim hæc pauca accipe, quibus multa complectar.

Grammaticam artificialem, universalem ad omnes linguas, æstimo, nondum dari, quia, talem esse possibilem paucos & ferè neminem credere, arbitror; quod tamen ita non esse, mea Ars & conditiones Figuræ T. in illa contentæ demonstrant; *cùm enim sit impossibile, differentiam esse in perfectione sinè concordantia*, est impossibile, particulares Grammaticas inter se differentes esse in perfectione sinè concordantia Grammaticæ universalis; sed quia omnes Grammaticæ particulares, & singulariter latina, sunt plenæ defectibus, ita, ût nequidem Systema declinationum & conjugationum in ullæ sit naturali ordine & secundùm leges Artis dispositum, non est mirum, si particularia defectuosa difficulter vel omninò non sunt reducibilia ad universale perfectum.

Disc. Est difficile hos defectus per Artem invenire, sed puto, esse centies difficilius etiam inventos emendare; nam consuetudo est altera natura, quam immutare nec tu, mi Pater, nec ego sufficio. Mag. veritas & perfectio sunt fortiores, quàm falsitas & defectus; quia si non, veritas & perfectio non essent DEUS, vel DEUS nihil esset; & hoc est impossibile: unde cùm omnia naturaliter tendant ad finem perfectionis, etiam defectus, qui sunt in Grammaticis, in fine perfectionis, ad quem naturaliter tendunt, emendabuntur; & hoc infallibiliter fiet, sive DEUS per me, seu per te, vel per alium hoc facturus sit: sed quia te scire saltem juvat modum investigandi & inveniendi omnes defectus, qui sunt in quavis Grammatica, ut possis obviare meis obtrectatoribus, qui nil nisi barbarum in meis Libris offenderunt, tibi porrigo Figuram T. ejusque quinque triangulos.

Quoniam ex Figura T. formantur Conditiones universales, ex quibus inter se combinatis per Artem producuntur demonstrationes universales, quibus omnis veritas particularis est demonstrabilis, applicando ipsis aliquod vel aliqua principia particularia, ût in *sequenti Secreto Logicæ* ostendetur, ideo ex hac Figura extrahe Conditiones universales, per quas veluti formas generales formæ speciales in Grammatica dirigantur: quales sunt sequentes.

1. Quia differentia est realiter universale in natura, est in particularibus. 1. Condit. Differ.

2. De majori differentia potest sequi major concordantia, quàm de minori. 3. Condit. Differ.

3. Omnis concordantia est plùs appetibilis in magnitudine, quàm in parvitate. 1. Condit. Concor.

4. Omnis concordantia potest plùs distare à contrarietate in majori differentia, quàm in minori. 2. Condit. Concor.

5. Impossibile est, inveniri concordantiam sinè differentia. 3. Condit. Concor.

6. Quia in DEO est concordantia, ma-

jor est concordantia inter intellectivum & sensitivum, quàm inter sensitivum & sensitivum. 7. Condit. Concor.

7. Inter sensitivum & sensitivum nulla est concordantia sinè contrarietate. 6. Condit. Concor.

8. Sensitivum repugnat intellectivo cum minoritate, & è converso cum majoritate. 8. Condit. Contrar.

9. Omne sensitivum contradicens intellectivo contradicit sibi ipsi, & non è converso. 9. Condit. Contrar.

10. Omnis absentia concordantiæ est contrarietas. 4. Condit. Contrar.

Omnes suprapositæ Conditiones universales sunt desumptæ ex *Libro Propositionum meæ Artis Demonstrativæ* ejusque Figuræ T. triangulo viridi, & sunt satis superque sufficientes ad formandam ex illis Grammaticam artificialem, tam universalem, quàm particularem, integram & perfectam, & ad detegendum omnes defectus & errores commissos ab inventoribus omnium linguarum. Fili, admove has decem conditiones ad Grammaticam tuam latinam, & per illas examina singulas ejus partes: v. g. formulas declinationum, conjugationum, earumque terminationes reduc ad supradictas Conditiones concordantiæ, differentiæ & contrarietatis, & obstupesces, quàm sinè ulla lege & ratione à barbaris & ethnicis Romanis fuerint consarcinatæ; quandoque enim est differentia sinè concordantia, quandoque concordantia sinè differentia, quandoque mera contrarietas; aliquando concordat sensuale, & contrariatur intellectuale, ût in terminatione activa & significatione passiva: quid dicam de Syntaxi? percurre libros latinos, & reduc periodos illorum ad examen harum conditionum, & tunc videbis, quantâ difficultate sub imaginario ornatu & irrationali transpositione verborum debeas venari genuinum sensum Authoris. Præterea defectum formæ augmentat defectus materiæ, qui sic eruitur: intellectivum intelligit, quòd omnis significatio realis & naturalis debeat habere parallelam significationem intentionalem & artificialem; evolve modò omnia lexica omnium linguarum, & sensuale sentiet millies oppositum, quod est contra nonam Conditionem.

Disc. Expertus sum in versione tuorum Librorum, mi Pater, volens insistere, quantum potui (non lenocinio verborum per ambages circumscribendo textum) brevissimæ & clarissimæ viæ. Mag. O utinam Viri prudentes & amatores boni publici operam, quam excolendis linguis destinarunt, & ad quam vocatione sunt præordinati, locarent ad exequendum consilium, quod dedi in *Libro quarto Blanquernæ in Capite: Tu solus Dominus*, nempe adhoc, ut omnis differentia linguarum reduceretur ad unitatem in toto mundo. Disc. & quomodo hoc esset possibile, Pater? Mag. non solùm possibile, sed etiam facile, si ea methodus observaretur, quam dicto loco proposui. Disc. ad quam linguam deberent ergò reduci cæteræ linguæ? Mag. ad Latinam; *nam Latina est maximè generalis Lingua, & in Latino sunt multa verba aliarum linguarum, & in Latino sunt nostri Libri.*

Disc. Sed in quem finem fieret ista reductio ad unitatem? Mag. *ad hoc, ut in toto mundo non esset nisi una lingua, una credentia, una Fides*, Doctor Illum. ibid.; sed quia amor erga linguam maternam singulis nationibus medullitùs inhæret, vix unquam exuendus, ideo per meam Artem alia & æquè facilis ac utilis ratio hujus unionis linguarum tibi suppeditatur, salvando differentiam, & producendo concordantiam; & ad hoc requirerentur quinque: *Ordo, Natura, Ars, Lexicon universale particulare, Grammatica universalis particularis:* ultima duo ab aliquibus jam attentata sunt, sed non optato successu, quia prima tria illis erant incognita.

De Secreto Logicæ.
De Demonstratione.

MAg. Fili, hoc est secundum Instrumentum universale sciendi summè utile & necessarium ab antiquis Sapientibus & à nobis in nostris Libris sub metaphora Logicæ vulgaris absconditum: „ considerantes autem, veterem Logicam ab inquirentibus eam propter suam prolixitatem „ & multorum librorum diversitatem cum „ labore maximo plenariè acquiri, & jam „ acquisitam propter suî labilitatem cum „ maxima difficultate in memoria retineri, „ ad prolixitatem & labilitatem ipsius vitandam, cogitavimus mediante divino auxilio invenire novam & compendiosam „ Logicam sinè difficultate à desiderantibus „ eam acquirendam, ut acquisita in memoria totaliter & faciliter teneatur, ac „ plenariè conservetur: *verumtamen quia considerationis Logici versatur circa secundas intentiones, quas nemo perfectè cognoscere potest ignoratis primis, ideo in hoc nostro Compendio ac novo Opere &c. naturaliter & philosophicè procedemus*, ut primarum ac secundarum intentionum notitia naturaliter & logicè à scientibus hunc Librum plenariè ac clarissimè habeatur: erit igitur subjectum hujus Artis inventio veri & falsi. Doctor Illum. in Prol. novæ Logicæ.

Quanta sit differentia inter meam & vulgarem Logicam, partim patet ex dictis, partim patebit ex dicendis; nam Logica ordinaria non agit nisi de secundis intentionibus, mea verò de primis & secundis; illa non procedit nisi artificialiter, mea naturaliter & artificialiter simul; illa non est nisi particularis, mea universalis & particularis; illa non subministrat nisi formam & modum artificialem argumentandi, mea & materiam, tam universalem, quàm particularem, & formam similiter, tam naturalem, quàm artificialem argumentandi tribuit; illa non est per totum demonstrativa, mea verò in omnibus suis partibus non patitur nisi demonstrationes; illa non tendit ad opus practicum physicum, mea verò sic. Præterea adhuc alias & nobiliores proprietates habet mea Logica, nam in quantum est naturalis seu physica, licèt sit universalis, eò quòd ambit totam naturam creatam, est tamen sic accepta particularis respectu illius, quæ comprehendit utramque naturam creatam & increatam, quæ ultima & hanc & omnes alias decem principiis significatas involvit; & hæc est propriè pars meæ Artis Universalis, quia ejus principia sunt principia Artis Universalis, & propositiones hujus conditiones illius, & demonstrationes hujus demonstrationes illius; nec una differt ab altera, si accipiatur in concreto, quia sic includit omnes reliquas partes, scilicet Artem significandi, inveniendi, intelligendi, memorandi, amandi, persuadendi, numerandi, mensurandi, concordandi &c., sed bene, si accipiatur in abstracto sub forma demonstrandi, tunc enim consideratur ût pars Artis.

De Principiis Demonstrationis Naturalis, Universalis & Particularis.

JAm dixi superiùs, quòd Principia Demonstrationis sint ipsamet Principia primitiva suprema realia & naturalia meæ Artis Generalis, scilicet Bonitas, Magnitudo, Duratio &c. suprema, superiora & inferiora, ût DEUS, Creatura, Operatio &c.: sed quia hæc Principia sub duplici respectu demonstrationem ingrediuntur, nempe aut materiæ aut formæ demonstrationis, ideo aliqua illorum in demonstratione se habent per modum materiæ, & aliqua per modum formæ; quæ se habent per modum formæ, sunt duo, scilicet *Necessitas* & *Impossibilitas*, quia omnis demonstratio necessariò suam informationem accipit aut à necessitate, aut ab impossibilitate; & ideo necessitatem posui in medio primæ Arboris, scilicet inter *Esse* & *Privationem:* & sicut sunt duo principia formalia demonstrandi universalissima, sic sunt duo principia materialia demonstrandi universalissima, scilicet dicta *Esse* & *Privatio*; & quodlibet illorum respondet cuilibet istorum, videlicet Necessitas ipsi Esse, & Impossibilitas ipsi Privationi: nam sicut Necessitas & Esse sunt positiva, sic Impossibilitas & Privatio sunt privativa.

Disc. Quare ergò tu, Pater, posuisti tantùm tria principia in Arbore, & non quatuor? & quare ex utroque latere necessitatis posuisti *possibile* & *impossibile*? Mag. tria tantùm posui, Fili, quia revera in principio operationis naturalis & intentionalis sunt tantùm *tria* in actu, & quartum est in potentia, ût infrà audies, & mea Philosophia te certificat; necessitatem verò locavi in medio, quia, in quantum necessitas est genus, sic habet sub se duas species, nempe possibile & impossibile; & hoc modo accipitur à me in *Libro de Possibili & Impossibili*; & sic necessitas est superior, & impossibilitas inferior; & tali modo sunt in creatura: sed in quantum necessitas & impossibilitas sunt dignitates DEI, & numerantur inter suprema & primitiva principia meæ Artis, sic sunt æqualia, & nullum superius altero; & hoc principium videtur latuisse quosdam vestrorum Geometrarum, qui putabant, demonstrationes factas per impossibile minùs esse securas, quàm demonstrationes factas per necessarium. Fili, æqualitas, quæ est inter æternitatem & infinitatem DEI, demonstrat, quòd sit tam necessarium, DEUM esse æternum, quàm est impossibile, DEUM esse finitum, nec plùs, nec minùs; & hoc est fundamentum omnium mearum demonstrationum, quas in omnibus meis Libris aut ad necessarium, aut ad impossibile, reductas invenies; præsertim in toto

Libro Mirandarum Demonſtrationum, & in toto *Libro Contemplationis*.

Quemadmodum igitur neceſſitas ſe habet per modum formæ, & veritas per modum cauſæ finalis, & *eſſe* omnium reliquorum principiorum per modum materiæ, ſic impoſſibilitas oppoſita neceſſitati ſe habet per modum formæ contrariæ, & falſitas per modum cauſæ finalis contrariæ, & *privatio* omnium reliquorum principiorum oppoſitorum per modum materiæ contrariæ.

Diſc. Quando eſſe eſt impoſſibile, privatio eſt neceſſaria; & quando eſſe perfectionis eſt impoſſibile, privatio perfectionis eſt neceſſaria; & quando privatio perfectionis eſt impoſſibilis, privatio defectûs eſt neceſſaria: unde videtur, quòd neceſſitas & impoſſibilitas æqualiter ſe habeant ad eſſe & privationem. Mag. duobus modis neceſſitas & impoſſibilitas ſe poſſunt habere æqualiter, aut per concordantiam, aut per contrarietatem; per concordantiam, quando ſimul concordant in veritate, ût ſuprà audiviſti in Divinis; per contrarietatem dupliciter, aut quando quælibet operatur ſecundùm ſuam naturam, aut contra ſuam naturam; exemplum hujus tibi dedi ſuprà in *Gramatica in experimento affirmationis & negationis:* nam ſicut affirmatio & negatio operantur ſecundùm ſuam naturam, quando affirmatio affirmat veritatem, & negatio negat falſitatem, & operantur contra ſuam naturam, quando affirmatio affirmat falſitatem, & negatio negat veritatem, ſic neceſſitas & impoſſibilitas operantur ſecundùm ſuã naturam, quando neceſſitas eſt circa eſſe, & impoſſibilitas circa non eſſe ſeu privationem, & operantur contra ſuam naturam, quando neceſſitas eſt circa non eſſe ſeu privationem, & impoſſibilitas circa eſſe; ex quo vides, quomodo ambæ ſint æqualiter vel inæqualiter circa eſſe & privationem.

Et quia hic tractavimus de *Neceſſitate*, *Impoſſibilitate*, *Eſſe* & *Privatione*, & recolo, alibi me dixiſſe, ſupremam neceſſitatem eſſe ſupremum principium demonſtrandi, per ſe ſequitur, quòd reliqua tria principia debeant æqualificari ſupremæ neceſſitati, ut poſſint producere ſupremas demonſtrationes, cùm clarum ſit, quòd ex ſupremo & inferiori principio non poſſit ſequi ſupremus finis: quapropter cùm in demonſtrationibus de Exiſtentia DEI & pluribus aliis de materia theologica multoties uſus ſim ſuprema privatione, quando dixi: *ſi ſummum Bonum eſt, ſummum malum non eſt*; *& ſi ſummum malum eſt, ſummum Bonum non eſt*; ût habes *in Libro Articulorum Fidei*, & in *Arte Inventiva*, & pluribus aliis, ne Diſcipuli mei vacillent circa infallibilitatem harum demonſtrationum (ût aliqui Doctorum, qui, quando audiunt, me affirmare, *quòd, DEUM eſſe, ſit neceſſarium & demonſtrabile magìs neceſſariâ demonſtratione, quàm ſit aliqua demonſtratio mathematica*, Doctor Illum. in Introd. Lib. de Art. Fid., non poſſunt credere, nec ſibi imaginari, me verum dicere, quia non viderunt iſta principia, nec informationem habent meæ Artis) convenit, me aliqua ſcitu neceſſaria tradere de certitudine, infallibilitate & neceſſitate meæ Methodi demonſtrandi, quæ infrà invenies *Capite quarto* de Secreto Potentiæ, ſcilicet de Modo, ſecundùm quem potentia ſe habet ad ſuum objectum.

Redeamus igitur ad noſtrum propoſitum, oſtendendo, quòd prima & ſuprema Principia demonſtrandi primò ſint *tria*, & poſtea *quatuor*, & quòd ſint neceſſariò *æqualia*; cùm enim prima principia eſſendi neceſſariò ſint tria, & non plura, nec pauciora, & modus intelligendi ac demonſtrandi debeat ſequi modum eſſendi, ût Regula 2. meæ *Artis Inventivæ* docet, manifeſtè ſequitur, quòd principia demonſtrandi non debeant eſſe niſi tria tantùm; & quia ſuprà dixi, *eſſe* ſe habere per modum formæ, & *privationem* per modum materiæ, materia verò & forma non poſſint conſtituere compoſitum ſinè tertio, quod eſt medium inter utrumque, ideo inter eſſe & privationem neceſſariò debui ponere medium, ſcilicet neceſſitatem.

Diſc. Sunt aliqui Philoſophi, qui dicunt, formam & materiam ſe unire ſinè tertio, videlicet unione diſtinctâ, quod ſi ita eſt, ût illi dicunt, ſufficient duo principia: item ſi ſunt tria, quare non poſuiſti unionem loco neceſſitatis? Mag. materia & forma opponuntur, quia forma convenit cum actione, & materia cum paſſione; unde ſi materia & forma unirentur per ſe ſinè medio, contrarietas eſſet principium concordantiæ, & concordantia principium contrarietatis; & ſic concordantia & contrarietas concordarent ſibi mutuò, & contrariarentur ſibi ipſis; & hoc eſt impoſſibile: ergò convenit, eſſe medium ſapiens naturam utriuſque: quod patet per definitionem medii, & per prima principia meæ Artis, quæ ſunt *tivum*, *bile* & *are* medium inter utrumque: quare autem neceſſitatem, & non

& non unionem, locarim in medio, hæc eſt ratio, quia ſinè neceſſitate in opere demonſtrandi nunquam potuiſſem producere ex forma & materia perfectum concretum demonſtrationis; quod patet: quia omnis demonſtratio ultimatò reducitur ad eſſe vel privationem, vel ad eſſe & privationem, tanquam principia demonſtrandi, ſicut in natura omne compoſitum ultimatò reſolvitur in ſuam formam vel materiam, vel in formam & materiam; & hoc neceſſariò, neceſſitate conſervante *differentiam* inter formam & materiam, eſſe & privationem, ſinè qua non eſſet neceſſaria veritas illarum, & per conſequens affirmatio. Hoc idem accidit in motu ſynthetico oppoſito priori analytico, ſcilicet quando demonſtratio progreditur à primis principiis ad principiata, neceſſitate conſervante *concordantiam* inter formam & materiam, eſſe & privationem, ſinè qua non eſſet neceſſaria veritas illorum, & per conſequens affirmatio; nulla igitur eſſet demonſtratio, ſed tantùm probabilitas.

Diſc. Quia in DEO eſt Trinitas, in DEO eſt *tivum*, *bile* & *are*, ſcilicet generativum, generabile & generare, ſpirativum, ſpirabile & ſpirare, bonificativum, bonificabile & bonificare, ſed non eſt forma, nec materia, nec privatio, quomodo ergò in DEO dicta tria principia poſſunt eſſe? & quomodo poſſunt eſſe ſuprema? & quomodo per illa poſſunt fieri demonſtrationes de DEO? Mag. hæ quæſtiones, Fili, ſunt magni ponderis, earumque ſolutio valde neceſſaria ad intelligentiam principiorum demonſtrandi: unde ſcito, quòd methodus demonſtrandi pro ſtatu præſentis ſæculi, in quo vos eſtis, ſumit ſua principia in primo gradu, & non in tertio, hoc eſt, in infimo, & non ſupremo, aſcendendo paulatim ab infimo per medium ad ſupremum: unde ſi ſubitò vos exponerem luci ſupremorum principiorum, contingeret vobis id, quod ſolet iis, qui diu detenti in tenebricoſo carcere de repente claritati ſolis admoverentur; nam intenſio contrarii objecti lucidi offenderet potiùs debilitatem potentiæ tenebris aſſuetæ, quàm illam illuminaret: è contra verò ſicut hi, qui in tenebris & umbra mortis ſedebant, poſt liberationem paulatim & per gradus lucem recipiunt, & perferre diſcunt, donec inoffenſo oculo ſole aperto fruantur, ſic vobis, qui ſuffertis adhuc tenebras agnati veſtri carceris, & ſedetis in umbra ignorantiæ, paulatim convenit lucem miniſtrare, temperando illam per gradus ad menſuram veſtræ tollerantiæ; quod ſic intellige.

Tu ſenſualiter ſentis, & intellectualiter intelligis in triangulo livido, quòd tota Creatura ſit diviſa in tres gradus, quorum inferior eſt Creatura ſenſualis, ſuperior Creatura intellectualis, medius Creatura animalis; & quia ſenſualiter priùs & faciliùs ſentis inferiorem gradum & medium, hoc eſt, creaturam ſenſualem & animalem, quàm intellectualiter ſuperiorem, hoc eſt, intellectualem, ideo DEUS ordinavit, diſpoſuit & proportionavit infimum gradum tali ordine, ut principia inferioris ſignificarent & demonſtrarent principia medii, & principia medii principia ſuperioris, & principia ſuperioris principia ſupremi (& quod dico de principiis, hoc idem intellige de mediis & finibus): & hoc demonſtratur ex ordinatione, perfectione & eſſe; quia cùm ordinatio conveniat cum perfectione, & perfectio cum eſſe, inordinatio verò cum defectu, & defectus cum privatione, ſi principium, medium & finis unius gradûs non eſſet ordinatus ſecundùm ordinem principii, medii & finîs alterius gradûs, non eſſet ordinatio nec proportio inter unum gradum & alterum; & ſi non eſſet, non eſſet perfectio; & ſi ſic, non eſſet in eſſe, ſed in privatione; & hoc eſt impoſſibile & contra ſenſum: poſuit ergò DEUS, qui eſt ſuprèma perfectio, perfectum ordinem in dictis principiis graduum, ut intellectus creatus à cognitione unius infallibiliter duceretur ad cognitionem alterius.

Hæc autem principia in primo gradu, hoc eſt, in creatura ſenſuali, ſunt forma & materia ſenſualis & medium inter utramque, quod eſt illa neceſſitas ſenſualis, per quam forma & materia neceſſariò ſunt unum in concreto, & duo in abſtracto; quæ duo cum illa neceſſariò faciunt tria: iſta tria à me vocantur *tivum*, *bile* & *are* ſenſuale: unde cùm omnia ſenſualia in hæc tria ultimatò reſolvantur, & ex illis componantur, meritò principia ſuprema, primitiva, vera, realia & neceſſaria illorum nominantur. Æqualitas horum trium principiorum conſiſtit in hoc, quia in ratione principii tantum eſt unum, quantum eſt alterum; ſed ſunt inæqualia in hoc, quia unum, h.e. forma, convenit cum majoritate, actione & eſſe, & alterũ, h.e. materia, cum minoritate, paſſione &

ne & privatione: & hic ordo obſervatur ab infimo gradu per omnes medios uſque ad ſupremum, ût manifeſto & clariſſimo exemplo demonſtravi in *prima Regula Compendii ſuper Art. Dem. Tom. 3.*, quod reiteratâ lectione tuæ memoriæ commendes.

Cùm igitur totus modus eſſendi rerum ſenſualium profluxerit à ternario principiorum, & modus intelligendi debeat conformari & proportionari, quantum eſt poſſibile, ipſi modo eſſendi, ût habet *Regula ſecunda meæ Artis Inventivæ*, ideo totus modus intelligendi debet neceſſariò ſumere exordium à ternario principiorum: & ſicut principia eſſendi ſunt ipſa principia intelligendi, ût dicto loco invenies, ſic ipſa tria principia realia ipſius modi eſſendi rerum ſenſualium ſunt eadem tria principia intentionalia ipſius modi intelligendi dictarum rerum.

Ex dictis colliges, Fili, quòd, cùm nullus Author orſus ſit ſuam Methodum demonſtrandi ab unitate & trinitate principiorum, nullus noverit vel tradiderit veram methodum demonſtrandi. Jam audi ſolutionem tuarum quæſtionum, videlicet *quomodo Eſſe, Privatio & Neceſſitas ſint in DEO, & quomodo ſint ſuprema & æqualia, & quâ ratione in DEO fiant demonſtrationes ex illis.*

Quia in inferiori bono eſt inferius eſſe, inferius bonum ſignificat & demonſtrat per inferius eſſe, quòd in ſupremo Bono ſit ſupremum eſſe; quia ſi non, ſequeretur, quòd eſſet major proportio inter inferius bonum & inferius eſſe, quàm inter ſupremum Bonum & ſupremum eſſe; & hoc eſt impoſſibile. Si in eſſe inferioris boni non eſſet operatio, eſſe inferioris boni eſſet in privatione; & ſi in eſſe inferioris boni eſſet infinita operatio, eſſet impoſſibile, quòd privatio eſſet in eſſe: unde cùm forma, quæ eſt in inferiori bono, conveniat cum eſſe & operatione, & materia cum privatione & terminatione operationis (cùm omnis materia per ſuam paſſionem terminet actionem formæ) manifeſtum eſt, quòd in inferiori bono privatio cadit in eſſe formæ ratione materiæ terminantis operationem formæ; ſed quia forma & operatio conveniunt cum perfectione, & materia cum defectu, & in DEO eſt perfectio ſinè defectu (cùm DEUS ſit infinita perfectio) manifeſtum eſt, quòd in DEO ſit forma & operatio ſinè materia: ergò in DEO eſt ſuprema & infinita forma, ſuprema & infinita operatio.

Si in DEO eſt ſuprema forma & ſuprema operatio, in DEO eſt ſupremum formativum operativum, formabile operabile, formare operari, & hoc neceſſariò, cùm ſit impoſſibile, ſinè his tribus in ſuprema forma eſſe ſupremam operationem; & quia hæc tria non poſſent eſſe in opere infinito, niſi unum realiter diſtingueretur ab altero, & unum eſſet æquale alteri, & conveniunt cum eſſe, neceſſitate & privatione, ergò eſſe, neceſſitas & privatio ſunt tria ſuprema, realia, æqualia & diſtincta principia.

Diſc. Quòd privatio conveniat cum aliquo trium ſupradictorum videtur involvere manifeſtam contradictionem; ſi enim convenit, privatio eſt eſſe, & eſſe eſt privatio, ergò eſſe eſt non eſſe, & non eſſe eſt eſſe. Mag. antequam denodem hunc nodum, convenit te ſcire, Fili, quomodo & quotupliciter ſe habeant adinvicem in mea Schola *Eſſe* & *Privatio:* nota igitur ſequentia, quia ſunt magni momenti, utpote ſcitu ſummè neceſſaria; nam ſinè illorum notitia nunquam vim mearum demonſtrationum intelliges, aut in ſimilibus faciendis ſecurus incedes; in hunc enim ſcopulum impingentes etiam Viri docti, quia fundamenta harum demonſtrationum non capiunt, aut illas ſuſpectas habent, aut illis non afficiuntur, aut illas omninò explodunt, quamvis neſciant dare ſolutiones in contrarium; quod patet in meis demonſtrationibus de Exiſtentia, Unitate & Trinitate DEI, quæ typis prodierunt in *Libro Articulorum Fidei*, quem Apoſtrophen poſteri cognominarunt.

Eſſe & *Privatio* tripliciter à me conſiderantur in ſua oppoſitione, nam aut ſunt inter ſe *diſſimilia*, aut *contraria*, & ſic poſitivè opponuntur, aut *contradictoria*, & ſic negativè opponuntur; prima oppoſitio non involvit defectum vel imperfectionem, ût ſtatim infrà videbis; reliquæ verò duæ non poſſunt eſſe ſinè defectu: item nota, quòd prima duo conveniunt cum realitate, ſed ultimum cum ratione tantùm; in hoc tamen differt primum à ſecundo, quòd diſſimilia poſſunt ſimul ſtare in ſummo, ſed contraria ſub disjunctione tantùm; & in hoc conveniunt cum contradictoriis, utpote quæ virtualiter in contrariis continentur, & formaliter ex illis inferuntur, ût docui in *quinta Regula meæ Artis Inventivæ*; dabo ſingulorum exempla. Bonificativum & bonificabile ſunt diſſimilia, bonum & malum contraria

traria, bonum & non bonum, malum & non malum contradictoria: his omnibus tribus convenit *eſſe* & *non eſſe*, ſeu *privatio* univerſaliſſimè à me ſumpta in mea Arte; nam eſſe bonificativum eſt non eſſe bonificabile, & è converſo, & eſſe bonum eſt non eſſe malum, & è converſo, & eſſe bonum non eſt non eſſe bonum, & è converſo.

His ſuppoſitis facilis eſt ſolutio tui dubii, ſcilicet quomodo *eſſe* & *non eſſe*, ſeu *eſſe* & *privatio* poſſint ſimul eſſe in DEO, & verificari de DEO ſinè defectu vel contradictione, ût monſtrat ſequens exemplum: Pater eſt generativus, & Filius generabilis, & quia Pater realiter diſtinguitur à Filio, Pater eſt Pater, & Filius non eſt Pater, & Filius eſt Filius, & Pater non eſt Filius: unde ſicut Filius in Subſtantia & Natura eſt ſimilis Patri, quia eſt Imago ſubſtantialis & eſſentialis Patris, ſic in Filiatione eſt diſſimilis Patri, quia in Patre non eſt Filiatio, ſicut in Filio non eſt Paternitas: unde ſicut in Natura concordant, ſic in Perſonis diſtinguuntur: eſt autem hoc *non eſſe* Paternitatis in Filio, & *non eſſe* Filiationis in Patre, æqualis perfectio cum eſſe Paternitatis in Patre, & cum eſſe Filiationis in Filio (cùm non eſſe Paternitatis in Filio ſit ipſa Filiatio, & non eſſe Filiationis in Patre ſit ipſa Paternitas) quod ſic probatur: quia ſi Paternitas eſſet in Filio, non eſſet perfectio, ſed defectus, nam eſſet ſuperflua, cùm una Paternitas infinita ſufficiat; & hoc idem ſequeretur, ſi Filiatio eſſet in Patre.

Oſtenſum & demonſtratum eſt igitur, quomodo *Eſſe*, *Neceſſitas* & *Privatio* in DEO ſint tria ſuprema, realia, primitiva, vera & neceſſaria Principia eſſendi & demonſtrandi, à quibus omnia principia inferiora, realia, primitiva, vera & neceſſaria ſumunt ſuum modum eſſendi, operandi, intelligendi & demonſtrandi.

Jam capies inſuper, Fili, quomodo intelligenda ſit ſuprà allegata demonſtratio de Exiſtentia DEI, ſcilicet *ſi ſummum Bonum eſt, ſummum malum non eſt*; *& ſi ſummum malum eſt, ſummum Bonum non eſt*; nam *bonum* & *malum* ſunt contraria, & non contradictoria: unde quia in ſummo non poſſunt ſimul ſtare, neceſſarium eſt, quòd, ſi unum eſt in actu, alterum ſit in privatione, & è converſo: igitur ſi ſummum Bonum, ſcilicet DEUS, non eſſet, neceſſariò ſequeretur, quòd aliquod ens poſitivum eſſet in eſſe & in actu, quod eſſet contrarium ſummo Bono, ſcilicet ſummum malum; ex qua ſuppoſitione ſtatim inferentur contradictoria, ſcilicet quòd eſſe ſit non eſſe, & è converſo: ſumuntur tamen à me multoties termini contrarii pro contradictoriis; ût quando dicitur, quòd bonum ſit eſſe, & malum ſit non eſſe, quia æquivalenter ſunt talia, ût ex dictis elucet.

Item revelabo tibi alterum Secretum, quod multis videbitur impoſſibile, nempe majorem eſſe oppoſitionem inter contraria in ſummo, quàm inter contradictoria; & in hoc Secreto propriè latet fundamentum ſupremi & perfectiſſimi modi demonſtrandi; nam cùm ambo contraria ſint realia, & contradictoriorum ſit tantùm unum reale, & alterum intentionale, & cùm contraria in ſe mutuò agant, & à ſe mutuò patiantur, quantò altiùs aſcendunt in contrarietate, tantò majorem neceſſitatem non eſſendi ponit unum in alterum (jam attende): cùm igitur ſenſualiter ſentiamus, in inferiori ente bonum & malum eſſe (intellige hæc de bono & malo phyſico, non morali) & utrumque ens reale, & unum contrarium alteri, & unum agere in alterum, quantùm diminuitur actio mali in bonum, tantùm augmentatur actio boni in malum, & per conſequens paſſio mali à bono: unde ſi decreſceret hæc actio mali in bonum in infinitum, creſceret actio boni in malum in infinitum, & viciſſim ſequeretur de bono, ſi actio boni decreſceret: ſi igitur DEUS non eſſet, cùm in mundo ſenſualiter ſentiamus plus mali, quàm boni, ſequeretur, quòd malum in infinitum creſceret, & bonum in infinitum decreſceret, ergò continuò magis accederet ad infinitum malum, quod eſt aliquid, quia continuè magis recederet à finito bono, & per conſequens ab infinito bono, quod eſt nihil; & ſic infinitum malum eſt infinitum eſſe, & infinitum bonum eſt infinitum non eſſe: ergò à proportione finitum malum eſt finitum eſſe, & finitum bonum eſt finitum non eſſe, & ſubtrahendo, malum eſt eſſe, & bonum eſt non eſſe; quæ involvunt manifeſtam contradictionem: quapropter ſicut ſummum finitum bonum, quod eſt in eſſe, privat ſummum finitum malum per ſummam finitam productionem boni, & è converſo, ût patet in generatione & corruptione, in morte & vita, ſic à proportione ſignificant & demonſtrant ſenſui & intellectui, quòd ſummum infinitum Bonum, quod eſt in

eſſe,

esse, privat summum infinitum malum per summam & infinitam productionem boni; per quam ultimam demonstrationem revelatur Secretum necessitatis *trium* principiorum distinctorum primitivorum, & Secretum Trinitatis, quæ est in DEO, sinè qua summum Bonum & summum malum essent æqualiter possibilia vel impossibilia, & sic tollerentur prima principia essendi & demonstrandi; quod est impossibile.

Disc. Potest bonum corrumpere malum sinè generatione boni, ergò non sequitur, quòd bonum per generationem boni corrumpat malum. Mag. in inferiori ente non potest esse corruptio sinè generatione, nec generatio sinè corruptione; quia si esset, esset defectus sinè perfectione, vel perfectio sinè defectu, cùm generatio conveniat cum perfectione, & corruptio cum defectu; & hoc est impossibile: sed quia in supremo Ente est suprema & infinita perfectio, & per consequens suprema & infinita operatio opposita corruptioni, ergò est in illo suprema & infinita Generatio, sinè qua in DEO non esset infinita impossibilitas corruptionis: ergò in DEO est infinitum esse boni, & per infinitum agere boni est infinitum necessitare illius boni; & per infinitum necessitare boni est infinitum impossibilitare mali, quod est ipsum infinitū non esse mali, seu infinita privatio mali in DEO. Ex hac ultima demonstratione elicies alterum Secretum, Fili, videlicet quomodo duo ultima membra *Esse* & *Privationis* in demonstrationibus de DEO habeant locum, existendo intentionaliter & in intellectu humano: hoc autem est principium & fundamentum, per quod fit motus intentionalis de ternario in quaternarium, seu de ternario primo in secundū, & de quaternario in quinarium, seu de ternario secundo in tertium, & sic in infinitum multiplicando significationes & demonstrationes in DEO & creatura, ascendente, descendente & circulante intellectu de una significatione ad alteram, & de una demonstratione ad alteram: ex quibus iterum patescit, quòd Trinitas sit supremum & primitivum principium omnis multitudinis & multiplicationis; & sicut est principium illius, sic est finis, quia ad illam omnis multitudo reducitur, & in illam ultimatò resolvitur: Fili, hujus datur pulchra demonstratio metaphorica in mea Geometria per infinitas figuras multilateras, quæ intermediant Circulum & Triangulum.

Necessitas cognitionis supradictorum fundamentorum multùm nos detinuit à scopo intento, qui est tradere ipsa Principia & Methodum demonstrandi, quæ consistunt *in tribus* constituentibus *tres Circulos* seu *tres Gradus*, quibus absolvitur tota methodus demonstrandi.

Primus Circulus seu *primus Gradus* continet Principia universalia demonstrandi, & Definitiones seu Conditiones simplices horum Principiorum, ac ostendit habitudinem & relationem Principii ad Principium, hoc est, quomodo Principium differat & concordet cum Principio, vel quomodo Principium differat & contrarietur Principio, quomodo extrahatur Principium à Principio, quomodo componatur Principium cum Principio, faciendo Triangulos & Quadrangulos ex Principiis in Circulo Principiorum, & quomodo distrahatur unum ab altero, vel contrahatur unum ad alterum &c. Et quod dictum est de Principiis, pariter intelligatur de Definitionibus Principiorum.

Secundus Circulus seu *secundus Gradus* continet Conditiones universales demonstrandi, quæ sunt Conditiones compositæ ex Definitionibus Principiorum, & se habent ad dicta Principia, ût syllabæ ad literas alphabeti: monstrat autem hic Circulus habitudinem & relationem Conditionis ad Conditionem, hoc est, quomodo Conditio differat & concordet cum Conditione, vel quomodo Conditio differat & contrarietur Conditioni, quomodo extrahatur Conditio à Conditione, quomodo componatur Conditio cum Conditione faciendo Triangulos & Quadrangulos ex Conditionibus in Circulo Conditionum, & quomodo distrahatur una ab altera, vel contrahatur una ad alteram &c. Et quod dictum est de Conditionibus, intelligatur etiam de Regulis seu Modis, quibus Principia, Definitiones & Conditiones regulantur & modificantur in opere.

Tertius Circulus seu *tertius Gradus* continet Demonstrationes universales ex Principiis & Conditionibus universalibus productas tanquam nomina ex literis & syllabis: docet autem hic Circulus habitudinem & relationem Demonstrationis ad Demonstrationem, hoc est, quomodo Demonstratio differat & concordet cum Demonstratione, & nulla alteri contrarietur, quomodo extrahatur Demonstratio à Demonstratione, componatur Demonstratio cum Demonstratione, distrahatur una ab altera, contrahatur cum altera &c. Et quod dictum de Demonstrationibus, intelligatur de Quæstionibus, cùm Quæstio & Solutio Quæstionis seu Demonstratio relativè se habeant. Incipiendo igitur dicamus

De Secreto Primi Circuli.

MAg. Cùm Logica ordinaria non tribuat materiam demonstrandi, nec forma demonstrandi illius sit realis & naturalis, sed tantùm intentionalis & artificialis, nec ipsa Logica sit universalis, sed tantùm particularis, ût patet ex hìc & alibi dictis, universale verò sit priùs particulari, & sit principium Artis ac Scientiæ, & sit regula dirigendi particularia, ideo mea Logica requirit *primò* subministrare materiam universalem demonstrandi, non tantùm intentionalem & artificialem, sed etiam realem & naturalem, ex qua per Artem & Naturam possint elici materiæ particulares, & ad illam applicari, ut regulentur per eam: hæc autem materia sunt ipsa Principia meæ Artis Universalis, quæ continentur in Arboribus & Figuris & Tabulis; quæ Principia Arborum cùm nobis hoc loco sint maximè necessaria ad formandum primum Circulum, & sint magìs universalia cæteris, ideo volumus illa hìc explicitè ponere in cameris sequentibus. [Esse, Privatio seu Non Esse] [Perfectio, Defectus] [Necessarium, Contingens] [Possibile, Impossibile] [Actuale, Potentiale] [Sensuale, Intellectuale] [Propinquum, Remotum] [Essentiale, Accidentale] [Agens, Forma, Matéria, Finis], Doctor Illum. *in loco Arbor. suprà cit.* Positâ igitur materiâ necessè est ponere formam universalem, realem, naturalem, intentionalem & artificialem demonstrandi, ostendendo, quomodo per operationem unum Principium se habeat ad alterum ad producendum universale opus Artis & Scientiæ.

Disc. Quare, Pater, formasti præpositas cameras ex duobus Principiis tantùm, & non ex tribus vel quatuor vel pluribus? Mag. quia omne Ens & Unum naturaliter primò est divisibile in duo, cùm in uno non sit actio & passio, sed in duobus, nec tria vel quatuor potui statuere ante duo, nam ex duobus primò producitur tertium per Naturam & Artem, quæ debet imitari Naturam: unde cùm Natura nobis exponat ordinem & modum sui operis, quæ ex se dat unum ex uno, uno scilicet producente unum ex eadem Natura una, & uno procedente ex duobus in tertium, manentibus omnibus tribus in eadem prima unitate, natura & substantia; hunc eundem ordinem observandum duxi in Arte, reducendo primò assumptam universalem unitatem in binarium: & hoc in pluribus meorum Librorum significavi, ostendendo, opus trinitatis naturalis esse significationem operis trinitatis artificialis, & è converso, & Trinitatis supernaturalis, & è converso, ût habes in Lib. Princ. & Grad. Med. Dist. 10. cap. 36. Metaph. 5. & 17., in Lib. 1. Mir. Dem. cap. 2. Lib. 3. cap. 13., ubi demonstravi, quòd „omne „id, quod est substantia creata, est in uni„tate & trinitate; in unitate est, in quan„tum est una substantia; in trinitate est, „in quantum est composita de materia & „forma & de concordantia, cum qua ma„teria & forma conveniunt &c.: *& convenit, quòd omne id, quod est operatio, sit per tria, hoc est, per agens & per operatum & per medium, cum quo agens est operans, & operatum est operatum; & hoc sequitur in omni opere naturali & artificiali, in quarum creaturarum qualibet est unitas & trinitas, ad demonstrandum, quòd illæ sint opus supremæ Unitatis, quæ est in Trinitate*, eod. Lib. 3. cap. 7. n. 4.: item in Lib. Contempl. Vol. 3. Lib. 5. cap. 355. demonstrando ibi Principia Arithmeticæ universalis, realis & naturalis per totum Caput, quæ sunt unitas & trinitas, de quibus infrà in Arithmetica plura percipies.

Disc. Quid est ergò illud unum naturale, & quomodo dividitur in duo & tria, secundùm quod debet regulari unum artificiale, & divisio illius in duo & tria artificialia? Mag. illud unum naturale nil est aliud, quàm A. primæ Arboris, vel A. primæ Figuræ Imperatricis, vel S., vel V., vel X.; nam hæc omnia sunt A., hoc est, Chaos reale & intentionale, naturale & artificiale (incipiendo à primo & infimo gradu) sed unum horum A. est magìs universale, quàm alterum: sicut A. primi Agentis, quod est S., est magìs universale, quàm A. particularia, quæ sunt illius objecta; & ambo simul sumpta sunt magìs universalia, quàm unum tantùm; quod patet in Figura composita ex Figura Specierum & Figura Generali, quæ habetur in *Arte Universali:* ideo accipe unum horum A., quod vis; sed quia A. primi Agentis est illud, per quod & cum

quo omnia alia A. ingrediuntur opus, ideo ab ipso incipiendum, supponendo, quòd S. sit A.

Disc. De quo S. loqueris, Pater, de vegetativo vel intellectivo? Mag. de utroque, sed de intellectivo ad literam, de vegetativo verò per metaphoram. Hoc A. divide seu resolve primò in b. c., quibus habitis quære medium inter utrumque, quod est d., & sic produxisti primum ternarium, ex quibus b. c. d. facies e., quod est primus quaternarius seu quadrangulus Figuræ S., quod in mea secreta Philosophia vocatur G. vegetabile, Doctor Illum. in Apert. mag. Lib. 2., de quo suprà in Figura X. tot & tanta dixi, ut plura hic non sint necessaria.

Disc. Quare ponis tantùm literas, Magister, & non potiùs ipsa significata literarum, ut clariùs intelligerentur? Mag. jam in antecedentibus me dixisse recordor, literas esse signa universalia, & significata esse particularia: unde cùm mea Algebra speciosa universalissima requirat principia universalissima, & magis universalia nequeant inveniri, nisi literæ alphabeti, assumpsi has literas loco principiorum, ut per unam universalissimam literam possem vobis significare, revelare & demonstrare innumera particularia; quod patet in dato exemplo: nam quomodo tibi meliùs, faciliùs & breviùs potuissem dare formam vel Systema vel Idæam primorum principiorum & primi operis, quod ex illis resultat in omni ente, tam universali, quàm particulari, tam naturali, quàm supernaturali, tam illius, quod fit in se & per se, quàm illius, quod fit mediante hoc universali in particularibus, hoc est, quod fit mediante S. in A. T. V. X., ût habes in *Arte Majori* seu toto *Libro S.*?

Per hæc dicta elucidabuntur alia, quæ ponuntur in mea *Introductoria* ejusque *Capite 1.*, scilicet, quòd „ista Scientia nulla prin„cipia actualiter exprimat per se loquendo, „ex quibus arguatur, sed solùm doceat viam „inveniendi communia principia in qua„cunque Scientia, cognitis terminis illius „Scientiæ, cujus vult principia invenire, „& aliquali notitiâ habitâ illius ponat ali„quos terminos principiorum, quibus pos„sunt infinitæ propositiones formari, quem„admodum infinita verba formantur ex „pauciſſimis literis, videlicet ex literis al„phabeti: veruntamen sicut, quando Ar„tifex convertit ligna in constructionem „domûs, si utatur lignis præparatis ab ali„quo ejusdem Artis perito, per accidens „est, quia non solùm habet de sua Arte con„jungere ligna, sed præparare illa, ita si „demonstrans per istam Artem utatur pro„positionibus ab aliquo formatis, per ac„cidens est, quia demonstrans per istam „Artem non solùm habet uti principiis, sed „formare & invenire principia; & non so„lùm communia principia, sed etiam par„ticularia, Doctor Illum. loco cit.: & hæc est ratio, quòd in mea *Arte Generali Ultima parte* 13. nil aliud à meis Discipulis exegi, quàm quòd essent fundati *in Logica* (mea sequenti) & *in Naturalibus* (mea Philosophia secreta) de aliis verò Scientiis non majorem in illis cognitionem popposci, nisi *perfectæ significationis nominum seu terminorum in singulis Artibus vel Scientiis particularibus usitatorum*, ût testatur meus *Liber Experientiæ Realitatis Artis Dist. 7. par. 1. & 2.*, quod ibi confirmavi provocando ad proprium experimentum meorum Librorum, & ad Quæstiones mihi proponendas in quovis scibili mihi prorsus incognito, quarum solutionem perfectam & demonstrativam promisi.

Sed *quia omnis demonstratio est meliùs probabilis per comparationem & per exemplificationem, quàm sinè comparatione & exemplificatione*, Doctor Illum. Lib. 4. Mir. Dem. cap. 20. n. 3., & sit valde necessarium cognoscere efficaciam meæ methodi demonstrandi, è cujus intelligentia pendet intelligentia ferè omnium meorum librorum, hanc totam partem Secreti Logicæ clariùs explicabo *per comparationes & exempla:* ad clariorem ergò expositionem supradictorum sit sequens

Prima Comparatio mutuata ex Grammatica. Tu vides in Grammatica, Fili, quòd in prima conjugatione ponitur verbum *amo*, cujus indicativus præsens in activo est *amo, amas, amat, amamus, amatis, amant*; & quia verbum *amo* non est universale, sed particulare, ad cognoscendam primam conjugationem in aliis verbis particularibus substituitur unum particulare pro omnibus aliis, quod est dictum *amo:* sed nisi esset aliquod universale concordans cum omnibus particularibus, & existens in omnibus particularibus, esset impossibile, quòd posses devenire à cognitione unius particularis in cognitionem alterius particularis; & illud universale vocatur in mea Scholâ *Concordantia*, quæ tibi in hoc exemplo monstrabit universale grammaticum in conjugationibus: comparando igitur *amo* cum *laudo, desi-*

dero, memoro &c., & inflectendo hæc verba in præsenti, ût *amo*, sensualiter sentis *differentiam*, per quam unum verbum differt ab altero in *principio* & *medio*, in qua consistit *particulare*, & *concordantiam*, per quam unum verbum concordat cum altero in *fine*, in qua consistit *universale:* abstrahendo itaque illud universale à particulari, scilicet *o, as, at, amus, atis, ant*, nactus es regulam inflectendi universalem applicabilem ad quodvis particulare primæ conjugationis, & habes id, per quod unum particulare est transmutabile in alterum particulare, & particulare in universale, & universale in particulare, & utrumque in tertium. Præterea in comparatione dicta vides, quomodo universale sit in particulari & extra particulare, scilicet contrahendo in illo, & abstrahendo extra illud; de quo dedi Regulam singularem in *Arte Inventiva Dist. 3. Reg. 4. fol. 41.*, quæ est de specificatione generalis: suppone igitur, hanc comparationem sumptam à Grammatica esse aliquod particulare Grammaticæ, ût *amo*, habens in se aliquod occultum universale, per quod nobis revelentur duo alia particularia, quorum unum sit in Logica, alterum in Naturalibus, hoc est, in Physica: inquiramus nunc modum transmutandi seu convertendi unum particulare in alterum particulare, dando comparationes & exempla similia in his duabus Scientiis; & primò dicamus de ultimo, hoc est, physico, contractè, & postea de primo, hoc est, logico, expansè: sit ergò

Secunda Comparatio. Quando individua individuantur in numero specifico, tunc forma generalis & materia generalis sunt causa individuationis eorum, & per consequens forma specifica & materia generantis, Doctor Illum. in Quæst. Lib. 2. Sentent. q. 63.: *& ideo quando homo in sua vegetativa de cibo generat carnes (& sic de potu) homo in sua vegetativa est vegetans, in qua vegetativa habet proprium vegetabile, in quo de cibo educit & generat vegetatum, materiâ cibi per corruptionem dimittente illam speciem, in qua erat, quæ transit in speciem hominis, hoc est, in vegetationem, quæ est de esse hominis*, Doctor Illum. ibid. Quæst. 87.: fit igitur in hoc opere naturali transmutatio & conversio unius particularis in alterum particulare, hoc est, unius speciei, quæ est cibus, in aliam speciem, quæ est homo; *quod natura facere non posset, nisi genus convertentis* (h. e. supradicta forma & materia generalis) *haberet concordantiam cum genere & natura conversi*, Doctor Illum. in Theor. Test. cap. 34.; in quibus scilicet convertente & converso est differentia specifica: ergò differentia unius extremi particularis transit in differentiam alterius extremi particularis per concordantiam medii universalis, quod est genus dictarum specierum, scilicet dicta forma universalis & materia prima; quæ duo simul sumpta & in concreto constituunt illud Chaos seu materiam universalem tanquam subjectum transmutationis omnium corporum naturalium; „quæ materia à me „dicitur genus generalissimum, non tamen „quòd accipias, sicut capiunt Logici, qui „illud capiunt pro termino considerato, vel „pro ente phantastico, sed sicut est ens rea„le, qui est terminus materialis naturæ, à „qua recipit sua principia materialia in a„ctione generationis, quia est ens primum, „qui est terminus materialis in natura, & „Philosophia nostra sub umbra logicali „eum vocat genus generalissimum, quia „est primæ naturæ subjectum, Doctor Illum. in eod. Lib. cap. 39.: hoc ipsum docui in *Libro Principiorum Philosophiæ*, & in *Libro Chaos*, non uno, sed pluribus locis.

Jam habes particulare Grammaticæ conversum in particulare Physicæ per *differentiam & concordantiam* unius & alterius: unde cùm hoc, nempe physicum, sit medium inter duo extrema, scilicet grammaticum & logicum, quod medium vadit per omnia septem Instrumenta, & ad quod velut ad centrum universale omnes septem particulares Artes Trivii & Quadrivii ceu puncta in circumferentia constituta per lineas rectas diriguntur, facilem præbebit nobis transitum à quolibet extremo ad quodlibet alterum extremum; quod sequens exemplum monstrabit in Logica, convertendo particulare Grammaticæ per universale Physicæ in particulare Logicæ; quod particulare Logicæ erit ipsum quæsitum universale primò intentum, à quo tanquam centro profluunt infinita particularia demonstrationum in omni Arte & Scientia.

Disc. Quomodo universale potest esse particulare, & è converso? Mag. quia omne ens reale est particulare, & meum universale est ens reale, ût in allegato *Libro Chaos* & *Libro Principiorum Philosophiæ* videre poteris, ergò. Disc. nunc video & intelligo duo magna Secreta, quæ mihi antea erant abscondita. Mag. quænam illa? Disc. Se-

cretum Rotæ & Secretum Scalæ tuæ Philosophiæ: nam sicut in datis exemplis ostendisti mihi centrum & circumferentiam hujus Rotæ, sic ostendisti mihi Scalam ex septem Gradibus Trivii & Quadrivii compositam, quâ intellectus noster ascendit à Philosophia ad Theologiam per medium alterius Scalæ, quam dedisti in Figura trium Graduum ab initio hujus Capitis positâ: video quoque differentiam & concordantiam hujus Rotæ & Scalæ in hoc, quòd, sicut in Rota centrum est medium concordans cum omnibus differentibus extremis in circumferentia positis, sic in Scala intervallum, quod est à quovis gradu ad alterum, est medium concordans cum omnibus gradibus differentibus in Scala positis: est etiam differentia & concordantia Rotæ & Scalæ in hoc, quòd non potest fieri motus in Rota circulando, quin fiat motus in scala descendendo & ascendendo, & è converso. Mag. bene vidisti, prosequamur iter, ad quod accelerandum nos vocat

Tertia Comparatio & exemplum in Logica. Jussi te suprà §. *De quo S.f.74.* accipere A., & dividere in b. c., ac medium quærere inter b. c., hoc est, d.: dixi etiam in §. *Quare ponis tantùm f.74.* has literas esse universalia, earum autem significata esse particularia: unde cùm jam versemur in Logica, quæ comparata ad reliquas sex Artes & Scientias est aliquod particulare, & requirit principia particularia, quæ respectu hujus Scientiæ sunt universalia, accipiamus loco dictarum literarum universalissimarum & omnibus Scientiis communium principia particularia Logicæ, quæ sint prima duo supraposita §. *Cùm Logica f.73.*, cùm sint primitiva, maximè universalia & maximè necessaria in Logica; scilicet [Esse & Privatio, seu Non esse] horum primum vocetur b., secundum c., habemus ergò duo particularia & duo universalia; particularia nominavi in *in Theor. Test. cap. 39.* genus propinquius generale; universalia, genus generalissimum; in *Arte* verò *Universali* unum significavi per generale, alterum per universale, ut ostenderem, dari differentiam inter universale & universale: hoc posito quære medium inter Esse & Privationem. Disc. quomodo? Mag. per medium, hoc est, definitionem medii, si memor es illius. Disc. sum utique: *medium est id, per quod finis influit in principium, & principium refluit in finem, sapiens naturam utriusque.*

Mag. Sit igitur in universalibus Figuris meæ Algebræ speciosæ b. principium, c. finis, ergò medium erit b. c., hoc est, quæsitum d.; & quia principia (secundùm superiùs dicta) debent esse æqualia, cùm medium à b. c. sit productum æquale producentibus, ergò omnia tria erunt differentia, concordantia & æqualia; & sic invenimus primum ternarium, qui ratione suæ supremæ differentiæ, concordantiæ & æqualitatis est mensura omnium aliorum ternariorum particularium.

Disc. Secundùm Algebram speciosam ordinariam est impossibile, quòd b. agens in c. producat b. c. æquale ipsi b. vel c.; nam si produceret, b. non multiplicaret c. Mag. quia hoc in Algebra vestra est impossibile, & in mea est possibile, sequitur, quòd inter meam & vestram sit differentia, quæ consistit in hoc, quòd mea sit universalissima, & vestra non: unde cùm in vestra Algebra inferiori b. agens & c. patiens quantum finitum necessariò producant majus uno producentium, ût patet in multiplicatione numerorum, vel minus uno producentium, ût patet in divisione, convenit, quòd in mea Algebra suprema b. c. agentia magna infinita per actionem magnam infinitam necessariò producant sibi æquale magnum infinitum; quia si non, sequeretur, quòd Ens infinitum per actionem infinitam non produceret Ens infinitum; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, sequeretur, quòd ens finitum per actionem finitam non produceret ens finitum; & hoc est contra proportionem in mea Geometria traditam.

Hujus veritatis exemplum tibi dat Arithmetica particularis per metaphoram demonstrans Arithmeticam universalem; nam sicut numerus agens in se producit numerum, sic unitas agens in se producit unitatem, & sicut numerus agens in numerum multiplicando necessariò producit majorem se, sic unitas agens in unitatem multiplicando necessariò producit æqualem sibi: plures similes metaphoras tibi dat Philosophia.

Applicando dictum universale ad particulare logicum manifestum est, quòd, quia b. est Esse, c. Privatio, b. c. medium sit Esse Privatio. Disc. quid est illud *Esse Privatio* constituens medium in ternario Principiorum Logicæ? Mag. jam dixi suprà, esse *Necessitatem*, quod sic ostendo: affirmare, necessitatem esse in esse, & negare, necessitatem esse in privatione, est affirmare, demonstrationem esse in esse, & negare, demonstrationem esse in privatione; è contrario affirmare, necessitatem esse in privatione, & negare, necessitatem esse in esse, est affirmare, demonstrationem esse in privatione, & negare, demonstrationem esse in esse; ergò dubitare, necessitatem esse in esse vel privatione, est dubitare, demonstrationem esse in esse vel privatione: & quia affirmatio convenit cum E. & esse, & negatio cum I. & privatione, dubitatio verò cum R. (ût patet in Figura X. & quinta ejus specie quatuor figurarum) in quo R. sunt esse & privatio simul (ût suprà docui §. *Plura exempla* fol. 51.) & dubitatio sit medium inter affirmationem & negationem, & R. *sit medium & subjectum, in quo se revolvunt multiplicatio seu diminutio ipsorum I.E.N. in R., ut finis ipsorum E.R. inde sequatur*, ibid. §. *In quantum*, manifestum est, quòd agens rationale S. necessariò debeat priùs reducere formam necessitatis in suam primam materiam, h.e., R., antequam possit pervenire ad finem, qui finis est demonstratio ipsius E. de Y., vel I. de Z., hoc est, *transmutatio, quam oportet fieri ab una specie in alteram ad formandum V. Y. contra V.Z.*, ibid.

Habes modò demonstrationem primi Trianguli logici, nunc accipe demonstrationem primi Quadranguli, qui oritur ex illo, & est medium inter triangulum & circulum. Tu scis, Fili, ex *Libro 5. Contempl. Dist. 39. de Amore, cap. 310.*, quid sit *forma media*, unde cùm necessitas sit forma necessitandi, sicut bonitas forma bonificandi, & sit desumpta ex Figura circulari de A., & posita in Figura triangulari de T. in medio trianguli nigri, statim cadit in R. quadranguli viridis, & hoc necessariò; quod sic probo: tres anguli trianguli nigri sunt affirmatio, dubitatio, negatio; „ isti autem anguli secundùm sua contenta sunt NB. operationes ipsorum R. N. I. E.: quæcunque „ igitur fiat quæstio, necessariò apprehendi„tur per prædictos angulos cum suis con„tentis successivè ab istis speciebus ipsius S., „ vel ab aliquibus, vel saltem ab aliqua ip„sarum per aliquem ipsorum angulorum, „ sicut ab R. per dubitationem, ab N. per sup„positionem, ab I. per negationē, ab E. verò „ per affirmationem, Doct. Illum. in Comp. Art. Dem. Dist. 1. p. 2. de 1. part. Fig. T. n. 5. fol. 9.: unde cùm suppositio conveniat cum principio, ût patet per *1. Regulam Artis Inv.*, dubitatio cum medio, ût patet ex dictis, affirmatio verò vel negatio cum fine, qui est demonstratio ipsius Y. vel Z., „ de quo„cunque fiat quæstio, recurrendum est ad „ id, de quo quæritur, & discernendum „ secundùm formam quæstionis, quomo„do se habet ratione *entis* & *non entis*, possi„bilis & impossibilis; & tunc destructâ du„bitatione causatâ secundùm R., conver„tendo suppositionem, videlicet *possibile* es„se, in demonstrationem vel declaratio„nem manifestam (scilicet necessarium esse) *concludendum est secundùm E. affirmans per plus entis & boni (quia ens & bonum convertuntur) & contra non ens & malum secundùm I., quæ conveniunt privationi.*

„ Si autem secundùm E. affirmativè (ût „ nunc dictum est) non potest faciliter con„cludi, accipiatur oppositum, scilicet *impos„sibile* esse secundùm N, & discurrentibus „ F. G. convertatur suppositio in demonstra„tionem vel declarationem manifestam se„cundùm I. negans oppositum prædictæ af„firmationis, quæ est habitu & potentiâ se„cundùm E., dando ipsi opposito impossi„bile ratione privationis bonitatis, mag„nitudinis &c., aut alicujus necessarii vel „ magni convenientis; & sic ipsum opposi„tum erit impossibile vel maximum incon„veniens, *quare manifestè oppositum illius oppositi erit necessarium actu secundùm E., dum I. (secundùm quòd prædictum est) negabat per impossibile oppositum hujus necessarii.*


„ Conditiones & Regulæ, quæ hìc da„tæ sunt de triangulo nigro, implicant mag„nam utilitatem in hac Arte, Doctor Illum. ibid.; nam *Primò* ostendunt, quomodo ex dicto triangulo generetur quadrangulus. *Secundò*, quomodo ex duabus formis, quarum una est in actu, altera verò in potentia, constituatur in R. aliqua forma media in confusione ipsius R. *Tertiò*, quomodo una forma deducatur in actum, quæ erat in potentia, & altera reducatur in potentiam, quæ erat in actu. *Quartò*, modum naturalem & infallibilem operandi seu investigandi & inveniendi veritatem de principio suppositionis per medium dubitationis usque ad finem demonstrationis. *Quintò*, infallibilem normam directricem hujus modi operandi; quæ omnia, si non omninò obtusum habes visum, ex dictis elicies.

Sed quia exemplis res meliùs illustratur, integrum processum continentem in se omnia quinque suprадicta puncta ante oculos

tuos posui in *Arte Compend.inv.Verit. Dist.1. p. 2. de Applicatione ipsius X.* per practicam quatuor figurarum illius fol. 9., præsertim in tertia Figura X., quæ est figura dubitationis, quam consule dicto loco; nam sicut ibi in Figura Elementari ignis & aqua habent formas confusas in Chaos sensuali, sic in S. Sapientia Justitia, Prædestinatio liberum Arbitrium, Scientia Ignorantia, C. G. sunt formæ confusæ in Chaos intellectuali, *& totum S. pervertitur in figuram ipsius R. in tertia figura, & est in dubio*, à quo se non potest expedire, donec pertingat ad quartam figuram, in qua fit determinatio & divisio in quatuor, prout ibi in quarta figura X. factum conspicies.

Repetendo itaque in compendio totum ordinem productionis primorum principiorum, accipe a., & divide in b. c., ex b. c. fac d., & habes Chaos quæsitum; hoc d. divide in e. f. g. h., & convertisti triangulum in quadrangulum, qui est quæsita forma universalis & materia prima logica, ex qua, cum qua, & per quam producuntur omnes formæ & materiæ particulares demonstrandi, per quam etiam una transmutatur in alteram, à qua fit descensus ad quodlibet particulare, & è converso ab hoc ascensus ad illam; hæc est medium, per quod fit motus in circulum de una forma in alteram, de una materia in alteram, de uno concreto in alterum &c., cujus Schema est hoc.

Systema operandi & demonstrandi Reale & Intentionale, Universale & Particulare.



Mirabilem & incomparabilem usum hujus Figuræ aliquibus exemplis tibi nunc adeò facilem & expeditum reddam, ut revelatione tanti Secreti non possis non summopere gaudere de methodo tam facili, tam certa & secura formandi demonstrationes in infinitum, & connectendi quamlibet cum qualibet, inveniendi sinè ullo labore vel defatigatione ingenii quascunque ignotas & occultissimas veritates à causis altissimis incipiendo, & per gradus intermedios ordinatè descendendo usque ad ultimos effectus individuos: sit igitur

e { Esse.
f { Non esse seu Privatio.
g { Perfectio.
h { Defectus.

Quo facto peregisti id in Logica, quod fecisti in Grammatica, quando formis universalibus o, as, at, amus, atis, ant, applicasti verba amo, laudo, vitupero &c.; quòd si loco horum principiorum ponas principia alterius Scientiæ, v. g. Physicæ sic:

e { Aër E.
f { Terra I.
g { Ignis N.
h { Aqua R.

habebis Systema primi Agentis realis & intentionalis.

Regula itaque generalis, quam observare poteris in suprapositа figura universali, est hæc: ut accipias quoscunque duos terminos oppositos secundùm tres species oppositionis, quas in Principio hujus Logicæ exposui, iisque è regione adjungas alios duos prioribus duobus concordantes & inter se oppositos; tunc enim ordinasti formam & materiam ad producendum finem demonstrationis.

Hæc autem ordinatio tripliciter fieri potest, aut capiendo quatuor universales, aut quatuor particulares, aut duos universales & duos particulares; quamcunque dispositionem verò elegeris, semper aut explicitè aut implicitè universales cum particularibus miscebuntur: nam sicut est impossibile inflectere particulare verbum amo, dicendo amo, amas, amat &c., quin simul implicentur formæ universales o, as, at, sic est impossibile ponere *generationem, corruptionem, vitam, mortem* &c., quin simul implicitè ponatur *Esse, Privatio, Perfectio, Defectus*, ût ad sensum patet.

Sed quia scientia de universalibus præcedit scientiam de particularibus, ideo, ut te exerceas in opere hujus primi Circuli, cape quoscunque quaternarios principiorum uni-

universalium in Arboribus, Figuris & Tabulis positorum in dicta oppositione relativa existentium, vel ex una Arbore, Figura vel Tabula tantùm, vel ex Arboribus, Figuris & Tabulis inter se combinatis (ût à me factum cernes in quatuor Figuris A. T. V. X. *Artis Universalis*, quæ incipiunt *Dist. 3. fol. 25.*, ex quibus formavi ibi circulum secundum, extrahendo ex his principiis universalibus conditiones universales) & colloca illos in suprapositо Systemate, ac postea procede, ût in sequenti secundo Circulo audies: si verò versaris in aliqua Arte vel Scientia particulari, accipe ex illa Arte vel Scientia terminos particulares in simili oppositione se ad invicem habentes, & junge duos particulares duobus universalibus meæ Artis, v. g. si ex Clave Principiorum Naturæ & Artis in fine Geometriæ posita sumeres *Incombustibile*, *Combustibile* loco g. h., vel alios quoscunque, adde ipsis e. f. universalia, hoc est, *Esse*, *Privatio*, vel *Perfectio*, *Defectus*, vel omnes quatuor sume ex illa Scientia, quia universales jam implicitè continentur in illis, & habebis Systema præparatum ad formandas conditiones & demonstrationes de illo particulari, quod inquiris; nam statim primo intuitu Systema universale tibi revelabit omnes habitudines, proportiones, proprietates & conditiones, quarum suprà in primo Circulo mentionem fecimus, & quibus indiges in secundo & tertio Circulo.

Disc. O sapientissime Magister! quantùm mirari me convenit, tam humile Artificium tanto tempore latere potuisse tot Viros doctos & sapientes, qui tuam Artem tamen se intimè callere existimabant, cujus equidem ne vestigium vel umbram in omnibus illorum scriptis invenire potui. Mag. Fili, hoc non aliunde provenisse arbitror, quàm quòd hi celebres Viri nimiùm confidentes suo ingenio, quo pollebant insigni, suæque scientiæ jam acquisitæ, non sufficientem operam impenderunt ad intima Arcana Artis investiganda in meis Libris, sed eorum more agentes, *qui videntes modum istius Artis aliqualem habere, statim spernunt Libros istius Artis conditiones camerarum habentes, & novas conditiones aliarum figurarum volentes invenire, cujus scientiam nondum habent: hi autem comparantur parvulis volentibus ambulare, & qui nondum habent usum membrorum:* „unde quia cameræ præ„dictarum figurarum jam conditionatæ „sunt per (me) Authorem Artis Demonstra„tivæ, frustra laboraret, qui istas figura „abjiceret, & novas quæreret, cùm eas „nesciret conditionare, nisi sciret condi„tiones prædictarum figurarum, sicut stul„tè abjiceretur ab Artifice dolabra sua, per „quam posset sufficienter operari, ut acqui„reret aliud instrumentum, per quod nesci„ret operari, Doctor Illum. in Introd. Art. Dem. cap. 24. in fine n. 2. fol. 13.

Absolvimus primam partem primi Circuli, nunc de secunda, scilicet de Definitionibus Principiorum, quas Conditiones simplices voco, aliqua scitu summè necessaria subjungam, scilicet quomodo una Definitio convertatur in alteram, una extrahatur ab altera, triangulariter & quadrangulariter, applicando pariter suprадictam Figuram quadrangularem: scias igitur, „quòd, „quia ista Principia sunt abstracta genera„lissima, ût per se patet, ad quæ Principia ge„neralissima est applicabile quidquid est, & „extra ipsa nihil est, cuilibet ipsorum damus „definitionem, adhoc, ut ipsum per suam „definitionem cognoscamus, & tractemus „tali modo, ut affirmando vel negando ni„hil concedamus contra suam Definitio„nem; *nam sua Definitio est sua Conditio*, & „sic destruendo suam conditionem sua pri„vatio sequeretur, Doctor Illum. in Arte DEI Dist. 1.: cùm autem hæc prima & universalissima Principia intellectualia sint per se nota cuilibet homini habenti sanum visum intellectualem, sicut primi quatuor colores, qui sunt prima & universalissima Principia sensualia, sunt per se noti cuilibet homini habenti sanum visum sensualem, & quodlibet horum Principiorum intellectualium sit realiter unum & idem cum altero in DEO, & realiter unitum cum altero in creatura, & quodlibet habeat suam propriam definitionem, quæ significat aliquam singularem proprietatem differentem à proprietate alterius, manifestum statim fit, quòd definitio cujuslibet sit convertibilis in definitionem alterius, & quòd quælibet sit combinabilis cum altera, & contrahibilis ad alteram; per quod statim aperitur magnum Secretum multiplicandi numerum definitionum universalium secundùm numerum conversionis cujuslibet in alteram, & combinationis cujuslibet cum altera, & per consequens revelationis multarum & diversarum proprietatum universalium & particularium de quolibet quæsito, ût statim vi-

debi-

debitur in Secreto extrahendi definitiones particulares ex Definitionibus universalibus, & combinandi Definitiones particulares cum Definitionibus universalibus. Singulorum horum Secretorum tibi dabo quædam exempla, &

Primò. Quomodo convertatur Definitio in Definitionem, & hoc dupliciter, videlicet aut per *concordantiam*, aut per *contrarietatem.* „ Accipiamus igitur ipsam diffi-„nitionem veritatis, & in quantum pote-„rimus in proposito & in opposito expli-„cando implicita multiplicemus, conver-„tentes eam in diffinitiones aliorum princi-„piorum reducendo eas ad eandem conclu-„sionem &c.: & iterum accipientes singu-„las diffinitiones jam traditas eorum prin-„cipiorum, quæ in ipsa diffinitione accep-„ta ponuntur, & contrahendo aliam alii „reducendo ad idem, & hoc de uno con-„cordantium ad aliud in proposito, sicut „de *veritate* ad *gloriam*, vel è converso, & „sic de aliis; aut de uno concordantium ad „aliud in opposito, ût de *falsitate* ad *pœnam*, „& è converso, & sic de aliis; aut de uno „contrariorum ad aliud, distrahendo aliud „istorum ab alio, quamplures per Artem „multiplicabimus diffinitiones, & ad idem, „videlicet ad eandem conclusionem redu-„centur, cùm ipsius ejusdem conclusionis „veritas conservabit inter prædicta concor-„dantia concordantiam, & inter prædicta „contraria contrarietatem; & cùm ejus op-„posita falsitas faciet sequi inter prædicta „concordantia contrarietatem, & inter „prædicta contraria concordantiam seu „conversionem; & hoc sic exemplificabi-„mus: & primò per conversionem diffini-„tionis isto modo.

Veritas est id, quod est verum de bonitate, magnitudine, gloria &c., „ad oppositum er-„gò, falsitas est id, quod est falsum de ma-„litia, parvitate, pœna &c.: modò con-„vertatur diffinitio veritatis in diffinitio-„nem gloriæ, & in diffinitionem bonita-„tis &c., & diffinitio falsitatis in diffinitio-„nem pœnæ, & in diffinitionem malitiæ „&c., & habemus, quòd gloria est id, quod „est gloriosum de veritate, bonitate, mag-„nitudine &c, & pœna est id, quod est pœ-„nosum de falsitate, malitia, parvitate &c., „& sic de aliis in proposito & opposito; & „istæ diffinitiones sic sumptæ sunt omnes „veræ: per consequens igitur istæ (sequen-„tes) diffinitiones erunt omnes falsæ: Ve-„ritas est id, quod est verum de malitia, „parvitate, pœna &c., & falsitas est id, „quod est falsum de bonitate, magnitudi-„ne, gloria &c.; & istæ similiter per con-„sequens conversiones: Gloria est id, quod „est gloriosum de malitia, parvitate, falsi-„tate &c., & pœna est id, quod est pœno-„sum de bonitate, magnitudine, veritate, &c., & sic de aliis hujusmodi, Doctor Illum. in Art. Invent. Dist. 4. Quæst. 9. fol. 151. n. 8. Tom. 4.

Secundò. Quomodo contrahatur Diffinitio cum Diffinitione, vel distrahatur una ab altera, vel specificetur una per alteram, idem dicendum de Principiis. „ Ex gene-„rali omninò generali, & speciali omninò „speciali constituitur tertium sapiens natu-„ram utriusque; est autem istud tertium „membrum magni ambitûs tanquam me-„dium extremitatum: speciale verò omni-„nò speciale est tanquam medium mensu-„rationis, id est, tanquam punctus in me-„dio, sustinens tanquam causa finalis, quid-„quid est de ipso, usque ad finem termina-„tionis, qui est omninò generalis. Est „autem omninò generale unumquodque „principiorum hujus Artis, scilicet bonitas, „magnitudo &c., differentia, concordan-„tia &c., sensualitas, intellectualitas, quan-„titas &c., & quodlibet eorum principio-„rum, quod implicitè sub quolibet illorum „principiorum continetur (ût sub perfe-ctione libertas, justitia, dominium, humi-litas, misericordia, quorum aliqua explicitè sunt posita in Figura A. Artis Compendiosæ, quæ in Figura A. Artis Generalis Ultimæ non habentur) „& diffinitio seu conditio à „quolibet eorum tam implicitorum, quàm „explicitorum, simpliciter sumpta.

„ Non omninò verò generale seu spe-„ciale est connexio vel remotio, quam u-„numquodque prædictorum omninò ge-„neralium habet cum alio, sinè qua ipsa „omninò generalia esse non possent; & hæc „est tota secunda Distinctio Artis Inventivæ (& tota Distinctio tertia Artis Universalis): „habet enim hoc ita esse, quia prædicta „connexio vel remotio contrahit unum-„quodque principiorum prædictorum de „generalitate ad minorem generalitatem „&c.: habet autem fortificari hæc spe-„cificatio ascendendo & descendendo in „dicta secunda distinctione de camera ad „cameram, & de §. in §.; & hoc tribus „modis, scilicet simpliciter & secundùm „quid, & utroque modo mixtim &c.: ha-„bet autem hoc fieri tribus modis, videli-„cet de DEO simpliciter per se, vel de DEO „in relatione ad creaturam, vel è conver-„so, vel de ipsa creatura simpliciter per se „sumpta, ita, quòd unumquodque om-„ninò specialium in aliquo istorum trium „modorum de necessitate versatur, & per „eum speciales sortitur conditiones per se „notas, Doctor Illum. ibid. Dist. 3. Reg 4. f. 41., de quibus plura summè utilia illic vide.

Tertiò, ex præcedentibus duobus Secretis deducitur tertium. Quomodo extrahatur Principium de Principio, Definitio de Definitione, & Conditio de Conditione, scilicet universalis de universali, particularis de universali, particularis de particulari; exempla rem planam facient: sit hæc generalis definitio bonitatis. *Bonitas est id, ratione cujus bonum agit bonum, & sic bonum est esse, & malum est non esse:* ex hac generali definitione facilè extrahes aliam generalem de magnitudine, convertendo hanc in illam, dicendo sic: *Magnitudo est id, ratione cujus magnum agit magnum, & sic magnum est esse, & parvum est non esse*; vel contrahendo & specificando sic: *Bonitas magnitudinis est id, ratione cujus bonum magnum agit bonum magnum &c.*; vel convertendo definitionem universalem in particularem per contractionem & specificationem sic: adde superiori universali definitioni bonitatis aliquod principium particulare, v. g. *ignis, aquæ*, vel cujuslibet alterius in Tabula Artis & Naturæ positi, & exsurget sequens definitio particularis: *Bonitas ignis est id, ratione cujus bonus ignis agit bonum ignem*; vel contrahendo plura principia generalia ad unum speciale, vel è converso, v. g. *Bonitas ignis universalis est id, ratione cujus bonus ignis universalis agit bonum ignem universalem*: ex qua definitione statim detegitur magnum Secretum magnæ operationis ignis universalis; nam cùm generalis bonitas sit generale principium bonificandi existens in omni speciali, est non solùm principium bonificandi generaliter, sed etiam specialiter per speciale: unde bonificare ignis non solùm est bonificare generale, sed bonificare speciale ignis, quod est ignificare, & in colore bonificare speciale coloris, quod est colorificare, & in vegetativa bonificare speciale vegetativæ, quod est vegetare, & ita de omnibus aliis terminis particularibus bonitati adjunctis; & quod dixi de bonitate, intellige de magnitudine, duratione, potestate, quæ principia & earum definitiones revelant semper novas & novas proprietates speciales, si jungantur terminis & principiis specialibus, v. g. si definitio magnitudinis, quæ est hæc: *Magnitudo est id, ratione cujus bonitas, duratio, potestas sunt magnæ, ambiens omnes extremitates essendi*, contrahatur ad *Agens reale* vel *intentionale*, revelatur hæc insignis specifica proprietas, *quòd magnitudo agentis sit id, ratione cujus bonitas, duratio, potestas agentis sunt magnæ, & adeò magnæ, ut hoc agens per dictam magnitudinem ambiat omnes extremitates essendi rerum naturalium & intentionalium*, & per consequens operandi ratione suæ potestatis; quod patet ex definitione potestatis, quæ est: *Potestas est id, ratione cujus bonitas, magnitudo, duratio agentis possunt existere & agere*; & hic revelatur nova proprietas agentis per suam potestatem: quòd si huic termino *Agentis* jungas plures *universales* vel *particulares*, v. g. hos ipsos duos, iterum pròdibunt in lucem novæ proprietates, secreta & veritates antea incognita, scilicet, quòd detur *Agens universale & particulare*, habens potestatem, magnitudinem, durationem, virtutem &c. universales & particulares. Si quis autem audeat negare, dari tale Agens universale, recurre ad tuum Quadrangulum Systematis universalis suprà positi, & pone hæc duo principia in g. h. vel e. g., nam subitò videbis, quòd universale conveniat cum perfectione & esse, & particulare cum defectu & privatione; vel quòd particulare conveniat cum esse, & universale cum perfectione, quæ est majus esse.

Præter hunc explicitum modum extrahendi Definitionem de Definitione est alius istum implicitè involvens, proportionando particularem cum universali, qui est infinitæ & inexplicabilis utilitatis; nam vel hoc solo infinitæ occultæ veritates sinè ullo labore possunt erui; de quo sint sequentia exempla. Sicut bonitas est principium bonificandi, sic vegetativa est principium vegetandi, ignis principium ignificandi, lapis principium lapidificandi, aqua principium aqueificandi, arsenicum principium arsenificandi, vitriolum principium vitriolificandi, aurum principium aurificandi; & contrahendo unum principium cum altero, sicut bonitas & magnitudo contracta ad invicem sunt unum principium compositum bonificandi & magnificandi, sic vegetati-

va & aurificativa contractæ ad invicem sunt unum principium compositum vegetandi & aurificandi; & hoc est ipsum argumentum à me usurpatum in *Distinctione 3. Libri Quint. Ess. in Quæstionario quæst. 1. Fig. fundam. S.*, quo meis Adversariis evidenter volui demonstrare possibilitatem hujus Arcani: unde si habuissent notitiam meæ Artis, & vel prima rudimenta definitionum penetrassent, non potuissent non convinci dictis rationibus, cùm universalia principia & definitiones sint infallibiles regulæ, quæ particularibus admotæ eadem necessitate necessitant illa, quâ ipsa sunt necessaria; hoc enim coarctat necessitas principiorum, ut universalia necessitent & verificent particularia.

Prætereaex secundo Secreto de contractione universalis ad particulare emergit alterum in hoc tertio, scilicet Secretum abstractionis, abstrahendo universale à particulari, tanti quoque usûs in Arte significandi, ut dici vix possit; nam sicut, contrahendo bonitatem ad ignem, bonitas, quæ erat generalis, specificatur ad ignem, ut non ampliùs sit generalis vel alterius particularîs, nisi hujus, quod est ignîs; & sicut radii solis, qui sunt generales, transeuntes per vitrum viride specificantur in illo, & operantur sub habitu coloris viridis, & sicut aqua, quæ est generalis, contracta ad metalla, specificatur in illis, ut non ampliùs sit generalis, sed metallica, sic è converso abstrahendo speciem ab individuo, & genus à specie, bonitas, quæ erat individua, reducitur ad speciem, & quæ erat specifica, reducitur ad genus; ût patet in igne individui, qui abstrahendo reducitur in ignem speciei, & ulteriùs abstrahendo in ignem generis, ût patet à dato exemplo aquæ in metallis; nam aqua individuata in hoc metallo per abstractionem physicam fit aqua specifica, hoc est, metallica; & hæc per abstractionem fit aqua generica, hoc est, aqua.

Dabo adhuc unum nobile exemplum de magnete: tu vides, Fili, in magnete esse virtutem attractivam ferri, unde quando vides virtutem attractivam ferri, vides hoc individuum, & quando audis nominari virtutem attractivam magnetis, intelligis speciem, & quando audis dici virtutem attractivam tantùm, intelligis genus: unde cognoscis, quòd in magnete sit virtus generalis attractiva, quæ ante sui specificationem & individuationem erat generalis, attrahens generaliter omnes species & individua huic generi subdita; sed post specificationem & individuationem suam est determinata ad hoc tale, scilicet magnetem, ut non attrahat nisi ferrum, est tamen abstrahibilis per Artificem naturalem ab hoc individuo, & ponibilis in sua generalitate, vel contrahibilis ad aliud individuum, vel componibilis cum pluribus individuis formis simplicibus in unam formam compositam (& hoc suprà demonstravi in exemplo Grammaticæ & Physicæ) sicut erat contrahibilis à sua generalitate ad hanc speciem & individuum.

Ex hoc ultimo Secreto confirmatur mea doctrina toties repetita in meis libris de Realitate & Existentia reali Generum & Specierum; nam sicut attractiva generalis est potentia generalis vegetativæ generalis habentis sub se adhuc tres alias potentias generales, scilicet retentivam, digestivam & expulsivam, quæ attractiva & expulsiva generales sunt formæ generales informantes duas similes formas specificas in magnete, sic quodlibet individuum naturale habet in se aliquod genus reale specificatum & determinatum, quod per abstractionem reduci potest in suam generalitatem, & quod significatur in Grammatica per nomen simplex illius individui: v. g. *vinum, vitriolum, sal, minera, metallum &c.* Fili, hoc est magnum Mysterium & Arcanum antiquorum Sapientum, quod tibi nunc candidè refero, & fuit occasio erroris multorum Literatorum, qui ignorantes Secreta Philosophiæ, quando legerunt in libris horum Philosophorum de *vino, vitriolo, sale, minera, metallo* & similibus, nescientes alia, nisi illa individua vulgariter cognita, accipiebant vitriolum pro vitriolo cupri vel martis, & vinú pro vino rhenano, ungarico vel austriaco &c.; sed si scivissent hanc doctrinã meæ Logicæ, & illam meæ Philosophiæ, utiq; cognovissent, quòd aliud sit vinum, sal, vitriolum &c. *particulare*, aliud *universale*; imò addendo hos duos terminos præcedentibus statim hæ veritates illis innotuissent: quapropter scito, Fili, non solùm dari *vinum, sal, vitriolum &c. universale & particulare*, sed naturale tantùm, vel artificiale tantùm, vel compositum ex ambobus, & sic de cæteris: item per hoc genus unam speciem individuatam esse convertibilem in alteram: unde scito, dari vinum vitrioli, & vitriolum vini, vinum metalli, & vitriolum metalli, item mineram

ne ram factam ex metallo, & vitriolum factum ex minera metalli, & vinum factum ex vitriolo mineræ metalli: qui habet aures audiendi, audiat, quia nemo ante me hæc tantâ claritate revelavit.

Finiamus hunc primum Circulum, redeundo à Logica naturali & reali ad Logicam artificialem & intentionalem, revelando etiam de hac aliquod pulchrum & præstantissimum Secretum, quod est, dari in hoc primo Circulo particularem & primam methodum demonstrandi fundatam super Definitiones & Conditiones simplices Principiorum universalium, quam *Distinctione 4. meæ Artis Inventivæ* per omnes 9. Quæstiones in primo modo solvendi practicatam invenies; quæ, quamvis multùm distet à secunda & tertia in sequentibus duobus circulis contenta, attamen talis & tanta est, ut hâc solâ exiguo tempore in Virum verè doctum & scientificum evadere possis: quæso, compara demonstrationes hujus ad probationes deductas per Methodum aliorum Doctorum, ut experiaris differentiam.

De Secreto Secundi Circuli.

MAg. Multùm prolixus fui in expositione Secretorum primi Circuli, nec tamen centesimam partem horum expandere potui in hoc arcto spatio, quod nihilominùs respectu propositi nimis est extensum; unde cogar abbreviare duos sequentes Circulos, quantùm possum, sit igitur

Quomodo fiant Conditiones compositæ ex Conditionibus simplicibus, hoc est, Definitionibus; quomodo una concordet cum altera, vel contrarietur alteri; quomodo una extrahatur ab altera, scilicet generalis à generali, specialis à speciali, specialis à generali, & è converso; & quomodo ponantur in triangulos & quadrangulos, in quibus simul apparebit modus demonstrandi in hoc secundo Circulo.

Fili, magnum tibi nunc statim Secretum aperiam de Figura S. & T.; ponendo enim Figuram T. in Figuram S. absolvitur omne id, quod in hoc secundo Circulo & aliis duobus promisi: dante T. triangulos & S. quadrangulos Definitionum, Conditionum & Demonstrationum; sed nota, quòd T. sit generale instrumentum S., & à T. semper sit incipiendum; nam omnia opera, quæ in S. & aliis figuris peraguntur, suam formam recipiunt à Figura T.: nam sicut Circulus est principium omnium figurarum curvilinearum, sic triangulus est principium omnium figurarum rectilinearum. In hac Figura est scala ascensûs ab individuo ad speciem, à specie ad genus, & è converso descensus; in hac Figura est Rota circulandi de Principio in Principium, de Definitione in Definitionem, de Conditione in Conditionem, de Demonstratione in Demonstrationem; nam quamvis sit triangularis, est tamen etiam circularis, quia est impossibile, unam Figuram esse sinè altera, scilicet Circularem, Triangularem & Quadrangularem: in hac Figura formantur Conditiones universales, ex quibus postea extrahuntur Conditiones particulares aliarum Figurarum; & hæc est causa, quare in mea *Arte Universali Dist. 3.* præmiserim Figuram T. cæteris tribus Figuris, scilicet A. V. X.; nam omnes Conditiones harum trium Figurarum sunt elicitæ ex Conditionibus Figuræ T.: hoc ipsum observabis in *Compendio Artis Demonstrativæ*, quod habetur Tomo 3., & in *Libro Propositionum dictæ Artis Demonstrativæ*, qui est in fine ejusdem Tomi; quin dico tibi, me de hac Figura feciss̃e integrum & peculiarem Librum immensi pretii, qui vocatur *Ars inveniendi particularia in Universalibus*, qui etiam habetur eodem Tomo ante dictum Librum Propositionum, qui illi servit velut materia formæ ad producendum concretum infinitarum demonstrationum & modorum argumentandi in Circulum, quorum exemplar posui in antecedentibus, scilicet in Secreto Figurarum.

Disc. O Pater, si Inimici tui noviss̃ent Secreta solius hujus Figuræ, servientia tam operationibus realibus, quàm intentionalibus, & potuiss̃ent pertingere vel ad solum usum operationum intentionalium & intellectualium, non præsumpsiss̃ent unquam emendare tuam Artem, imò gratias immensas egiss̃ent DEO bonorum perfectorum & optimorum Largitori pro tanto dono.

Mag. Ordiamur ipsum opus, sit hæc Conditio simplex: *Majoritas est imago immensitatis, magnitudinis &c.*, adde huic Conditioni generali aliud principium generale, v. g. *Virtutem*, & habebis Conditionem specialem seu contractam ad speciem & compositam, quæ est hæc: *Majoritas virtutis est imago immensitatis magnitudinis virtutis*: huic iterum junge aliud principium generale vel speciale, v. g. *Operationis*, & elicies aliam Conditionem uno gradu magis specificam & compositam, scilicet: *Majoritas virtutis operandi est imago immensitatis*

magnitudinis virtutis operandi: ex qua vel unica Conditione ſubitò innumeræ prodibunt demonſtrationes & revelationes veritatum ſecretarum in omni ſcibili, v. g. in Theologia hæc: *quòd in DEO ſit Productio:* in Philoſophia, *quòd detur aliqua virtus operandi naturalis univerſalis, regens & perficiens omnes alias virtutes naturales particulares:* in Medicina, *quòd detur aliqua virtus ſanandi naturalis univerſalis major omnibus particularibus, quæ poſſit deſtruere omnia genera infirmitatum particularium:* in Jure, *quòd detur aliqua juſtitia univerſalis, quæ comprehendat in ſe omnia jura particularia:* in Geometria, *quòd detur aliqua menſura, æquatio vel proportio univerſalis, quâ ſint menſurabiles omnes menſuræ, æqualitates & inæqualitates vel proportiones particulares:* in Muſica, *quòd detur aliqua proportio harmonica univerſalis, ex qua eliciantur omnes particulares*; & ſic de cæteris.

Fili, huic fundamento inſiſtens percurre totam *Diſtinctionem tertiam Artis Univerſalis*, & miraberis, quantâ promptitudine & facilitate eliciantur ex univerſalibus infinita particularia in omni ſcibili; quæ divina Ars hucuſque omnibus Doctis ignota ex ipſis cauſis demonſtrat effectus & ſecreta naturæ etiam omnium aliarum Artium & Scientiarum rudibus & inexpertis, quod eſt illud paradoxum pro impoſſibili habitum à meis Reformatoribus: tu experimentum ſume addendo principia Tabulæ ſeu Clavis Naturæ & Artis in fine Geometriæ poſitæ, conditionibus è Figura T. excerptis, & lætaberis: v. g. ſit hæc conditio compoſita: *in creatura eſt impoſſibile reperiri concordantiam ſinè contrarietate*, quæ eſt extracta è triangulo livido, viridi & nigro; huic adde principia Clavis *levitatis & gravitatis*, ſtatim intelligis, quòd gravitas ſit creatura; & quia in omni corpore ſentis gravitatem, & non ſentis levitatem, dubitas, an detur levitas? ſolutionem hujus dubii dat tibi data conditio; cùm enim gravitas ſit creatura, & ſit impoſſibile, in creatura reperiri concordantiâ ſinè contrarietate, ergò eſt impoſſibile, in gravitate eſſe concordantiam qualitatum ſinè contrarietate; ſed eſſet, ſi non eſſet *levitas* contraria gravitati: unde cùm in plumbo & auro maximè ſentiatur gravitas, & non ſentiatur levitas, ſequitur, quòd operatio gravitatis ſit in *actu*, & operatio levitatis ſit in *potentia*, qui actus per *poſſibilitatem* poteſt tranſire in potentiam, & quæ potentia per *poſſibilitatem* poteſt tranſire in actum tunc, quando elementa *levia*, quæ ſunt *ignis* & *aër*, dominantur ſuper elementa *gravia*, quæ ſunt *aqua* & *terra:* ecce januam tibi aperui ad Arcana Philoſophiæ, quæ toties in meis libris nominavi, promiſi & demonſtravi tam theoricè, quàm practicè.

Sit aliud exemplum majoris indaginis: tu ſenſualiter ſentis, quòd detur in natura aliquod corpus fluidum, opacum, non madefaciens, & ſentis, quòd in hoc corpore ſint tres diſtinctæ proprietates, ſcilicet *fluiditas*, *opacitas* & *non madefactio*, jam quæris, utrùm in natura detur actu, vel ſit dabile aliquod corpus fluidum, diaphanum, non madefaciens? & quoniam fluidum, ſolidum, madefaciens, non madefaciens, diaphanum, opacum opponuntur, omnes iſti termini ſunt ponibiles in Figura quadrangulari univerſali, ſcilicet in e. f. g. h.; ſed quia in quæſtionem cadunt tantùm duo oppoſita, videlicet *diaphanum*, *opacum*, & aër ſit diaphanus, terra verò opaca, manifeſtum eſt, quòd diaphanum concordet cum e. g., & opacum cum f. h.: igitur applicando quæſtionem ad dictam conditionem ſic ſolvitur: quia f. h. ſunt in eſſe, & eſt impoſſibile, in creatura eſſe unum contrarium ſinè altero, ût fert conditio, ergò e. g. ſunt in eſſe. Iterum extrahendo conditionem ex conditione ſic confirmatur ſolutio: *quia in creatura eſt impoſſibile inveniri concordantiam ſinè contrarietate, ergò in creatura eſt impoſſibile inveniri contrarietatem ſinè concordantia*; quod probatur, quia contrarietas convenit cum f. h., & concordantia cum e. g.: unde ſi f. h. convenit cum e., multò magis e. g. convenit cum e.; quia ſi non, contrarium ipſi e. concordaret cum e., & concordans cum e. contrariaretur ipſi e., & concordaret cum f.; quod eſt contradictio. Ex ſecunda conditione inventa extrahitur tertia pro confirmatione ſolutionis: *quia in creatura eſt impoſſibile inveniri contrarietatem ſinè concordantia, & concordantia convenit cum majoritate, contrarietas verò cum minoritate: ergò magis eſt impoſſibile, inveniri in creatura contrarietatem ſinè concordantia, quàm concordantiam ſinè contrarietate*; & ſic habetur unus triangulus conditionum, qui reducitur in quadrangulum, convertendo conditionem formatam per impoſſibile in conditionem formatam per neceſſarium.

Sit tertium & ultimum exemplum: tu ſenſualiter ſentis in oleo combuſtibilitatem, & non ſenſualiter ſentis in oleo incombuſtibilitatem: unde quia in te potentia ſenſitiva eſt inferior potentia, quàm imaginativa, & imaginativa inferior, quàm intellectiva, ſcis *per Regulam 8. meæ Artis Invent. de Punctis tranſcendentibus*, quòd imaginativa poteſt tranſcendere ſenſitivam, & intellectiva imaginativam: igitur per imaginativam imaginaris, & per intellectum affirmas oleum incombuſtibile; & quia ſenſus negat, quod intellectus affirmat, quia ſenſus nunquam ſenſit oleum incombuſtibile, E. I., hoc eſt, affirmatio & negatio certant ſuper e. f. olei incombuſtibilis: ad decidendam hanc litem inter ſenſum & intellectum intrat Figura T. cum ſuis conditionibus, & ponit hanc conditionem: *major eſt perfectio in affirmatione affirmante perfectionem, quàm in affirmatione affirmante defectum*; & convertendo hanc conditionem, ac extrahendo aliam conditionem ex alia, *major eſt defectus in negatione negante perfectionem, quàm in negatione negante defectum*; & convertendo hanc ſecundam in tertiam ſic: *major eſt perfectio in negatione negante defectum, quàm in negatione negante perfectionem:* ergò convertendo hanc tertiam in quartam, *major eſt defectus in affirmatione affirmante defectum, quàm in affirmatione affirmante perfectionem*; quæ omnes conditiones ſunt primitivæ, univerſales, veræ & neceſſariæ, ergò particularia quoque ex illis deducta, cùm nullum univerſale verum deſtruat ſuum particulare verùm: ergò datur oleum incombuſtibile, nam *incombuſtibile* convenit cum *perfectione*, & *combuſtibile* cum *defectu:* unde ſi affirmatio ſenſûs & intellectûs affirmans oleum combuſtibile convenit cum perfectione, & affirmatio intellectûs affirmans oleum incombuſtibile non conveniret cum perfectione, ſequeretur contra primam conditionem, quòd non eſſet major perfectio in affirmatione affirmante perfectionem, quàm in affirmatione affirmante defectum; & ſi affirmatio affirmans perfectionem eſſet in eſſe, & perfectio affirmata eſſet in privatione, ſequeretur, quòd perfectio intentionalis, quæ eſt minor, eſſet in eſſe, & perfectio realis, quæ eſt major, eſſet in privatione; & ſi hoc ita eſſet, ſequeretur, quòd minor perfectio & falſitas & eſſe concordarent, & quòd major perfectio & veritas & privatio convenirent; & ſi hoc eſſet verum, ſignificaret, quòd ſuprema perfectio & veritas realis, quæ eſt maxima, eſſet in privatione; & hoc eſt impoſſibile.

Plures ſimiles demonſtrationes poſſem è reliquis tribus conditionibus efformare, ſed hæc ſufficit ad oſtendendum modum operandi in ſecundo Circulo.

Diſc. Recolo, Pater, ni me fallit memoria, me quondam legiſſe in Libro cujusdam Viri famoſi, non eſſe poſſibile oleum incombuſtibile, videtur namque involvere contradictionem in adjecto; quomodo enim poteſt ardere oleum, & non comburi? Mag. Fili, ſi ille Vir celebris nunquam vidiſſet chartam ex asbeſto præparatam, nunquam per ſuam Philoſophiam potuiſſet inveſtigare cauſas & principia chartæ ardentis & incombuſtibilis: ergò non eſt mirum, ſi non potuit concipere incombuſtibilitatem in oleo, cùm ignoraverit principia olei incombuſtibilis, quod eſt medium compoſitum ex terra & aqua incombuſtibilibus, quæ ſunt terra terræ & aqua aquæ, hoc eſt, terra abſtracta à terra, & aqua abſtracta ab aqua; *eſt enim in centro terræ terra quæpiam virgo, quam ignis ardere non poteſt in die terroris*, Doctor Illum. in Theor. Teſt. cap. 3.; & idem intellige de aqua. Non tamen dico, Fili, hoc oleum incombuſtibile neceſſariò debere ardere, eſt enim differentia inter lucere & ardere, inter ardere & non lucere, inter ardere activè, h. e., comburere, & inter ardere paſſivè, hoc eſt; comburi: unde huic optimo Viro accidit, quod Moyſi, qui non potuit capere, quòd rubus ardebat, & non comburebatur.

Idem artificium reperitur in *Regulis* & *Modis*, quod in *Conditionibus*, eliciendo Regulam ex Regula, Modum ex Modo, contrahendo Regulam cum Regula, & Modum cum Modo &c.; ſed quia Regulæ & Modi habent inſuper ſua peculiaria Secreta, quæ hìc exponere tempus non vacat, loca allegabo, ubi illa recondidi; itaque Secretum Regularum invenies *Diſt. 3. Artis Inventivæ*, Secretum Modorum in *Arte Compendioſa* implicitè, ſed explicitè in *Libro magno Contemplationis:* exemplum accipe de duobus tantùm, ſcilicet de *Modo Significationis*, qui eſt tertius, & de *Modo Orationis*, qui eſt ſeptimus in dicta Arte Compendioſa, ſed ambo Secretis ſuis integra mihi implerunt volumina; in teſtem voco *Diſtinctionem quadrageſimam* dicti Libri Contemplationis, quæ tota eſt *de Oratione*: Fili lege, & ora DEUM, ut tibi revelet Secreta ſublimia & ardua, quæ mihi dignatus eſt in exaratione dictæ Diſtinctionis inexplicabili ſuâ bonitate communicare.

Jam Fili, ingredere alacer ſemitas tibi ſtratas ſupradictæ *Diſtinctionis tertiæ Artis Univerſalis*, & Librorum ex illa promanan-

tium, scilicet Principiorum Theologiæ, Philosophiæ, Juris & Medicinæ, item Librorum secundi Tomi de Gentili & tribus Sapientibus, Mirandarum Demonstrationum, de Articulis Fidei; nam in hoc itinere perpetuò te sequetur alveus purissimus ex hoc uno fonte quadrangulari nitidissimo profluens, qui sitim poterit extinguere, mentemque curis lassam refocillare.

De Secreto Tertii Circuli.

MAg. Si primus Circulus est magni ambitûs, secundus est majoris, ût vidisti, sed tertius maximi; hic enim est velut oceanus fundo carens, quamvis non carens fundamento, nam sustentatur totus primo & secundo; imò totus innititur uni Figuræ Agentis Universalis vel Quadranguli in Capite primi Circuli positi, ût experimento cognosces: unde cùm omnis Demonstratio magis convincat intellectum per experimentum, quàm sinè experimento, & experimentum sit fundamentum, super quod intellectus fundat suum intelligere sive scire, ût dixi in *Prologo Experientiæ Realitatis Artis Generalis*, duo statim in hoc Circulo simul agam, dando Modum demonstrandi intellectualem in experimento intellectuali, & Modum demonstrandi sensualem in experimento sensuali, convertendo sensum literalem unius in sensum metaphoricum alterius, & è converso: ad quod faciendum ponatur sequens

Quæstio: *Quomodo Anima purificetur in Corpore & extra Corpus, & de novo conjungatur cum Corpore?* Solutio. Quia Quæstio involvit Principia theologica & philosophica, quæ sunt specialia, ponenda sunt in solutione principia specialia; & quia nulla solutio formari potest sinè Principiis generalibus, ponenda sunt in solutione Principia generalia: unde qui vult habere cognitionem, quomodo Principia generalia agant in specialia ad producendam demonstrationem, & vult cognoscere, *utrùm sua Anima sit purificata & mundata à peccato, convenit, quòd figuret figuras sensuales, ut per illas possit elevare suum intellectum ad figurandas figuras intellectuales, per quas habeat cognitionem de purificatione & munditie Animæ*, Doctor Illum. Vol. 3. Lib. 5. Contempl. cap. 361.; quia est impossibile, quòd Anima separata à corpore denuò uniatur perfectâ unione cum corpore, nisi post perfectam purificationem utriusque: idcirco ponimus

Principia Specialia.

A DEUS.
b Significatio ipsius A., h. e. Agens Universale.
c Spiritus.
d Significatio c., R. seu Aqua.
e Anima.
f Significatio e., E. seu Aër.
g Corpus.
h Significatio g., I. seu Terra.
i Compositum ex c. e. g.
k Significatio i., N. hoc est Compositum ex R. E. I.
l Memoria, Intellectus & Voluntas Hominis.

Principia Generalia.

m Perfectio.
n Defectus.
o Esse.
p Privatio.

His positis extrahamus à Principiis generalibus quandam Regulam generalem, per quam dirigamur in sequentibus Demonstrationibus ad veritatem infallibiliter inveniendam; quia sinè regula non haberetur medium ad attingendum finem Y.

Disc. Quid est ergò Regula? Mag. *Regula est quædam utilis ordinatio ex necessariis principiis procedens tanquam via compendiosa seu medium veniendi ad finem optatum*, Doctor Illum. Dist. 3. Art. Inv. de Reg. fol. 37.; ex qua descriptione cognoscis, quàm miserè decepti sint, qui incidentes in *quartam Partem meæ Artis Generalis Ultimæ*, quæ est *de Regulis*, scilicet *utrùm, quid &c.* (quas regulas ibi etiam quæstiones nominavi) putabant, has regulas solummodò à me inventas ad faciendas quæstiones, & ne quidem somniabant, solutiones quæstionum in illis implicatas: quod si sic esset, modicus in illis esset profectus; nam nil facilius, quàm formare quæstiones, sed nil difficilius, quàm dare solutiones quæstionum: quapropter, ut significarem, unum & alterum me tradere sub iisdem principiis, distinxi illa per duo diversa nomina, scilicet *Quæstionum* & *Regularum*, ut *Modus solvendi* statim jungeretur *Modo quærendi*: & quòd hoc verum sit, facilè animadvertere potuissent, si vel obiter saltem primam Regulam inspexissent, quæ est de *utrùm* vel *suppositione*, in qua docetur, quomodo intellectus de suppositione possit pervenire ad affirmationem vel negationem; *& hoc cum tali conditione, ut semper*

per concedat, hoc, quod est magis recolibile, intelligibile & amabile, in conclusione esse verum; per quam solam Regulam vel Conditionem milliones quæstionum sunt solubiles: unde si minima, quæ sinè ullo involucro dedi, in Arte non sunt assecuti, quid de maximis illius Secretis, quæ omni studio occultavi, ne indiscriminatim omnibus tam dignis, quàm indignis obvenirent, censes, illos consecutos?

Hæc ipsa Regula supradicta implicitè continetur in generalibus quatuor principiis m. n. o. p., & esset sufficientissima ad omnes sequentes demonstrationes per illam producendas: ut autem videas fœcunditatem horum principiorum, eliciam ex illis aliam ejusdem roboris & generalitatis. *Quando n. p. junguntur, & intrant in o., ac ex illo expellunt m., tunc omnes reliquæ figuræ seu literæ speciales perverturtur in l., ad significandum, quòd Z. est in l., & Y. privatur in l.; & quando m. intrat in o., & n. p. exeunt ex o., tunc omnes figuræ & literæ speciales se convertunt & diriguntur ad significandum ipsi l., quòd Y. est in l., & Z. privatur in l.*; in hanc ergò Regulam firma acies visûs tui intellectualis in omnibus demonstrationibus, quæ sequuntur:

1. Intellectualiter intelligimus, quòd inter A. & i. sit differentia; quia si non, in i. non esset n. cum m., vel in A. non esset m. sinè n.: unde cùm i. differat ab A. per hoc, quia in i. est m. n., & in A. non est nisi m., manifestum est, quòd differentia, quæ est inter i. & A., est in concordantia & contrarietate; nam si inter i. & A. non esset concordantia, sequeretur, quòd m. i. & m. A. non concordarent; & si non esset contrarietas, sequeretur, quòd m. & n. non essent contraria; & hoc est impossibile: unde quando l. affirmat, quòd m. ipsius A. potest ponere m. in o. ipsius i., & potest privare n. ex o. ipsius i., tunc b. k. significant, quòd Y. est in l., & quòd est p. ipsius Z. in l.

2. Cùm i. sit compositum ex c. e. g., & e. sit majus, quàm g., sequitur, quòd m. n. ipsius e. sit majus, quàm m. n. ipsius g.; nam si m. ipsius e. esset majus, quàm m. ipsius g., & n. ipsius g. esset majus, quàm n. ipsius e., sequeretur, quòd e. non se haberet ad g., ût e. m. ad g. m., & e. n. ad g. n.: & si hoc ita esset, sequeretur, quòd inter e. & g. non esset proportio, & quòd p. ipsius m. de e. non esset majus, quàm p. ipsius m. de g.; & hoc est impossibile: nam si esset possibile, m. ipsius e. non esset majus, quàm m. ipsius g.

3. Quia totum n., quod potest cadere in e., venit per n. ipsius g. in e., & A. non est g., sed est m., quanto magis e. recedit ab n. ipsius g., tantò magis accedit ad m. ipsius A., & è converso; & quantò magis accedit ad m. ipsius A., tantò magis recedit ab n. ipsius e.; & quantò magis recedit ab n. ipsius e., tantò magis accedit ad proprium m., per quod demonstratur, quomodo e. purificatur ab n.

4. Sicut est possibile, esse m. in e., quamvis non sit m. in g., sic est possibile, esse n. in g., quamvis non sit n. in e.; & hoc patet in homine justo & infirmo: & sicut est impossibile, quòd ullum n. esset in g., nisi priùs n. fuisset in e., sic est impossibile, quòd m. redeat in g., nisi priùs redeat in e.; nam si esset possibile, esse n. in g., antequam esset n. in e., significarent h. f. b., quòd n. esset in A., quia non fecisset proportionem inter g. & e., quæ convenit cum m.; & sic A. fecisset contrarium ipsi m., ergò concordans cum n. contrario suo m.; & hoc est impossibile: & si esset possibile, redire m. in g., antequam redeat m. in e., significarent h. f. b., quòd non esset m. in a., vel quòd A. nihil esset; nam si esset m. in g. ante m. in e., n. ipsius e. naturaliter tenderet ad m. ipsius g., tanquam ad suum finem, cùm m. sit finis ipsius n.; & quantò magis e. accederet ad g., tantò magis recederet ab A. contrario ipsi g.; & sic A. esset principium ipsius e., & g. esset finis: ergò non esset m. in A. conveniens cum fine, vel A. nihil esset; quod est impossibile.

5. Cùm omne m. venerit in g. per A. e., & omne n. venerit in g. per e. tantùm, est impossibile, quòd g. recuperet m., nisi per A. e., & est impossibile, quòd g. recuperet p. ipsius n. per e. tantùm; quia si esset possibile, quòd per e. tantùm esset p. ipsius n. in g., esset possibile, quòd per e. tantùm esset o. ipsius m. in g.; & si hoc esset possibile, non esset necessarium, quòd g. recuperaret m. per A. e.; quod est contradictio ad esse impossibile, quòd g. recuperet m., nisi per A. e.

6. Sicut per potentiam ipsius n. in e. fuit possibile cadere actum ipsius n. in e. existens in g., sic per actum ipsius m. in A. debet esse possibile cadere actum ipsius m. in e. existens in g.; quia si non, sequeretur, quòd e. haberet majorem potestatem per n., quàm A. per m.; & hoc est impossibile, cùm potestas & m. conveniant, & potestas & n. contrarientur.

7. Quia

7. Quia e. est separabile à g., m. n. ipsius e. sunt separabilia ab m.n. ipsius g.; nam quando g. per hoc, quòd e. separatur à g., per suum n. cadit in corruptionem, e. non corrumpitur, ergò nec m. n. existentes in e.: unde si m. ipsius g. potest conservari in g. corrupto, licèt n. corrumpatur in g., ut in resurrectione ipsius g. possit esse m. in g. sinè n., quantò magis m. ipsius e. potest conservari in e. separato à g. & incorrupto, licèt n. corrumpatur in e.; & si hoc esset impossibile, sequeretur, quòd A. haberet majorem potestatem in g. corruptibili, quàm in e. incorruptibili, & majorem in e. g. m., e.g. n., e. g. m. n., & e. m., e. n., quàm in e. m. n.; & hoc est impossibile.

8. Cùm c. sit medium inter e. g., ùt demonstravi *Libro quarto Contemplationis cap. 246.*, & in e. g. possit cadere n., ergò in c. quoque potest cadere n.; quia si non, esset majus m. in c., quàm in e. g.; & hoc est impossibile, cùm e. sit nobilius, quàm c.: & quia e. non esset separabile à g., nisi per p. ipsius c. in i. compositio ex c. e. g.: unde sicut m. in c. est causa unionis ipsorum e. g., & conservationis ipsius i. in o., sic p. ipsius m. in c. est causa ipsius n. in c., & n. in c. est causa privationis c. inter e. g.

9. Quamdiu in c. e. g. est m. in actu, & n. in potentia, vel n. in actu, & m. in potentia, tamdiu p. ipsius c. in i. est in actu vel potentia: unde qui vult habere i., in quo p. ipsius c. non amplius sit in potentia, sed c. sit semper in actu, tamdiu operetur m. in c. e. g., donec p. privaverit omne n. de o. ipsorum c. e. g., quod fiet, si c. tamdiu agat in g., donec separetur totum n. à g.; & si g. tamdiu agat in c., donec separetur totum n. à c.; & hoc idem fiet in e., separando e. per c. à g., & conjungendo e. per c. cum g., donec non remaneat n. in e. (& hæc per metaphoram intelligantur.)

10. Quia c. est medium inter e. g., non jungeretur e. cum g., nisi priùs jungatur c. cum g.; & quamvis c. e. g. sint purificata per separationem n., non tamen est æquale m. in c. e. g.; quia si esset, non esset differentia majoris & minoris nobilitatis inter c. e. g.: unde cùm c. sit magis nobile, quàm g., & e., quàm c., erit majus m. in c., quàm in g., & in e., quàm in c.; ideo quando c. unitur cum g., tamdiu m. c. operatur in m. g., donec reducat m. g. ad æqualitatem justitiæ & proportionis geometricæ cum m. c., producendo unum m. c. g.: & quia majus est m. in e., quàm in m. c. g., hoc idem facit m. e. in m. c. g., quod fecit m. c. in m. g., donec perveniant omnia tria, scilicet e. c. g., in summam æqualitatem ipsius m. secundùm dictam proportionem geometricam, & constituant unum i. regeneratum; in qua æqualitate m. essendi & operandi simul non ampliùs remanet n. in potentia: & hìc complectur opus Artis & Naturæ ipsius b., quod est speculum, in quo repræsentatur & significatur opus, quod est supra Artem & Naturam complendum per A.

Viso modo demonstrandi & operandi per tertium Circulum, qui modus excedit omnes alios à me inventos, & in meis Voluminibus reperibiles, revelandum restat ultimum & nobilissimum Secretum meæ Logicæ, præbens Figuram quartam ab Aristotele omissam, & illi penitùs ignotam, *per quam omnis homo scit habere Artem & Modum cognoscendi, quomodo Intellectus in conclusione recipiat figuram rectam vel curvam, hoc est, utrùm conclusio sit vera vel falsa?* „unde sicut in Logica habetur Ars & Modus cognoscendi, quæ conclusio sit vera vel falsa, sic „nos per gratiam & auxilium DEI figuramus *quartam Figuram theologicam*, & affi„gimus illam *tribus Figuris Logicæ*, & figuramus illam novâ Methodo & novâ Arte „& demonstratione; quæ quarta Figura „componitur de novem figuris seu literis „(quæ sequentur) incipiendo à k. usque ad t. *Unde ratio & causa, quare invenerimus denovo istam quartam Figuram, est, ut demonstremus, quomodo Creaturæ & Virtutes DEI dent demonstrationem de perfectione gloriosæ divinæ Essentiæ, per quam demonstrationem recipit directionem omnis intellectus, qui recipit illas significationes; & omnis intellectus, qui non vult recipere dictas demonstrationes, recipit deviationem*, Doctor Illum. Vol. 3. Lib. 5. Contempl. Dist. 40. de Orat. cap. 363. Fili, in hac figura est supremus apex demonstrandi, ad quem Philosophus solis viribus naturæ non potuit conscendere: unde ut haberemus Logicam in supremo gradu perfectionis constitutam, ostendit mihi DEUS immensâ suâ gratiâ semitas parùm calcatas & paucissimis notas per obscuras tenebras dignitatum creaturarum ascendendi ad clara lumina Dignitatum DEI, & per hæc ad ipsam lucem inaccessibilem Essentiæ DEI, quæ est ipsum centrum, in quo potentiæ nostræ Animæ plenariè ac perfectissimè conquiescunt: igitur ponimus, affirmamus & dicimus, quòd

A	sit DEUS.	l	perfecta Potestas.
b	Significatio	Dei. m	perfecta Sapientia.
c	Conclusio.	n	perfecta Voluntas.
d	Significatio c.	o	perfecta Veritas.
e	Directio.	p	perfecta Justitia.
f	Significatio e.	q	perfecta Misericordia.
g	Deviatio.	r	perfecta Humilitas.
h	Significatio g.	s	perfecta Patientia.
i	Intellectus.	t	perfecta Bonitas.
k	Significatio i.		

Ex hac Figura iterum extrahamus Regulam universalem directricem demonstrationum ex figura eliciendarum.

Quando b. demonstrat ipsi i., quòd l. m. n. o. p. q. r. s. t. sunt in A., i. dirigitur ad recipiendum b. in omnibus literis, quæ sunt in A.: sed quando i. non vult recipere b. in hoc, quod demonstrat de A., tunc i. deviat in c.; quia sicut i. intrat in c. per hoc, quia recipit b., sic intrat in g. per hoc, quia non recipit b.: unde sicut f. per e. demonstrat verè c. in i. per d. & k., sic h. per g. demonstrat falsè, quòd c. & i. sunt in e.

„Per hanc Artem & Modum potest omnis „homo percipere & cognoscere, quæ con„clusio & affirmatio in sua intentione & o„pinione sit in vera vel falsa figura. Doctor Illum. ibid.

Propositâ Figurâ & Regulâ conveniret tibi dare exemplum formandi concretum ex hac forma & materia, hoc est, ostendere modum demonstrandi per ipsas, sed ne tuæ industriæ nil relinquam, unâ te præcedam literâ, & quidem ultimâ, tu me sequere in reliquis octo.

„Nona figura dicitur de *Bonitate*, quæ „formatur, quando b. significat ipsi i., quòd „t. est in A.; unde quando i. recipit b. tan„tùm, & imaginatur, quòd t. esset melius „in A., si omnia vegetabilia & animalia ir„rationalia essent animalia rationalia, & „omnia essent in Paradiso, & nullus homo „intraret in infernum, tunc k. demonstrat, „quòd i. intrat in g., & h. & d. demonstrant, „quòd c. intrat cum g. in i.: ideo k. demon„strat, quòd i. per istum modum non po„test recipere de b. hoc, quod demonstrat „de t. per f., quod demonstrat, quòd e. „privatur in i. & c., quoties i. non vult reci„pere literas, quæ sunt de k. usque ad t. *Unde quemadmodum de albedine & nigredine generatur & componitur tertius color*, „sic c. & „g. intrant in i., quando i. recipit b. in t., „& non vult illud recipere in aliis literis: *un„de sicut albedo generatur à frigore, & nigredo „à calore*, sic e. est in i. ex parte b. & t., & g. „est in i. ex parte recusationis, quam i. facit, „nolens recipere literas, quæ sunt à k. usque „ad t.: *unde sicut dissolutio rubei vel crocei coloris facit redire partem albedinis ad frigus, & partem nigredinis ad calorem, quæ partes componunt rubeum vel croceum colorem*, „sic i., „quod est in e. & g., vadit cum e. vel g., „quando diu stat inter g. & e.

„Quando b. ipsi i. demonstrat t., quod „est in A., & homo non vult illud signifi„catum recipere per primam intentio„nem, & amare ipsum A., & amat se ip„sum per primam intentionem, tunc i. in„trat in g., quia intellectus tantùm imagi„natur illas res, quæ illi videntur bonæ vel „malæ, respectu sui ipsius, & tantùm illis „utitur, quòd ignorat hoc, quod b. de„monstrat de t. in A.; ideo i. cæcè & sinè ve„ra figura & imaginatione & sinè discretio„ne respicit t. in A. propter magnum velle „voluntatis, quæ transfigurat i. in g. per „privationem, quam facit de e. in c. & i.: „propter hoc homines ignorantes, qui ne„sciunt uti suo intellectu, neque sciunt il„lum formare in vera figura, dicunt, quòd „mundus potuisset citiùs fuisse, & posset „esse melior & meliùs ordinatus, Doctor Illum. in fine dicti Cap.

Sicut solvimus exemplum & dubium particulare per literam t., sic possunt solvi omnia alia, quæcunque possunt fieri de t.; & quod dictum de t., intellige de omnibus literis seu Virtutibus ipsius A.: cùm ergò nullum dubium vel quæstio possit moveri, quæ non tangat unam ex literis de A., manifestum est, quòd per concordantiam harum literarum est dabilis solutiò necessaria omnium quæstionum, in quarum materiam cadit principium necessitatis, & non contingentiæ (quod optimè nota, ut dudas objectionem Irrisorum Artis in contingentia fundatam); & hoc non est contra perfectionem Artis: „quia cujus præsentiam natura„liter impossibile est cadere in perfectio„nem alicujus, ejus absentia nequaquam ca„dit ei in defectum; est autem impossibile, S. „habere medium expresè cognoscendi ea, „quæ sunt à casu & fortuna contingentia, „hæc enim operatio est divina, non humana, Doctor Illum. in Comp. Art. Dem. Dist. 3. de Quæst. Y. fol. 128. n. 3. l. c.

Disc. Statueram absoluto hoc tertio

Circulo confirmare doctrinam tuæ Logicæ, Pater, per exempla ex ore ſupremi Doctoris & Magiſtri ejusque Diſcipuli Doctoris Gentium nobis dictata, quorum tantam copiam pro ſingulis tribus Circulis ex Sanctis DEI Evangeliis, & Epiſtolis divi Pauli collegeram, ut inſigni hoc theſauro ſapientiæ ac ſcientiæ multùm potuiſſet diteſcere lumen Chriſtianæ Logicæ; cui negotio dum inſiſterem, multoties mirabar, neminem (quòd ſciam) Virorum literatorum hanc ſpartam ſibi excolendam aſſumpſiſſe: ſed quia ultra ſpem hæc pars cæteras jam excedit, in aliud tempus, ſi Dominus dederit gratiam, differre obligor. Vos interea Condiſcipuli lumine Fidei illuſtrati percurrite dictos ſacros Codices, & ubique vobis occurret Logica Doctoris Illuminati; præſertim autem obſervabitis ſequentia.

1. Quanta ſit differentia inter Logicam Chriſti, & Logicam Philoſophi pagani.

2. Quòd Logica Doctoris Illuminati non ſit alia, niſi Logica Chriſti & Sanctorum.

3. Quòd, ſicut apud Fideles Logica Chriſti confirmat Logicam Raymundi, ſic apud Infideles Logica Raymundi confirmet Logicam Chriſti, gratiâ tamen DEI ſemper concurrente.

4. Quòd SS. Patres Ambroſius, Auguſtinus, Gregorius, præ cæteris perpetuò uſi ſint hac Logicâ.

De Secreto Rhetoricæ.

De Perſuaſione.

MAg. Qui famelico porrigit bonum panem, facilè perſuadet ipſum ad comedendum, & qui pauperi petenti eleemoſynam dat denarium, facilè perſuadet ipſum ad recipiendum, & qui infirmo offert bonam medicinam, facilè perſuadet ipſum ad illam ſumendam; & ſcis, quare, Fili? Diſc. ideo, quia omnes tres naturaliter amant eſſe, bonum & perfectionem, quæ non habent, & naturaliter odiunt privationẽ, malum & defectum, quæ habent. Mag. ergò amor & indigentia in petente, & largitas & abundantia in dante cauſant facilem perſuaſionem: unde ſicut ille, qui dat panem, denarium & medicinam famelico, pauperi, infirmo, meliùs perſuadet, quia dat magis amanti & indigenti, & eſt magis largus & abundans, quia dat plura bona differentia, ſic ille, qui dat innumeras veritates bonas, magnas, potentes, virtuoſas, & inumeras bonitates veras, magnas, potentes, virtuoſas, & inumeras demonſtrationes harum veritatum & bonitatum amanti quærenti bonitatem & veritatem, & indigenti illis, ſinè omni comparatione faciliùs illum perſuadet, quàm qui dat panem, denarium & medicinam famelico, pauperi, infirmo; quia quantò majus eſt donum intellectuale, quàm ſenſuale, & quantò major eſt amor & indigentia intellectualis, quàm ſenſualis, tantò major eſt perſuaſio: ſed quia homo eſt ens compoſitum ex natura ſenſuali & intellectuali, & per peccatum originale *ſenſus & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua*, Gen. cap. 8. v. 21., quod malum eſt, plùs & magis amare bona & vera ſenſualia, quàm bona & vera intellectualia, ideo ĐEUS, qui eſt ſupremum Bonum & Verum intellectuale, infinitâ ſuâ miſericordiâ dignatus eſt aſſumere Naturam ſenſualem, ut per ſignificationes & demonſtrationes magnarum veritatum ſenſualium, & per dona magnorum bonorum ſenſualium erigeret mentem, lapſam in inordinatum amorem, ad cognoſcenda & amanda vera bona intellectualia, & ad cognoſcenda & odienda falſa bona ſenſualia.

In revelandis igitur Secretis meæ Rhetoricæ optimè procedemus, Fili, ſi, dum ego declarabo fundamenta meæ Artis & Scientiæ perſuadendi, tu verba mea roborabis veriſſimis verbis ſupremi & optimi Verbi, dederisque ſpecimen de Rhetorica Chriſti & Sanctorum, quod dare poteras de Grammatica, & volebas de Logica: ſed antequam manum applicemus operi, neceſſarium eſt denudare *Centrum* meæ Rhetoricæ, à quo tanquam primo & univerſaliſſimo Principio tota propago linearum hujus Artis excurrit in tres circumferentias primi, ſecundi & tertii Circuli, qui reſpondent tribus Circulis meæ Logicæ. Sit igitur

De Metaphora.

MAg. *Metaphora ſignificat unam rem pro alia*, Doctor Illum. in Lib. Princ. Med. Diſt. 10. cap. 36. Metaph. 1. fol. 39.; „de Metaphora autem in hac Arte tractamus ad „hoc, ut ſit Ars ad exaltandum intellectum „in iſta Arte & in aliis Artibus; *per metaphoram enim corroboratur intellectus ad intelligendum; nam per iſtam uno eodemque tempore ſuper diverſas ſpecies gyratur* &c.: præterea cùm metaphora ſit ligamen & nexus operationis „trium potentiarum animæ, quæ ad unum „finem memorando, intelligendo & diligendo ſe habent, & hoc propter maximam intenſionem, quam intellectus facit, quando, unum audiens, aliud intelligit; ideo eſt in hac Arte metaphora, ut per hoc, quod .... in hac Arte dictum eſt, poſſint etiam intelligi ea, quæ de aliis Scientiis exiſtunt, ſicut de Theologia, Jure & Philoſophia naturali & aliis, per quas intellectus exaltatur in intelligendo, Doctor Illum. ibid. Diſt. 1. cap. 5. fol. 5.; in quo capite revelavi illud excellentiſſimum Secretum, de quo in *Prologo Revelationis Secretorum fol. 4.* mentionem feci, dando exemplum de magnete, quod mirè elucidatum invenies per alia plura exempla dicto *Capite 5.* adducta de *Medicina*, *Theologia*, *Jure*, *Philoſophia*, quæ ibi videre poteris; quibus adde, ſi placet, *30. Metaphoras Diſt. 10.* ejusdem Libri contentas.

Omnes ſignificationes, Fili, quæ ſunt in mea Grammatica, & omnes demonſtrationes, quæ ſunt in mea Logica, non ſunt niſi lineæ tendentes omnes ad hoc centrum, & unientes ſe omnes in hoc centro: unde quemadmodum vides, quòd in foco ſpeculi ſeu vitri cauſtici omnes radii maximè ſunt intenſi, & habent tantam virtutem operandi, quantam nullo modo habent extra focum, ſic in hoc centro omnes radii dictarum ſignificationum & demonſtrationum ſunt intenſi, & habent tantam virtutem perſuadendi, quantam nullo modo habent extra centrum.

Diſc. Tu ſuprà, Pater, in dicto Prologo ſenſum literalem pro centro ſtatuiſti, & ſenſus metaphoricos pro radiis, hìc verò oppoſitum audio de Metaphora, quomodo hæc concordant? Mag. ſi firmâ mente retines, quæ ibi dixi de converſione unius ſenſus in alterum, nulla erit oppoſitio, imò revelatio novi Secreti, ſcilicet binarii *actûs & potentiæ*, occultati in unitate primi principii; nam ſicut in Chaos phyſico, quod eſt unum, ſunt duo, quorum unum, ſcilicet aqua eſt in actu, & alterum, ſcilicet ignis, eſt in potentia, ſic in hoc Chaos rhetorico ſenſus literalis eſt in actu, & ſenſus metaphoricus in potentia, & è converſo

Diſc. Cum quo & quomodo? Mag. cum *ſenſuali* & *intellectuali*; nam quia ſenſus literalis convenit cum ſenſuali, & ſenſus metaphoricus cum intellectuali, quando ſenſuale eſt in actu, litera eſt in actu, & metaphora in potentia, & quando intellectuale eſt in actu, metaphora eſt in actu, & litera in potentia; & hoc denotant ſupradicta verba, *quando, unum audiens, aliud intellegit*; nam audire convenit cum ſenſuali, & intelligere cum intellectuali.

Ex his duobus, ſcilicet *ſenſuali* & *intellectuali* componitur *tertium* complectens utrumque, videlicet ſenſum literalem vel hiſtoricum & ſenſum metaphoricum vel moralem ſimul: „hæc expoſitio moralis appellatur in Lingua arabica Rams, quod vult „dicere expoſitionem moralem vel allegoricam vel anagogicam, quæ expoſitio eſt „compoſita de ſenſualitate & intellectualitate; quia per ſenſualitatem formatur intellectus ad intelligendam moralitatem, „ut aſcendat intelligere ſimplicem intellectualitatem, per quam intelligentiam memoria recolit, intellectus intelligit, & voluntas amat divinam Eſſentiam in ſua ſimplici Natura ſinè reſpectu ad creaturam, Doctor Illum. in Vol. 3. Cont. Lib. 5. c. 352.

Ab hoc ternario reſultat *quaternarius* expoſitionum, ſcilicet *literalis* ſeu *hiſtorica*, *tropologica*, *allegorica* & *anagogica*: „nos non „tractamus in hoc loco de hiſtorica, ſed „maximè de morali, quæ eſt tropologica; „ſed quia in Lingua vulgari limoſina (in quam ipſemet transtuli Librum Contempl. ex Arabico) tropologiam appello moralem „expoſitionem, eò quòd ſit magis vulgaris „hominibus, qui neſciunt Linguam latinam, „ideo totam expoſitionem moralem nomino figuram intellectualem, in qua figura „poteſt homo habere cognitionem de figura allegoriæ & anagogiæ, Doctor Illum. ibid. cap. 357.

Demonſtrato ordine & numero principiorum meæ Rhetoricæ ab unitate uſque ad ternarium & quaternarium, per quos exercetur opus practicæ hujus Artis & Scientiæ, convenit, Artificem ſcire diſpoſitionem potentiæ ad objectum ſecundùm proportionem, quæ requiritur inter potentiam & objectum: unde qui vult intelligere hunc novum modum operandi, „debet „facere *duas* Figuras, unam ſenſualem, & „alteram intellectualem, & debet taliter „illas ordinare, ut ſint concordantes ad recipiendum ſignificata, quæ Virtutes ſeu „Dignitates DEI dant de ſe ipſis humano „intellectui, ut intellectus, memoria & voluntas poſſint frui recolendo, intelligendo & amando perfectâ poteſtate, ſapientiâ, voluntate, juſtitiâ, miſericordiâ, „humilitate, patientiâ & aliis virtutibus DEI.

Duæ Figuræ, cum quibus potentia moraliter operatur, „ ſunt *duæ Virtutes viſivæ*, „ quarum una eſt *viſus ſenſualis*, altera *viſus* „*intellectualis*: unde convenit, quòd homo „ cum figura ſenſuali videat tot res ſenſuales, quouſque cum virtute viſiva intel„ lectuali poſſit videre in memoria *tres cameras*, & in intellectu *tria capita*, & in vo„luntate *tres pedes*;& quando viderit & ordi„ naverit iſtas novem res, convenit, quòd „quasdam ponat ante alias,& dicat,quòd vi„ ſus ſenſualis ſit primus oculus, & viſus in„tellectualis ſit ſecundus oculus,& quòd una „ trium camerarum ſit prima, altera media, „ & altera ultima;& hoc idem de tribus capi„tibus& tribus pedibus:unde cùm hoc,quod „ convenit, poſuerit primum,medium & ul„timum in memoria, „ intellectu & volun„tate, convenit, quòd in prima came„ra memoriæ ponat & collocet creaturas, „ & in ſecunda ponat & collocet hoc, quod „ creaturæ ſignificant de virtutibus & digni„tatibus DEI, & in tertia camera ponat hoc, „ quod virtutes & dignitates DEI ſignificant de ipſo DEO.

„ Et quando ordinaverit memoriam per „ iſtũ modum,convenit,quòd ordinet intel„ lectum tali modo, quòd primum caput re„ cipiat ſignificata creaturarum, quæ me„ moria locavit in prima camera, & ſecun„dum caput recipiat ſignificata,quæ creatu„ ræ ſignificant de virtutibus DEI, quæ me„ moria locavit in ſecunda camera; & tertiũ „ caput recipiat ſignificata, quæ virtutes „ DEI dant de ſua glorioſa divina Eſſentia, „ & quæ memoria locavit in tertia camera: „ unde quando ordinaverit iſto modo intel„ lectum, poſtea convenit, quòd homo „ ordinet & dirigat voluntatem tali modo, „ quòd primus pes vadat ad primam came„ram & ad primum caput, & ſecundus pes „ vadat ad ſecundam cameram & ad ſecun„ dum caput, & tertius pes vadat ad tertiam „ cameram & ad tertium caput; quæ omnia eorumque mirificum uſum longiſſimo *Capite*, ſcilicet *253. dicti Libri Contemplationis* expoſita ſunt.

Quemadmodum in objecto ex ſenſuali & intellectuali fit medium compoſitum de utroque, ſic in potentia ex ſenſuali & intellectuali fit medium compoſitum de utroque; & ſicut convenit, quòd potentia rationalis nunquam operetur per ſenſuale tantùm, ſed per ſenſuale & intellectuale ſimul in ſenſuali, ſic convenit, quòd operetur per intellectuale tantùm in objecto intellectuali tantùm: ex quibus dictis revelantur duo gradus in potentia, quorum primus eſt inferior, ſecundus ſuperior, hi autem duo gradus reſpondent duobus principalibus gradibus objecti; nam ſicut Creator & creatura ſunt duæ res, ſic ſunt hi duo modi, per quos potentia exercet ſuam operationem circa utrumq; objectum.Item ſunt alii *tres Gradus* ſignificatorum in objecto, nam in *primo* ſunt ſignificata ſenſualia creata,in *ſecundo* ſignificata intellectualia creata, in *tertio* ſignificata intellectualia increata ſimplicia qualitatum,virtutum & proprietatum ſimplicium DEI, per quos tres gradus aſcendunt tres potentiæ Animæ uſque ad ſupremum Objectum, de quibus amplius ſum locutus *Capite 252. dicti Libri.*

Ulteriùs: hi tres gradus ſunt velut intervalla quatuor graduum, qui ſunt dictæ quatuor Expoſitiones, videlicet *literalis*, *tropologica*, *analogica* & *anagogica*, quæ non ſumuntur à me in ſenſu vulgariter uſitato;& hoc ideo, *quia iſta vocabula ſunt græca & barbara*, *& impediunt linguam latinam:* „ unde „ debui invenire novum modum venandi „ iſtas ſpecies,ut evitarem confuſionem,um„ bram & ſenſum ænigmatum Græcorum, „ ut venirem ad clarum ſenſum Latinorum; quem modum habes in fine *meæ Artis DEI de Expoſitione & Interpretatione.* „ Unde qui „ vult cognoſcere & intelligere ſupradictas „ expoſitiones & his ſimiles,quæ per illas for„ mantur,ſciat habere cognitionem,quomo„ do & ſecundùm quas figuras *Potentia mo„tiva* facit demonſtrationes de dictis expoſi„ tionibus, movendo tres virtutes Animæ & „ quatuor potentias (de quibus audies *Capite „quarto*)& quinque ſenſus ſenſuales,& quin„ que intellectuales; quia ſecundùm quòd „ motiva movet omnia iſta, & ſecundùm „ quòd figuræ formantur in iſtis per motum, „ quem de illis facit potentia motiva, ſecun„ dùm illas figuras poteſt haberi cognitio „ quatuor univerſalium generalium Expoſi„ tionum, per quas omnia poſſunt intelligi & „ exponi, Doctor Illum. ibid. cap. 357. Hæc omnia tanquam diſpoſitiones præviæ erant explicanda ante introitum in tres Circulos ſequentes.

De Secreto Primi Circuli.

MAg. In hoc Circulo ponemus literas Rhetoricæ, hoc eſt, Principia ſenſualia & intellectualia, particularia & univerſalia, ex quibus formabimus triangulos & quadrangulos, quæ ſunt materia ſyllabarum ſequentis Circuli; huic autem Circulo ſerviunt Grammatica & Logica, nam prima dat literarum ſignificationes ſenſuales & intellectuales, ſecunda verò demonſtrationes; imò Fili, omnes ſex reliquæ Artes neceſſariò conferunt ſuas proprietates huic, ût hæc ſuas illis, cùm nulla poſſit operari ſinè altera.

Diſc. Quid ergò tribuunt? Mag. Grammatica *ſimilitudinem*, Logica *neceſſitatem*, Arithmetica *æquationem*, Muſica *concordantiam* & *ordinem principiorum*, Geometria *proportionem*, Aſtronomia *motum* & *influentiam*, ſinè quibus omnibus influentibus in unam operationem non proditet perfectum opus.

Incipiamus igitur ſecundùm præſcriptum ordinem ab infimo gradu, ſcilicet *ſenſuali* & *intellectuali* aſcendere ad gradum intellectualem tantùm. Fili, cùm ſuprà dixerim in *Grammatica fol. 59.*, totum hunc mundum nihil aliud eſſe, quàm librum ſcientibus legere in illo, in quo cognoſcitur DEUS, & hic liber ſit ſenſualis, videlicet noſtris quinque ſenſibus expoſitus, adhoc, ut à ſenſualibus aſcendamus ad intellectualia, *ut ex his*, *quæ animus novit*, *ſurgat ad incognita*, *quæ non novit*, *quatenus exemplo viſibilium ſe ad inviſibilia rapiat*, *& per ea*, *quæ uſu didicit*, *quaſi confricatus incaleſcat*; *ut per hoc*, *quod ſcit notum diligere*, *diſcat & incognita amare*, S. Greg. hom. 11. in Evan., antequàm addiſcas Rhetoricam hujus libri, primò noſſe debes illius Grammaticam & Logicam, ex quibus componitur Rhetorica; ſcire enim debes, Fili, certò & infallibiliter primò totum alphabetum reale hujus libri, & naturales ſignificationes literarum, ita, ut ſenſualiter poſſis ſentire, & intellectualiter intelligere, ſicut certò & infallibiliter ſentis & intelligis, quòd ignis calefaciat, & aqua frigefaciat, & albedo albificet, & acetum acetificet &c.; ſi enim primas literas non perfectè ſcires, quomodo ſyllabas & verba ex his formata perfectè legeres? ad hoc autem aſſequendum te manuducent Principia meæ Philoſophiæ & Medicinæ & Scientiæ, quæ eſt media inter utramque; & hanc diviſi in *tres partes*, quarum *primam* vocavi Theoricam, *ſecundam* Practicam memorativam, *tertiam* Practicam operativam, quas duas ultimas partes dixi duplex Inſtrumentum: *& quia virtus principii non poteſt fluere ad ſuum finem*, *niſi per*

virtutem mediam copulativam extremorum, „ ad hoc movemur ratione, quæ dicit no„bis, quòd formemus per Artem memo„rativam ſupradictum Inſtrumentum, ut „ hoc ſit ſicut dictamen, quod nobis oſten„ dit natura realis, eò quòd Theoricâ intel„ lectâ non debet homo recedere nec elon„ gari à Practica ſcita, quia una informat „ aliam, & corrigit defectus illius; *propter hoc poſuimus Practicam memorativam ſecundùm iſtam Scientiam in forma medii*, *quod ſentit naturaliter de ſuis propriis extremis*, *& ſua extrema ſunt Practica operativa in ſecundo latere*, *& Theorica ſua ſoror in primo:* & iſta „ ſunt principia verorum inſtrumentorum, „ quæ integrant & perficiunt totam Artem „ & Scientiam, quæ formant prima Princi„pia; quia nunquam erit Ars & Scientia, „ niſi primò inchoetur à ſuis certis Principiis, Doctor Illum. in Pract. Teſt. cap. 2.

Præterea, Fili, neceſſarium eſt tibi cordetenus ſcire *Rotã* & *Scalã* hujus Scientiæ mediæ compoſitam ex dictis literis naturalibus incipientibus à B.,& terminantibus in Z.;quod alphabetum habet neceſſariam connexionẽ cum alphabeto Philoſophiæ & Medicinæ: unde perfecta intelligentia unius eſt impoſſibilis ſinè perfecta intelligentia alterius: *& hæc Rota alphabetica circulariter eſt completa*; *& per talem Scalam poteſt humanus intellectus gradualiter aſcendere & deſcendere ad omnes alias Scientias ſenſuales & intellectuales mediante imaginativâ*, *ut DEI & creaturarum ejus notitiam habeat per prædicta inſtrumenta*, *præſertim cùm naturales vires diſcernere poterit evidenter per philoſophicas Rutiones*, Doctor Illum. in Codic. cap. 9. De hoc ſecreto alphabeto nihil tibi adhuc revelavi, Fili, cùm tamen fundetur in illo tota mea Philoſophia & omnes ſeptem Artes ac Scientiæ inſtrumentales, nec hic locus multa de illo proferre ſinit: unde citatum librum & alios cum illo concordantes conſule, ſufficit enim aperire tibi mineras Secretorum; nam certò ſcias, neminem antiquorum Philoſophorum dediſſe adeò regulatas formas totius Naturæ creatæ & operis illius, quales in meis Libris invenies ſummo artificio conſtructas velut formas geometricas exhibentes totum ordinem dicti operis à principio uſque ad finem, nec occultavi quidquam per ænigmata more cæterorum Sapientum, ſed per planas demonſtrationes philoſophicas ſtylo in Scholis uſitato omnia declaravi. O Fili, ſi meorum Alphabetorum, Rotarum,

rum, Scalarum, Arborum, Tabularum integram quondam penetraveris ichnographiam, dispositionem, ordinem, cohærentiam, secreta, usum & applicationem vel in solis naturalibus, non habebis ultra spiritum, nec satis contristari poteris, tam profundam Artem ac Scientiam jacuisse hactenus vilipensam : quâ Rhetoricâ persuadebo Viros literatos de sublimitate meæ Artis, quocunque polleant ingenio, si nolint hujusmodi libros evolvere, & illis usu deterendis incanescere ? sed hæc missa facientes repetamus nostrum alphabetum.

Disc. Quot ergò sunt literæ in hoc alphabeto tuæ Rhetoricæ, Pater ? Mag. tot, quot sunt in reliquis sex Artibus, & quot sunt in Philosophia seu Scientia Naturæ : attamen est facienda differentia inter literas universales & particulares, nam tot sunt literæ particulares in libro naturæ, quot sunt individua naturalia, & quælibet significatio naturalis cujuslibet literæ naturalis est sensus literalis sensualis in manifesto, habens suos sensus metaphoricos intellectuales in occulto : unde si noveris, Fili, visâ quâlibet tali literâ ex centro sensûs literalis visu intellectuali te circumferre in quoslibet radios circumferentiæ sensûs metaphorici, tunc primam classem primi Circuli meæ Rhetoricæ absolvisti.

Disc. Pater, quis est hic, & laudabimus eum, nam nec libero oculo, nec perspiciliis munito me æstimo hunc visurum. Mag. multa invénit Ars, quibus suppleat defectum Naturæ ; hinc propinqua perspiciliis, remota telescopiis, clariùs nobis sistit, grossa libero oculo, subtilia microscopiis intuemur : unde si visus sensualis sua adjumenta habet, quidni & intellectualis ? Et quia de subtili nunc materia nobis sermo, metaphoram microscopii sensualis ad intellectuale sic accomoda.

Mirabile est, quòd, quantò subtilius est objectum, tantò minor lens vel globulus vitri illi adaptatur ; & quantò major est minoritas in vitro, tantò magis majorificat minoritatem objecti : sic est in visu & objecto intellectuali. Disc. verba aure recipio, sed sensum literæ non percipio, contingit mihi de libro Naturæ, quod multis de libro Scripturæ, in quo legere nesciunt, quia nec literas nec significationes literarum norunt ; de quibus pulchrè S. Aug. Serm. 44. de verb. Dom. inquit. „ quem„ admodum qui videt literas in codice op„ timè scripto, & non novit legere, laudat „ quidem antiquarii manum, admirans „ apicum pulchritudinem, sed quid sibi ve„ lint, quid indicent illi apices, nescit, & est „ oculis laudator, mente non cognitor : „ alius autem & laudat artificium, & capit „ intellectum, ille utique, qui non solùm „ videre, quod commune est omnibus, po„ test, sed etiam legere ; quod, qui non di„ dicit, non potest : ita qui viderunt Chri„ sti miracula, & non intellexerunt, quid „ sibi vellent, & quid intelligentibus quo„ dammodo innuerent, mirati sunt tan„ tùm, quia facta sunt ; alii verò & facta „ mirati, & intellecta assecuti : tales nos „ in Schola Christi esse debemus. hæc S. Doctor.

Mag. Ad rem nostram quàm aptissimè : in libro Scripturæ reperitur unum verbum constans duabus literis, scilicet Alpha & Omega ; hoc ipsum unum verbum duos modos significandi nobis exhibet ; nam *Dominus & Salvator noster aliquando nos sermonibus, aliquando verò operibus admonet :* quilibet horum iterum in duos subdividitur, scilicet in naturalem & supernaturalem, de quorum primo nunc agemus, quo ipsemet Author naturæ & scripturæ dignatus est nobis significare secundum, ût statim infrà videbimus. Quando igitur cupis, Fili, intelligere literas scripturæ, multùm tibi proderit discere literas naturæ : sed quia literæ particulares sunt absq; numero, quarum alphabetum nequidem toto vitæ cursu absolveres, ad literas universales, in quibus omnes particulares implicantur, addiscendas te admoneo.

Disc. Putabam potiùs, universales implicari in particularibus, quàm è converso. Mag. utrumque ; nam sicut per Analysin universalia educuntur ex particularibus, sic per Synthesin particularia eliciuntur ex universalibus. Disc. hæc equidem teneo, at quanam ratione creaturas sensuales & individuas literis compares, nondum cerno, cùm literæ sint simplices, & creaturæ compositæ. Mag. ab exemplo me capies : sicut literæ sunt elementa scripturarum sensualium, sic elementa sunt literæ creaturarum sensualium : unde sicut elementa sunt simplicia & composita, sic literæ naturales sunt simplices & compositæ ; & in his literis multò plura sunt observanda, quàm in literis artificialibus, antequam sis aptus ad secundam Classem secundi Circuli, scilicet

licet combinationem harum literarum ; nam utrumque genus, videlicet simplex & compositum, datur universale & particulare : & quia tanti interest scire solida principia, antequam ad Artem accedamus, diutiùs me in his detinere cogor, clariùs, quantùm possum, ista declarando per exempla sensualia.

Concipe, Fili, loco quatuor elementorum, quæ sunt literæ naturæ, quatuor literas alphabeti artificialis, A. B. C. D., quarum prima significet ignem, secunda terram, tertia aërem, quarta aquam, litera A. pingatur colore rubeo, B. nigro, C. cæruleo, D. viridi, figuram literæ voca universale, colorem particulare : manifestum est, quòd sensualiter sentis particulare, & intellectualiter intelligis universale sub habitu particularîs ; quòd si sciveris abstrahere colorem rubeum ab A., habebis universale abstractum à particulari, nempe figuram A. non rubeam, & è converso, si contraxeris figuram cum colore ; hæc autem abstracta dico simplicia, & contractum compositum : & si hoc idem feceris cum reliquis tribus literis, habebis octo simplicia, quorum quatuor erunt universalia, & quatuor particularia ; & habebis quatuor composita ex universalibus & particularibus : si jam quatuor simplices figuras universales inter se combinaveris, & quatuor simplices colores particulares, & quatuor compositas ex figuris & coloribus, secundùm modum artificialem regulatum ad modum naturalem, habebis, Fili, exactissimam metaphoram totius arcani alphabeti naturalis, tam universalis, quàm particularis & compositi de utroque : si nondum me capis,

Cape sequentia de alphabeto Rhetoricæ : sit A. Brachium, B. Oculus, C. Ignis, D. Sensuale ; item eadem litera A. significet Potestatem, B. Sapientiam, C. Amorem, D. Intellectuale, habebis ergò duos ternarios & duos quaternarios sensuales & intellectuales positos in figura quadrangulari Logicæ, adaptatæ ad Rhetoricam (quod etiam nota de reliquis quinque Artibus) : vide sequens Schema.

Tres Scalæ Objecti.

Primus Gradus Scalæ compositus.

e. Particulare. g. Universale.

A	Brachium.	A	Potestas.	in Creaturis.
B	Oculus.	B	Sapientia.	
C	Ignis.	C	Amor.	
D	Sensuale &	D	Intellectuale.	

f. Secunda Intentio. Litera. h. Prima Intentio. Morale.

Secundus Gradus Scalæ simplex.

A	Potestas.	in Deo.
B	Sapientia.	
C	Amor.	
D	Intellectuale tantùm.	

Suprema Intentio.

Gradus medius. Verbum Incarnatum.

e. Creatura. g. Deus.

	Misericordia.	A	Potestas.
	Humilitas.	B	Sapientia.
	Patientia.	C	Amor.
	Sensuale.	D	Intellectuale.

f. Secunda Intentio. h. Prima Intentio.

Scala Potentiæ.

e. Particulare. g. Particulare.

A	Camera.	Memoria.
B	Candela.	Intellectus.
C	Porta.	Voluntas.
D	Sensuale.	Intellectuale.

f. Litera. h. Metaphora.

Posito Systemate universali literarum Rhetoricæ, cujus expositionem ampliorem supracitato *Capite 352. Libri Contemplationis* poteris videre, hæc sequentia superaddere necessarium & utile judico *ad extrahendas formas particulares ex his formis universalibus* : Scias igitur, Fili, quòd habitâ perfectâ cognitione rerum sensualium per Philosophiam, & per consequens perfectâ significatione per Grammaticam, & perfectâ necessitate significandi per Logicam, ponantur quicunque quatuor termini sensuales ex uno latere, & quatuor termini intellectuales ex altero, ita ut significatio respondeat suo signi-

ſignificato, & erit Syſtema præparatum pro ſecundo Circulo.

Obſerva tamen, quòd multoties ponitur ſenſuale ſinè intellectuali, aut è converſo, & hic eſt altior & univerſalior modus cæteris, quia eſt indeterminatus, & determinabilis ad infinita particularia, quo plurimùm utitur ſacra Scriptura, ût infrà audies, & ego per integros quandoque Tractatus uſus ſum, ût in *Libro Felix*, in *Libro Arboris Scientiarum in Arbore exemplificali*, in *Libro Principiorum & Graduum Medicinæ* per totum, & in multis aliis. Quandoque ſumuntur quatuor merè univerſales, quandoque merè particulares, aliquando duo vel tres univerſales, & unus particularis, & è converſo; tu Fili, da exemplum horum ex Natura & S. Scriptura.

Diſc. Dabo, prout potero, tu, ſi fortè deviavero, errantem dirrige, Pater.

Dominium

	Significatio.				
Elementativa.		Caloris,	Siccitatis,	Humiditatis,	Frigiditatis,
Vegetativa.		Attractionem,	Retentionem,	Digeſtionem,	Expulſionem,
Senſitiva.		Sitim,	Privationem,	Famem,	Defectum,
Imaginativa.		Potum,	Eſſe,	Cibum,	Perfectionem,
Intellectiva.		Actum,	Potentiam,	Intemperamentum,	Temperamentum.

Metaphoram Naturæ & Artis in Microcoſmo nobis revelaſti, Pater, hoc Syſtemate, quod ex quatuor tuorum Librorum adunavi, videlicet ex Libro Contemplationis 5. cap. 357., & per plurima alia capita, ex Libro de Principiis & Gradibus Medicinæ Diſt. 10. Metaph. 10. 13. 14. 15. 16. 19. 24. 25., ex Libro Theoricæ Teſtamenti cap. 69. 71. 78. 79. 80. 81. 82. 83. 95., Codicillo per totum; nam totus hic liber diviſus eſt in quatuor operationes his quatuor Principiis Elementativæ & Vegetativæ convenientes.

Intellectuale.	Cœlum.	Pater, Verbum, Spiritus S., unum	*Joan. 1. cap. 5.*	
Senſuale.	Terra.	Aqua, Sanguis, Spiritus, unum	*v. 7. 8.*	
Mors.	Dilectio.	*Joan. 1. c. 3. v. 14.*	Cibus	Potus
Vita.	Odium.		Caro	Sanguis
			Panis	Vinum

Joan. 6. v. 56.

Granum frumenti, mors, multiplicatio. *Joan. cap. 12. v. 24. &c.*

Lucerna corporis intellectualis, oculus intellectualis
Lucerna corporis ſenſualis, oculus ſenſualis } *Matth. 6. v. 22. 23.*

Lux mundi intellectualis, ſal terræ intellectuale
Lux mundi ſenſualis, ſal terræ ſenſuale } *Matth. 5. v. 13. 14. 16.*

Sicut additione terminorum oppoſitorum ſenſualis & intellectualis ſtatim patet litera & metaphora, ſic in ſequentibus idem fieri poteſt.

Feſtuca, trabs, oculus. *Math. 7. v. 3. 4. 5.*

Sanctum, canes, Margaritæ, porci. *Math. 7. v. 6.*

Anguſta porta vitæ, lata porta mortis. *Math. 7. v. 13. 14.*

Intùs lupi, extrà oves. *Matth. 7. v. 15.*

Arbor bona fructus bonus, Arbor mala fructus malus. *Math. 7. v. 17. & ſeqq.*

Domus, petra, arena, ventus, pluvia. *Math. 7. v. 24.*

Medicus, infirmus, peccator, Salvator. *Math. 9. v. 12.*

Vinum vetus, utres veteres, vinum novum, utres novi. *Math. 9. v. 17.*

Serpens, prudentia, columba, ſimplicitas. *Math. 10. v. 16.*

Homo, ſemen, via, volucres, petra, ſpinæ, terra bona, fructus. *Math. 13. v 4. &c.*

Homo, bonum ſemen, inimicus, zizania, meſſis, ignis. *Math. 13. v. 24. &c.*

Granum ſinapis minimum creſcendo fit maximum. *Math. 13. v. 32.*

Fermentum, farina, fermentatio. *Math. 13. v. 35.*

Theſaurus abſconditus, ager. *ib. v. 44.*

Negotiator, margaritæ. *ib. v. 45.*

Sagena, mare, piſces boni, mali. *ib. v. 47.*

Paterfamilias, theſaurus, nova, vetera. *ib. v. 52.*

Veſper rubicundum cœlum, ſerenum, mane rutilans cœlum, tempeſtas. *Matth. 16. v. 2.*

Pater-

Paterfamilias, vinea, operarii, merces. *Math. 20. v. 1.* item *cap. 21. v. 33.*

Rex, Filius Regis, nuptiæ. *Math. 22. v. 2.*

Virgines fatuæ, prudentes, lampades, oleum, nox. *Math. 25. v. 1.*

Dominus, ſervi, talenta, meritum, præmium. *Math. 25. v. 14. &c.*

Sufficiunt hæc exempla pro innumeris aliis, quibus cæteri ſancti Evangeliſtæ ſunt pleni, & tota S. Scriptura eſt referta; in quibus omnibus ac ſingulis ſequentia manifeſtè vides. *Primò*, quòd omnia reducantur ad ſenſuale & intellectuale, naturale & artificiale. *Secundò*, quòd omnia cadant in quadrangulum Logicæ, ſcilicet eſſe, perfectionem, privationem, defectum, ex illo eliciantur, & in illum reducantur, & per conſequens in reliqua principia Figuræ A. *Tertiò*, quòd ſenſualia ſint metaphoræ intellectualium: unde ſicut ipſa æterna Sapientia unigenitus Filius DEI dignatus eſt nobis dare exempla à Natura & Arte deſumpta, quibus nos inſtrueret ad cognoſcenda ſupernaturalia, ſic per hæc particularia revelavit modum univerſalem agendi & operandi cum reliquis omnibus particularibus. *Quartò*, quòd hæc Methodus ſit omnium optima, facillima, naturaliſſima & univerſaliſſima; nam eſt communis ad inſtruendos tam doctos quàm indoctos, & ab ambobus facilè intelligibilis: quid igitur in nos frendent Adverſarii, ſi à Natura & Arte petamus ſimilitudines & ſimulacra ſupernaturalium? verum equidem, quosdam quandoque malè applicare hujusmodi comparationes ad errores ſuæ ſectæ, aliquos quandoque minùs perfectè ad veritatem demonſtrandam; quod inde provenit, quia Artem meæ Rhetoricæ cæterasque ſex vel omninò non, vel non perfectè callent: *quia non eſt credibile, quòd talis populus diſcedens à veritate* (quales ſunt aberrantes à vera Fide, Saraceni, Judæi, Gentiles) *ſicut maximè fuit ille proditor iniquus reprobus Moyſes Ethel Rabi Judæorum, & falſus ſeductor, & tenebræ Saracenorum & Paganorum, poſſit intueri & intelligere ad plenum in opere omnium rerum naturalium cognoſcibilium, cum non potuerit videre, nec in aliquo intelligere claritatem, quæ docuit Salvationem poſitam ad literam in ſuis propriis libris, tam de Adventu noſtri Salvatoris, qui factus eſt, & de ſuo adumbramento* (præfiguratione in veteri Teſtamento) *& de Virginitate & Partu Sanctæ Mariæ Virginis Matris noſtri Salvatoris, quàm de Sancta Trinitate & de Sacramento Altaris & ſancto Baptiſmate, quæ omnia ille Moyſes Ethel vel Cöel & Judæi & Saraceni negant & improbant contra ſuas literas.* (Fili, hæc ſtudio excerpſi ex meo *Libro Patientiæ*, qui eſt. *3. Diſt. Theor. Teſt.*, quem Adverſarii mei Raymundo de Terraga Judæo malè attribuerunt) non autem hoc idem intelligas de veris Philoſophis à Deo illuminatis (quales fuerunt quidam inter Gentiles, qui dicta Myſteria ſalutis cognoverunt, & ſalvi facti ſunt) quamvis unus vel alter ſua ſecreta ſub figuris & metaphoris minùs propriis expreſſerit.

„ Intellige ergò, Fili, verum idioma „ Philoſophorum affectum ſuper proprie„ tates ſubſtantiarum naturæ; nam niſi ipſas „ intellexeris per ſubſtantias ſeparatas, nun„ quam realiter intelliges proprietates co„ rum veri idiomatis; quia ipſi clarè lo„ quuntur in ſua Philoſophia, imò Naturæ, „ cùm Philoſophia non ſit alia res, niſi Re„ velatio Secretorum Naturæ in idiomate „ proprio naturali, ſinè quo ſubſtantiæ na„ turæ non plùs poſſent notificari, quàm a„ lia res ſive beſtia ſive planta, niſi portave„ rit nomen & effectum, quod in genera„ litate dat notitiam habitûs cauſæ: & i„ deo fuerunt inventa diverſa idiomata in „ Natura per diverſos Philoſophos; unde „ quilibet locutus eſt in ſua Philoſophia cla„ riùs, quantùm potuit, ſecundùm curſum „ Naturæ, ſalvando proprietatem ſuarum fi„ gurarum, licèt unum idioma ſit magis „ clarum & magis proprium, quàm aliud, „ in quantum Auctor fuit melior expoſitor „ reſpectu proprietatum, quarum effectus „ Natura demonſtrat omni bono Naturali „ intelligenti cum magna realitate: nec „ credere debes, quòd ſancti & boni Phi„ loſophi in ſua Philoſophia tibi occulta„ verint ſuum ſenſum, quia non eſſet fa„ ctum veræ Philoſophiæ; cùm ſua pro„ prietas & requeſta cum clara intentione „ velit revelationem propriam & claritatem radioſam cauſæ occultæ, & manife„ ſtationem puram ſinè occultatione, cujus „ intrinſecum reducunt ad purum intelle„ ctum factum & immiſſum à DEO cœleſti, „ in quo examinatur & depuratur virtus „ contrarii, ſicut aurum in ſua propria „ fornace, Doctor Illum. *in fine Artis Intell.*

De Secreto Secundi Circuli.

MAg. Stabilitis literis in Syſtemate formemus ſyllabas rhetoricas ex ipſis in hoc ſecundo Circulo: primò de Naturæ ſenſuali aſcendendo ad Naturam intellectualem, & de litera ad morale, oſtendendo & miſcendo ſimul Modum operandi Potentiæ in Subjectum.

„ Quando motiva movet ſenſitivam „ cum vegetativa, tunc dat vel tollit vege„ tativæ vel de calore, vel de frigore, ut per „ famem vel per ſitim ſenſitiva ſentiens fa„ mem vel ſitim ſe moveat ad hoc, quod „ eſt neceſſarium vegetativæ, ſecundùm „ quòd motiva movet dando vel minuen„ do per actionem vel paſſionem: unde „ quando motiva movit ſenſitivam per mo„ tum, quem dat vegetativæ, tunc vegeta„ tiva per moralitatem ſignificat ſenſitivæ „ res illi neceſſarias: unde qui vult cogno„ ſcere iſtas ſignificationes, ſciat intellige„ re, *quòd illa ſignificatio eſt moralis expoſitio „ ſignificatæ ſenſitivæ*, ut ſe moveat ad ſatis„ faciendum vegetativæ in hoc, ad quod „ illam movet motiva.

„ Quando ſenſitiva eſt mota occaſio„ ne motûs, quem motiva facit vegetativæ, „ tunc motiva movet imaginativam cum „ ſenſitiva; quia ſi motiva movit vegeta„ tivam NB. per multiplicationem calo„ ris & ſiccitatis, & per diminutionem fri„ giditatis & humiditatis, vegetativa ſig„ nificabit ſenſitivæ appetitum frigiditatis „ & humiditatis, & ſenſitiva ſentiens ſi„ tim appetet aquam frigidam, ut ſigni„ ficet imaginativæ, ut imaginetur fon„ tes & aquas ad hoc, ut memoria moveat „ ſenſitivam ad bibendum aquam, ut ſatis„ faciat vegetativæ: unde quando imagi„ nativa eſt mota per hunc modum, tunc „ ſenſitiva illi ſignificat morales figuras, ut „ imaginetur res, quæ ſenſitivæ ſunt neceſ„ ſariæ, & ut per imaginationem res, quæ „ ſunt in potentia, veniant in actum.

„ Quando motiva movet rationalem „ cum imaginativa, tunc facit imaginati„ vam imaginari caſualiter fontes & aquas „ & loca frigida, ut ratio cauſaliter ſe mo„ veat ad recolendum, intelligendum & vo„ lendum hoc, quod imaginativa imagina„ tur, & ut poſtea omnes potentiæ ſe move„ ant de gradu in gradum ad ſatisfacien„ dum potentiæ vegetativæ, & poſtea ſen„ ſitivæ, & poſtea aliis: unde ſecundùm „ iſtum modum, quando imaginativa in„ cedit fortuitò imaginando hoc, cujus ſen„ ſitiva dat occaſionem imaginativæ, tunc „ imaginativa per morales imaginationes „ ſignificat rationali moralem expoſitio„ nem hujus, quod ſenſitiva requirit per „ vegetativam: hoc idem ſequitur de aliis „ motibus compoſitis, quando rationalis „ movet alias potentias, & quando omnes „ potentiæ inſimul ſe movent una alteram, „ ut finalem rationem, propter quam ſunt „ creatæ, poſſint homines cognoſcere per „ morales ſignificationes & ſimilitudines, Doctor Illum. Lib. 5. Contempl. cap. 357.

Aſcendamus nunc uno gradu altiùs.

„ Quando imaginativa imaginatur pecca„ tum & immunditiam & culpam, tunc per „ moralem ſimilitudinem ſignificat ratio„ nali defectus, qui ſunt in homine, adhoc, „ ut rationalis per allegoriam recolat, in„ telligat & amet perfectionem & virtutes, „ quæ ſunt in DEO: & quando rationalis „ non recipit hoc, quod imaginativa illi ſig„ nificat, tunc per morales ſimilitudines ima„ ginativæ rationalis ſignificat de ſe ipſa per „ anagogiam, quòd in altero ſæculo habe„ bit pœnam, quia non vult recipere ſigni„ ficata, quæ demonſtrant honorationes „ DEI in hoc mundo, ut homo in altero „ glorificetur in DEO: unde cùm hoc ita „ ſit, quòd una potentia exponat alteri di„ ctas expoſitiones, quando una potentia „ vult recipere ab alia, tunc poteſt homo „ percipere & cognoſcere ſignificationes & „ demonſtrationes, quæ veniunt per ſimi„ litudines, vel per ſomnia, vel per viſiones, „ vel per parabolas, vel per ſigna, vel per „ alias res ſenſuales vel intellectuales: ſed „ quando una potentia non vult recipere „ ab alia hoc, quod ſignificat una alteri, „ tunc homo neſcit habere cognitionem „ quatuor expoſitionum generalium: id„ circo homines errant in rebus, quas ex„ ponunt; quia quod deberent exponere „ ſecundùm expoſitionem hiſtoricam, ex„ ponunt per morale; & hoc exponunt per „ morale, quod deberet exponi per allego„ riam vel anagogiam, & ſic de aliis expo„ ſitionibus; ideo homines neſciunt uti „ nec frui ſecundùm finalẽ rationem, prop„ ter quam ſunt creati, Doctor Illum. ibid.

Sit alterum exemplum Scripturæ & Naturæ ſimul, quo Author Naturæ in ſenſu literali nos docuit Artem regenerandi & multiplicandi in *quantitate* granum tritici, & per

& per conſequens in *virtute* & *qualitate*; cùm nulla multiplicatio quantitatis poſſit fieri ſinè intenſione virtutis, in qua intenſione virtutis conſiſtit multiplicatio virtutis: duo igitur ſimul demonſtravit ſumma Arcana Philoſophiæ, ſcilicet *multiplicationem quantitatis* & *multiplicationem virtutis*, & per conſequens etiam *tertium* nobilius utroque, complectens utrumque: per hoc autem *particulare* dedit *doctrinam univerſalem* ad omnia alia individua naturalia ſimiliter tractanda; quia *per unum particulare aliud intelligi poteſt*, ût dixi cam. 50. Lect. Art. Comp. de Fig. T. fol. 37., ſicut in *Logica* dedi exemplũ de verbo *amo* fol. 74. §. *Prima comparatio*.

Diſc. Quare ſupremus Doctor Philoſophiæ non demonſtravit potiùs modum multiplicandi virtutem & qualitatẽ rerum naturalium, quàm quantitatem, cùm virtus ſit nobilior, quàm quantitas? Mag. quia quantitas eſt ſenſualis, & virtus intellectualis, & faciliùs à doctis & indoctis percipitur ſenſuale, quàm intellectuale: unde licèt regeneratio Animæ ſit nobilior illâ corporis, priùs docuit Chriſtus hanc, quàm illam, *quia non priùs, quod ſpiritale eſt, ſed quod animale eſt*, S. Greg. in Hom. 22. in Evang., ſic priùs docuit multiplicationem quantitatis, quàm virtutis, obſervando ordinem regreſſûs à corporalibus ad ſpiritualia.

Præterea voluit, *quòd per unum principium intelligatur aliud, & per unam metaphoram alia*, ût patet ex Fig. X. Artis Univerſalis fol. 103., quod Artificium Rhetoricæ Chriſti excedit artificium alterum Phyſicæ; quia unum particulare Phyſicæ ſolùm ſignificat alia Phyſicæ, ſed unum particulare Rhetoricæ per Metaphoram ſignificat omnia particularia aliatum Scientiarum, ût patet in ſequenti exemplo Philoſophiæ applicato Theologiæ. *Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet; ſi autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Qui amat Animam ſuam, perdet eam: & qui odit Animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam.* Joan. 12. v. 24. 25. Reducamus Principia ad Figuram.

Litera { Senſuale { Granum frumenti. Terra. Mortificatio. Multus fructus.
Metaphora { Intellectuale { Anima hominis. Mundus. Odium ſanctum. Vita æterna.

Fili, expoſitio Literæ eſt expoſitio Metaphoræ, & explanatio ſenſualis eſt declaratio intellectualis: unde ut intelligas unum per alterum, & ſimul conſpicias, quanta ſit Sapientia Verbi Incarnati in tam humili exemplo, ſubjungam ulteriorem elucidationem hujus textûs per meam Philoſophiam humilem, h. e. non ſublimia & alta Rhetorum Ethnicorum, ſed humilia verba adhibendo: monſtrabo inſuper modum, quem nobis oſtendit Salvator noſter in dato ſuperiùs exemplo, extrahendi Metaphoras occultas, quas multoties reticuit, ſcilicet Artem, quomodo ex una litera extrahatur una Metaphora, & ex una litera plures Metaphoræ, & ex una Metaphora alia Metaphora vel plures Metaphoræ per *tertiam Arborem* & reliqua Inſtrumenta meæ Artis.

Sit primò Expoſitio literæ demonſtrando totum proceſſum naturalem generationis, regenerationis & multiplicationis. „Et „ de hoc damus tibi exemplum per gra„ num frumenti & omnia alia ſemina; quia „ granum frumenti exiſtens per ſe ſolum „ in materia compacta & ſicca ſecundùm „ curſum naturæ nunquam poteſt creſcere „ nec multiplicari, niſi per reſolutionem & „ attenuationem ſimpliciratis ſuæ duræ ſub„ ſtantiæ, in qua ſubſtantia dura & congelata „ calor incluſus intra dictam ſubſtantiam „ determinatam ſtat mortificatus ratione „ ſiccitatis & duritiei, in qua materia eſt de„ terminata, in qua calor naturæ eſt reten„ tus; *quia de frigiditate excellenti & ſicci„ tate cauſatur qualitas mortificativa*, & per „ hoc poteſt ruſticus cognoſcere, quòd ta„ lis ſiccitas cauſans duritiem & mortifica„ tionem indiget humectatione aërea, ad„ hoc, ut calor naturalis poſſit reſuſcitari & „ extendi in ſimplici materia aëris, qui eſt „ ei materialis cibus: ſed non eſt datum „ Naturæ, quòd poſſit facere iſtam ſubti„ liationem partium groſſarum in ſimpli„ ces, niſi per ſubtiliationem ſuarũ partium „ ſiccarum cum reſolutione, quæ fit per re„ incrudationem humidi materialis grani, „ quod erat terminatum & coctum cum di„ geſtione perfecta ad modum ſubtilis ſub„ ſtantiæ albæ, ex qua fit panis, quem tu „ comedis: & reincrudatio dicti humidi „ ſeminalis terminati cum & in ſicco tau„ ſatur ab humido ſubtili frigido terreſtri & „ crudo, quod illud recipit in ſua diſſolutio„ ne; quia neceſſarium eſt, quòd ſiccum „ terminetur & reducatur in humidum,

„ quod est amicum & cibus ignîs, qui for-
„ mat nascens cum sua virtute : sed cùm
„ siccum & humidum sint oppositæ quali-
„ tates cum differentia contrarietatis, ideo
„ convenit, quòd cum differentia concor-
„ dantiæ elementa debeant permutari ab
„ una qualitate in aliam, scilicet à sicco in
„ frigidum, & à frigido in humidum, ad
„ hoc, ut materia terræ appropinquet igni
„ per differentiam illius concordantiæ, sci-
„ licet ut materia sicca grani terminetur &
„ convertatur in materiam humidam, in
„ qua est calor naturalis per differentiam
„ concordantiæ, quæ habet potestatem re-
„ cipiendi virtutem informativam cœli: per
„ quod patet, quòd natura non transit de
„ uno contrario in aliud, nisi per suum me-
„ dium, per quod medium vel transitum
„ causatur differentia concordantiæ, per
„ quam materia convertitur & transmuta-
„ tur de natura in naturam; & hæc est spe-
„ cialis differentia, quam tu debes respice-
„ re; quia aqua est amica aëris per suam
„ humiditatem, & est vicina terræ per suam
„ frigiditatem, de qua per rarefactionem,
„ alleviationem & subtiliationem venit re-
„ incrudatio in rebus, quæ sunt & fuerunt
„ coctæ, condensatæ & terminatæ per Na-
turam & Artem, Doctor Illum. in Theor.
Test. cap. 26. & MS. 30.

Si quis hactenus dicta combinaverit cum iis, quæ suprà *Capite 2.* in Figura S. & X. de hac materia sunt tradita, item quæ tu in *Perspiciliis cap. 4. fol. 86. §. Nulla regeneratio, ex Lib. Quæst. super Art. Dem. & Inv. q. 164.* per metaphoram ignîs liquefacientis aurum attulisti, item quæ in *Lib. Princ. Med. Dist. 7. cap. 21. & 22., & Dist. 10. cap. 36. Metap. 24.*, & in *Lib. Art. Dem. Dist. 4. p. 1. q. 23. & 25.*, item *Lib. Astron. p. 2. de devictione*, item *Art. Comp. Med. q. 4. circa finem* scripsi, inveniet plenariam concordantiam doctrinæ physicæ & Artis Generalis: sed absolvamus opus.

„ Fili, condensatio & rarefactio est via
„ originalis in transmutatione elementorũ
„ in certis gradibus; & hæc est communis
„ doctrina, per quam sapiens natura con-
„ vertit sua elementa; & ideo quando gra-
„ num frumenti est solutum & reincruda-
„ tum & transmutatum de suo sapore in a-
„ lium, & de sua natura in aliud opus, hoc
„ operatur frigiditas & humiditas, quæ est
„ in aqua cruda; & ideo calor, in quo est
„ virtus vegetativa potentialiter, nondum
„ adhuc sentit virtutem informativam se-
„ cundi instrumenti, quod movet à cœlo
„ ad informandum calorem naturalem per
„ aliam informationem; propter hoc non
„ potest habere motum penetrandi actuali-
„ ter, & movendi se in partibus sui humidi
„ materialis ad formandum, quia est mor-
„ tificatus & hebetatus in suo materiali
„ principio ratione frigidi & humidi, quod
„ ingressum est in suum materiale per reso-
„ lutionem & conversionem dicti sicci cum
„ superfluitate nimii frigidi & humidi: sed
„ postea descendit virtus cœlestis à secundo
„ instrumento, quæ cum calore solis infor-
„ mat materiam resolvendo & diminuendo
„ de dicto humore frigido, quantum con-
„ venit ad intentionem Naturæ, & non
„ plus, hoc est, usque ad terminum excita-
„ tionis caloris naturalis, quia tunc destrui-
„ tur materia & superfluitas frigiditatis, quæ
„ tenebat mortificatum calorem naturalem,
„ qui est instrumentum Naturæ, & per quam
„ superfluitatem calor fuit resolutus: & quan-
„ do hic calor naturæ est excitatus per ca-
„ lorem solis cum continuatione talis infor-
„ mationis, dictus calor incipit se movere
„ in suo humido materiali, cum quo est li-
„ gatus, & in movendo se, penetrat, & in
„ penetrando, se dilatat, & in dilatando in-
„ format & convertit suum humidum ma-
„ teriale in suam propriam speciem & in
„ suum proprium esse; & sic calor Naturæ
„ non cessat operari in suam materiam, ve-
„ getando, pullulando, ampliando, elon-
„ gando, extendendo, augmentando & mul-
„ tiplicando, quousque venit ad terminum,
„ quòd non habet plus de materia humidi;
„ quia tunc incipit humorem terminare &
„ inspissare cum virtute informativa diffe-
„ rente ab aliis per concordantiam, & ca-
„ lor mortificatur per siccitatem, quam gra-
„ num frumenti recipit in sua terminatio-
„ ne per compactibilitatem & duritiem,
„ quousque iterum convertatur in resolu-
„ tionem & putrefactionem.

„ Quapropter Rota elementorum per
„ Naturam tota in circuitu gyratur & gyra-
„ bitur, quousque venerit ad suum proprium
„ & determinatum punctum: & sic per evi-
„ dentem experientiam Natura te docet,
„ quòd virtus, quæ est in potentia in semine
„ grani seu tritici, nunquam procedit in
„ actum productivum & vegetativum, nisi
„ post corruptionem & putrefactionem suæ
„ propriæ materiæ, quia illa est causa suæ
alle-

„ alleviationis, subtiliationis, & rarefa-
„ ctionis, quousque veniat ad punctum ge-
„ nerationis, quem punctum vocamus mul-
„ tiplicationem ab uno grano in centum, &
„ à centum in decem millia &c.

„ Et ideo necessitate vivendi didicerunt
„ rustici, quòd, si granum frumenti non
„ projiciatur in terram, nunquam multipli-
„ cabit suam virtutem, quia sua materia sic-
„ ca non hoc suffert ratione suæ terminatio-
„ nis factæ per conversionem subtilîs in spis-
„ sum: & si projicitur in terram, calcina-
„ bitur per resolutionem, & crescet suum
„ humidum cum putrefactione, per quam
„ venit vis suæ animationis, non tamen,
„ quòd faciat eum multiplicare in calore cœ-
„ lesti superiùs ascendendo, acsi melius fie-
„ ret, quàm priùs, sed sicut erat antè: vide
„ igitur, quomodo per subtiliationem se-
„ paretur mundum ac purum ab immundo
„ & impuro per elementationem, quam ac-
„ cepit à putrido per rarefactionem, per
„ quam exaltatur, & fermentum appellatur:
„ dicimus ergò fermentum res exaltatas in
„ altum, quæ tantúm desiderantur à gen-
„ tibus.

„ Unde dicimus, quòd per opera ru-
„ sticorum virtutes cœlestes adjuvantur, sci-
„ licet per arationem, seminationem, cul-
„ tivationem & impinguationem terræ: &
„ per talem modum rustici adjuvant natu-
„ ram, ut citiùs & meliùs colligant fructus,
„ quia per majorem cultum fructus melio-
„ rantur, Doctor Illum. ibid.

Cui nimia est hæc expositio sensûs literalis, Fili, aut perdidit saporem bonæ & veræ Philosophiæ, aut nunquam habuit. Disce. forsan hanc Philosophiam dictitabunt rusticam. Mag. bene dicent in hoc, quia Philosophi speculativi non curant de experimentis: unde *secundùm experientiam nulli homines tantum sciunt de Philosophia, sicut rustici*, Doctor Illum. in Arb. Quæst. de q. agri.

Ex hac explanatione operis particularis sensualîs naturalis extrahes aliam explanationem operis particularis sensualis naturalis & artificialis simul, quod est Philosophorum, & non rusticorum, & est altioris ordinis, per metaphoram significatum in præcedenti vulgari, in *dicto Capite Testamenti* clarè revelatum. Ex eodem sensu literali sensuali, scilicet *quòd de semine non possit nasci fructus, quousque mortificetur sub terra*, elicitur alius moralis intellectualis; nam *hæc proprietas & natura dat significationem, quòd convenit, Humanitatem Christi mori ad faciendum fructum in specie humana*, Doctor Illum. in Lib. 4. Contempl. cap. 251.

Denique nota in fine hujus Circuli, quòd tota hæc longa demonstratio operis sensualîs secundùm omnes suas partes potest à proportione comparari cum simili opere quocunque sensuali vel intellectuali &c., quod est maximum Secretum, de quo plura in fine sequentis Circuli.

De Secreto Tertii Circuli.

CUm secundus Circulus fuerit prolixus, & tertius constet ex partibus secundi inter se connexis, abbreviabimus illum, quantúm licet; „ quia quando homo mon-
„ strat & significat cum paucis verbis multas
„ rationes, tunc faciliùs dirigit intellectum,
„ quàm quando verba sunt multa & longa,
„ & rationes sunt paucæ; quia natura est in-
„ tellectûs, quòd citiùs dirigatur cum pau-
„ cis verbis significantibus multas rationes,
„ quàm cum longis verbis & paucis rationi-
„ bus significatis per superflua verba, Do-
ctor Illum. Vol. 2. Contempl. capite 216.: unde ad complendam Artem meæ Rhetoricæ per hunc tertium Circulum, sufficiet tibi revelare figuram Artis, quæ est sequens:

a	Potentia motiva intellectualis.
b	Potentia motiva sensualis.
c	Memoria, Intellectus & Voluntas.
d	Compositum de a. b.
e	Potentia vegetativa, sensitiva, imaginativa & rationalis.
f	Primus Motus, duæ Intentiones, Veritas, Devotio, Conscientia, Temperamentum, Animositas & Spes.

„ Quando homo formaverit & figura-
„ verit istas sex figuras, convenit, quòd de
„ illis componat *quinque*; quarum quinque
„ figurarum *prima* est a. c., *secunda* a. c. d.,
„ *tertia* a. c. f., *quarta* a. c. f. e., & *quinta*
„ est a. b. c. e. f. d.: unde quando figura-
„ verit istas quinque figuras, & composue-
„ rit de dictis sex figuris, convenit, quòd
„ de quinque figuris faciat quatuor figuras
„ intellectuales, ut sensualiter illas compo-
„ nat & ponat in quintam figuram; quia
„ alio modo non posset loqui, nec dicere ver-
„ ba rhetorica, nec pulchrè ordinata, & lo-
„ queretur casualiter in hoc, quod diceret: *quia sicut quatuor elementa primò uniuntur & componuntur in grano seminis vel radice Arboris subtùs terram, & postea per generationem se mon-*

ſtrant in forma vegetabilis, quod creſcit ſuper ter-
„*rã*, ſic convenit, quòd quatuor figuræ com-
„poſitæ primò uniantur & componantur in-
„tellectualiter, ut in quinta figura ſe demon-
„ſtrent per verba pulchrè ordinata & dicta: &
„ſicut convenit, quòd quatuor elementa
„primò ſint ſub terra, & quòd flos, quem
„generant, capiat figuram ſupra terram,
„ſic quatuor figuræ primò debent deman-
„dari ſenſitivæ, & quinta figura debet eſſe
„poſt quatuor figuras, ſequens ordinatio-
„nem quatuor figurarum, Doctor Illum.
Lib. 5. Contempl. cap. 359.

Praxin hujus Figuræ regulabis ad normam cæterarum antecedentium & ſequentium, vel ſi hæſitaveris, *dicto Capite* invenies: ſed antequam excedam hoc Circulo, movebo centrum, de quo in fine ſecundi Circuli: ſelige quodcunque particulare ſenſuale, illudque reſolve in literas more in Algebra mea uſitato, has applica literis Figuræ antepoſitæ, & formaſti Syſtema Rhetoricum univerſale mediante illo particulari eliciendi infinita particularia, ſi noris proportionem meæ Geometriæ, & æquationem meæ Arithmeticæ, ſignificationem Grammaticæ, demonſtrationem Logicæ, Scalam & Rotam Principiorum Muſicæ, Artemque Aſtronomiæ ſe movendi in dicta Scala & Rota; quæ ſi ignoraveris, pedem effer hoc Circulo, nec revertaris, niſi in hac Scala ſeptem Graduum Gradum ſumpſeris Magiſterii.

Diſc. O mi Pater, ſi tuis Diſcipulis comparandus eſt gradus pretio factorum, & non verborum tantùm, quàm pauci erunt, qui, ſi hac libra ponderentur, indicem ſtateræ ſibi annuere gaudeant!

De Secreto Arithmeticæ.

De Æquatione.

MAg. Quia Æqualitas eſt unum ex ſupremis & ſummè neceſſariis Principiis meæ Artis poſitum in Triangulo croceo Figuræ T., ſinè quo in mea Arithmetica, Geometria & omnibus aliis Artibus ac Scientiis non poſſet fieri ulla perfecta operatio & demonſtratio, præterea ſit principium, per quod omne ignotum inveſtigatur & reducitur ad notum, comparando toties ignotum cum noto, donec prodeat in vero æqualitas neceſſaria, & in falſo æqualitas impoſſibilis, ideo de hoc utiliſſimo & univerſaliſſimo Principio hoc loco agere intendimus; & quia *Æqualificatio*, ſeu vulgari nomine *Æquatio*, eſt operatio æqualitatis, per quam producitur inventio omnis particularis, & ſolutio omnis quæſiti, ideo ab hac operatione meritò intitulavimus noſtram Arithmeticam.

Sed quoniam *duplex* eſt Æqualitas & Æquatio, ſcilicet *realis naturalis*, & *intentionalis artificialis*, ſub ultima per metaphoram, proprietates & uſum primæ deſignabo: tu itaque, Fili, oculos terge, aut, ſi ſubtilia viſui ſe ſubtrahunt, perſpiciliis meis illa detegere ſatage. Sequuntur nunc Conditiones univerſales utriuſque.

Pro majori intelligentia ſequentis Conditionis primæ ponatur ſequens Figura.

Diffe		ren			tia	
Contra- ſinè		Concordantia per medium.			rietas medio.	
Majoritas	Minoritas	Æqualitas		Minoritas	Majoritas.	
c d. B.	d. C.	D.	E.	F.	f. G.	f g. H.
3. gradus	2. gradus	1. gradus	Scala Æquationis.	1. gradus	2. gradus	3. gradus

1. Conditio. „ Quando vis inquirere
„majoritatem & minoritatem, & vis æqua-
„lificare majoritatem cum minoritate, in-
„clina majoritatem ad minoritatem, & mi-
„noritatem ad majoritatem eleva tantùm,
„quouſque habeas æqualitatem: ſi verò ve-
„lis deſtruere æqualitatem, inclina quos-
„dam gradus ad alios, Doctor Illum. in Lib.
Princ. & Grad. Med. Diſt. 4. de mixt. K. O.
fol. 20.: hæc conditio eſt regula æquationis realis

realis & intentionalis, naturalis & artificialis.

Diſc. At quomodo & per quid redigitur in praxin? Mag. per ſequentes quatuor ſpecies operationum Arithmeticæ, ſcilicet per *Additionem*, *Subtractionem*, *Multiplicationem* & *Diviſionem*. Diſc. quare non addidiſti extractionem Radicis Quadratæ & Cubicæ? Mag. quia in operatione harum quatuor univerſalium hæ ſpeciales implicantur.

Huic Figuræ applica *Figuram quadrangularem Logicæ*, & ordinaſti Syſtema generale omnium æquationum particularium. Fili, „ nunquam fuit homo nec Philoſo-
„phus in mundo, qui illud tibi dederit per
„Artem, ſicut ego facio: ſi bene animad-
„vertes ea, quæ tibi dixi in *Arte Intellectiva*
„*capite 31.*, bene intelliges totum actum no-
„ſtræ æquationis cum opere completo: au-
„di igitur Scientiam claram & Artem, quæ
„eſt infallibilis nobili menſurâ cum certis
„graduamentis propriæ Geometriæ, quam
„tibi dedi, ſi eſt tibi conceſſa per illum, qui
„omnia donat & ſimiliter ſubtrahit, ſicut
„ſibi placet; quare reſpice in te, ſi ipſe vo-
„luerit tibi inſpirare, perſcrutando for-
„mam, quæ eſt propria Rota iſtius graduamenti, Doctor Illum. ibid.

2. Conditio. Operatio æquationis eſt duplex, per primam inquiritur verum, per ſecundam falſum; quando abſolutâ inveſtigatione æquatio eſt neceſſaria, tunc particulare inventum eſt verum; ſed quando æquatio eſt impoſſibilis, tunc particulare inventum eſt falſum; de quo innumera habes exempla in demonſtrationibus à me factis per neceſſarium & impoſſibile, præcipuè in *Libro Mirandarum Demonſtrationum*, & infrà oſtendetur in practica.

3. Conditio. Ejusdem vel plurium æqualium ad æqualia æquatio eſt neceſſaria, & è converſo.

4. Conditio. Ejusdem vel plurium æqualium ad inæqualia æquatio eſt impoſſibilis, & è converſo.

Per has quatuor Conditiones regulantur omnes demonſtrationes, quæ mediante æquatione reducuntur ad neceſſarium & impoſſibile.

Dicto de Æquatione in genere, & de quatuor Conditionibus ejus, nunc dicere intendimus de quatuor operationibus univerſalibus noſtræ Arithmeticæ, quibus Ars utitur ad inveſtigandam & inveniendam dictam æquationem, per quam revelatur omne particulare quæſitum æquale vel inæquale.

De quatuor Operationibus univerſalibus Arithmeticæ, Additione, Subtractione, Multiplicatione, Diviſione.

QUoniam tota Ars Analytico-Synthetica verſatur circa has quatuor operationes, ideo de his convenit dare doctrinam generalem, ut cognoſcatur non ſolùm quid ſint in ſe, ſed etiam quomodo adhibeantur in opere tam univerſaliter, quàm particulariter; nam cùm hæ quatuor operationes hucuſque ſoli Arithmeticæ & Geometriæ inſervierint, hoc eſt, *numero* & *quantitati* menſurandis, nec *qualitati*, *ſubſtantiæ*, *magnitudini non quantæ* & reliquis ſupremis ac univerſaliſſimis principiis fuerint adaptatæ, integritas meæ Artis exigit, ut Secretum univerſalitatis & applicationem ad particularia harum quatuor operationum vobis revelem.

Scitote igitur Filii, quòd non tantùm menſurabilis eſt numerus & quantitas, ſed etiam ſubſtantia & partes ſubſtantiæ tam ſubſtantiales, quàm accidentales; nam comparando ſubſtantiam ad ſubſtantiam intrat triangulus croceus, quia quædam ſubſtantia eſt major vel minor alterâ, vel æqualis alteri, & quoddam accidens eſt majus vel minus altero, vel æquale alteri; & hoc ipſum verificatur de partibus utriuſque: & hæc majoritas, minoritas & æqualitas non conſideratur ſecundùm quantitatem phyſicam, quæ eſt accidens, quia magis vel minùs calidum, magis vel minùs rubeum, magis vel minùs igneum, non eſt idem ac magis vel minùs quantum, quia minùs quantum poteſt eſſe magis calidum, quàm magis quantum, ût patet in pipere & zingibere: nec conſideratur ſecundùm quantitatem logicam aut mathematicam, ſcilicet in abſtracto artificiali & intentionali, ſed ſecundùm magnitudinem realem intrinſecam naturalem ſive ſubſtantialem ſive accidentalem rebus ipſis inexiſtentem, quæ ab intellectu creato eſt conſiderabilis & cognoſcibilis in ſe, & comparabilis ad aliam magnitudinem, ſicut quantitas ad aliam quantitatem, & per conſequens menſurabilis.

Diſc. Quænam eſt ergò differentia inter *Magnitudinem* & *Quantitatem*? Mag. Magnitudo convenit *rebus intellectualibus & ſpiritualibus*, & Quantitas *rebus ſenſualibus*

& cor-

& corporalibus; nam nihil est quantum, nisi quod habet longitudinem, latitudinem & profunditatem: & quamvis ista nomina multoties adhibeantur ad significandam magnitudinem rerum intellectualium & spiritualium, hoc tamen fit impropriè propter defectum Grammaticæ, quæ caret nominibus propriis: unde si Grammatici potiùs intendissent necessitati linguarum, quàm fictitio cultui, studiosiùs observassent sequentem regulam ex Principiis meæ Artis elicitam, videlicet, *quòd omne significatum differens ab altero significato exigat significationem differentem ab altera significatione*; nam observatione vel unius hujus regulæ milleni hiatus in omnibus linguis essent expleti. Fili, *Magnitudo* est unum ex Principiis meæ Artis substantialibus, quia est pars substantialis substantiæ; & hæc Magnitudo communicat suam similitudinem accidentalem cæteris suis compartibus substantialibus, scil. bonitati, durationi, potestati, virtuti, perfectioni &c.: hæc magnitudo accidentalis non est quantitas, ût patet in Anima, quæ est bona, magna &c.; & magnitudo bonitatis Animæ est accidens, quia est similitudo magnitudinis existentis in bonitate, & producta ab illa; sed Anima non est quanta: verum tamen est, Fili, quòd nullum sit quantum sinè magnitudine, quamvis multa sint magna sinè quantitate; nam quia mensura superior mensurat inferiorem, tanquam universale suum particulare, & non è converso, Magnitudo est mensura quantitatis, & Magnitudo substantialis magnitudinis accidentalis, & Magnitudo infinita magnitudinis finitæ.

Hæc est suprema Mensura, quâ in mea Arte mensuro omnes inferiores mensuras, & est illud universale reale, ad quod dirigitur omne universale intentionale: sed est alterum universale in mea Arte, cujus hìc te memorem volo, quod in mea *Introductoria Artis Demonstrativæ* ejusque *Prologo* exposui, scilicet compositum ex ente logico & metaphysico, & hoc includit omnia genera & species decem principiorum in principio hujus Capitis adductorum, & magnitudini applicatorum; sub qua consideratione descendamus nunc ad contemplandas quatuor dictas operationes, earumque naturam, proprietates & usum explicemus.

Manifestum est, quòd natura & proprietas *Additionis* est opposita naturæ & proprietati *Subtractionis*, & è converso; & natura & proprietas *Multiplicationis* est opposita naturæ & proprietati *Divisionis*, & è converso: unde operatio unius est opposita operationi alterius. Ut igitur cognoscatur usus generalis harum quatuor operationum in mea Arte, applicentur Principiis generalissimis primæ Arboris & Figuræ T., ac secundo Quadrangulo oppositorum Figuræ X. & Figuræ Logicæ sequenti modo.

Ponatur, quòd a. significet *Esse*, b. *Privationem*, c. *Necessitatem*, d. *Contingentiam*, e. *Actum*, f. *Potentiam*, g. *Possibilitatem*, h. *Impossibilitatem*, i. *Perfectionem*, k. *Defectum*: & ut faciliùs memoriæ imprimantur, ac mirabilis usus meæ Algebræ speciosæ percipiatur, redigantur ad faciliorem operationem in formam sequentis Tabulæ.

a	Esse.	f	Potentia.
b	Privatio.	g	Possibilitas.
c	Necessitas.	h	Impossibilitas.
d	Contingentia.	i	Perfectio.
e	Actus.	k	Defectus.

De Additione & Subtractione.

CUm a. & b. sint generalissima Principia, & habeant generalissimam oppositionem, omnia alia principia ipsis addita revelant Secreta suarum oppositionum, addendo, subtrahendo, multiplicando, dividendo, hoc modo.

1. Si c. additur ipsi a., subtrahitur à b., & è converso.

2. Si a. additur c., subtrahitur b. à c., & è converso.

3. Quia c. & d. opponuntur, si c. additur a., d. additur b., & è converso.; & si d. additur a., c. additur b., & è converso.

4. Quantò plus est de c. in a., tantò minus est de d. in a.; & quantò minus est de d. in a., tantò plus est de d. in b., & è converso: igitur per majoritatem additionis ipsius c. ad a., revelatur majoritas subtractionis ipsius d. de a., & additionis ipsius d. ad b.

5. A. per c. est remotum à b., & per f. est propinquum ipsi b.: ergò addendo c. ad a. subtrahitur b. ab a., & addendo f. ad a. additur b. ipsi a.

6. Quando c. & f. sunt in a., quia f. concordat cum b., additio est in actu, & subtractio in potentia.

7. Quia est h., quòd a. b. simul sint in g., addendo g. ipsis a. b. simul, subtrahitur g. ab ipsis; & idem dicendum de h.

8. Quia

8. Quia h. a. — b. est majus ipso g. a. †b., sequitur, quòd subtrahendo possit fieri additio, & addendo subtractio.

9. K. naturaliter convenit cum b., & tamen est in a., ût sensualiter sentimus; & quia i. naturaliter convenit cum a., & contrariatur ipsi b., ût k. ipsi a., si nullum i. esset in a. sinè k., sequeretur, quòd a. esset magìs perfectum per additionem ipsorum i. k., quàm per additionem i., & subtractionem k.; quod est impossibile & contradictio.

10. A. per i. removetur à k., & i. per a. removetur à b., contrarium fit in a. k.: unde addendo i. ipsi a. subtrahitur k. ab a., & addendo a. ipsi i. subtrahitur b. ab i., contrarium fit in a. k.: per b. ipsius k. in a. augmentatur i. in a., & per b. ipsius i. in a. augmentatur k. in a.: ponendo i. inter a. b. ponitur majoritas & minoritas, & privatur æqualitas, cùm i. non possit æqualiter convenire cum a. b.; hoc ipsum fit ponendo k. inter a. b., quia k. magìs convenit cum b., quàm cum a.

11. Si a. ponitur in medio ipsorum i. k., resultat inde æqualitas geometrica; nam sicut se habèt a. ad k., sic se habet a. ad i.; & si subtrahitur ab ipsis k., provenit inde æqualitas arithmetica, quia a. sinè k. est æquale per omnem modum ipsi i.

Plures adhuc alias veritates universales possem haurire ex hoc fonte universali, sed hæ sufficiunt exempli loco; nam ex his infinitas particulares sinè labore extrahes, si principia Figuræ T. & aliarum figurarum cum illis combinaveris, ût statim infrà subdam exempla. Præterea ex simplicibus his additionibus & subtractionibus emergent compositæ, jungendo decem supradicta principia: v. g. quia a. ipsius i. per c. est remotum à b., & per f. est propinquum ipsi b., ipsum c. additum ipsi i. conservat illud in a., & subtractum ab i., per b. convertit i. in k.

Disc. In Algebra speciosa videntur Regulæ Additionis & Subtractionis paulò aliter ordinatæ, quàm tuæ antecedentes: unde rogo te, Pater, declara mihi differentiam & concordantiam illarum cum tuis. Mag. bene interrogas, Fili, igitur nota ad perfectam intelligentiam duorum suprà assumptorum principiorum a. b., quæ sunt *Esse* & *Privatio*, illa à me longè ampliori sensu accipi, quàm sumantur in dicta Algebra speciosa particulari; nam a. significat *Esse*, *Unionem*, *Positionem* & *Possessionem* vel *Præsentiam*, & b. significat *Privationem* contrarietatis & contradictionis; & quamvis sub b. tantùm duas species designare videar, non tamen ita est, quia tot sunt numero oppositæ, quot sunt in a. propositæ; & hoc necessariò debet esse, ne sit k. in a. b.: sed quia caremus propriis terminis ob defectum Grammaticæ, ideo sub uno termino *privationis* omnes oppositos coactus fui significare: possent tamen alii substitui, ût alibi feci; nam ipsi *Esse* opponitur *Non Esse*, scilicet ejus contradictorium, in quo sensu accipitur *Privatio* Algebræ speciosæ hoc signo — expressa: & respondet in mea Figura T. trianguli quinti terminis *Entis*, *Non Entis*. *Unioni* opponitur *Disjunio*, & hæc distinguitur à sequenti, quia opponitur *multiplicationi*, ût *divisio* in Arithmetica. Quia *Positio* est transitus de non esse in esse, illi opponitur *Privatio*, quæ est transitus de esse in non esse. *Præsentia* est propinquitas ipsius esse, & habet omnes species Regulæ I., ejus oppositum est *Absentia* seu *Longinquitas*. Quælibet autem harum octo specierum habet sub se quàm plurimas adhuc magìs individuales ad illam reducibiles, quæ tibi in lectione meorum librorum passim occurrent, si aciem fixeris.

Nunc aliquarum tibi dabo exempla, ût sequitur: sit igitur

A	DEUS.	i	Esse.
b	Homo.	k	Non Esse.
c	Lapis.	l	Unio.
d	Intellectus.	m	Distinctio.
e	Visus.	n	Positio.
f	Bonitas.	o	Privatio.
g	Malitia.	p	Præsentia.
h	Medium.	q	Absentia.

1. Si A. est in k., & b. est in i., tunc f. sinè g. est in k., & f. cum g. est in i.; & si ita est, tunc concordans cum i. est in k., & contrarium ipsi i. est in i.

2. Si l. est inter A. & b., tunc A. b. est h. inter a. & b.; & quia A. est finis ipsius b., & omne principium tendit ad finem per h., igitur b. per A. b. potest venire ad A.

3. Si b. est A., est majus m. inter f. g., quæ sunt in b., & est majus l. inter f. ipsius b. & A., quàm si b. non est A.

4. Ponere, A. esse c., est n. ipsius g. in A., & ponere, A. esse b., est o. ipsius g. à b.

5. Quia in c. non est p. ipsorum d. e., nullum b. vult esse c., & nullum c. potest intelligere & videre A.: ergò A. non vult nec potest esse c.; quia si vellet & posset, vellet & posset q. sui ipsius, & habere p. sui contrarii.

6. A. magìs differt à b., quàm b. à c.,

quia A. b. infinitè differunt, ſed b. c. finitè, & A. magìs concordat cum b., quàm b. cum c., quia in A. b. eſt d., & in c. non eſt d.; & quia major differentia & concordantia convenit cum i., & major differentia & contrarietas cum k., b. poteſt eſſe A., & è converſo, & c. non poteſt.

7. Quando d. ipſius b. facit n., quòd A. poteſt eſſe b., & non poteſt eſſe c., tunc ex una parte facit n. poteſtatis, & ex altera parte facit o. poteſtatis; & quia in A. non eſt n. nec o., ſed p. poteſtatis infinitæ, ideo per o. poteſtatis ab A. non eſſendi c. (quod o. eſt in d., & non in A.) non fit q. poteſtatis in A.; quia ſi fieret, d. intelligens imperfectam poteſtatem in A. potente contra ſuam ſapientiam eſſe lapis, intelligeret, finitam poteſtatem poſſe facere k. ipſius i. infinitæ poteſtatis; & ſi hoc poſſet, poteſtas finita & n. o. ipſius d. b. eſſent majores, quàm poteſtas ipſius A.

8. B. per d. capit A., & per e. capit c.; & quia b. capit A. per d. tantùm, & non per e., & capit c. per d. e., putat d., quòd b. magìs capiat c., quàm A.; ſed quando b. recolit, & d. intelligit, quòd A. eſt in b. c. d., & eſt extra b. c. d., & c. non eſt in d., ſed ſpecies tantùm c., tunc b. recolit, & d. intelligit, quòd c. e. ſint h., per quod A. eſt in d. per h. & ſinè h.: & ideo cognoſcunt, quòd A. eſt magìs in d., quàm c.; & quia cognoſcunt, quòd inter A. b. eſt l., & per conſequens inter A. d. & b. d., ſinè h., intelligunt, quòd d. plus capiat de A. ſinè e., quàm de c. cum e.

9. Si in A. non eſſet Trinitas, eſſet impoſſibile, quòd inter A. & b. eſſet l.; quia ſi eſſet, l. tantùm uniret A. & b., ut non maneret ullum m. inter A. b.; nam ſi in A. non eſſet Trinitas, in A. non eſſet m., ſed tantùm identitas, quæ eſt infinitum l.: unde ſi inter A. & b. eſſet l. infinitum, l. ipſius A. deſtrueret totum finitum m. ipſius b.; (quia ſi non, aut l. m. non eſſent contraria, aut haberent æqualem poteſtatem; & hoc eſt impoſſibile:) & ſic non maneret m. inter A. b.; & ſi non maneret, b. converteretur in A., & A. in b., & ſic b. non eſſet b., ſed A., & A. non eſſet A., ſed b.; quod eſt contradictio.

10. A. æqualiter intelligit b. c., ſed quia in b. eſt i. d., & in c. eſt k. d., A. non æqualiter intelligitur à b. c., & non æqualiter ignoratur à b. c.; nam ſi æqualiter intelligeretur ab illis, c. tantùm intelligeret A., quantùm b. intelligit; & ſi æqualiter ignoraretur ab illis, b. tantùm ignoraret A., quantùm c. ignorat: unde cùm hoc ſit impoſſibile, ſi b. poſſet intelligere Unitatem A., & non poſſet intelligere Trinitatem A., b. c. ratione Unitatis A. eſſent inæquales in intelligendo, & ratione Trinitatis A. eſſent æquales in ignorando; & hoc eſt impoſſibile, ùt ſuprà probatum eſt, & patet per quartam Conditionem.

De Multiplicatione & Diviſione.

MAg. Manifeſtum eſt, quòd multiplicatio conveniat cum generatione & augmentatione, & diviſio cum corruptione & diminutione; & quando una eſt in actu, altera ſit in potentia, & è converſo; & quando una eſt in actu propoſiti, altera ſit in actu oppoſiti, quando exiſtunt in eodem eſſe; & quando una eſt in actione, altera ſit in paſſione reſpectu ejusdem, & è converſo, vel in actione reſpectu oppoſiti: his igitur præmiſſis ſint

Principia Generalia *Principia Specialia*
Figuræ A.

a	Bonitas.	l	Actio.
b	Magnitudo.	m	Paſſio.
c	Duratio.	n	Virtus.
d	Poteſtas.	o	Materia.
e	Sapientia.	p	Magnitudo.
f	Voluntas.	q	Quantitas.
g	Virtus.	r	Punctum.
h	Veritas.	s	Linea.
i	Gloria.	t	Superficies.
k	Perfectio.	u	Corpus.

Quia a. b. c. d. e. f. g. h. i. k. ſunt Principia generalia meæ Artis, & ſunt Principia realia naturalia in mea Philoſophia, & ſunt radices, ex quibus componitur truncus Arboris Scientiæ, ût ibi eſt videre, & quodlibet convenit cum l. m. n. o. p., & quatenus ſunt inter ſe compoſita & componentia dictum truncum, etiam cum q., & quodlibet ſit r., ût docui in dicta *Arbore Scientiæ in fructu Arb. Elem. de 100. formis in §. de Punct.*, convenit, quòd omne l. ipſorum a. b. c. d. &c., incipiat in r.; quia ſi non, ſequeretur, quòd a. b. c. d. &c. non eſſent r., vel quòd non eſſent principia ipſius l.; & hoc eſt impoſſibile: unde cùm r. per l. producat s., & s. producat t., & t. producat u. multiplicando, & è converſo dividendo, moſtremus modum harum duarum operationum incipiendo ab r. ipſorum a. b. c. d. &c., ut ſint ſignificationes ſenſuales duarum operationum intellectualium.

Diſc. Quare, Pater, poſuiſti r. s. t. u. in Arithmetica, cùm ſint principia Geometriæ? Mag. quia una non poteſt eſſe ſinè altera, nec operari ſinè altera; nam ſicut nullum ex quatuor elementis poteſt realiter exiſtere & agere ſinè altero, ſic nullum horum ſeptem inſtrumentorum poteſt realiter exiſtere & agere ſinè altero.

1. Cùm n. ſit principium ipſius l., & o. principium ipſius m., quantò majus eſt n. in r., tantò majus eſt l. in r.; & quantò majus eſt o. in r., tantò majus eſt m. in r.

2. Quia n. convenit cum p., & o. cum q., quando n. o. ſunt in r., etiam p. q. ſunt in r.

3. Quò plura ſunt n. in r., eò majus eſt l. in r.; & quò majus eſt l. in r., eò majus eſt p., & minus eſt q. in r.

4. Quia r. non eſt quantum per ſe, ſed per q., per ſe eſt indiviſibile.

5. Quia n. non convenit cum q. in r., niſi per o., & o. in r. eſt minimum, ſequitur, quòd n. in r. ſit maximum ſinè q.: ergò à contrario ſequitur, quòd n. extra r. poſſit eſſe minimum cum q.

6. Quantò magìs accedit r. ad s., tantò magìs accedit ad o., & recedit ab n.; & quantò magis regreditur ab s., tantò magis recedit ab o., & accedit ad n.; & hoc idem ſequitur de s. t. u.

7. Quando unum r. agit in alterum ad intra, r. ſimplicia generant r. compoſitum & æquale, ſed non quantum; & quando unum r. agit, & alterum patitur ad intra, r. ſimplicia generant r. compoſitum, ſed inæquale.

8. Quando unum r. agit in alterum ad extra, r. ſimplicia generant s. compoſitum æquale, ſed quantum; & quando unum r. agit, & alterum patitur, generant s. compoſitum inæquale quantum; & hoc idem verificatur de s. t. u.

9. Quando unum r. agit in alterum ad intra, multiplicant p. ipſius n.; ſed quando unum r. agit in alterum ad extra, multiplicant q. ipſius o.

10. Quando unum r. agit, & alterum patitur ad intra vel ad extra, multiplicant n. vel o.

11. Quando duo r. æqualiter in ſe agunt ad intra & ad extra, æqualiter multiplicant p. q. ipſorum n. o.: patet ex propoſitione nona. Fili, hæ tres propoſitiones ſunt valde nobiles & utiles, & maximè harum ultima.

12. Quia multiplicatio q. eſt ab r. in u., ergò diviſio q. eſt ab u. in r.

13. Quia multiplicatio p. eſt ab r. ſimplicibus in r. compoſitum, ergò diviſio p. eſt ab r. compoſito in r. ſimplicia.

Quàm plures aliæ propoſitiones de multiplicatione & diviſione poſſent elici ex dictis principiis ſpecialibus; ſed hæ exempli locum ſatis explent, nam reliquæ in his involvuntur. Porrò ex his inter ſe combinatis multiplicantur aliæ.

Si tibi nunc placet uſum ſumere horum duorum principiorum, junge illis quaternarios Principiorum Generalium Figuræ A., & produces particularia, quæ & quot lubet: idem fiet, ſi quaternarios Principiorum Specialium illis applicueris, v. g. virtutum vel vitiorum, vel A. B. C. D. Elementorum; nam quodlibet horum principiorum ſpecialium eſt r.; de quibus ſubjungam utiliſſimum exemplum ex *Lib. de Princ. & Grad. Med.*

„ Quantò magìs multiplicas B., multiplicas D., & multiplicando D. mortifi„cas A.; nam A. recipiens ipſum B., reci„piendo B. recipit ipſum D.; & quia B. recipit „D., ipſum B. mortificat operationem ip„ſius A. in C., unde tantò majus eſt D.: & „hoc idem ſequitur de A. C.; nam quan„tò magìs multiplicas C., tantò magìs mul„tiplicas A., & hoc idem intellige de C. D.; „nam in quantò majori gradu D. exiſtit, „tantò magìs C. augmentatur, quâ aug„mentatione mortificatur B. in ſe ipſo, ac „etiam in operatione, quam habet in A. &c.; quæ fuſiùs ibi demonſtravi Diſt. 10. cap. 36. Metap. 24.

Diſc. Poſtquam nobis revelaſti, Pater, per exempla, modum operandi per quatuor ſpecies generales Arithmeticæ in rebus naturalibus univerſalibus & particularibus, oro te, revela & demonſtra nobis modum operandi per eas in rebus artificialibus univerſalibus & particularibus; nam valde cupio ſcire, utrùm tua Ars Generalis ſit etiam utilis ad invenienda Secreta Arithmeticæ, Geometriæ & aliarum Scientiarum mathematicarum ordinariarum particularium: cupio quoque ſcire differentiam, quæ eſt inter Arithmeticam Univerſalem & Particularem, Geometriam Univerſalem & Particularem &c.

Mag. Nonnè legiſti, quæ de his Scientiis docui in meis Libris, videlicet *in Arte Generali, Arbore Scientiarum, Arte naturali intelligendi, Aſtronomia, Geometria nova, Libro de Triangulatura & Quadratura Circuli?* Diſc. legi utique, ſed quia vidi Authores, qui te propter illam methodum demonſtrandi

(quam ſophiſticam dicunt) ſummopere reprehendunt, ût patet per Vincentium Mut Scriptorem hiſtoriæ Majoricarum Patriotam tuum, & aliàs Amicum, qui contra id, quod habet *Tom. 2. Lib. 8. cap. 6.* in laudem tuæ Scientiæ (nempe quòd in omni ſcibili per hanc Artem poſſint faciliùs & clariùs inveniri Secreta illius, quàm methodo hactenus uſitatâ) quando examinat Quadraturam Circuli, quam doces in Arte Generali, te arguit *de ratiocinio laborante vitio manifeſti paralogiſmi & conſecutionis abſurdæ*, eò quòd figuram Circuli & Quadrati volueris æquales & iſoperimetras; quomodo enim Ars tua poterit nobis prodeſſe ad faciendas demonſtrationes mathematicas, ſi tu ipſe neſciviſti alias niſi falſas ex illa producere?

Mag. Evénit optimo Muto, Fili, quod vulpeculæ Æſopi, quæ, videns pulmentum in vitro anguſti oris, exteriùs cœpit lingere vitrum, & cùm nil ſaporis à pulmento recipere valuiſſet, indignans abiit; ſi autem habuiſſet roſtrum ejusdem acuminis & longitudinis cum ciconia, guſtaſſet utique de pulmento: ſic Mutus corticem literæ rodens dente obtuſo, & non penetrans ad nucleum metaphoræ, ſubitò exſpuit, totum quaſi inſipidum reputans: ſi autem prænominatos meos Libros, vel ſaltem ipſam meam Artem Generalem Ultimam ejusque partes non caligante oculo pervolviſſet, unum locum cum altero comparando, non gravatè reperiſſet, me ibi agere de Geometria naturali ſub umbra & metaphora Geometriæ vulgaris; & ad tollendum omne dubium adi *partem 10. dictæ Artis* ejusque caput 14. form. 42. *de Punctitate*, form. 43. *de Linea*, form. 44. *de Triangulo*, form. 45. *de Quadrangulo*, form. 46. *de Circulo*, in quibus omnibus locis apertè egi de figuris naturalibus, & non mathematicis: unde cùm majoris longè valoris ſit, & majus commodum reſultet ex cognitione harum naturalium figurarum, earum unius in alteram transmutatione & æquivalentiâ, nolui in his libris ex profeſſo operam meam impendere rebus minùs utilibus, neglectis utilioribus: quapropter cùm deberem & vellem demonſtrare transmutationem Quadranguli phyſici in Circulum phyſicum, ne impingerent mei Diſcipuli in lapides offenſionis capiendo unam Geometriam pro altera, præmiſi neceſſaria principia ad faciendas demonſtrationes meas geometricas, quæ ſunt definitiones terminorum demonſtrationes ingredientium, videlicet puncti, lineæ, trianguli, quadranguli &c., dicendo: *quòd Triangulus eſt figura habens tres angulos tribus lineis contentos, ſicut patet in elementatis, in quibus quodlibet elementum habet ſuum triangulum &c.*; *& quòd Quadrangulus naturalis eſt figura habens quatuor angulos rectos, & in quolibet angulo quadranguli ſunt implicati duo anguli acuti, qui ſunt de genere trianguli; quodlibet enim elementum habet duas qualitates &c.*: his ergò principiis præſuppoſitis tanquam cognitis proceſſi ad quadrandum Circulum, & ad circulandum Quadrangulum, ût videre eſt dictâ *parte 10. n. 229. 230. 231. fol. 373. & 374.* Editionis Majoricenſis, inſinuando per terminum quadranguli rubei, me non loqui de quadrangulo Geometriæ vulgaris, ſed de quadrangulo elementorum rubificato & circulato, in quo totus quadrangulus eſt per totum circulum, & totus circulus per totum quadrangulum, & tota ſuperficies unius per totam ſuperficiem alterius, & tota extremitas eſſendi & operandi & terminandi unius per totam extremitatem alterius; & ſic verum eſt, quòd hæ figuræ Quadranguli & Circuli phyſici ſint æquales & iſoperimetræ ſinè ullo vitio manifeſti paralogismi & conſequentiæ abſurdæ: per quod oſtenditur Theorema Geometriæ, quæ eſt ſupra ſenſum & imaginationem, nempe intellectualis pertinens ad materiam de punctis tranſcendentibus, ubi oſtendi, quomodo intellectus intelligat menſuras, gradus & quantitates entium ſimplicium & indiviſibilium, dando exemplum de quatuor elementis diverſimodè gradatis & æqualiter extenſis, quæ Mutus priùs diſcere debuiſſet, antequam prorupiſſet in impertinens judicium de mea Doctrina.

Et quia textus confirmat & elucidat textum, & liber librum aperit, audi, quæ in *Geometria nova*, in qua ex profeſſo egi de Triangulatura & Quadratura Circuli, de hac methodo naturali quadrandi Circulum ſcripſi. In principio dicti Libri dedi figuram quandam univerſalem, quam vocavi *Figuram magiſtralem*, quæ eſt hæc ipſa *trium Quadrangulorum & unius Circuli* in medio, quam in *Arte Generali Ultima* poſui: indidi verò ipſi nomen Figuræ magiſtralis, ut cognoſcerent mei Diſcipuli, quòd in illa & per illam revelaverim totum Magiſterium Naturæ, & Artis & Naturæ, ſcilicet & Principia & Modum operandi Naturæ, & Artis & Naturæ; quod patet per totum dictum

dictum librum, ubi explicitè & ad literam explicavi ſignificationes harum figurarum geometricarum à me adaptatas fuiſſe rebus naturalibus ſub metaphora figurarum geometricarum, ût ſtatim probabo textibus ſole clarioribus ex dicto Libro ſumptis.

Præterea in gratiam meorum Diſcipulorum non modò concordaviLibrum novæ Geometriæ cum Libro Artis Generalis Ultimæ, allegando ſtatim in fronte dictam Artem Generalem, & figurando eandem figuram in Arte Generali figuratam, & repetendo, confirmando, & magis exponendo eandem doctrinam: ſed ad integritatem Artis detegendam citavi in nova Geometria adhuc alium librum cum illo pariter connexum, ſcilicet Librum *Geometriæ Longæ ſeu Geometriæ Majoris*, vel *Librum Quadraturæ & Triangulaturæ Circuli*, in quo mirabili libro depinxi quatuordecim Circulos ſibi mutuò inſertos, & quoad ſenſum quidem inæquales, ſed quoad intellectum omninò æquales, quibus per ordinem ſibi ſuccedentibus à primo generaliſſimo (quem *album* nominavi, ex quo reliqui in illo in potentia exiſtentes deducuntur in actum) uſq; ad decimum quartum ſpecialiſſimum revelatur totus ordo dicti operis Naturæ & Artis à capite usque ad calcem, ita, ut qui non omninò eſt peregrinus in Iſraël (volo dicere) in intelligentia concordantiæ meorum librorum, primo intuitu poſſit hoc obſervare, ut mirum ſit, adeò oſcitantes & incurios fuiſſe meos Commentatores in dictis obſervationibus faciendis.

In monſtranda Concordantia horum trium Librorum occurrit alia utiliſſima obſervatio de dicto *Libro Geometriæ majoris*, vobis revelans aliud excellentiſſimum Secretum de concordantia numeri *quaternarii* & *ternarii* mearum Artium; nam ſicut Ars major, quam brevem ſeu abbreviatam ſeu compendioſam cognominavi, fundatur in numero quaternario quater in ſe ducto, ſic hæc Ars major Geometriæ in ternario ter in ſe ducto; & ſicut prima tanquam univerſale habet ſub ſe quatuor ſpeciales, ſcilicet Theologiam, Philoſophiam, Jus & Medicinam, ſic hæc ſecunda ſub ſe easdem habet, quod non caſu, ſed de induſtria ſic à me ordinatum eſt ob cauſas vobis examinandas.

Sed ut revertamur ad ea, quæ Arithmetica noſtra in his figuris peragit, ſi quispiam forſan attentaverit impoſterum ſiniſtrũ judicium ferre de demonſtrationibus hiſce Geometricis, tu Fili pete ab illo rationes calculi, quo uſus ſum in determinandis numeris linearum, ſuperficierum, ſitûs, graduum, punctorum, angulorum &c., qui ibi inveniuntur; quod ſi nequiverit vel contempſerit, non eſt dignus, ut Secreta Naturæ ſcrutetur, de quibus vos illic inſtruo, nec conſulo, ut fruſtra operam tuam loces in illo aut corrigendo aut convincendo, ne tibi accidat, quod pſitaco à ſimia in meo *Libro Felix Libro 7. capite 6. n. 33.* acciditſſe retuli.

Paucis nunc recenſebo Secreta, quæ in dicto Libro Geometriæ novæ præ cæteris clariùs exprimuntur: in *ſecunda parte primi Libri* oſtendi, *quomodo homo attingat Secreta naturalia in compoſitionibus figurarum*, quod ſtatim apertè declaravi in *tertia parte de Multiplicatione Figurarum*, ubi demonſtravi modum ponendi figuram in figura, & dividendi Figuram magiſtralem in partes, ſcilicet in 24. domos ſeu 24. horas diei, & exhibui calculum numeri graduum quatuor elementorum, quâ declaratione ſignificavi *gradationem & compoſitionem elementorum, quam habent in ſubſtantiis elementatis*, & dixi, *quòd hæc figura ſit valde utilis pro Medicis, & ſit delectabilis Naturalibus* (Philoſophis) *qui ſcire deſiderant modum, ſecundùm quem elementa intrant in compoſitionem:* „ item quòd „ hæc figura poſita eſt in hac Scientia, ut det „ doctrinam ad conſiderandum, quomodo „ *Circulus albus* habet in potentia puncta, „ lineas rectas & obliquas, angulos rectos „ & acutos & obtuſos, *ex quibus derivantur figuræ, quæ ſunt in ſuperficiebus corporalium ſubſtantiarum elementatarum*; quam con„ ſiderationem homo poteſt habere ſecun„ dùm hoc, quod diximus in figuris de gra„ dibus elementorum, *& in aliis* NB. *ſpectantibus ad operationem naturalem.*

Et ne caderent mei Diſcipuli in opinionem erroneam, quaſi hìc agerem de ſola operatione naturæ, quatenus contemplationi Philoſophi ſubditur, paulò infrà clariùs mentem meam aperui, dicendo: *quòd omnes iſtas menſuras habet Circulus albus in potentia per artificium; & quia ipſas habet intra ſubſtantiam per agentia naturalia, & Artifex trahit in ſuperficie Circuli ſimilitudinem linearum, angulorum & punctorum, qui ſunt intra; & in hoc paſſu multum eſt de Philoſophia, quia plura Secreta naturalia in ipſo ſunt revelata humano intellectui, qui ſubtiliter vult conſiderare*

fiderare similitudines, quæ per Artem de potentia deducuntur in actum, ad cognoscendas operationes naturales, quas substantiæ elementatæ habent intra se secundùm cursum naturæ.

Disc. Ne molestè feras, Pater, si agam vices Adversariorum opponendo contra dicta tua, scilicet illa interpretari posse de opere purè artificiali, & non naturali, quod fit, *quando Artifex trahit in superficie circuli similitudinem linearum, angulorum & punctorum, qui sunt intra &c., quæ per Artem de potentia deducuntur in actum* in descriptione illius *Figuræ magistralis* in Arte Generali de Geometria positæ; quod videtur posse colligi ex iis, quæ reiterasti de eadem figura in *Libro de Modo naturali intelligendi*, capite de Modo intelligendi per Mathematicam, ubi sic habes: „ Geometria quadrat circulum, & „ hoc sic: considerat enim triangulum, cu„ jus latera sunt æqualia, & quodlibet latus „ unius palmi, & etiam quadratum quatuor „ palmorum; & hoc considerat cum sen„ su & imaginatione: deinde facit hypo„ thesin, & considerat circulum quinque „ palmorum; *hoc autem considerat extra sensum & imaginationem, cùm non possit attingere hoc in circulo, non enim circulus est linea recta:* „ deinde addit palmos illarum trium figu„ rarum simul, & habet duodecim palmos: „ demendo verò palmum unum à triangu„ lo, & addendo quadrato, coæquat quadra„ tum circulo: deinde protrahit lineam re„ ctam quinque palmorum, & dividit in „ quatuor partes æquales, & constituit ex „ ipsis partibus quadratum: per istud qua„ dratum sensibile & imaginabile conside„ rat circulum æqualibus lineis constitutum „ coæquatum quadrangulo, & quadrangu„ lum circulo, NB. *extra sensum & imaginationem considerato.*

Dein prosequeris, quomodo artificialiter *reducatur ad actum* sic: „ fiat linea re„ cta habens sex palmos, post dividatur cum „ circino in quatuor, & fiat quadratum, & „ post describatur in medio quadrati circu„ lus, cujus circumferentia tangat latera, & „ non excedat; deinde describat quadra„ tum in medio circuli, cujus anguli tan„ gant circumferentiam, & non excedant: „ post hæc verò describat quadratum, quod „ contineatur à majori, & contineat minus „ quadratum, cujus anguli excedant circum„ ferentiam circuli, & ejus latera ab ea ex„ cedantur: ex quo patet ad sensum, quòd „ istud quadratum est medium inter qua„ dratum majus & minus, & est æquale cir„ culo, qui est in medio eorum: & sic Geo„ metra considerat, NB. *abstrahendo à sen„ su & imaginatione*, quòd si linea circuli, „ qui est quinque palmorum, & costæ illius „ quadrati, quod etiam est quinque palmo„ rum, extenderentur, istæ duæ lineæ essent „ æquales omninò, & quòd quadratum il„ lud sit æqualis contenti cum circulo: ipsissima hæc est demonstratio, quam tradis in Arte Generali à Muto sophisticam proclamatam, nec videtur sapere opus naturale, sed tantùm artificiale.

Mag. Fili, *qui parum sentit, parum scit*, Theor. Test. cap. 67.: unde si oculis non sentiunt literam, quomodo intelligent metaphoram? combina antecedentia cum sequentibus, quæ suprà dixi, videlicet, *quòd Circulus albus habet in potentia puncta, lineas & angulos, ex quibus derivantur figuræ, quæ sunt in superficiebus corporalium substantiarum elementatarum*; utique hæ figuræ sunt naturales, & non artificiales, & à natura in superficiebus corporum naturaliter describuntur: adjunge nunc sequentia, scilicet, quòd omnium istarum mensurarum puncti, lineæ, anguli, quæ sunt intra substantiam Circuli albi per agentia naturalia, & sunt in potentia per artificium, Artifex potest trahere similitudinem in superficie, quæ similitudo in substantia corporea elementata & ejus superficie deducta de potentia in actum non est figura artificialis mechanica, qualis describitur circino in charta, sed est figura naturalis, de qua vide ea, quæ scripsi in *Arbore Scientiæ in Arb. Elem. de 100. for.*, singulariter de *Figura* n. 67., & in *Arte Generali* de *puncto, linea, triangulo, quadrangulo, circulo, figura &c.* tr. 10. de appl. 100. for.; cujus figuræ naturalis significatum Artifex addiscit per significationem figuræ artificialis descriptæ in charta, & apprehensæ per sensum & imaginationem ad literam, postea verò per metaphoram traditæ intellectui abstrahenti à sensu & imaginatione, ût mea verba clarè indicant: nam si disconveniret, principia Philosophiæ, hoc est, naturalia, significari per principia artificialia, *esset omnis Philosophus contrarius Philosophiæ per medium, per quod Philosophia opera naturalia cum artificialibus repræsentat*; quod est impossibile, Doctor Illum. in Art. inv. Part. in Univ. Dist. 3. q. 11. cap. 9. fol. 40.: unde si hanc demonstrationem ad literam velles intelligere de figuris artificialibus Geometriæ vulgaris,

garis, utique totus processus esset falsus & sophisticus, & Mutus me bene redarguisset; sed quia mea intentiò, Fili, fuit vos docere majus artificium de Geometria naturali, quàm illud Geometriæ artificialis, quod non sensu, sed solo intellectu potest concipi, nec per se habet mensuras sensuales, sed intellectuales tantùm, ideo usus sum methodo demonstrandi, quam præscripsi in *Regula 8. meæ Artis Inv.*, ubi ostendi, quomodo intellectus sinè sensu & imaginatione possit concipere extensiones & intensiones Principiorum naturalium, scilicet elementorum simplicium insensibilium & inimaginabilium: nam dicas, Fili, quænam est major Ars, sibi fingere per imaginationem aliquam ideam artificialem, quomodo figuretur figura circuli in plano artificialiter (ût faciunt vestri Geometræ) vel sibi præfigurare per intellectum ideam naturalem, quomodo figuretur figura rotunda circuli in superficie corporum naturalium per naturam, & de hac dare non tantùm demonstrationem theoricam, sed ab intellectu descendendo ad sensum dare etiam demonstrationem practicam, videlicet per artificium deducendo de potentia in actum, mediantibus agentibus naturalibus Arti inservientibus, quod antea latebat in potentia corporis naturalis, quod vocavi per metaphoram *Circulum album*? Disc. puto, ultimam esse majorem Artem sinè omni comparatione, quàm primam.

Mag. Rectè judicasti: sed ne arbitreris, meam Artem Generalem non esse utilem ad solvenda Theoremata Arithmeticæ & Geometriæ artificialium, nec posse dari æquè fortes demonstrationes illis in hoc genere scibilis, hìc dabo aliquod specimen, & in sequentibus duabus Scientiis de Musica & Geometria, quâvis (ût in *Libro Doctrinæ puer. de Geom. & Arith. &c.* suasi meo Filio) „ non „ consulo tibi, Fili, quòd addiscas Geome„ triam vel Arithmeticam, quia sunt Artes, „ quæ requirunt totam mentem humanam, „ quæ debet tractare, quomodo possit vive„ re in contemplatione & amore DEI: igitur forma mihi aliquam Quæstionem arithmeticam vel geometricam, vel compositam ex utraque Scientia, ex difficilioribus, quæ fieri possunt in dictis Scientiis, & ego per meam Artem Generalem postea illam solvam, dabóq; demonstrationem magis perfectam & magis universalem quâcunque demonstratione ex his particularibus Scientiis petitâ.

Disc. Quia veniam das, Pater, proponam sequentem Quæstionem: Quomodo investigatur & invenitur aliqua proportio geometrica universalis artificialis, & redigitur in numeros constituentes aliquam scalam universalem geometricam artificialem, qui numeri sint principia universalissima, simplicissima, primitiva, vera & necessaria omnium numerorum seu principiorum universalium compositorum primitivorum, ex quibus postea omnia principiata seu particularia, quæ possunt cadere in proportionem simplicem geometricam, educantur & eliciantur? Item libenter scirem solutionem Quæstionis sequentis.

Utrùm sit dabilis aliqua proportio geometrica universalis artificialis, quæ in suis principiis & numeris habeat tantam concordantiam cum proportione geometrica universali naturali ejusque principiis, ut per unam possit homo infallibiliter duci in cognitionem alterius? arbitror, solutionem harum duarum Quæstionum non fore inutilem.

Mag. Graves sunt hæ duæ Quæstiones, & certifico te, Fili, quòd nemo Geometrarum sciet dare solutiones earum per principia solius Geometriæ particularis, cùm implicent notitiam trium Scientiarum, unius universalis, scilicet Artis Generalis, & duarum particularium, scilicet Geometriæ & Philosophiæ: unde cùm sint duæ quæstiones inter se concordantes per Artem & Naturam, dabo duas quoque solutiones inter se concordantes, unam hìc universalem, naturalem & artificialem simul, alteram verò in *Musica* particularem, naturalem & artificialem simul; & per quamlibet solvam utramque, ut habeas duplicem modum solvendi, scilicet *artificialem & naturalem.*

Antequam procedam ad tertium Circulum, hoc est, ad formandas ipsas demonstrationes, necessarium est transire per primum, extrahendo ex quæstionibus principia solutionis, & per secundum, eliciendo ex principiis conditiones necessarias, per quas in tertiò Circulo resultent demonstrationes. Principia in quæstionibus contenta sunt sequentia: *Proportio geometrica, Scala, simplex, compositum, principium, principiatum, Natura, Ars, universale, particulare, concordantia:* hæc principia ponantur in Quadrangulo meæ Logicæ, & absolutus est primus Circulus.

Ut perveniamus ad secundum Circulum,

lum, convenit per Figuram T. & ejus principia universalia, quæ sunt intermixta supradictis particularibus, formare conditiones universales, easque specificare per dicta principia particularia, ut habeantur Conditiones speciales: sint igitur sequentes.

1. Sinè differentia & concordantia nullus finis est appetibilis.

2. Quia in DEO, qui est prima causa, est differentia & concordantia, est impossibile, in creatura, quæ est ejus effectus, esse differentiam sinè concordantia, & è converso.

3. Quia DEUS est principium & finis creaturæ, & in DEO concordantia principii & finîs necessariò convenit cum æqualitate sinè majoritate & minoritate, in creatura concordantia principii & finîs necessariò convenit cum æqualitate sinè majoritate & minoritate.

4. Quia in DEO differentia & concordantia sunt infinitæ, quantò major est differentia in creatura, tantò major potest esse concordantia, & è converso.

5. Quia in DEO principium & finîs sunt idem, omne principium in creatura naturaliter appetit uniri suo fini.

6. Quia æqualitas principii & finîs in DEO est immensa, & majoritas est imago immensitatis, sequitur, quòd æqualitas principii & finîs in creatura sit in summa majoritate.

7. Quia S. Spiritus est medium differens & concordans cum Patre & Filio, est impossibile, quòd in creatura differentia principii & finîs inter se conveniant sinè differentia & concordantia medii.

8. Quia in DEO principium & finis spirant sibi æquale medium, & in creatura principium est minus, & finis major, necessariò producunt medium ex majoritate & minoritate compositum, accedente majoritate & minoritate ad æqualitatem concordantiæ, quantum potest.

9. Cùm medium necessariò concordet cum principio & fine per septimam Conditionem, per medium necessariò potest perveniri ad finem.

10. Principia, media, fines, æqualia in concordantia, sunt etiam æqualia in proportione, & è converso.

Hæ Conditiones universales sunt omnes necessariæ & demonstrabiles ex ipsis definitionibus principiorum. Jam specificentur ad has Quæstiones particulares addendo singulis principia dicta particularia, & erunt Conditiones speciales aptæ ad faciendas demonstrationes particulares, quod fit hoc modo: assumatur prima Conditio universalis, & illi addatur primum principium particulare, & emerget hæc conditio particularis.

Sinè differentia & concordantia proportionum geometricarum particularium compositarum nullus finis proportionis geometricæ universalis simplicis esset appetibilis in Geometria: quid faciliùs? sic fiat cum cæteris novem, quas brevitatis causâ omitto.

Præparatione perfectâ in secundo Circulo sequuntur ipsæ demonstrationes, quas (evitando prolixitatem) statim specificabo, quia generales facilè educuntur è specialibus, ût literæ & syllabæ è verbis. Infrà in *Geometria* non longè à principio post proportiones usque ad lit. k. §. *Tu nosti*, recolo, me dixisse, lineam à centro circuli ad circumferentiam ductam (quam radium vocant) naturaliter non esse divisibilem, nisi in partes geometricè proportionales, quæ proportio à me dicta est simplex, quam ibidem in explicatione literarum P. Q. dixi esse in forma *Scalæ*: hunc igitur semidiametrum (cujus centrum intellectu intellige esse in nihilo, circumferentiam autem in DEO, & è converso, vel centrum & circumferentiam esse in DEO) tanquam subjectum demonstrandæ quæsitæ proportionis assumam.

Disc. Quare, Pater, jubes, me datam lineam hac duplici ratione ipsius *Esse* & *Non Esse*, vel *Esse* & *Esse* intellectu concipere: Mag. ideo, quia DEUS creando creaturam de nihilo, incipiendo à dicto nihilo tanquam centro statim posuit totam naturam creatam in hac linea seu semidiametro & scala, ponendo singulas creaturas in gradibus seu intervallis hujus proportionis geometricæ naturalis simplicis per ordinem ab infima usque ad supremam, terminantem in circumferentia (ût sic dicam) sui ipsius, sicut intervalla sonora in monochordio seu scala musica ordinatè ponuntur ab infimo usque ad supremum; ex hac autem positione terminante in duas extremitates DEI & nihili, hoc est, *Esse* & *Non Esse*, quæ sunt in hac Scala, statim exorti sunt duo semidiametri oppositi, quos ab initio hujus Arithmeticæ repræsentavi in *Scala Æquationis, contrarietate* in Scala opposita perpetuò imitante *concordantiam* in suis gradibus: per hanc ergò

ergò scalam creatura necessariò posita est in medio ipsius *esse* & *non esse*.

Altera Ratio, quâ centrum & circumferentiam simul in DEO constitui, hoc est, *esse* & *esse*, est hæc, quia DEUS, qui est virtus & magnitudo, quæ sunt *esse* & *esse*, & sunt idem esse & eadem essentia in DEO, posuit has duas similitudines in sua creatura, formantes alteram Scalam, cujus extremitates, hoc est, centrum & circumferentia, sunt *esse* & *esse*, hoc est, ipse DEUS, qui est suprema Virtus & Magnitudo.

Disc. Sed quare centrum & circumferentia? Mag. quia quantò magis virtus crescit, tantò magis accedit ad centrum; & quantò magis magnitudo crescit, tantò magis accedit ad circumferentiam; & ideo virtus per suam majoritatem appropinquans centro appropinquat infinitæ Virtuti, quæ est DEUS, & magnitudo per suam majoritatem appropinquans circumferentiæ appropinquat infinitæ Magnitudini, quæ est DEUS: unde cùm uterque hic motus in hac scala possit continuari à creatura in infinitum, absque eo quòd unquam virtus & magnitudo creaturæ possint adæquare ipsos terminos scalæ, sequitur, quòd in hac metaphora reluceat perfecta similitudo principii, medii & finîs infinitorum, quæ sunt in DEO, & sunt ipsa Trinitas, per quam nunc demonstrabo proportionem geometricam universalem, quæ reperitur in dictis duabus scalis, veramque ejus divisionem, adhibendo notas algebraicas more in mea Arte consueto.

Describatur in aliquo plano linea recta cujuslibet longitudinis referens dictũ semidiametrum, cujus una extremitas a. designet centrum, & altera b. circumferentiam, abscindatur ab a. versùs b. linea quæcunque minor dimidiâ ipsius a. b. in puncto c., quæ significetur per o., quâ habitâ habetur principium in scala; modò inveniendus est finis: per 1. & 2. Condit. patet, quòd inter principium & finem debeat esse differentia & concordantia, & per 3., quòd concordantia debeat esse in æqualitate sinè majoritate & minoritate: ergò quæratur talis concordantia, & habebitur finis, qui signetur literâ d.

Disc. Sed quomodo invenitur concordantia æqualis sinè majoritate & minoritate? Mag. hoc revelabo in sequenti *Secreto Musicæ*. Inventis extremis scilicet principio & fine, per 7. & 8. inveniatur medium, quod sit e.; & quia hoc e. est compositum ex majoritate & minoritate, ût patet per 8., & per consequens inæqualiter differt à c. & d., non erit idem medium concordantiæ inter c. e., & inter e. d.: unde quia vi nonæ per e. potest perveniri ad c. vel d., inquirantur per e. tot media inter c. d., donec non remaneat ampliùs ulla inæqualitas mediorum inter c. d., quod sic fit facillimè.

Capiantur c. e. vel e. d., & continuetur concordantia, quæ est inter c. e. in e. f., ita, ut e. f. sint in eadem concordantia, in qua sunt c. e.: erunt ergò per Conditionem 10. c. e. & e. f. in eadem proportione; & quia c. e. est majus, & e. d. minus, cadet f. extra d., & per consequens extra finem: ut igitur ipsum f. reducatur intra principium & finem, fiat per 10. Conditionem, ût d. ad e., sic f. ad g., & habebis c. g. in concordantia & proportione æquale ipsi d. f.; assumpto iterum g. fiat eadem concordantia inter g. h., quæ est inter c. e. & e. f., & per Conditionem 10. erit eadem proportio, quam sic continuabis, donec per continuas concordantias & proportiones medias inter se æquales incidas iterum in c. vel d., quod fiet in triginta una concordantiis, & perfecisti quæsitam proportionem geometricam universalem artificialem concordantem cum proportione geometrica universali naturali, non solùm in omnibus suis principiis, sed in universis principiatis particularibus descendentibus ex his universalibus principiis. Fili, habes nunc Scalam Naturæ & Artis, cujus tam miræ sunt proprietates, quòd integro libro non possent satis declarari: paucas ad acuendum gustum hìc annotabo.

Tu vides *primò*, quomodo per unum solum medium sunt inventa omnia principia universalia simplicia possibilia totius Scalæ, ita, ut nullâ potentiâ aut artificio alia dispositio vel proportio principiorum sit inventibilis; namuno dempto vel addito perverteres & corrumperes totum Systema naturale. *Secundò*, in hac Scala quodlibet principium cohæret, & necessariò connectitur cum quovis alio sibi simili vel dissimili, ita, ut noto uno per illud infallibiliter possis pervenire in notitiam alterius solâ additione unius similis ad alterum simile. *Tertiò*, in hac Scala comprehenduntur omnes numeri naturales meorum principiorum,

rum, quibus usus sum in meis Artibus, v.g. ternarius, septenarius, duodenarius &c. *Quartò*, in hac Scala solâ additione & subtractione, duplicatione & dimidiatione numerorum arithmeticè proportionalium inveniri possunt infinitæ proportionales geometricè, sinè usu numerorum geometricè proportionalium, quod est genuinum artificium logarithmorum longè præstantiùs illo egregio inventoNeperi &Briggii celeberrimorum Mathematicorum. *Quintò*, per hanc Scalam demonstratur vera & naturalis concordantia, quæ est inter proportionem arithmeticam & geometricam simplices, & inter divisionem Scalæ & Rotæ, de quibus nemo hactenus habuit notitiam, vel scivit dare rationes demonstrativas. *Sextò*, per hanc Scalam detegitur error antiquorum & quorundam recentiorum Mathematicorum, qui nescientes modum investigandi proportiones naturales, diviserunt radium in partes æquales, unde enatæ sunt multæ falsæ hypotheses & erroneæ divisiones, - ût patet in monochordio musico, in scalis barometrorum, thermometrorum, ygroscopiorum, in scala radiorum directorum, reflexorum & refractorum in Optica, uno verbo in omnibus divisionibus, quæ fieri debent in linea ducta à centro ad circumferentiam. *Septimò*, per hanc Scalam revelatur Secretum numeri absoluti omnium principiorum simplicium in qualibet Scientia.

Subjungam nunc divisionem ipsius Scalæ in numeris, cùm non sint tot notæ universales algebraicæ, quot essent necessariæ ad significanda omnia intervalla Scalæ.

Scala integra Proportionum universalium, naturalium & artificialium.

0	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15

16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	30	31

Pro intelligentia hujus Scalæ convenit notare, intervalla numeris distincta non esse æqualia arithmeticè, sed geometricè, incipiendo à minimo cyphrâ signato usque ad maximum numeri 31. in proportione dupla existens: reliqua autem intermedia sunt meræ unitates simplices geometricè proportionales, quamvis in figura non potuerint exprimi in hac proportione; unde etiam numeri inscripti non sunt unitates arithmeticæ, sed geometricæ, quod bene notandum; quia in usu illorum duæ species arithmeticæ, videlicet additio & subtractio, habent differentem applicationem ab illa, quæ est in usu unitatum arithmeticarum, quando dissimiles vel discretæ debent addi aut subtrahi.

De Secreto Musicæ.

De Concordantia.

MAg. Quantúm practica hujus nobilissimæ Artis & Scientiæ hactenus fuit exculta in mundo, tantúm theorica fuit neglecta ob non aliam causam, nisi quia homines, sicut in aliis objectis quinque sensuum sensualium, sic in hoc, quod est objectum auditûs, magìs delectantur opere sensuali, quàm intellectuali, & quia Musurgi & Magistri hujus Artis rarò in principiis Geometriæ & Arithmeticæ sunt versati, quarum cognitio prærequiritur ad demonstrandas causas & effectus hujus Artis: est autem necessarium & utile valde agere solidè & demonstrativè de hac Arte & Scientia, quia sicut aliæ sex partim antecedentes partim sequentes sunt Instrumenta, quibus intellectus humanus indiget ad veritates rerum intellectualium investigandas, inveniendas & demonstrandas, à sensualibus sumendo metaphoras, quibus elevetur ad intellectualia, sic hæc inclyta & præclara Scientia non tantùm dulcedine harmoniæ excitat & exaltat cor hominis ad desiderium delectabilium æternorum, sed etiam intellectum ad contemplationem veritatum rerum naturalium & supernaturalium; nam per illam revelantur infinita Secreta tam in Scientia naturali, quàm supernaturali: unde cùm à nemine usque modò prima & universalissima Principia hujus Scientiæ sint demonstrata, sinè

sinè quorum certitudine omnia, quæ ex illis derivantur, sunt dubia & incerta, convenit, nos dare, Fili, Modum investigandi, inveniendi & demonstrandi prima principia hujus Artis, novumque Modum eliciendi ex his universalibus Principiis omnia particularia, quæ desiderantur.

Per hoc autem particulare revelaboModum investigandi prima & universalia Principia in omni Scientia, eorumque numerum, ordinem, situm, habitudines, proportiones, Scalas, Rotas & motum descensûs ab universali ad particulare, ascensûs à particulari ad universale, & circulationis; quæ omnia quantum lumen universalis Scientiæ sint datura meis Discipulis, facilè percipies.

Disc. Multi fuerunt sapientes Viri, tam antiqui, quàm recentiores, qui de Musica theorica simul & practica posteris commendarunt Opera non pauca nec parva, quales sunt inter antiquos *Pytagoras*, *Aristoxenus*, *Cl. Ptolemæus*, *Archytas*, *Eratosthenes*, *Dydimus*, *Jamblychus*; inter recentiores verò *Boëtius*, *Zarlinus*, & Libris titulo magnarum Artium inscriptis clarus *R. P. Athanasius Kircherus*, qui in vastissimo Tomo Romæ edito *Artis magnæ Consoni & Dissoni* exhausisse videri potest totam penum musicam: horum illustrium Authorum opera potiora habui, diligenterque legi, & ex illis conatus sum Secreta hujus Artis intima penetrare; nam naturali ductu ferebar in illam, & in illa à teneris annis enutritus eram: unde cùm hoc ita sit, quid nos, Pater, poterimus ampliùs addere tantis Libris? Mag. id, quod deest, & cujus dicti celebres Viri aut non meminerunt, aut non habuerunt perfectam Scientiam.

Disc. Quid autem est id, quod deest in ipsorum libris? Mag. *modus investigandi prima & universalia Principia Musicæ*, propter quem defectum loco fundamenti posuerunt falsa principia & falsas proportiones principiorum, ex quibus necessariò postea deduxerunt falsa principiata; nam ex vitiatâ radice non potest progigni nisi vitiatus truncus, branchæ, rami, folia, flores & fructus, quæ omnia per meam Artem tu ipsemet, si illam noscis, evidenter eruere potes: unde ne in toto hoc Opere omninò desis hìc sedeas, hunc laborem tibi absolvendum impono, ut experimentum sumam, an & quantúm in mea Arte profeceris: quapropter ego interrogabo te, tu responsum præbe.

Disc. Absit à me, Pater, hoc præsumere, quomodo enim evitarem censuram sæpiùs laudati R. P. Kircheri, qui (ût in Perspiciliis tuis jam monstravi) *Lib. 2. p. 2. c. 1. fol. 6. suæ Artis Combinatoriæ* aliunde nimìs acriter virgâ suâ censoriâ cæcidit Lullistas & Alchimistas, quorum partes tuemur: si tu legisses in Præfatione dictæ Artis magnæ Consoni & Dissoni, §. *verùm cùm in ea tempora*, minas, quibus terret summâ providentiâ *iniquos rerum existimatores*, *qui canino dente opus suum rodere laborabunt*, *quos tantò insolentiùs insurrecturos*, *quantò fuerint indoctiores*, *prævidit*, nonnè ût mihi, sic tibi omnes artus tremerent? Mag. non te angat hæc cura, Fili; quin adpromitto, si Vir eruditissimus adhuc supereresset in vivis, magnam laudem hoc specimine ab ipso promereris; nam si tu per meam Artem tam eximium quid præstabis in sua, quod ipsemet nescivit, nec potuit in tua, quantam, putas, conciliares meæ Arti, tibi & omnibus veris Lullistis gratiam apud Virum veritatis amantissimum? nec suspiceris, illum omnibus Lullistis fuisse infensum, qui, si fuisset, non mutuasset ab illis suppetias ad Artem suam Combinatoriam perficiendam, quod in Præfat. dicti Libri 3. se fecisse ingenuè fatetur: erige igitur animum, & monstra, quòd *non superficietenus*, *sed medullam arcanorum Musicæ* non *per rimam*, sed per portam apertam *introspexeris*, idem Author loc. cit. Disc. tuo hortatu, Pater, do manum, interroga ergò Discipulum, & ego respondebo.

Mag. Quid est Musica? Disc. *Musica est Ars inventa ad ordinandum multas voces concordantes in uno cantu*, *sicut multa principia ad unum finem*; *& ista diffinitio significatur per diffinitionem concordantiæ & principii*, Doctor Illum. in Art. Gen. Ult. p. 10. de appl. cap. 14. Art. 85. Mag. quomodo investigantur & inveniuntur principia hujus Artis? Disc. Modus est sequens: quando visus videt in Canone musico seu Monochordio chordam extensam, & auditus audit sonum, tunc intellectus intelligit, objectum visûs & auditûs componere unum concretum sensuale ex sono tanquam forma, & ex chorda tanquam materia sensuali constitutum: unde cùm intellectus non possit agere in objectum sensuale, nisi per medium instrumenti sensualis, descendit & incipit suam operationem in his duobus sensibus, in quos cadit dictum objectum, ut recipiat ab illis veritatem sensualem, quam naturaliter sensus

illi possunt tribuere: postea verò ascendit ad suam propriam naturalem, & abstrahendo ponit formam sensualem in suum proprium intelligibile, ut per intellectivum extrahat ab illa veritatem intellectualem per principia, conditiones & demonstrationes tuæ Artis; quod in proposito sic fit.

Quia auditus audit unum sonum, & visus videt unam chordam, intellectus intelligit unam unitatem universalem in Musica, quam vocat Chãos musicum, sicut intelligit unam unitatem universalem in Physica, quam vocat Chãos physicum, in qua unitate musica intelligit suas partes in potentia, quas visus & auditus non possunt sentire in actu; igitur ex veritate sensuali & intellectuali componit unam veritatem, quam nec per solum sensuale, nec per solum intellectuale potuisset producere: & quia intellectus intelligit per tuam Artem Universalem, quòd omne Chãos per naturalem analysin necessariò debeat resolvi in duo, ut id, quod erat in potentia, prodeat in actum, jubet, auditum facere hanc divisionem soni in duos sonos; sed auditus se excusat, dicens, hoc officium esse fratris sui, scilicet tactûs, cùm divisio formæ non possit fieri nisi per materiam; unde intellectus vocat tactum, ut dividat chordam in duas partes: dum autem tactus vellet facere divisionem, nescivit, an hæ partes debeant esse æquales, an inæquales, quia non poterat tangere hanc veritatem; rogat itaque intellectum, ut dicat, qualis debeat esse proportio harum duarum partium: antequam intellectus responderet tactui, ascendit intelligere per tuam Artem, quomodo in summa unitate ex uno fiant duo; & per *sextam Conditionem*, quæ habetur in *fine Arithmeticæ*, recordatur, quòd æqualitas principii & finîs sit immensa; & quia intelligit, in nulla creatura posse esse æqualitatem immensam propter majoritatem, quam intelligit esse summam inter principium & finem creaturæ, dicit, æqualitatem, quæ est inter principium & finem horum duorum sonorum, debere esse in summa majoritate, quæ est possibilis esse inter illos: unde cùm immensa æqualitas supremi principii & finîs sit, quòd principium se habeat ad finem ût *unum* ad *unum*, dixit, quòd major æqualitas inferioris principii & finîs sit, quòd principium ad finem se habeat ût *unum* ad *duo*: præcipit igitur dividere chordam in duas partes se habentes ad invicem in *proportione dupla*.

Mag. Si divideret chordam in partes æquales, esset major æqualitas & major similitudo supremæ æqualitatis. Disc. sed non esset differentia & concordantia, nisi arithmetica; & quia per *secundam Conditionem* inter supremum principium & finem est suprema differentia & concordantia, & per *sextam* suprema æqualitas, sequitur, quòd inter inferius principium & finem cum majori æqualitate debeat esse major differentia & concordantia, quæ non essent, si divideret chordam in partes æquales: item per principia tuæ Geometriæ, quæ infrà sequuntur, patet, in linea à centro ad circumferentiam ducta nullam divisionem arithmeticam esse possibilem, cùm tota linea sit plena intervallis geometricè proportionalibus. Iterum per *octavam Conditionem* tuæ Arithmeticæ & triangulum croceum scio, quòd, sicut supremum principium necessariò est æquale supremo fini, sic inferius principium necessariò sit minus inferiori fine: & si hoc non esset ita, sed esset contrarium, sequeretur, quòd, sicut medium, quod est inter supremum principium & finem, est æquale utrique, sic inferius medium, quod est inter inferius principium & finem esset æquale utrique; & si esset, esset impossibilis omnis major multiplicatio principiorum, mediorum & finium, sicut est impossibilis omnis major multiplicatio principii, medii & finîs supremorum; & hoc est impossibile, & contra sensum. Mag. rectè secundùm Artem respondisti, perge.

Disc. Ut intellectus esset magìs certus de veritate hujus divisionis, voluit multiplicare veritatem intellectualem cum intellectuali, & intellectualem cum sensuali, & sensualem cum sensuali; itaque vadit ad *tertiam Conditionem*, per quam intelligit, *quòd in sono, qui est creatura, concordantia principii & finis necessariò conveniat cum æqualitate sine majoritate & minoritate*: per hanc igitur concordantiam voluit probare factam divisionem, & jussit, tactum pulsare duas partes, & auditum audire duos sonos; postquam auditus audivisset, dixit, se non percipere nisi concordantiam; sed quia intellectus timuit, ne ipsum auditus falleret propter suam terminationem, propter quam multoties non potest attingere differentiam majoritatis & minoritatis ratione parvitatis earum, jussit tactum, duplicare divisionem, ita, ut partes extremæ essent in proportione quadrupla, & media cum extremis in proportione dupla ac subdupla, quo facto jussit tangere partes, & auditum audire: sed auditus ait, se audire meram & æqualem concordantiam sinè differentia majoritatis & minoritatis; & tunc gavisus est intellectus de vera inventione *primæ divisionis*.

Mag. Quia in DEO concordantia est in æqualitate sinè majoritate & minoritate, est infinita, ergò si in creatura concordantia est in æqualitate sinè majoritate & minoritate, etiam erit infinita. Disc. per *Conditionem 8.* constat, principium, medium & finem in creatura esse inæqualia, sicut in DEO sunt æqualia: unde quia in DEO est æqualitas sinè majoritate & minoritate, ût dicit *sexta Conditio*, in creatura autem æqualitas cum majoritate & minoritate, sequitur, quòd concordantia per hæc tria principia & triangulum croceum contrahat triplicem relationem differentem, scilicet concordantiam æqualitatis, concordantiam majoritatis & concordantiam minoritatis: & quia æqualitas & finis concordant, & majoritas minoritas, principium medium, medium medium similiter conveniunt, sequitur, quòd æqualitas concordantiæ sinè majoritate & minoritate conveniat cum fine, & majoritas minoritas concordantiæ sinè æqualitate cum principio & medio, medio & medio; & quia est impossibile, in creatura unam harum esse sinè altera, sicut est impossibile, perfectionem in creatura esse sinè defectu, manifestum est, æqualitatem concordantiæ finîs in creatura non esse infinitam: quod confirmatur per triangulum viridem & principium contrarietatis, existente contrarietate inter principium & finem simul cum concordantia & æqualitate.

Mag. Continua tuam Analysin, & demonstra, quomodo inveniatur medium inter dictum principium & finem. Disc. quando memoria recolit *septimam Conditionem* Arithmeticæ, tunc intellectus intelligit inter duos sonos extremos, quorum unus est principium, & alter finis, debere esse medium sonum; & quia per *primam*, *secundam* & *septimam* intelligit, hunc medium sonum debere esse in differentia & concordantia cum extremis, imperat tactui & auditui quærere dictum sonum medium differentem & concordantem; & quia intelligit, quòd auditus meliùs possit judicare de veritate concordantiæ, quando tres sonos simul potest audire, quàm quando audit unum post alterum, jubet, tactum extendere tres chordas in monochordio in longitudine, crassitie & tensione æquales, ita, ut omnes tres existant in unisono; postea dicit, ut tactus extremas duas ponat in proportione dupla, mediam verò cum magade tamdiu percurrat ascendendo vel descendendo, donec auditus audiat petitam concordantiam majorem, quam habet medium cum uno extremo, & minorem, quam habet cum altero extremo, accedentes ad concordantiam æqualem extremorum, quantum possunt (ût vult *octava Conditio*, & ostendit E. in Scala Æquationis Arithmeticæ, & præcedens demonstratio) quo facto auditus audit sonum mediæ concordantiæ majoris sonare cum extremo gravi diapente, & cum extremo acuto diatessaron: unde cùm diatessaron & diapente concordent cum diapason, & major sit concordantia inter diapente & diapason, quàm inter diatessaron & diapason, & uterque accedat ad majorem æqualitatem, quæ potest haberi in omnibus mediis extremorum, lætatur intellectus & auditus de invento medio, per quod secundùm *Conditionem nonam* possunt invenire omnia media usque ad finem.

Sed quia intellectus cupit & debet scire proportionem hujus medii ad extrema, & majus medium magìs concordat cum extremo, quàm minus, per *sextam Conditionem*, nec auditus potest illi indicare mensuram proportionis, iterum recurrit ad tactum, ut mensuret chordam soni diapente, qui illam invenit in proportione sesquialtera, de qua inventione volebat intellectus gaudere; at quia recordabatur, quòd visus potest videre id, quod tactus non potest tangere, & auditus non potest audire, præcipit, ut visus videat, quid antiqui Magistri de hac proportione in suis libris scriptum reliquerint; quod cùm visus fecisset, vidit, omnes in hac proportione convenire; itaque dixit visus ad intellectum, ut nunc magis gaudeat, eò quòd sua inventio concordaret cum inventione Antiquorum: sed intellectus recolit principium gloriæ, quod convenit cum fine, & non cum medio; unde cùm sciret, se non posse perfectè gloriari nec quiescere nisi in fine, nondum voluit gaudere; & quia memoria recolit *nonam Conditionem*, intellectus voluit tentare, utrùm cum proportione hujus medii posset transire ad finem per omnia media possibilia inter principium & finem: & quia intellectus intelligit, inter

ordinem & perfectionem esse concordantiam, & ordo numeri magis convenit cum ordine similium concordantiarum, quàm dissimilium, voluit facere suum transitum per ordinem quintarum; igitur jussit, tactum continuare proportionem primæ quintæ in secundam, & secundæ in tertiam, & tertiæ in quartâ &c., ascendendo, significans primam quintam per literas usitatas in Musica, scilicet c.g., & secundam per g.d., & tertiam per d. a., & quartam per a.e. &c.: dum autem tactus per secundam quintam ascendit in d., visus videt, quòd d. sit ultra octavam c.; unde monuit tactum, ut duplicando d. reduceret intra octavam c.; quod cùm tactus fecisset, intellectus voluit scire per auditum relationem sonorum c.d., & per tactum & visum proportionem ipsorum: postquam omnes tres sensus peregerunt suum officium, retulit auditus intellectui, quòd c. d. simul sonantes darent tonum, sed nullam concordantiam, & visus cum tactu dixit intellectui, proportionem c. d. esse sesquioctavam: igitur intellectus iterum jubet, visum videre seniores Magistros Artis, an concordarent cum sua inventione, & reperit visus perfectam concordantiam: prosequuntur ergò institutum iter majori alacritate, tactus quidem mensurando proportionem diapente de d. in a., & de a. in e.; & quia visus videt e. extra octavam c., monet iterum tactum, ut duplicando e. restituat intra octavam: quo facto iterum imperat intellectus tribus sensibus, ut examinent habitudines ipsorum c. d., & d. e., & c. e., & e. g., & c. e. g., & primò ait ad visum & tactum, ut videant & mensurent proportiones horum intervallorum; & quia tactus non potuit mensurare illa, nisi per mensuram universalem supremi medii, eliciendo particularem aliorum mediorum, repetiit secundùm ordinem mensuras quatuor diapente, scilicet c. 16. g. 24. d. 36. a. 54. e. 81. omnes in proportione sesquialtera, & reducendo omnes intra unam octavam c. 64. d. 72. e. 81. g. 96., obtulit illas mensuras visui, & visus intellectui; qui intellectus intelligit, quòd c. d. & d. e. sunt in proportione sesquioctava, scilicet ût 8. ad 9.: hoc ipsum videt visus in proportione toni Antiquorum; sed quando contemplatur proportionem c. e. & e. g., tunc videt, c. ad e. se habere ût 64. ad 81., & e. ad g. ût 81. ad 96. per novum modum, & per antiquum c. ad e. ût 64. ad 80, & e. ad g. ût 80. ad 96., existente c. ad e. in proportione sesquiquarta, & e. ad g. in proportione sesquiquinta.

Hoc viso intellectus stat perplexus, & recurrit ad tactum & auditum, ut ipsum liberent ab hoc dubio per experimentum sensuale utriusque proportionis, scilicet novæ & antiquæ: igitur tactus metitur duas chordas inferiorem & mediam in proportione 64. ad 81., & illas excitat ad sonos, & idem facit cum chorda media & suprema, sed auditus audit c. e. nimis intensum, & e. g. nimis remissum, & sentit magnam contrarietatem inter se & hoc objectum: postea tactus accomodat tres chordas ad proportiones Antiquorum, scilicet ad 64. 80. 96., & iterum pulsat, & tunc auditus erat in quiete, quia soni nec inter se nec auditui contrariebantur: pro majori certitudine voluit intellectus idem experimentum facere in fistulis organi, & jussit illas formare secundùm novam & antiquam proportionem; sed postquam auditus denuò audivit sonos novæ proportioni applicatos, magis fuit afflictus, quàm in chordis, quia soni in aëre videbantur mutuò confligere, & unus alterum percutere ac repercutere, titubare, undare, oscillare ac tremere, donec fistulæ ad mensuram Antiquorum sunt redactæ; & tunc intellectus magis erat perplexus, quàm antè unquam fuerat, vix non desperans de invenienda mensura universali, per quam cæteras particulares posset invenire.

Sed tandem recollegit se, recolens infallibilitatem principiorum Artis, & interiùs secum repetit ea, quæ de proportione simplici intellexerat in Geometria, & de conditionibus in Arithmetica; unde cùm recoleret, primum & ultimum sonum esse in proportione dupla, & proportionem duplam esse proportionem geometricam simplicem, & per *septimam Conditionem* etiam medium debere esse in proportione geometrica simplici (qualis non est proportio sesquialtera pro medio primò assumpta, nec ulla illarum, scilicet sesquitertia, sesquiquarta, sesquiquinta, sesquioctava ab antiquis Artificibus usurpata) proposuit intellectus aliam mediam indagere, quæ esset in dicta proportione geometrica simplici, & esset minor, quàm sesquialtera, quia hanc visus viderat, & auditus audierat non concordare cum ditono seu c. e., & *noluit deinceps assistere absque ratione necessaria dictis Philosophorum, qui, opinantes in omnibus verum dicere,*

cere, in aliquibus erraverunt, sed sequens tuum consilium, quod in Geometria illi dedisti, voluit experiri, *utrùm in hac Scientia per Antiquos error inciderit, aut utrùm illi, qui illam invenerunt, habuerint veram doctrinam, vel utrùm secundùm naturalem sensum eam ordinaverint*: itaque *cùm tua Ars det ei regulam & doctrinam cognoscendi, utrùm ignoranter in aliquo erraverint*, hanc regulam in inveniendis veris mediis inter dicta extrema applicare statuit hoc modo.

Præcepit intellectus, ut tactus reponat magadem in locum, ubi auditus audiverat sonum quintæ, & quia intellectus invénit per præcedens experimentum discordantiæ quintæ cum tertia majore, quòd proportio quintæ non sit præcisè sesquialtera, sed prope illam, & paulò minor (quam minoritatem auditus propter suam limitationem non poterat distinguere in una quinta, sed post augmentationem hujus minoritatis in quatuor quintis primò incepit audire) jussit, ut tactus magadem modicè loco moveret, ut quinta paululùm & insensibiliter remitteretur; quo facto jussit, tactum admovere Scalam proportionalium in proportione geometrica simplici, tunc visus vidit, quòd quinta caderet in proportionalem decimam octavam, numerando à prima zero signata: ascendentes igitur, tactus quidem in Scala mensurando quintas, & auditus audiendo illas, per ordinem iterum sicut priùs à prima c. g. ad secundam g. d., quæ cecidit in 36. proportionalem, invenerunt perfectam concordantiam; & quia erant extra octavam, reduxit tactus descendendo secundam quintam intra octavam, subtrahendo à logarithmo secundæ quintæ logarithmum octavæ, hoc est, 31. à 36., residuum erat 5.; & sic invenerunt proportionem toni, qui est c. d.; addendo huic logarithmo toni, scilicet 5., logarithmum quintæ, scilicet 18., invenerunt 23. & clavem a., & auditus audivit perfectam quintam, ab a. iterum addendo logarithmum 18. ad 23. produxerunt 41., & subtrahendo logarithmum octavæ 31. invenerunt 10.; & quia 5. constituunt tonum, 10. dabunt ditonum seu tertiam majorem c. e.: jam intellectus erat curiosus per auditum audire relationem soni tertiæ majoris c. e. ad sonum primæ quintæ c. g.; quibus à tactu exhibitis auditus audivit perfectam concordantiam amborum sinè ulla contrarietate vel dissonantia: detexerunt ergò jam multas veritates novas & errores antiquos, scilicet quòd non detur tonus major & minor, sed quòd omnes toni sint æquales æqualitate proportionis geometricæ simplicis, sicut omnes quintæ sunt æquales sub sua proportione: item, quòd omnes proportiones veterum, exceptâ proportione duplâ octavæ, quæ est geometrica simplex, sint fictæ, & non sint naturales in Scala harmonica, sed pertineant ad Scalam compositam ex geometrica & arithmetica simplicibus: igitur auditus, visus & tactus pergentes ascendere & descendere dictâ Arte cum proportione quintæ, addendo logarithmos, quando erant intra octavâ, & subtrahendo, quando erant extra, produxerunt per solam proportionem quintæ omnia alia intervalla harmonica, quousque iterum quinta ultima coincidit cum octava; & tunc intellectus contemplans sequentem Circulum quintarum summopere gavisus est, quia invénit, Artem tuam, Magister Sapientissimè, infallibilem, & reperit illam proportionem universalem harmonicam, de qua suprà dixeras in *Logica fol. 84.* statim ante §. *Fili, huic fundamento*, quam exprimit sequens Figura, in qua superiores numeri progredientes in continua serie Logarithmorum geometricè proportionalium, & unitate differentium, denotant *Cyclum Principiorum simplicium* seu *Comatum*; inferiores autem *Cyclum Quintarũ.*

Cyclus Commatum & Quintarum.

0	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15
0	18	5	23	10	28	15	2	20	7	25	12	30	17	4	22
16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	30	31
9	27	14	1	19	6	24	11	29	16	3	21	8	26	13	31

Circa

Circa quem Cyclum eſt annotandum *primò*, quòd ſuperiores numeri ſint ipſa Scala in *fine Arithmeticæ* poſita, conſtans numeris merè & continuè proportionalibus geometricè, inferiores verò ſint iidem numeri ſibi ſuccedentes ſecundùm ordinem quintarum ab uniſono uſque ad octavam. *Secundò*, quòd, ſicut per diapente, quod eſt maximum medium inter extrema, revelata ſunt omnia alia media minora totius Scalæ ſimplicis harmonicæ, ſic per quodlibet medium ſimplex vel compoſitum poſſit inveniri quodlibet aliud, cùm quodlibet ſit eſſentialiter connexum cum quolibet, quod in Syſtemate tam Veterum, quàm Recentiorum nullatenus eſt poſſibile. *Tertiò*, quòd per hoc inventum manifeſtè reveletur numerus & connexio omnium principiorum tam ſimplicium, quàm compoſitorum Muſicæ, & per conſequens cujuslibet alterius ſcientiæ per *primam* & *ſecundam Conditionem* Arithmeticæ; & hoc ad ſenſum patet in Arte Univerſali per Figuras A. T., vel S. T., vel X. T.: unde qui demeret unum horum principiorum, vel qui adderet unum, deſtrueret totam Scalam naturalem Principiorum. *Quartò*, quòd ſolâ additione principiorum ſimplicium reſultent principia compoſita, è contra ſolâ ſubtractione ſeu ſeparatione compoſita reſolvantur in ſimplicia. *Quintò*, quòd ex his principiis ſimplicibus per Artem prodeat Triangulus & Quadrangulus Principiorum harmonicorum, per quos in Muſica formantur omnia particularia poſſibilia & omnes harmoniæ.

Mag. Demonſtra, quomodo hic Triangulus & Quadrangulus ex dictis Principiis educantur? Diſc. per *ſeptimam* & *octavam Conditionem* invenimus medium conſonans extremis, & per priores *ſex Conditiones* ipſa extrema; igitur per eandem ſeptimam & octavam Conditionem monſtratur medium conſonans uniſono & quintæ, hoc eſt, tertia major: unde cùm inter quintam & octavam non ſit reperibile aliud medium conſonans, manifeſtum eſt, quòd tota concordantia octavæ conſiſtit in quatuor ſonis ſimplicibus, & tribus intervallis ſeu concordantiis ſonorum.

Mag. Invento Triangulo & Quadrangulo primo harmonico, quâ ratione fit motus per illum in Scala aſcendendo, deſcendendo & circulando? Diſc. ſicut quatuor elementa per concordantiam moventur ad invicem, & per contrarietatem moventur ab invicem, ſic quatuor ſoni in primo Quadrangulo, ût ſtatim videbitur; & ſicut elementa naturaliter moventur de una concordantia ad alteram, & naturaliter fugiunt contrarietatem propter finem perfectionis compoſiti, quem intendunt per concordantiam, ſic hi quatuor ſoni naturaliter moventur de una concordantia ad alteram, & naturaliter fugiunt contrarietatem propter finem perfectionis harmoniæ, quem intendunt per concordantiam; & ſicut quatuor elementa moventur motu & viâ breviſſimâ, quâ poſſunt, ſic hi quatuor ſoni: unde cùm totus motus, qui eſt in elementis, ſit tantùm in duplici differentia, ſcilicet concordantiæ generando, & contrarietatis corrumpendo, ut per novam & majorem concordantiam regenerando finem, quem quærunt, attingant, ſic totus motus, qui eſt in hoc quadrangulo ſonorum, eſt tantùm in duplici differentia, ſcilicet concordantiæ, generando unum paſſum harmonicum, & contrarietatis, corrumpendo eundem, & reducendo de actu in potentiam, ut novum per generationem de potentia deducant in actum; & ſic agunt tamdiu, donec per novam & majorem concordantiam regenerando attingant finem, quem inveſtigant, ſcilicet perfectam & integram harmoniam; & hoc efficiunt per Inſtrumentum ſequentis Tabellæ.

Finis Medium Principium.

Aſcendendo																										Deſcendendo.
5	f	h	c	e	g	b	d	f	3	d	f	h	c	e	g	b	d	8	b	d	f	h	c	e	g	b
3	d	f	h	c	e	g	b	d	8	b	d	f	h	c	e	g	b	5	f	h	c	e	g	b	d	f
8	b	d	f	h	c	e	g	b	5	f	h	c	e	g	b	d	f	3	d	f	h	c	e	g	b	d
o	b	d	f	h	c	e	g	b	o	b	d	f	h	c	e	g	b	o	b	d	f	h	c	e	g	b

Principium Medium Finis.

Cyclus

Cyclus Harmonicus.

f	f	f	c	c	c	g	g	g	d	d	d	h	h	h	e	e	e	b	b	b	f	f	f	c	c	c
d	d	c	h	h	g	e	e	d	b	b	h	f	f	e	c	c	b	g	g	f	d	d	c	h	h	g
b	h	h	f	e	e	c	b	b	g	f	f	d	c	c	h	g	g	e	d	d	b	h	h	f	e	e
b	d	f	f	h	c	c	e	g	g	b	d	d	f	h	h	c	e	e	g	b	b	d	f	f	h	c

Prima Tabella in ſe continet materiam, ex qua formatur ſecunda Tabella, continens integram rotationem harmonicam per omnia & ſingula intervalla totius ſuprapoſitæ Scalæ ſimplicis harmonicæ, quæ hic ob defectum ſpatii non tota eſt expreſſa.

Tota Tabella dividitur in tres partes, ut in ipſa apparet; in prima parte ad ſiniſtram, ubi ad latus ſcribitur *aſcendendo*, infrà verò *principium*, numeri literis antepoſiti denotant primum ſitum, quem debent quatuor voces habere, quando baſſus aſcendit formando circulum; nam reliquæ voces ſuprapoſitæ, quæ moventur, neceſſariò deſcendunt; ad hoc autem efficiendum indiget principio *differentiæ* & *concordantiæ* & *medii*, ut à principio poſſit per medium venire ad finem: unde quando b., quæ eſt litera primæ clavîs ſeu palmulæ in nova taſtatura (de qua infrà) vult moveri ſurſum in d., accipit ſitum quatuor vocum, prout habentur in Tabella principii, ubi ſcriptum eſt b.; ſed ſecundum ſitum accipit ex Tabella *medii*, ubi d. ponitur, & tertium ex Tabella *finis*, ubi f. notatur, ſic:

Aſcendendo
f f f c c c
d d c h h g
b h h f e e
b d f f h e

ubi videtur, quòd hic motus ſit concordantiæ, quia voces moventur ad invicem; ſed quando baſſus deſcendit in tertiam & quintam circulando, tunc fit contrarium: unde hic motus eſt contrarietatis, & incipit à dextra in ſiniſtram iterum per medium, ût antea, v. g. ſequenti modo:

Deſcendendo.
b b b e e e
f g g b c c
d d e g g h
b g e e c h

Hac igitur methodo formatus eſt præcedens Circulus harmonicus, in quo conſiſtit totum artificium Muſicæ planæ, ex qua per ſyntheſin educitur, quidquid in Muſica figurata eſt excogitabile, & in quam per analyſin reſolvitur omnis compoſitio Muſicæ figuratæ; nam ſub illa neceſſariò hæc ſemper abſcondita deliteſcit, ût univerſale ſub particulari, non aliter ac prima lineamenta picturæ varietate colorum teguntur, ut non niſi ab Artis pictoriæ perito dignoſcantur.

Hoc aureum Artificium à nemine Muſurgorum ne à longè quidem fuit animadverſum, quamvis vaſta volumina de Muſica ediderint; nam tanta Arcana in hac modica Tabella ſunt recondita, ut facilè ſingulæ partes totius Muſurgiæ per illam reformari queant, cùm omnia, quæ in illa continentur, veris & ſolidis nitantur demonſtrationibus, quas omnes hìc recenſere, eſſet opus ultra metam exporrigere: quapropter ſolummodò ea hìc addam, quæ ad complementum dictæ Muſicæ planæ requiruntur.

Et *primò*, quomodo ex dicta Rota ſeu Circulo formetur Scala compoſita ſeu Scala muſica uſitata, quam *diatonicam* vocant: hæc Scala formatur ex ſingulis ſex paſſibus harmonicis per ordinem in Circulo ſeu Rota ſe invicem inſequentibus, ſi ſuperiorum trium vocum motus obſervetur; nam ſemper moventur per duos tonos & ſemitonium (ſive novâ methodo, per duas ſecundas majores, & unam minorem): unde quælibet octava neceſſariò ſubſiſtit ex duabus quartis, quarum quartarum unam ſemper octavam conſtituentiû differentiæ omnes poſſibiles numero ſeptenario comprehenduntur, ſequenti Tabellâ Scalæ univerſalis diatonicæ expreſſo, & clavibus uſitatis diſtincto, quibus meliùs ſubſtituuntur literæ alphabeti in circulo uſurpatæ, quæ ſunt ſeptem ſequentes b. c. d. e. f. g. h.; videatur inferiùs ipſa Figura.

Scala Diatonica Universalis continens 7. particulares.

c	b	c	d	e		
	ut	re	mi	fa		
	f	g	h	b	1	
g	ut	re	mi	fa		
d	c	d	e	f		
	re	mi	fa	ut		
	g	h	b	c	2	
a	re	mi	fa	ut		
e	d	e	f	g		
	mi	fa	ut	re		
	♮	b	c	d	3	
♮	mi	fa	ut	re		
f	e	f	g	h		
	fa	ut	re	mi		
	b	c	d	e	4	
c	ut	re	mi	fa		
g	f	g	h	b		
	ut	re	mi	fa		
	c	d	e	f	5	
d	re	mi	fa	ut		
a	g	h	b	c		
	re	mi	fa	ut		
	d	e	f	g	6	
e	mi	fa	ut	re		
♮	h	b	c	d		
	mi	fa	ut	re		
	e	f	g	h	7	
f	fa	ut	re	mi		

tres perfectæ.

quatuor imperfectæ.

Hâc Figurâ emendatur Scala Guidonis Aretini rejiciendo superfluum *sol*, *la*, & supplendo residuum usque ad octavam; nam c. d. e. f., & g. a. ♮. c. sunt duæ quartæ prorsus similes: unde ratione concordantiæ requirunt similem modum solmisandi, sic pariter d. e. f. g., & a. ♮. c. d.: ex hac Scala universali prodeunt & per Artem eliciuntur innumeræ Scalæ particulares tribus generibus subservientes, scilicet *diatonico*, *chromatico* & *enharmonico*.

Ex hac secunda & prima Scala elicitur alterum incomparabile Arcanum sequentis Tabulæ, quâ reformatur totum Systema Veterum & Recentiorum de tribus generibus antedictis & intervallis harmonicis à motu quadranguli in Scala efformatis; nam cùm ex supradictis & conditionibus Arithmeticæ eluceat, solam octavam esse in æqualitate sinè majoritate & minoritate, cætera autem omnia intervalla media tendere ad finem octavæ, necessarium erit per consequens, omnia dicta media includere majoritatem & minoritatem: unde cùm nulla sit quies in majoritate & minoritate, omnia tendunt naturaliter ad finem, in quo est æqualitas, & per consequens quies; & hæc est sola octava, ût docet sequens Figura; & cùm sint septem media usque ad octavam, erit ergò *secunda minor*, *secunda major*, *tertia minor*, *tertia major*, *quarta minor*, *quarta major*, *quinta minor*, *quinta major*, *sexta minor*, *sexta major*, *septima minor*, *septima major*, sed sola *octava æqualis*; nam nulla datur major & minor octava.

Et sicut in genere diatonico sunt omnia supradicta intervalla, sic in genere chromatico & enharmonico sunt eadem, licèt secundùm alias proportiones, ût Tabella indicat; & omnia ista tria genera cum suis intervallis tam mirâ concordantiâ & differentiâ sibi mutuò inserviunt, & invicem connectuntur, & in invicem transeunt, ut si vel unum tollatur, Systema totum mancum redditur, cùm tamen in Systemate Veterum nullus ordo, nulla connexio, imò ferè nullus unquam usus fuerit reliquorum duorum generum; quod non aliam ob causam accidit, nisi quia tam ipsa genera, quàm intervalla illorum, meris fictitiis & non naturalibus proportionibus mensurabantur, quia veras & naturales proportiones nesciebant Antiqui investigare; Recentiorum verò nemini illas in examen vocare in mentem venit. Nunc sequitur ipsa Figura.

E	C.	D.	
		0	Unisonus
1	2	3	2^a minor
3	4	5	2^a major
6	7	8	3^a minor
8	9	10	3^a major
11	12	13	4^a minor
13	14	15	4^a major
18	17	16	5^a minor
20	19	18	5^a major
23	22	21	6^a minor
25	24	23	6^a major
28	27	26	7^a minor
30	29	28	7^a major
		31	8^a æqualis

In

In hac Figura prima columna ad dextram exprimit omnia intervalla composita septem graduum Scalæ musicæ, per quos voces moventur in harmonia: in prima columna ad sinistram, cui litera D. est imposita significans genus diatonicum, numeri significant, quot intervalla simplicia Scalæ simplicis geometricæ constituant illud intervallum compositum, seu gradum Scalæ: v. g. tria significant, secundam minorem (quam falsò dixerunt semitonium majus) diatonicam constare tribus gradibus simplicibus Scalæ simplicis, quos congruè *Commata* nominare possumus, sic quinque dant tonum, seu secundam majorem diatonicam; & ita de cæteris: columna tertia designat numeros intervallorum chromaticorum, & quarta numeros intervallorum enharmonicorum, ubi pulchrâ ordinatione naturæ genus diatonicum assimilatur temperamento, in quo fit motus naturalis; genus enharmonicum intemperamento, in quo fit motus contra naturam; genus autem chromaticum neutralitati, in quo fit motus innaturalis, hoc est, medius inter utrumque, naturalem & contra naturam, per quem hi duo extremi transeunt; & hoc indicant lineæ erectæ ad sinistram, quarum duæ extremitates semper includunt duos gradus, unum majorem, & alterum minorem, simul facientes æqualitatem octavæ: ex quarum linearum media clarè videtur, genus diatonicum maximè accedere ad unionem; cùm 15. & 16., scilicet quarta major & quinta minor, non distent ab invicem nisi uno comate; genus chromaticum enim magis recedit ab unione, cùm 14. & 17., hoc est, quarta major & quinta minor chromatica jam distent tribus commatibus; & genus enharmonicum maximè, cùm 13. & 18. differant quinque commatibus.

Ex hac Tabula desumitur etiam æquivalentia intervallorum; nam secunda minor æquivalet septimæ majori, & secunda major septimæ minori, tertia minor sextæ majori, tertia major sextæ minori, quarta minor quintæ majori, quarta major quintæ minori &c.: unde iterum patet, nomina semitonii minoris seu diesеos, toni majoris & minoris, quintæ falsæ, esse merè fictitia, quia aut omninò non reperiuntur in Scala musica propter falsas proportiones, aut si reperiuntur (ût secunda minor chromatica, quæ diesin exprimit) non pertinent ad Scalam diatonicam.

Mag. Quid si tota hæc tua theoria non posset redigi in praxin? possesnè tu ordinare vel producere aliquod cymbalum vel organum pnevmaticum proportione fistularum huic Systemati correspondens, ita, ut ad formandam perfectam harmoniam esset idoneum, in quo non ampliùs sentiretur ullus defectus, qui in aliis hucusque usitatis organis fuit inevitabilis? Disc. Magister optime, veritas theoriæ evidenter post se trahit veritatem practicæ in subjecto practicæ subdito: unde si totum hoc, quod ex tua Arte verum esse demonstravi theoricè, nescirem reducere in practicam, aut tua Ars esset falsa, aut veritas practicæ esset contraria veritati theoricæ; & hoc est impossibile: non itaque dubito, id esse possibile, quod est actu; in Aula enim Serenissimi Electoris Palatini Clementissimi quondam Domini mei huic Scientiæ addictissimi restat Cymbalum omnibus numeris absolutum, meâ directione fabricatum, in quo sinè consueta impracticabili illa sectione palmularum sub tastatura ordinaria à quolibet Organædo tractabili motus hic circularis de quinta in quintam sinè ulla offensione auditûs potest exhiberi, ita, ut si quispiam incipiat fugam aliquam in clavi c., per ordinem quintarum vel quartarum illam possit prosequi percurrendo omnes palmulas totius tastaturæ, ne unâ quidem omissâ, quousque redierit ad idem c., gratissimâ & amœnissimâ harmoniâ; quod hucusque omnibus Phonurgis visum fuit impossibile: hoc Cymbalo perpetuò usus est Serenissimus Elector in exhibenda Musica aulica; nec contenta hoc experimento infallibili sua Serenitas, statuerat erigere Organum aliquod pitaulicum perfectum, secundùm Systema hic expositum, in suo Sacello aulico; sed dum instarem operi, jamque aliqua registra fistularum erant elaborata secundùm datas à me proportiones, Altefatus Serenissimus Elector vitam hanc mortalem clausit; sicque tam præclarum opus ad finem perduci non potuit, quod dolendum.

Ne igitur fundamenta tam inclytæ Artis ac Scientiæ intereant, quorum acquisitio mihi stetit labore plùs quàm viginti quinque annorum, ad quorum notitiam sinè tua Arte nunquam tamen pervenissem, huic operi illa concredere, & ab interitu vindicare optimam mihi dedisti commoditatem, ut amatores posteri technicæ harmoni-

monicæ vera & demonſtrata inde hauriant principia compoſitionis, nec more pſitacorum producant harmoniam ipſismet incognitam, ſed ſciant ſingularum partium ſui operis dare ſolidas cauſas & rationes, quas, quia hoc loco ob brevitatem fuſiùs exponere nequeo, Domino concedente, ampliori quondam Tractatu tam theoriam quàm praxin demonſtrativè miniſtrante in publicum proferre intendo.

Reſtant modica quædam ſubjicienda, quæ ſummè erunt neceſſaria & utilia ad emendationem Taſtaturæ Cymbalorum & Organorum, ût etiam omnium reliquorum Inſtrumentorum muſicorum; nam Canones tuæ Artis & Conditiones mihi oſtenderunt tot ac tantos defectus in uſitatis hactenus inſtrumentis, ut mirum ſit, neminem illos hactenus obſervaſſe: conſideret quis, obſecro, taſtaturam ordinariam organi, quàm nullus ordo, ſed mera in illo ſit confuſio; nam omnes palmulæ, quæ ſunt intra octavam, licèt referant inæqualia intervalla, ſunt æquales: unde provenit, ut eadem intervalla harmonica toties ſub manu Organædi varientur, quot ferè ſunt palmulæ; ſi enim v. g. incipis ludere aliquem concentum vel fugam in clavi c., & illam libeat tranſponere in d. vel e., mutabitur ſub manu totus ordo intervallorum; nam tertia major, vel quinta, vel ſexta, ſeptima &c. alibi quærenda erit, quàm in e. offenderas; hinc toties de novo debes addiſcere, quoties varias tonum vel tranſpoſitionem, quo quid abſurdiùs? è contra in mea recèns inventa taſtatura omnia taliter ac tantâ perfectione regulantur, ut quævis ſecunda, tertia, quarta, quinta &c. ubique ſub manum cadat æqualiter: quapropter quidquid didiceris in una clave, extemplò poteris producere in omni alia.

Præterea tam ſimplex eſt diſpoſitio hujus taſtaturæ, ut eliminatis omnibus dieſibus & b. mollibus nil tibi addiſcendum reſtet, niſi ſimplices ſeptem literæ alphabeti, ſcilicet b. c. d. e. f. g. h., quæ pulcherrimo ordine per totam taſtaturam ſtatim ſe viſui præſentant: hoc unum obeſt, quod repulit celebres Aulæ noſtræ Muſicos ab uſu hujus novæ Taſtaturæ, quia habitum veteris, cui erant aſſueti, nolebant ampliùs exuere, & novum novo labore induere, quamvis omnes fateri cogebantur, hanc eſſe perfectiſſimam: unde in hac parte id nobis contingere videtur, quod in moribus; nam pravis aſſueti cum Poëta dicimus: *video meliora, proboque, deteriora ſequor*: quod igitur à ſenioribus ſperandum non eſt, à juvenibus cum tempore obtineri poterit, quos experimentum facilitatis alliciet ad vetera deteriora relinquenda, & nova meliora ac perfecta amplectenda. Figura Taſtaturæ eſt ſequens.

Taſtatura Nova perfecta,

In qua per 7. Gradus ſit Aſcenſus, Deſcenſus & Circulatio.

B 19	C 24	D 29	E 3	F 8	G 13	H 18	B 23	C 28	D 2	E 7	F 12	G 17	
	B 21	C 26	D 0	E 5	F 10	G 15	H 20	B 25	C 30	D 4	E 9	F 14	G 19
H 18	B 23	C 28	D 2	E 7	F 12	G 17	H 22	B 27	C 1	D 6	E 11	F 16	
	H 20	B 25	C 30	D 4	E 9	F 14	G 19	H 24	B 29	C 3	D 8	E 13	F 18
		H 22	B 27	C 1	D 6	E 11	F 16	G 21	H 26	B 31	C 5	D 10	E 15	F 20
G 19	H 24	B 29	C 3	D 8	E 13	F 18	G 23	H 28	B 2	C 7	D 12	E 17	
	G 21	H 26	B 0	C 5	D 10	E 15	F 20	G 25	H 30	B 4	C 9	D 14	E 19

In hac Figura repræſentantur ſeptem Taſtaturæ, una alteri impoſita, & dimidio circiter pollice altior: quælibet palmula unius taſtaturæ diſtat ab altera integro tono ſeu ſecundâ majore exactè, ita ut tota taſtatura non niſi integris tonis diſtinguatur; ſecunda

cunda taſtatura aſcendendo eſt primâ altior unâ ſecundâ minore, hoc eſt, tribus comatibus eorum, quorum quinque faciunt tonum, & ſic per ordinem uſque ad ſeptimam; ſed (ût dixi) palmulæ in ſecunda taſtatura inter ſe iterum differunt tono: unde ſi cui lubet intonare tertiam majorem, illam reperiet in uno loco ſicut in altero per totam taſtaturam; quod etiam de reliquis omnibus intervallis intelligendum.

Literæ palmulis inſcriptæ in ſingula taſtatura proprio colore debent diſtingui, ut ſtatim ſciatur, in qua taſtatura quis degat; ſed quia ſexta & ſeptima taſtatura ſunt eædem cum prima & ſecunda, ideo quinq; colores ſufficiunt, ſcilicet niger, rubeus, croceus, viridis, cæruleus, dein iterum niger, rubeus, vel aliâ diſpoſitione, ût convenit; his coloribus in charta deberent pariter ſcribi claves vel notæ: unde Palimpſeſtus pariter eſſet reformandus, quia ordinarius eſt æquè confuſus & inordinatus; cui emendationi inſerviet Rota harmonica ſuprà data.

Per hactenus dicta completum eſt totum Syſtema Muſicæ planæ, ita, ut nil deſit, quod tam ad ſtructuram Inſtrumentorum, quàm ad fundamenta Compoſitionis prærequiritur; quia tota ſubſtantia hujus excellentiſſimæ Scientiæ exiguo hoc faſciculo compingitur, qui certè plus realitatis & utilitatis practicæ in ſe continet, quàm quis ſit inventurus in vaſtis voluminibus; maturos tamen expoſco Condiſcipulos huic ſtudio cupientes ſe dedere, non pueros impuberes, ut rationum & rerum ab illis derivatarum ſint capaces; his habitis ſpondeo, quòd totum ad *Muſicam planam* pertinens pomeridiano tempore poſſint addiſcere; *Muſica* autem *figurata*, quæ ex hac prima, videlicet *Muſica plana*, derivatur, tanquam particulare ex ſuo univerſali, in ſequentibus paucis quatuor numeris radicem ſuam habet, ſcilicet

1. in Nota aberrante.
2. Nota mutuata.
3. Nota permutata.
4. Reticentia.

Ex his quatuor punctis iterum extrahuntur ſequentes quatuor:

1. Ligatura.
2. Imitatio.
3. Fuga.
4. Contrapunctus.

Quæ omnia habent ſuas infallibiles demonſtrationes, quibus cognitis certifico, quemlibet ſinè periculo erroris poſſe ex ſupradictis univerſalibus principiis proprio marte elicere quamcunq; harmoniam particularem, quamcunque formatam ſive à ſe ſive ab alio de novo reducere & reſolvere in ſua univerſalia principia; quod excellentiſſimum Arcanum hucusque à nemine perſpectum & poſſeſſum, non ſolùm ſuâ intrinſecâ naturâ eſt ſummè delectabile, ſed etiam inde Viris ſapientibus debet eſſe gratiſſimum, quia eſt ſpeculum artificiale, in quo repræſentatur modus inveſtigandi numerum, ordinem, ſitum, connexionem, proportionem, motum principiorum in omni Scientia, unà cum genuina methodo Analyſeos & Syntheſeos tam naturalium, quàm artificialium.

Mag. Antequam finiamus hanc partem, unum ſupereſt revelandum, quod nondum demonſtrati, ſcilicet quomodo dividatur Scala geometrica ſimplex, quæ metitur omnia intervalla muſica. Diſc. verum eſt, Pater, ſuppono tamen, quemlibet Matheſeos non omninò ignarum hoc poſſe efficere, cùm numerum proportionalium determinatim; ne tamen quidquam deſit, fiat ſequenti modo: inter lineas in proportione dupla quæratur media proportionalis, inter hanc mediam & minorem vel majorem iterum media, & ſic quinquies, tunc enim habebitur prima unitas proportionis geometricæ ſimplicis: unde cùm ſecunda ſit hujus dupla, tertia quadrupla, quarta octupla, quinta & ultima ſedecupla, ſic: 1. 2. 4. 8. 16., ſi omnes ſimul addantur, producent numerum totius Scalæ ſuprà aſſignatum, in quo numero alia adhuc altiora Arcana tam mathematica pertinentia ad menſuram ſectionum conicarum, triangulorum rectilineorum & Sphæricorum, quàm phyſica de intenſione & remiſſione primarum qualitatum abſconduntur: hoc igitur ſpecimine ſatis demonſtratum arbitror, quantum divina tua Ars ſuperet Methodum demonſtrandi ordinariam, cùm mediante illâ talia ſint in lucem producta, quæ tot ſæculis erant incognita.

De Secreto Geometriæ.

De Proportione.

MAg. Hoc Principium eſt unum inter lapides angulares, quibus ſuſtentatur tota moles meæ Artis Generalis demon-

ſtrandi ; quapropter cùm omnes meæ Demonſtrationes formentur ex hoc principio, & reducantur ad illud, ſummopere convenit, ut ſcias, & intimo corde retineas omnia Secreta hujus principii, quæ in ſequentibus numeris tibi revelabo : & primò

De Proportione in Genere.

PRoportio in genere nihil eſt aliud, quàm *Principium proportionandi*, ſicut bonitas eſt principium bonificandi, ſeu eſt habitudo ordinata unius ad alterum ; & quia ejus conſideratio hìc eſt generaliſſima, ejus definitiones debent quoque eſſe generaliſſimæ : prima definitio eſt propriè facta ſecundùm Regulam, quam dedi in *tertia Parte meæ Artis Generalis ultimæ de Definitionibus*, & eſt clara & facilis, intrinſeca & eſſentialis ; ſecunda verò eſt potiùs deſcriptiva : hæc autem generalitas generaliſſima eſt ens logicum ſeu intentionale, ſed eſt alia generalitas generaliſſima Proportionis, quæ non eſt ens logicum, ſed Ens reale exiſtens extra intellectum, cui competit prima definitio, ſpecificata tamen per rationem *Supremi* ; & quia eſt *ſuprema Proportio*, eſt *ſupremum Principium proportionandi*, ſicut *ſuprema Bonitas* eſt *ſupremum Principium bonificandi*. Hæc eſt altiſſima definitio Proportionis, quâ altior dari non poteſt, Fili, & eſt ſupremè neceſſaria in mea Arte ; quia cùm omnes demonſtrationes in omni ſcibili poſſint & debeant reduci ad aliquam proportionem, & nulla inferior proportio poſſit dare ſupremam demonſtrationem, ſinè qua nunquam Intellectus creatus haberet ſupremam quietem in intelligendo, ideo omnes inferiores proportiones ſunt menſurandæ à ſuprema Proportione, & cũ illa & comparandæ ad illam, ut attingant ſupremum gradum ſuæ perfectionis.

Et quia in principio hujº Capitis demonſtravi, omnia ſeptem Inſtrumenta ſciendi menſurari per *Univerſale Particulare, Naturale Artificiale, Reale Intentionale, Subſtantiale Accidentale, Senſuale Intellectuale*, addito unoquoq; horum terminorum termino *Proportionis* reſultant inde decem genera Proportionum ſimplicium, quæ ſunt a. b. c. d. e. f. g. h. i. k., hoc eſt,

a Proportio univerſalis.
b Proportio particularis.
c Proportio naturalis.
d Proportio artificialis.
e Proportio realis.
f Proportio intentionalis.
g Proportio ſubſtantialis.
h Proportio accidentalis.
i Proportio intellectualis.
k Proportio ſenſualis.

& per conſequens definitionum ſimplicium illarum, ex quibus fiunt *quatuor compoſita*, quæ ſunt [a. c. e. g. h. i. k.] [b. c. e. g. h. i. k.] [a. d. f. h. i. k.] [b. d. f. h. i. k.] & *quintum*, quod eſt ſupremum, ſcilicet [a. c. e. g. i.] intentionaliter compoſitum, & realiter ſimplex, cujus definitio data eſt ſuprà.

Hæc quatuor genera ulteriùs habent ordinationem regulatam, ut quartum ſit ſub tertio, & ſecundum ſub primo, & quartum ſub tertio, ſecundo & primo, & tertium ſub ſecundo & primo, & ſecundum ſub primo, & omnia quatuor ſub quinto.

Ut cognoſcas naturam cujuslibet harum proportionum generalium tam ſimplicium, quàm compoſitarum, non indiges, niſi ut addas quamlibet harum decem literarum definitioni generali ſuperiùs datæ, v. g. quia *Proportio eſt principium proportionandi*, ſi quæris, quid eſt proportio univerſalis? adde literam a. huic definitioni, & invenies, *quòd Proportio univerſalis ſit principium univerſale proportionandi univerſaliter* ; & ſic Proportio naturalis eſt principium naturale proportionandi naturaliter &c. : ſi verò cupis ſcire, *quid ſit Proportio univerſalis naturalis*, vel *Proportio particularis naturalis*, adde ſimul a. c. vel b. c. definitioni datæ, & habebis definitionem compoſitam ſatisfacientem quæſito.

Geometria uſitata non egit niſi de b. d. f. h. i. k., quia non egit niſi de proportione quantitatis & numeri, nec conſideravit naturales proportiones rerum, hoc eſt, ipſis rebus à natura inditas ; quia illius ſpeculatio tantùm verſabatur circa proportiones in abſtracto : unde mirum non eſt, quòd Geometrarũ proportiones artificiales multoties non concordent cum proportionibus naturalibus, quod tamen deberet eſſe ratione ſubordinationis, quam una habet ad alteram, ût ſuperiùs audiviſti, & in mea Muſica apparet, cujus proportiones harmonicæ ab antiquis & recentioribus Geometris non ſunt ad naturalia & univerſalia principia examinatæ, quod inferiùs per exempla clariùs deducetur.

Diſc. Cùm ſcientiæ ſint de univerſalibus, & non de particularibus, & univerſalia ſint abſtracta, & non concreta, quomodo tu Pater potes tradere ſcientiam de proportione in concreto & in particulari? Mag. Fili, particulare & concretum, univerſale & abſtractum diverſimodè ſunt conſiderabilia ; quod enim eſt particulare & concretum phyſicum reale, poteſt eſſe univerſale & abſtractum phyſicum intentionale, per exempla me capies : in Monochordio muſico duæ chordæ æqualis craſſitiei & intenſionis, ſi quoad longitudinem ſunt in proportione dupla, ſonabunt octavam ; & hoc vides & audis, & quod vides & audis, eſt particulare & concretum phyſicum ; ſed intellectus tuus intelligens prædicta abſtrahit ab his particularibus chordis & his particularibus ſonis & hac particulari proportione, & conſiderat chordas & ſonos & proportionem univerſaliter, non tamen abſtrahit ab omni materia, ût Metaphyſica, ſed contemplatur formam in materia, ut poſſit invenire proprietates & paſſiones naturales entium : nam ſi v. g. abſtraheres metaphyſicè ſonum ab omni materia, & comparares ſonum ad ſonum, eſſet tibi impoſſibile pervenire in cognitionem naturalis proportionis, quæ eſt inter ſonum & ſonum ; & hoc ideo, quia ipſa natura abſtracta à ſono non poſſet tibi indicare certam ſuam regulam, quâ vult menſurari habitudines ſonorum : hoc adhuc clariùs patebit ex altero exemplo.

Tu noſti, quòd in menſuratione triangulorum rectilineorũ Mathematici ſupponunt *Radium* ſeu *ſinum totum* diviſum in æquales partes, numero mille vel decem mille vel centum mille, hoc ſuppoſito fundati produxerunt calculum tabularum ſinuum, tangentium, ſecantium & logarithmorum ; ſed quia ſupradicta illorum ſuppoſitio abſtrahit formam à materia, & eſt abſtractio metaphyſica, & non phyſica, ideo *natura Radii* non potuit ipſis revelare *diviſionem naturalem Radii* : unde diviſio ab ipſis facta eſt merè artificialis, & non naturalis, & per conſequens non eſt facta ſecundùm rationem, ſed ad placitum : ſi autem prædicti Viri ingenioſiſſimi conſuluiſſent *naturam Radii*, ipſa, quæ eſt ſapiens, & ab ipſa ſuprema Sapientia ſapientiſſimè ordinata, ipſis oſtendiſſet diviſionem ſuam intrinſecam naturalem, quæ reſpuit omninò illam artificialem à Geometris aſſumptam : item deduxiſſet illos in cognitionem altiſſimi cujusdam Secreti, cui innititur fundamentum totius Geometriæ & Arithmeticæ, ſcilicet Proportionis ſimplicis geometricæ & arithmeticæ ; quæ, quid ſint, ſtatim infrà referabo.

Sit tertium exemplum ex Phyſica, de gradibus ſcilicet primarum qualitatum, dic, quot ſunt gradus caloris, frigoris, humiditatis, ſiccitatis, aſcendendo ab infimo ad ſummum? Diſc. communiter in Schola nominamus octo. Mag. ſed quare non plures, nec pauciores? Diſc. hoc fuit ad placitum, potuiſſent enim Philoſophi intervallum hoc dividere in centum gradus & adhuc plures, ſi voluiſſent. Mag. certè potuiſſent in ſuo intellectu, de iſta poteſtate non dubito ; ſed quæritur, an ſapienter ſic fecerint vel feciſſent, & an natura hujusmodi diviſioni annuat? naturæ enim ordo non eſt ad placitum, ſed infallibilibus legibus ſubjacet : ſi tu Architecturæ ignarus præſumeres adaptare ſcalam altitudini ſedecim pedum, & collocares in illa ſcala octo gradus, vel ad placitum centum quadraginta, nonnè egregiam ſcalam conficeres? Diſc. minimè. Mag. ſed quare? Diſc. quia utraque hæc diviſio graduum eſſet improportionata aſſumptæ altitudini. Mag. ſic eſt in propoſito ; nam ad operationes naturæ ritè perficiendas convenit ad unguem ſcire numerum graduum, quibus natura aſcendit & deſcendit in Analyſi & Syntheſi rerum naturalium, nec arbitrio Artificis committitur, numerum hunc determinare. Diſc. quomodo invenitur igitur hic numerus? Mag. jam dixi ſuprà, contemplando primas quatuor qualitates in natura ſui ſubjecti ; Natura enim revelat & revelavit antiquis Sapientibus, quinam numerus graduum ſit naturalis ; & hunc tibi ſatis clarè detexi in meo *Lib. de Princ. & Grad. Med. & in Lib. de Quint. Eſſ.* aliisque multis meis Tractatibus, in quibus demonſtrationem horum dedi.

Quælibet harum decem Proportionum generalium habet ſub ſe plures proportiones ſpeciales, quarum aliquas ſpeciminis loco recenſebo ; nam plures alias in meis Libris invenies.

l Proportio continua.
m Proportio diſcreta.
n Proportio arithmetica.
o Proportio geometrica.
p Proportio ſimplex.

q Pro-

q	Proportio composita.
r	Proportio æqualitatis.
s	Proportio majoritatis & minoritatis.
t	Proportio concordantiæ.
u	Proportio contrarietatis.
w	Proportio recta & inversa.
x	Proportio ordinata.
y	Proportio alterna.
z	Proportio transposita.

Unde si singulas has literas combinaveris cum singulis præcedentibus decem, v.g.a.l., a.m., a.n. &c.,b.l.,b.m., b.n. &c., numerabis 140. differentes proportiones, ferè omnes peregrinas in Geometria ordinaria: singularum quatuordecim ultimarum tibi nunc dabo exempla, quæ postea te introducent ad venanda similia in decem generalibus, miscendo illas cum specificis.

L sit a. bonitas, vel b. magnitudo. c. duratio. d. potestas, & e. bonificare. f. magnificare. g. durare. h. posse.

Manifestum est, quòd,sicut se habet a. ad b., sic b. ad c., c. ad d., & sic continuè: & sicut se habet e ad f., sic f. ad g., g. ad h. &c., & sic continuè.

M. sit a. bonificativũ, vel e. bonificativum. b. bonificare. c. magnificativũ. d. magnificare. f. bonificabile. g. magnificativũ. h. magnificabile.

Certum est, quòd,sicut a. ad b., sic c. ad d., vel sicut e. ad f., sic g. ad h.

N. O. Antequam horum N. O. tibi ponam exempla, scire debes, quòd *Proportio Arithmetica* in mea Schola sit illa, cujus principia sunt omninò æqualia; *Proportio verò geometrica*, cujus principia sunt tantùm similia,ût infrà clariùs indicabo de *Proportione simplici*: unde cùm bonitas, magnitudo, duratio, potestas sint principia omninò æqualia, ingrediuntur proportionem arithmeticam; & ideo ponuntur in circumferentia circuli, ad denotandum, quòd, sicut principia circumferentiæ, scilicet singula puncta illius sunt omninò æqualia, sic principia primitiva meæ Artis posita in circumferentia sint omninò æqualia: & sicut semidiameter circuli seu Radius à centro ad circumferentiam extensus constat principiis, h. e. punctis seu unitatibus quantis similibus tantùm, & non æqualibus, sic a., quæ est prima bonitas in radio, & b., quæ est secunda bonitas in radio, & c., quæ est tertia, & d., quæ est quarta &c., & sic usque ad circumferentiam,sint principia continuè proportionalia geometricè: & quod dixi de bonitatibus, hoc intellige etiam de magnitudinibus, durationibus, potestatibus &c.; & quod dixi de principiis simplicibus, intellige quoque de compositis; igitur N. O. applicata ipsis L. M. dabunt tibi exempla Proportionum arithmeticæ & geometricæ, continuæ & discretæ sic: 1. a. 2. a. 3. a. 4. a. &c., 1. b. 2. b. 3. b. 4. b. &c., 1. c. 2. c. 3. c. 4. c. &c., 1. d. 2. d. 3. d. 4. d. &c.

Hâc signaturâ factâ sic formabis Schemata arithmeticè & geometricè proportionalium tam continuè, quàm discretè; & primò

Geometricè continuè. Sicut se habet 1. a. ad 2. a., sic 2. a. ad 3. a., & 3. a. ad 4. a., vel
Sicut se habet 1. a. ad 2. b., sic 2. b. ad 3. c., & 3. c. ad 4. d.

nam quia 2. a. & 2. b. sunt arithmeticè æqualia, necessariò est ût 1. a. ad 2. b. = 2. a., sic 2. b. ad 3. c. = 3. b.

Geometricè discretè. Sicut se habet 1. a. ad 2. a., sic 4. a. ad 5. a., vel
Sicut se habet 1. a. ad 3. a., sic 2. a. ad 4. a., vel
Sicut se habet 1. a. ad 3. b., sic 2. b. ad 4. c.

Arithmeticè continuè. Sicut se habet 1. a. ad 1. b., sic 1. b. ad 1. c. &c., vel
Sicut se habet 2. a. ad 2. b., sic 2. b. ad 2. c. &c.

Arithmeticè discretè. Sicut se habet 1. a. ad 1. b., sic 1. c. ad 1. d. &c., vel
Sicut se habet 3. a. ad 3. c., sic 3. b. ad 3. d. &c.

P. *Proportio simplex* est illa, quæ constat principiis simplicibus.

Q. *Proportio composita*, quæ compositis; sed quia Principia simplicia sunt in duplici differentia, secundùm quòd sunt in duplici situ naturæ, nempe in situ recto & circulari, ût ex antedictis patet, ideo Proportio simplex & composita sub hac prima differentia

rentia consideranda est; nam hæc est supremum Principium omnium reliquarum Proportionum simplicium & compositarum: sunt itaque in genere duæ Proportiones simplices, quarum una se habet in forma *Rotæ*, & altera in forma *Scalæ*.

Proportio simplex, quæ est in forma *Rotæ*, habet has proprietates, quarum *prima* est, quòd quodlibet principium simplex sit æquale primo principio & ultimo: *secunda* est, quòd ratione suæ æqualitatis non habeant inter se ordinem prioritatis & posterioritatis, superioritatis & inferioritatis: *tertia* est, quòd comparando unum alteri in sua genesi non producant nisi proportionem arithmeticam simplicem. Disc. quid est Proportio arithmetica simplex? Mag. est illa, quæ utitur solâ additione & subtractione, nec ullo modo adhibet multiplicationem & divisionem.

Proportio simplex, quæ est in forma *Scalæ*, habet has proprietates, quarum *prima*, quòd nullum principium simplex sit primo & ultimo æquale, imò etiamsi in infinitum divideretur, non esset commensurabile ab illis: per hanc proprietatem tibi revelatur differentia primorum Principiorum harum duarum proportionum simplicium,scilicet, quòd, quamvis quodlibet illorum sit per totum alterum, tamen sit intransmutabile in alterum, & perpetuò retineat suam simplicitatem, licèt ambo agentia in se mutuò producant tertium Principium, quod est primum Principium Proportionis compositæ ex duabus simplicibus, scilicet arithmeticâ & geometricâ. Hoc est fundamentum, Fili, per quod detegitur error Mathematicorum tam antiquorum, quàm recentiorum, qui confinxerunt tertium genus proportionis non productum à duobus antedictis, quod harmonicum intitularunt, cujus fallaciam in Secreto meæ *Musicæ* ostendi: ratio autem hujus fundamenti elicitur è suprema Proportione; nam sicut in Divinis non posset esse tertium Principium, nisi procederet à primo & secundo, & esset medium sapiens naturam utriusque, ût sonat regula medii, sic in creaturis, in quibus singulis relucet similitudo hujus supremæ Proportionis, non posset esse tertium Principium Proportionis, nisi procederet à primo & secundo. *Secunda*, quòd ratione suæ inæqualitatis habeant inter se talem ordinem, ut alligata sint singula suis locis, ita, ut secundum non possit occupare locum tertii, quarti vel alterius: unde situantur unum sub altero, & habent ordinem prioritatis & posterioritatis. *Tertia*, quòd, considerando productionem horum primorum Principiorum, non sit locus nisi multiplicationi & divisioni; quamvis in usu ad invenienda particularia æquè admittant additionem & subtractionem, ût Principia Rotæ multiplicationem & divisionem.

In hac tertia proprietate latent adhuc plures aliæ, quarum *duas* mirabiles omnibus hucusque Geometris ignotas & infinitæ utilitatis indicabo: *una* est, quòd sub sequenti formula proportionis duplæ, scilicet c. 1. 2. 4. 8. 16. contineatur non tantùm regula producendi Principia simplicia seu gradus simplices Scalæ, sed integrum Systema Proportionis geometricæ simplicis, ita, ut mediantibus his Principiis pauciſſimis universalissimis habeatur instrumentum inveniendi infinitas differentias geometricè proportionalium particularium ab his universalibus descendentium: *altera* est, quòd datâ quâcunque serie geometricè proportionalium in proportione geometrica simplici contentorum datur infallibilis methodus ab illa perveniendi ad quamcunque seriem excogitabilem naturaliter cum illa & necessariò connexam; quod stupendum artificiũ præterquam quòd nemini fuit hactenus patefactũ, habet sibi annexum adhuc alterum, si non majus, saltem æquale, novi generis logarithmorum, hac lege construendorum, ut solâ nudâ additione numerorum non arithmeticè, sed geometricè proportionalium producantur dicti logarithmi, ita, ut non necesse sit in tabulis logarithmorum dato logarithmo quærere è regione geometricè proportionalem, sed ipse logarithmus sit ipsemet geometricè proportionalis.

Disc. Hoc impossibile videbitur omnibus Geometris. Mag. bene videbitur tale ipsis; nam est impossibile tales logarithmos condere adhibitis illorum principiis, non ad proportionem geometricam, sed arithmeticam à natura destinatis; hinc provenit, quòd multa, quæ inter incommensurabilia ab ipsis fuerunt hucusq; posita, talia sint non in se ipsis, sed ob defectũ indebitæ mensuræ illis applicatæ: dabo exemplum.

Quadragesima septima Propositio *Lib. 1. Eucl.* demonstrat, quadratũ hypothenusæ quadrati esse æquale quadratis duob⁹ laterũ, unde clarum est, quadratum lateris ad qua-

dratum hypothenusæ esse in proportione subdupla : & quia radices horum quadratorum cadunt inter 1. & 2., inter quos nullus est numerus rationalis, bene asserunt, has radices esse incommensurabiles: tu autem, Fili, scis, quòd in mea Scala universali unitas & binarius sint principium & finis Scalæ : & quia inter hos duos terminos sunt adhuc multa media geometricè proportionalia, scilicet quæ suprà posui 0. 1. 2. 4. 8. 16., positâ radice quadrati lateris loco 1. vel 0. primi gradûs scalæ quære radicem quadrati hypothenusæ in cæteris gradibus intermediis, & invenies, an sit incommensurabilis ; sed ne de obscuritate me accuses, observa sequentem praxin.

Quia quadrata sunt ût 1. ad 2., suppone loco horum quadratorum duas lineas, quæ sunt principium & finis meæ scalæ, & se habent ût 1. ad 2. ; cùm ergò quadrata sint in duplicata ratione laterum seu radicum, extrahantur radices, prout fieri solet in logarithmis ordinariis, nempe bissecando numeros sic : quia quadrati 1. radix est etiam 1., & quadratum 2. est = 32. in scala, si 32. dividantur per 2., quotus erit 16.; ergò 1. & 16. dabunt radices desideratas in scala, scilicet 1. pro radice quadrati lateris, & 16. pro radice quadrati hypothenusæ. Disc. videtur inimaginabile, quòd numeri 1. & 16. possint esse radices horum quadratorum. Mag. verum est, quamdiu in imaginatione tua hærebunt numeri arithmetici constituti ex unitatibus arithmeticis ; sed si semel assueveris corrigere hunc habitum imaginando numeros geometricos eorumque unitates, statim disparebit hæc inimaginabilitas.

Poterit etiam inventio harum radicum aliâ viâ institui, sic : quia differentiæ proportionalium sunt etiam proportionales, si loco primi quadrati assumatur iterum 1., quæ est ipsum principium omnium differentiarum positarum inter 1. & 2. lineas assumptas loco quadratorum, & loco secundi quadrati capiatur 2., quæ est 32. differentia ; nam dividendo hanc per 2. prodibunt iterum 16., ût antea : vides nunc, Fili, præter solutionem hujus problematis etiam eandem commoditatem extrahendi radices quadratas ac cubicas, qualis habetur in logarithmis ordinariis : præterea aliud mirabile Secretum, scilicet, meos logarithmos esse meros numeros rotundos, nec ullas habere fractiones, nec esse indeterminatos.

Dis. Sed quomodo cognosci poterit, Pater, quinam numeri pertineant ad Scalam, & quinam ad Rotam ; volo dicere, quinam sint quærendi in proportione arithmetica simplici, vel in proportione geometrica simplici, vel in composita ex ambabus? Mag. si quæstio tibi offertur in numeris, facilè discernes ; nam omnes numeri, qui cadunt in 1. 2. 4. 8. 16. &c., vel eorum replicati, pertinent ad Scalam, & omnes, qui hos intermediant, ad Rotam, v. g. 3. 5. 6. 7. 9. 10. 11. 12. 13. 14 15., vel eorum replicati.

Disc. Ergò ex his numeris ultimis non possunt fieri series proportionalium geometricè. Mag. imò possunt, sed non pertinent ad scalam proportionis geometricæ simplicis, sed compositæ : v. g. hæc series 1. 3. 9. 27. &c. in tripla proportione progrediens non est quærenda in Scala, nec in Rota, sed in composito ex utraque ; nam si interponatur huic seriei series proportionis simplicis geometricæ, scilicet 1. 2. 4. 8. 16. sic : 1. 2. 3. 4. 8. 9. 16. 27. statim apparebit, hos numeros esse mixtos ex arithmeticis & geometricis unitatibus ; 2. enim 3. & 4. tantùm differunt unitate arithmeticâ, item 8. & 9. ; & est mirum, hoc neminem Geometrarum observasse : hæc autem est regula infallibilis, quòd unitates unius seriei simplicis non debeant ingredi unitates alterius seriei simplicis ; nam aliàs tolleretur differentia, quæ est inter simplex & compositum, & inter simplex & simplex.

Disc. Si autem mihi quæstio proponatur in notis universalibus, videlicet in literis vel in aliis quantitatibus, v. g. lineis, superficiebus, corporibus, ponderibus, qualitatibus, quomodo dabo solutionem? Mag. æquè facilè, inspice sequens exemplum; quod ut ritè intelligas, notare debes antequam accedas solutionē quæstionis, utrùm quæstio sit rationalis, vel non? nam si quæstio non esset rationalis, impossibilis esset ejus solutio rationalis.

Disc. At quomodo discernam, quænam quæstio sit rationalis, & quæ non? Mag. illa quæstio est rationalis, quæ non quærit aliquid contrarium naturæ rei quæsitæ. Disc. hoc ipsum videtur mihi impossibile scitu in principio investigationis; nam cùm natura rei investigandæ in principio sit ignota, nequit Artifex scire, quid cum natura illius concordet, aut quid illi contrarietur. Mag. ita est, attamen aliquid debet esse notum de re investigabili; nam

nam si nihil esset notum, impossibile esset illam invenire, cùm nullum ignotum sit investigabile & inventibile per ignotum: quapropter cùm omne, quod quæritur, sit particulare, & id, cum quo fit investigatio, sit universale vel aliud particulare notum ac connexum cum particulari ignoto per universale notum, quando tibi proponitur quæstio, inspice terminos quæstionis, ut in illis videas, quodnam universale vel particulare notum contineatur, quod habeat naturalem connexionem cum particulari ignoto & quæsito ; quo invento aggredi poteris investigationem solutionis quæstionis ; de hoc autem universali vel particulari jubeo te cautum esse, ne sit irrationale & contra naturam rei quæsitæ : e. g.

Proponatur tibi sequens quæstio in Musica : quia claves c. g. in taſtatura sonant quintam, & c. c. octavam, & octava est in proportione dupla, quinta verò in proportione sesquialtera (secundùm Antiquorum & Recentiorum opinionem) quæratur motus incipiendo à c. inferiori, ascendendo in g., & à g. in d., scilicet de quinta in quintam, donec ultima quinta incidat in c. superius vel inferius. In hac quæstione comprehenditur fundamentum totius Scientiæ harmonicæ, ad cujus solutionem rectè instituendam pondera terminos quæstionis; nam sicut in Grammatica quodlibet nomen continet principia, ex quibus componitur, & in quæ potest resolvi tanquam particulare in sua universalia, sic quæcunque quæstio proponatur, si meam Artem non ignoraveris, solo intuitu terminorum quæstionis statim tibi obviam venient principia universalia in illa contenta, quibus solutionem efformare poteris eâdem facilitate, quâ dicti verbi vel nominis in Grammatica.

Unde examinando datam quæstionem statim tibi occurrent sequentia : *principium*, scilicet c., & *finis*, scilicet c., & *motus* de principio ad finem per *medium*, quod est g., *ascendendo*, *descendendo*, *circulando* : hic verò motus debet esse *continuus*, quia debet fieri de una quinta in alteram continuè, & non interruptè ; & debet fieri salvâ proportione quintæ & octavæ, quia omnis operatio cum principiis debet fieri sinè destructione principiorum ; nam si principia destruerentur, nullum emergeret ex illis principiatum. Ecce modum eliciendi universalia & particularia nota, per quæ jam instituenda est investigatio solutionis : sed quia in quæstione præter supradicta principia per se nota vel demonstrata ponuntur aliqua principia supposita tanquam certa, & non demonstrata ; v. g. quòd c. c. sint in proportione dupla vel subdupla, & c. g. in proportione sesquialtera, aut inquirendum est primò ante solutionem quæstionis, utrùm hæc principia sint rationalia vel irrationalia, aut in ipsa solutione impossibilitas finis quæsiti demonstrabit irrationalitatem factæ positionis ; quod in dato casu sic eruitur :

Demonstratum est in *Musica*, octavam esse in ratione dupla, hoc est, ût 1. ad 2., ponamus igitur, rationem quintæ esse in proportione sesquialtera, hoc est, ût 2. ad 3., manifestum est, quòd ratio octavæ cadat in Scalam, cùm sit de proportione geometrica simplici, imò comprehendat ipsa primitiva principia totius Scalæ ; sed quinta non erit in Scala, quia numeri 2. 3. differunt unitate arithmetica : admoto igitur triangulo rubeo principii, medii & finis, & elicitâ ex illo conditione secundùm meam Artem, quòd *medium est id, per quod finis influit in principium, & principium refluit in finem, sapiens naturam utriusque*, certum est, quòd c., qui est finis in Scala musica, debet posse influere in principium, quod est c., & c. principium refluere in finem c. per medium, quod est g. sapiens utriusque naturam ; cùm autem g. sit extra naturam Scalæ principiorum c. c., si positio sit vera, est impossibile, ipsum c. per g. ullo modo influere in c., nisi illius fluxus sit extra Scalam ; & si sit, erit extra naturam, nec rationalis.

Et ut data demonstratio magis confirmetur, assumatur alia conditio ex positis principiis : *principium*, *medium & finis necessariò differunt & concordant* : hæc conditio millies demonstrata est in meis Libris, & ex definitionibus principiorum, ex quibus conditio subsistit, facilè elicitur: igitur proportio octavæ & quintæ necessariò debent differre & concordare ; sed hoc est falsum, si positio est vera : nam si quinta est ût 2. ad 3., ponatur loco unisoni 2., ergò quinta erit 3., & octava erit 4. ; & sic 2. ad 4. erit in proportione geometrica, & 2. ad 3., 3. ad 4. erunt in proportione arithmetica : ergò erit differentia inter proportiones sinè concordantia ; & hoc est impossibile.

Innumeras alias demonstrationes falsitatis & impossibilitatis hujus suppositi poteris facere, si conditionibus supradictis jungas alias conditiones ex *Libro Propositionum Artis Dem.* desumptas, vel secundùm Artem formatas.

Ut autem videas evidentiam hujus veritatis, ponam tibi ob oculos calculum circulationis quintarum à c. incipientium & terminantium in c. secundùm hypothesin proportionis quintæ antiquorum & modernorum Musurgorum.

Duodecim Quintæ.			*Septem Octavæ.*	
c	0	4096.	0	4096.
g	1	6144.	1	8192.
d	2	9216.		
a	3	13824.	2	16384.
e	4	20736.		
♭	5	31104.	3	32768.
f♯	6	46656.	4	65536.
c♯	7	69984.		
g♯	8	104976.	5	131672.
d♯	9	157464.		
a♯	10	236196.	6	262144.
e♯	11	354294.		
♭♯	12	531441.	7	524288.
		524288.		

Differentia 7153 inter 5tam & 8vam.

In Tabella superiùs posita prima columna denotat claves duodecim quintarum continuè sibi succedentium: secunda columna repræsentat ipsum numerum & ordinem quintarum: tertia columna dat numeros harmonicos secundùm proportionem 2. ad 3. computatos: quarta signat septem octavas, & quinta proportiones octavarum in numeris exhibet.

Igitur in columna clavium contemplare terminum duodecimæ quintæ, qui est ♭♯.; & quia ♭♯ est adhuc medium inter ♭ & c., manifestum est, quòd duodecima quinta non se extendat usque ad octavam c.; cùm sit majus intervallũ inter ♭ & c., quàm inter ♭& ♭♯., quacunq; demũ ratione instituatur divisio, dummodò quintæ maneant in eadem proportione, & non dissonent tam inter se, quàm à tertiis majoribus.

Hoc facto adi columnam tertiam, & confer numerum ultimum duodecimæ quintæ cum numero ultimo septimæ octavæ parallelo, & videbis, dictam duodecimam quintam prætergredi limites octavæ; quod secundùm naturalem dispositionem clavium ostendimus impossibile: quòd si continuetur series quintarum eâdem proportione in infinitum, nunquam ulla illarum coincidet cum octava, quod est evidens indicium falsitatis assumptæ proportionis; *cùm omne principium per medium necessariò debeat posse refluere in suum finem:* quæ conditio superiùs posita tanquam principium universalissimum & verissimum est indestructibilis.

Disc. Oculus videt, & intellectus intelligit, & uterque affirmat, esse verum, quod dicis, Pater, sed auditus videtur totum negare; nam quando secundùm dictam proportionem Antiquorum extenduntur duæ chordæ in monochordio, vel formantur duæ fistulæ, semper sonant quintam: & hæc regula observatur ab Artificibus instrumentorum musicorum. Mag. quando potentia non regitur ab Arte, oritur experimentum fallax: unde quia tam antiquis quàm modernis Artificibus vera Ars experimentandi fuit incognita, non est mirum, quòd etiam in experimento investigandi & inveniendi principia harmonica fuerint delusi: imò mirandum est, Recentiores aliàs veterum inventis parùm propitios, in hoc examine proportionum harmonicarum tantâ religione plantas illorum pressisse, vel quasi esset temerarium de certitudine principiorum inventorum dubitare, vel quasi superfluum in rationes Antecessorum inquirere; & si hoc ita esset, mea Ars esset frustranea; quod est impossibile, cùm DEUS & Natura nihil faciant frustra.

„ Unde quicunque particulare in hac „ Arte diligit invenire, non oportet, eum „ esse rebellem, neque inertem, nec cespi„ tantem, nec timidum, *nec assistentem absque ratione necessaria dictis Philosophorum, qui, opinantes in omnibus verum dicere, in aliquibus „ erraverunt &c.:* nam quicunque in hac „ Arte peritus fuerit, & sequitur ejus princi„ pia, prout doctrina supradicta est, *sciet mediante auxilio ipsius A. Secreta Naturæ reperire „ &c.*, & per se sciet invenire libros & com„ pilare; propterea sciet inquirere, utrùm „ in antiquis scientiis error incidat, aut si „ illi, qui illas invenerunt, veram habue„ re

„ re doctrinam, vel si secundùm naturalem „ sensum eas ordinaverunt; nam hæc Ars „ dabit ei regulam & doctrinam cognoscen„ di, si ignoranter in aliquo erravere, at„ que compellet, plùs diligi scientiam eo„ rum in his, in quibus eorum intellectus „ non à veritatis semita deviarunt, Doctor Illum. in Art. Dem. Dist. 3. mod. 6. n. 4. fol. 47. Tom. 3.

Causa autem proxima hujus supradictæ deceptionis fuit hæc, quia cùm experimentum non fuerit intellectuale tantùm, sed intellectuale & sensuale simul, & sensus ratione suæ limitationis & imperfectionis non possit perfectè judicare de minimo, quod est extra terminum sensûs, nisi recurrat ad altiorem & sibi unitam potentiam intellectûs, audientes Antiqui sonum concordantiæ quintæ, & videntes in chordis mensuram longitudinum, vel in malleis mensuram ponderum, quæ erat in dicta proportione sesquialtera, & quàm proximè accedit ad veram proportionem, judicarunt, hanc esse veram rationem quintæ: sed si sub data ratione continuassent in monochordio quintarum fluxum vel ascendendo vel descendendo in circulum, post repetitionem aliquot quintarum error, qui in una quinta est insensibilis, in pluribus quintis de potentia auditûs venisset in actum, & factus esset sensibilis: hanc autem experiendi methodum ipsis subministrare potuisset Ars & Intellectus, in hoc, quia Intellectus per principia Artis intelligit, sequentem conditionem esse indeceptibilem, *quòd omnis motus naturaliter movetur ad perfectionem*; & ideo movetur de principio per medium ad finem, in quo est major perfectio, quàm in principio, quod non est finis; aliàs definitio finis esset falsa, scilicet, quòd finis sit id, in quo principium quiescit: & *quia finis, qui est ipsum principium, est major finis omnibus finibus, scilicet DEUS*, ideo omnis finis creatus, quantò magis unitur cum suo principio, & principium cum suo fine, tantò magis accedit ad similitudinem supremi Finis, & per consequens tantò major est: unde cùm totum hoc fiat in motu circulari, & non in motu recto, omnis perfectio motûs tam naturalis quàm artificialis à DEO & Natura est ordinatus in circulum.

Fili, hæc est Regula, quam sensus debet recipere ab intellectu ad perficiendum dictum experimentum sensuale, quam comitari possunt millenæ aliæ ex mea Arte petitæ, quamvis hæc sola sufficiat non ad hoc particulare solùm, sed innumera alia mediante illâ invenienda. Plura de hac materia invenies in *Capite sequenti*, & in *Secreto Musicæ & Arithmeticæ*, ubi reperies tabulam logarithmorum naturalium mirâ & jucundâ inventione in unica simplici & universali proportione exhibentem proportiones particulares omnium intervallorum harmonicorum possibilium.

Jam ut revertamur ad nostrum propositum, accedamus ad solutionem alicujus profundæ Quæstionis universalissimæ, à cujus solutione pendet inventio plurimorum Secretorum in omni Scientia: igitur quæritur: *Quomodo Trinitas est principium productionis omnis multitudinis?* principia universalia hujus quæstionis sunt *Trinitas, principium, productio, multitudo*, ût ad sensum patet: ponatur modò quæstio in literis sic: quia terminus relativus *Trinitatis* est *unitas*, & terminus relativus *unitatis* est *multitudo*, sit a. *unitas*, b. *Trinitas*, c. *multitudo*; & quia termini relativi *principii* sunt *medium* & *finis*, sit d. *principium*, e. *medium*, f. *finis*; & quia productio continetur sub angulo *operationis*, sit g. *productio*: quare vides, quòd omnes literæ rationales hujus verbi rationalis, volo dicere, hujus quæstionis, sint excerptæ ex Figura T.; sed ut memoriæ consulas, fac tabellam, ût moris est in Arte.

a	Unitas.
b	Trinitas.
c	Multitudo.
d	Principium.
e	Medium.
f	Finis.
g	Operatio seu Productio.
h	Quaternitas.

Hoc facto suppono, quòd scias meam Artem, & per consequens scias formare conditiones ex principiis Figuræ T.; nam hæ conditiones sunt *Maximæ* seu *Dignitates*, per quas fiunt demonstrationes, sicut fiunt in Mathematica: stante ergò supposito sic solves quæstionem.

1. Manifestum est, quòd a. sit d. ipsius a.; quia si non, in a. non esset g.; & si in a. non esset g., in a. non esset perfectio; quia omne, quod caret g., caret perfectione: & si in a. esset g., & non esset g. ipsius a., sequeretur, quòd a. operaretur contra suam naturam; quod si faceret, a. & perfectio essent contraria; & hoc est impossibile.

2. Quia in a. est g. ipsius a., inter a. & a. est differentia; si enim inter a. producens & a. productum non esset differentia, sequeretur, quòd in a. esset g. sui ipsius; & si a. se ipsum produceret, sequeretur, aut quòd a. ante suam productionem non esset, & sic in nihilo esset g.; quod est contradictio: aut si esset, in a. frustra esset g.: ergò inter a. & a. est differentia.

3. Si a. est perfectum, in a. est perfectum g.; & si in a. est perfectum g., a. producit perfectum a.; & si producit perfectum a., a. producens & a. productum sunt æqualia; & hoc per se patet.

4. Quia a. producens est d. ipsius a. producti, a. productum est f. ipsius a. producentis; & quia a. f. est æquale ipsi a. d. in perfectione, est idem g. in a. f., quod est in a. d.; & quia est idem g. in utroque, ergò a. d., a. f. producunt a. e.; quia si non, sequeretur, quòd g. in utroque esset frustra; & si non esset idem g. in utroque, sed distinctum, sequeretur, quòd quodlibet a. produceret distinctum e.; & si produceret, sequeretur, quòd in utroque e. esset differentia sinè concordantia tam inter se, quàm cum ipsis a. d., a. f., quia e. productum ab a. d. non concordaret cum e. producto ab a. f., nec cum a. f., & e. productum ab a. f. non concordaret cum e. producto ab a. d., nec cum a. d.; & hoc est impossibile.

5. Sicut a. d. & a. f. sunt distincta ab invicem, sic necessariò a. e. est distinctum ab utroque; quia si non, sequeretur, quòd a. e. non esset æquale ipsis a. d. & a. f. in differentia; & si non, non esset ipsis æquale in perfectione; & si non, non esset perfectum g. in a. d., a. f.; & hoc est impossibile.

6. Quia a. e. est perfectum e., inter a. d., a. f., in a. e. non est g.; quia si esset, a. e. produceret per idem g. aliquid cum ipsis a. d., a. f.: supponamus, illud esse a. h., ergò a. h. erit extra d. e. f.; quia si non, sequeretur, quòd in d. e. f. non sit a.: & si sunt plura d. vel e. vel f., ergò unum d. e. f. non est perfectum; & hoc est impossibile: & si a. h. est extra d. e. f., ergò est extra a. ipsorum d. e. f.; & sic iterum est extra perfectionem illorum: ergò patet, in a. e. non esse g.

7. Si in a. e. non est g., & non est aliquid, quod sit æquale g., in a. e. est defectus, aut g. non est perfectio; & si g. esset in a. d., a. f., & non esset perfectio, sequeretur, totam perfectionem ipsorum a. d., a. f. esse terminatam in g.; & si sic, non esset infinita; quod est impossibile: ergò in a. e. est aliquid æquale g., quod est g. passivum ipsius g. activi.

8. Quia in a. sunt d. e. f. convenientia cum perfectione, in a. est b., & in b. est a.; quia si in a. esset b., & in b. non esset a., sequeretur, quòd a. esset majus, & b. minus; & si sic, b. non esset æquale a.; & hoc est impossibile.

9. Quia in a. est b., in a. est c.; & quia in b. est a., in c. est a.; quòd si non, sequeretur, quòd b. non esset c.; & si b. non esset c., sequeretur, quòd in d. e. f., quæ sunt b., non esset differentia; & hoc est falsum, ût suprà probavimus.

10. Si a. esset in b., & b. in a., & a. non esset b., nec b. esset a., sequeretur, quòd a. b., quæ essent idem, essent majora, quàm a. b., quæ non sunt idem; & si essent, essent d. ipsorum a. b., quæ non sunt idem; quia si non, sequeretur, quòd minora a. b. non essent à majoribus a. b.; & si non, a. b. minora vel nihil essent, vel essent à se ipsis; & si essent à se ipsis, essent æqualia supremis a. b.; & hoc est impossibile & contradictio.

11. Quia a. est d. ipsius a. supremi per §. 1., a. est d. ipsius a. inferioris per §. 10.; & quia a. est d. ipsius a. inferioris, sequitur, quòd b. sit d. ipsius b. inferioris; quia si non, sequeretur, quòd a. b. in g. ad extra non essent æqualia; & si in g. ad extra non essent æqualia, non essent idem; & hoc est contra §. 10.

12. Quia in a. est g. ipsius a. per §. 2. & 11., & in b. est g. ipsius b. per §. 11., & a. est b., manifestum est, quòd a. sit d. ipsorum a. b. inferiorum, & similiter b. sit d. ipsorum a. b. inferiorum; & quia est impossibile, quòd a. b. inferiora sint æqualia ipsis a. b. supremis, sequitur, quòd a. b. inferiora non sint idem.

13. Quia a. supremum est perfectum per §. 3., & a. inferius est imperfectum, in a. inferiori est imperfectum g.; & si est, producit imperfectum a.; & si producit, a. producens & a. productum sunt inæqualia, & hoc ex dicto §. patet.

14. Quia a. inferius producens est d. ipsius a. inferioris producti, a. productum est f. ipsius a. producentis per §. 4.; & quia a. f. est inæquale ipsi a. d. per §. 13. in perfectione, non est idem g. in a. f., quod est in a. d.; & quia non est idem g. in utroque, sed propter

ter inæqualitatem ipsorum a. d., a. f. majus in uno, & minus in altero, est impossibile, quòd a. d., a. f. producant æquale a. e.

15. Sicut d. e. f. suprema sunt distincta ab invicem, ût probatum est in §. 5., quamvis sint idem in a., sic necessariò d. e. f. inferiora sunt distincta ab invicem, quia non sunt idem in a., sed tantùm unita in illo.

16. Quia a. e. supremum est perfectum e. inter a. d., a. f. per §. 6., & a. e. inferius non est perfectum e. inter a. d., a. f. inferiora, sequitur, quòd a. d., a. f. inferiora non possint habere perfectum f. sui g. in a. e. inferiori, sicut a. d., a. f. suprema in a. e. supremo; quia si possent, sequeretur, quòd a. d., a. e., a. f. inferiora in b. essent æqualia supremis; & hoc est impossibile.

17. Quia a. f. inferius non est æquale in perfectione ipsi a. d. inferiori per §. 13., & per consequens non habet æquale g. cum ipso per §. 14., & non est idem g. in a. d., a. f. inferioribus per §. 4. & 14., a. e. est constitutum ex majori & minori g.; & quia f. ipsius majoritatis & minoritatis est æqualitas, sequitur, quòd g. ipsius a. e. tendat ad f. alicujus e., in quo est æqualitas sinè majoritate & minoritate.

18. Quia major æqualitas, quæ est possibilis in inferioribus d. e. f., non est in e., ût patet ex §. 17., major æqualitas illorum non est in b.; quia si esset, in b. inferiori esset f. in e., & e. in f.; & si esset, e. non tenderet ad f.; & hoc est contra dictum §.

19. Cùm e. inferius naturaliter tendat ad f., ût §. 17. & 18. demonstrant, inter e. & f. est e.; quia si non, e. jam esset in f., vel f. in e.; & si inter e. & f. est e. conveniens cum æqualitate, ergò e. non tenderet ad f., sed quiesceret in e., quod est inter e. f.; & hoc est impossibile, cùm nullum e., quod est inter d. f. vel e. f. possit convenire cum æqualitate.

20. Per §. antecedentem est demonstratum, quòd inter d. f. sint duo e. necessariò; quia si non, inter inferius & supremum e. non esset differentia; & quia in supremo e. est suprema æqualitas per hoc, quia est in b., sequitur, quòd in inferiori e. sit inferior æqualitas per hoc, quia est in h. conveniens cum majoritate & minoritate; sed quia f. ipsius e. inferioris est e. supremum, sequitur, quòd e. inferius tamdiu tendat per e. conveniens cum majoritate & minoritate in h., donec possit quiescere in e., concordans cum æqualitate sinè majoritate & minoritate in b.

Et per hoc, Fili, ostenditur, quomodo *Trinitas sit principium productionis omnis multitudinis per medium quaternitatis*, quod erat demonstrandum; & simul hoc exemplo monstratur, quòd methodus mea demonstrandi & solvendi quæstiones sit longè facilior, certior, universalior, quàm methodus demonstrandi hactenus usitata in Mathematica. Nunc compleamus doctrinam de Proportionibus.

R. *Proportio Æqualitatis* maximè locum habet in faciendis demonstrationibus in Theologia, & propriè concordat cum proportione N., hoc est, arithmetica: sed advertendum, quòd quandoque sumatur *realiter*, quandoque *intentionaliter*; *realiter* sumitur, quando comparantur inter se Personalitates; *intentionaliter*, quando referuntur ad invicem Attributa DEI, ût sequentia exempla docent: est autem hæc proportio æqualitatis, quæ est in Divinis, Regula, per quam & secundùm quam regulantur omnes proportiones æqualitatis, majoritatis & minoritatis, quæ sunt in creaturis; quia suprema æqualitas est mensura omnis inferioris æqualitatis & inæqualitatis: & hoc est illud mirabile principium, quod in Algebra speciosa sortitum est nomen æquationis, unde ejus usus est perpetuus in mensurandis omnibus proportionibus æqualibus & inæqualibus particularibus. Sit igitur

Primò inter Personas & Personas

a	Pater.	g	Spiratio passiva.
b	Filius.	h	Innascibilitas.
c	Spiritus Sanctus.	i	Innascitivitas.
d	Generatio activa.	k	Inspirabilitas.
e	Generatio passiva.	l	Inspirativitas.
f	Spiratio activa.		

1. Sicut se habet a. ad d., sic b. ad e., & è converso.
2. Sicut se habet a. ad h., sic b. ad i., & è converso.
3. Sicut se habent a. b. ad f., sic c. ad g., & è converso.
4. Sicut se habent a. b. ad k., sic c. ad l., & è converso.
5. Sicut se habent a. b. ad k., sic a. c. ad h.
6. Sicut se habent b. c. ad i., sic b. a. ad k.

7. Si a. se haberet ad c. per f., c. b. & tunc esset
sicut se habet ad b. per d., b. c.

8. Si a. c. se haberent ad b. per d., b. c. & tunc esset
sicut a. b. se habent ad c. per f., c. b.

9. Si essent duo f., sicut a. b. sunt duo, & esset unum g., f. & g. essent æqualia, & f. f. essent duplum ipsius g.; & sic destrueretur æqualitas in f. g.
10. Si verò essent duo g., sicut essent duo f., tunc f. f. & g. g. essent duplum ipsorum d. e.; & sic destrueretur æqualitas inter d. e. f. g.: ex quo sequitur, quòd
11. Sicut d. e. sunt æqualia, sic f. g.; &
12. Sicut h. i. sunt æqualia, sic k. l.

Ex his & pluribus æquationibus possibilibus sequuntur multæ demonstrationes, qualis est ista n. 7., scilicet si Spiritus Sanctus non procederet à Filio, non distingueretur ab illo, quæ manifestè evertit rationes ab Authoribus in contrarium allatas. Item n. 8. si in Spiritu Sancto esset idem d. cum a. respectu b., Filius non esset Filius, sed Spiritus Sanctus; & si sic, tolleretur distinctio inter b. c.; quod est impossibile.

Secundò inter Personas & Dignitates sic:

a	DEUS.	i	Actus.
b	Essentia.	k	Paternitas.
c	Perfectio.	l	Filiatio.
d	Identitas.	m	Processio.
e	Distinctio.	n	commune.
f	Differentia.	o	proprium.
g	Concordantia.	p	Contradictio.
h	Æqualitas.	q	Creatura.

Intellectualiter intelligimus, quòd, si in a. non essent k. l. m., in a. non esset e.; & si k. l. m. non essent unum a., in k. l. m. non esset d.; & si sic, in a. non essent d. e.; & si in a. non essent d. e., in a. non esset c.; nam manifestum est, quòd d. sit c.; & si e. non esset c., totum e., quod est in q., nihil esset, cùm omne, quod est, sit c.; vel si esset, esset à se ipso; & hoc est impossibile. Ex dictis resultat prima propositio:

1. Nam sicut se habet a. per k. l. m. ad e., sic se habent k. l. m. per a. ad d. cùm inter a. & k. l. m. sit d., & inter e. d. sit etiam d.,

Cùm inter ipsa d. e. sit d., manifestum est, quòd inter illa non sit p.; quia si esset, unum concordaret cum c., & alterum esset contrarium c.; & si esset, non esset d. inter b. d. e.: unde cùm inter d. e. non sit p., neque inter i. d., i. e. est p; quia si esset, non esset eadem proportio inter i. d., i. e., quæ est inter d. & e.; & hoc est impossibile, cùm i. d. sit = d., & i. e. sit = e., & d. sit = e. æqualitate intentionali: est ergò propter h. ipsorum b. d. e. i.

b. d. ad i. d. ût b. d. ad i. e.
ût b. ad i., sic
b. e. ad i. e. b. e. ad i. d.
2. & invertendo & invertendo
i. d. ad b. d. ût i. e. ad b. d.
ût i. ad b., sic
i. e. ad b. e. i. d. ad b. e.

3. Si inter b. k., b. l., b. m. essent d. e., inter illa esset p.; &
4. Si inter k. l., k. m., l. m. essent d. e., inter illa esset p.; ergò
5. Si inter b. k., b. l., b. m. esset e., necessariò inter k. l., k. m., l. m. esset d.:

sed quia majus est f. inter k. l., k. m., l. m., intuentibus literas, ideo necessariò est quàm inter b. k., b. l., b. m., ût patet ad sensum

6. Sicut b. k., b. l., b. m. ad d., & per consequens ad i. d., sic k. l., k. m., l. m. ad e., & per consequens ad i. e.
7. Certum est, quòd b. se habeat ad n., ût k. l. m. ad o.; & quia inter b. & k. l. m. est d., si inter illa nullum esset f., sequeretur, quòd b. se haberet ad o., ût k. l. m. ad n.; & si

& si sic esset, esset b. ad n. o., ût k. l. m. ad n. o.; & hoc est p.: unde cùm hoc sit p., esse d. f. inter b. & k. l. m. non est p.; quia si esset, p. & suum contrarium esset unum & idem; quod est p.

Ex numero 5. 6. & 7. demonstratur fallacia illius axiomatis tam ventilati à Doctoribus Theologiæ: *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se*; miro enim modo se torquebant, ut regulam hanc formæ syllogisticæ, quam infallibilem hactenus putabant Logici in rebus creatis, sartam tectámque servarent etiam in Divinis; cùm revera (ût postea videbitur) in creatis nullo modo locum habeat, sed in Divinis tantùm, si debito modo applicetur: quod, ut clariùs exponatur, ponam octo axiomata, quorum quatuor prima sunt à *proposito*, & quatuor ultima ab *oppositio*.

1. Quæ identificantur uni tertio, identificantur inter se.
2. Quæ uniuntur uni tertio, uniuntur inter se.
3. Quæ concordant uni tertio, concordant inter se.
4. Quæ sunt æqualia uni tertio, sunt æqualia inter se.
5. Quæ distinguuntur à tertio, distinguuntur inter se.
6. Quæ disuniuntur à tertio, disuniuntur inter se.
7. Quæ contrariantur uni tertio, contrariantur inter se.
8. Quæ sunt inæqualia uni tertio, sunt inæqualia inter se.

Quæ octo axiomata, si debitè intelligantur & adhibeantur, sunt omnia vera & necessaria; si indebitè, sunt falsa & impossibilia.

Antequam comparemus singulos binarios horum axiomatũ, nota, quòd, quia fit comparatio inter tria numero, primò à comparante deberet statim considerari, an ille *numerus* comparabilium esset *purè realis*, an *purè intentionalis*, vel an *mixtus* ex utroque; & est mirum, à nemine, quòd sciam, hoc factum, ex qua inadvertentia non potuit non oriri fallacia: demus exempla.

k. l. m. est ternarius realis,
f. g. h. est ternarius intentionalis,
k. l. b., k. m. b., l. m. b., f. g. k., f. g. l. &c. est ternarius mixtus.

Si enim comparant k. l. ad b., & sic arguunt: *quæcunque identificantur uni tertio, identificantur inter se*; *sed Pater & Filius identificantur uni tertio, h. e. Essentiæ, ergò identificantur inter se*: quis jam non statim videt fallaciam hujus syllogismi? nam si b. esset tertium in numero reali ad k. l., utique b. k. l. m. facerent quaternitatem in Divinis; quod est impossibile & contra fidem: cùm igitur principium, medium & finis hujus syllogismi non sint in una scala (quod deberet esse ad valorem illius) patet illius fallacia. Faciamus quatuor alios, qui omnes quatuor erunt necessarii, sed primus & quartus necessariò falsi, quia impossibiles; secundus verò & tertius necessariò veri.

Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se,
sed k. l. sunt eadem ipsi m.,
ergò sunt eadem inter se.
Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se,
sed f. g. sunt eadem ipsi h.,
ergò sunt eadem inter se.
Quæ distinguuntur ab uno tertio, distinguuntur inter se,
sed k. l. distinguuntur ab ipso m.,
ergò distinguuntur inter se.
Quæ distinguuntur ab uno tertio, distinguuntur inter se,
sed f. g. distinguuntur ab h.,
ergò distinguuntur inter se.

Primus & tertius sunt in numero reali, secundus & quartus in numero intentionali, & consequenter in una scala: secundùm hanc formam poteris facere syllogismos ex reliquis septem axiomatibus, & omnes erunt necessarii; sed in Divinis 6. 7. & 8. erunt falsi, quia in DEO non est possibilis disunio, nec contrarietas, nec inæqualitas.

Disc. Quomodo omnes octo formæ argumentandi sint necessariæ, nondum perfectè assequor, Pater, unde da veniam, ut proferam meam ignorantiam per sequentia exempla. *Primò*: videtur mihi inimaginabile & inintelligibile, quomodo duo possint realiter identificari cum tertio (sive illud tertium sit in numero reali, sive intentionali) & non identificari inter se. *Secundò*: multa uniuntur cum tertio, nec propter hoc necessariò uniuntur inter se, ût liquet ex sequenti grosso exemplo, in tribus annulis inter se unitis, nam uterque extremorum uni-

tur cum medio, nec unus unitur alteri. *Tertiò:* multa concordant cùm tertio, nec concordant inter se, ût ignis & aqua cum aëre, & aër & terra cum igne; & tamen ignis & aqua, aër & terra contrariantur: & quod dubito de tribus, magis negandum puto de illorum oppositis, distinctione, disunione & contrarietate.

Mag. Ad primum respondeo, quòd utique sit tibi inimaginabile & inintelligibile, dari posse talem identitatem cum reali distinctione, si tuus intellectus rationibus finitis in suo discursu nititur, est tamen intelligibile per punctum transcendens, scilicet si uteris rationibus divinis, quales sunt *Identitas* & *Distinctio*, quæ in DEO necessariò simul stare debent, & sibi mutuò non opponuntur, si sumantur secundùm datas proportiones: in creatura verò nulla est possibilis identitas realis, sed unio tantùm, licèt sit possibilis nominalis; nam identitas realis nihil aliud est, quàm infinita unio, & infinita unio realis identitas; in creatura autem implicat esse infinitam unionem: quapropter vides, illud axioma primum ad formandos syllogismos reales in creatis non valere: reliquas duas objectiones tibi solvet *Figura X.*, ejusque *tertia & quarta species*, quam consule.

Multas alias proportiones possem abstrahere à literis supradictis, quas uti & antedictas tibi in copia subministrabit *Liber tertius Mirandarum Demonstrationum*, ex quo has in literas redegi, *ut addiscas modum reducendi demonstrationes in proportiones, tanquam in sua principia, & principia in suas literas*, ne nimis terrearis, si *Librum quintum Contemplationis* plenum talibus demonstrationibus algebraicis, h. e. literariis, ingrederis.

Tertiò inter Dignitates & Dignitates: sit igitur

a	Bonitas.	g	Libertas.
b	Veritas.	h	Necessitas.
c	Voluntas.	i	Potestas.
d	Sapientia.	k	Misericordia.
e	Justitia.	l	Actus.
f	Perfectio.		

Quia omnes hæ Dignitates DEI sunt infinitæ, & sunt una eadem Essentia in DEO, & hoc idem verificatur de actibus earum, manifestum est, quòd omnes inter se & actibus suis sunt æquales (loquor hìc de æqualitate, differentia, concordantia & similibus intentionali, non reali; quia æqualitas realis non potest esse, nisi inter realiter distincta) unde in omni comparatione illarum adhibenda est proportio æqualitatis, sic:

1. Sicut se habet a. ad c., sic b. ad d., & è converso: &
2. Sicut se habet a. ad b., sic c. ad d., & è converso.
3. Sicut se habet d. ad f., sic e. ad f., & è converso.
4. Sicut se habet h. ad c. d., sic g. ad c. d., & è converso.
5. Sicut se habet e. ad k. in i., sic k. ad e. in i.
6. Sicut se habet g. ad h., sic g. l. ad h. l., vel transpositè:
7. Sicut se habet g. ad h. l., sic h. ad g. l.
8. Sicut se habent g. h. in i. ipsius c., sic in c. ipsius i.
9. Sicut se habet c. ad d., sic d. ad i.
10. Sicut se habet f. ad l. f., sic l. f. ad e.
11. Sicut se habet l. c. ad l. d., sic l. d. ad c. d.
12. Sicut se habet l. a. ad l. b., sic l. b. ad l. c.

Ex his & aliis proportionibus æqualitatis educuntur millenæ ac millenæ demonstrationes, tam in Theologia, quàm Philosophia & omni alia Scientia, quarum exempla dare esset nimis prolixum: *vide n. 9.* qui est ipsum axioma primum supradictum.

S. *Proportio Majoritatis & Minoritatis* sunt simul tradendæ, nam hæc est propria creaturæ, & per hanc distinguitur à præcedenti; quia sicut est necessarium, quòd in DEO sit æqualitas, sic est necessarium, quòd in creatura sit majoritas vel minoritas: & sicut est impossibile, quòd in DEO sit æqualitas cum majoritate & minoritate, sic est impossibile, quòd in creatura sit æqualitas sinè majoritate & minoritate, & majoritas sinè minoritate: habet tamen hæc proportio quandoque locum in formandis demonstrationibus theologicis, comparando DEUM ad creaturam, in quam comparationem & relationem cadit proportio majoritatis & minoritatis realis & intentionalis ex parte DEI & creaturæ, ût in meis Libris regulæ & exempla te docent.

Proportio Majoritatis & minoritatis est duplex, *Arithmetica* & *Geometrica*; *Arithmetica*, in qua termini majores sunt æquales arithmeticè, & termini minores etiam; *Geometrica* est iterum duplex, nam aut majores sunt æquales geometricè, & minores etiam, ût in Arithmetica, aut omnes sunt inæquales. Arithmetica proportio propriè convenit circumferentiæ circuli, comparando ejus partes ad invicem; geometrica verò radio seu semidiametro, cujus partium proportiones investigat: utraque harum proportionum vel est continua, vel discreta; continua est, quando quilibet terminus est ad alterum ordine sequentem in eadem ratione, quâ primus ad secundum; discreta, in qua hæc ratio interrumpitur: sed quia Ars mea Generalis omnibus est scripta, & pauci sunt, qui geometricis principiis sunt imbuti, ideo aliqua exempla me dare convenit, quæ ab omnibus possint intelligi, & quæ possunt cadere sub sensum & experimentum, ut videas differentiam inter *Geometriam realem naturalem universalem*, & inter *Geometriam intentionalem artificialem particularem.*

Fili, tu scis ex Libris meæ Philosophiæ, quòd tota Natura creata corporea constat ex quatuor elementis; nam ex illis tanquam primis principiis omnia principiata componuntur, & in illa iterùm resolvuntur: „& „quia colligatio vel mixtio elementorum „fit in diversis proportionibus secundùm „proprietatem cujuslibet elementi per ta„lem modum, quòd, licèt quodlibet ele„mentorum sit ingressum per elementativi„tatem in quodlibet elementatum, semper in „actione unum elementum est magis forte, „quàm aliud, in suo mixto &c.: *& istas colligationes factas in diversis proportionibus nos „vocamus numeros*, quia per illos elementa „stant ligata in elementatis, Doctor Illum. in *Lib. Pati. cap. 7.*, ideo has proportiones redegi in numeros literis quatuor elementorum adjunctos, quos invenies in *Lib. Princ. & Grad. Medic.*, in *Lib. Comp. Art. Demon. Dist. 1. p. 2. fol. 58. de Fig. Elem.*, in *Lib. de Quint. Ess.*, in *Lib. Art. Intell. in Fig. Elem.* seu Tractatu speciali de quatuor Elementis, in *Lib. de Levit. & Pond. Elem.*, & pluribus aliis meis Libris; quas proportiones scire & mensurare posse ipso experimento, est longè major utilitas, quàm scire quasvis proportiones Geometriæ vulgaris.

T. U. Et quia proportiones elementorum sunt speculum sensuale, in quo sensus hominis præbent intellectui objectum appropriatum, per quod exaltetur ad intelligendum suum objectum proprium intellectuale, & in ipsis quatuor elementis tanquam in uno principio naturali universali maximè quoque relucent reliqua duo genera Proportionum, scilicet *Proportio Concordantiæ* & *Proportio Contrarietatis*, ideo de proportionibus elementorum exempla subjiciam secundùm majoritatem, minoritatem, æqualitatem, concordantiam & contrarietatem illorum in essentiis & operationibus suis tam substantialibus quàm accidentalibus illorum, hoc est, in substantia, magnitudine, qualitate, quantitate, calore, frigore, humiditate, siccitate, levitate, ponderositate, colore, sapore, odore, actione, passione, intensione, remissione, simplicitate, compositione, materiâ, formâ, alteratione, generatione, corruptione, nutritione, augmentatione, regeneratione, transmutatione, virtute, actu, potentiâ & similibus, quæ omnia cadunt sub dictas proportiones, & sunt mensurabilia per suas proprias & naturales mensuras, à quibus postea intellectus humanus sumit similes proportiones in altiori objecto, ût in virtutibus & vitiis, dignitatibus creatis & increatis &c.; in hunc namque finem tota natura creata sensibilis à DEO posita est ob oculos creaturæ rationalis, ût illi esset scala, in qua quælibet creatura & pars creaturæ formaret unum gradum, per quem posset ascendere ad ipsum supremum Objectum, quod est ipse DEUS.

Accipe igitur, Fili, *Clavem totius Naturæ & Artis duabus Tabulis* comprehensam, quarum *prima* continet Theoricam, *secunda* Practicam; quâ secundâ hìc prætermissâ, & loco magis congruo reservatâ ad demonstrationes theoricas primæ Tabulæ te disponere cupio, antequam te introducam ad tentandas demonstrationes practicas experimentorum physicorum in secunda Tabula revelatorum.

CLAVIS
NATURÆ ET ARTIS.
Prima Tabula Theoricæ.

Materiæ Universales Sensibiles.		*Proprietates Universales & Particulares Sensibiles.*				*Operationes Universales.*	
a	Chäos primum.		a	calidum.	a fluidum.	a	Actio.
b	Forma universal.		b	humidum.	b solidum.	b	Passio.
c	Materia prima.		c	frigidum.	c ductile.	c	Mixtio.
d	Unio.		d	siccum.	d friabile.	d	Attractio.
e	Quinta Essentia.		e	lucidum.	e asperum.	e	Retentio.
f	Ignis.		f	diaphanum.	f lene.	f	Expulsio.
g	Aër.		g	opacum.	g combustibile.	g	Digestio.
h	Aqua.		h	album.	h incombustibile.	h	Rarefactio.
i	Terra.		i	nigrum.	i macrum.	i	Condensatio.
k	Spiritus.		k	leve.	Tactus k pingue.	k	Intensio.
l	Anima.		l	ponderosum.	l volatile.	l	Remissio.
m	Corpus.	Odor	m	fragrans.	m fixum.	m	Extensio.
n	Chäos secundú		n	fœditum.	n viscosum.	n	Alteratio.
o	Forma particul.		o	rubeum.	o unctuosum.	o	Generatio.
p	Materia secun.	Color	p	flavum.	p rarum.	p	Corruptio.
q	Unio.		q	viride.	q densum.	q	Nutritio.
r	Quinta Essentia.		r	cæruleum.	r grossum.	r	Augmentatio.
s	Ignis.		s	salsum.	s subtile.	s	Diminutio.
t	Aër.		t	acidum.	t madefaciens.	t	Multiplicatio.
u	Aqua.	Sapor.	u	dulce.	u non madefaciens.	u	Regeneratio.
w	Terra.		w	amarum.	Sonus w acutum.	w	Transmutatio.
x	Vegetabile.		x	acutum.	x grave.	x	Compositio.
y	Animale.		y	ardens.	y quantitas	y	Simplificatio.
z	Minerale.		z	acetosum.	z virtus.	z	Dissolutio.

Hæc Tabula quatuor suis columnis comprehendit, quidquid in Libris antiquorum Sapientum dispersum & omni studio occultatum fuit: unde quod lectione tot voluminum ex illorum ænigmatibus, metaphoris, parabolis & centenis aliis modis abscondendi scientiam tibi esset investigandum, facillimè per hanc tabulam invenies, si primò sciveris ponere terminos hujus tabulæ in sequentem tabulam proportionum; nam habitis proportionibus terminorum trium, quatuor, quinque, sex vel plurium, facillimè ex his proportionibus formantur demonstrationes theoricæ universales, ex quibus postea patet descensus ad demonstrationes practicas particulares, quas tibi secunda Tabula Practicæ suppeditabit.

Disc. Expone, quæso, Pater, usum hujus tabulæ. Mag. priusquam id aggrediar, notabis sequentia: primò literas alphabeti terminis præfixas non illis ideo additas, quasi in electione terminorum etiam literæ deberent sumi; sed quando aliqua principia ex hac tabula assumuntur, substituantur cuilibet illorum literæ ex Tabula Proportionum loco literarum priùs adjunctarum: v.g. si capiantur hi quatuor: *forma universalis, materia prima, forma particularis, materia secunda*, loco b. c. o. p. ponantur a. b. c. d. ex Tabula Proportionum, ut termini possint

sint ingredi comparationes dictarum proportionum.

Disc. Ad quid ergò serviunt literæ alphabeti his principiis à te præpositæ? Mag. Fili, usus harum literarum ad alium locum pertinet, scilicet ad Secretum meæ Grammaticæ; nam sanctè tibi dico, Fili, quòd tam magnum Secretum in illo sit inclusum, quo majus mens humana vix potest concipere. Disc. Sapientia absconsa & thesaurus invisus, quæ utilitas in utrisque? *Eccl. 20. v. 32.*: unde cùm jam sit tempus & locus revelationis Secretorum tuæ Artis, oro, Pater, revela etiam hoc magnum Secretum. Mag. faciam, sed paucis; nam angustia temporum & paradoxa quorundam omnisciorum & culices zoilorum plura prohibent; igitur acue mentem, & ausculta: in hac tabula clausi duo manifesta, & unum occultum; *duo manifesta* sunt *genus* & *species*, & *unum occultum* est alia species; sed in usu tabulæ fit oppositum; nam duo manifesta de actu mutantur in potentiam, h. e. in occulta, & unum occultum de potentia mutatur in actum, h. e. in manifestum: sed ut clariùs rem percipias, hæc tabula per medium generis monstrat transmutationem unius speciei in aliam, unius linguæ in aliam, unius scientiæ in aliam, unius formæ in aliam, unius concreti in aliud, unius essentiæ in aliam, uno verbo, cujuslibet entis sive realis sive intentionalis, quod subjicitur mutationi, in aliud ens. Item latet in hac tabula alterum mirabile Secretum uniendi formam cum forma, materiam cum materia, essentiam cum essentia, virtutem cum virtute, taliter, ut quotcunque numero transire possint in unum concretum physicum; quod, quanti momenti sit in Medicina & alia scientia occulta, non difficulter agnosces. Item aliud Secretũ valde sublime, quomodo formæ specificæ priventur habitu specifico, conservato habitu generali, & vel sub hoc habitu generali applicentur ad actionẽ, vel induantur alio habitu specifico in alio concreto specifico: hoc è converso intellige etiã de forma generali physica. Itẽ aliud Secretum etiam Viris pantosophis impossibile exaltandi & graduandi quamcunq; virtutem naturalem sive substantialem sive accidentalem ad quemcunq; gradum desideratum, h. e. dato quocunque gradu intensionis illum adhuc augere in infinitum. Fili, hoc est unum ex terribilibus Secretis, quæ DEUS posuit in natura, quo revelare voluit intellectui humano infinitatem & immensitatem suæ potentiæ; ex hoc autem Secreto per se infertur alterum Secretum multiplicandi gradus extensionis pariter in infinitum; nam æqualitas magnitudinis & virtutis illud manifestè demonstrat.

Disc. O mi Pater! quanto cachinno nos exciperet, si superviveret, quidam misochymicus, imò quantúm stomacharetur, si similes propositiones audiret, qui lectitans in Libris Chimicorum thrasonica (ût putabat) promissa de immensa potentia Lapidis Philosophorum præ indignatione lapidibus impetivit omnes Hermetis Alumnos, ût Semei David & exercitum ejus. Mag. mea Ars & Philosophia mihi tribuunt arma, quibus non poterunt resistere omnes Adversarii mei: non igitur mirum, si ridiculum videtur meum assertum iis, qui in dictis Scientiis & Artibus nondum Magistri titulum assecuti sunt; nam sicut inauditum imò ridiculum videtur ignaris Artis combinatoriæ, si legerint, ex viginti quatuor literis alphabeti tot milliones verborum posse prolici, quot Ars combinatoria calculo suo exprimit, sic ignaris meæ Philosophiæ phantasticum aut delirium sonat, naturæ vires in milliones graduum exaltare præsumere, cùm tamen hoc ultimum natura nobis longè clarioribus exemplis & experimentis persuadeat, quàm Ars primum; ast de hoc alibi jam dictum est, & infrà *Capite ultimo* agetur demonstrativè.

Item Fili, enumera singulos binarios principiorum in hac tabula relativè oppositorum; nam tot habebis binarios simplices novorum Secretorum, quale audivisti de binario simplici *intensionis* & *extensionis*: quid igitur censes de combinatione reali & intentionali omnium binariorum? jam tabulam ipsam perlustra, & proportiones principiorum secundùm data superiùs exempla ipsemet extrahe.

Tabula Proportionalium in Proportione Æqualitatis.

			Rectæ. c.		Inversæ. f.	
Ordinatæ.	recta recta	1	a b c d	13	d c b a	inv. inv.
	recta inv.	2	a b d c	14	c d b a	recta inv.
	inv. recta	3	b a c d	15	d c a b	inv. recta
	inv. inv.	4	b a d c	16	c d a b	recta recta.
Alternæ.	recta recta	5	a c b d	17	d b c a	inv. inv.
	recta inv.	6	a c d b	18	b d c a	recta inv.
	inv. recta	7	c a b d	19	d b a c	inv. recta.
	inv. inv.	8	c a d b	20	b d a c	recta recta.
Transpositæ.	recta recta	9	a d b c	21	c b d a	inv. inv.
	recta inv.	10	a d c b	22	b c d a	recta inv.
	inv. recta	11	d a b c	23	c b a d	inv. recta.
	inv. inv.	12	d a c b	24	b c a d	recta recta.

In hac Tabula vides, quid sint reliquæ quatuor proportiones, scilicet recta, inversa, ordinata, alterna & transposita, quæ reliquis omnibus proportionibus serviunt.

Tabula Proportionalium in Proportione Majoritatis & Minoritatis.

Ordinatæ.	a b c d b a d c	d c b a c d a b
Alternæ.	a c b d c a d b	d b c a b d a c

De Secreto Astronomiæ.
De Motu & Influentia.

MAg. *Astronomia est Scientia demonstrativa, per quam cognoscit homo, quomodo corpora cœlestia dominentur & operentur super corpora terrena, ad ostendendum, quòd virtus, quam habent corpora cœlestia, est à DEO, qui est super omnes cœlos & super omnem aliam creaturam*, Doctor Illum. in Lib. Doct. Puer. „ cap. de Astron.: unde cùm sint plures „ homines, qui desiderant scire veritatem „ naturarum & secretorum corporũ cœlesti- „ um per Artem Astronomiæ, & ipsa sit val- „ de difficilis ad ostendendum, & judicia, „ quæ per ipsam sunt facta, quampluries „ per experientiam reperta sunt falsa, ideo „ ego Raymundus cum Arte Generali ad o- „ mnes Scientias propono investigare & de- „ clarare in hoc Tractatu Naturas & Secre- „ ta Corporum cœlestium &c.: *volo etiam investigare & invenire modos novos, per quos homo poterit habere cognitionem de pluribus Secretis naturalibus, per quæ possit haberi magna cognitio Astronomiæ suorum judiciorum*, Doctor Illum. in Prol. Lib. de Astron.

Disc. Magister, tu in tot libris & toties nobis loqueris de Revelatione Secretorum naturalium, præsertim in hoc Libro de Astronomia, ex quo allegasti hunc textum, ubi non semel, sed sæpiùs repetis similia verba, & nemo tamen vult quidquam scire de hac revelatione: imò quando nos tui Discipuli putamus aliquid reperisse horum Secretorum, dicunt, nos tantùm fingere & videre, quod nusquam est: unde oro te, palam loquere, & ostende, quænam sint hæc Secreta, ut tui Discipuli audiant & videant opera tua, & ea possint meliùs defendere. Mag. Fili, suppono, esse differentiam inter Philosophum & rusticum, unde si mei libri essent scripti in usum rusticorum, fateor, quòd essent valde obscuri, quia rustici illos non intelligerent; sed quia hoc, quod est obscurum rustico, potest esse clarum Philosopho, ideo Philosophus scripsi Philosophis & Filiis meæ Philosophiæ, & quidem tantâ claritate, quòd clariùs non potuissẽ, nisi Secreta Philosophiæ voluissem Philosophis & rusticis esse communia: sed quia multi obiter inspiciunt meos libros, nec dispositione prærequisitâ, nec debitâ observatione illos legunt, non est mirum, quòd ne sensum literalem quidem (ne dicam sensum metaphoricum) penetrent, qui

qui ambo in meis libris perpetuò pari passu ambulant, sub habitu sensuali tanquam pallio Philosophiæ occultando intellectualem, more Antiquorum, prout me ipsum hoc fecisse animadvertes in præsenti Secreto Astronomiæ, in qua ad literam ago de Astronomia sensuali, sed per metaphoram de Astronomia intellectuali; & ne hoc lateret meos Discipulos, néve possent conqueri de occultatione hujus mysterii, ad literam hoc illis insinuavi, quamvìs non in *Tractatu Astronomiæ*, sed *Geometriæ novæ*, ût infrà audies; quâ ratione scribendi potuissent simul percipere modum studendi meos libros, secundùm quòd in multis meorum librorum illis normam præscripsi, præsertim in *Introductoria* Capite 40.: non enim convenit, uno loco omnia clarè tradere, sed sparsim per libros & capita librorum, ut, quod in uno est diminutum, in altero inveniatur completum; imò ipsa necessitas rei sic agere me compulit: hæc enim est vera methodus scribendi Sapientum, nam evitantes nimiam amplitudinem vastorum voluminum mirâ quâdam Arte combinatoriâ paucis cognitâ totum corpus suæ doctrinæ discerpentes in plurimas partes inter se iterum combinabiles tali ordine locarunt in libris, ut à perito hujus Artis combinatoriæ Discipulo omnes essent statim paratæ ad dandam intelligentiam uniuscujuslibet quæsitæ: quod utique causasset ingentia volumina, si textui unius partis debuisset adjungi actualiter expositio omnium aliarum.

Disc. Jam non me tenet admiratio, Pater, tuos libros triplici generi hominum fuisse offendiculo, scilicet Discipulis, Interpretibus & Censoribus (de privatis Doctoribus loquor) hi enim ferè omnes deviarunt à methodo hac studendi vel intelligendi tuos libros; nam aut tuæ Artis nullam habebant notitiam, aut textum non conferebant textui, paragraphum paragrapho, caput capiti, librum libro, sed arreptâ tumultuariè aliquâ parte vel libro unico, si inciderant in sensum apparenter suæ præconceptæ opinioni contrarium, præcoci & præcipiti censurâ damnarunt; cujus manifestum habemus experimentum in sex Censoribus tuorum librorum, quos opponunt multò pluribus in Sententiâ definitiva enumeratis, qui omnes collatis consiliis præfatos Libros examinarunt, & pronunciarunt sinè omni labe aut maculâ hæreseos, cùm è contra hi allegent apertè falsa, malè intellecta, malè citata, & quilibet vel solùm unum librum viderit, fateanturque, libros ipsis fuisse obscuros, & per consequens ab ipsis non intellectos.

Nomina horum Censorum sunt
- D. Michaël Neapolitanus, Ordinis S. Benedicti.
- P. Magister Lemos, Ordinis Prædicatorum.
- P. Magister Gregorius Nunnez, Ordinis S. Augustini.
- P. Benedictus Justinianus, S. J.
- P. Magister Bonaventura Nolanus, Conventualis.
- P. Joannes Camerotta, S. J.

Articuli ab ipsis censurati sunt tredecim, sed nullus eorum continetur in ipsis libris eâ formâ, quâ referuntur, ût Memoriale Collationis, novem Doctores in Sententia Definitiva citati, & ipsi tui Libri probant.

Omnes dicti erronei Articuli tibi, beate Magister, per manifestam & evidenter demonstrabilem calumniam sunt afficti, ût hic primus & sequentes Tomi clarè docebunt: unde patet, præfatos Censores aut summâ incuriâ, aut animo quâcunque ratione præoccupato libros hos percurrisse, nec debitum modum examinandi observasse, nec loca errorum (quod facere debuissent) annotasse, imitantes in hoc Eimericum, ne dolus citiùs observaretur; imò, quòd non sinè gravi argumento suspicor, totam hanc Censuram per fraudem intrusam, & huic libro, à quo transumptum obtinui, insertam, ob errores non typographicos, sed grammaticos, personas & rem ipsam concernentes in illa commissos.

Quamvìs autem hæc longa parenthesis directè nil faciat ad Astronomiam, facit tamen indirectè, quia ex eodem errore & ignorantia studii tuorum librorum in materia theologica profluxit (si non ex perverso animo) & simul obviat malignæ influentiæ, quam in posterorum memoria posset producere horum tredecim Articulorum fallax oppositio: præterea monstrat, quàm sub obliquo siderum aspectu tui Censores hoc examen sint aggressi, cùm nec Artem tuam possederint, nec textus textibus, capita capitibus, ne dicam, libros libris compararint; quod maximè apparet in Libro Quæst. super quatuor Libros Sententiarum,

rum, ubi ferè nulla ventilatur Quæstio, quæ ad suî perfectam intelligentiam non exigat notitiam aliarum quæstionum in illa quæstione citatarum. Præterea est inconveniens velle cum his Censoribus deposcere Authoritates, ubi Demonstrationes petuntur: & certè in re tanti momenti, ubi agebatur de honore Doctoris Catholici, qui pro defendenda Fide S.Catholica Sanguinem fuderat, qui tantâ humilitate omnia sua Scripta Judicio & Correctioni S.Ecclesiæ subjecerat, erat conveniens observare modum securissimum ad dignoscendam mentem & genuinum sensum Scriptoris, priusquam quidquam fuisset decisum, quo honor & fama ipsius tam graviter lædi, & semel læsus vix unquam restitui posset; quod sinè suprà data regula est impossibile.

Mag. Revertamur ad nostram Astronomiam. Disc. de Astronomia sensuali & intellectuali suprà fuit sermo, dic igitur, Pater, quam vocas Astronomiam sensualem, & quam intellectualem? Mag. sensualem voco, quæ sensu percipitur, intellectualem, quæ intellectu concipitur: prima agit de Astris sensualibus, secunda de Astris intellectualibus: ut clariùs dicam, prima agit de Astronomia omnibus nota, secunda de Astronomia nota solis Philosophis; Philosophi enim Astrum nominant omnem virtutem seu formam seu quintam Essentiam occultam in corpore naturali, sive sit in corpore cœlesti, sive in corpore sublunari: aliquando etiam ipsum corpus naturale vocant Astrum, sumendo continens pro contento; sic in Libro Quintæ Essentiæ vegetabilia, animalia, mineralia vocavi Astra: sed hæc corpora tunc maximè hoc nomen sibi sortiuntur, quando per Naturam & Artem sunt regenerata, & more Astrorum habent magnam vim influendi in alia corpora.

Disc. Quænam causa movit Philosophos ad talem denominationem? Mag. concordantia cœli superioris & inferioris; cùm enim antiqui Sapientes viderent, hanc mundanam machinam subsistere non posse, nisi per unionem & continuitatem unius formæ universalis, quæ una & eadem omnes partes immensæ hujus molis pervaderet, omnemque partem cum altera concordaret, & insuper cernerent, & experimento sentirent influentias corporum superiorum in inferiora, & motum illorum secundùm proportionem motûs horum, & numerum, ordinem ac dispositionem amborum similem, conati sunt investigare essentiam, naturam, proprietates & influentias Astrorum & Planetarum in Cœlo inferiori, ut, quia ipsis non patebat aditus in hac mortali vita ad Cœlum superius, per concordantiam & necessariam connexionem unius venarentur Secreta alterius; inde traxit originem dictum illud termaximi Hermetis: *quod est inferiùs, est sicut id, quod est superiùs:* quid enim, Fili, Astronomus certò & infallibiliter posset statuere de substantia & natura corporis cœlestis, de origine lucis, quomodo intendatur, remittatur, quomodo differat à calore, ab igne, à flamma: utrùm lux possit esse sinè motu vel alteratione, quomodo agat ad intrà & ad extrà: quomodo una lux differat ab altera: utrùm detur præter lucem alia virtus in corpore cœlesti luci æqualis, quæ immiscens radios suos occultos radiis lucis, simul influat in inferiora corpora: quæ sit forma movens astra in circulum, & centena alia, nisi nos hæc omnia doceret Astronomia inferior sensualiter & intellectualiter? nonnè vides, ipsam naturam nos provocare ad investigationem horum Secretorum, porrigendo nobis & exponendo oculis nostris Astra inferiora? nam quid aliud est magnes, quàm astrum inferius, cujus radii invisibiliter influunt in ferrum? nonnè in cincindula seu noctiluca videmus lucem lucentem, & non ardentem? quis autem Philosophorum in hunc usque diem causas harum rerum minimarum, quæ sunt nobis obviæ, certò & infallibiliter attigit, ita, ut experimento posset verificare suam theoriam?

Disc. Rem impossibilem exigere te dicet sententia omnium Philosophorum. Mag. *Si terrena dixi vobis, & non creditis, quomodo, si dixero vobis cœlestia, credetis?* Joan. 3. v. 12.; sed quid multis contendimus, Fili? confer *Librum Principiorum meæ Philosophiæ*, & *Librum Principiorum Medicinæ* cum *Libro Astronomiæ*, *Libro de Regionibus Sanitatis*, *Libro de Levitate & Ponderositate Elementorum*, *Arte Compendiosa Medicinæ*, *Libro utriusque Geometriæ*, *Tabulis*, quæ habentur in *fine tertiæ partis Testamenti* non impressi, sed MSti., & *Tabulis*, quæ habentur in *Dist. 3. Libri Quintæ Essentiæ Fig. S.*, & hæc non unâ, sed multipliciter reiteratâ lectione memoriæ tuæ consigna, ut intellectus collectas in illa species, in libris antea dispersas, inter se

se combinare, & unam per alteram intelligere valeat; tunc enim poteris judicium ferre, an possibilia, an impossibilia sint mea asserta; quod si neglexeris, non meæ Scientiæ, sed tuæ inertiæ imputa.

Ut minuam pondus vestris humeris, præibo vos, ex dictis meis voluminibus coadunando Secreta Philosophiæ vel literas totius hujus nobilissimæ Scientiæ, per quæ formabo iterum *primum Circulum*: deinde ostendam primas Combinationes harum literarum vel syllabas, quæ dabunt *secundum Circulum*; denique sequetur Modus producendi verba, quo absolvetur *tertius Circulus*.

De Secreto Primi Circuli.

QUia antiqui Astronomi non cognoverunt Animam Cœli, quæ est Po-„tentia motiva, secundùm quòd probavi-„mus in *secunda Parte primæ Partis Astrono-„miæ*, & ipsa est potentia & forma moti-„va, quæ causat & informat motus infe-„riores, quæ sunt causæ naturales, & igno-„ratâ illâ summâ Animâ motivâ sui effectus „ignorantur, per quam ignorantiâ Scientia „Astronomiæ multùm est damnificata & „ignorata, quoniam qui causam ignorat, „non potest scire veritatem effectûs, Doctor Illum. in p. 1. 4. part. Astronom., ideo de ipsa tanquam primo & universalissimo principio totius Astronomiæ primò est agendum, ut sciatis, quòd & quid sit Anima Cœli, & quodnam sit ejus officium: probavi autem ibidem per decem Rationes, quòd Cœlum habeat Animam, & quòd Anima Cœli non sit vegetativa, nec sensitiva, nec rationalis; sed *quòd Anima Cœli sit illa Essentia, quæ magis generalis est ad finem, propter quem naturaliter est &c.*: „unde cùm „plus faciat de utilitate in inferioribus cum „suo motu, quàm cum aliqua alia suarû par-„tium, propter hoc convenit, quòd sua Es-„sentia motiva sit sua Anima, quæ ipsum „movet & informat & perficit ad finem, „propter quem ipsum Cœlum est, quod ita „se movet per se ad suum finem cum sua „forma motiva, sicut facit arbor cum sua „vegetativa ad vegetandum, Doctor Illum. ibid. p. 2. cap. *Quòd Motus.* „Et quoniam „Cœlum in se non habet locum, ad quem „se moveat, sed se movet intensè, continuè „& circulariter, convenit, quòd illud, quod „dat naturam hujus motûs, sit forma mo-„tiva, quæ habeat suum finem in suo mo-„tu naturali: quoniam sicut ignis habet „suum appetitum ad movendum se supe-„riùs, & sicut terra, quæ appetit inferius, „videlicet suum centrum, ita Cœlum ha-„bet appetitum ad motum circularem, & „sua quies est movere se ipsum absque u-„bi & centro: quapropter convenit, quòd „sua Anima sit forma motiva, quæ se mo-„veat per se ipsam & in se ipsa circulari-„ter absque successione, instanti & motu „de uno loco ad alium intra suum subje-„ctum, quod est corpus cœli, quod circu-„lariter se movet, ibid.

Ex quo infertur, quòd hypothesis quorundam vestrorum Geometrarum, præsertim Js. Newtonii de Vi centripeta & Impulsu Astrorum, quibus conantur demonstrare motum illorum, sit contra naturam, & violenta; *nam nullum corpus habens motum rectum* (vel inclinationem ad illum, qualem haberent Astra, si haberent vim centripetam, vel si essent actualiter gravia, vel si attraherentur à centro) *quiescit in movendo se*, ût patet in exemplo lapidis, qui caderet per terram perforatam in centrum, quia tandem in illo quiesceret: unde si DEUS posuisset Astra in tali statu, ût fingunt hi Geometræ, perpetuò moverentur contra suam naturam, & semper essent in statu violento; & quia contra naturam & violentum conveniunt cum defectu, naturale verò cum perfectione, Author naturæ, qui est summa perfectio, fuisset contrarius perfectioni sui operis, & hoc est impossibile.

„Probavimus, quòd Cœlum est ani-„matum Animâ motivâ circulari, & ratio, „quare probavimus, est, *ut habitâ cognitione, quòd Cœlum est animatum Animâ motivâ, Astronomi cognoscant in suis judiciis causas, quæ in inferioribus sunt causatæ per Animam motivam Cœli, quæ illis dat earum instinctum & appetitum motûs circularis*, NB. *sicut generationem & corruptionem* per multiplicationem „successivi motûs, instantium, horarum, „dierum & annorum, ibid.

Hoc Cœlum superiùs in *Arbore Scientiæ Arb. cæl.* vocavi truncum Arboris cœlestialis, *qui truncus est compositus & confusus de suis radicibus, & ita est animatus Animâ motivâ, sicut truncus Arboris elementalis elementativâ*: idem Cœlum superius ibidem dixi esse Quintam Essentiam *cap. de foliis Arb. cæleſt.*, & ostendi, „quomodo respon-„deant quantitates discretæ Quintæ Essen-„tiæ & quatuor substantiarum, quæ ita re-

„ cipiunt influentiam ex quantitate conti-
„ nua superiori, sicut quantitas ossium di-
„ giti ex quantitate carnis ; & sicut quan-
„ titas carnis nihil ponit positivum, quod
„ sit de sua essentia, sed tantummodò de
„ sua natura in quantitate discreta ossium,
„ ita quantitas Quintæ Essentiæ non ponit
„ aliquid de se in quantitatibus inferiori-
„ bus, in quantum sua essentia, sed in quan-
„ tum sua natura, cum qua participat se-
„ cundùm continuitatem cum quantitati-
„ bus inferioribus, ibid.: per hoc autem pa-
tet, *quòd ita truncus cœlestialis & truncus ele-
mentalis se respiciunt secundùm continuam quan-
titatem & discretam, quamvis superior truncus
non intret in inferiorem; nec truncus inferior in-
trat in superiorem*, NB. *in quantum habent di-
scretam quantitatẽ, sed influentia superior venit
inferiùs* NB. *ratione continuæ quantitatis gene-
ralis, in qua sunt ambo trunci &c.*, Doctor
Illum. in ead. Arb. cœl. cap. de trunco.
Hunc modum influendi, quem habet Cœ-
lum superius in inferius, adhuc clariùs ex-
plicavi per sequens exemplum : „ sigillum,
„ quod imprimit similitudines suarum lite-
„ rarum in cera, imprimit in cera similitu-
„ dines, quæ non sunt de essentia sigilli,
„ quoniam sigillum non ponit aliquid de
„ sua essentia in cera, quia literæ, quæ in ip-
„ so sunt, sunt de sua essentia, quæ ab ipso
„ non recedunt : simili modo Signa & Pla-
„ netæ non transmittunt de suis essentiis,
„ proprietatibus & naturis (specialibus) a-
„ liquid substantiale vel accidentale ad cor-
„ pora inferiora, sed imprimunt in ipsis su-
„ as similitudines, quæ sunt influentiæ, quas
„ ad inferiora transmittunt ; & illæ influ-
„ entiæ de qualitatibus ita sunt deductæ de
„ potentia in actum in substantiis inferio-
„ ribus per substantias superiores, sicut per
„ sigillum similitudines suarum literarum
„ de potentia in actum deducuntur in ce-
„ ra : & similitudines, quæ sunt influentiæ,
„ quæ de superioribus transmittuntur ad
„ inferiora, sunt similitudines bonitatis, ma-
„ gnitudinis & aliorum principiorum Cœ-
„ li, quæ movent inferiores substantias ad
„ educendum in actum formam, quam ha-
„ bent in potentia, Doctor Illum. in Lib.
Astron. p. 2. cap. *De quo*, circa finem.

*Et hæc Philosophia est delectabilis ad in-
telligendum, & est via ad cognoscendum plura
principia & Secreta naturalia*, Doctor Illum.
in Arb. cœl. cap. de Trun. & cap. de Fol.;
nam *primò* sub sensu literali revelat totum modum operandi Animæ motivæ Cœli in corpora inferiora. *Secundò* declarat necessariam connexionem superioris cum inferiori. *Tertiò* monstrat modum productionis formarum in inferioribus quod, est incomparabile Secretum. *Quartò* exhibet differentiam, quæ est inter influentiam artificialem, qualis est illa sigilli in ceram, & inter influentiam naturalem, qualem habet Cœlum in inferiora ; nam per posteriorem datur medium naturale generale inter utrumque extremum speciale, quod est continuum utrique discreto ; de cujus perfecta cognitione pendent multa Secreta naturalia. *Quintò*, quòd ratione concordantiæ superioris cum inferiori unũ est ordinatum sicut alterum per Circulum, Quadrangulum & Triangulum, ût in dicta Arbore cœlestiali fusè exposui, & infrà videbitur, & quòd per consequens notitia unius causet notitiam alterius ; nam *in hoc passu cognoscitur, quomodo quantitas superior* (& sic de cæteris prædicamentis) *est assituata, & causa assituationi quantitatis inferioris secundùm Circulum, Quadrangulum & Triangulum*, *Doctor Illum. ibid. de foliis.* Unde *Sextò* per se infertur, literam unius esse metaphoram alterius, & è converso : sed quia (ût ab initio dixi) methodus investigandi sumit initium ab inferioribus ad superiora, & non è converso, propter præsentiam unius & absentiam alterius à nostra sensualitate, ideo in gratiam meorum Discipulorum, & ad tegendum Secretum Artis sub metaphora Astronomiæ superioris docui illos totum, quidquid est scitu necessarium de Astronomia inferiori, ut acquisitâ perfectâ cognitione hujus in sensu literali per illam infallibiliter deducerentur ad perfectam cognitionem alterius in sensu metaphorico ; & hoc apertis verbis revelavi in *Libro Geometriæ Novæ* (ût apparebit in sequenti Figura Planetarum) nam *hæc Figura Planetarum posita est in hac Arte ad dandam Doctrinam mensurandi metaphoricè influentias Planetarum, quas habent in istis inferioribus*; quæ admonitio sufficere debuisset non omninò surdis, ut possent discernere, me ex professo non agere de Astronomia superiori ; aliàs enim non bene dehortatus essem ab hac Scientia meos Discipulos, quod feci in *Lib. Doct. puer. cap. de Astron.*, & in *ipsomet Libro Astron*: ejusque *quarta parte*; ubi ostendi & demonstravi errores Astronomorum, fallibilitatem hujus Scientiæ, & abusum illius, ac dixi, *quòd Scientia Astronomiæ non sit Scientia absolutè necessaria* ; quæ omnia de Astronomia vulgariter notâ sunt verissima, non autem de mea secreta, quæ cùm sit pars Philosophiæ (ût ex antè habitis patet, & sequentia ampliùs monstrabunt) ad complementum Philosophiæ necessariò requiritur, & sinè defectu illius nullo modo deesse potest.

Ut igitur vobis dem majus lumen de hoc Cœlo, Quintâ Essentiâ ejusque Animâ motivâ inferioribus, quam suprà nominavi *Elementativam* seu Potentiam motivam quatuor Elementorum, per quod cernatis differentiam & concordantiam utriusque, Fili, debes scire, quòd in omni corpore naturali ex quatuor Elementis compositio sunt tria realiter inter se distincta, scilicet *Individuum, Species* & *Genus* ; hæc tria in *Libro Chãos* vocavi *tertium*, *secundum* & *primum Chãos* : priora duo sunt corruptibilia, sed ultimum est incorruptibile, ût dixi dicto *Lib. Chãos cap. de gen. & corr.*, in centro cujuslibet rei naturalis existens ; & hoc à me & antiquis Sapientibus appellatur Cœlum seu Quinta Essentia, quod *Dist. 3. Lib. Quint. Ess. in Arbore est signatum per D. coloris azurrini &c. ; & per hunc colorem significatur, quòd est cœleste & de natura cœlesti, & dicitur intellectuale ratione incorruptibilitatis & durationis &c. ; nam habet in se proprietatem Spiritûs incorruptibilis, qui est tanquam Anima &c. ; & etiam est sensuale, quoniam per sensum attingitur, sicut per visum, gustum, odoratum, tactum &c. ; & est causa & principium movens c. vel ☉, & extrà suam similitudinem mittit &c*, Doctor Illum. ibid. : ideo in Theor. Test. cap. 52. MSti. vel 48. impressi, jussi, te *naturam hujus Spiritûs Quintæ Essentiæ custodire, si vis aliquid facere, quæ quidem à prima causa dependet, sicut forma formarum, quæ posuit se in quatuor naturis honorabilibus* (quatuor Elementorum) *& vocatur Anima Elementorum & Spiritus Quintæ Essentiæ & Lux clara ; & quia omnis forma substantialis descendit immediatè à causa & re propinqua quinta, ideo volumus, quòd vocetur Anima omnium aliarum formarum.*

De hac Anima seu Forma universali pariter locutus sum in *Libro Principiorum Philosophiæ* Dist. 5. *de Prob. F.* rat. 4. §. *Probavimus*, fol. 10. dicendo : *quòd plurimùm sit utilis ad sciendam Philosophiam & Medicinam* : item ibid. Dist. 7. fol. 13. sub metaphora *Naturæ*, ostendendo, quòd *absentiâ unius Universalis naturalis omnibus universalibus naturalibus, in quo regulentur omnia particularia existentia sub F. G.* (forma & materia universalibus) *usque ad S. nequaquam posset conservari C.* (motus) *per O. P. Q. R.* (mixtionem, digestionem, compositionem, alterationem) *nec species ullam conservationem haberent.* Item in *Lib. Princ. Med.* Dist. 6. §. *Prima pars*, fol. 27. signando locum, ubi esset reperibilis, scilicet E. seu quartum gradum ; nam *in ipso quarto gradu est universalis forma naturalis, quæ est incorporea, & est exemplar aliis formis corporeis particularibus generabilibus & corruptibilibus* : hæc est, quam *Capite secundo* occultavi sub nomine *primi Agentis naturalis*, & *Capite tertio* in Arithmetica sub termino *Æquationis*, quia in se est in summa æqualitate, & nullâ potentiâ potest inæquari, & habet summam potestatem æquandi æqualia & inæqualia particularia & inferiora, & in Musica sub termino *Concordantiæ*, quia est medium summum naturale concordandi concordantia & contraria : ideo in centro quatuor Elementorum residet, ut æquet eorum inæqualitatem, quæ est tantùm in circumferentia.

Fili, non possum tibi meliùs describere naturam hujus Animæ motivæ inferioris, quàm per figuram Arithmeticæ applicatam vi, quam dicunt elasticam ; igitur concipe tuâ imaginatione centrum æquationis hujus figuræ, quod vim elasticam intitula, quam paulatim remove ab æqualitate per gradus notatos in Scala, quousque voluntas vult, & potestas potest (quod fieri potest per antliam pnevmaticam vel quamcunque similem machinam artificialem) ex quo experimento sensualiter sentis, in quamcunque partem rarefaciendo vel condensando illam ducas ad inæqualitatem, quòd ab æqualitate ad inæqualitatem extendatur una continua linea constans differentibus gradibus à minimo inæquali usque ad maximum, & è converso à maximo æquali usque ad minimum : etiam sentis, quòd, quantò magis recedis ad quamlibet oppositam extremitatem rari & densi, semper majorem resistentiam experiaris à prima æqualitate, nec unquam nosses potestatem agendi illius, nisi ab intensione sui contrarii, quæ, quantò magis crescit, tantò magis crescit ejus impossibilitas ; & crescente impossibilitate crescet significatio magnitudinis potestatis æquandi in æqualitate illius vis elasticæ : unde per hanc

metaphoram Ars te docet poteſtatem illius Animæ motivæ æquativæ concordativæ, quæ eſt in natura & in centro omnium rerum naturalium, regens & gubernans & ad æqualitatem ſuam movens omnes inæqualitates contrarias Naturæ, ut per hunc motum ſignificet per metaphoram ſupremam & infinitam illam Æqualitatem, quam omnia naturali inſtinctu & appetitu inquirunt, & ſinè qua eſſet impoſſibile, quòd dicta vis elaſtica æquativa finita perpetuò poſſet devincere ſuum contrarium.

Dicto de *Anima motiva* inferiori dicendum nunc de *Corpore* illius, quod eſt compoſitum de quatuor Elementis, per quæ quatuor Elementa hoc Cœlum ſeu Quinta Eſſentia dividitur in ſua Signa & Planetas: unde cùm 12. Signa & 7. Planetæ ſint prima Principia hujus inferioris Aſtronomiæ, ſicut ſunt ſuperioris, ſcire debes, quòd omne corpus naturale conſtitutum ex quatuor Elementis triplicem in ſe Aſtronomiam complectitur, ſecundùm triplex ſupradictum Chãos, ex quo conſtituitur; nam tertium Chãos, quod eſt individui, habet ſua propria Elementa individua; & ſecundum Chãos, quod eſt ſpeciei, habet ſua propria Elementa ſpecialia; & primum, quod eſt generis, habet ſua propria Elementa generalia, à quibus præcedentia duo recipiunt motum & influentiam: quæ deſumere poteris ex *Libro Chãos de decem Præd. cap. de Subſt. ch. fol. 26.*, item *de 5. Univ., ſing. cap. de Genere, & cap. de Specie Chãos*, in quibus locis de grano tritici hos tres differentes gradus ad oculum expoſui; quilibet autem inferior gradus ſe habet ad ſuperiorem per modum habitûs, habituante ſe ſuperiore de inferiori, ût forma de materia, & ût forma & materia univerſalis de forma & materia particulari, & ût Elementa univerſalia de Elementis particularibus, & ût Signa & Planetæ univerſales de Signis & Planetis particularibus: quapropter quantò magis deſcendunt à ſua generalitate ad ſpecialitatem & individualitatem, tantò magis accedunt ad naturam quatuor Elementorum alterabilium generabilium & corruptibilium; & quantò magis iterum aſcendunt ab individualitate & ſpecialitate ad ſuam generalitatem, tantò magis accedunt ad naturam Quintæ Eſſentiæ inalterabilis ingenerabilis & incorruptibilis.

Per hactenus dicta vobis expoſui fundamenta totius Aſtronomiæ inferioris: nunc videamus, quomodo quatuor Elementa dent numerum duodecim Signorum & ſeptem Planetarum, & quomodo ex his formentur *Trianguli* & *Quadranguli* in hac Scientia, per quos abſolvemus primum Circulum, & ex quibus tanquam materiâ componemus poſtea *ſecundum Circulum*: redigendo igitur in compendium, quæ fusè & in pluribus meorum Librorum tradidi, præſertim in *Aſtronomia part. 1. de Princ. Antiq., & ibid. p. 2. de 12. Sig. & 7. Plan.*, item in *Lib. de Reg. San. & Infir. Diſt. 2. de iisdem*, & in *Lib. Princ. Phil. Diſt. 4. de Orbe.*

Demonſtrabo *primò*: *Quare in Cœlo ſint duodecim Signa, & non plura, neque pauciora*: & Ratio hujus eſt, „ ut poſſint eſſe quatuor „ anni tempora, videlicet Ver, Æſtas, Autumnus Hyems, & quodlibet tempus habeat tres menſes, ut ſit temperamentum „ complexionũ in inferioribus *per Circulum, Triangulum & Quadrangulum*, ſicut quatuor tres faciunt tres quadrangulos; & „ ideo Circulus eſt compoſitus de Trianguli & Quadrangulis, quatuor Triangulis exiſtentibus in tribus Quadrangulis; „ ſed hoc eſſet impoſſibile, ſi Cœlum eſſet aliter diviſum in plures aut pauciores partes, quàm in duodecim Signa, & Cœlum „ non haberet naturam Circuli, Quadranguli & Trianguli, & proprietas, proportio & natura Circuli, Quadranguli & Trianguli deficerent in virtute, propter quem „ defectum non poſſent eſſe cauſa Circulorum, Quadrangulorum & Triangulorum in inferioribus exiſtentium, Doctor Illum. dicto Lib. Aſtr. p. 2. de 12. Signis.

Secundò: *Quare ſint tantùm ſeptem Planetæ*? inter alias rationes, quæ dari poſſunt, ſunt duæ ſequentes: *prima*: „ quia in „ numero ſeptem ſunt Trianguli in Quadrangulis, & Quadranguli in Triangulis „ circulariter, ſcilicet ſeptem Trianguli in „ quatuor Quadrangulis, & quatuor Quadranguli in ſeptem Triangulis, & hoc circulariter ſecundùm operationes, naturas „ & influentias, quas ad corpora inferiora „ transmittunt &c.; ſed hoc eſſe non poſſet „ ſinè numero determinato in ſeptem Planetis, & non in pluribus nec paucioribus. „ *Secunda*: per experientiam ſentimus, & „ imaginamur, quòd ſint duæ complexiones, quæ vocantur activæ, videlicet *calor* „ & *frigiditas*, aliæ duæ ſunt, quæ vocantur „ paſſivæ (ſecundùm comparationem prædictarum duarum complexionum, quæ „ majores ſunt) & iſtæ qualitates paſſivæ appellantur *humiditas* & *ſiccitas*: & propter „ hoc convenit, quòd ſint duo Planetæ ſimiles & concordantes in qualitatibus propriis & appropriatis, qui per ſuas proprias „ qualitates multiplicent calorem, qui ſunt „ Mars & Sol, habentes complexionem de „ B.; & convenit, quòd ſint alii duo Planetæ concordantes per qualitates proprias „ & appropriatas, ſicut Venus & Luna, habentes complexionem de D., ut multiplicent frigiditatem; & quia Saturnus eſt „ de complexione ſiccitatis & frigiditatis, & „ non eſt alius Planeta, qui habeat propriè ſiccitatem, & idem de Jove, qui deficit in „ habendo parem per A., ideo qualitates propriæ de C. & A. ſunt qualitates paſſivæ, quoniam parem non habent, qui ipſas juvet, ſicut habent duo B. & duo D.: & ſi eſſent octo „ Planetæ, humiditas & ſiccitas in inferioribus haberent tam magnã actionẽ, ſicut habent calor & frigiditas; quod eſt impoſſibile, ſecundùm quòd habemus experientiam: „ & ſi Planetæ eſſent ſex tantùm, eorum antedicta ordinatio eſſet deſtructa, per cujus „ deſtructionem Natura haberet paſſionem „ propter vacuitatem &c., quam vacuitatem „ Natura ſuſtinere non poteſt.

Sequitur nunc

Syſtema Aſtronomicum.

Superius Metaphora Litera		Inferius Litera Metaphora
A	♈ ♎ ♒	☿
B	♉ ♌ ♑	♂ ☉ ☿
D	♋ ♍ ☓	♀ ☽
C	♊ ♏ ♓	♄

A	Aër	E	Humidum Calidum
B	Ignis	F	Calidum Siccum
C	Terra	G	Siccum Frigidum
D	Aqua	H	Frigidum Humidum

Ex hac Figura exſurgunt tres ſequentes, quarum *Prima* eſt circularis, *Secunda* Quadrangularis, *Tertia* Triangularis.

Figura Circularis.

Motus octavæ Sphæræ	a	c	b	f	c	g	d	h	de Oriente in Occidentem.
Motus 7. Planetarum	e	b	f	c	g	d	h	a	de Occidente in Orientem.

Hæc Figura debet eſſe circularis continens duos Circulos, quorum ſuperior eſt duodecim Signorum, inferior ſeptem Planetarum; concordantiâ & contrarietate ejus motûs circularis cauſatur in inferioribus generatio & corruptio, aſcenſus & deſcenſus & circulatio quatuor Elementorum, ût poſtea videbitur in ſecundo Circulo: exhibetur autem hìc in linea recta, ut literæ faciliùs diſcernantur viſu.

Sequentes duæ Figuræ extrahuntur à præcedenti, quarum prima habet decem quadrangulos (ût ad ſenſum patet) ex quibus fiunt ſedecim trianguli, ſecundùm quòd exhibet ſua ſequens Figura ſecunda.

Figura Quadrangularis.

1	a	b	c	d
2	e	f	g	h
3	a	e	b	f
4	e	b	f	c
5	b	f	c	g
6	f	c	g	d
7	c	g	d	h
8	g	d	h	a
9	d	h	a	e
10	h	a	e	b

Figura Triangularis.

1	a	b	c	9	a	e	b
2	b	c	d	10	e	b	f
3	c	d	a	11	b	f	c
4	d	a	b	12	f	c	g
5	e	f	g	13	c	g	d
6	f	g	h	14	g	d	h
7	g	h	e	15	d	h	a
8	h	e	f	16	h	a	e

In his tribus Figuris collocantur omnia principia necessaria sequentibus duobus Circulis, eorumque combinatione naturali revelantur omnia Secreta Astronomiæ tam inferioris, quàm superioris.

De Secreto Secundi Circuli.

MAg. Ad formandas syllabas astronomicas ex datis literis, (quod est officium secundi Circuli) convenit non solùm scire modum & ordinem jungendi literam cum litera, sed etiam determinare numerum syllabarum, & ostendere totam circulationem, quam peragunt Elementa in hoc secundo Circulo: nec minùs est necessarium demonstrare devictiones literarum, cùm enim in hoc secundo Circulo fiat alteratio, generatio & corruptio literarum, quæ sciri nequit, nisi cognoscatur, quæ literarum aliam devincat; & cùm hæc notitia insuper requiratur in tertio Circulo, in quo est altior devictio in conjunctione Planetarum, ideo convenit in fine hujus Circuli ponere *Tabulam Devictionis*, & dare Artem infallibiliter judicandi, quod Elementum vel quis Planeta alium devincat; hæc autem devictio primò consideratur in binariis, postea per hos in ternariis, quaternariis &c. mediatè vel immediatè &c.

Et primò situabimus Figuram Circularem seu Orbem, in quo moventur Signa & Planetæ, ût sequitur.

Meridies.




Figura 24. Horarum.

Hæc Figura dividitur in *duas partes*, scilicet in *diem* & *noctem*, qualibet parte continente duodecim horas: exterior Circulus Figuræ significat *Regiones* & *Domos*, secundus post illum *24. Horas* diei naturalis, tertius *Quadrangulos* & *Triangulos*. „ Horæ diei naturalis successivè circumeunt Figuram circularem ratione motûs Cœli, & transeunt „ per cameras circuli circulariter, quadrangulariter & triangulariter, & quælibet „ hora est prædominans, quantúm ad suam „ regionem; habet etiam quælibet hora „ suam virtutem in quolibet quadrangulo „ circuli, ita, ut in quadrato, in quo est, „ habeat sex puncta intensivè, & in aliis „ octodecim extensivè, & in totum sint viginti quatuor, sicut sunt 24. horæ diei naturalis ratione motûs Cœli & proprietatis „ Circuli & Tabulæ ejus, recipientibus cameris ejus influentiam ab horis, & existentibus partibus horarum unâ in alia successivè, ut una hora sit in alia, & una litera „ circuli in alia: in qualibet hora literæ sunt „ quadrangulariter & triangulariter, quia „ quatuor sunt literæ demonstrantes in qua „ camera sit hora; triangulariter, quia quilibet quadrangulus continet in se duos „ triangulos, ût dictum est, ita, quòd in „ camera quadrangulari quælibet hora in „ uno triangulo habeat tria puncta, in alio „ verò alia tria, Doctor Illum. in Art. Comp. Med. de sexta Fig.

Secundò in præsenti Figura seu Tabula demonstratur ipsa Circulatio, quæ fit mediante Figurâ circulari in Secreto primi Circuli positâ, & exhibet septem Circulationes, *quæ causant septem dies in septimana, & sunt causatæ à septem Planetis*, Doctor Illum. in Lib. de Reg. San. & Infirm.

Figura Septem Circulationum.

1	a	e	e	b	b	f	f	c	c	g	g	d	d	h	h	a
2	a	b	e	f	b	c	f	g	c	d	g	h	d	a	h	e
3	a	f	e	c	b	g	f	d	c	h	g	a	d	e	h	b
4	a	c	e	g	b	d	f	h	c	a	g	e	d	b	h	f
5	a	g	e	d	b	h	f	a	c	e	g	b	d	f	h	c
6	a	d	e	h	b	a	f	e	c	b	g	f	d	c	h	g
7	a	h	e	a	b	e	f	b	c	f	g	c	d	g	h	d

Omnes istæ septem Circulationes peraguntur à duobus supradictis Circulis, nec plures nec pauciores sunt per naturam possibiles, quàm hæ septem; omnes verò septem dependent à duobus generalibus motibus concordantibus vel contrariis: „ & secundùm „ istos duos motus motus corporis humani „ naturaliter & elementaliter est constitutus; „ & quia superiora corpora movent quoq; inferiora naturaliter: *& ideo, quia isti duo Circuli petentes motus ad invicem, sibi obviant, causant compositionem, & in inferioribus mixtionem*, Doctor Illum. ibid. in Dist. 1. ab initio.

„ Dictum est (in prima parte Principiorum Libri Astronomiæ) quòd Signa & „ Planetæ habent effectivè complexiones Elementorum (non, ût quidam vestrorum Philosophorum putant, quòd sol formaliter sit calidus vel ignis, & sic de cæteris; est enim contra sanam Philosophiam, quòd ullum corpus Quintæ Essentiæ possit actualiter esse calidum, frigidum, humidum vel siccum, secundùm quòd demonstravi in citatis Libris, & etiam in Libro de Quinta Essentia) „ modò volumus investigare, „ quod Signum & quis Planeta est magis bonus & in majori potestate & virtute per „ unam complexionem, quàm per aliam „ &c.; & hoc inveniemus secundùm Condi„ tiones complexionum Elementorum, quæ „ significantur per A. B. C. D., quas insimul „ miscemus, ut inveniamus, quæ comple„ xio aliam vincat, & per hanc inventionem „ cognoscamus, quis Planeta alium devincat „ in domo, in qua sunt, Doctor Illum. in dicto Lib. Astrom. p. 2. de Devict.

Tabella Devictionis.

A B	B C	C D	
A C	B D		
A D			

Tanta est utilitas hujus exiguæ Tabellæ tam in hoc secundo quàm sequenti tertio Circulo, quantus est hic secundus & tertius Circulus in Philosophia, Analytica, Medicina & Astronomia; nam primo intuitu per illam potes certò & evidenter discernere in unione cujuslibet syllabæ astronomicæ, quænam litera alteram vincat. Disc. quid si hoc novero, vel ignoravero? nunquid perinde mihi est, an Jupiter vincat Saturnum, an Saturnus Jovem? nam hac victoriâ nec Imperium Orientis, nec Terram Sanctam recuperabimus, Pater. Mag. Fili, Devictio Signorum, Planetarum, Elementorum, complexionum & humorum est metaphora significans devictionem virtutum & vitiorum: unde si perfectè sciveris Artem hujus metaphoræ, & ab illa te convertes ad lite-

literam sui significati, practicando hanc nobilem Artem contra vitia, devincendo illa per virtutes in te ipso, majus imperium hac victoriâ referes, quàm si armis expugnares totum imperium orientis, vel ipsam Terram Sanctam in tuam ditionem redigeres; hæc ergò sit prima tua intentio & usus hujus Scientiæ. Secunda intentio & utilitas valde præclara erit Ars devincendi vitia sensualia, h. e., morbos, infirmitates & noxios aspectus Signorum & Planetarum tui corporis.

Disc. Hem, quid audio, danturnè etiam in humano corpore Signa & Planetæ? Mag. quidni? annè jam oblitus es eorum, quæ suprà diximus? nonnè & vestri Astronomi communiter singula principalia membra corporis humani Signis & Planetis subjiciunt, quamvis nec veram scientiam de hac re habeant, nec ullam demonstrationem dare possint? igitur secundùm ea, quæ in *Capite 2.* demonstravi, & ex Arte Dem. ejusq; Lect., item ex Lib. Princ. Phil. ejusq; p. 1. Dist. 15. p. 2. f. 26. de Disp. „est certum, quòd quodli„bet signũ habet in corpore hominis locum „ secundùm A. B. C. D., & secundùm bo„nitatem, magnitudinem & alias, item „ secundùm motum aut non motum &c.: *eodem modo habent in corporibus animalium, & in corporibus herbarum, arborum*, NB. *metallorum & omnium entium elementatorum*, Doctor Illum. p. 2. Astron. cap. de *Loco Cœli:* imò, ne quidem imaginatio & quinque sensus hominis excipiuntur hac lege; nam *visus est locus de A. &c., & auditus est locus de B. &c., & odoratus est de A. &c., & affatus est locus de B. &c., item gustus est locus de B. per potum in æstate, & est locus de D. per cibum in hyeme, & tactus est locus de A. &c, & imaginatio est locus de C.; & ideo sequitur, quòd sensus sint loca Planetarum & Signorum per eorum A. B. C. D.*, Doctor Illum. ibid.

Per unam Regulam generalem nunc te docebo, quænam duarũ literarum aliam devincat: *si duæ literæ habent aliquam proprietatem vel qualitatem communem, & æqualiter concurrunt, tunc illa vincit alteram, cujus qualitas communis est propria, & illa vincitur, cujus est appropriata; si verò non habent communem, tunc nulla alteram vincit:* intellige *immediatè*, quia *mediatè* potest una alteram vincere. Ab exemplo Regulam quantociùs capies: „ B. & D. sunt complexiones „ contrariæ per qualitates proprias & appro„priatas, & naturaliter secundùm eorum „ naturam una aliam non devincit, sed per „ medium una aliam devincit, videlicet *per „ subjectum:* sicut si Mars & Luna sibi invi„ cem obviant in piscibus, D. vincit B.; sed „ si sibi invicem obviant in sagitario, B. „ vincit D.; sed si sibi invicem obviant in „ capricorno, B. vincit D., quia una hu„ miditas non habet potestatem contra duas „ siccitates; & D. similiter vincit B., quia „ unus calor non habet potestatem contra „ duas frigiditates, Doctor Illum. p. 2. Astron. *de Devict.* de B. D. Disc. quàm multa tam paucis verbis dixisti, Pater, & quàm pauci hæc intelligent. Mag. *iste passus, qui est de devictione, esset multùm utilis ad sciendum pro Medicis secundùm processum, quem fecimus in Principiis Medicinæ*, Doctor Illum. ib. in B. C.

Disc. Antequam exeamus hoc Circulo, sine me, Pater, movere unam Quæstionem, cujus solutio me torsit multis annis, & cujus me admonet citatio Libri Principiorum Medicinæ; nam fundatur in pari casu mutuæ devictionis, & devictionis per medium. Tu igitur in dicto Libro Principiorum Medicinæ Dist. 3. cap. 11. *de mixt. E. S.*, §. *Item Rosa* f. 17. dicis, quòd in *Rosa* & *Cicere* dominentur B. C. (h. e. terra & aër) hac ratione, ut in Rosa B. vincat C. per virtutem, & C. vincat B. per materiam, è contra in Cicere C. vincat B. per virtutem, & B. vincat C. per materiam: hoc idem exemplum affers in Libro Principiorum Philosophiæ Dist. 6. *de Prob. G.* 4. rat. fol. 12., per quam metaphoram ibi demonstras existentiam primæ Materiæ: unde cùm eodem capite 11. Principiorum Medicinæ comparaveris Cicer cum Argento vivo, dixerisque, *quòd C.* (aër) *sit in altiori gradu virtutis in Argento vivo, quàm in Cicere*, & major sit contrarietas & mutua devictio ipsorum B. C. in Argento vivo, quàm in Cicere, nec tam certò constet, utrùm in Argento vivo magis dominetur virtus C. vel D., ût patet ex cap. 14. Dist. 5. §. *Avicenna dixit, quòd in Argento vivo*, fol. 22., quàm certò constat de Cicere & Rosa, posito, quòd vellem componere aliquod Electuarium, quod ingrederetur Argentum vivum, ad accelerandam curam alicujus infirmi propter majoritatem virtutis Argenti vivi, & vellem proportionare virtutem cum materia, quomodo instituendus esset processus in praxi?

Mag. Ad executionem hujus operis non opus est, nisi ut recurras ad allegata Capita & Paragraphos illorum; „ nam si tu in„ tellexisti supradictos paragraphos signifi„ cantes

„ cantes virtutem & levitatem & ponderosi„ tatem in herbis medicinalibus, cum qui„ bus convenit curare infirmitates, *scies rectè proportionare virtutem & materiam secundùm quantitatem virtutis & ponderis in Syrupis & in Electuariis & in Decoctionibus & in Emplastris:* „ si verò prædictam contrarietatem ignoras, tua practica casu fortuito „ incedet, Doctor Illum. ibid. circa finem. Et quænam, quæso, difficultas discernendi dominium ipsorum C. D. in Mercurio? cùm in cap. 14. fol. 22. dicto §. dederim explicitè modum & Artem hujus investigationis, quæ in hoc sita est, „ ut misceas cum Argento „ vivo E. K.; nam si argentum vivum se magis inclinet ad A., quàm ad B., est mani„ festum, quòd sua qualitas est in quarto „ gradu de C., & in tertio de A.: si verò se in„ clinabit plùs ad B., quàm ad A., est ma„ nifestum, quòd sua qualitas est in quarto „ de D., & in tertio de C.; quid amplius petis? Disc. certè nil amplius, nisi ut sciam, quid sint E. K.; nam his ignoratis totus processus mihi erit incognitus. Mag. quem hæc latent, debet recurrere ad Doctores & Professores ac Expositores meæ Artis, si ex citatis libris nescit proprio marte eruere. Disc. ne me rideas, Magister, nam vereor, me hos Professores & Expositores ne lampade Cynici reperturum.

Mag. Finiamus hunc Circulum Revelatione utilissimi cujusdam Secreti, cui propriè totus Circulus est destinatus, videlicet, *quomodo generales Medicinæ fieri possint?* Doctor Illum. in Lib. de Reg. San. & Infirm. Dist. 3. à capite: unde cùm feceris mentionem de Electuario, & *tota Doctrina de Gradibus sit connexa cum illa de sedecim Electuariis*, Doctor Illum. Dist. 1. cap. de Modo grad. med. ibid., scire debes, quòd *possint fieri sedecim Electuaria generalia*, secundùm quòd sunt quatuor Elementa, scilicet A. B. C. D., & quatuor qualitates E. F. G. H., & quodlibet Elementum habet quatuor gradus intensionis: *per ista autem sedecim Electuaria decurrunt omnes Curæ & Medicinæ, quæ possunt esse per A. B. C. D., & per E. F. G. H.:* „ prædicta Electuaria debet Medicus habere in „ promptu, ut subitò infirmitatibus possit „ resistere; & talis doctrina est valde utilis „ & facilis scientibus istum librum &c., quæ „ Ars erit bonus thesaurus pauperum, Doctor Illum in Lib. de Reg. San. & Infirm. cap. de 16. Elect.: & licèt hæc Electuaria vocaverim Medicinas generales, non tamen istarum generalitas adæquat gradum generalitatis illarum Medicinarum, quas subministrat sequens Circulus; hæ enim naturam quatuor Elementorum, illæ verò naturam Quintæ Essentiæ secum ferunt, unde proprium locum fortiuntur in Astronomia inferiori: interim & hæc Electuaria non sunt vilipendenda, præterquam enim quòd curent infirmitates ex discrasia qualitatũ provenientes, habent sequentes duas insignes proprietates, quòd *per ista Electuaria potest homo habere experientiam de gradibus infirmitatum, & etiam de gradibus rerum medicinalium in decoctionibus*, Doctor Illum. ibid.

De Secreto Tertii Circuli.

MAg. Ad Theoriam & Praxin exercendam in hoc tertio Circulo, convenit respicere Figuram, quam in *Libro Astronomiæ* ejusque secunda parte figuravi, & parùm differt à præcedenti in primo & secundo Circulo posità; quam ex descriptione facilè concipies, &, si placet, etiam circino in charta describes.

Fiat igitur in plano Circulus referens motum octavæ sphæræ, cujus circumferentia dividatur in duodecim Signa, apponendo cuilibet signo literam sibi competentem, præterea tres literas sequentes E. F. G., E. significat ascensum, F. stationem, & G. descensum; huic maximo Circulo immittantur septem alii minores successivè decrescentes & concentrici ac mobiles, signati per ordinem suis Planetis, & figura erit perfecta.

„ Intentio, quare hæc Figura posita est „ in hac parte, est, ut sit instrumentum, „ cum quo fiant judicia, sicut si ponatur do„ mus Saturni sub domo Arietis, potest A„ stronomus cognoscere, quid significent „ illæ duæ domus per B. C.; & si ponatur Ju„ piter sub Saturno, qui positus est sub A„ riete, significant aliud judicium per B. C. „ A.; & idem de aliis circulis usque ad mi„ norem: & significatio judicii cognosci „ potest secundùm doctrinam, quam dedi„ mus in secunda parte primæ partis Astro„ nomiæ in Capite de Devictione, Doctor Illum. ibid. in 2. parte, & in secundo Circulo in Tabella Devictionis. „ Quodlibet „ signum cum Planetis habet in Cœlo *vi„ ginti octo conjunctiones*, & quælibet conjun„ ctionum habet suum judicium &c.; *& in hac parte consistit tota virtus & utilitas hujus Scientiæ*, Doctor Illum. ibid. p. 4. cap. de 28. Conj.: *nam per hujusmodi cognitionem poterit*

homo habere magnum avantagium in hac Scientia, propter quod figura mobilis est multùm utilis & necessaria in hac Scientia; quoniam per circulos suos mobiles poterunt fieri Figuræ de Constellationibus, Doctor Illum. ibid. p. 5. quæst. 49.

Disc. In quo situm est hoc magnum avantagium? Mag. in uno solo subjecto ex A. B. C. D. composito, quod est mercurius, qui ratione suæ indifferentiæ per bonum Signum & Planetam est convertibilis in bonum, & per malum in malum: unde quia est convertibilis in malum, *ipse est deceptor Alchimistarum, quia marsupia evacuat, & ipsos facit induere tunicas laceratas, & operationes manuum annihilat*, Doctor Illum. in Lib. de Reg. San. & Infirm. Dist. 2. de Conj. Gem.: sed quando *in domo Arietis sibi invicem obviant Sol, Venus & Mercurius, tunc sequitur bona fortuna* NB. *per formam & materiam*; & *hæc Constellatio est bona Alchimistis & Medicis &c., quia Mercurius est convertibilis in bonum per bonam actionem Solis, & bonam passionem Veneris*, Doctor Illum. in Lib. Astron. p. 3. c. 1. conj. 21.; & hæc Constellatio est *ad rubeum*, sequens autem *ad album*, scilicet „cùm Cancer, Venus, Mercurius & Luna „sibi invicem obviant, tunc enim faciunt „hanc Figuram D. D. D., & D. habet tri„plicem fortunam, item quadruplicem ra„tione Mercurii, qui est Planeta convertibilis; & ideo D. est in majori bona fortu„na, in qua possit esse; & hanc Constella„tionem multùm diligunt Alchimistæ, *quia in ipsa Argentum vivum habet bonam fortunam, & color albus similiter*, Doctor Illum. p. 3. cap. 4. conj. 25.

Tempus est, Fili, ut receptum canamus, nam pondus diei & æstûs tulimus in opere hujus septenarii; unde quietem aspiramus opere in septenario numero jam tandem completo: & quia convenit, quòd finis sit nobilior, perfectior & excellentior, quàm principium & medium (secundùm quòd significat definitio finîs, & nobis exemplum dedit supremus Artifex in productione totius hujus fabricæ corporeæ) idcirco ascendentes à quaternario ad quinarium, vel à senario ad septenarium, quod idem est (prout in hac Astronomia probavimus per sequentem cameram [C. A., B. B., D. D., A. B. C. D.]) ponemus in fine hujus Astronomiæ & totius Capitis tertii Quintam Essentiam omnium Secretorum per Quintam Essentiam seu Cœlum Libri Astronomiæ extractam, complectentem in se omnia sequentia Arcana.

Primò: Artem memorandi, de qua suprà dixi in *Introitu Capitis 3. fol. 57. §. Quis, quæso*; hac enim mediante retinebis in memoria omnia Secreta Artis in his septem Instrumentis patefacta

Secundò: Artem pronunciandi seu recitandi quotcunque nomina, rationes vel demonstrationes; ad quæ duo ritè peragenda convenit scire duas sequentes Artes tanquam media, videlicet

Tertiò: Artem ascendendi & descendendi.

Quartò: Artem evacuandi & multiplicandi.

Fili, si omnia hæc quatuor Arcana addiscere cupis, nullibi clariùs revelata invenies, quàm in *Libro dicto Astronomiæ:* igitur „vade ad quintum subjectum (dictum „Cœlum) per B. C. D. significatum in Libro „septem Planetarum (scilicet Astronomiæ) „quoniam ibi videbis mirabilia, quia ibi „tractavimus miraculosè, & notitiam ha„bebis omnium entium naturalium, Doctor Illum. in Lib. ad Mem. conf.: observa igitur, quòd in secunda Parte primæ Partis dictæ Astronomiæ posui decem Quæstiones, scilicet *utrùm, quid, de quo &c.*, & octodecim Principia meæ Artis Generalis, quæ more solito significavi per literas alphabeti, scilicet B. C. D. &c., cuilibet literæ applicando tria significata, *cùm intellectus per unam literam habentem plura significata sit generalior, & in memoria possit recipere plura significata, quàm per aliam largo modo sumptam*, Doctor Illum. ibid. Et hic est ille lapis pretiosus positus in fundamento, cui innititur, & à quo sustentatur totum ædificium meæ Artis, quem reprobaverunt ædificantes, hoc est, Commentatores quidam, ignorantes hoc Secretum, cùm debuissent summopere laudare & admirari: nam sicut Natura nobis revelat in unitate unius subjecti naturalis multas distinctas & mirabiles proprietates, consulens nostræ memoriæ, conservando differentiam illarum in concordantia unitatis (ût vides in uno lapide, in quo sinè confusione uniuntur ponderositas, opacitas, frigiditas, densitas, durities, color, friabilitas & plures aliæ) sic mea Ars perpetua Naturæ imitatrix adaptans literas artificiales universales literis naturalibus universalibus sub compendio & sinè ulla confusione revelat intellectui, & concredit memoriæ

moriæ sub unitate unius literæ universalis magnam multitudinem particularium in illa adunatorum: hoc autem significat litera & metaphora Cœli, cujus Secreta in dicta Astronomia per Principia meæ Artis exposui: nam quemadmodum per præfata principia illic talia explicavi ac demonstravi, quæ à nemine antiquorum Sapientum antè me tacta sunt, sic ostendi, in uno hoc Cœlo omnia particularia Principia Artis tanquam in primo Chaos esse conclusa, sicut in eodem in potentia continentur omnia particularia Principia naturæ quatuor Elementorum: quicunque igitur in dicto Libro meditando, legendo & lectiones repetendo ac cum aliis meis libris combinando ad Secreta hujus Cœli admissus fuerit, mirabilem Artem memorandi ministerio Naturæ & Artis hujus Cœli absque dubio consequetur, quâ ratione naturalis ordinis *habet Scalam ascendendi & descendendi de omninò generali ad omninò speciale, & de omninò speciali ad omninò generale*, Doctor Illum. ibid., non tantùm memorando, sed etiam operando mediante dicto Cœlo, ût suprà demonstravimus.

Ex hac verò Arte memorandi primitùs possessâ necessariò tibi obveniet Ars pronunciandi, si motum hujus Cœli insequeris formando quæstiones & resolvendo: hoc quippe Cœlum est adeò nobile, generale & artificiosum, quòd non solùm per ejus decem quæstiones generales formari potest omnis quæstio particularis, sed etiam ejusdem solutio (ût in hoc *Capite tertio* jam probavi) & nunc sigillando hoc Caput sigillo hoc maximo in sequenti exemplo exprimam.

„Primò igitur per primam speciem no„minis *quid* poteris certas quæstiones, sive „rationes, sive alia, quæcunque volueris, „recitare, *evacuando secundam figuram* de his, „quæ continet; per secundam verò speciem „poteris in duplo respondere seu recitare, „& hoc *per evacuationem tertiæ, & multipli„cationem primæ figuræ:* & si per primam tu „recitas duo vel tria nomina vel rationes, „per secundam poteris quadraginta vel se„xaginta recitare, & hoc semper *per eva„cuationem & multiplicationem*; est tamen „multùm difficile, nisi sit homo ingenio„sus & multùm subtilis, & non ruralis: per „tertiam verò poteris centum, *evacuando „primam, & multiplicando secundam*; & ita „de aliis poteris habere cognitionem, sicut „de ista: & quoniam mirabile est, quòd „quis possit retinere centum rationes, & „ipsas, dum locus fuerit, recitare, certè „hoc auro comparari non potest: ergò qui „scientiam habere affectat, & universalis „esse ad omnia desiderat, circa istum Tra„ctatum laboret cum diligentia toto posse, „quoniam sinè dubio scientior erit aliis.

„Quare firmiter & ferventer stude „prædictas species in prælibato Libro septê „Planetarum, quia nunquam eris studen„do defessus, imò eris gaudio & lætitiâ ple„nus. *In dicto Libro multa sunt studenti necessaria, quæ, si nota essent, & bene intellecta, non possent ullo modo æstimari*; „ideo consulo „cuicunque, ut istum habeat præ manibus „& præ oculis suæ mentis, Doctor Illum. in fine dicti Libri.

Disc. Sigillare & aperire sunt opposita: unde (ignosce, Pater) vereor, ne sub hac litera lateat sigillata aliqua metaphora, quam, ni fallor, tegit *methodus evacuandi & multiplicandi rationes*, adeò obscura visa tuis Commentatoribus: non enim Artem multiplicandi rationes tanti faciendam putem, ut nullo modo æstimari possit, vel omni modo occultari debeat. Mag. mirum, si hæc olfacis, postquam in *mea Rhetorica* tantâ claritate præcessit expositio totius modi evacuandi & multiplicandi Naturæ: igitur Natura præcedit Artem evacuando & multiplicando res, & Ars sequitur Naturam evacuando & multiplicando rationes: literam dat Ars, metaphoram Natura, utramq; occultavi & revelavi sub una figura, prior est nobilis, posterior nobilior; priorê omnibus notam cuperê, sed quia Secreta unius necessariò revelant Secreta alterius, ideo coactus fui abscondere utramque: vos, Filii, si legitimi Hæredes esse vultis, à *Testamento* & *Codicillo* meo petite, quod hic deficit; his *Dist. 3. Lib. Quintæ Essentiæ* jungite, & totum Cœlum Astronomiæ erit vobis apertum.


Pro Mantissa Astronomiæ naturalis & intellectualis proponâ curiosum Problema de Astronomia artificiali & sensuali: quæritur itaq;, *Utrùm sit possibilis mutua Devictio perpetua aliquot numero parium & actione æqualium Potentiarum?*

Solutionem significabit Metaphora sequentis Figuræ.

Significatio literarum.

b. c. d. e. Circulus.
f. g. h. i. quatuor semi-Ellipses.
k. l. m. n. quatuor semi-Circuli.
o. p. q. r. quatuor Potentiæ mutuò se devincentes.

Figura
Mutua & Perpetua Devictionis.



CAPUT IV.

De Secreto Potentiæ & Adaptationis ejus ad Objectum.

QUemadmodum color est objectum potentiæ visivæ, sic veritas est objectum potentiæ intellectivæ; & quemadmodum lux sensualis est medium, per quod potentia visiva habilitatur & proportionatur ad capiendum suum objectum, sic lux intellectualis est medium, per quod potentia intellectiva habilitatur & proportionatur ad capiendum suum objectum: unde quia tota certitudo, infallibilitas, necessitas, claritas & evidentia videndi & cognoscendi, & per consequens demonstrandi, desumitur à natura & proportione horum trium ad invicem, convenit habere exactam notitiam de natura & habitudine horum trium ad invicem; nam quantò major erit habitudo & proportio omnium trium ad se mutuò, tantò major erit certitudo, infallibilitas, claritas, evidentia &c.

Manifestum est, quòd magnitudo objecti & magnitudo potentiæ quandoq; sunt adeò improportionatæ ad invicem, quòd ratione majoritatis unius & minoritatis alterius potentia non potest versari circa objectum; nam si potentia est nimis remissa, & objectum nimis intensum, vel potentia nimis parva, & objectum nimis magnum, est impossibile, quòd potentia possit agere in objectum, aut illud perfectè recipere; quod patet in potentia finita, & objecto infinito: „nam sicut splendor solis in sua totalitate est „multò major, quàm nostri oculi possint „recipere, sic potestas, sapientia & voluntas, quas DEUS habet in se ipso, sunt „multò majores sinè omni comparatione, „quàm sit potestas, sapientia & voluntas, „quas intellectus potest intelligere in DEO „per potestatem, sapientiam & voluntatem, quas intelligit in DEO per creaturas: „quia si totum splendorem solis, qui est „res finita, non possumus recipere (si enim „totum reciperemus, videremus omnia „loca mundi, in quæ sol emittit suos radios „& suum splendorem) quantò minùs intellectus, qui est creatura finita, potest „intelligere totam potestatem, sapientiam „& voluntatem, quas DEUS habet in se ipso.

„Unde quando memoria sic recolit, „noster intellectus intelligit, quòd, si non „potest intelligere totam potestatem, sapientiam & voluntatem, quas DEUS demonstrat de se ipso creaturis, quam potestatem, sapientiam & voluntatem non „possunt totas recipere, per hoc, quia sunt „res finitæ (quia si totas reciperent, conveniret, quòd essent infinitæ, vel conveniret, quòd potestas, sapientia & voluntas DEI essent finitæ) quantò minùs noster „intellectus potest ascendere ad cognoscendam totam potestatem, sapientiam & voluntatem, quas DEUS habet in se ipso: „unde cùm hoc ita sit, sicut oculi magis vident, & possunt meliùs uti suâ virtute „visivâ, quando non directè aspiciunt „solem, quàm quando illum directè aspiciunt, sic oculi intellectuales meliùs possunt

„sunt videre, quando vident potestatem, „sapientiam & voluntatem DEI in creaturis, quàm quando illas vident tantùm in „ipso; quia sicut propter magnam debilitatem oculorum corporalium & propter „magnam influentiam splendoris solis oculi non possunt tam bene videre, quando „aspiciunt solem, quàm quando visum dirigunt in aliam partem, sic propter magnam influentiam virtutis, quæ est in potestate, sapientia & voluntate DEI, intellectus non potest tam bene intelligere, nec „memoria recolere illas, quando illas vident in DEO tantùm, quàm quando eas „vident in creaturis.

„Quando intellectus intelligit, quòd „multò meliùs percipit dictas Dignitates „DEI per hoc, in quo creaturæ illas repræsentant, quàm quando DEUM intelligit „sinè repræsentatione creaturarum, tunc „memoria recolit, quòd sicut sol habet majorem splendorem in se ipso, quàm in locis, in quæ oculi diriguntur, absque eo, „quòd solem directè aspiciant, sic intelligit, „quòd major est potestas, sapientia & voluntas in DEO, quantò minùs eas potest „intelligere, quàm sit potestas, sapientia & „voluntas, quas in creaturis de DEO potest percipere & intelligere: unde dum „memoria recolit ista de intellectu & de „potestate, sapientia & voluntate DEI, intellectus intelligit, quòd sicut duo infantes parvuli, qui adhuc nesciunt bene loqui, se mutuò meliùs intelligunt, quàm „illos intelligant homines adulti, sic intellectus, qui est ens finitum & terminatum, „meliùs convenit & se habet ad intelligendas dictas Dignitates in hoc, quod de illis „creaturæ possunt recipere, quàm cum ipsis Dignitatibus, quas non possunt recipere: nam sicut motus meliùs convenit „cum animali, quàm albedo, sic intellectus, qui est ens finitum, meliùs convenit ad intelligendam rem infinitam per „rem finitam, quàm rem infinitam per „suammet infinitatem, Doctor Illum. Vol. 3. Lib. 5. Contempl. cap. 352.

Ex hactenus dictis, Fili, potes desumere modum & ordinem, quem intellectus noster debet tenere, quando occupatur circa suum supremum Objectum: unde quando fit quæstio: *Utrùm in via possimus habere primitivam, veram & necessariam Scientiam de Essentia DEI?* Doctor Illum. in Lib. de Arte DEI Dist. 5. de Reg., & non solùm de Essentia DEI, sed etiam *Utrùm humanus Intellectus possit habere Scientiam de Summa Differentia divinarum Personarum*: Doctor Illum. dicto Lib. Dist. 19. de Appl. 13. Dist.: „antequam respondeamus, volumus adducere „istud exemplum. Quidam homo tenet „lilium in manu, in alia verò manu tenet „speculum; quando respicit albedinem lilii, primitivè, verè & necessariò videt ipsam albedinem, dum ipsam videt; *primitivè* dico, quia non videt ipsam per similitudinem; *verè*, quia sensus verè de ipsa „judicat; *necessariò*, quia visus aliter se non „posset habere, dum videt ipsam: sed quando respicit speculum, videt similitudinem „lilii; & albedo, quam videt in speculo, „non est primitiva, quia est similitudinaria; est tamen primitiva, vera & necessaria similitudo, & est ita primitiva, vera „& necessaria similitudo, quòd aliter se non „potest habere, dum videtur: talis albedo „visa in speculo non est ita intensè visa, sicut „albedo lilii facietenus; & quilibet hoc potest tentare: & ratio hujus est, quia in speculo non est realis & naturalis, sed facietenus est realis & naturalis; & ideo in speculo est signum primitivum, verum, necessarium & reale, attamen respectu realis „albedinis est per posteriùs; & in quantum „albedo est realiter facietenus, est per priùs.

„Et sic per istud exemplum respondeo „ad quæstionem, quòd in via intellectus „facit primitivam, veram & necessariam „scientiam de Essentia DEI quoad posteriùs &c., in patria verò videbimus quoad „priùs; aliter nullum signum esset primitivum, verum & necessarium significati; „quod est impossibile, Doctor Illum. suprad. Dist. 5.

Ne autem me accuses de errore, quem mihi affingunt quidam Doctores de mea Doctrina malè informati, quasi intellectus humanus solis viribus naturalibus posset habere scientiam, vel facere demonstrationem de Essentia, Unitate & Trinitate DEI, clariùs tibi exponam medium seu instrumentum, per quod dictus intellectus habituatur & proportionatur ad recipiendum supremum Objectum: scias igitur, quòd sint *tres gradus* intelligendi, *positivus*, *comparativus* & *superlativus* in hac via; & quot sunt gradus intelligendi, tot sunt gradus medii seu instrumenti ad intelligendum; & quot sunt gradus medii, tot sunt gradus extremorum, scilicet potentiæ & objecti: gradus

positivus est *naturalis*, gradus superlativus est *supernaturalis*, gradus comparativus est medius inter utrumque, participans de natura utriusque: unde sicut proportio objecti naturalis exigit, ut possit recipi, potentiam & medium naturale, sic proportio objecti supernaturalis requirit, ut possit recipi, potentiam & medium supernaturale, & sic medium media.

Disc. Quid est ergò illud medium seu instrumentum, & quinam sunt gradus ejus? Mag. nil aliud quàm lumen seu habitus Fidei; „ quia habitus Fidei disponit lumen „ Scientiæ intellectui, per quod intelligat „ &c., sicut lux disponit aërem ipsum il„luminando & de se habituando, ut visus „ habeat naturalem potentiam ad viden„dum objectum. Doctor Illum. in Arte DEI Dist. 29. de Appl. 6. Dist.

Tres verò *Gradus* hujus luminis sunt gradus positivus, comparativus & superlativus: „ *positivus* stat per credere absolutè, sicut „ homo, qui multa credit; credere autem „ est actus ipsius intellectûs, qui credit hoc, „ quod non intelligit: *comparativus* ponit „ habitum Fidei ad credendum in DEUM „ & suam Trinitatem, bonitatem, magnitu„dinem &c.; & quia gradus comparativus „ consistit inter gradum positivum & su„perlativum, credere in gradu comparati„vo est aliquantulùm in plus, quàm in po„sitivo, quod disponit & præparat intelli„gere DEUM & suam Unitatem, Trinita„tem &c., & per illam dispositionem ip„sum credere participat aliquantulùm cum „ intelligere, eò quia est præparatum: cre„dere in *gradu superlativo* positum est æni„maticum extra dubitationem positum, eò „ quia est summum signum circa lucem, „ sicut aurora, quæ participat cum nocte & „ die; & per tale credere in via mediante „ gratiâ DEI cognoscimus, quòd DEUS „ non est lapis nec planta, & sic de aliis; & „ hoc cognoscimus per hoc, quia in æni„mate credimus, & aliquantulùm intelligi„mus hoc, quod DEUS est, & suam boni„tatem, Trinitatem &c., sinè qua cog„nitione assertivè negare non possemus, „ DEUM non esse lapidem nec plantam, & „ sic de aliis; quia unum ignotum non cog„noscitur per aliud ignotum. Doctor Il„lum. in Arte DEI Dist. 30. p. 2. cap. Credo.

Ad solvendas igitur dictas duas Quæstiones „ respondeo distinguendo secun„dùm gradum comparationis, dicendo sic: „ sicut humanus intellectus, dum est in po„sitivo gradu quoad suum modum natu„ralem intelligendi, supposito, quòd sit „ grammaticus, & non logicus, non potest „ esse in gradu comparativo, usquequò sit „ logicus; transit ergò de gradu positivo in „ gradum comparativum per habitum Lo„gicæ: à simili intellectus humanus, quo„ad suam naturam, est in gradu positivo, „ sed quando ei additur habitus Fidei, tran„sit ad gradum comparativum intelligen„di, in quo facit scientiam de differentia „ divinarum Personarum, illâ scientiâ exi„stente inter gradum positivum & gradum „ superlativum; sed quoad gradum positi„vum per priùs, & quoad gradum superla„tivum per posteriùs, in quo gradu com„parativo sapit naturam utriusque, eò quia „ est in medio eorum; & sic est apprehen„dens, & non comprehendens: veruntа„men convenit, quòd discurrat, mediante „ gratiâ habitûs Fidei à DEO datæ, per 13. „ Distinctionem mei Libri de Arte DEI &c. Doctor Illum. ibid. Dist. 29. de Appl. 13. Dist.

Et ne aliquid desit ad complementum Revelationis hujus pulcherrimi & utilissimi Secreti, addam insuper modum, quo potentia intellectiva operatur sub habitu luminis Fidei ad investigandum, inveniendum & demonstrandum suum objectum supernaturale. „ Quando Intellectus est investiga„tivus cum lumine Fidei (sicut dixit Isaias, „ nisi credideritis, non intelligetis) & tran„sit ad intelligendum definitiones Naturæ „ divinæ & æternitatis, applicando ad ipsas „ definitiones primam & secundam regu„lam, etiam definitiones bonitatis, ma„gnitudinis &c., tunc intellectus cum lu„mine Fidei & cum prædictis definitioni„bus & regulis est venativus & successivus, „ quousque verè & necessariò attingit in„telligendo & demonstrando, quòd Natu„ra divina est æterna, & non nova, sic & „ multò meliùs habitus Fidei est perma„nens, sicut habitus luminis in aëre illu„minato, quando visus attingit coloratum: „ & in isto passu cognoscit intellectus, & „ credit, quòd Natura divina est æterna; „ sed quoad unum modum credit, & quo„ad alium intelligit; & sic quando fit ista „ quæstio: *Utrùm Natura divina sit æter„na*? possunt applicari definitiones præ„dictæ ad propositum, sicut dictum est: „ *Natura divina non est natura lapidis* (& hoc in-

„ intellectus credit, quando non est succes„sivus, neque scit, quid sit Natura divina, „ nec natura lapidis; sed credere disponit „ ei, ut habeat intelligere) tunc intellectus „ transit ad definitionem Naturæ divinæ & „ naturæ lapidis, applicando istis definitio„nibus primam & secundam regulam, & „ definitionem magnitudinis, bonitatis &c.; „ & tunc verè & necessariò cum istis præ„dictis primitivis principiis cognoscit, quòd „ Natura divina non est natura lapidis, re„manente habitu Fidei, qui primò fuit, & „ est antecedens, intelligere verò conse„quens, quia est successivum: etiam cre„dere est per priùs, quia est magis inten„sum, quàm intelligere; quia credere non „ est successivum, intelligere verò sic; & „ ideo credere & intelligere sunt in eodem „ tempore, sed quodlibet diversimodè: „ veruntamen quia credere est, ut sit intel„ligere, & non è converso, respectu finis „ intelligere est per priùs, & credere per „ posteriùs; & de hoc habemus experien„tiam, quia per credere non ita perfectè „ quiescimus, sicut per intelligere: dico „ tamen respectivè quoad conversionem; „ nam credere est, ut sit intelligere, & in„telligere non est, ut sit credere. Doctor Illum. in dicto Lib. Dist 29. de Appl. 6. Dist.

Disc. In tanta luce adhuc tenebras patior, Pater, nam, si bene percepi tua dicta, puto, ad quæstionem: *Utrùm Theologia sit Scientia?* non aliter responderi posse, quàm „ quòd quoad gradum positivum non sit „ scientia, sed quoad gradum comparati„vum sit scientia probativa, & quoad gra„dum superlativum sit scientia demon„strativa, Doctor Illum. ibid. Dist. 30. de Quæst. de qu. 2. Dist.: quòd si sic est, non video, quomodo verificentur superiùs asserta, scilicet, *quòd, Deum esse, sit demonstrabile magis necessariâ demonstratione, quàm sit aliqua demonstratio mathematica*: si enim hoc ita esset, nemo posset calumniari tuas demonstrationes de Trinitate, Incarnatione & aliis Articulis, quod tamen fit, & quidem à Catholicis Doctoribus Ecclesiasticis & Religiosis.

Mag. *Quemadmodum DEUS permittit, quòd homo possit peccare, ad hoc, ut non corrumpatur liberum arbitrium, ita DEUS permittit, quòd demonstrationes Trinitatis & Incarnationis & aliorum Articulorum possint calumniari per aliquas falsas similitudines destructibiles; & hoc DEUS permittit, adhoc, ut homo sit liber ad credendum vel intelligendum Articulos; quia si Articuli essent ita demonstrabiles, quòd non possent calumniari*, NB. *non esset Fides per illos Articulos in homine, nec humanus intellectus esset ita exaltatus in intelligendo illos, quia essent rationes grossæ & paucæ subtilitatis*: „ & quia sunt „ multùm difficiles intellectu, ideo supre„mum Bonum voluit, quòd homines, qui „ non habent subtilem intellectum, & qui „ sunt occupati in rebus temporalibus, pos„sent uti Fide; & homines subtiles, & qui „ relinquunt bona temporalia, possint in„telligere Articulos, & per illos possit illo„rum intellectus exaltari, ad hoc, ut illos „ meliùs contemplentur, & ut possint diri„gere homines simplices, & inducere Infi„deles ad viam veritatis. Doctor Illum. Lib. 4. Mir. Dem. in Prol. 5. Cond. fol. 166. Tom. 2. Ex quibus dictis vides etiâ, Fili, quàm iniquè mei Adversarii mihi imputarint, quasi docuissem, Fidem Viris doctis non esse necessariam, sed tantùm rusticis & plebeis.

Disc. Supersunt alia duo, quæ non capio, *primò*, quomodo tua Ars possit esse utilis ad conversionem illorum, qui verâ Fide carent, cùm per te sinè habitu Fidei supernaturalis de DEO non possit fieri demonstratio non solùm de Trinitate, sed ne quidem de Existentia & Unitate DEI: *secundò*, posito, quòd aliquis Saracenus vel Gentilis didicisset tuam Artem Demonstrativam vel Inventivam earumque Lecturas, & in illis legeret demonstrationes de Existentia & Unitate DEI, vel de Productione, quæ est in DEO, vel si ex combinatione principiorum per Artem facta ipsemet eliceret tales demonstrationes, quæro, an propter defectum Fidei tales demonstrationes perderent suam naturam in tali Gentili vel Saraceno? si enim perdunt, quid proderit illi tua Ars? & quomodo subsistunt, quæ tu de tua Arte promittis in multis tuorum Librorum? præsertim in dicta Arte Demonst. Dist. 3. Modo 7. de *Dirigere* fol. 47. Tom. 3., scilicet, quòd „ hæc Ars sit intentione dirigendi illos, qui „ erroribus subjacent, indigentes Arte & „ Doctrinâ, quibus in veritatis semitam di„rigantur, quia ipsa Ars communis est om„nibus, Gentilibus, Judæis, Christianis & „ Saracenis atque omnibus Gentibus, de qua„cunque lege sint sive secta. Hoc enim „ est, quia principia hujus Artis sunt gene„ralissima, quibus principiis perpendi po„test manifestè, qualis populus in veritate „ permanet, vel qualis populus ab erroribus

„ bus detinetur. Hæc enim Ars doctri-
„ nam exhibet, quomodo populus existens
„ in veritate potest per DEI auxilium ad
„ veritatem ducere populum, qui suis ex-
„ cæcatur erroribus contra veritatem.

Mag. Fili, natura fecit in oculo retinam nigram & obscuram, ut in illa species lucis & coloris magìs distinctè exprimerentur, sic in intellectu sunt tenebræ ignorantiæ & dubiorum, ut Lux scientiæ in illo clariùs elucescret: tu suprà audivisti à me, quòd sint tres gradus Fidei, & quia Fides aliquo modo convenit cum obscuritate, ignorantia & tenebris, ût significavi in *prima Demonstrat. Lib. 1. de Mir. Dem.*, tot sunt gradus demonstrationis, quot sunt gradus Fidei; & hoc necessariò, quia cùm DEUS sit lux, & in eo tenebræ non sint ullæ, si fecisset plures gradus tenebrarum, quàm lucis, sequeretur, quòd suprema Lux magìs concordaret cum tenebris, quàm cum luce; & si hoc ita esset, suprema Lux esset contraria sibi ipsi; & hoc est impossibile: sunt igitur *tres Gradus Demonstrationis, hoc est, Demonstratio sensualis, Demonstratio intellectualis de re finita, Demonstratio intellectualis de re infinita:* „ secundus gradus „ est de majori necessitate, quàm primus, & „ tertius, quàm secundus, Doctor Illum. in Lib. Mir. Dem. Lib. 2. cap. 13. fol. 35. Tom. 2. Primus horum graduum est naturalis tantùm, & huic respondet primus gradus Fidei, scilicet naturalis tantùm; tertius est supernaturalis, & huic proportionatur tertius gradus Fidei supernaturalis; secundus est medius inter utrumque, cui competit secundus gradus Fidei medius inter utrumque: quilibet horum graduum subdividitur iterum in quatuor gradus, quos habes in *quarta Conditione Prologi dicti primi Libri*; pro quorum omnium meliori intelligentiâ brevitatis causâ te remittere compellor ad dicta loca & capita Libri, præsertim verò ad *Caput 27. Lib. 2.*, ubi talia expono de *Demonstratione supernaturali*, quæ in nullo alio Scriptore invenies: ex quibus colliges, me non aufferre Demonstrationibus naturalibus suam proprietatem & naturam, quasi non essent demonstrationes; sed quia à me illic comparantur ad altiores gradus demonstrandi, meritò respectu illorum ne quidem demonstrationis nomen merentur, quamvis tales revera sint, sicut lux candelæ lucente sole sensum lucis perdit, quamvis lucere non desinat: unde cùm DEUS non solùm sit suprema Lux, sed etiam ratione suæ universalitatis sit lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, manifestum est, quòd quivis intellectus humanus secundùm mensuram suæ capacitatis participet de hac Luce suprema, sinè qua non posset formare ullam demonstrationem ne quidem naturalem, v. g. *quòd totum esset plus, quàm sua pars*: si igitur intellectus creatus per supremum Lumen illuminatur, ut suo lumine naturali habituato (sic loquendo) de lumine supernaturali possit facere demonstrationem naturalem de toto & parte, & de aliis rebus creatis, manifestum est, quòd possit facere demonstrationem naturalem sub eodem lumine de suo Creatore; *quia si de toto & de parte, quæ sunt res creatæ, fit comparatio demonstrativa, quantò magis de virtutibus increatis & de Creatura meliori & nobiliori, quàm sint omnes aliæ creaturæ, potest fieri demonstratio*, Doctor Illum. in Lib. 4. Mir. Dem. cap. 26. n. 6. fol. 211. Tom. 2: quia si non, sequeretur, quòd DEUS magis ordinasset influxum sui luminis in intellectum humanum ad cognitionem suæ creaturæ, quàm ad cognitionem sui ipsius; & hoc est impossibile: quia omnis perfectio, quæ est in creatura, est naturalis significatio sui Creatoris, ût suprà dixi in *Secreto Grammaticæ*: imò, Fili, si fas est dicere, faciliùs homo naturaliter potest habere demonstrationem de DEO suo, quàm de quavis creatura; quia in omni creatura sunt vestigia lucis absconditæ Divinitatis, quæ tegi non valent, non autem quælibet creatura est in altera: „ amabilis fili, omnes creaturæ signi-
„ ficant & homini repræsentant bonitatem,
„ nobilitatem & potestatem DEI, unde cùm
„ humanus intellectus agnoscit demonstra-
„ tionem, quam de DEO faciunt creaturæ,
„ tunc illustratur divino fulgore S. Spiritûs, Doctor Illum. in Lib. Doct. Puer. cap. de Dono Scient. Et quòd hoc verum sit, quod dico, testatur ipsa sacra Scriptura de Gentilibus & Idololatris; *si enim tantùm potuerunt scire, ut possent æstimare sæculum, quomodo hujus Dominum non faciliùs invenerunt?* Sap. cap. 13. v. 9. *à magnitudine enim speciei & creaturæ cognoscibiliter poterit Creator horum videri*, ibid. v. 5.: quòd autem hæc cognitio fuerit naturalis tantùm, quamvis lumine supernaturali concurrente & influente in lumen naturale intellectûs dictorum Gentilium, satis declarat Apostolus in Epistola ad Romanos cap. 1., reprehendens illos, *qui veritatem DEI in injustitia detinent* v. 18.; *quia quod notum est DEI, manifestum est in illis, DEUS enim illis manifestavit*: & ut ostenderet, quâ viâ DEUS illis manifestaverit, statim subdit v. 20., *invisibilia enim ipsius à creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus & Divinitas, ut sint inexcusabiles; quia cùm cognovissent DEUM, non sicut DEUM glorificaverunt &c. v. 21.*: hæc ferè iisdem verbis referuntur in Lib. Sap. dicto cap. 13. v. suprà cit.: certè hanc cognitionem non adepti sunt sub habitu Fidei supernaturalis, cùm fuerint Infideles & Idololatræ, ût Apostolus apertè docet dicto loco in versibus sequentibus: ergò erat scientia naturalis, lumine supernaturali se modificante (ût sic dicam) sub lumine intellectûs horum Gentilium, ut illos per hanc sufficientem gratiam paulatim allicceret ad præbendum assensum, & quidem tam clarâ & manifestâ demonstratione naturali, ut illi resistendo essent inexcusabiles.

Ut autem noscas, Fili, quæ & qualia sint illa invisibilia, quorum DEUS similitudines & significata posuit in natura, & quæ naturaliter per ea, quæ facta sunt, intellecta conspicerentur, dabo tibi quædam exempla de Secretis Philosophorum excerpta, quæ Magister Sententiarum commemorat in sua *Margarita pretiosa cap. 6.*, *in quo ostendit, quòd hæc Ars* (meæ Secretæ Philosophiæ & antiquorum Sapientum) *sit naturalis, & sit divina, & quòd per ipsam Philosophi antiqui fuerunt Vates de futuris Miraculis divinis*: „ per hanc enim Artem cognove-
„ runt, diem judicii & consumationis sæcu-
„ li debere venire, & mortuorum resurrec-
„ tionem in ipsa, glorificationem corporis,
„ incorruptibilitatem, luciditatem, subtili-
„ tatem &c. Similiter per hanc Artem
„ cognoverunt & judicaverunt antiqui Phi-
„ losophi hujus Artis, Virginem debere
„ concipere & parere; nam in opere il-
„ lorum est conceptio similis Conceptio-
„ ni Virginis, quæ absque viro concipit,
„ quod esse non potest nisi miraculosè &c;
„ & in partu hoc Philosophico fit partus si-
„ milis partui Virginis, quia post partum
„ manet Virgo, ût priùs ante conceptio-
„ nem, quod etiam non potest esse sinè mi-
„ raculo. Adhuc quoque noverunt, quòd
„ DEUS fieri debeat Homo; nam in com-
„ plemento hujus operis generans & gene-
„ ratum fiunt omninò unum: unde quia
„ hanc rem sic miraculosam viderunt, ju-
„ dicaverunt etiam, Creatorem cum crea-
„ tura fieri debere unum, & præsertim cum
„ homine, propter majorem similitudinem
„ & imaginem. Similiter de Platone te-
„ statur S. Augustinus in summa Confes-
„ sionum, quæ suprà in Authoritatibus jam
„ notasti de Evangelio S. Joannis. Et certè mirum non est, hæc & similia multis literatis videri impossibilia, quia versantes in solis speculationibus universalibus, de particularibus Secretis naturæ nullam notitiam habent: lege totum dictum Caput, & plura videbis. Præterea si te delectat studium Artis inveniendi infinitum numerum similium significatorum realium naturalium, addisce meam Grammaticam naturalem, ejusque clavem non solùm theoricè, sed practicè tibi proficuam redde; nam tunc cessabit quæstio & dubium suprà à te motum, an mea Ars in primo gradu sit verè & propriè demonstrativa? & qualiter ac quantum conferat omnibus gentibus in hoc primo gradu, qui est quædam veluti dispositio ad secundum, ût secundus ad tertiũ.

Fili, quamvis Principia meæ Artis sint suprema & altissima, ita, ut altiora excogitari non possint, & per hoc tangant & mensurent omnia principia inferiora, attamen dicta mea Ars non solùm virtualiter, sed etiam formaliter includit omnia principia generalia inferiora gradatim descendendo à genere generalissimo usque ad infimum genus, quod est natura sensualis, in qua sumit exordium omnis demonstratio naturalis sensualis, ex qua sunt elicitæ supradictæ significationes sensuales de rebus intellectualibus: & si nondum credis, dari posse talem Artem demonstrativam in hoc primo gradu, vel à me datam, litem nostram dirimet *mea Ars Universalis*, cujus *tertia Distinctio de Conditionibus quatuor Figurarum* T. A. V. X. tibi campum amplissimum aperiet formandi multas miriades talium demonstrationum theoricarum; demonstrationum verò practicarum ærarium inexhaustum habes in Libro Principiorum Philosophiæ & Medicinæ; quod nec tu nec ullus mortalium quantâcunque solertiâ evacuabit: & ut labori tuo parcerem, redegi hanc duplicem Artem Theoricæ & Practicæ in unam quandam tertiam, quæ sapit naturam utriusque, contentam, in quodam *Libro septem Rotarum*, de quo suprà specimen dedi in *Secreto Tabularum*, quo majus in natura tibi nemo dabit.

Si igitur in infimo & *primo* gradu, scilicet in *sensuali* invenitur tanta perfectio demonstrandi, qualem putas inveniri in *secundo*, scilicet in intellectuali? certè talis ac tanta, ut illa infimi gradûs à me non reputetur in numero demonstrationum: quòd autem pluribus Viris doctis, præsertim in hoc genere demonstrationum sensualium, quales sunt geometricæ, multùm diúque exercitatis videatur oppositum, hoc inde provenit, „ quia demonstratio sensua„lis faciliùs fit, quàm intellectualis, per hoc, „ quia fit ipsis sensibus sensualibus sinè me„dio, & demonstratio intellectualis fit cum „ majori obscuritate, per hoc, quia tran„sit per media, hoc est, res sensuales; id„circo videtur in phantasia, quòd demon„stratio sensualis sit de majori necessitate, „ quàm intellectualis: & ideo homines, qui „ non habent subtilem intellectum, magis „ amant demonstrationes, quæ fiunt de u„na sensualitate cum altera, quàm demonstrationes, quæ fiunt de una intellectualitate cum altera; & ideo faciliùs „ possunt decipi, quàm illi, qui magis „amant demonstrationes intellectuales &c., Doctor Illum. in Lib. 2. Mir. Demonstrat. cap. 13.

De *tertio* gradu demonstrationis continente in se supremum modum demonstrandi affirmo adhuc majorem necessitatem, quàm de primo & secundo; primò, quia in rebus infinitis comprehenditur infinita necessitas, & ex hac deducitur infinita demonstratio; secundò, quia qui hunc tertium gradum per gratiam DEI attigit, etiam experimento intellectuali solet certificari de sua theoria: unde sicut in primo gradu experimentum sensuale tollit omne dubium, quod remanet post demonstrationem theoricam, sic in tertio gradu experimentum intellectuale, & multò magis: de certitudine theorica hujus tertii gradûs testatur ipsa suprema Veritas, quæ est suprema certitudo, quando ait ad SS. Apostolos: *Nolite cogitare quomodo aut quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini; non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Math. 10. v. 19. & 20. *Ego enim dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere & contradicere omnes adversarii vestri.* Lucæ 21. v. 15. Sic qui per gratiam & misericordiam DEI in mea Arte à DEO data ad hunc tertium gradum conscenderit, *se dat & præparatur, ut sit susceptа scientia infusa à gratia ipsius A. &c.*, Doctor Illum. in Arte Dem. Dist. 3. Mod. 5. fol. 46. *Sicut enim virtuoso inest habitus inclinans ad rectè agendum, ita exercitatis per hanc Artem lumen Sapientiæ additur, per quod statim scitur applicatio rationis aut rationum ad propositum, & eodem lumine, utrùm bene concluditur & verum concluditur,* Doctor Illum. in Introd. cap. 29. „ multi, Fili, scien„tiam habent per ingenium addiscendo, „ sed scientia à Sancto Spiritu data est in„fusa, quæ est multò major & nobilior, „ quàm quæ in scholis addiscitur à Magi„stris. Doctor Illum. in Lib. Doct. Puer cap. de dono Scient.

De experimento verò intellectuali vos certificant tot exempla Martyrum, & quid Amatus meus per divinam suam Artem in me effecerit, testatur mea *Arbor Philosophiæ Amoris*, & *caput 358. Lib. 5. Contemp.*; tantùm enim hæc divina Scientia illuminavit meum intellectum, & amore Amati inflammavit meam voluntatem, „ ut voluntas di„xerit ad intellectum, quòd nullo tempore „ (intellectus & memoria) haberent reme„dium & pacem cum voluntate, quamdiu „ essent in hoc mundo: unde dixit ad me„moriam, quòd non superesset aliud consi„lium, nisi ut facerent in brevi tempore „ tantùm, ut corpus moriatur adorando, „ contemplando & prædicando Infidelibus „ sanctam Fidem Romanam, adhoc, ut da„ret laudem suo Creatori, & post mortem „ corporalem omnes tres virtutes gloriaren„tur & contemplarentur in cœlesti gloria „ in præsentia divinæ Essentiæ: Doctor Illum. ibid.: quam gratiam tam anxiè quæsitam, tot suspiriis exoptatam, tot laboribus, itineribus post opprobria & carceres inter Barbaros ab Amato obtinui.

Quis autem Geometrarum, quantàcunque certitudine demonstrativâ sciret, quadratum hypothenusæ in triangulo rectangulo esse æquale quadratis laterum, pro tuenda hac veritate subiret Martyrium? profectò nullus: difficultas acquisitionis theoriæ hujus tertii gradûs & raritas possessorum ejus comparanda cum raritate possessorum occulti doni Philosophiæ vobis vix non incredibilem facit hanc veritatem; nam „ sicuti, quando homo ascendit in altum „ montẽ, fortiùs defatigatur, quàm quando „ ascendit in colles, qui sunt depressi, sic in„tellectus graviùs recipit demonstrationes, „ quæ sunt de rebus infinitis, quàm illas, quæ „ sunt de rebus finitis: & ideo in phantasia vi„detur, quòd intellectus non tantum in-

„telligat, nec de tam magna necessitate, in „ demonstratione, quæ fit per tertium gra„dum, in quo plus intelligit, quàm per de„monstrationem, quæ fit per primum & „ per secundum, in quibus tantum non „ intelligit &c., Doctor Illum. in fine dicti cap. 13. Lib. 2. Mir. Dem.: si itaque tam pauci ad theoriæ culmen hujus gradûs pertingunt, quid de defectu practicæ miramur?

Disc. Geometræ nostri temporis, Pater, videntur aliquid subolfecisse de hoc gradu tertio, quia omnes suas demonstrationes jam conantur reducere ad principia infiniti. Mag. in hoc laudo illos, sed in hoc non laudo, quia omnes infinitum quærunt, ubi inveniri non potest, nempe in creatura; unde tota Arithmetica infinitorum, & tota Geometria infinitorum, & omnia theoremata ex illis deducta falso nituntur fundamento; quod compendium hujus Introductionis exemplis probare non finit, sed alibi, DEO dante, fieri poterit: interea *Geometriam meam majorem* perlustra, quatenus Theologiæ illam applicavi, sed moneo, ne imaginationem & phantasiam te ad usitatos conceptus Geometriæ particularis trahere permittas.

Hactenus te extuli usque ad contemplandum verticem meæ Artis, in quo residet suprema methodus demonstrandi, quem, si cuipiam forsan meorum Discipulorum per singulare & rarissimum donum DEI conscendere contigerit, de certitudine hujus theoriæ non ambiget, & persuasum habebit, meas demonstrationes de rebus intellectualibus suâ infallibilitate excedere mathematicas sinè ulla comparatione: unde sicut ille, qui in altissimo monte consistit, uno quasi intuitu propinquas & remotas, superiores & inferiores partes perlustrat, sic illi, qui eò, quò dixi, pervenerunt, sumâ claritate superiora & inferiora, intellectualia & sensualia contemplantur; quod iis planè non accidit, qui stant in planitie meæ Artis, vel adhuc in ascensu commorantur: „ ratio „ autem, quare hoc ita est, stat in hoc, quia „ quidquid virtutis habent F.G. ascendendo, „ habent similiter descendendo, sed non è „ converso; quia descendentia imprimunt „ in se ab E. contemplativo primæ causæ lu„men & virtutem, de quibus in descensu „ illuminantur E.I. de inferioribus judicantia, Doctor. Illum. in Comp. Art. Dem. Dist. 2. de Reg. 1. fol. 74. Tom. 3.

Denique quâ methodo Ars mea opem præbeat ad reducendos errantes & convertendos Infideles ad nostram sanctam Catholicam Fidem & Ecclesiam, in *quarto* & *quinto Libro Contemplationis* per diversa Capita fusissimè tradidi, præsertim capite 238. & sequentibus tribus, item capite 339., ex professo autem capite 346., *in quo demonstravi Artem & modum, per quem possunt dirigi & converti Infideles ad semitam perdurabilis beatitudinis*; nec tantùm Saraceni, sed totus mundus: huic autem alto & sancto negotio magis convenit scientia infusa, quàm acquisita; nam „ scientia per humanum „ ingenium acquisita non immutat nec „ convertit cor peccatorum vel errantium, „ sed scientia dono S. Spiritûs infusa dat pec„catoribus cor pœnitendi, & illuminat o„culos tenebrosos existentium in errore. Doctor Illum. in Lib. Doct. Puer. cap. de Dono Scient.: unde Fili, si disputas cum aliquo, „ ut des honorem DEO, & ad ampliandam „ Fidem Catholicam, fortiùs confidas in Sci„entia, quæ datur à S. Spiritu, quàm in il„la, quæ docetur Scholaribus à Magistris, Doctor Illum. ibid.

Postquam demonstravi modum, quo suprema potentia, quæ est in homine, scilicet *Potentia Rationalis & Intellectiva* proportionatur & adaptatur ad recipiendum suum supremum objectum, necessarium est etiam demonstrare, quâ ratione se habeant & sint regulandæ reliquæ quatuor inferiores potentiæ cum potentia rationali unitæ, scilicet *Vegetativa, Sensitiva, Imaginativa & Motiva* ad capiendum suum inferius objectum; cùm enim Intellectus conjunctus non possit operari sinè ministerio harum quatuor potentiarum, quando agit circa res sensuales, & ab illis in suo ascensu sumat principiũ abstrahendo de objecto sensuali species, & illas de gradu in gradum purificando, exaltando, universalificando ac ponendo in suum intellectum possibilem, ut ab illis recipiat significationes, quibus sibi repræsentet objecta intellectualia, & quælibet harum potentiarum ratione suæ *concordantiæ, contrarietatis, finis terminationis, defectûs & perfectionis, veritatis propriæ & intrinsecæ*, quas habet in se & cum altera & cum ipso intellectu, possit ponere perfectionem vel defectum in operatione dicti Intellectûs, necessariò convenit, Artificem habere Scientiam, quâ ratione quælibet harum potentiarum se habeat ad alteram, & moveat alteram, &

reciprocè moveatur ab illa, ut finem intentum veritatis certò & infallibiliter possit attingere : nam propter defectum hujus Scientiæ multi tam antiquorum, quàm vestrorum recentiorum Philosophorum multos errores introduxerunt in Philosophiam, non attendentes ad potentiam & modum, cum quibus versabantur circa objectum, cujus veritatem inquirebant.

Ne igitur simile malum accidat Discipulis meis, necessarium visum est mihi, tradere in meis Libris perfectam & absolutam scientiam de natura, usu, ordinatione & motu harum potentiarum, sicut tradidi de reliquis duabus partibus, scilicet de instrumento & objecto ; & hoc *dupliciter* : *primò*, quatenus sunt in ipso homine, & sunt unitæ (ût suprà dixi) cum potentia rationali ; *secundò*, quatenus sunt extra hominem : ratio autem hujus est, quia *per unum modum* perfectiùs cognoscuntur natura & proprietates harum potentiarum in compositione & unione cum potentia intellectiva, quàm quando una ab altera est separata ; cùm omnis operatio ad intrà sit magìs perceptibilis, quàm ad extrà ; & hoc sensualiter sentimus, nam nullus homo sciret, quid esset calidum, frigidum, humidum & siccum, album, rubeum, nigrum, viride cæruleum, attractivum, retentivum, digestivum, expulsivum, acidum, dulce, amarum &c. & reliquæ qualitates sensuales, nisi haberet in se potentiam vegetativam, sensitivam, imaginativam & motivam, etiamsi totam Philosophiam rationalem Aristotelis, & totã Philosophiam mechanicam Cartesii haberet in intellectu : *per alterum* verò *modum* perfectiùs cognoscuntur extra hominẽ, quàm intra ; quia operationes, quas exercent in homine, non sunt visibiles in homine, sed extra hominem, ût patet in toto processu naturæ & artis secundùm naturam regulatæ, quem homo in se ipso nunquam in hac vita posset videre : unde ut DEUS per magnam & ineffabilem bonitatem homini mortali in hac vita daret cognitionem perfectiorem sui ipsius corporalem, ut per hujus significationem posset ascendere ad perfectiorem cognitionem sui ipsius Spiritualem, & per consequens sui Creatoris, cui inter omnes creaturas corporeas homo ratione similitudinis & imaginis est propinquissimus, voluit ipsi dare Artem & Scientiam harum quatuor potentiarum extra ipsum hominem in objecto.

Incipiamus nunc de illis agere, prout sunt *in homine*, & habent rationem potentiæ ; & primò de Potentia motiva : hæc potentia dividitur in *duas Species*, nempe in motivam sensualem, & motivam intellectualem, de quibus prolixè egi in multis meorum Voluminum, præsertim in *Libro Astronomiæ*, & per totum *Librum Contemplationis* : unde hìc de illa in genere tantùm agam, in quantum movet cæteras quatuor : „ qui vult intrare in hanc inquisitionem, „ convenit, illum cognoscere *quatuor Motus*, „ secundùm quos potentia motiva movet „ quatuor potentias : *primus* motus est, quando motiva movet sensitivam cum vegetativa : *secundus* motus est, quando motiva movet imaginativam cum sensitiva : *tertius* motus est, quando motiva movet rationalem cum imaginativa : *quartus* motus est, quando motiva movet vegetativam, sensitivam & imaginativam cum rationali, vel movet rationalem cum vegetativa, sensitiva & imaginativa, vel movet sensitivam cum vegetativa, imaginativa & rationali, vel movet imaginativam cum vegetativa, sensitiva & rationali : unde secundùm hoc sunt alii quatuor motus ; & secundùm quòd motiva movet quatuor potentias per septem supradictos motus, figurantur tres virtutes animæ, & quinque sensus sensuales, & quinque intellectuales. Doctor Illumin. dicto Libro 5. cap. 357.

Disc. Quòd dentur quinque Sensus intellectuales, tu primus doces : quid sunt hi Sensus ? Mag. Fili, si de his ulteriorem notitiam desideras, confer te ad *Librum tertium & Volumen secundum Contemplationis* ; nam totum hoc maximum Volumen non tractat de alia materia, quàm de quinque Sensibus sensualibus & de quinque Sensibus intellectualibus, & hoc Volumen est quasi nodus conjungens inferiora superioribus, in quo multa mirabilia invenies : si singulorum dictorum motuum exempla dare vellem, hoc caput crescceret in corpus libri ; unum subjiciam in significationem reliquorum. „ Quando motiva movet sensitivam cum vegetativa, tunc dat vel auffert à vegetativa vel de calore vel de frigiditate, adhoc, ut per famem vel sitim „ sensitiva se moveat, sentiens famem vel „ sitim, ad hoc, quod est necessarium vegetativæ, secundùm quòd motiva illam movet, aufferendo vel minuendo per actionem

„ nem vel per passionem, Doctor Illum. eod. cap. : tu ad normam hujus exempli forma alia applicando Arbores, præcipuè teriam, & Clavem Naturæ & Artis : attamen adverte, quòd sub hoc sensu literali lateat alius sensus metaphoricus de his quatuor potentiis, in quantum sunt extra hominem, & sunt instrumenta naturæ ; & hoc pertinet ad Secreta Grammaticæ & Rhetoricæ ; de quibus infrà clariùs.

Disc. Cùm suprà dixeris, Pater, quòd hæ quatuor potentiæ ratione concordantiæ vel contrarietatis &c. possint ponere perfectionem vel defectum in operatione intellectûs, & tanti intersit nosse modum, quo illis dictus intellectus utitur ad finem veritatis obtinendum, oro, expone hunc modum.

Mag. Faciam : tu scis ex mea Philosophia, quòd hæ quatuor potentiæ inferiores realiter sunt inter se & ab intellectu distinctæ, & habeant se ad invicem ût gradus in scala musica ; nam semper superior est inserta inferiori, ût olea oleastro : unde cùm hæ potentiæ sint inæquales in essentia, etiam erunt inæquales in operatione multimodè ; & hæc inæqualitas causat *Punctos transcendentes*, de quibus ante me nemo unquam in Scholis egit, cùm tamen sinè intima & perfecta cognitione horum punctorum transcendentium nemo in ulla scientia vel uno passu securè pedem figere valeat ; „ nam „ in omni materia punctum transcendentem, dicimus, inveniri posse : causatur enim „ punctus transcendens ex excessu, quem alia „ potentiarum hominis habet supra aliam, „ aut aliquando supra se ipsam, eò quòd confluentes ad objectum, quælibet secundùm „ suam propriam rationem, attingunt inæqualiter ipsius objecti realitatem, ita, quòd „ de natura cujuslibet earum est, ultra quantitatem suam attingendi negare ; itaque „ negat id, quod alia potentia per excessum „ attingit super illam : excessus quidem earum, cùm sit naturalis, per se est manifestus ; nam quantumcunque sensus sentiendo attingit, tantundem imaginatur „ imaginatio, & ultrà ; & quantumcunque imaginatur imaginatio, tantundem „ intelligit intellectus, & ultrà ; & quantumcunque realitatis intelligit intellectus „ in objecto, tantundem est in eo, & ultrà : quòd si non, impossibilis esset suppositio ultra intellectum, & per consequens nec fides nec opinio essent : & hìc „ transcendit intellectus se ipsum, intelligens, aliqua esse necessariò, quæ non intelligit.

„ Quædam ergò punctorum transcendentium causantur ex hoc, quòd potentiarum alia aliam excedit (ût dictum est) nam „ ex hoc, quòd intellectus, qui est superior „ potentia, imaginationi & sensui naturaliter est unitus, & per eas plurima intelligendo affirmat vel negat, quæ sinè ipsis attingere non posset naturaliter, ideo habet „ inclinationem negandi ea, quæ negant, „ vel affirmandi ea, quæ affirmant duæ inferiores potentiæ prædictæ, & tunc, dum „ ita agit, & necessaria ratio illius excessûs, „ quem habet super eas, distrahit eum ad „ oppositum, transcendit coactus prædictam inclinationem naturalem, quam habet ad prædictas potentias, & remanet „ in ratione & necessitate sui excessûs, affirmans ea, quæ prædictæ potentiæ negant, „ vel negans ea, quæ affirmant. Quomodo autem in omni materia ejusmodi puncta inveniantur, amplissimè deduxi per exempla, incipiendo ab infimo gradu meæ Philosophiæ, & ascendendo per novem gradus usque ad supremum gradum Theologiæ in mea *Arte Inventrva* Dist. 3. Reg. 8. de Punctis transcendentibus Tom. 4., quam consule. Fili, ignorantia hujus Regulæ decepit Cartesium in inquirendo termino hujus mundi ; nam volens imaginativâ suâ attingere ultra potentiam illius attingendi affirmavit, imaginando semper corpus ultra corpus, quod altiòr potentia, scilicet intellectus negat, & attingit impossibile : sic eadem ignorantia delusit Copernicum nescientem investigare verum Systema hujus mundi : hâc quoque ignorantiâ præstantissimi vestrorum Geometrarum impegerunt in scopulos erroneorum principiorum, statuentes vel infinitum actuale in creatura (ût suprà tetigi) vel confundentes principia Geometriæ cum Principiis Philosophiæ, vel affirmantes, nullam dari levitatem, sed omnia esse ponderosa, vel negantes in astris motum intrinsecum naturalem in circulum, sed statuentes illum partim ab impulsu, partim à gravitate causatum : sic in Musica fingentes proportionem harmonicam impossibilem (ût suprà in Geometria ostendi) & centena alia, quæ mediante hâc solâ regulâ facilè deprehendissent falsa.

Ulteriùs, sicut inadvertentia terminationis dictarum potentiarum & operatio il-

larum ultra suos limites facit, intellectum apprehendere falsum pro vero, & verum pro falso, sic ex opposito inadvertentia perfectionis, quam habent in sua operatione intra suos limites, facit, intellectum pariter judicare falsum pro vero, & verum pro falso; quod tunc solet accidere, quando intellectus utitur suâ arte circa rem sensualem individuam & particularem, investigans illius essentiam, naturam, passiones, proprietates, & inquirens veritatem in suis principiis universalibus, nec in consortium trahit inferiorem potentiam, circa cujus proprium objectum versatur, ût patet in experimentis physicis & mechanicis; nam cùm de particularibus non detur scientia, sed tantùm de universalibus, quando intellectus formas universales suorum principiorum, conditionum & demonstrationum applicat particularibus sensualibus, nec consulit sensum, cui illud objectum sensuale est subjectum, tunc veritas naturalis, quæ est in illo sensu, dirigens intellectum tanquam illius instrumentum in investigatione desideratæ veritatis intellectualis, absconditur intellectui, per cujus absentiam deficit medium inter potentiam & objectum, & per consequens finis, qui est veritas intellectualis particularîs quæsiti: hoc millenis exemplis possem confirmare tam in naturalibus, quàm in mathematicis, quorum aliqua per hunc Tractatum dispersa invenies, præsertim in Musica, quod loco omnium te manuducere potest non solùm ad notiam veritatis sensualis, sed etiam ad modum adhibendi illam ad inveniendam dictam veritatem intellectualem.

Restat aliqua subjungere de dictis Potentiis, prout sunt *extra hominem* in objecto, & sic iterum dupliciter sunt considerabiles, aut sicut existunt in Chaos physico universali; & tali modo non subjacent operationi Artis, sed solùm speculationi, ût rectè citasti ex meo Testamento in *meis Perspiciliis*; aut sicut sunt in Chaos physico particulari, quod est subditum speculationi & operationi Artis: & hoc iterum dupliciter, nam vel sunt habituatæ suis specialibus formis, quas voco potentias particulares, ût est forma vegetativæ particularis hujus plantæ vel illius &c.; & hoc modo propriè in Schola nostra vocantur Chaos particulare; aut sunt abstractæ abstractione physicâ & reali à suis particularibus; & hoc modo propriè à nobis vocantur Chaos universale: in hoc autem Chaos universale intrat totus triangulus croceus, quia unum est majus altero, usque ad maximum constans tribus generibus paucis notum. Fili, de hoc inspice meum *Librum Chaos*, & pete à tuis Philosophis, an unquam in sua Philosophia eâ methodo processerint, sicut ego in dicto Libro; sed lectioni hujus libri junge *Dist. 3. mei Libri de Quinta Essentia*, item *Theoricam Testamenti & Codicillum*; his etenim cognitis habes Clavem, quam in fine Geometriæ posui; quapropter intra, si scis, vis & potes, sed tace.

CAPUT V.

De Secreto Operationis seu Demonstrationis.

MAg. Comparatâ sufficienti provisione materiæ in Capite secundo, præparatis necessariis Instrumentis & ad operandum idoneis in Capite tertio, habilitatâ insuper Potentiâ per Caput quartum, superest in hoc Capite quinto & ultimo revelare Secretum introducendi formam in materiam, h.e., operandi seu demonstrandi: & quamvis in Capite tertio per singulas ejus septem Partes data sint exempla particularia Operationum ac Demonstrationum, hoc tamen Capite ceu fine & complemento Operis convenit, omnes dictas partes speciales congregare in unam generalem & supremam Methodum operandi ac demonstrandi.

Suppono igitur *primò*, illum, qui desiderat non modò intelligere ea, quæ sequuntur, sed etiam secundùm formam hujus methodi operando & demonstrando tam lautis Epulis refici, omnia antedicta in memoria sua ordinatè reposuisse: suppono *secundò*, Artem Brevem seu Compendiosam ejusque Lecturam illi non omninò incognitam, quarum si practicam quoque viderit in quatuor specialibus Scientiis hujus primi Tomi, & aliquali imitatione assecutus fuerit, de profectu non modico certus accedet securior ad hoc Opus. Porrò magnitudo scientiæ, quàm adipiscetur experientiâ hujus Artis in hoc Capite præmonstratâ, causabit in illo magnitudinem delectationis, cujus intensione mensurabit magnitudinem suæ scientiæ; quæ magnitudo paulatim deteget & significabit illi magnitudinem

tudinem interminabilem hujus Artis: unde sequetur, quòd, quantò magis Artem ceperit, tantò magis è converso capietur ab Arte, à cujus amplexu nexúque mutuo exsolvi non volet nec poterit, nisi agnitæ certitudini Veritatis summâ protervia velit reluctari.

Ad finem igitur toto nisu properantes demonstrabimus modum, quo Potentia utitur ad inveniendum suum desideratum Objectum; hunc autem Modum investigandi & inveniendi (qui est ipse primò intentus modus operandi) exponemus per *duo Exempla*, quorum primum ostendet ipsum *Principium* Operis, quod est *Potentia* seu *Agens universale*, & *Medium*, quod est *Opus*, & *Finem*, qui est *Objectum* omnium objectorum summum, hoc est, ipsa *suprema & universalissima Veritas*, in cujus inventione invenitur omnis alia veritas inferior. Secundum revelabit per idem Principium, Medium & Finem secretum Principium operativum & demonstrativum omnium Secretorum, secretum Medium seu Modum operandi & demonstrandi omnia Secreta, secretum Finem seu Secretum summum inferius, Secretum summum superius, & secretum Medium inter utrumque, quibus terminantur & finiuntur omnia Secreta per meam Artem investigabilia & inventibilia: sitigitur

Primum Exemplum
De Potentia & Objecto Veritatis.

1. MAg. Qui vult adorare & contemplari divinam Veritatem, convenit, quòd illam sciat adorare & contemplari *sensualiter* & *intellectualiter*, & per *tertiam Figuram* compositam de prima & secunda; & quando ordinaverit & disposuerit omnes tres Figuras, tunc convenit, quòd adoret, contempletur, laudet & benedicat sanctam Veritatem in *Unitate* & *Trinitate* divina in *Virtutibus* divinis.

2. Qui vult investigare & invenire Veritatem, convenit, illum figurare Figuram compositam ex quatuor Figuris, quarum quælibet habeat suum proprium significatum ad significandum Veritatem. *Prima* harum quatuor Figurarum est *simplex* & vera in hoc, quod significat, & tres Figuræ sunt *compositæ* dantes duplicia & contraria significata inter veritatem & falsitatem; quia per unum modum dant demonstrationem *veritatis*, & per alterum *falsitatis*.

3. Unde qui vult habere cognitionem *trium Figurarum*, in quantum significant veritatem & falsitatem, sciat illas tentare & probare cum *prima Figura*; quia in quantum in natura & proprietate concordant cum prima Figura, & appropinquant illi, sunt in veritate, & in quantum discordant ab illa, sunt in falsitate: nam sicut in Logica cum prima Figura cognoscitur, utrùm duæ Figuræ contineant veritatem vel falsitatem, sic per primam Figuram habet homo cognitionem veritatis vel falsitatis, quæ continetur in tribus Figuris: unde cùm hoc ita sit, convenit, quòd figuremus *quatuor Figuras*.

Prima Figura A.		*Tertia Figura A.*	
	A. Veritas.		
B	Memoria recolens A.	K	Memoria obliviscens A.
C	Intellectus intelligens A.	L	Intellectus ignorans A.
D	Voluntas diligens A.	M	Voluntas amans A.
E	Significatio composita ex B. C. D.	N	Significatio composita ex K. L. M.
Secunda Figura A.		*Quarta Figura A.*	
F	Memoria recolens A.	O	Compositio ipsorum B. & K.
G	Intellectus intelligens A.	P	Compositio ipsorum C. & L.
H	Voluntas odiens A.	Q	Compositio ipsorum D. & H.
I	Significatio composita ex F. G. H.	R	Significatio composita ex O. P. Q.

4. *Prima Figura* dicitur Veritatis simplicis: igitur ponimus, quòd A. sit Veritas, & ponimus, quòd B. sit Memoria, quæ recolit A., & quòd C. sit Intellectus, qui intelligit A., & ponimus, quòd D. sit Voluntas, quæ amat A., & ponimus, quòd E. sit Significatio composita de B. C. D., per quam A. significetur & demonstretur memoriæ ad recolendum, intellectui ad intelligendum, & voluntati ad amandum: unde qui vult ferventer & virtuosè contemplari supremam Veritatem, convenit, quòd sciat cognoscere & figurare hanc Figuram sensualem, ad hoc, ut per illam sciat cognoscere & figurare Figuram intellectualem, cum qua possit contemplari supremam Veritatem intellectualem.

5. Unde gloria & benedictio sit huic gloriosæ sanctæ Veritati, quæ creavit & ordinavit Animam hominis ad habendam memoriam, intellectum & voluntatem, ut recolens, intelligens & volens habeat cognitionem *veritatis creatæ*, per quam veritatem sciat cognoscere *veritatem Creatoris*, contemplans illam cum vero recolere, intelligere & velle.

6. Unde cùm hoc ita sit, ponimus, quòd A. sit suprema Veritas, & quòd E. det significationem & demonstrationem illius: sed quia A. est majus & melius sinè omni comparatione, quàm B. C. D., ideo E. non potest significare tantam demonstrationem de A., quàm magnum, mirabile & virtuosum est A. in sua vi & virtute & magnitudine; sed quia A. dedit aliquam virtutem & proprietatem ipsi E., ut possit esse demonstratio illius, ideo volumus frui illâ virtute & proprietate ad contemplandam illam sanctam Veritatem justam secundùm vim & virtutem, quã E. recipit per gratiam ipsius A. in B. C. D.

7. *Secunda Figura est*, quando homo ponit, quòd F. sit Memoria, quæ recolit A., & G. sit Intellectus, qui intelligit A., & H. sit Voluntas, quæ non amat A., & I. sit Significatio composita de F. G. H., quam dant de A.: unde ista Figura figuratur sensualiter, ut homo possit cognoscere intellectualiter, quomodo per unum modum I. det *veram demonstrationem* de A., & per alterum modum det *falsam significationem* de illo.

8. Quia cùm F. G. habeant *ordinationem* ad significandum A., & H. habeat *inordinationem* ad illud significandum, per hoc, quia est contrarium ipsis F. & G., ideo I. componitur de rebus contrariis, & ideo formatur de *vera* & *falsa figura*: propter hoc I. per unum modum demonstrat A., & per alterum modum est contrarium ad demonstrandum A.: quia sicut speculum curvum per unum modum significat faciem hominis, & per alterum modum illi est contrarium in hoc, quòd illam significat curvam, sic, in quantum I. recipit naturam de F. & G., significat A., & in quantum recipit naturam de H., dat falsam significationem de A.: quia in hoc, quòd H. odit hoc, quod F. recolit, & quod G. intelligit, & I. non vult recipere significationes, quas F. & G. dant de A., & vult alias significationes contrarias ipsis F. G., & in hoc, quod I. recipit de F. G., est contrarium significationibus, quas H. amat, ideo I. est compositum de rebus contrariis accidentaliter ad significandum A.

9. Dum *Cogitatio* hominis stat in hac Figura, & est perplexa, & nescit, ad quod se inclinet, vel ad hoc, quod I. recipit de F. G., vel ad hoc, quod recipit de H., tunc venit *Conscientia* de *potentia* in *actum*; & si *potentia rationalis* est domina *potentiæ sensitivæ*, tunc conscientia adjuvat F. & G. contra H., per quod juvamen H. convertitur in D., & I. convertitur in E., & redit significatio de natura *primæ Figuræ*: quòd si potentia sensitiva est Domina potentiæ rationalis, conscientia non venit de potentia in actum virtuosè nec perfectè, propter quod H. remanet in sua figura, & I. in sua; & I. stat in *secunda Figura* falsè per unum modum, & verè per alterum: unde in hac figura dirigunt vel errant multi homines, quidam per modum *Rationis*, alii per modum *Fidei*: unde quando homo cum *prima Figura* scit habere cognitionem de *secunda*, tunc contemplatur A. per B. C. D. E.

10. *Tertia Figura* est, quando homo ponit & dicit, quòd K. sit Memoria, quæ obliviscitur A., & L. sit Intellectus, qui ignorat A., & M. sit Voluntas, quæ amat A., & N. sit significatio composita de K. L. M., quod N. significat A. verè per unum modum, & falsè per alterum modum.

11. Unde quando N. capit naturam ipsius M., tunc ordinatur ad significandum verè A.; & quando capit naturam ipsorum K. L., tunc deviat & inordinatur ad significandum A.; per quam inordinationem significat falsè contraria de A.: *unde sicut atomus, in quantum continet plus de igne & aëre, movetur sursum, & in quantum continet plus de aqua & terra, movetur deorsum*, sic N., in quantum continet plus de M., quàm de K. L., fortiùs significat A., quàm contraria de A.; & quando continet plus de K. L., quàm de M., tunc significat falsitatem, & abscondit veritatem.

12. Per istam Figuram voluntas amat A. à casu & fortuna, postquam memoria non recolit A., nec intellectus illud intelligit; unde per istam Figuram formatur *Fides* à casu & fortuna in M.; quia fides est amare id, quod Anima credit per vim amoris, quamvis memoria illud non recolat, nec intellectus intelligat: unde quando M. per magnam *animositatem* & per magnum *fervorem* crescit super K. L., & N. continet in se plus de M., quàm de K. L., tunc alteratur M. in D., & N. in E., & K. in B., & L. in C.; & quando omnes istæ literæ sunt alteratæ per istum modum, tunc homo contemplatur summam Veritatem *per primam Figuram*: sed quando N. continet in se plus de K. L., quàm de M., si contingat, quòd M. amet A., tunc homo contemplatur summam Veritatem per Fidem; & si M. putat amare A., & amat contrarium ipsius A., hoc est, falsitatem, tunc M. contemplatur summam Veritatem, habens bonam intentionem ad hoc, quod amat, credendo, quòd hoc, quod voluntas amat, sit A.

13. *Quarta Figura* componitur *de tribus figuris*, quando homo ponit, quòd de B. K. componatur O, quod insimul contineat naturam ipsorum B. K., & quòd per eundem modum C. L. componant P., & D. M. componant Q.: unde quando homo posuerit & affirmaverit per istum modum istas tres Figuras, postea convenit, quòd affirmet & ponat, quòd de O. P. Q. componatur Figura R., quod sit significatio, quam O. P. Q. dant de A.

14. Unde quando homo figuraverit R., tunc cum E respiciat R., & videat, de quibus figuris R. contineat in se plus similitudinis & naturæ, vel de B. C. D., vel de K. L. H.: quia sicut infans recipit plus similitudinis de suo patre, quàm de sua matre, si pater habet fortiorem & magìs ordinatam naturam, quàm mater, sic si R. in se continet plus de B. C. D., quàm de K. L. H., tunc R. magìs appropinquat ipsi A., quàm contrario ipsius A.: & sicut infans habebit majorem similitudinem suæ matris, quàm patris, si mater est magìs complexionata & ordinata ad generandum, quàm pater, sic, si R. est magìs propinquum & magìs approximatum in natura ipsis K. L. H., quàm ipsis B. C. D., tunc erit magìs contrarium ad significandum A., & erit magìs dispositum ad significandam falsitatem.

15. Quando R. significat A. in *quarta Figura* per hoc, quod recipit & continet de B. C. D., non est in illa virtute & efficacia ad significandum A., sicut est E., & hoc est ideo, quia R. in se continet contraria ipsorum B. C. D., per quæ non potest tam bene significare A., sicut E. illud significat, quod non in se continet ullam contrarietatem ipsorum B. C. D.; & quando R. significat falsas demonstrationes ipsius A. per hoc, quia continet hoc, quod recipit de K. L. H., tunc non est tam contraria significatio ipsi A., sicut est I.; & hoc est propter compositionem, in qua R. est cum B. C. D.; quia I. est fortiùs dispositum ad significandam falsitatẽ per hoc, quia de *prima Figura* non continet nisi duas literas tantùm, hoc est, B. C., quàm R., quod de prima Figura in se continet omnes tres: unde cùm hoc ita sit, quando homo scit recolere & intelligere hanc Figuram intentione contemplandi summam Veritatem, tunc contẽplatur DEUM, secundùm quòd R. continet de A. per E., & deficit contemplari veritatem, secundùm quòd R. continet de I. N.

16. Cùm Anima sit simplex substantia simpliciter unita de memoria, intellectu & voluntate, quæ unio dicitur simplex respectu compositionis corporis uniti de quatuor elementis per unum modum differentibus, & per alterum inter se contrariis, ideo memoria, intellectus & voluntas in *prima Figura* simpliciter figurant E., quod dat significationem ipsius A., quam simplicitatem continet E. in se per hoc, quia concordanter est unitum de B. C. D.; unde E. habet virtutem, nobilitatem & honorem super I. N. R., quia semper verè significat A. sinè ulla falsa significatione.

17. Ratio & causa, quare E. est super omnes alias significationes, est, quia non est compositum de rebus contrariis, sed est compositum de rebus concordantibus, hoc est, de B. C. D.; & ratio ac causa, quare I. N. R. non habent nobilitatem ipsius E. in significare A., est, quia omnes tres figuræ sunt compositæ de rebus differentibus & contrariis; & per hoc, quòd in sua differentia continent contrarietatem, non possunt habere *simplicitatem* ipsius E., continentia contrarietates: *unde sicut quatuor Elementa in vegetabilibus & animalibus generant & corrumpunt formas, & unum est contrarium alteri*, sic *tres Figuræ* per unum

modum de A. dant veram ſignificationem, & per alterum modum de illo dant falſam ſignificationem.

18. Qui vult intrare in inveſtigationem veritatis, convenit, quòd primò inquirat A. cum E.; & ſi non poſſit invenire cum E., inquirat cum I. vel N. vel R.; & ſi invenit A. in E., non oportet illum dubitare, & convenit, quòd ſubitò affirmet hoc, quod E. ſignificat de A.; & ſi in nulla trium figurarum 22. invenit A., convenit, quòd affirmet, ſignificationem eſſe veram, quouſque illam probaverit & tentaverit in *prima Figura*: quia ſi in nulla *trium Figurarum* homo affirmaret veritatem, poſſet decipi per falſas ſignificationes, quæ in illis falsè demonſtrantur, & per veras ſignificationes, quæ in tribus Figuris occultantur: unde qui habet intentionem per hunc modum inquirendi veritatem DEI per rationes neceſſarias, ſua intentio formatur & figuratur in *Oratione* & *Contemplatione*, quam facit per iſtam artem & modum de divina Veritate.

19. Senſualiter ſentimus, & intellectualiter intelligimus, quòd *poſſibilitas* & *impoſſi-* 23. *bilitas* fortiùs ſignificatur in *prima Figura*, quàm in *tribus Figuris*; quia quantò major ſit concordantia & convenientia in prima Figura, quàm in aliis Figuris, tantò meliùs poſſibilitas & impoſſibilitas ſe demonſtrant ipſi E., quàm ipſis I. N. R.: *quia ſicut forma corrumpitur per inordinatum ſubjectum*, ſic ſignificationes, quæ ſunt in tribus Figuris, abſcondunt veritatem, & ſignificant falsè falſitatem in rebus, quæ ſunt poſſibiles & impoſſibiles.

20. Unde cùm hoc ita ſit, ſicut ſpeculum planum & rectum ſemper rectè & verè demonſtrat formam, ſic E. verè demonſtrat A., recolendo, intelligendo & volendo in A. res, quæ in illo ſunt poſſibiles & impoſſibiles: ſed ſicut folium arboris ad omnem ventum ſe vertit, ſic I. N. R. ſe vertunt ad omnes ſignificationes, quæ *verè* vel *falsè* ſignificant *poſſibilitates* & *impoſſibilitates*, quæ ſunt in A.; ideo aliquoties affirmant, quòd 24. hoc, quod eſt poſſibile, ſit impoſſibile: unde per hunc modum eſt intellectus perplexus, quòd non poteſt ſibi ſuccurrere in *tribus Figuris* ad perfectè cognoſcendum, quid ſit poſſibile & impoſſibile; & per hanc ignorantiam A. ignoratur per intellectum.

21. Unde cùm hoc ita ſit, per hoc ſignificatur & demonſtratur humano intellectui, „ quòd per corruptionem primi peccati *tres* „ *Figuræ* ſunt generatæ in hac miſera vita „ mundana, quæ non eſſent, ſi peccatum „ non eſſet; quia per *primam Figuram* Anima „ eſſet adeò ordinata ad recolendum, intel„ ligendum & amandum A., quòd E. non „ poſſet privari per I. N. & R., quæ I. N. R. „ privant E. de humana cogitatione, quando „ homo affirmat A. in impoſſibilitate, quæ „ eſt poſſibilitas, & affirmat A. in poſſibili„ tate, quæ eſt impoſſibilitas.

Qui vult habere ſcientiam & ſapientiam in aliqua re, convenit, quòd addiſcat *primam Figuram*, quia quando tres virtutes Animæ concordant & conveniunt inter ſe, tunc E. eſt diſpoſitum & ordinatum ad ſignificandum homini hoc, quod petit de A.; nam ſicut Argentifaber habet diſpoſitionem, quòd de materia argenti deducat in actum formas, quæ in illa ſunt potentialiter, & hanc diſpoſitionem habet per B. C. D. in prima Figura, ſic, qui amat habere ſcientiam, ſciat addiſcere per Artem regulam & modum primæ Figuræ, per quam *formæ ſcientiæ*, quæ potentialiter ſtant in C., poſſunt devenire in actum.

Multi homines ſunt, qui amant habere ſcientiam per M. vel per I., & putant addiſcere per *tertiam Figuram* vel per *quartam*; & quia tertia & quarta Figura ſunt compoſitæ de contrariis, ideo putant addiſcere A., quod eſt in ſcientia, & non poſſunt addiſcere, eò quòd N. & R. habent *defectum* demonſtrandi *actualiter formas potentiales*, quæ ſunt in ſcientia: unde tales, qui amant ſcire, & non poſſunt illud habere, deficiunt per K., quod obliviſcitur A., & deficiunt per L., quod ignorat A. in *prima Figura*: unde quia amant addiſcere, & non poſſunt addiſcere, putant, ſe eſſe complexionatos de tam groſſo ingenio, quòd non poſſint addiſcere; & ideo attribuunt ſuæ naturæ defectum, qui eſt in illis per tertiam & quartam Figuram, quæ facit illis ſcientiam *impoſſibilem*, quæ eſt *poſſibilis* ſcitu per primam Figuram.

Multi homines ſtant in *ſecunda* & *tertia Figura*, qui *amant* & *odiunt ſcientiam*; quia in quantum M. amat A., quod K. obliviſcitur, & L. ignorat, amat formas, quæ potentialiter ſtant in ſcientia, per quas A. demonſtratur per E.; ſed quia H. odit inſtrumenta & artes, quas F. recolit, & G. intelligit, per quæ inſtrumenta *formæ potentiales* ſcientiæ veniunt in *actum* in E., ideo homines, qui amant ſcientiam per tertiam Figuram, illam odiunt per ſecundam; & quia illo-

illorum velle eſt compoſitum de M. & H., ideo non poſſunt adducere de *potentia* in *actum* hoc, quod amant, quouſque ſe transferant ad *primam Figuram*: unde cùm hoc ita ſit, omnes illi, qui amant A., & ſciunt amare artem, per quam poſſunt cognoſcere & habere A., adorant & contemplantur Veritatem glorioſam DEI.

Intellectualiter intelligimus, quòd *pri-* 25. *ma Figura* eſt ſubjecta ipſi A., quando de- 28. monſtratur per *neceſſarias rationes*, & *tertia Figura* eſt ſubjecta ipſi A., quando demonſtratur per *fidem*, & non per neceſſarias rationes: unde quidam Chriſtiani habent cognitionem Trinitatis DEI per primam Figuram per neceſſarias rationes, & alii habent cognitionem illius per fidem: unde cùm Chriſtiani non poſſint demonſtrare Trinitatem DEI per neceſſarias rationes, niſi per E., ideo, cùm Infideles velint habere cognitionem Trinitatis DEI per I. vel N. vel R., nec Chriſtiani illam poſſunt demonſtrare per rationes neceſſarias in figuris, in quibus Infideles illam volunt cognoſcere, nec Infideles in ulla illarum figurarum habent poteſtatem, quòd de Trinitate DEI habeant cognitionem.

26. Quemadmodum in *vaſis ſenſualibus* quædam impediunt alia, quòd non poſſint omnia in illis recipi, ſic in *vaſis intellectua-* 29. *libus* trium Figuratum quædam intellectualia impediunt alia, ad habendam cognitionem de A.: unde cùm in E. poſſit plus capi de A., quàm in I., N. & R., per hoc, quòd E. non eſt de contrariis, de quibus ſunt I., N. & R., ideo Chriſtiani, qui indigent toto E. ad cognoſcendam Trinitatem DEI, non poſſunt illam demonſtrare per neceſſarias rationes, niſi cum E.; idcirco A. Trinitatis DEI non poteſt demonſtrari per neceſſarias rationes illis, qui illam volunt cognoſcere per I. vel N. vel R.: quia ſicut homo indiget toto ſuo robore ad levandum magnum pondus, ſic totum E. eſt neceſſarium ad cognoſcendum A. Trinitatis DEI.

27. Unde quando Infidelis, qui eſt in N., vult cognoſcere A. Trinitatis DEI, & capit de I. & R., tunc habet impedimentum cognoſcendi hoc, quod vult ſcire; ſed ſi ſe 30. verteret de N. ad E., tunc poſſet ſcire A. in E., quod non poteſt ſcire in N., nec in I., nec in R.; & ideo, quia errat in arte & modo, per quem A. poteſt cognoſci, attribuit ipſi A. hoc, quod non eſt in illo, & negat hoc, quod eſt in illo; igitur talis eſt ſimilis illi, qui dicit, quòd eſſe ſit non eſſe, & non eſſe ſit eſſe: unde quando homo vult Infidelibus demonſtrare A. per N., poſtquam ipſi nolunt illam intelligere in E., tunc Infideles per hoc, quia continent de H. in odiendo Trinitatem DEI, nolunt illam cognoſcere, niſi per rationes neceſſarias vel in *ſecunda Figura* vel in *quarta*; & cùm hoc monſtrare ſit impoſſibile, ideo A. occultatur ipſis K. L., & odio habetur per H.

Senſualiter ſentimus, & intellectualiter intelligimus, quòd aliqui Chriſtiani adorant & contemplantur per *primam Figuram* glorioſam Incarnationem, & alii per *tertiam Figuram*: unde illi, qui A. Incarnationis adorant & contemplantur per E., habent majus meritum in ſua *oratione per unum modum*, & illi, qui A. contemplantur cum N., habent majus meritum *per alterum modum*; quia quando B. C. D. adorant & contemplantur Incarnationem DEI, tunc E. habet majorem abundantiam adorandi & contemplandi per B. C. D., quàm habeat N. tantùm per M.: unde per iſtum modum E. eſt majus, quàm N.; ſed quia M. vult amare Incarnationem, quam K. non poteſt recolere, & L. non poteſt intelligere, ideo M. ipſius N. habet majus meritum in amando, quàm habeat D.; & B. C. habent majus meritum, quàm K. L.

Quando Infideles diſputant & contendunt cum Chriſtianis, qui Incarnationem DEI adorant & contemplantur in N., tunc Infideles petunt rationes neceſſarias, & nolunt adorare & contemplari A. Incarnationis in N.; & quia illi Chriſtiani neſciunt nec poſſunt dare per N. rationes neceſſarias ad demonſtrandum A., ideo Infideles opinantur, quòd A. non ſit in Incarnatione: & quando Infideles diſputant cum Chriſtianis, qui A. Incarnationis vident cum E., nolunt Infideles recipere neceſſarias rationes in E., eò quòd continent de I., N. & R., propter hoc ſunt ſicut cæcus, qui non poteſt recipere ſplendorem ſolis, ideo alteratur illorum voluntas contra A., & recipit formam de H., & illorum memoria recipit formam de K., & illorum intellectus de L., & habent opinionem, quòd A. non ſit in Incarnatione.

Unde benedicta & glorificata ſit Veritas perfecta DEI, quam contemplati ſumus per *figuras ſenſuales* & *intellectuales*; quia ſicut Philoſophus in Libro Cœli & Mundi per figuras ſenſuales inquirebat intellectuales, ſic nos per figuras ſenſuales contemplamur veritatem DEI intellectualem: *„unde ſicut per iſtas quatuor Figuras homo habet cognitionem*

divinæ Veritatis, ſic per iſtas quatuor Figuras poteſt habere cognitionem Veritatis, quæ eſt in creaturis: unde cùm hoc ita ſit, qui vult invenire, cognoſcere & amare Veritatem, habeat cognitionem quatuor Figurarum ſupradictarum ad gloriam, laudem & reverentiam ſanctæ glorioſæ Veritatis divinæ. *Doctor Illum. Lib. Contempl. 5. cap. 331.*

Secundum Exemplum
De Potentia & Objecto Secreti.

1. QUi vult adorare & contemplari ſanctum Secretum DEI, convenit, quòd ſciat formare & figurare ſenſualiter & intellectualiter *tres Figuras Orationis*, cum quibus ſciat adorare & contemplari ſanctum Secretum virtuoſum in ſancta *Unitate* & *Trinitate* glorioſa & in *Virtutibus* perfectis DEI.

2. Qui ardenter & declaratè vult adorare & contemplari ſanctum Secretum, convenit, quòd ſciat figurare figuras ſenſuales, ad hoc, ut poſſit ſe vertere ad contemplandum Secretum cum figuris intellectualibus; ideirco nos per gratiam & auxilium DEI proponimus adorare & contemplari ſanctum & mirabile Secretum DEI de totis noſtris viribus ſenſualibus & intellectualibus: ideo ponimus, figuramus & dicimus, quòd

A	ſit Secretum DEI.	H	Noſter Intellectus.
B	Trinitas.	I	Vera Significatio.
C	Humanitas.	K	Falſa Significatio.
D	Prædeſtinatio.	L	Secretum Senſuale.
E	Sapientia.	M	Secretum Intellectuale.
F	Poteſtas.	N	Facies P. verſa ad Orientem.
G	Voluntas.	O	Facies P. verſa ad Occidentem.

3. Unde quando homo figuraverit iſtas Figuras, convenit, quòd ſupponat, quòd P. ſe reſpiciat in quodam ſpeculo, & quòd ſtet verſùs orientem, & ponimus, quòd L. ſit *Speculum ſenſuale*, & M. ſit *Speculum intellectuale*; unde quando omnia iſta erunt ita affirmata & poſita, poſtea convenit, quòd homo intret in inquiſitionem Secreti DEI, quod Secretum convenit inquirere cum I. & K., ponendo iſtas duas literas in alias literas, ad hoc, ut M. demonſtretur ipſi H. per revelationem & ſignificationem intellectûs, quas quædam literæ faciunt in aliis.

4. Senſualiter ſentimus, & intellectualiter intelligimus, quòd, quando P. ſe reſpicit in ſpeculo ſenſuali, M. ſignificet ipſi H. duas ſignificationes, quarum una eſt I., & altera eſt K.; ideo intrat L. in H.; quia quando ſpeculum demonſtrat ipſi P. figuram ſuæ faciei, tunc H. percipit Secreta ſenſualia per repræſentationem, quam ſpeculum facit viſui corporali illarum rerum ſenſualium, quæ ſunt ſecretæ oculis corporalibus.

5. Unde quando P. ſe reſpicit, & N. eſt ad orientem, tunc formatur O. in ſpeculo, quod O. contrariatur in rectitudine ipſi N., propter hoc L. compoſitè de I. & K. intrat in H.; per quem introitum H. intelligit, quòd L. intravit, & revelatum eſt verè cum I. & N., & intravit falsè cum K. & O.: unde dum H. intelligit omnia iſta, tunc illi revelantur & demonſtrantur Secreta in L. & M. per I. K. N. & O.

6. Unde cùm ſit major propinquitas inter N. & ſuperficiem ſui ſubjecti, quàm inter N. & L., ideo N. habet fortiorem ſignificationem in H., quàm O., quod eſt contra ſuperficiem ipſius N., eò quòd N. ſtat versùs orientem in ſuperficie ſui ſubjecti, & O. ſtat versùs occidentem in L.; ideo H. credit ipſi N., & diſcredit ipſi O., intelligens & ſciens I. & K. contrariantia unum alteri ſuper N. & O., ad hoc, ut L. M. intrent in H., & ut H. dirigatur & diſponatur ad adorandum & contemplandum A.

7. Quemadmodum *ſpeculum ſenſuale* dat demonſtrationem de *rebus ſenſualibus*, ſic *Prædeſtinatio* eſt *ſpeculum intellectuale* intellectui ad demonſtrandum illi *res intellectuales*: ſed ſicut ſpeculum curvum dat falſam demonſtrationem per *inordinationem*, quam habet in ſe, ſic, quando intellectus hominis non eſt ordinatus & diſpoſitus ad recipiendam demonſtrationem de D., H. figurat falsè D.;

D.; per quam falſam figuram abſconditur Secretum Prædeſtinationis.

8. Quia ſicut N. & O. ſibi mutuò contrariantur, & demonſtrationem, quam dant, H. intelligit contrariam, & intelligit, quòd demonſtratio, quam facit N., eſt *vera*, & demonſtratio, quam facit O, eſt *falſa*, ſic D. per unum modum demonſtrat veritatem, & per alterum modum demonſtrat falſitatem; propter hoc H. multoties impeditur ad habendam cognitionem de D., per transfigurationem I. & K. in intellectu, qui quandoque putat, quòd I. ſit K., & K. ſit I.: unde per talem transfigurationem M. abſconditur ipſi H.

9. Quando E. dat demonſtrationem ipſi H. de D., & H. affirmat & intelligit *perfectionem* in E., tunc formatur D. ipſi H. de vera ſignificatione & demonſtratione: unde de vera demonſtratione, quam H. habet de D. per E., K. dat falſam demonſtrationem ipſi H. de D., opinante H, quòd F. & G. non habeant tantam perfectionem in DEO, quantam E.: unde dum H. non audet affirmare, quòd in F. G. ſit ullus *defectus*, L. abſcondit A. ipſi H., ſicut cum O. abſcondit N.; ſed ſicut H. magis credit demonſtrationi ipſius N., quàm demonſtrationi ipſius O., ſic H. non vult recipere hoc, quod K. illi ſignificat per E. in D. de F. G., & recipit hoc, quod I. demonſtrat de D. ſimul cum E. F. G. *æqualiter in virtute* in A.: unde dum H. ſcit D. per I. cum E. F. G., tunc A. demonſtratur ipſi H.; per quam demonſtrationem H. adorat & contemplatur ſanctum & glorioſum Secretum DEI.

10. Qui vult percipere & cognoſcere M. ipſius D., ut poſſit percipere & cognoſcere A., convenit, quòd dirigat H. tali arte & modo, per quem I. poſſit formari ipſi H.; quia ſicut in Geometria vel Muſica vel in alia Arte homo errat per hoc, quia neſcit tenere modum, qui convenit ſecundùm Artem, ſic neſcientes errant in Prædeſtinatione, quando neſciunt dirigere ſuum intellectum ad recipiendas veras ſignificationes de Prædeſtinatione; per quam inordinationem & deviationem intellectûs K. demonſtrat ipſi H. falsè D.; per quam falſam demonſtrationem M. occultatur ipſi H.; per quam occultationem H. non poteſt habere cognitionem ipſius A.

11. Quemadmodum ad formandum corpus convenit de neceſſitate longitudo, latitudo & profunditas, & ſinè iſtis tribus nullum corpus poteſt recipere formam, ſic *Prædeſtinatio* non poteſt dare de ſe ipſa demonſtrationem intellectui, niſi intellectus habeat certam cognitionem *perfectæ Poteſtatis, Sapientiæ & Voluntatis* DEI: *nam ſicut formæ potentiales non ſufficiunt dare demonſtrationem de materia, ſic intellectus non ſufficit per unam Virtutem DEI tantùm, quòd habeat perfectam cognitionem Prædeſtinationis*; quia ſi H. reſpicit D. per E., & I. illi non demonſtrat F. & G., K. dabit demonſtrationem ipſi H., quòd in F. & G. ſit *defectus* in poſſe & velle Juſtitiam: & ſi H. reſpicit D. cum F. & G. ſinè E., K. illi dabit demonſtrationem, quòd in E. ſit *defectus* ipſius ſcire Juſtitiam.

12. Unde cùm ſit impoſſibile, quòd in Sapientia, Poteſtate & Voluntate DEI ſit *privatio* Juſtitiæ, ideo H. non vult credere ipſi I., niſi I. formetur de E. F. G.; quia quàm primùm H. non recipit I. niſi per unam vel duas literas tantùm, tam citò K. formatur falsè, & dat falſam demonſtrationem ipſi H. de D., quam falſam demonſtrationem habet H. de D.; quam falſam demonſtrationem I. non poteſt vincere nec deſtruere, donec formetur ſimul de E. F. G.; quam formam recipit I. per hoc, quia E. ſcit perfectè in Sapientia DEI, & F. poteſt, & G. vult perfectè Juſtitiam in D.; nam perfectio, quam E. habet in D., non eſt major nec minor illâ, quam F. & G. habent in D.; quia omnes tres literæ habent *æqualem virtutem & perfectionem* inſimul in omni eo, in quo operantur.

13. Cùm ſit certum, quòd, niſi DEUS conſervaret hominem, omnis homo rediret in nihilum; & cùm DEUS conſervet hominem, & per hoc homo ſit in eſſe, & recipiat gratiam & conſervationem à DEO, ideo H. per naturam, quam homo habet de ſe ipſo, per quam rediret in privationem, ſi DEUS illum non conſervaret, & per naturam gratiæ, quam recipit à DEO, recipit in uno tempore I., & in altero tempore K.; idcirco D. in uno tempore demonſtratur ipſi H. per I., & in altero tempore per K.: quia ſicut corpus compoſitum continet calorem per ignem, & continet frigus per aquam, ſic per benedictionem, quam H. recipit de A., I. illi dat demonſtrationem de D.; & de hoc, quod H. continet de ſe ipſo, K. illi dat falſam demonſtrationem de D.

14. Unde quando H. fruitur hoc, quod

DEUS illi dat, tunc I. illi demonſtrat D., per quam demonſtrationem habet cognitionem de A.; & quando H. utitur naturâ, quam habet de ſe ipſo, hoc eſt, de ſuo defectu, tunc K. illi abſcondit D., per quam ignorantiam ignorat A.: unde ſicut homo peccat per ſuum *defectum*, & non peccat per ullam *perfectionem*, quæ
17. ſit in DEO, ſic H., quando non vult recipere I., & recipit K. in D., recipit illam ſignificationem per defectum, quem habet in ſe ipſo, & non recipit ſignificationem per ullã cauſam vel occaſionem, quam DEUS illi dat: unde ſicut peccatum nihil eſt naturale nec proprium, imò ſecundùm veritatẽ nihil eſt, ſic hoc, quod K. dat ipſi H. de D., nihil eſt naturale nec proprium nec neceſſarium; quia ſicut O. dat falſam ſignificationem ipſi H., quando eſt contra N., & H. intelligit, quòd hoc, quod O. ſignificat, ſecundùm veritatem nihil eſt, ſic H., quod recipit I., intelligit, quòd hoc, quod K. dat de D. per E. ipſi H. ſinè F. & G., nihil eſt, nec eſt res neceſſaria nec vera.

15. Quia ſicut *finalis ratio*, propter quam homo ſe reſpicit, eſt in videre ſuam formam
18. & figuram, & non eſt finalis ratio in hoc, quòd homo velit ſcire per ſpeculum, verſùs quam partem vel rectitudinem ſua facies ſit verſa, ſic finalis ratio, quare Prædeſtinatio demonſtret Sapientiam DEI, eſt, ut monſtret illam perfectam in ſcire, poſſe, Juſtitiâ & velle; & non eſt cauſa nec finalis ratio, ut demonſtret per ſcire in DEO defectuoſam Sapientiam, Poteſtatem, Voluntatem & Juſtitiam; quem defectum intelligeret H. per I., ſi E. ſciret privationem Poteſtatis, Voluntatis & Juſtitiæ in DEO: per quam privationem Poteſtatis, Voluntatis & Juſtitiæ ſciret E. in ſe ipſo defectum, quia in DEO neſciret perfectionem Juſtitiæ, poteſtatis & voluntatis: unde, cùm Sapientiæ DEI ſit impoſſibile, quòd ſciat ſe ipſam defectuoſam in ſcire, vel ſciat defectum in Juſtitia, Poteſtate & Voluntate DEI, H. intelligit perfectionem in qualibet Virtutum; per quam perfectionem habet cognitionem de A.

16. Qui vult adorare & contemplari ſanctum glorioſum Secretum DEI, ſciat recolere & intelligere demonſtrationem, quam facit I. ipſi H. de B., quando demonſtrat cum D. perfectum E., & K. demonſtrat defectum cum D. in F. G.; quia ſi B. non eſſet, I. non demonſtraret magis manifeſtè D. cum E., quàm cum F. G., nec K. demonſtraret cum D. defectum in F. G.; ſed quia B. eſt, ideo I. demonſtrat ipſi H. ipſum A., quod eſt Secretum ipſius B.; quam demonſtrationem capit in differentia, quam facit inter E. F. G. per differentiam, quæ fit per D. in E. F. G.

Unde cùm hoc ita ſit, D. eſt ſpeculum, quod repræſentat B. ipſi H., per quam repræſentationem habet H. cognitionem ipſius A.; quia per hoc, quòd demonſtratur differentia Proprietatum in divina Eſſentia, quando D. cum I. demonſtrat perfectum E., & D. cum K. demonſtrat defectuoſum F. & G., videtur B. per D.; nam ſi in divinis Proprietatibus nulla eſſet differentia, & quælibet Proprietas eſſet altera, eandem demonſtrationem daret D. ipſi H. de A. cum F. G., quam dat cum E., abſque eo, quòd K. poſſet ſignificare ipſi H. ullum defectum de F. G.; ſed quia demonſtratur differentia in demonſtratione, quam D. facit de E. F. G. cum I. & K., ideo H. habet certam ſcientiam & cognitionem de ſancta Trinitate.

Quemadmodum eſt contrarietas inter N. & O., ſic I. & K. contrariantur in E. F. G. in D.; & ſicut I. & N. ſunt inſimul, ſic I. & E. F. G. conveniunt inſimul, & ſic K. & D. ſunt contra F. & G.: unde ſicut H. intelligit, quòd E. F. G. formant verè I. in M., ſic intelligit, quòd E. F. G. formant I. verè in intellectu; & ſicut H. intelligit, quòd O. format K. falsè in M., ſic intelligit, quòd hoc, quod D. & K. demonſtrant contra I. & E. F. G., eſt falſa demonſtratio; quia ſi eſſet vera demonſtratio, E. F. G. ſibi contrariarentur; & ſi hoc facerent, in DEO eſſent Virtutes contrariæ; & hoc eſt impoſſibile: per quam impoſſibilitatem I. demonſtrat ipſi H., quòd non ſunt contrarietates, ſed ſunt differentiæ Proprietatum Perſonarum demonſtratæ per D.; per quam demonſtrationem cognoſcitur A. ipſius B., ut H. adoret & contempletur A. in B., dum habet cognitionem omnium iſtarum rerum.

19. Quando homo ponit B. in H. ſinè D., tunc I. demonſtrat ipſi H. perfecta E. F. G., absque eo, quòd H. intelligat ullam contrarietatem vel ullam falſam ſignificationem, quæ illi det demonſtrationem defectûs in E. F. G.: unde *privatio* ipſius D. in H. ſignificat, quòd ſubſtantia DEI eſt unita de Perſonis, diverſis ipſi H., quando in illo eſt D. & B. E. F. G.; quia ſi diverſæ proprietates non unirent unam ſimplicem ſubſtantiam, H. non poſſet intelligere perfectionem in E. F. G., quando D. privatur de memoria & ſuo intellectu.

20. Unde ſicut per privatam demonſtrationem ipſius D. in H. ipſum I. demonſtrat & ſignificat ipſi H. Unitatem DEI, ſic D. demonſtrat ipſi H. Trinitatem, quando H. cum D. intelligit differentiam Perſonarum ſignificatarum per E. F. G., quando I. illas monſtrat perfectas, & K. defectuoſas: unde quando H. per iſtum modum habet cognitionem Unitatis & Trinitatis DEI, idcirco cognoſcit & intelligit, quòd D. per *abſentiam* eſt ſpeculum Unitatis, & per *præſen-*
24. *tiam* Trinitatis DEI.

21. Unde cùm hoc ita ſit, quemadmodum ſol per *præſentiam* dat *ſplendorem*, ſic, quando D. demonſtratur ipſi H. cum I. & K., & H. obedit I., & non K., tunc recipit cognitionem ipſius A., quod eſt in B.: & ſicut *abſentia* ſolis dat *tenebras*, ſic per contrarium ſenſum abſentia D. ipſi H. dat demonſtrationem Unitatis divinæ.

22. Ut meliùs poſſimus intelligere vim, quam Prædeſtinatio habet per unum modum, & fragilitatem, quam habet per alterum, convenit, quòd faciamus Figuram ſenſualem: unde ponimus, quòd

P	ſit DEUS.	T	Infernus.
Q	Juſtitia.	V	Paradiſus.
R	Libera Voluntas.	X	Peccatum.
S	Homo præſcitus.	Y	Bonum.

& ducimus iſtas literas per P.: unde dicimus, quòd, quando H. intelligit E. in P., I. ipſi H. demonſtret D.; & quando H. intelligit Q. in P., I. ipſi H. demonſtret R.: propter hoc K. demonſtrat ipſi H. ſuper S. contrarietatem inter E. & Q., & I. demonſtrat ipſi H. concordantiam diverſarum Proprietatum in P. per B.: unde dum H. ſtat in hac perplexitate, & neſcit, ad quodnam ſe inclinet, vel ad I., vel ad K., recurrit ad F. G.

23. Unde quando H. recurrit ad F. G., tunc I. illi demonſtrat, quòd tantum ipſius Q. ſit in P., quantum ipſius E.; & tantum ipſius E., quantum ipſius Q.; & tantum ipſorum F. G. ſit in P., quantum ipſorum Q. E.; quia quælibet iſtarum literarum eſt infinita in P.: unde cùm H. recipit hanc ſignificationem, tunc I. illi

ſignificat, quòd D. R. ſunt æqualiter in S. ratione æqualitatis ipſorum E. Q., quæ habent æqualem actionem in S. per F., quod hoc poteſt æqualificare, & per G., quod hoc vult: idcirco S. ſentit in ſe tantum ipſius X., quantum ipſius Y. per æqualitatem ipſorũ D. R.: propterea S. facit X., quod concordat cum D. & R., & vadit ad T., putans S., quòd habeat R. eundi ad V., quoties velit, & faciendi Y., quoties velit; quam opinionem & quod putare habet S. per K., quod illi abſcondit D. & E. & R., ipſi H. demonſtrans D. ſinè R., & quando H. ſe vertit ad intelligendum I. ſinè D., tunc K. illi demonſtrat R., & abſcondit illi D. & E.

Unde dum K. facit iſtam falſam ſignificationem ipſi H., H. ſe vertit ad I.; ideo I. illi demonſtrat cum æqualitate ipſorum E. F. G. Q. in P. æqualitatem D. & R. in S., propter hoc S. prædeſtinatum liberè venit ad T., per hoc, quia Q. tantùm poteſt & vult per F. & G. per Juſtitiam in S., quantùm E. poteſt & vult per Scientiam in S.: unde quia I. dat omnes iſtas ſignificationes inſimul, demonſtratur verè ipſi H.; & quia K. non adducit omnes ſignificationes ipſorum D. R. inſimul, ſed illas demonſtrat ſingulariter, abſcondens quasdam, & demonſtrans alias, ideo formatur in falſa demonſtratione ipſi H.: unde quando H. intellexit demonſtrationes ipſorum I. & K., & vult affirmare I., & negare K., K. aliâ vice per alium modum facit falſam demonſtrationem ipſi H. ſuper S., quòd, quando morietur, faciet Y., ut habeat V., & quòd habebit V. per Q. & Y.: unde dum H. eſt compoſitum per K. per iſtum modum, redit I. aliâ vice cum omnibus ſignificationibus inſimul, ad deſtruendas ſignificationes particulares, quas K. dat; ideo I. demonſtrat ipſi H., quòd ſi S., quod eſt prædeſtinatum ad T., vellet in ſua morte facere bonum, & moreretur in illo velle, D. haberet majorem poteſtatem in S., quàm R.; & ſi haberet, non eſſent æqualiter in S.; & ſi non eſſent, Q. non haberet tantam virtutem in P. & F. & G., quantam E.; & hoc eſt impoſſibile: per quam impoſſibilitatem H. cognoſcit falſam demonſtrationem ipſius K., quã facit cum particularibus demonſtrationibus, & cognoſcit veras ſignificationes, quas I. dat per communes & univerſales demonſtrationes: unde quando H. recipit iſtam perfectionem, tunc A. eſt illi demonſtratum per D. & R.; per quam demonſtrationem,

nem, quam H. recipit, H. adorat & contemplatur E. F. G. & Q., quæ cum D. & R. illi revelarunt A.; per quam revelationem cognoscit vim Prædestinationis cum E., & fragilitatem Prædestinationis cum Q.

25. Quando homo ponit D. in H. cum E. F. G., tunc I. ipsi H. demonstrat C. (quod est A., quando homo ponit E. F. G. in H. sinè D.) quia in hoc, quòd D. dat ipsi H. majorem demonstrationem perfectionis in E., quàm in F. G., & cùm E. F. G. habeant æqualem virtutem & æqualem perfectionem, ideo D. demonstrat ipsi H., quòd Persona significata per E. est Persona Filii, quæ est tantùm incarnata; quia cùm E. meliùs appropinquet ipsi H. per D., quàm F. G. cum D., ideo I. demonstrat de necessitate, quòd est differentia inter Personam significatam per E., & inter Personam significatam per F., & Personam significatam per G.; & per differentiam significatam in tribus Personis D. significat, quòd E. meliùs cognoscatur per Prædestinationem, quàm F. & G. per D.

26. Si enim in Incarnatione omnes tres Personæ essent incarnatæ, D. demonstraret ipsi H. tam perfecta F. G., sicut E., & K. non demonstraret E. in majori nobilitate, quàm F. G.; sed quia E. magis appropinquat cognitioni ipsius H. per D., quàm F. G., ideo I. demonstrat, quòd benedicta Filiatio DEI fuit illa, quæ assumpsit Carnem de nostra Domina Sancta Maria Virgine gloriosâ; nam sicut N. meliùs intrat in H., quàm O., quia N. intrat cum I., & O. intrat cum K., sic E. meliùs intrat in H. per D., quia Persona significata per E. est incarnata, quàm F. G.: unde sicut M. est speculum ipsius N., sic D. est speculum ipsius C., per quod videtur A. ipsius C.

27. Unde benedictus sit DEUS, nam sicut Prædestinatio est res valde subtilis ad intelligendum & sciendum, sic D. est speculum, in quo videtur demonstratio rerum, quæ sunt valde secretæ ipsi H.: unde cùm H., qui est humanus intellectus, sit creatum in humana specie, & cùm D. in H. clariùs ponat E., quàm F. G., I. demonstrat ipsi H., quòd Persona significata per E. sit tantùm incarnata in C., propter hoc H. percipit A. ipsius C. &c.

28. Quemadmodum Prædestinatio est subjectum & speculum, per quod probatur & demonstratur S. Trinitas & Incarnatio, *sic secundùm Figuram Veritatis* (*quæ continetur in primo Exemplo & in Capite veritatis*) *potest homo demonstrare & probare Prædestinationem humano intellectui cum B. C., dummodò sciat Artem & Modum Figuræ Veritatis & hujus Figuræ, quæ continetur in hoc Exemplo & Capite.*

29. „ Quemadmodum demonstratur & „ probatur B. & C. per D., & sicut D. de- „ monstratur & significatur ipsi H. per de- „ monstrationem, quam dat de B. & C., sic „ per istam eandem Artem D. demonstrat „ & significat ipsi H. gloriosam Unitatem „ DEI; & Unitas est ratio, per quam signi- „ ficatur D. ipsi H.: *propter hoc convenit, quòd omnis homo, qui vult intrare in hanc Artem & in hanc inquisitionem, sciat se dirigere cum forma Figuræ primò figuratæ cum literis rubeis; & convenit, quòd homo figuret Figuras in aliqua tabula vel charta, ne illas obliviscatur; & quamprimùm illas obliviscitur, convenit, quòd recurrat ad Figuram figuratam per literas rubeas, ut sciat illas literas, quibus fuerunt appropriata nomina, de quibus hæc Ars determinatur.*

30. Cùm per gratiam DEI venerimus ad finè cognitionis Prædestinationis per brevia verba, ideo dicimus & consulimus illis, qui volunt habere cognitionem Prædestinationis, quòd, sicut intellectus est valde impeditus ad intelligendam Prædestinationem, sic det cognitionem Prædestinationis humano intellectui per illam artem & modum, per quem intellectus illam possit faciliùs cognoscere ad gloriam & laudem glorioſi DEI, *Doctor Illum. Lib. 5. Contemp. cap. 365.*

Postquam perfecimus & complevimus duo Exempla, in quibus tanquam particularibus continentibus in se occulta universalia demonstravimus supremam & altissimam & universalissimam Methodum operandi & demonstrandi, convenit nos amore Discipulorum ea, quæ in præfatis exemplis sunt abscondita, in lucem proferre, & per sequentes annotationes illis reddere conspicua; quas dividemus in *generales* & *speciales*: igitur

Generales ponimus, ut per illas cognoscant Secreta generalia, quæ per hæc duo exempla revelantur, & sunt sex sequentes: scil.

1. Secretum Operationis sensualis.
2. Secretum Operationis intellectualis.
3. Secretum Operationis naturalis.
4. Secretum Operationis artificialis.
5. Secretum Operationis universalis.
6. Secretum Operationis particularis.

Ex quorum sex simpliciu m modorum binariis

nariis adunantur & necessariò resultant tres compositi, constituentes novenarium ex omni parte perfectum: videlicet

7. Secretum Operationis sensualis & intellectualis simul.
8. Secretum Operationis naturalis & artificialis simul, &
9. Secretum Operationis universalis & particularis simul.

Quæ omnia licèt acutis & subtilibus ingeniis percurrendo data duo exempla, & comparando illa ad ea, quæ in præcedentibus tribus Capitibus dicta sunt, possent esse perspicua, volumus tamen etiam minùs ea penetrare valentibus magis elucidare.

Multoties in antecedentibus dixisse me recordor, suprema & universalissima Principia regulare & dirigere omnia inferiora: unde cùm debeat esse proportio inter principia & modum operandi cum principiis, manifestum est, quòd ad usum supremorum & universalissimorum principiorum requiratur supremus & universalissimus modus operandi: cùm igitur in magno *Libro Contemplationis* egerim de supremo objecto, circa quod potest & debet versari omnis intellectus creatus, cupiens consequi supremum Finem, ad quem à DEO est creatus, ad quod Objectum & quem Finem potentiam memorativam, intellectivam & amativam dispositi & proportionavi per Artem infallibilem complectentem in se *Naturale* & *Supernaturale*, *Rationem* & *Fidem*, & reliquas proprietates antedictas, deducens has tres potentias per semitas infallibilium demonstrationum, incipiendo ab infimo gradu Naturæ sensualis usque ad supremum gradum Naturæ intellectualis, & in dicto Libro Contemplationis necessarium fuerit, ratione altitudinis & nobilitatis objecti conferre in unum, quidquid nobile, perfectum, altum ac excellens in tota mea Arte continebatur, & ad hunc finem per gratiam Luminis superni mihi fuit concessum, ideo in fine hujus Capitis quinti ex eodem *Libro Contemplationis* & ejus parte altissima, videlicet *Libro quinto* (quem totum ambit *Septimus Modus Artis Compendiosæ*) excerpsi duo Exempla supradicta, quæ in sua universalitate vobis repræsentarent universalissimam Potentiam creatam, & universalissimum Subjectum & Objectum creatum & increatum, & universalissimum Modum agendi Potentiæ in utrumque.

Est autem illa universalissima Potentia creata illud Agens reale & intentionale, naturale & artificiale, quod vobis fistit Figura S. in sensu literali & metaphorico, cujus structuram & modum applicandi ad objectum in primo Exemplo clariùs quàm alibi exposui: quapropter percurrite singulos paragraphos dicti primi Exempli, & notate Principia cursivo charactere impressa, eáque examinate per septem Instrumenta Capite tertio data, ac per Arbores, Figuras, Tabulas in secundo Capite positas, nec non per Caput quartum Habituationis Potentiæ ad Objectum, & invenietis copiosam materiam occupandi vestrum intellectum in cognitione & admiratione tanti Artificii: id ipsum facite in secundo Exemplo.

Sed ut descendamus ad *specialia*, exponam *duplicem* usum universalem primi Exempli, in quo ostendi, quomodo Potentia rationalis debeat esse disposita & ordinata, ut sit apta ad inveniendum suum supremum Objectum, quod est *suprema Veritas*: considerato igitur hoc Principio *Veritatis* manifestum est, illud esse desumptum ex Figura A., & ratione suæ summitatis esse omnium aliarum Veritatum inferiorum primitivum, verum & summè necessarium, per quod primò inventum sint inveniendæ omnes aliæ inferiores veritates; quod, quâ ratione fiat, statim dicam infrà: quare autem inter cætera principia Figuræ A., quæ omnia sunt inter se æqualia, selegerim *Veritatem*, hæc est ratio, tum quia est proprium objectum intellectûs, & operatio intellectûs secundùm naturam est prior operatione voluntatis (ût patet in Divinis, Generatione præcedente Spirationem, prioritate originis) tum quia per cognitionem veri voluntas excitatur & allicitur ad amorem & prosecutionem boni.

Ad ostendendum itaque immensum & inexplicabilem usum hujus primi exempli, notate Filii, & in memoriam revocate ea, quæ dixi suprà *in Logica* fol. 74. in 1. 2. & 3. Comparatione; nam quamvis hoc primum Exemplum in manifesto agat & tractet de universali Potentia & universali Objecto Veritatis, est tamen in se aliquod particulare, habens sub se occultum aliquod universale, quod non nominibus sed literis à me solet exprimi: & habet se hoc particulare exemplum, ût particulare verbum *amo* in Grammatica.

Unde si *secundùm literam* vestra operatio

versatur circa *opus intentionale* & *intellectuale*, supponite Filii, loco particularium Principiorum à me in hoc Exemplo adhibitorum alia Principia particularia literis universalibus occulta sub eadem proportione & relatione applicata, sub quæ hæc explicita à me sunt illis adhibita, & habebitis semper novas ac novas demonstrationes, imò integras series demonstrationum, ac inventiones infinitas veritatum antea incognitarum: v. g. loco Principii *Veritatis* substituite Principium *Bonitatis*, *Magnitudinis*, *Potestatis*, *Virtutis*, aut aliud quodcunque Figuræ A., explicitum vel implicitum, vel si placet, jungite unum cum altero, vel specificate unum cum altero æquali vel minori, ût vos docet Logica; & habebitis inexhauribilem fontem demonstrationum & inventionum veritatum sinè labore aut defatigatione vestri ingenii; nec vos subibit torpor in hac exercitatione, quia bona est negotiatio ejus, nec extinguetur in nocte Lucerna ejus.

Alter usus hujus Figuræ est, si *secundùm literam* vestra operatio degit circa *Opus reale naturale & sensuale*: unde cùm sub una figura hujus primi Exempli utrumque Opus à me sit revelatum, & proportio unius sit per omnia secundùm proportionem alterius, quandocunque secundùm literam versatus sum circa unum, secundùm metaphoram immiscui alterum, quod clarè produnt loca Philosophiæ paragraphis hujus exempli intermixta, & ea, quæ *Capite secundo de Figuris S. & X.* fuerunt revelata: quapropter ad acquirendum usum hujus Figuræ S., & modi ejus operandi, convenit vos priùs exercere in notitia Figuræ Elementalis ejusque quadrangulis, qui secundùm proportionem suam sunt paralleli quadrangulis Figuræ S.; quam notitiam vobis largam dabit Liber de Gradibus Medicinæ, & alii Philosophici ac Medici à me facti, quibus aliqualiter saltem cognitis præparate primò vobis S. sensuale, quo habito illi applicate aliquod subjectum ex Figura A. sensuali, vel ex Clave Artis & Naturæ, & insistite vestigiis Operis hoc exemplo delineati, & videbitis, an sit possibile, per Artem & Naturam elicere Veritates particulares sensuales.

Ad ampliandum hunc & antecedentem usum revelabo vobis alterum Arcanum, scilicet, quòd, si nondum ex Arte Compendiosa ejusque Lectura didicistis Tabulas formare, quales sunt hæ duæ duobus datis exemplis additæ, adite Librum quintum Contemplationis; nam quot Capita sunt in illo, tot vobis subministrabit Tabulas jam præparatas, quarum quælibet novum continet Artificium eliciendi infinita Secreta; quæ Tabula & Artificium operandi sunt connexa & combinabilia cum Tabula & Artificio operandi Figuræ Veritatis, ût manifestè indicavi in fine supradicti secundi Exempli.

Propositum meum erat, hìc me liberare promisso in Cap. 2. de Fig. X. fol. 46. §. *Non deerunt*, dando exemplum & demonstrationem, quomodo Agens naturale producat Chaos physicum, & instituat ejus resolutionem in suas partes, & quomodo fiant intensiones naturales primarum quatuor qualitatum in dicto Chaos: item quomodo idem Chaos transeat per quatuor gradus perfectionis de infimo gradu ad summum usque ad gradum potentiæ multiplicandi: sed quia secundùm exigentiam expositionis textûs nequeo ob temporis inopiam, ne vos in vado hærere patiar, saltem locum textûs indicabo: itaque inspicite *Librum de Levitate & Ponderositate Elementorum, & ejus Quæst. 13.* quæ est: *In quot horis fiat digestio illius, quod homo comedit*: item *Quæst.* 15. illi subsequentem: lectioni harum quæstionum jungite lectionem sequentium Capitum Theor. Test. cap. 18. Msti. vel 14. impressi, quod agit *de Gradibus Digestionum*, & sequentia cap. 31. Msti. vel 17. impressi, quod agit de *Putrefactione & Corruptione*, cap. 36. Msti. vel 32. impressi, quod agit *de quatuor Virtutibus naturalibus mutativis*, cap. 51. Msti. vel 47. impressi, quod ostendit *diversos effectus harum quatuor Virtutum*: si nullum horum Capitum capiat vestrum Caput, suadeo, ut de nocte capiatis vespertiliones in aëre, & talpas in terra; nam de die frustra vos duxi per ignem & aquam ad dandum vobis refrigerium.

Sicut primum Exemplum primariò revelat Secreta Potentiæ in suo opere, sic secundum Exemplum primariò revelat Secreta Objecti in suo opere; nam demonstrat, quomodo per Dignitates DEI inveniatur *Secretum universale*, per quod inveniantur *tria Secreta particularia*, nempe *Mysterium S. Trinitatis*, *Incarnationis & Prædestinationis*, unde detegitur *Modus operandi generalis ex hoc speciali*; nam retinendo in dicta Tabula Literas A. E. F. G. H. I. K. L. M.

M. & earum significata: accipite pro literis B. C. D. N. O. alia significata quæcunque, & redigite illa in eandem proportionem, in qua antea fuerunt significata particularia ipsorum B. C. D. N. O., & habebitis triginta paragraphos ac totidem demonstrationes de illo Secreto particulari, quod sub dictis literis universalibus operi fuit subditum.

Sed quia est impossibile, tam modico sermone tam magnum Arcanum omnibus reddere pervium, ideo per exemplum expositionis dictarum literarum majorem vobis lucem præbebo: tu vides Fili, quòd quædam harum literarum sunt *universales*, & quædam *particulares*; *universales* sunt A. E. F. G. H. I. K. L. M. & earum significata; unde cùm in illis omnia particularia investigabilia sint in potentia, sicut in Chaos omnia particularia physica, manifestum est, quòd, quodcunque Secretum particulare ipsis applicetur, per operationem illarum universalem specificatam in hoc particulari necessariò H. sit producturum illud L. vel M. particulare quæsitum, sicut in præcedenti processu H. investigavit & invenit L. & M. ipsorum B. C. D. N. O. particularium applicatorum ipsis A. E. F. G. &c. universalibus: exquo revelatur vobis Secretum, quod suprà *in Logica* monstravi omnibus notum & ignotum, scilicet *quomodo quodlibet particulare per aliquod universale possit esse principium investigandi & inveniendi certò & infallibiliter infinita alia particularia*, quod tot Viros doctos per tot sæcula latuit.

Quia verò ad acquirendam perfectam notitiam hujus Methodi multùm confert scire habitudinem harum vel similium literarum universalium inter se, ideo ex modo considerandi desumetis modû considerandi alias quascunque; qui est sequens: A. est *genus generalissimum*, nam significat supremû Secretum, in quo omnia Secreta comprehenduntur, & per quod omnia Secreta revelantur; hoc A. sub se habet *duas species*, scilicet L. M.; nam omne Secretum, quodcunque H. desiderat scire, vel est *sensuale*, vel *intellectuale*: hæ igitur tres literæ A. L. M., scilicet genus & duæ species sunt illud universale, sub quo aliquod vel aliqua individua immediatè debent collocari tanquam particulare, qualia à me hìc posita sunt D. & speculum sensuale artificiale: unde sicut in dato exemplo speculum sensuale artificiale, quod est individuum ipsius L., & D., quod est speculum intellectuale & individuum ipsius M., à me est adhibitum & admotum ipsis A. L. M., ut per I. K. ipsorum E. F. G. universalium, & D. N. O. particularium, revelarent B. C. vel ipsummet D. vel alias literas particulares, sic si tu loco hujus individui, h. e., speculi sensualis artificialis, supposueris aliud quodcunque speculum sensuale (volo dicere, quodcunque ens creatum naturale vel artificiale, quod, metaphoricè loquendo, est speculum sensuale repræsentans vel aliud sensuale vel aliud intellectuale) & loco hujus individui D., h. e. speculi intellectualis, aliud quodcunque intellectuale vel ex Figura A. vel ex aliis Figuris, quod est speculum intellectuale repræsentans vel aliud intellectuale vel aliud sensuale, & observaveris modum procedendi vel in hoc Exemplo, vel in Arboribus, Figuris, Tabulis, septem Instrumentis, vel denique clarissimè in ipsa mea Arte Compendiosa ejusque Lectura expressum, elicies triginta paragraphos demonstrantes Secretum quæsitum, imò non solùm triginta, sed si cupis, tercentum vel termille & ampliùs; quia nunquam exhauries hanc scaturiginem, nam puteus altus est.

Ulteriùs vides, Fili, quòd altior modus revelationis & demonstrationis omnium secretarum veritatum perpetuò perficiatur per Dignitates vel Attributa DEI, quia est impossibile, quòd ulla Dignitas reperiatur in aliqua creatura, quæ non sit character alicujus Dignitatis, quæ est in DEO: unde sicut in natura Virtutes seu Dignitates simplices rerum naturalium habent suas operationes simplices, quæ sunt revelationes simplices harum virtutum, & Virtutes seu Dignitates compositæ habent operationes compositas, quæ sunt revelationes compositæ, & hæ ultimæ sunt longè majores primis, tam ratione multitudinis, quàm magnitudinis & intensionis Virtutis, sic à pari in H. creato Dignitates DEI simplices & simpliciter receptæ revelant veritates simplices, sed compositæ & inter se combinatæ revelant tantò majorem, quantò major est compositio (intellige intentionalis, non realis) & hoc est Secretorum omnium secretissimum; quia quantò plures simplices Dignitates universales confluunt in unû particulare, tantò altiùs ascendit illud particulare in sua universalitate, & tantò plura Secreta revelat:

&


& hoc Arcanum aperui §. *24. ultimi exempli*, & in *Commento ſuper Art. Dem. de Quæſt. primæ fig. Dem.* n. 2. lit. c. fol. 147.

Denique Fili, commendo tibi, ut ſedulò animadvertas proportiones, quas hæ Dignitates demonſtrant in creaturis; nam licèt ſecundùm ſe ſemper æqualem habeant influxum in illas, æqualiter tamen vel inæqualiter in illis recipiuntur: unde, ut ſcias facere differentiam inter hanc æqualitatem & inæqualitatem, cùm una nunquam poſſit eſſe in creatura ſinè altera, recollige ea, quæ *in Geometria* dixi, de Proportione arithmetica & geometricâ; ſinè notitia enim illarum nunquam habebis I. ſinè K.

Unde, Fili, Gloria, Laus & Honor ſit ſupremæ Veritati, quæ nobis per ſuas ſecretas & ſupremas Dignitates revelavit Artem generaliſſimam inveſtigandi, inveniendi & demonſtrandi omnem ſecretam Veritatem.

Diſc. Quemadmodum eſt juſtiſſimum, ut reddamus immenſas gratiarum actiones DEO noſtro de hoc intellectuali dono, quod exſuperat omne ſenſuale donum, ſic juſtitia exigit, ut tibi, benigniſſime Pater, grates referam, quantas & quales gratitudo Famuli erga Dominum, Diſcipuli erga Magiſtrum, Clientis erga Patronum, Filii erga Patrem mente capere & ore ac calamo exprimere valet; tuo enim ductu, tuâ clementiâ, tuâ inſtructione, tuâ protectione, tuâ aſſiſtentiâ curſum tam profundæ & ob defectum tuorum Operum nobis hactenus abditiſſimæ Artis ac Scientiæ ſum aggreſſus, ac per tot annos cum tantis laboribus, periculis, ac perſecutionibus non paucis ſum proſecutus, cujus laboris primum fructum, non alteri fini deſtinatum niſi Gloriæ magni DEI noſtri per univerſum orbem quaquaverſum propagandæ in augmento ſuæ dilectæ Sponſæ Sanctæ Matris noſtræ Eccleſiæ Catholicæ & Apoſtolicæ veræque & unicæ Sanctæ Fidei mihi indigno à tua largitate concreditum, tibi nunc humillimè reſtituo, ut per manus tuas me & illum offeras æternæ Sapientiæ, à qua primò ſupernâ Inſpiratione illum recepiſti.


Præterea in fine hujus Operis proteſtor, quòd ſi forſan quiſpiam error vel in hoc vel in aliis Tractatibus contra Sanctam Fidem Catholicam reperiretur, illum meæ ignorantiæ, vel verſionis inſufficientiæ, aut vitio Exemplarium vetuſtate & tranſumptione vitiatorum tribuendum potiùs, quàm tibi, B. Magiſter: quapropter profiteor, me illum errorem, ſi quis eſſet, nec credere, nec defendere, ſed potiùs averſari, & humillimè rogare omnes Doctores Probos ac Catholicos, ut eâ, quâ hi Libri ſcripti ſunt, intentione legant, nec judicent, antequam Artem & Mentem Authoris intimè penetrarint, ne, dum fortè incumbunt emendando errori, qui eſt poſſibilis in his Libris, incidant in errorem, qui eſt poſſibilis in ipſis; qui cùm ſit impoſſibilis in Sancta Matre noſtra Eccleſia ejusque in terris Viſibili Capite, tutiſſimum ac juſtiſſimum eſt, nos & omnia dicta & Scripta noſtra ejus infallibili ac indeceptibili Judicio humillimè ſubjicere.



TiL i. FIGURA Fi.

A

Quæ est Imperatrix & Domina omnium Figurarum.



TiL. 1

FIGURA S *Veritatis, & Objectorum.*

F. 2.



FIGURA *Objectorum.*

Fig. 7 & 1 Specier.

E	I	N	R
E I	E N	E R	
I N	I R	N R	
E I N	E I R		
E N R	I N R		
E I N R			

Fig Particularis

A	Y	Z
A Y	A Z	Y Z
A Y Z		

Fig. 2. General.

A	T	V	X
A T	A V	A X	
T V	T X	V X	
A T V	A T X		
A V X	T V X		
A T V X			

Fig. 3 & 4. de. I.

FG H A	FG H X
FG A H T	FG X H A
FG A H V	FG X H T
FG A H X	FG X H V
FG A H Y	FG X H Y
FG A H Z	FG X H Z
FG H T	FG H Y
FG T H A	FG Y H A
FG T H V	FG Y H T
FG T H X	FG Y H V
FG T H Y	FG Y H X
FG T H Z	FG Y H Z
FG H V	FG H Z
FG V H A	FG Z H A
FG V H T	FG Z H T
FG V H X	FG Z H V
FG V H Y	FG Z H X
FG V H Z	FG Z H Y

Fig. 4 & 5. de. N.

KL M A	KL M X
KL A M T	KL X M A
KL A M V	KL X M T
KL A M X	KL X M V
KL A M Y	KL X M Y
KL A M Z	KL X M Z
KL M T	KL M Y
KL T M A	KL Y M A
KL T M V	KL Y M T
KL T M X	KL Y M V
KL T M Y	KL Y M X
KL T M Z	KL Y M Z
KL M V	KL M Z
KL V M A	KL Z M A
KL V M T	KL Z M T
KL V M X	KL Z M V
KL V M Y	KL Z M X
KL V M Z	KL Z M Y

Fig. 2 & 3. de E

B	C	D	A
B	C	D	T
B	C	D	V
B	C	D	X
B	C	D	Y
B	C	D	Z

Fig. 6 & 7. Individuorum.


B	C	D	B C	B D	B C D	C D			
F	G	H	F G	F H	F G H	G H			
K	L	M	K L	K M	K L M	L M			
O	P	Q	O P	O Q	O P Q	P Q			

Fig. 5 & 6. de R

O	P	Q	A
O	P	Q	T
O	P	Q	V
O	P	Q	X
O	P	Q	Y
O	P	Q	Z

FIGURA. T

Principiorum & Significationum.



Ti Li. **FIGURA** Fs.

Elementalis.

Figura Ignis.

Ignis	Aër	Aqua	Terra
Aër	Ignis	Terra	Aqua
Aqua	Terra	Ignis	Aër
Terra	Aqua	Aër	Ignis

Figura Aëris.

Aër	Ignis	Aqua	Terra
Ignis	Aër	Terra	Aqua
Aqua	Terra	Aër	Ignis
Terra	Aqua	Ignis	Aër

Figura Aquæ.

Aqua	Terra	Aër	Ignis
Terra	Aqua	Ignis	Aër
Aër	Ignis	Aqua	Terra
Ignis	Aër	Terra	Aqua

Figura Terræ.

Terra	Aqua	Aër	Ignis
Aqua	Terra	Ignis	Aër
Aër	Ignis	Terra	Aqua
Ignis	Aër	Aqua	Terra

T.L.I. FIGURA V *Virtutum & Vitiorum* F6.




Figura Secunda. V. Seu. Virtutum & Vitiorum.

fides	ſpes	charit	juſtit	prud	fortit	temp	gula	luxur	avarit	acedi	ſuper	invid	ira
ſpes	charit	juſtit	prud	fortit	temp	gula	luxur	avarit	acedi	ſuper	invid	ira	abſtinẽ
fides	ſpes	charit	juſtit	prud	fortit	temp	gula	luxur	avarit	acedi	ſuper	invid	ira
charit	juſtit	prud	fortit	temp	gula	luxur	avarit	acedi	ſuper	invid	ira	abſtinẽ	caſtit
fides	ſpes	charit	juſtit	prud	fortit	temp	gula	luxur	avarit	acedi	ſuper	invid	ira
juſtit	prud	fortit	temp	gula	luxur	avarit	acedi	ſuper	invid	ira	abſtinẽ	caſtit	largit
fides	ſpes	charit	juſtit	prud	fortit	temp	gula	luxur	avarit	acedi	ſuper	invid	ira
prud	fortit	temp	gula	luxur	avarit	acedi	ſuper	invid	ira	abſtinẽ	caſtit	largit	ferv.bo
fides	ſpes	charit	juſtit	prud	fortit	temp	gula	luxur	avarit	acedi	ſuper	invid	ira
fortit	temp	gula	luxur	avarit	acedi	ſuper	invid	ira	abſtinẽ	caſtit	largit	ferv.bo	humil
fides	ſpes	charit	juſtit	prud	fortit	temp	gula	luxur	avarit	acedi	ſuper	invid	ira
temp	gula	luxur	avarit	acedi	ſuper	invid	ira	abſtinẽ	caſtit	largit	ferv.bo	humilit	fidelit
fides	ſpes	charit	juſtit	prud	fortit	temp	gula	luxur	avarit	acedi	ſuper	invid	ira
gula	luxur	avarit	acedi	ſuper	invid	ira	abſtinẽ	caſtit	largit	ferv.bo	humilit	fidelit	patiẽt
fides	ſpes	charit	juſtit	prud	fortit	temp	gula	luxur	avarit	acedi	ſuper	invid	ira
luxur	avarit	acedi	ſuper	invid	ira	abſtinẽ	caſtit	largit	ferv.bo	humilit	fidelit	patiẽt	incred
des	ſpes	charit	juſtit	prud	fortit	temp	gula	luxur	avarit	acedi	ſuper	invid	ira
	acedi	ſuper	invid	ira	abſtinẽ	caſtit	largit	ferv.bo	humilit	fidelit	patiẽt	incred	deſpera
	pes	charit	juſtit	prud	fortit	temp	gula	luxur	avarit	acedi	ſuper	invid	ira
		invid	ira	abſtinẽ	caſtit	largit	ferv.bo	humilit	fidelit	patiẽt	incred	deſpera	odium
		arit	juſtit	prud	fortit	temp	gula	luxur	avarit	acedi	ſuper	invid	ira
			abſtinẽ	caſtit	largit	ferv.bo	humilit	fidelit	patiẽt	incred	deſpera	odium	injuria
			ſtit	prud	fortit	temp	gula	luxur	avarit	acedi	ſuper	invid	ira
				largit	ferv.bo	humilit	fidelit	patiẽt	incred	deſpera	odium	injuria	impru
				rud	fortit	temp	gula	luxur	avarit	acedi	ſuper	invid	ira
					humilit	fidelit	patiẽt	incred	deſpera	odium	injuria	impru	fragili
					rtit	temp	gula	luxur	avarit	acedi	ſuper	invid	ira
						patiẽt	incred	deſpera	odium	injuria	impru	fragili	intem
						mp	gula	luxur	avarit	acedi	ſuper	invid	
							deſpera	odium	injuria	impru	fragili	intem	
							ula	luxur	avarit	acedi	ſuper		
								injuria	impru	fragili	intem		
								xur	avarit	acedi			
									fragili	intem			
									arit				

bſtinẽ	caſtit	largit	ferv.bo	humilit	fidelit	patiẽt	incred	deſpera	odium	injuria	impru	fragili	
aſtit	largit	ferv.bo	humilit	fidelit	patiẽt	incred	deſpera	odium	injuria	impru	fragili	intem	
bſtinẽ	caſtit	largit	ferv.bo	humilit	fidelit	patiẽt	incred	deſpera	odium	injuria	impru		
largit	ferv.bo	humilit	fidelit	patiẽt	incred	deſpera	odium	injuria	impru	fragili	intem		
bſtinẽ	caſtit	largit	ferv.bo	humilit	fidelit	patiẽt	incred	deſpera	odium	injuria			
rv.bo	humilit	fidelit	patiẽt	incred	deſpera	odium	injuria	impru	fragili	intem			
bſtinẽ	caſtit	largit	ferv.bo	humilit	fidelit	patiẽt	incred	deſpera	odium				
umilit	fidelit	patiẽt	incred	deſpera	odium	injuria	impru	fragili	intem				
bſtinẽ	caſtit	largit	ferv.bo	humilit	fidelit	patiẽt	incred	deſpera					
delit	patiẽt	incred	deſpera	odium	injuria	impru	fragili	intem					
bſtinẽ	caſtit	largit	ferv.bo	humilit	fidelit	patiẽt	incred						
atiẽt	incred	deſpera	odium	injuria	impru	fragili	intem						
bſtinẽ	caſtit	largit	ferv.bo	humilit	fidelit	patiẽt							
ncred	deſpera	odium	injuria	impru	fragili	intem							
bſtinẽ	caſtit	largit	ferv.bo	humilit	fidelit								
deſpera	odium	injuria	impru	fragili	intem								
bſtinẽ	caſtit	largit	ferv.bo	humilit									
	odium	injuria	impru	fragili	intem								
bſtinẽ	caſtit	largit	ferv.bo										
	injuria	impru	fragili	intem									
bſtinẽ	caſtit	largit											
	pru	fragili	intem										
bſtinẽ	caſtit												
	agili	intem											
bſtinẽ													
	tem												

Figura Secunda. V. Seu. Virtutum & Vitiorum.

fides ſpes	ſpes charit	charit juſtit	juſtit prud	prud fortit	fortit temp	temp gula	gula luxur	luxur avarit	avarit acedi	acedi ſuper	ſuper invid	invid ira	ira abſtinē
fides charit	ſpes juſtit	charit prud	juſtit fortit	prud temp	fortit gula	temp luxur	gula avarit	luxur acedi	avarit ſuper	acedi invid	ſuper ira	invid abſtinē	ira caſtit
fides juſtit	ſpes prud	charit fortit	juſtit temp	prud gula	fortit luxur	temp avarit	gula acedi	luxur ſuper	avarit invid	acedi ira	ſuper abſtinē	invid caſtit	ira largit
fides prud	ſpes fortit	charit temp	juſtit gula	prud luxur	fortit avarit	temp acedi	gula ſuper	luxur invid	avarit ira	acedi abſtinē	ſuper caſtit	invid largit	ira ſervbo
fides fortit	ſpes temp	charit gula	juſtit luxur	prud avarit	fortit acedi	temp ſuper	gula invid	luxur ira	avarit abſtinē	acedi caſtit	ſuper largit	invid ſervbo	ira humilit
fides temp	ſpes gula	charit luxur	juſtit avarit	prud acedi	fortit ſuper	temp invid	gula ira	luxur abſtinē	avarit caſtit	acedi largit	ſuper ſervbo	invid humilit	ira fidelit
fides gula	ſpes luxur	charit avarit	juſtit acedi	prud ſuper	fortit invid	temp ira	gula abſtinē	luxur caſtit	avarit largit	acedi ſervbo	ſuper humilit	invid fidelit	ira patiēt
fides luxur	ſpes avarit	charit acedi	juſtit ſuper	prud invid	fortit ira	temp abſtinē	gula caſtit	luxur largit	avarit ſervbo	acedi humilit	ſuper fidelit	invid patiēt	ira incred
fides avarit	ſpes acedi	charit ſuper	juſtit invid	prud ira	fortit abſtinē	temp caſtit	gula largit	luxur ſervbo	avarit humilit	acedi fidelit	ſuper patiēt	invid incred	ira deſpera
fides acedi	ſpes ſuper	charit invid	juſtit ira	prud abſtinē	fortit caſtit	temp largit	gula ſervbo	luxur humilit	avarit fidelit	acedi patiēt	ſuper incred	invid deſpera	ira odium
fides ſuper	ſpes invid	charit ira	juſtit abſtinē	prud caſtit	fortit largit	temp ſervbo	gula humilit	luxur fidelit	avarit patiēt	acedi incred	ſuper deſpera	invid odium	ira injuria
fides invid	ſpes ira	charit abſtinē	juſtit caſtit	prud largit	fortit ſervbo	temp humilit	gula fidelit	luxur patiēt	avarit incred	acedi deſpera	ſuper odium	invid injuria	ira impru
fides ira	ſpes abſtinē	charit caſtit	juſtit largit	prud ſervbo	fortit humilit	temp fidelit	gula patiēt	luxur incred	avarit deſpera	acedi odium	ſuper injuria	invid impru	ira fragili
fides abſtinē	ſpes caſtit	charit largit	juſtit ſervbo	prud humilit	fortit fidelit	temp patiēt	gula incred	luxur deſpera	avarit odium	acedi injuria	ſuper impru	invid fragili	ira intem
fides caſtit	ſpes largit	charit ſervbo	juſtit humilit	prud fidelit	fortit patiēt	temp incred	gula deſpera	luxur odium	avarit injuria	acedi impru	ſuper fragili	invid intem	
fides largit	ſpes ſervbo	charit humilit	juſtit fidelit	prud patiēt	fortit incred	temp deſpera	gula odium	luxur injuria	avarit impru	acedi fragili	ſuper intem		
fides ſervbo	ſpes humilit	charit fidelit	juſtit patiēt	prud incred	fortit deſpera	temp odium	gula injuria	luxur impru	avarit fragili	acedi intem			
fides humilit	ſpes fidelit	charit patiēt	juſtit incred	prud deſpera	fortit odium	temp injuria	gula impru	luxur fragili	avarit intem				
fides fidelit	ſpes patiēt	charit incred	juſtit deſpera	prud odium	fortit injuria	temp impru	gula fragili	luxur intem					
fides patiēt	ſpes incred	charit deſpera	juſtit odium	prud injuria	fortit impru	temp fragili	gula intem						
fides incred	ſpes deſpera	charit odium	juſtit injuria	prud impru	fortit fragili	temp intem							
fides deſpera	ſpes odium	charit injuria	juſtit impru	prud fragili	fortit intem								
fides odium	ſpes injuria	charit impru	juſtit fragili	prud intem									
fides injuria	ſpes impru	charit fragili	juſtit intem										
fides impru	ſpes fragili	charit intem											
fides fragili	ſpes intem												
fides intem													

abſtinē caſtit	caſtit largit	largit ſervbo	ſervbo humilit	humilit fidelit	fidelit patiēt	patiēt incred	incred deſpera	deſpera odium	odium injuria	injuria impru	impru fragili	fragili intem	
abſtinē largit	caſtit ſervbo	largit humilit	ſervbo fidelit	humilit patiēt	fidelit incred	patiēt deſpera	incred odium	deſpera injuria	odium impru	injuria fragili	impru intem		
abſtinē ſervbo	caſtit humilit	largit fidelit	ſervbo patiēt	humilit incred	fidelit deſpera	patiēt odium	incred injuria	deſpera impru	odium fragili	injuria intem			
abſtinē humilit	caſtit fidelit	largit patiēt	ſervbo incred	humilit deſpera	fidelit odium	patiēt injuria	incred impru	deſpera fragili	odium intem				
abſtinē fidelit	caſtit patiēt	largit incred	ſervbo deſpera	humilit odium	fidelit injuria	patiēt impru	incred fragili	deſpera intem					
abſtinē patiēt	caſtit incred	largit deſpera	ſervbo odium	humilit injuria	fidelit impru	patiēt fragili	incred intem						
abſtinē incred	caſtit deſpera	largit odium	ſervbo injuria	humilit impru	fidelit fragili	patiēt intem							
abſtinē deſpera	caſtit odium	largit injuria	ſervbo impru	humilit fragili	fidelit intem								
abſtinē odium	caſtit injuria	largit impru	ſervbo fragili	humilit intem									
abſtinē injuria	caſtit impru	largit fragili	ſervbo intem										
abſtinē impru	caſtit fragili	largit intem											
abſtinē fragili	caſtit intem												
abſtinē intem													






FIGURA X

Tit. I. Fo.

Oppositorum seu Prædestinationis.



(I)

DIVI RAYMUNDI LULLI DOCTORIS ILLUMINATI ARS COMPENDIOSA INVENIENDI VERITATEM SEU ARS MAGNA ET MAJOR QUÆ EST CLAVIS ET CLAUSURA OMNIUM ARTIUM ET SCIENTIARUM ET OMNIUM OPERUM DIVI AUTHORIS.

DEUS honorate, Domine glorioſe, qui es Principium & Finis omnium bonorum, ad tuam laudem, gloriam & honorem incipimus iſtam Artem, quæ intitulatur Ars Compendioſa inveniendi veritatem.

DE PROLOGO.

HÆc Ars dividitur in *tres Diſtinctiones*, quarum *prima* dividitur in *duas Partes: Prima Pars* continet expoſitionem quinque Figurarum, quæ ſunt A. S. T. V. X.: Figuræ autem Y. & Z. hic non numerantur; quia per ſe non faciunt cameras, ſicut cæteræ: & per iſtas quinque figuras poteſt homo invenire veritatem ſub compendio, & contemplari & cognoſcere DEUM, & vivificare virtutes, & mortificare vitia. *Secunda Pars* continet tres Figuras, quæ ſunt A. V. X. poſitas in Figuram S. Hæc etiam ars docet proponere quæſtiones, & neceſſariis rationibus earum dubitationem breviter ſolvere.

INCIPIT
PRIMA DISTINCTIO
QUÆ EST
DE

Expositione Figurarum & illarum Applicatione ad Figuram S.

PARS PRIMA

De Expositione Figurarum A. S. T. V. X. Y. Z.

De Figura A.

APonimus, quòd sit *noster Dominus DEUS;* cui A. attribuimus *sedecim Virtutes;* non tamen dicimus, quòd sint cardinales, neque theologicæ, nec quòd sint accidentales, sed essentiales: de quibus formantur *centum viginti Cameræ*, per quas amatores hujus artis poterunt habere cognitionem de DEO, & poterunt facere & solvere quæstiones per necessarias rationes; dummodo S. sapienter sciat in qualibet camera facere de una dictione subjectum, & de altera prædicatum, & sciat procedere juxta *debitam formam* per omnes cameras ipsorum A. T. V. X.: & oportet, quòd S. sit subditum ipsi Y., & sit contra Z. taliter, quòd omnes significationes, quæ sunt contra A., neget, & vitet totis suis viribus, & concedat & affirmet omnes significationes, quæ sunt ad gloriam & honorem ipsius A.; quia nulla significatio potest esse in Y., quæ sit contra unam vel plures ex cameris ipsius A.; nec aliqua significatio potest esse in Z., quæ sit concordans cum una aut pluribus cameris ipsius A.: omnis autem significatio est in Y., quæ contrariatur ipsi Z., quod abscondit & velat cameras ipsius A.

Nota, quòd ille, qui cum una aut pluribus cameris ipsius A. concordat, cum omnibus concordat; & qui uni aut pluribus est contrarius, omnibus est contrarius; & hoc est, quia omnes cameræ sunt absque aliqua contrarietate in valde excellenti concordantia.

Nota, quòd cum cameris ipsius A. habetur cognitio de ipso A., & cum ipso A. habetur cognitio de suis cameris, & cum A. & suis cameris habetur cognitio per necessarias rationes de S. T. V. X. & eorum cameris, & cum S. T. V. X. & suis cameris cognoscit homo per necessarias rationes ipsum A. & suas cameras.

De Figura S.

SPonimus, quòd sit *Anima Rationalis;* quod S. dividimus *in quatuor Quadrangulos*, prout in sua figura continetur, qui sunt E. I. N. R.; qui Quadranguli sunt *quatuor Species* ipsius S., quæ componunt *Individua*, quæ sunt B. C. D., F. G. H., K. L. M., O. P. Q., prout scripta sunt in figura S.

Nota, quòd S. dividitur *in septem Figuras: prima* est suarum specierum, *secunda* est quindecim Camerarum, *tertia* de E., *quarta* de I., *quinta* de N., *sexta* de R., *septima* de Individuis specierum ipsius S.

Nota, quòd, sicut instrumentum seu cithara temperatur per artem sensualem artificialiter, sic oportet de necessitate, quòd S. sit in tali dispositione, quòd per artem & ordinationem intellectualem possit habere officium, quomodo inquirat in se ipso & in T. viam & modum, per quem possit & sciat habere artem & modum cognoscendi A. T. V. X. Y. Z.; & si ita non foret, significaretur, quòd ars & modus convenirent meliùs cum formis sensualibus & artificialibus, quàm cum naturalibus & intellectualibus; & hoc est impossibile: quoniam, si foret possibile, formæ artificiales, sensuales & accidentales essent nobiliores & digniores, quàm naturales & intellectuales & essentiales.

Nota, quòd S. habet officium, quòd modò accipiat unum habitum, modò alium de suis speciebus; & quando cum uno habitu non invenit hoc, quod inquirit, dimittit illum, & accipit alium; & sic modò induit unum habitum, modò alium: & hoc idem facit in cameris de A. T. V. X. accipiendo unam & dimittendo alteram, quousque invenit illam, quæ sibi est necessaria ad utendum istâ arte.

Primum principium artis est, quòd S. accedat ad *quindecim cameras*, quæ formantur de A. T. V. X.; & quòd postea accedat ad *septem cameras*, quæ formantur de A. Y. Z.; & attendat, quæ ipsarum meliùs conveniat ei secundùm hoc, quod inquirit; & accipiat illam cameram, quæ meliùs concordat quæstioni vel solutioni factæ.

Postquam S. elegit cameras, accedat ad *quindecim cameras*, quæ formantur de suis speciebus, videlicet E. I. N. R.; & eligat, & accipiat unam, duas, vel plures, quas vult ex illis; & cum illis incedat per omnes cameras hujus artis, & cum dictis cameris utatur istâ arte.

Quodcunque S. facit in ista arte, facit cum quindecim suprà dictis cameris, & sinè illis nihil potest facere in A. T. V. X. Y. Z.: unde tota ista ars volvitur per dictas quindecim cameras, quibus mediantibus S. intrat cameras de A. V. X. cum T.

Nota, quòd S. habet majorem nobilitatem & virtutem in una ex quindecim cameris, quàm in alia: & hoc idem sequitur in individuis suarum specierum; & S. potest esse virtuosius aut vitiosius in suis speciebus & in suis Individuis secundùm habitum, quem accipit in cameris de A. T. V. X. & in Y. & Z.; quod probatur in *Lectura hujus Artis*, ubi de hoc prolixiùs tractamus, quàm in hoc libro, in quo compendiosè loquimur.

De Figura T.

TPonimus, quòd sit *Figura significationum* figurata de *quinque triangulis diversorum colorum*, qui constituunt *quindecim angulos;* & quilibet angulus habet in se *tria;* & ipsi quindecim anguli formant *centum & quinque cameras*, prout in figura patet; & T. est *instrumentum & materia* ipsi S., quando formatur in cameris ipsius T., secundùm quod S. intrat in A. V. X. Y. Z.: nam sicut aqua recipit colorem à vase, in quo continetur, sic S. assumit formam secundùm cameras ipsius T.

T. est in *centum quinque cameris;* unde hæc ars exigit, quòd S. in cameris ipsius T. tentet & probet se ipsum, in qua vel in quibus cameris ipsius T. poterit cognitionem habere de A. V. X. Y. Z.; quia de natura camerarum T. est, quòd ipsi S., si ordinatè intret in illas, significent ipsa A. V. X. Y. Z.; & ipsum S. est à natura ordinatum in suis speciebus & in suis individuis, quòd recipiat hoc, quod T. ei significat de A. V. X. Y. Z.

Nota, quòd, sicut S. est *Figura communis* in hac arte, sic similiter T. est *Figura communis* eidem arti; quoniam S. non potest inquirere nec tractare de arte sinè T., nec T. potest *significare* de A. V. X. Y. Z. sinè S.: quare ista ars præcipit, quòd homo sciat concordare S. T. in significando & inquirendo A. V. X. Y. Z.

T. consistit in *tribus figuris*, quarum *prima* est ex *quinque triangulis compositis inter unum circulum: secunda* est ex *sedecim cameris*, in quibus *Elementa* sunt scripta; & est *impressio, in qua ostenditur tertia figura secundùm Tropologiam & Allegoriam: tertia figura* est illa, in qua T. utitur istâ arte in aliis figuris.

De sex Conditionibus & secunda Figura ipsius T.

1. FG. finali rationi, unde formantur istæ cameræ: [E. A. V. Y.] [I. V. Z.] [M. A. V. Y. Z.]

2. F. G. separant cameras.

3. F. G. moventur de una dictione in aliam.

4. F. G. separant cameram vel cameras, quæ sunt medium inter unam cameram & aliam.

5. F. G. cum sedecim modis.

6. F. G. tentant secundam figuram ipsius T. cum tertia.

De Figura V.

VPonimus, quòd sit *figura Virtutum & Vitiorum*; quod V. dividitur in *duos colores*, videlicet in *lividum & rubeum:* V. livido attribuuntur septem virtutes, & V. rubeo septem vitia.

V. dividitur in *decem Species: prima* est de virtutibus, *secunda* de vitiis, *tertia* de contrariis vitiorum, *quarta* de contrariis virtutum, *quinta* est de virtutibus & vitiis, *sexta* de virtutibus & contrariis vitiorum, *septima* de virtutibus & suis contrariis, *octava* de vitiis & suis contrariis, *nona* de vitiis & contrariis virtutum, *decima* est de contrariis vitiorum & de contrariis virtutum.

Cameræ ipsius V. sunt *ter centum septuaginta octo;* & S. formatur in qualibet camera

ſecundùm habitum, quem recipit à ſuis ſpeciebus & à diverſis cameris ipſius V., cum habitu, quem recepit à cameris A. T. V. X.: unde propter hoc poteſt S. cognoſcere, in qua camera ipſius V. eſt virtus aut vitium, & quæ virtus vel quod vitium & cujus quantitatis ſit, & unde accipiat principium & finem, & quod ſit medium.

Nota, quòd, ſi S. vult habere in V. magnam figuram, recipiat habitum virtuoſum de E. I. N., & intret in A. V. Y. Z., & det E. N. ipſi A. & Y. & V. livido, & det I. ipſi V. rubeo & Z., & caveat ſibi à ſocietate ipſius R.

Quælibet camerarum ipſius V. poteſt eſſe modus & inſtrumentum ipſi S., quomodo ſe figuret in ipſa: unde ſecundùm quod cameræ ſunt diverſæ & concordantes & contrariæ, S. ſe mutat de una figura in aliam, & in majorem aut minorem aut æqualem figuram; & quandoque recipit formam ab una figura, quandoque ipſi ſunt plures neceſſariæ.

Nota, quòd, quando S. non invenit in una camera hoc, quod quærit, oportet, quòd illud quærat in alia; & niſi illud inveniat cum uno habitu, oportet, quòd illud quærat cum alio; & iſtud faciat tam ſæpe & tam continuè, usquequo inveniat cameram & habitum, mediante quo poteſt invenire V., quod quærit.

Sicut natura generat formas in quibusdam individuis, & corrumpit formas in aliis, ſic S. vivificat ſuas ſpecies in quibusdam cameris ipſius V., & illas mortificat in aliis.

Quantò meliùs S. convenit cum A. T. X. Y., tantò nobilius & fortius eſt in quibusdam cameris V., quàm in aliis, ſecundùm quod illæ cameræ meliùs cum A. T. X. Y. conveniunt & concordant; & quantò plùs S. diſcordat cum A. T. X. Y., & concordat cum Z., tantò meliùs concordat vel diſcordat cum quibusdam cameris V., quàm cum aliis.

De Figura X.

X. Ponimus, quòd ſit *Figura Prædeſtinationis*, quæ formatur de *ſedecim dictionibus*, ſecundùm quod continetur in ſua figura: quæ dictiones componunt *centum viginti cameras*, quæ ſunt cauſa & inſtrumentum ipſi S., quòd habeat cognitionem de X., quando cameras ipſius intrat cum habitu, qui concordat cum A. T. V. livido & cum Y., & diſcordat cum V. rubeo & cum Z.: ſed quando S. intrat in X. cum habitu inconvenienti, & non continet in habitu A., nec V. lividum, nec Y., & eſt in Z. & in V. rubeo, tunc non poteſt habere cognitionem de X.; eò quia non eſt in ordinata figura.

Nota, quòd in *quatuor figuris univerſalibus* comprehenditur totum X.: *prima* formatur de *perfecta ſapientia* ipſius A.; *ſecunda* formatur de *perfecta juſtitia* ejusdem A.; unde à prima figura formatur *prædeſtinatio*, & à ſecunda formatur *liberum arbitrium*: *tertia* figura eſt de *dubitatione*, & formatur ex prima & ſecunda in S.: *quarta* formatur de A. & de omnibus ſuis cameris, & de X., & V. livido, & B. C. & Y.

Nota, quòd prima & ſecunda figura ſibi contrariantur in S. in tertia figura, & concordant in quarta figura; propter quod S. habet valde magnum laborem, dum intrat & exiſtit in X. per primam, ſecundam & tertiam figuram; & habet magnum remedium, quando pervenit ad quartam figuram. Quapropter iſta ars præcipit, quòd S. ſe mutet à prima figura ad ſecundam, & à ſecunda revertatur ad primam, ut poſtea intret tertiam: & nolit induere formas, quas accipit in prima, ſecunda & tertia; ut accipiat & induat habitum, de quo ſe induit in quarta figura.

Sicut X. eſt difficilis quæſtio ad intelligendum, ſic, quando cognoſcitur, fortificat S., ut habeat cognitionem de A.; & fortificat in S. cameras ipſius A. per neceſſarias rationes: quia quantò X. majus eſt, tantò plùs ampliat S. in virtute, dum illud intrat; & quantò plùs ipſum ampliat in virtute, tantò fortiùs videt S. ipſum A. & ſuas cameras: propter quod nec per T. nec per V. tantùm appropinquat C. ad cognoſcendum A., quantùm per X.

De Figura Y.

Y. Ponimus, quòd ſit *Veritas*; quod Y. ab ipſo S. inquiritur in A. T. V. X. ſecundùm figuram, quam recipit in cameris hujus artis, & ſecundùm habitum, quem recipit à ſuis ſpeciebus; quia ſecundùm quod cameræ ſunt diverſæ, & ſecundùm quod ſpecies ipſius S. ſunt diverſæ, juxta illam diverſitatem S. per unum modum inquirit Y. per quasdam cameras, & per alium modum per alias: unde cùm S. ſcit invenire cameras, & habere talem habitum, cum quo Y. poteſt inveniri, tunc invenit hoc, quod inquirit: ſed cùm S. neſcit invenire cameras, & recipit contrarium habitum ad inquirendum, quod ſibi eſt neceſſarium, tunc putat inquirere hoc, quod non inquirit; & ideo non poteſt invenire hoc, quod neſcit inquirere.

De Figura Z.

Z. Ponimus, quòd ſit *Falſitas*, quæ cadit in S. *accidentaliter*, quando S. non formatur in A. Y. T. V. livido & in X. contra Z. & V. rubeum.

Nota, quòd per Z. poteſt S. invenire Y., dum concordat cum A. & V. livido; & per Z. poteſt ignorare Y., ſi concordat magìs cum V. rubeo, quàm cum V. livido; quia V. lividum eſt de genere & natura Y., & V. rubeum eſt de genere Z.

Nota, quòd hæc ars præcipit, quòd homo habeat cognitionem de Y. Z., & quòd S. concordet cum Y., & contrarietur ipſi Z.; quæ ars ducitur & ordinatur in T. per A. & V. lividum, quando majorem differentiam & majorem concordantiam & majorem æqualitatem homo attribuit ipſi A., & majorem differentiam, concordantiam, æqualitatem, principium, medium & finem & minorem contrarietatem ipſi Y., & majorem contrarietatem & minorem concordantiam, ac minorem æqualitatem, minorem finem, minus principium & medium homo attribuit ipſi Z.

Qui vult illuminari de hac arte, oportet, quòd ſciat definitionem dictionum, de quibus cameræ formantur, ut ſciat formare S. in cameris.

Nota, quòd *cameræ* hujus artis ſunt *modi* ſive *regulæ*, per quas poſſunt fieri & ſolvi quæſtiones; & ſecundùm hoc, de quo S. tractare vult in cameris, formantur modi per unam aut plures cameras; quia quidam modi ſunt, qui formantur de una camera tantùm, & alii, qui pluribus indigent; & quidam modi formantur de quibusdam cameris, & quidam de aliis: quapropter nos in hoc libro damus breviter inde exemplum de *ſedecim modis*; & ſecundùm illos homo poteſt habere modum in aliis ad tractandum de hac arte ad gloriam & laudem noſtri Domini DEI.

Volens Doctor inſtruere illos, qui proponunt in artem hujus ſcientiæ introduci, primò faciat, illos breviter ſcribere quæſtionem ſive rubricam illius materiæ, quam ſcire cupiunt, & etiam ſcribere aliquos ex modis, qui ſunt in charta, aut illis ſimiles, ſecundùm quod S. conveniet accipere habitum, & intrare in T., & in A. vel V. vel X. vel Y. vel Z.: & poſtmodum oportet, quòd faciat ſcribi cameram ſeu cameras neceſſarias ad formandum quæſtionem vel ſolutionem, poſtea verò quòd reſpiciat in charta literas, & cameras, & quòd cum una virgula eis tangat cameras & figuras.

Nota, quòd tota hæc ars volvitur in hoc, quòd diſcipuli ſciant formare cameras hujus artis, & quòd per quasdam cameras ſciant habere cognitionem de aliis.

PARS II.

De

Applicatione Figurarum A. V. X. ad Fig. S.

& primò

De Applicatione ipſius A.

CUm S. vult intrare cameras ipſius A., tunc poteſt illas intrare *ſimpliciter aut compoſitè* per ſuas ſpecies cum triangulis ipſius T.: unde cùm S. accipit E. vel I. vel N. ſolummodo, & intrat in A., tunc intrat *groſſiori modo*, quàm cùm intrat cum E. I., vel cum E. I. N.; & quando S. intrat in A. cum omnibus ſuis ſpeciebus & cum toto T., tunc intrat *in gradu ſuperlativo*. Unde de iſto introitu nos volumus breviter dare exemplum.

Quando S. intrat in A. ad cameram [Magnitudinis, Bonitatis] cum E., tunc B. memorat, quòd C. intelligit, & B. memorat, & D. amat per T. in triangulo livido majorem bonitatem in A., dum in viridi, croceo & nigro affirmat in A. bonitatem diverſarum, concordantium, eſſentialium & non accidentalium proprietatum æqualium in infinita bonitate, quàm quando C. ignorat in A. bonitatem diverſarum, concordantium, eſſentialium proprietatum æqualium in infinita bonitate; & ideo B. memorat & C. intelligit, quòd de neceſſitate convenit, quòd illa bonitas ſit in A., in qua E. formatur majus in B. C. D.: quia, ſi non eſſet, & eſſet in A. bonitas, in qua E. haberet minora B. C. D., ſequeretur de neceſſitate, quòd A. in T. haberet minorem differentiam in concordantia, & quòd eſſet in majori contrarietate cum majori differentia, concordantia & æqualitate; & hoc eſt impoſſibile; quoniam ſi eſſet poſſibile, B. memoraret, quòd C. intelligeret aliud A. majus, & D. diligeret aliud A. majus, & in A. minori eſſet triangulus rubeus; & ſi ſic eſſet, A. minus & ſuæ cameræ nihil eſſent.

Quando E. simpliciter usum fuit camerâ [Magnitudinis, Bonitatis], I. per se ipsum intrat ad fruendum dictâ camerâ, & mittit in illam F. G. in majori differentia, æqualitate & concordantiâ, & H. odit attribuere minoritatem & rubeum & contrarietatem ipsi A.

N. intrat cameram cum M., quod plùs diligit, quàm B. C. D. F. G. sufficiant ad fruendum A. in sua camera; quia magìs potest M. diligere hoc, quod N. potest oblivisci & ignorare de camera, quàm B. possit memorare.

Cùm S. usum fuit simpliciter camerâ in angulo trianguli lividi, ubi scribitur hæc dictio *DEUS*, tunc se transfert ad contemplandum cameram in aliis angulis, ubi scribitur *Creatura*, *Operatio*; & in illis angulis contemplatur cameram secundùm viridem, croceum & rubeum in majori differentia, æqualitate & concordantia, in quibus potest esse rubeus in creatura & in operatione.

Quando S. vult *componere suas species*, & vult intrare dictam cameram, tunc accipit majorem differentiam & concordantiam ipsorum E. I. N. R., & æqualificat literas ad fruendum camerâ, mutando se de una figura in aliam, & expellendo R. de eorum societate.

Sicut datur exemplum de S., dum intrat cameras de V. X., sic potest intelligi per illud idem exemplum, dum S. intrat cameras ipsius A., & format E. I. N.: sed quia cameræ ipsius A. sunt diversæ à cameris V. X., & sunt in majori differentia, concordantia & æqualitate, ideo est modus diversus; quia, dum S. usum fuit camerâ [Magnitudinis, Bonitatis] per se ipsam, tunc potest ipsam contemplari cùm omnibus cameris ipsius A.; nam dum E. cum B. C. D. est in camera, tunc potest in illa esse, quando ponit B. C. D. F. G. M. in camera [æternæ Bonitatis] vel [æternæ Magnitudinis] vel [perfectæ Potestatis]; & sic de omnibus aliis: quia, sicut E. I. formant in V. livido cameram [Justitiæ Prudentiæ], dum E. est in prudentia, & I. in injuria, sic S. format se ipsum in cameris ipsius A., dum E. est in camera [maximæ Bonitatis] & N. in camera [æternæ Bonitatis] & I. in camera [Esse & Culpæ]: & sic de aliis cameris. Quare cum quibusdam potest S. formare se ipsum in cameris in figura E. vel I. vel N. *simpliciter aut compositè*.

Quando C. intelligit, quòd B. memorat, qualiter S. potest transire per A. & per suas cameras, fruendo quandoque unâ camerâ, quandoque aliâ, tunc B. memorat, quòd C. intelligit de necessitate per cameras ipsius A., quòd DEUS ordinavit, ut S. habeat instrumentum & dispositionem, qualiter per majorem differentiam, æqualitatem & concordantiam in rubeo possit meliùs intrare in A. & suas cameras cum majori æqualitate, differentia & concordantia in E. I. N.; quod nisi ita esset, A. & suæ cameræ essent in camera [Privationis & Defectûs], sed hoc est impossibile; per quam impossibilitatem triangulus niger affirmat in Y. de necessitate, quòd A. dedit ipsi S. cameram [Fidei & Prudentiæ] in majori diversitate, æqualitate & concordantia, quæ sit inter A. & creaturam, ut S. possit frui A. & suis cameris, & illas contemplari.

De Applicatione ipsius V.

1. Species de Virtutibus.

S. In E. I. N. R. intrat cum T. in A. ad cameras [perfectæ Justitiæ] & [perfectæ Misericordiæ], & hoc facit hâc intentione, ut in V. possit formare cameram [Justitiæ & Spei]: & ideo S. mittit E. F. G. M. in cameras ipsius A., & mittit Justitiam & Spem in B. C. D. F. G. M.; quia E. memorat, intelligit & amat, & I. memorat & intelligit, & N. amat Justitiam & Spem, & H. odit sua peccata & peccata ipsorum B. C. D. F. G. M., & intrat odiendo cameram [Injuriæ & Desperationis]. Unde, cùm suprà dictæ literæ formârunt cameram [Justitiæ & Spei], venit R., & mittit se in eorum societatem, perturbans E. I. N., & vult formare in S. cameram [Injuriæ & Desperationis]; eò quia B. memorat & C. intelligit magna peccata ipsius S., & N. non certificatur de magna Misericordia ipsius A. Unde cùm S. se vult pervertere in figuram ipsius R., tunc B. memorat & C. intelligit & D. amat A. & suas cameras, & F. G. similiter; & H. odit ipsum R.: & ideo B. C. D. F. G. H. M. pugnant contra medium O. & medium P. & medium Q. ipsius R.; & quia septem literæ sunt fortiores unâ literâ & mediâ, ideo R. non potest contra E. I. N., & privatur suâ formâ; quia non habet materiam, in qua formetur, postquam formæ E. I. N. extrahunt suam materiam de R.

2. Species de Vitiis.

S. In E. I. N. R. cum T. in V. intrat cameram [Gulæ, Luxuriæ]; unde E. format gulam, dum in illa ponit B. C. D., & I. format luxuriam, dum in illa ponit F. G. & ponit H. in Castitate: & quia E. I. concordant ad formandum cameram, ideo E. format gulam per primam intentionem, & format luxuriam per secundam; & I. format luxuriam per primam intentionem, & gulam per secundam. Unde sicut per istum modum concordant ad formandum cameram, sic per alium modum, quem N. ignorat & obliviscitur, concordant ad destruendum cameram; quia per superabundantiam comedendi & luxuriandi corrumpitur subjectum gulæ & luxuriæ; propter quod intrat totus triangulus viridis in dictam cameram; & dum E. I. concordant & contrariantur ad invicem, E. I. K. L. R. formant cameram [Intemperantiæ & Imprudentiæ]; & propter hoc N. in camera [Gulæ, Luxuriæ] obliviscendo & ignorando diligit Z., putans, se amare Y.: & quia R. habet aliquam naturam ipsius Y., juxta illam naturam vult transfigurare cameram [Gulæ, Luxuriæ] in cameram [Abstinentiæ & Castitatis]: & si R. incipiat in A. & in suis cameris, & possit E. ponere in Y., & I. in Z., & N. convertere in E., tunc juvamine ipsius A. ipsum R. transfiguratur in E. & I. & N., dum sunt in A. Y. & V. livido.

3. Species de Contrariis Vitiorum.

S. In E. I. N. cum T. in V. intrat cameram [Abstinentiæ, Patientiæ]; quia E. format in B. C. D. abstinentiam, dum I. est in gula; & I. format patientiam, dum B. C. D. sunt in abstinentia, & è converso: & cùm N. est in A. in camera [perfectæ Justitiæ], tunc fortificantur E. I. in majori concordantia in triangulo rubeo, quàm cùm E. I. sunt in V. livido, & N. & E. non sunt in A., nec in suis cameris.

4. Species de Contrariis Virtutum.

S. In E. I. N. R. cum T. in V. intrat cameram [Incredulitatis & Fragilitatis]; unde E. format fragilitatem in B. C. D., dum E. appropinquat ipsi R.; & I. format incredulitatem, dum ponit F. G. H. in Y.; & N. format incredulitatem, dum M. amat Z., & habet spem per Z.; quia L. ignorans putat, quòd recipiat præmium gloriæ de hoc, unde meretur mercedem pœnæ, eò quòd amat Z. contra perfectam veritatem & perfectam justitiam ipsius A.: unde in hac concordantia ipsorum E. I. N. R. est contrarietas, quam K. obliviscitur, & L. ignorat, & M. diligit, putans, se amare concordantiam.

5. Species de Virtutibus & Vitiis.

S. In E. I. cum T. in V. intrat cameram [Justitiæ, Iræ], ubi E. format justitiam, dum ipsam ponit in B. C. D., & I. format iram, dum F. G. ponit in injuriam, & H. in justitiam; propter quod D. H. invicem adversantur in formando cameram, in qua naturaliter & substantialiter D. deberet vincere H.; eò quia D. amando habet actionem, & habet majorem concordantiam cum B. C., quàm H. cum F. G., quod habet passionem in odiendo contra conscientiam; sed multoties contingit, quòd, eò quia E. existit debiliter in justitia, & I. habet fortiter F. G. in injuria, & H. in justitia, ideo H. vincit D.: unde, si D. vincit, formatur camera [Justitiæ & Patientiæ], & si H. vincit, formatur camera [Injuriæ & Impatientiæ]; tamen D. H. multoties concordant in camera [Justitiæ & Iræ]; quia E. memorat, intelligit & amat justitiam, & I. ponit F. G. in justitia, & H. odit injuriam; & ideo H. habet iram virtuosam & justam, per quam E. I. formant cameram [Justitiæ & Fortitudinis] & cameram [Charitatis & Justitiæ.]

6. Species de Virtutibus & Contrariis Vitiorum.

S. In E. I. N. cum T. in V. ad cameram [Charitatis, Superbiæ] format cameram [Charitatis, Humilitatis]; quia cùm E. habet B. C. in maxima charitate & humilitate, quam JESUS Christus habuit erga suum populum, dum mori voluit pro eo; & dum I. habet F. G. in magna superbia, quam habent hujus mundi Principes & Barones, & H. odit vanitatem hujus mundi, & N. amat maximam charitatem & humilitatem supra illud, quod B. non est sufficiens ad memorandum, nec C. ad intelligendum, tunc formatur in S. camera [Charitatis & Humilitatis]: sed cùm N. discredit adventum & passionem nostri Domini JESU Christi; & D. amat temporales delicias, & H. non odit vanitates hujus Sæculi, tunc formatur in S. camera [Superbiæ & Odii.]

7. Species de Virtutibus & suis Contrariis

S. In E. I. N. R. cum T. in A. intrat cameram [perfectæ Magnitudinis], & postmodum vadit ad V. ad cameram [Prudentiæ & Imprudentiæ], ubi B. memorat, quòd memoravit,

moravit, & quòd C. intellexit; & C. intelligit, quòd intellexit, & quòd B. memoravit per necessarias rationes, A. esse & suas cameras: & dum E. hoc memorat, intelligit & amat, tunc C. intelligit, quòd, si in A. est perfecta magnitudo, oportet, quòd in eo sit infinita magnitudo; quoniam, si non esset in eo infinita magnitudo, E. non memorâsset, nec C. intellexisset, quòd perfecta magnitudo esset in A.; unde, cùm hoc memoraverit & intellexerit, probatur, quòd infinita magnitudo est in A.: unde cùm E. memorat, intelligit & amat in A. infinitam magnitudinem, tunc B. memorat, quòd C. intelligit, quòd A. est essentialiter in lapide, & in omnibus aliis locis, & ultra omnia loca; quoniam, si non esset, foret sua magnitudo finita. Unde, dum E. sic fruitur & contemplatur A. in sua magnitudine, venit R. & vult memorare & intelligere modum, secundùm quem A. est in loco lapidis; & tunc K. oblivisci tur, & L. ignorat modum; & ideo R. vult pervertere E. in N., quòd non credat hoc, quod memoravit & intellexit de A. & de sua magnitudine; & ideo vult formare in E., quòd magnitudo ipsius A. sit finita: & tunc venit I. habens F. G. in societate E. H. contra R., & destruit Z., in quo est R.; quia F. memorat, & G. intelligit in T., quòd major concordantia & æqualitas est, quòd A. per [perfectam Potestatem] & [perfectam Sapientiam] & [perfectam Magnitudinem] & [perfectam Æternitatem] & [perfectam Virtutem] & [perfectam Voluntatem] (& sic de omnibus aliis cameris ipsius A.) possit esse in loco lapidis, quamvis K. hoc obliviscatur, & memorare non possit, & L. ignoret, & intelligere non possit, quàm esset, si A. non foret, nec suæ cameræ, postquam K. memorare non posset, nec L. intelligere modum, per quem A. sit in loco lapidis: & si hoc ita non esset, & esset contrarium, sequeretur, quòd major concordantia & æqualitas esset inter K. L. cum negatione, quæ negat, quòd A. & suæ cameræ sint aliquid, quàm cum affirmatione & B. C. D. F. G. M., quæ affirmant, Deum esse & suas cameras; sed hoc est impossibile; quia, si foret possibile, K. L. R. essent magìs concordantia cum Y. & cum camera [Esse & Perfectionis], & A. E. I. M. cum Z. & cum camera [Esse & Defectûs]; sed hoc est de majoribus impossibilibus, quæ possint esse. Unde, cùm hoc ita sit, A. E. I. M. formant prudentiam in S., & K. L. R. formant imprudentiam per modum jam dictum.

8. Species de Vitiis & suis Contrariis.

S. In I. N. R. cum T. in V. intrat cameram [Gulæ, Abstinentiæ], ubi I. intrat in abstinentiam, ut formet gulam; & N. amat abstinentiam, & H. odit gulam: unde cùm I. sit fortius in formando gulam, quàm N. in formando abstinentiam, eò quia K. obliviscitur, & L. ignorat modum, quo formatur abstinentia, ideo R. habet plùs in compositione de natura I., quàm de natura N.; & ideo adjuvat plùs I., quàm N.: & propter hoc sunt plures homines, qui amant fragiliter abstinentiam, & fortiter gulam. Unde, in quantum M. & R. simul conveniunt ad fortificandum abstinentiam, N. credit habere abstinentiam, dum homo pastus comedit, aut est jejunus; sed dum accedit ad mensam, & comedit, tunc contingit contrarium ejus, quod N. credebat; & I. vincit N. propter juvamen, quod habet ab R., & quia F. G. H. sunt fortiora contra abstinentiam, quàm M. & quàm modica pars ipsius R. contra gulam.

9. Species de Vitiis & Contrariis Virtutum.

S. In E. I. N. cum T. in V. ad cameram [Ignorantiæ & Desperationis] format cameram [Avaritiæ & Injuriæ]; quia, dum E. habet D. in deliciis & voluptatibus hujus mundi, & N. ignorat modicam quantitatem temporis, quo ipsas possidebit, & dum H. non odit vitia, & N. ignorat gloriam paradisi & infernales pœnas, & K. obliviscitur A. & suas cameras, tunc D. tantum diligit vitiosa, quòd N. desperat, quòd possit consequi hoc, quod amat & affirmat; & propter hoc de D. & M. formatur avaritia, & de H. & M. formatur injuria: sed quando S. facit contrarium hujus, tunc formatur camera [Largitatis & Justitiæ].

10. Species de Contrariis Vitiorum & Virtutum.

S. In E. I. N. cum T. in V. format cameram [Fidelitatis & Incredulitatis]; E. format fidelitatem, quando ponit illam in B. C. D.; & I. N. formant incredulitatem, quando ponunt F. G. M. in Y., & H. K. L. contra F. G. M. in Y. Unde quando E. vincit I. N. propter majorem concordantiam in differentiis & in triangulo rubeo, tunc formatur camera [Fidelitatis & Fidei], eò quia I. & N. convertuntur in contrarium ejus, in quo erant in prima camera: sed quando I. N. vincunt E., tunc E. pervertitur in contrarium ejus, in quo erat in prima camera; & format cameram [Invidiæ & Incredulitatis].

De Applicatione ipsius X.

De Prima Figura X.

S. In E. I. N. R. cum T. in X. intrat cameram [perfectæ Sapientiæ], ut formet cameram [perfectæ Prædestinationis]. Unde, quando E. contemplatur A. in camera, tunc formatur camera [perfectæ Prædestinationis] per necessarias rationes; quoniam si E. memoraret & intelligeret prædestinationem in privatione, non posset memorare vel intelligere in A. perfectam sapientiam. Unde, cùm E. memorat & intelligit in A. perfectam sapientiam, R. falso modo in prima figura significat cameram [Liberi Arbitrii & Privationis]; ideo tunc N. diligit liberum arbitrium, quod obliviscitur & ignorat, quando E. in prima figura intrat cameram [perfectæ Prædestinationis]: & ideo I. intrat in medium ipsius E. & N., & tribuit F. G. H. prædestinationi, eò quòd K. obliviscitur, & L. ignorat liberum arbitrium salvationis, vel damnationis. Unde, quando N. convertit I. ad istam figuram, quæ odit prædestinationem, E. convertit ad se I., eò quia B. memorat, quòd C. intelligit, de necessitate oportere, quòd propter perfectam sapientiam formetur prædestinatio in E.: & propter hoc vertitur I. contra N. cum F. G. H., & odit liberum arbitrium; & sic I. nil aliud facit, nisi se alterare in figura quandoque propter E., quandoque propter N.: & quoniam N. in prima figura non habet nisi M. ad liberum arbitrium, & E. habet B. C. D. ad prædestinationem, ideo E. vincit N., & convertit fortiùs & sæpius ad se I., quàm N. Unde, quando E. I. sunt contra N., tunc formant ad prædestinationem cameram [Esse, Perfectionis], & ad liberum arbitrium cameram [Esse, Defectûs]; & dum N. I. sunt contra prædestinationem, tunc affirmat N. liberum arbitrium per fidem, & H. odit prædestinationem, eò quòd M. diligit liberum arbitrium, ut possit habere salvationem.

De Secunda Figura X.

Secunda figura X. est contraria primæ in S.; quia in continenti, quando E. intrat in A. per [perfectam Justitiam], B. memorat, & C. intelligit liberum arbitrium; quia sinè libero arbitrio non posset B. memorare, nec C. intelligere, nec D. amare cameram [perfectæ Justitiæ]. Unde, quando E. accepit formam in B. C. D., quòd liberum arbitrium est, tunc N. non memorat, nec intelligit prædestinationem; & tunc veniunt R. I., & utuntur suo officio in contrarium sensum ejus, quo usi fuerunt in prima figura. Unde ista secunda figura potest intelligi per contrarium sensum primæ; & non oportet aliud mutari, nisi quòd dicatur [perfecta Justitia], sicut in prima figura dictum est [perfecta Sapientia]: quoniam sicut propter perfectam Sapientiam formatur in E. perfecta prædestinatio, sic propter perfectam Justitiam formatur in E. perfectum liberum arbitrium.

De Tertia Figura X.

CUm S. turbatum sit & inordinatum in prima & secunda figura X., quia R. se miscet cum E. I. N., ideo formatur in S. ista tertia figura, quæ dicitur *figura dubitationis*; quia est *composita ex prima & secunda figura.* Unde sicut ignis multùm *significat* siccitatem, & aqua humiditatem, sic Sapientia ipsius A. tam multùm *significat* prædestinationem, & Justitia ipsius A. tam multùm *significat* liberum arbitrium, quòd C. & G. in eodem tempore non possunt intelligere perfectam prædestinationem, nec perfectum liberum arbitrium; quia sunt in camera [Scientiæ & Ignorantiæ]: & ideo C. G. dubitant, & non audent affirmare vel negare prædestinationem, nec liberum arbitrium; & totum S. pervertitur in figuram ipsius R. in tertia figura, & est in dubio; & non possunt in illo recipi eodem tempore liberum arbitrium & prædestinatio, dum est in figura ipsius R.; & ideo in uno tempore existit in ipso prædestinatio, & in alio liberum arbitrium; & dum R. memorat, intelligit & amat liberum arbitrium, obliviscitur, ignorat & odit prædestinationem: & quando in hac figura aliquantulùm recedit, convertit se ad recolendum, intelligendum & diligendum prædestinationem, & ad obliviscendum, ignorandum & odiendum liberum arbitrium, & nunquam in eodem statu permanet; & propter hoc plures homines sunt decepti & tormentati; quia ab hac tertia figura nesciunt se transferre ad quartam.

De Quarta Figura X.

SPonatur in E. & in A. in camera [perfectæ Potestatis] & in camera [perfectæ Voluntatis] & in omnibus aliis cameris ipsius A.: sed sufficiat nobis, quòd solùm de aliquibus demus exemplum. Unde, quando C. affirmat duas suprà dictas cameras in A., tunc affirmat cameram [Prædestinationis & Liberi Arbitrii]; quando verò negat cameram [Prædestinationis & Liberi Arbitrii] tunc negat cameram [perfectæ Potestatis] & cameram [perfectæ Voluntatis]: nam nisi prædestinatio & liberum arbitrium essent in esse, nullum B. posset recolere, nec ullum C. intelligere, quòd in A. esset perfecta potestas & perfecta voluntas in Scientia & Justitia; & posset recoli & intelligi, quòd in A. non esset perfecta Sapientia & perfecta Justitia; sed hoc est impossibile; nam non potest recoli vel intelligi, esse in A. hoc, quod in eo non est. Unde cùm B. recolit, & C. intelligit, quòd T. in prima figura affirmat prædestinationem, & negat liberum arbitrium, & in secunda figura totum contrarium facit, tunc C. intelligit, quòd B. recolit, esse impossibile, quòd T. sit in Y. in prima & secunda figura, & quòd non sit aliqualiter in Z.; quoniam, postquam in prima affirmat hoc, quod negat in secunda, & in secunda affirmat hoc, quod negat in prima, oportet, quòd contineat de Y. & de Z. in diversis figuris: unde C. intelligit, quòd, quando T. affirmat in prima figura perfectam sapientiam, & perfectam prædestinationem, tunc est in Y.; & quando negat in prima figura perfectum liberum arbitrium & perfectam Justitiam, est in Z.: contrarium autem sequitur, quando est in secunda figura. Unde, cùm Y. & Z. sint inter se contraria, est impossibile, quòd T. affirmans & negans Sapientiam, Justitiam, prædestinationem & liberum arbitrium possit esse in Y., & non in Z., vel in Z., & non in Y. in prima & secunda figura; quia si esset possibile, oporteret de necessitate, quòd Y. & Z. non essent inter se contraria. Unde cùm C. intelligat necessariò, quòd B. recolit, Y. & Z. esse contraria, ideo C. intelligit, quòd, quando B. recolit propter sapientiam ipsius A. prædestinationem, B. sit in Y.; & hoc, quod credit in prima figura, quòd liberum arbitrium nihil sit, est L., quod ignorat in prima figura liberum arbitrium; quod L. est in Z., & credit, se esse C. & esse in Y.: contrarium hujus sequitur in secunda figura. Unde quando E. posuit primam & secundam figuram in B. C. prædicto modo, tunc in quarta figura recolit & intelligit plùs, quàm fecit in prima & secunda figura; & cum aliis cameris ipsius A. concordat in se ipso significationem Sapientiæ & Justitiæ; & ideo I. ponit F. G. in convenientia ipsius E., & H. odit deceptionem falsarum significationum, quas S. recipit per suam fragilitatem in prima & secunda figura.

Data est solutio prædestinationis ad laudem & gloriam ipsius A. per istam artem in quarta figura, in qua C. intelligit, quòd necessariò B. recolit, quòd, si prædestinatio & liberum arbitrium non essent, oporteret necessariò, quòd C. intelligeret, quòd, si non esset liberum arbitrium, & esset prædestinatio, A. sciret suam scientiam majorem in creatura, quàm in se ipso; eò quia non sciret se justum; vel si esset liberum arbitrium, & non esset prædestinatio, quòd A. esset majus in justitia in creatura, quàm in sua scientia, quæ perfectè in creatura non sciret; sed hoc est impossibile, quòd divina essentia habeat majorem justitiam vel scientiam in creatura, quàm in se ipsa; quæ impossibilitas probatur in T. in croceo & viridi.

In isto modo quatuor figurarum & in ista quarta figura juvat se homo *cum modo sapientiæ & ignorantiæ, & cum modo illius, quod videtur contrarium, & non est, & cum modo conversionis & perversionis & majoritatis & minoritatis, & sic de aliis modis.*

Hæc figura X. non cognoscitur in se, sed manifestatur in cameris ipsius A.; quapropter C. eam contemplatur extra suí naturam in A., secundùm quod probatur ad plenum in *Lectura hujus Artis.*

INCI-

INCIPIT SECUNDA DISTINCTIO QUÆ EST DE Sedecim Modis Universalibus & septem Quæstionibus.

HÆc secunda Distinctio in *duas partes* dividitur, in quarum *prima* ponuntur & explicantur sedecim Modi Universales, in quos intrat S. cum T. producendo Conditiones & Regulas generales, quibus solutiones omnium Quæstionum particularium investigantur & inveniuntur: in *secunda* ponuntur septem Quæstiones, quæ per suprà dictos sedecim Modos solvuntur.

PARS I.

De

Sedecim Modis, in quibus formantur Quæstiones & Solutiones hujus Artis.

SIcut Figura A., vel X. panditur ipsi S. in centum viginti cameris, sic isti sedecim Modi universales cognoscuntur, percipiuntur & formantur intellectualiter ab ipso S. *in centum viginti cameris:* unde, sicut S. format suas species & suas cameras cum cameris ipsorum A. T. V. X., sic in istis sedecim modis multi alii modi & multæ quæstiones & solutiones recipiunt formam. „Unde forma hujus artis exigit, quòd S. or„dinatè cum suis speciebus & cameris intret „in istos sedecim modos, & quòd in ipsis „sciat ponere alios modos, ex quibus propo„nantur, formentur & solvantur quæstiones „tali modo per A. T. V. X., quòd ipsis C. & „G. ostendantur Y. & Z., & quòd D. & M. „diligant A. Y., & H. M. odiant Z.

DE MODO I.

Ordinationis Primæ & Secundæ Intentionis.

MOdus ordinationis est generalis omnibus aliis modis; quia oportet, quòd omnes recipiant ab ipso principium & figuram: unde iste modus formatur per hunc modum, videlicet quòd S. ordinatè intret in A. T. V. X., secundùm quod opus habet cameris, in quibus formatur figura, quam S. inquirit, ut C. inveniat Y. Z., quando C. existit potentialiter in L.

Prima Intentio semper respicit causam finalem, & assimilatur fructui; secunda autem assimilatur arbori, quæ est propter hoc, ut fructus sit: unde quando homo diligit rem magis nobilem per primam intentionem, & rem minùs nobilem per secundam, tunc ambæ intentiones sunt in V. livido; sed quando diligit rem minùs nobilem cum prima, & magis nobilem cum secunda intentione, tunc ambæ intentiones sunt in V. rubeo.

H. in I. semper odit per secundam intentionem, eò quòd D. amat per primam contrarium ejus, quod H. odit.

Ars hujus modi est, quòd S. magìs obediat cameris ipsius A., quàm alicui aliarum, & quòd magis obediat significationi substantiali, & intellectuali, & causæ finali, & ordinatæ primæ intentioni, quàm significationi accidentali, sensuali, & causæ efficienti, materiali, & formali, & secundæ intentioni, & fortunæ; nam per hanc obedientiam ostenduntur ipsi S. causans & causatum & triangulus rubeus, croceus & viridis, & formantur in eo. Unde, quando S. habuit cognitionem causantis & causati in T., oportet, quòd moveatur per primum motum, qui semper movetur ad bonum, & eligat nobilius & majus causans & causatum in triangulo viridi & rubeo, attribuens illud ipsi Y., & suum contrarium ipsi Z.

DE MODO II.

Disputationis.

ISte modus est forma generalis, per quam homo poterit facere quæstiones & solu-

tiones, ut in triangulo rubeo sit Y. Unde ars ista præcipit, quòd S. sit in E., & E. in A.; & quòd F. G. sint in Y., & H. in Z.; & quòd C. sit contra L., & E. I. contra N. R., & E. I. N. sint contra R., in quantum O. P. Q. contendunt de V. rubeo & de Z.

Oportet, quòd B. recolat, quòd D. non sit majus, quàm C., ut D. non pervertat C. in L.: & quòd B. recolat A. T. V. X. & quindecim modos vicinos huic tali ratione, quòd iste modus possit accipere figuram in Y. ad destruendum Z.

Quando B. C. incipiunt sumere figuram in aliqua camera in Y., oportet, quòd B. non recolat aliam cameram, quousque C. penitus acceperit figuram contra L., & B. contra K., & Y. contra Z.

Oportet, quòd B. impugnet ipsum K., & C. ipsum L., & D. ipsum M.; & quia B. C. D. substantialiter se invicem meliùs adjuvant, quàm K. L. M., facilius est secundùm cursum naturalem, quòd E. vincat N., quàm quòd N. vincat E.; quia D. diligit B. & C., & B. recolit C. & D., & C. intelligit B. & D.: sed M. non diligit K. L., imò diligit B. C. D. pro K. & L.; nec K. recolit se ipsum, nec recolit E. L. M.; nec L. intelligit se ipsum, nec intelligit E. K. M.

Sicut B. & D. sunt causa ipsi C., quòd intelligat, sic K. & M. sunt causa ipsi L., quòd non intelligat. Unde, cùm hoc ita sit, melior modus, quem homo potest habere in disputando, est, quòd cum C. impugnet M., & quòd faciat illum, cum quo disputat, judicare illud, quod ejus C. intelligit; quia quando ipse idem est judex hujus, quod suus intellectus intelligit, faciliùs confitetur veritatem.

DE MODO III.

Significationis.

OPortet, quòd S. tentet cum T. ipsum E. I. & N., ut intelligat, in qua suarum specierum poterit recipere majorem significationem & majorem notitiam ab A. V. X.; & oportet, quòd recipiat habitum illius speciei, cum qua cameræ ei meliùs significantur; & quòd sciat per significationes sensuales ad intellectuales ascendere, intelligendo & percipiendo quatuor quæstiones & quatuor causas universales.

Oportet, quòd S. mediantibus T. V. X. inquirat A. & suas cameras; & quando illud invenit, oportet, quòd cum A. & suis cameris dirigat & ordinet suas species in T. V. X.; & caveat, quòd C. non pervertatur in L., & quòd C. majus & melius eligat super C. minori: illud autem C. est majus, quod est in B., & recolit A., vel T., vel V., vel X. majus.

S. ipsis D. H. & M. influat temperatè, & non affirmet in A. minoritatem, nec contrarietatem, vel defectum; & si per unam cameram non possit percipere significationem, inquirat illam in aliis; & si non potest percipere in uno tempore, vel unò loco, exspectet aliud tempus, vel se transferat de uno loco in alium; & potentia vegetativa & sensitiva sint ordinatum instrumentum ipsi S., ut possit recipere significationes, quas inquirit.

DE MODO IV.

Actualitatis & Potentiæ.

ARs istius modi est, quòd C. intelligat, quòd potentiale est ipsi B. recolere, quòd in actualitate ipsius A. & suarum camerarum non est triangulus rubeus, & quòd quælibet species ipsius S. habet potentialiter in alia suam formam per conversionem.

Quando I. est in Z., ipsum E. est actualiter in Y., & è converso; & quando N. est in Y., vel in Z., tunc est potentialiter in habitu ipsius E.

C. intelligit, quòd B. recolit, quòd major concordantia est inter actualitatem, potentiam & actionem, quàm inter actualitatem, potentiam & passionem: & propter hoc est minus medium inter potentiam, passionem & privationem, quàm inter actualitatem & actionem, vel inter actualitatem & potentiam.

Formæ, quæ sunt corruptibiles, tendunt ad potentiam, vel privationem; eò quia aliæ formæ veniunt in actualitatem, & sunt in generatione; propter quod anima & quatuor elementa inquirunt formas, quibus non existant ampliùs formæ potentiales.

Cameræ A. T. V. X. non possunt simul recipi, nec quælibet per se in S.; eò quòd majores sunt, quàm S.: unde propter minoritatem ipsius S. & majoritatem camerarum triangulus rubeus terminat intra se ipsum S.; & ob suam terminationem actualitas ipsius S. terminatur propter formas potentiales; cùm nihil nullam habeat actionem super id, quod est; quam si haberet, nihil esset aliquid: sed est verum, quòd actualitas habet actionem super hoc, quod non est eò quia actualitas & actio habent posse contra potentiam & passionem, quibus privatio est propinqua.

DE MODO V.

Sensualitatis & Intellectualitatis.

QUando S. intrat in T. hâc intentione, quòd det E. ipsi Y., & I. sit contra Z., tunc C. intelligit, quòd B. recolit, quòd E. I. N. habent majorem concordantiam cum intellectualitate, quàm cum sensualitate; quia cum intellectualitate habent concordantiam substantialem, & cum sensualitate habent concordantiam accidentalem: & propter hoc C. intelligit, quòd S. debet dare primam intentionem rebus intellectualibus, & secundam sensualibus: & ideo S. debet movere E. I. N. contra sensualia, quando formatur figura ipsius R. contra intellectualia; & cum D. M. Y. debet impugnare H. & Z., quando H. Z. sunt in rebus sensualibus contra D. M. Y., quæ sunt in rebus intellectualibus.

Oportet, quòd E. custodiat C., ne pervertatur in L., credendo, quòd res sensuales sint intellectuales, & è converso; quia per hanc perversionem transfiguratur E. in N., quod est in Z.; & H. est contra Y. accidentaliter.

Intellectualia faciunt majorem triangulum rubeum & viridem, quàm sensualia; & ideo sunt in majori concordantia, vel contrarietate cum A., vel V. livido, quàm sensualia: & quia intellectualia sunt magis utilia, vel damnosa, oportet, quòd S. moveatur citiùs in suas species, & in individua illarum, quàm in sensualia: & cùm D. fuerit satiatum & completum, & C. intellexerit complementum, tunc oportet, quòd B. recolat & D. diligat motum sensualitatis, sequendo motum intellectualitatis.

Sensualitates sunt fenestræ, per quas S. producit suas species & individua illarum de potentia ad actum, dum sensus sensuales moventur de una sensualitate in aliam, & sensus intellectuales per unam sensualitatem intelligunt aliam, & per unam vel per plures sensualitates intelligunt unam vel plures intellectualitates, & per unam vel per plures intellectualitates intelligunt aliam vel alias intellectualitates secundùm artem, quam S. habet in T., intrando ad cognoscendum suas proprias cameras, & cameras A. V. X.

DE MODO VI.

Rerum Substantialium & Accidentalium.

QUando B. recolit substantialia & accidentalia, C. intelligit, quòd substantialia sint majora in T., quàm accidentalia; quia major concordantia, major differentia, contrarietas, æqualitas, principium, medium & finis formantur de hoc, quod est substantiale, quàm de hoc, quod est accidentale: unde D. est majus in diligendo, & H. in odiendo substantiale, quàm accidentale: & ideo E. est magis substantiale, quàm I. N. R., & I. magis, quàm N. R., & N., quod est in Y., magis, quàm R.

Cùm triangulus rubeus sit minor per accidentalia, quàm per substantialia, ideo accidentalia veniunt faciliùs ad potentiam & actum, quàm substantialia: & quia S. faciliùs ponit accidentalia in suis speciebus, quàm substantialia, ideo amatores ipsius Z. continuò magis tractant de accidentalibus, quàm de substantialibus; & ideo diligunt V. rubeum, & sunt contra A. & V. lividum; & S. tractat diligentiùs de rebus substantialibus & accidentalibus corporis, quàm de se ipso, vel de suis accidentibus.

DE MODO VII.

Orationis.

CIntelligit, quòd B. recolit, quòd Oratio est *triplex*, scilicet: *Oratio Sensualis*, *Intellectualis*, & *Composita ex utraque*: *Sensualis* est, quando motiva sensualis movetur ad laudandum & benedicendum A. & suas cameras: *Intellectualis*, cùm motiva intellectualis movetur ad contemplandum A. & suas cameras absque motiva sensuali: *Oratio Composita* est, quando sensualitas & intellectualitas simul moventur ad laudandum, orandum & glorificandum A. & suas cameras.

Ars istius modi est, quòd S. ponat E. in A. in aliqua suarum camerarum, & quòd B. C. D. sint in illa, & quòd postea ponat in illa F. G., & quòd H. sit contra defectus, quos S. fecit contra A.: postea convenit, quòd in illa camera ponat N., ad hoc, ut M. diligat plùs cameram, quàm B. & F. possint recolere, vel C. & G. intelligere, vel D. diligere.

Postea autem oportet, quòd E. I. N. sint contra R.; eò quòd sua figura non

est digna contemplari cameram; & hanc contrarietatem habeant cum R. cum mutatione unius expositionis in alteram: quia si per moralitatem homo non potest contra R., capiat allegoriam, & sic de aliis. Unde, quando S. cum suis speciebus intravit cameram isto modo, oportet, quòd eodem modo contempletur omnes cameras, scilicet unam post aliam; & postquam omnes cameras fuerit contemplatum, oportet, quòd postea intret in T., & quòd contempletur A. & suas cameras in triangulo livido cum triangulo rubeo, croceo & viridi, taliter, quòd non det ipsi A. minoritatem, nec contrarietatem.

Quando S. ipsum A. in T. fuit contemplatum, oportet, quòd contempletur illud in V., & postea in X. de una camera in aliam.

DE MODO VIII.

Sapientiæ & Ignorantiæ.

ARs istius modi est, quòd B. recolat, quòd C. in tempore præterito intellexit per rationes necessarias, quòd DEUS est, & quòd est infinitus & Creator, & sic de aliis: unde tunc sapientia formatur in C.; & quando C. vult intelligere, quid est DEUS, & qualiter creavit aliquid de nihilo, tunc C. pervertitur in L., & formatur in L. ignorantia; quia, quid sit DEUS, & modus, qualiter creavit esse de non esse, non recipitur in C. Unde, cùm D. vult, quòd recipiatur in eo, quod non potest recipi in illo, tunc C. pervertitur in L.; nam si in C. non potest recipi modus, qualiter forma & materia conjunguntur in componendo corpus, nec potest in eo recipi, quòd intelligat, quid sit anima, licèt hæc sint finita, quantò minùs potest in eo recipi totum A., quod est infinitum. Unde cùm hoc ita sit, cùm C. intelligit, quòd hoc intelligat; & intelligit, quòd N. ignoret; & D. diligit, quòd C. intelligat; & H. odit, quòd in C. recipiatur aliquid, quod esset contra A. & suas cameras, tunc formatur camera [Scientiæ & Ignorantiæ] sapienter; quia sapienter scit, quòd ignorat.

Iste modus vadit per *subjectum* & *objectum*, & per *extrà* & *intrà*; sicut est in Hostia panis ritè à presbytero consecrati; quia, quantùm ad objectum, quinque sensus corporales ignorant in ipsa Hostia Carnem & Sanguinem Christi; sed sensus spirituales sciunt, quantùm ad subjectum, ipsum panem consecratum esse veram Carnem, & vinum verum Sanguinem: unde hoc, quod sensus spirituales sciunt in ipso pane consecrato, sciunt per ea, quæ sunt extra subjectum, & sciunt similiter per A. & suas cameras; & sensus corporales ignorant per ea, quæ sunt extra objectum: & illud idem sequitur de melle, quod infirmo gustui est amarum, quantùm scilicet ad objectum, & non quantùm ad subjectum, & sic de aliis. Unde quando istud sic scitur, tunc ignoratur sapienter hoc, quod ignoratur, quantùm ad objectum, & scitur, quantùm ad subjectum.

DE MODO IX.

Majoritatis & Minoritatis.

QUando N. putat recolere & intelligere A. & suas cameras in majoritate & melioritate, sicut quando dicitur, quòd Deus esset major & melior, si priùs creâsset mundum, vel si illum creâsset majorem vel meliorem, vel si fecisset, quòd non esset peccatum, neque malum, tunc N. putat, se esse E.: unde quando N. prædicto modo vel aliis huic similibus putat, se esse E., tunc B. recolit, & C. intelligit, quòd N. obliviscitur & ignorat id, quod B. recolit & C. intelligit: quia, si hoc, quod N. vocat majus & melius, Deus non creavisset, vel fecisset, oporteret necessariò, quòd Deus esset minor in hoc, quod fecit, & esset major, si fecisset hoc, quod dicit N.; & si sic esset, E. esset hoc, quod appellamus N.; & si sic esset, E. posset recolere, intelligere & diligere A. majus & melius & suas cameras, quàm sint; sed hoc est impossibile; quoniam, si esset possibile, E. esset majus & melius, quàm A., & esset in A. & in suis cameris defectus. Unde, cùm F. recolit, & G. intelligit, H. habet odio hoc, quod dicit N.; & B. recolit, & C. intelligit in T., quòd multò meliùs convenit, quòd N. obliviscatur & ignoret hoc, quod vocat majus & melius, quàm si E. esset majus, quàm A., vel si in A. esset aliquis defectus: sed cùm E. jam recoluit & intellexit, quòd A. & suæ cameræ habeant in se omnem perfectionem, ideo C. intelligit, quòd hoc, quod fecit A., est majus & melius; & hoc, quod N. dicit, est minus: quia, si foret majus, E. non recoluisset, nec per rationes necessarias intellexisset, esse A. & suas cameras.

Iste modus formatur *de esse* & de *perfectione*, quæ concordant cum majoritate, & de *privatione* & *defectu*, qui concordant cum minoritate: quia, si illud est, in quo est minoritas & defectus, quantò plùs convenit, illud

illud esse, in quo est majoritas & perfectio: quia, si hoc non esset, sequeretur, quòd privatio & defectus concordarent cum majoritate, & quòd similiter esse & perfectio concordarent cum minoritate; sed hoc est impossibile.

DE MODO X.

Contrarietatis, & de hoc, quod apparet esse contrarium, & non est.

QUando B. recolit, quòd C. intelligit, quòd L. ignorat, quando credit se esse G., & G. esse L., tunc est vera contrarietas inter C. & L.; sed quando non est contrarietas, & apparet contrarietas inter C. & L., tunc est ita, velut cùm unum C. affirmat, quòd DEUS est bonus, & aliud C. negat, quòd DEUS est bonus; C., quod affirmat, intendit dicere, quòd DEUS est bonus sanctis civibus paradisi; & C., quod negat, intendit dicere, quòd DEUS non est bonus condemnatis: unde quodlibet intendit dicere veritatem: & quia quodlibet duorum C. intendit dicere veritatem, ideo formant scientiam; sed quando unum C. non intelligit aliud, ideo in hoc, quòd invicem se non intelligunt, formatur L.; & propterea formant ignorantiam: & ideo est falsa contrarietas inter ea in hoc, in quo se invicem non intelligunt, & formant cameram [Scientiæ & Ignorantiæ]: unde intentio cujuslibet est bona & virtuosa; & ignorantia, quam unum habet de alio, est vitiosa.

DE MODO XI.

Positionis & Necessarii.

IN principio, quando quis vult probare aliquid, oportet ipsum ponere, aliquid esse in Y.; & ipsa positio non fiat per necessarias rationes, sed solummodo, quòd affirmando, vel negando per propositionem cathegoricam dicat aliquam rem per fidem; sicut qui dicit: ponamus, quòd in DEO sit perfecta Justitia: unde, quando aliquis posuit, quòd in DEO sit suprà dicta camera, necessariò sequitur, quòd cum propositione conditionali affirmet, Resurrectionem esse; nam si DEUS est perfectè justus, oportet necessariò, Resurrectionem esse; quæ si non esset, C. intelligeret, quòd B. non recoleret in DEO perfectam justitiam. Unde positio formatur priùs in N., quod non intelligit, utrùm hoc, quod ponit, sit in Y., vel in Z.; & postea in secunda propositione propositio cathegorica convertitur in conditionalem, quando N. dicit: si Deus est perfectè justus: quare N. & E. formant cameram [Scientiæ & Ignorantiæ]; quia N. ignorat priùs propositionem, & E. intelligit necessariò conclusionem.

DE MODO XII.

Causæ & Fortunæ.

B. Recolit, quòd C. intelligit, quòd major differentia & contrarietas est inter causam finalem & fortunam, quàm inter causam efficientem, materialem, formalem & fortunam; & hoc est ideo; quia prima intentio respicit causam finalem, & secunda alias causas, quæ sunt propinquiores fortunæ, quàm causa finalis: unde causa finalis est major in triangulo rubeo, quàm aliæ causæ.

E. concordat meliùs cum causa, quàm I., vel N., vel R.; & I. convenit meliùs cum causa, quàm N., vel R.; & N. meliùs, quàm R.; & hoc est propter continuam conjunctionem, quam quædam species habent in suis individuis majorem, quàm aliæ: unde fortuna est magìs propinqua ipsi I., quàm ipsi E.; & ipsi N., quàm ipsi I.; & ipsi R., quàm ipsi N.

In majori & meliori B. C. D. F. G. H. K. L. M. causa est magìs concordans, quàm in minori & pejori B. C. D. F. G. H. K. L. M.: unde fortuna est magìs propinqua literæ minori & pejori, quàm majori & meliori; & causa est magis propinqua ipsis O. P. Q., secundùm quod habent plus de natura ipsorum E. I. M., quàm ipsis O. P. Q., quæ sunt majora in K. L.: sed quando contraria sunt æqualis quantitatis in R., tunc causa & fortuna æqualiter sunt propinquæ in R.

Res spectantes ad causam sunt plures, & sæpius fiunt, & magìs propinquæ sunt, & meliores, vel pejores, quàm res, quæ per fortunam fiunt: unde res meliùs conservantur & multiplicantur per causam, quàm per fortunam: & quia causa est plùs in actu in duobus aut tribus hominibus, quàm in uno, ideo fortuna non habet tantum posse in duobus aut tribus hominibus, quando conservant, vel multiplicant aliquid, sicut in uno solo homine; & hoc ideo, quia duo, vel tria, vel plura B., vel C., vel D. possunt plùs, quàm unum B., vel C., vel D.

S., quod

S., quod habet E. in A., est fortius contra fortunam, quàm S., quod habet E. in V. livido; & S., quod habet E. in V. livido, est fortius contra fortunam, quàm S., quod habet E. in V. rubeo; & S., quod habet E. in Y., est fortius contra fortunam, quàm S., quod habet E. in Z.: quare, quantò objectum est nobilius, in quo est B. C. D., tantò E. est fortius contra fortunam.

S., quod vadit casu fortuito per A., habet primam intentionem sibimet ipsi, & habet secundam ad A.; & ideo causa finalis primæ intentionis pervertitur in fortunam.

Plures sunt formæ potentiales casu fortuito per formam, quàm per materiam; & formæ actuales per causam finalem meliùs conservantur, quàm per efficientem.

DE MODO XIII.

Conversionis & Perversionis.

QUando D. est fortius, quàm B. C., tunc E. pervertitur in N.; & quando M. perdit suam vim per D., vel H., tunc N. convertitur in E., vel in I.; & quando E. est in A., vel in V. livido, tunc convertitur in I., quod est in V. rubeo & in Z.; & quando E. est in V. rubeo, vel in Z., pervertitur in I., quod est in A., vel in V. livido, vel in Y.

E., quod est in Z., non potest converti in I., quod est in Z., & è converso: & hoc idem sequitur de Y.

Quando I. pervertitur in N., tunc H. odit tantum contra F. G., donec F. pervertitur in K., & G. in L., & H. in M.; & quando N. convertitur in I., tunc in tantum diligit M., quòd per magnam abundantiam amoris K. convertitur in F., & L. in G., & M. in H., quod odit hoc, quod M. diligebat.

Quando R. convertitur in E., vel I., vel N., tunc recuperat quælibet litera suam partem ex R.; & quando E. I. N. pervertuntur in R., tunc generatur figura ipsius R. per fragilitatem ipsorum B. C. D. F. G. H. M.

Iste modus præbet homini cognitionem de modo, quo S. convertitur de ignorantia ad scientiam, & quo pervertitur de scientia ad ignorantiam, & de Y. in Z., & de Z. in Y., & de V. livido in V. rubeum, & de V. rubeo in V. lividum.

DE MODO XIV.

Liberæ & Coactæ Voluntatis.

QUando H. generatur ex duobus D. contrariis, tunc est libera voluntas in duobus D., & voluntas coacta in H., per hoc, quòd est in medio duorum contrariorum: sicut est de Domino, qui præcipit suo servo fodere; & servus vult fodere, quando fodit; quia, si nollet fodere, non foderet; & nollet fodere, sed vellet potiùs aliud operari: unde H. est id, quod odit fodere; & est coactum ad fodiendum propter D., quod diligit fodere, & propter D., quod vellet aliud facere. Unde, si quis vult hujusmodi coactam voluntatem ducere in privationem, faciat, quòd H. non stet inter duo D. contraria.

Quando M. diligit hoc, quod L. ignorat; & C. intelligit, quòd M. diligit Z. in hoc, quòd L. credit esse in Y., tunc H. stat in medio, quòd odit coactè Y., quod C. intelligit: quia per hoc, quòd M. multùm amavit Z., quod putavit longo tempore esse Y.; & odivit Y., quod credidit longo tempore esse Z.; & D. diligit subitò ipsum Y., eò quòd in brevi tempore C. cognoscit illud, ideo H. inclinat plùs ad concordantiam cum M., quàm cum D. Unde propter hoc aliqui infideles, qui cognoscunt suum errorem, odio habent illos, qui eis illum manifestant; & diligunt plùs M., quàm C.

DE MODO XV.

Expositionis.

QUando S. vult invenire Y. per authoritates in Sacra Scriptura, oportet, quòd B. recolat *quatuor Expositiones*, quæ sunt *literalis, moralis* seu *tropologica, allegorica* & *anagogica:* & postea oportet, quòd recolat T. A. & suas cameras: & si C. intelligit, quòd expositio literalis concordet cum A. & suis cameris, tunc potest affirmare, quòd expositio literalis est in Y.; & si non concordet cum illo, sed contrarietur ei, necessariò oportet, quòd intelligat, expositionem esse in Z.; *quoniam nulla expositio potest esse in Y., quæ sit authoritatis contrariæ ipsi A. & suis cameris:* quia, si esset, esset A., vel Author, à quo authoritas emanavit, contrarius cameris ipsius A.; sed hoc est impossibile. Unde oportet, quòd B. recolat aliam expositionem, quæ sit concordans cum A. & suis cameris; & oportet, quòd illam affirmet esse in Y., & contrarium ipsius in Z.

Si sunt duæ expositiones, & una illarum ostendit, esse A. majus, & suas cameras majores, quàm alia, vel si ambæ expositiones sint contrariæ inter se, oportet, quòd C. intelligat, quòd illa expositio, quæ significat majus

majus A. & suas cameras, sit in Y., & contrarium illius sit in Z.: quia, si hoc ita non esset, B. recoleret, quòd A. & suæ cameræ posuissent Y. in hoc, in quo ipsum A. & suæ cameræ viderentur esse minores, & Z. in hoc, in quo viderentur esse majores; sed hoc est impossibile; quia, si esset possibile, non essent in A. cameræ [perfectæ Potestatis] & [perfectæ Scientiæ] & [perfectæ Voluntatis]; sed hoc est impossibile, & est contra *modum majoritatis & minoritatis.*

Si una expositio est minor ad significandum A. & suas cameras, quàm altera, dummodo inter se non sint contrariæ, possibile est, quòd expositio minor sit in Y., postquam major potest esse in illo; sed si essent in contrarietate, est impossibile, quòd ambæ sint in Y.

Iste modus est multùm utilis illis, qui disputant inter se per authoritates Sanctorum; dummodo sciant ordinare triangulos, & sibi cavere, ne attribuant ipsi A. vel suis cameris aliquam contrarietatem, vel defectum: & si per unam expositionem non possunt invenire veram significationem, oportet, quòd se transferant ad aliam expositionem, salvo jure ipsius A. & suarum camerarum, & videant, quodnam istorum duorum concordet meliùs cum majoritate, videlicet aut mutare significationem authoritatis ad conservandum A. & suas cameras, aut destruere A. & suas cameras ad confirmandam expositionem contrariam majoritati ipsius A. & suarum camerarum.

DE MODO XVI.

Quatuor Figurarum X.

ARs istius modi est, quòd homo sequatur regulam, quâ solvitur & determinatur difficillima quæstio prædestinationis: unde multæ sunt quæstiones & solutiones, quæ possunt formari & determinari per eundem modum, quo solvitur & determinatur prædestinatio. Unde in isto modo non oportet aliam regulam dare, nisi illam, quam jam dedimus ad solvendum & determinandum prædestinationem: sed ut iste modus sit perfectior, bonum est, quòd demus exemplum.

Quæstio. Utrùm A. potuisset creare E. taliter, quòd tam bene potuisset recolere, intelligere & diligere bonum, licèt malum non foret, sicut facit modò, dum malum est?

Solutio. Dico: quando C. intelligit, quòd, si malum non esset, non posset intelligere bonum, tunc L. credit intelligere, quòd A. non habeat cameram [perfectæ Potestatis]; eò quòd non creavit humanum intellectum in tali statu, quòd possit cognoscere bonum sinè malo: unde, quando C. intellexit, & L. putavit, prout superiùs diximus, tunc S. est *in prima figura:* & quando C. intelligit, quòd A. habeat perfectam potestatem, & L. credit, quòd A. non habeat perfectam voluntatem, eò quòd noluit creare C. in tali statu & aptitudine, quòd possit cognoscere bonum, licèt malum non foret, tunc S. transfertur *de prima figura ad secundam;* quia L. credit, quòd voluntas ipsius A. esset perfectior, si voluisset, quòd malum non esset: & quando C. non audet affirmare vel negare aliquam prædictarum camerarum, tunc S. pervertitur in R. *in tertia figura,* & dubitat in eadem.

Quando S. exit ex tertia figura, & intrat *quartam,* tunc C. intelligit, quòd B. recolit, & D. diligit in A. perfectam potestatem, sapientiam & scientiam & voluntatem; & ideo C. intelligit, quòd illud, quod L. credebat, quòd esset potestas & voluntas, non erat potestas & voluntas; quia, si esset, B. recoleret, quòd A. potuisset creare E., quod esset æquale sibi ipsi, si posset tam bene recolere, intelligere & diligere seu velle bonum, licèt malum non esset, sicut facit modò, quando malum est; sicut est de sapientia ipsius A., quod tam bene scit bonum, licèt malum non esset, & malum, licèt bonum non esset creatum, sicut nunc facit, cùm sit bonum & malum: & quia est impossibile, quòd A. possit, vel sciat, vel velit creare aliud sibi æquale, ideo C. intelligit *in quarta figura* hoc, quod non poterat intelligere in aliis figuris.

Explicit figura quarta & sedecim Modi ad laudem & honorem Domini DEI JESU CHRISTI.

PARS II.

De

Septem Quæstionibus, quæ per suprà dictos sedecim Modos Universales solvuntur.

POstquam posuimus sedecim modos, quibus formantur & solvuntur quæstiones,

quæ in ista arte & per istam artem determinantur, oportet, quòd faciamus, & quòd solvamus aliquas quæstiones, per quas detur exemplum, quomodo per istam artem potest homo facere & solvere quæstiones.

QUÆSTIO I.
De Existentia Dei.

Quæstio. Utrùm DEUS sit, an non?

Solutio hujus quæstionis debet fieri *duobus modis*, quorum *primus* est, quo probatur, DEUM esse; *secundus*, quo probatur, omnes cameras ipsius A. esse in eo: quia, sicut fit quæstio: *Utrùm DEUS sit, an non?* sic potest fieri quæstio: *Utrùm in A. sint cameræ, quæ sunt in sua figura, an non?*

Prima Solutio. Ad probandum, Deum esse, oportet, quòd B. recolat *sex cameras* ipsius X., quæ formantur de *esse*, *perfectione*, *defectu* & *privatione*; & consequenter oportet, quòd B. recolat T. in viridi & croceo, & quòd respiciat majorem differentiam, concordantiam & contrarietatem sex camerarum, & quòd postea recolat *tertium* & *sextum modum*, & quòd secundùm ordinationem illorum ponat affirmationem & negationem in triangulo viridi & croceo; & quòd C. intelligat, quòd affirmativa est in Y., si affirmat majorem differentiam & majorem concordantiam, & negativa est in Z., si negat hoc, quod affirmat affirmativa: quia, si esset in Y., sequeretur, quòd major differentia & major contrarietas esset in majori concordantia; sed hoc est impossibile.

C. intelligit, quòd B. recolit, majorem differentiam & majorem concordantiam esse inter esse & perfectionem, & majorem differentiam esse inter esse & defectum, & majorem contrarietatem inter esse & privationem: unde, quando C. istud intellexit, tunc B. recolit, quòd esse & perfectio concordant, & quòd defectus & privatio concordant contra esse & perfectionem: unde, quando B. hoc recolit, C. intelligit, quòd, si in aliqua re sunt esse & defectus, oportet necessariò, quòd sit aliqua alia res, in qua sint esse & perfectio: quod si non esset, sequeretur, quòd major concordantia esset inter esse & defectum, quàm inter esse & perfectionem; sed hoc est impossibile: quia, si esset possibile, sequeretur, quòd esset major concordantia inter esse & privationem, quàm inter esse & perfectionem; sed hoc est impossibile, quòd illud, quod est major contrarietas, sit major concordantia, & quòd concordantia substantialis, quæ est inter esse & perfectionem, sit minor, quàm concordantia accidentalis, quæ est inter esse & defectum, & inter defectum & privationem.

Quando B. & C. ordinatè receperunt in se prædictas probationes & significationes necessarias, & D. temperatè & justè consentit ipsis B. & C., tunc D. diligit illas significationes & demonstrationes, quas B. meliùs recolit, & C. meliùs intelligit: unde totum E. affirmat, quòd, postquam homo vel aliud individuum sensibile habet esse & defectum, oportet necessariò, quòd sit aliquid, in quo sint esse & perfectio, quod non est aliquid, in quo E. possit recolere & intelligere esse ullum defectum; quare id, quod est, & est perfectum sinè aliquo defectu, est DEUS; quia est ipsum esse & perfectio.

Secunda Solutio est, quâ probatur, cameras ipsius A. esse in eo: unde ista probatio fit & solvitur eâdem arte, quâ solvitur prima; quia, nisi esset perfectio in bonitate, magnitudine, æternitate, potestate, aliisque virtutibus camerarum ipsius A., esset impossibile, quòd esse & perfectio existerent: unde cùm E. jam recoluerit, intellexerit & dilexerit esse & perfectionem, & hoc non potuisset recolere, nec intelligere, nisi esset esse & perfectio, & cùm esse & perfectio non possent esse, si in aliqua suarum camerarum esset defectus, ideo probatur, quòd omnes cameræ ipsius A. sunt in esse & perfectione.

QUÆSTIO II.
De Unitate Dei.

Quæstio. Utrùm sit unus solus DEUS, aut non?

Solutio consistit in eo, quòd E. recolat & intelligat A. & suas cameras per necessarias rationes; quia, si essent plures Dii, non posset E. recolere, nec intelligere A. & suas cameras. Unde hæc quæstio potest solvi & determinari per præcedentem solutionem.

Quæstio. Utrùm sit unus DEUS bonus, qui creavit res intellectuales; & utrùm sit alius DEUS malus, qui creavit res sensuales?

Solutio hujus habetur ex *ultimo modo quatuor figurarum:* quia, quando C. intelligit in *prima figura* bonitatem ipsius A. perfectam, L. credit, se esse C.; & ignorans affirmat, quòd DEUS non creavit aliquam rem sensualem corruptibilem; & hoc affirmat istâ intentione, ut ipsi A. attribuat majorem nobilitatem in hoc, quòd non creavit aliquam creaturam corruptibilem: unde K. obliviscens credit recolere alium Deum, qui creavit malum in rebus sensualibus. Quare solutio hujus quæstionis est, quòd S. transferat se *ad quartam figuram*; & quòd B. recolat, ut C. intelligat, quòd, si essent duo Dii, quorum unus esset bonus, alter malus, oporteret necessariò, quòd bonus puniret malum de hoc, in quo esset malus, si potestatem haberet; & si eum non puniret, C. non intelligeret in A. perfectam justitiam; & si puniret, ille DEUS, qui puniretur, haberet passionem; & si sic esset, jam non esset Deus; quia nulla res, quæ potest recipere passionem, potest habere naturam divinam: & si DEUS bonus non haberet potestatem puniendi DEUM malum, C. intelligeret, quòd in A. non esset perfecta potestas. Unde B. recolit, quòd L. credens, attribuere honorem DEO bono, attribuit ipsi per ignorantiam dedecus & imperfectionem; quia C. intelligit, quòd esset magnum dedecus ipsi A., si non haberet perfectam justitiam & perfectam potestatem; & non est ipsi dedecus & imperfectio, quòd creavit res sensuales corruptibiles, postquam eas creavit tali modo, quòd per eas potest cognosci A. & suæ cameræ; sinè quibus sensualibus non posset E. habere tam nobilia & virtuosa B. C. D. in A. & suis cameris, sicut habet per hoc, quòd res sensuales recipiunt generationem & corruptionem.

QUÆSTIO III.
De Trinitate.

Quæstio. Utrùm DEUS sit in Trinitate, an non?

Solutio. Ad solvendum hanc quæstionem convenit, quòd demus *octo Rationes* necessarias per *tertium Modum*, quas E. recolit & intelligit se recoluisse & intellexisse in *Libro Contemplationis*.

De Prima Ratione.

Prima Ratio necessaria & probatio prædictarum fit per differentiam: nam quando E. recolit, intelligit & diligit A. & suas cameras, tunc habet diversum recolere, diversum intelligere & diversum velle in una camera ab illo recolere, intelligere & velle, quod est in alia camera; quia, quando B. recolit in A. potestatem, est diversum recolere ab illo, quod habet, quando recolit in A. sapientiam; & sic de C. & D., & de omnibus aliis cameris ipsius A.: unde, nisi A. haberet in se aliquam differentiam, impossibile esset, quòd E. posset recipere differentiam in operatione suorum individuorum, quando sunt in A.; quia, sicut speculum sensuale non posset demonstrare differentiam figurarum, si non esset differentia in figuris, quæ in eo repræsentantur, sic E., quod est speculum intellectuale ipsius A., non posset habere in A. diversam operationem ipsorum B. C. D., nisi esset in A. differentia proprietatum; quia, sicut B. non habet diversam operationem in se, quando recolit albedinem, & C. illam intelligit, sic B. non haberet diversam operationem, si recoleret potestatem in A., & C. illam intelligeret, & si aliud in eo non recoleret, nec intelligeret: sed sicut B. habet diversam operationem, quando recolit albedinem, ab illa, quando recolebat viriditatem (quod est propter diversitatem albedinis & viriditatis) sic B. habet diversum recolere, quando recolit potestatem, ab illo, quo recolit sapientiam. Unde, cùm hoc ita sit, ideo B. recolit, C. intelligit, & D. diligit in A. diversas proprietates, quibus C. intelligit in A. Trinitatem.

Quando C. hæc prædicta intellexit, L. putat, se esse C.; & K. obliviscens putat recolere, quòd tot modis, quot B. potest differentiare suum recolere, sit numerus diversarum proprietatum ipsius A: & ideo B. recolit in A. centum & viginti cameras, & K. credit recolere totidem diversas proprietates: & ideo formatur camera [Sapientiæ & Ignorantiæ] in E. N. per *decimum tertium modum*: sed E. & I. formantur contra N.; quia B. recolit, quòd E. cum suis tribus individuis sufficit ad recipiendum ex A. diversas significationes, quæ diversas proprietates in A. significant: & nisi quælibet proprietatum ipsius A. posset significare se ipsam in diversis significationibus & cameris ipsi E., B. recoleret, quòd nobiliora essent individua ipsius E., quàm ipsius A., in hoc, quòd B. C. D. sufficerent ad recipiendum res diversas, & individua ipsius A. non sufficerent ad dandum; sed hoc est impossibile, quòd in E. habeatur aliquid tam nobile, sicut in A. Unde necessariis rationibus significatum est, quòd diversa individua ipsius A. non sint plura, quàm tria; quia, si plura essent, plùs sufficerent tria individua ipsius E., quàm tria individua ipsius A.

Quando E. hoc recoluit, intellexit & dilexit,

dilexit, N. ignorans vult attribuere ipsi A. tantam nobilitatem, quòd per hoc credit, quòd in A. duo individua sint nobiliora, quæ sufficiant ad plùs significandum, quàm tria individua ipsius E. sufficiant ad recipiendum: & propter hoc K. putat recolere, quòd in A. non habeantur nisi duo diversa individua tantùm: sed B. recolit in T. croceum & viridem, dicens, quòd C. intelligit, quòd duo tantùm individua non possùnt esse in A. sinè tertio; quia si essent, differentia in A. esset sinè concordantia; sed hoc est impossibile: unde concordantia duorum individuorum est tertium individuum; & sic sunt tria individua differentia ad invicem & concordantia.

Quando E. affirmavit prædicta per majorem differentiam & concordantiam, L. putat intelligere, quòd in A. sunt quatuor individua, quorum duo sint inter se differentia, & alia duo inter se concordantia; sed B. recolit, quòd priùs recoluit, quòd A. non haberet tam nobilia individua, sicut E., si ipsi A. plura individua essent necessaria ad ostendendum se ipsum & suas cameras ipsi E., quàm ipsi E. ad recipiendum demonstrationem & significationem ipsius A. & suarum camerarum; & ideo H. odit L.; quia est contra hoc, quod B. jam recoluit per necessarias rationes.

De Secunda Ratione.

Secunda Ratio necessaria probatur & demonstratur per *tertium modum:* unde, quando B. recolit & C. intelligit, quòd mundus est *unus*, & est in *tribus speciebus*, quæ sunt *Sensualitas*, *Intellectualitas*, & *Animalitas*, & quælibet species habet *tria individua*, & quodlibet individuum est in sua specie, tunc C. intelligit, quòd A. est *una* substantia, quæ habet in se *tres Proprietates*; quia aliter cameræ ipsius A. non repræsentarentur perfectè in E.: quia, cùm A. creaverit mundum, ut ostenderet suas cameras, oportet, quòd mundus & sua individua significent A. & suas cameras. Unde, si mundus & ejus individua sunt creata in unitate essentiæ & in trinitate, significant, quòd Creator, qui ipsa creavit, sit in Unitate & in Trinitate: quia, si non esset, & esset solummodo in Unitate, creavisset mundum & sua individua in tali statu, quòd essent solummodo in unitate, & non essent in trinitate. Unde, quando C. hoc intelligit, B. recolit triangulos T., & respicit majorem concordantiam & contrarietatem; & recolit, quòd, quantò magis mundus appropinquat ad similitudinem sui Creatoris, tantò meliùs ipsum significat & ostendit. Unde secundùm modum *majoritatis & minoritatis* probatur, quòd, si DEUS non esset id, in quo meliùs significatur & ostenditur à mundo, mundus non haberet tam nobilem triangulum rubeum; & sequeretur, quòd in DEO esset minor concordantia, vel major contrarietas; sed hoc est impossibile, quia, si esset possibile, cameræ ipsius A. destruerentur.

De Tertia Ratione.

Tertia Ratio necessaria vadit per *modum significationis*, & per *modum majoritatis & minoritatis*. Unde B. recolit, quòd mundus & sua individua sunt meliora, eò quòd mundus & suæ species & individua sunt unum & tria, quàm essent, si essent unum tantùm: quia, si mundus esset tantùm in sensualitate, non esset tantæ nobilitatis, sicut nunc, cùm est in sensualitate, intellectualitate & animalitate: & si species ejus essent tantùm in unitate, & quòd illa unitas non esset in trinitate, idem sequeretur; nam sensualitas non esset, nisi esset in materia forma & conjunctione; & sic de intellectualitate & animalitate: & idem sequeretur de omnibus individuis, quæ B. posset recolere, & C. intelligere; quia omnia hæc habent majorem & meliorem triangulum rubeum in majori concordantia & differentia, quia sunt in una unitate, quæ est in tribus. Unde E. intrat in T., & B. recolit A. & suas cameras, & C. intelligit, quòd, si creaturæ habent in se majorem virtutem & perfectionem, cùm sunt in uno & in tribus, oportet necessariò, quòd A. habeat virtutem & perfectionem in Unitate & Trinitate; nam si non haberet, creaturæ haberent majorem virtutem, quàm A., in hoc, quòd haberent virtutem in uno & in tribus, & A. non haberet virtutem, nisi in unitate tantùm; sed hoc est impossibile, quòd in creatura sit major virtus, quàm in Creatore.

De Quarta Ratione.

Quarta Ratio necessaria: quando B. intrat in T. per *modum majoritatis & minoritatis*, & C. intelligit triangulos, tunc B. recolit, quòd major amor est in re, quæ amat & amatur infinitè & æternè, quàm cùm solummodo aut amat. aut amatur: unde, si A. non esset in Trinitate, & non haberet

haberet in se diversas Proprietates, esset solùm amans, vel amatus; & si hoc esset, in A. camera amoris non esset tam perfecta, sicut nunc est, dum quælibet trium Personarum amat & amatur. Unde, quando C. videt majorem concordantiam amoris, B. recolit majorem amorem, dum recolit in qualibet trium Personarum amantem & amatam; quod non facit, quando recolit amorem in una, quæ est amans & amata.

De Quinta Ratione.

Quinta Ratio necessaria: si A. non esset in differentia proprietatum, omne, quod scit, amaret; sed A. scit peccatum, igitur amaret peccatum; & si peccatum amaret, omnes cameræ ipsius A. essent destructæ; sed hoc est impossibile; per quam impossibilitatem C. intelligit in T., quòd necessariò significatur per majorem concordantiam, aliquas differentias esse in A., per quas A. habeat perfectam sapientiam in omnibus rebus, & quòd habeat perfectum amorem in amando omne bonum, & quòd nullum peccatum amet: unde, quando B. & C. receperunt istam significationem, tunc B. recolit, & C. intelligit, quòd in A. sint diversæ proprietates, quæ vocantur Trinitas Personarum.

De Sexta Ratione.

Sexta Ratio necessaria: quando B. recolit per *modum significationis*, quòd totus mundus non potest satiare E. in B. C. D., & B. meminit, quòd E. non satiatur per B. C. vel D., tunc repræsentatur ipsi C., quòd satiatio ipsius E. non est in re, quæ non sit in unitate & in trinitate; quia, si mundus, qui est unus & tria, ipsum E. non satiat, nec E., quod est unum & tria, satiatur de se ipso, igitur secundùm T. minùs potest illud satiare aliqua res, quæ non sit de similitudine unius & trium: unde B. recolit in E. triangulum rubeum, & affirmat, quòd necessariò oportet esse aliquid, quod sit de similitudine ipsius E. in uno & in tribus, & quod sit nobilius, quàm id, quod est unum & tria ipsius E. & mundi, & quòd illud sit satiatio ipsius E. Unde ista demonstratio demonstrat, A. & suas cameras esse satiationem ipsius E., & ostendit in A. Trinitatem.

De Septima Ratione.

Septima Ratio necessaria formatur per *modum significationis* & per *modum prædestinationis:* unde quando B. recolit, quòd sapientia ipsius A. significat *in prima figura* prædestinationem, & justitia ipsius A. significat *in secunda figura* liberum arbitrium, & in *quarta figura* significat simul prædestinationem & liberum arbitrium, tunc B. recolit, & C. intelligit, quòd in A. sunt diversæ proprietates; quæ si non essent, tam bene C. intelligeret liberum arbitrium per sapientiam, sicut prædestinationem, & prædestinationem per justitiam, sicut liberum arbitrium; sed cùm hoc non sit ita, oportet, quòd propter diversas aliquas proprietates, quæ sunt in A., sapientia significet prædestinationem, & justitia liberum arbitrium.

De Octava Ratione.

Octava Ratio necessaria: cùm E. intrat in T. affirmando & negando, & ponit croceum in viridem, & videt, qualiter E. I. N. cognoscantur meliora, aut per affirmationem Trinitatis, aut per negationem illius, tunc B. recolit, quòd C. intelligit, quòd triangulus rubeus est major & melior in E. I. N., quæ sunt in affirmativa, quàm esset, si essent in Y. in negativa: & quia major creatura debet attribui ipsi A. secundùm *modum majoritatis & minoritatis*, ideo oportet, quòd Y. attribuatur ipsi affirmativæ, & Z. ipsi negativæ.

QUÆSTIO IV.

De congrua Nominatione trium divinarum Personarum.

Quæstio. Quare attribuit homo uni Proprietatum ipsius A. Paternitatem, alteri Filiationem & alteri Spirationem?

Solutio. Ad solvendum istam quæstionem oportet, quòd E. intret in T. croceum & viride, & quòd inquirat majorem differentiam, quæ sit in majori concordantia in triangulo livido: unde, quando B. recolit, & C. intelligit majorem differentiam, quæ sit in majori concordantia, tunc invenit, quòd in nullis proprietatibus habeatur tanta differentia & concordantia, sicut inter Paternitatem, Filiationem & Processionem; & quòd hoc ita sit, probatur per E., quod est speculum, in quo A. monstratur; quia B., in quantum generat C., & dat processionem ipsi D., & C. recipit ex B., & dat ipsi D., & D. recipit ex B. & C., significat & ostendit, quòd major differentia & major concordantia est inter B. C. D., quàm inter aliquam aliam creatu-

ram præter Angelicam: unde B. recolit, quòd ideo attribuitur una proprietas Paternitati, alia Filiationi, alia Processioni, ut C. intelligat in A. majorem differentiam & concordantiam, quàm in aliqua creatura.

Quando E. hoc affirmavit, Z. movetur contra Y., dicens, quòd tanta differentia & concordantia est in E., sicut in A.: tunc in vera solutione B. recolit in E. triangulum rubeum, & non potest illum recolere in A.; quia, si recoleret, cameras ipsius A. non recoluisset.

Iterum movetur Z. per *decimum tertium modum* contra Y., dicens, quòd major differentia est inter B. & lapidem, vel inter A. & peccatum, quàm inter Paternitatem, Filiationem & Processionem. Solutio verò hujus est, quòd B. recolit, quòd inter B. & lapidem est major differentia, quàm inter B. C. D.; sed non recolit, quòd inter ea sit tanta concordantia; & inter A. & peccatum non est ulla concordantia; & quia omne id, quod est in A., oportet necessariò esse in majori differentia & concordantia, eò quòd in A. non est triangulus rubeus, ideo B. recolit, quòd C. intendit loqui de majori differentia, in qua sit major concordantia.

Multis aliis rationibus possemus demonstrare Trinitatem; quoniam quælibet camerarum ipsius A. illam significat & ostendit; quia quælibet camera est major & melior, si sua virtus est in unitate & trinitate, quàm si sua virtus esset solummodo in unitate.

Cùm Infideles audiunt, quòd Christiani credunt in DEO Trinitatem, tunc B illorum recolit in A. unitatem; & L. credens, se esse C., negat Trinitatem; quia, si eam affirmaret, crederet, se affirmare tres DEOS, & quòd Pater esset antequàm Filius; & ideo propter istam falsam figuram C. illorum negat tres Deos, & quòd Paternitas non fuerit, antequam Filiatio: & hanc eandem negationem facit C. Christianorum, qui affirmant Trinitatem; & ideo ambo C. incedunt per *modum contrarietatis*, & illius, quod videtur contrarium, & non est; & ideo C. & L. Infidelium formant cameram sapientiæ & ignorantiæ per *modum sapientiæ & ignorantiæ.*

QUÆSTIO V.
De Incarnatione Filii Dei.

Quæstio est: Utrùm DEUS sit incarnatus, vel non?

Solutio. Sex Rationibus necessariis inter alias probatur Incarnatio.

De Prima Ratione.

Prima Ratio necessaria est, quòd S. sit in E. I. N., & intret in T. A. V. X. per *tertium* & per *nonum modum*: unde, quando E. incedit per A. & suas cameras, & intrat in T. in triangulum nigrum cum crocco & viridi, tunc oportet, quòd per *duodecimum modum* intret in affirmationem & negationem, & quòd videat, quænam, aut affirmatio, aut negatio demonstret A. majus & suas cameras; quia, si per affirmationem Incarnationis E. habet majora B. C. D. in A. & suis cameris, meliùs concordat Y. cum affirmatione, quàm cum negatione; & quòd hoc ita sit, oportet nos exemplificare.

B. recolit in A. perfectam potestatem, & C. intelligit, quòd, quando positio affirmativa affirmat Incarnationem, *tres modos* potestatis significet, quorum *primus* est, quòd A. possit facere ex natura divina & natura humana unum individuum, scilicet JESUM Christum: *secundus* est, quòd A. possit facere, quòd unus JESUS Christus habeat duas naturas, scilicet naturam divinam & naturam humanam: *tertius*, quòd A. potest unire unum individuum ex divina & humana natura sinè alteratione divinæ & humanæ naturæ. Unde, quando B. recolit, utrùm positio negativa significet tantam potestatem in A., sicut affirmativa, tunc C. intelligit, quòd B. recolit, quòd C. non intelligit, quòd negativa possit tam bene significare cameram perfectæ potestatis in A., sicut affirmativa; unde B. recolit, quòd Y. & affirmativa & majoritas concordant, & quòd Z. & negativa & minoritas similiter concordant: & si hoc non esset ita, & esset contrarium, secundùm *modum majoritatis & minoritatis* sequeretur, quòd DEUS posuisset in Y. hoc, per quod suæ virtutes viderentur esse minores; sed hoc est impossibile.

Per istum modum & artem potest homo deducere omnes cameras ipsius A., ad probandum Incarnationem, & quòd det exemplum, secundùm quod cuilibet cameræ convenit.

De Secunda Ratione.

Secunda Ratio necessaria. Quando B. recolit *quintum modum* & triangulum lividum, viridem, croceum, rubeum & nigrum, & postea recolit A. & suas cameras, tunc C. respicit affirmativam & negativam, &

& videt, quæ illarum sibi meliùs demonstret A. & suas cameras; tunc affirmativa significat, quòd A. habeat tantam bonitatem, & sic de aliis cameris, quòd creavit unam sensualitatem, quæ habet tanta B. C. D., quòd omnia B. C. D., quæ sunt, & omnes creaturæ, quæ sunt, non sint tantæ nobilitatis & dignitatis, nec habeant tantam concordantiam cum A., sicut habet illa sola; quia per *modum positionis & necessarii* positio affirmativa affirmat, quòd, si JESUS Christus est natura divina & humana simul, solum B. JESU Christi recolit plùs, & habet majorem & meliorem triangulum rubeum, quàm habeant omnes aliæ creaturæ, quæ sunt; nam cùm major & melior sit in virtute, quàm omnes aliæ creaturæ, habet melius & majus principium medium & finem (h. e. intelligendo finem in quantitate virtutis & in causa finali, & non in tempore) quàm habeant omnes aliæ creaturæ: unde, quando positio affirmativa significavit ipsi E. istam tam nobilem creaturam, tunc B. recolit negativam, tentando, utrùm per negativam possit affirmare tam nobilem creaturam, sicut per affirmativam; & tunc B. in tantum negativam non recolit, quòd C. possit per illam intelligere tam nobilem creaturam, sicut per affirmativam: ideo B. recolit, quòd illa significatio, quæ meliorem creaturam significat, meliùs significat ipsum A. & suas cameras; & per hoc concordat cum A. & suis cameris & cum Y.; & si contrarium hujus fieret, sequeretur *per modum majoritatis & minoritatis*, quòd A. & suæ cameræ concordarent cum minoritate, & quòd contrariarentur majoritati; sed hoc est impossibile; per quam impossibilitatem probatur Incarnatio.

De Tertia Ratione.

Tertia Ratio necessaria. Quando B. recolit, quòd A. creavit unum hominem, qui est melior, quàm sint omnes aliæ creaturæ, tunc recolit, quòd oportet, quòd A. creaverit nostram Dominam Sanctam Mariam Virginem suam Matrem, ut exceptâ humanitate Christi omnes aliæ creaturæ non habeant tantam nobilitatem & virtutem, sicut sua gloriosa Mater; ideo C. intelligit, quòd, sicut A. creavit humanam speciem super omnes alias creaturas, sic ex humana specie elegerit masculum & fœminam, quæ sint duo individua meliora, quàm totum residuum ex humana specie procreatum; & hoc C. intelligit in T. propter majorem concordantiam & meliorem demonstrationem camerarum ipsius A., & propter majorem reverentiam humanæ speciei: & si hoc non esset, sequeretur contrarietas secundùm *modum majoritatis & minoritatis:* unde ista tertia ratio ad probandum Incarnationem determinatur per *secundam præcedentem.*

De Quarta Ratione.

Quarta Ratio necessaria. Quando E. tentat suum B. C. D. in positione affirmativa, quæ affirmat Incarnationem, & in negativa, quæ eam negat, tunc B. recolit, & C. intelligit, & D. diligit per affirmativam, quantùm potest, in A. & in suis cameris; & postea E. mensurat B. C. D. in triangulo rubeo, & B. conservat quantitatem mensurarum; postea intrat E. in negativam, & recolit, intelligit & diligit A. & suas cameras, quantùm potest, & mensurat per totum triangulum rubeum B. C. D.: & quando E. mensuravit B. C. D. in affirmativa & in negativa, tunc intrat triangulum croceum, & videt, utrùm mensuræ sint æquales, majores, vel minores in affirmativa, vel in negativa; & invenit, quòd B. C. D. sint multò majora in affirmativa, quàm in negativa, recolendo, intelligendo & amando A. & suas cameras; & ideo B. recolit triangulum viridem, & C. intelligit, majorem concordantiam esse, quòd Y. sit in affirmativa, & Z. in negativa, & majorem contrarietatem esse, quòd Y. sit in negativa, & Z. in affirmativa; & hoc videtur *per modum majoritatis & minoritatis.*

De Quinta Ratione.

Quinta Ratio necessaria probans Incarnationem incedit per *septimum, nonum, duodecimum & decimum quartum modum;* quia quando I. ponit F. G. in positione affirmativa affirmante Incarnationem, & H. in negativa illam negante, tunc I. concordat meliùs cum majoritate & melioritate in triangulo rubeo & in V. livido, & H. in V. rubeo, quàm concordaret in negativa; & quia majora & meliora F. G. H. & V. lividum concordant meliùs cum Y., & illorum minora contraria majoribus concordant meliùs cùm Z., ideo probatur, quòd affirmativa est in Y., & negativa est in Z.

De Sexta Ratione.

Sexta Ratio necessaria probans Incarnationem formatur *in duodecimo & decimo quarto*

quarto modo in N.; nam quando L. ignorat Incarnationem, M., quod illam diligit, habet majorem causam diligendi per L., quàm D. per C.: unde, quando M. plùs diligit, quàm D., tunc plùs extenditur per triangulum rubeum, quàm D.; & propter hoc fides major & melior formatur, quando est in Y., in quo L. plùs ignorat, quàm fides, quæ est in Y., in quo L. minùs ignorat: unde formatur major libertas & servitus in M.; nam quando M. plùs diligit ignorando, majorem libertatem habet ad diligendum; cùm plùs diligat, quàm habeat D., quod tantum non diligit; & quia M. ignorans diligit, ideo magis est coactum ad non diligendum, quàm D.: & cùm hoc ita sit, illa concordantia est major & melior, in qua M. majus & melius formatur; per quam majoritatem & melioritatem significatur, quòd M., quod diligit Incarnationem, est in Y., & M., quod odit Incarnationem, est in Z.; quia, postquam M., quod odit Incarnationem, non potest tantum formari in fide, quàm M., quod diligit Incarnationem, oportet necessariò, majus & melius M. concordare cum Y., minus verò & pejus M. concordare cum Z.

Multis aliis rationibus potest probari Incarnatio JESU Christi, sicut per peccatum originale, & per gloriam sensualem, quam dat omnibus Sanctis in Paradiso.

Quando Catholici affirmant Incarnationem, eò quòd E. meliùs recolit, intelligit & diligit A. & suas cameras affirmando Incarnationem, quàm recoleret, intelligeret, vel diligeret negando Incarnationem, ipsi habent intentionem ad diligendum Incarnationem; quia ipsa est velut oculus & speculum, quo vident A. & suas cameras; Infideles autem habent intentionem ad odiendum Incarnationem; quia illorum L. credit, quòd, si diligerent Incarnationem, recolerent in DEO triangulum rubeum; & quia ponunt, quòd sit impossibile, scilicet quòd in DEO sit triangulus rubeus, ideo negant Incarnationem, & negando illam claudunt suos oculos intellectuales, quibus A. suas cameras clarè demonstrat: ideo Fideles & Infideles invicem altercantur & opponuntur per *decimum modum*; quia Catholici non affirmant Incarnationem intentione attribuendi ipsi A. triangulum rubeum, imò negant illum in A. & in suis cameris; sed intentio, propter quam affirmant Incarnationem, est propter hoc, quia meliùs per Incarnationem cognoscunt A. & suas cameras; sed intentio, propter quam infideles negant Incarnationem, est propter hoc, quia nesciunt relinquere primam & secundam figuram *decimi sexti modi*; nam cùm B. illorum recolit, quòd in A. non est triangulus rubeus, & C. intelligit in humanitate triangulum rubeum, tunc in prima figura non possunt videre Incarnationem; & dum se transferunt ad secundam, & B. recolit humanitatem, C. non potest intelligere, quòd humanitas sit Divinitas; sed Catholici transferunt se ad quartam figuram; quia B. recolit, quòd JESUS Christus, quantùm ad Deitatem, non habet triangulum rubeum, sed, quantùm ad humanitatem, habet illum; non tamen dicimus, quòd habeat finem quoad tempus.

Quando E. Catholicorum convertit I. Infidelium ad hoc, ut recolat & intelligat, quòd DEUS potest esse homo, & vult esse homo, ut meliùs possit illum recolere, intelligere & diligere in suis cameris, tunc F. vult recolere, & G. intelligere modum, quo JESUS Christus sit simul verus DEUS & verus homo; & quia illum non potest intelligere, ideo H. odit illud, quod F. recoluit, & G. intellexit; ideo I. non vult converti in E., quia tunc B. recolit *modum sapientiæ & ignorantiæ*, in quo B. recoluit & C. intellexit, quòd impossibile est ipsi E. recolere & intelligere modum, quo JESUS Christus sit simul verus DEUS & verus homo; sed bene recolit & intelligit, quòd Christus propter suam perfectam potestatem, scientiam & voluntatem potest esse, & est simul verus DEUS & verus homo.

Sunt aliqui Fideles, in quibus formatur figura R. per *modum sapientiæ & ignorantiæ*; quia, quando recoluerunt & intellexerunt, quòd Christus est verus DEUS & verus homo, N. vult recolere & intelligere modum, quo sit verus DEUS & verus homo; & quia B. K. non possunt illum recolere, nec C. L. intelligere, ideo formatur R. in figura dubitationis, & non perdit suam formam, quousque E. vincit N., vel N. vincit E.; & cuicunque illorum se associat I., illud prævalet alteri; sed quia I. quandoque se jungit ipsi E., quandoque ipsi N., ideo R. non privatur figurâ, quousque I. penitus se associet alteri parti aut E., aut N.

QUÆSTIO

QUÆSTIO VI.
De Persona, quæ assumpsit humanam carnem.

Quæstio est: Quænam trium Personarum divinarum assumpserit humanam carnem?

Solutio istius quæstionis potest fieri per *tertium* & per *nonum modum*; & oportet, quòd C. intret in T. & in A., & quòd B. recolat proprietates ipsius A., quas jam meminit se necessariis rationibus recoluisse; & quòd recolat proprietates humanitatis JESU Christi; & quòd C. intelligat majorem differentiam in majori concordantia: unde B. recolit, quòd Pater habet proprietatem generandi Filium & spirandi Spiritum Sanctum, & non habet naturam, quòd recipiat à Filio, nec quòd procedat à Spiritu Sancto: sed Filius habet proprietatem recipiendi à Patre, & spirandi Spiritum Sanctum, & tamen non habet proprietatem procedendi à Spiritu Sancto; & Spiritus Sanctus habet naturam procedendi à Patre & Filio; sed non habet naturam, quòd generet, vel generetur, nec spiret: humana verò natura JESU Christi habet proprietatem recipiendi creationem & unionem cum natura divina, & non habet naturam semet ipsam uniendi cum natura divina; cùm talis actio creaturæ non conveniat; sed natura humanitatis Christi habet naturam donandi reparationem humanæ speciei, & exaltandi eam & nobilitandi. Unde, cùm B. recolit prædictas proprietates, tunc C. intelligit per T. & per hoc, quod B. recolit, quòd secundùm majorem differentiam in majori concordantia oportet, quòd sola Persona Filii debuit incarnari.

QUÆSTIO VII.
De Sacramento Altaris.

Quæstio. Utrùm panis hostiæ consecratæ efficiatur verum Corpus Christi?

Solutio hujus quæstionis per *quinque Rationes* inter alias demonstratur.

De Prima Ratione.

Prima Ratio fit per *tertium modum*; & oportet, quòd B. recolat T. & A. & eorum cameras, & quòd C. intret triangulum croceum & viridem, respiciendo affirmativam & negativam, videndo, quænam pars meliùs cameras ipsius A. significet, vel affirmativa dicens, hostiam consecratam esse verum corpus Christi, vel negativa illud negans: sed ut hoc faciliùs intelligatur, oportet ponere exemplum. Cùm affirmativa affirmat, hostiam consecratam esse verum corpus Christi, B. recolit & C. intelligit tantam potestatem, humilitatem & patientiam, & sic de aliis virtutibus, quòd B. non potest recolere, nec C. intelligere ullam operationem, in qua A. suas cameras meliùs possit significare & demonstrare; quia majorem potestatem recolit B. in A., cùm sub forma panis & vini facit stare carnem, quàm faceret, si sensualitas videret & sentiret, quòd panis alteraretur ex forma panis in formam & materiam carnis. Unde, cùm hoc ita sit, major concordantia est inter B. & C., cùm affirmant hoc, in quo A. meliùs suas cameras demonstrat, quàm sit, cùm negativa negat istam significationem. Unde secundùm *modum majoritatis & minoritatis* probatur, quòd A. vult, quòd in Y. sit illa significatio, in qua suæ cameræ videntur majores & meliores.

De Secunda Ratione.

Secunda Ratio procedit per *nonum modum*: unde, cùm B. recolit in T. affirmativam, quæ affirmat, hostiam esse carnem, & recolit negativam, quæ hoc negat, tunc C. respicit viridem & croceum, & attendit, ubinam videat meliora E. I. N., aut E. I. N., quæ concordant cum affirmativa, aut E. I. N., quæ concordant cum negativa: unde, cùm C. per istum modum investigat, B. recolit, quòd illa E. I. N. sint meliora & majora in triangulo rubeo, quæ habent majora B. C. D. F. G. & M. in A. & suis cameris; & H. est majoris contrarietatis cum vitiis, quàm E. I. N., quæ habent minora B. C. D. F. G. & M. in A. & ejus cameris, & minus H. contra vitia: & si hoc ita non esset, posuisset utique A. ipsum Z. in majoribus E. I. N., & Y. in minoribus; quod est impossibile; quâ impossibilitate demonstratur, quòd hostia consecrata efficitur vera caro.

De Tertia Ratione.

Tertia Ratio formatur per *quintum*, *sextum*, *decimum tertium* & *decimum sextum modum*; quia, cùm corpus consecratum est in altari, tunc movetur bellum inter sensus sensuales & intellectuales, & inter hoc, quod est substantiale & accidentale; quia sensualitates affirmant panem, quia sentiunt formam panis; sed intellectualitates affirmant veram carnem, quia B. recolit & C. intelligit,

telligit, quòd per illud Sacrificium tam miraculosum & virtuosum A. & suæ cameræ meliùs recoluntur, intelliguntur & diliguntur; & etiam E.I.N. majora & meliora ex hoc significantur: & quia arma, quibus sensus intellectuales pugnant, habent majorem triangulum rubeum, quia se cum A. & ipsius cameris fortificant, & quia natura intellectualis est nobilior sensuali, & quia accidentia, quæ se sensibus repræsentant, nihil sunt ratione hujus, quod significant, quia non habent subjectum, in quo consistant, sicut figura speculi tortuosi nihil est ratione hujus, quod repræsentat, ideo B. recolit, quòd sensus intellectuales sunt fortiores contra sensuales, quàm è converso; quia major concordantia est, quòd sensus, qui cum A. & suis cameris concordant, vincant, quàm illi, qui sunt contra intellectuales, contra A. & suas cameras; sed quia sensus sensuales ab ipso E. faciliùs recoluntur & intelliguntur, quàm sensus intellectuales, ideo B. C. D., cùm non habent magnum affectum, nec multùm utuntur sensibus intellectualibus, nec etiam A. & suis cameris, perverturtur in N., quod putat, se esse E. hac ratione, quòd K. obliviscens & L. ignorans & M. amans affirmant propter accidentia sensualia contra hoc, quod E. recoluit, intellexit & dilexit per magnam abundantiam recolendi, multùm intelligendi & diligendi A. & ejus cameras in quarta figura *decimi sexti modi*; quoniam, cùm sensus sensuales affirmant panem, & negant carnem, tunc sunt *in prima figura*; & cùm sensus intellectuales affirmant carnem, & negant panem, tunc sunt *in secunda figura*; & cùm R. componitur de C. & L. in hoc, quòd C. intelligit carnem, & L. illam ignorat, eò quòd C. intelligit, quòd in hostia forma panis sentitur, tunc est *in tertia figura*: ideo oportet, ut homo se transferat *ad quartam figuram*, in qua C. intelligit, quòd, sicut amaritudo non est accidens sustentatum in materia mellis, sed stat in gutture inordinato ad gustandum, sic forma panis nihil est in hostia consecrata; quia forma panis est alterata, & potest multò meliùs alterari ratione potestatis, sapientiæ & voluntatis ipsius A., quàm dulcedo mellis in amaritudinem ratione amaritudinis, quæ existit in gutture hominis infirmi.

De Quarta Ratione.

Quarta Ratio formatur per *septimum, nonum & undecimum modum*; quia, si E. affirmat, quòd hostia sit caro, melior oratio formatur, quàm per negativam hoc negantem, in hoc, quòd affirmativa format meliora B. C. D., quàm negativa: unde, in quo oratio meliùs & utiliùs potest formari, debet utique affirmari secundùm *modum majoritatis & minoritatis*; quia ex hoc oratio habet majorem triangulum rubeum, & meliùs cùm A. & suis cameris concordat.

De Quinta Ratione.

Quinta Ratio formatur per *nonum modum*; quia, cùm B. recolit in T. triangulum nigrum, secundùm quam, vel affirmativam vel negativam corpus gloriosum glorificatum Christi est magis honoratum, vel si hostia est corpus Christi, vel si non est, tunc C. intelligit, quòd, si hostia est corpus Christi, omnes intellectualitates ipsius S. ipsum honorant de tota quantitate trianguli rubei; quia omnes faciunt suum posse; & sensualitates ipsum honorant, quia ipsum tractant, & supra suam naturam ipsi obediunt. Igitur cùm hoc ita sit, & quia iste honor fit in tot locis & tam frequenter & à tam longo tempore, ideo B. recolit, quòd multò meliùs sinè omni comparatione natura humana Christi per affirmativam honoratur, quàm per negativam: ideo major honor debet dari ipsi Y., & minor majori contrarius ipsi Z.

Quæstio: quare A. non facit Corpus Christi de lapide; quia ejus humilitas major esset, & frequentiùs videretur?

Solutio hujus quæstionis incedit per *sextum, nonum & duodecimum modum*; quoniam propinquius est in natura, quòd panis alteretur in carnem, quàm lapis, & potissimè cùm natura humanitatis Christi meliùs concordet cum natura panis, quàm cum natura lapidis.

INCI-

INCIPIT TERTIA DISTINCTIO QUÆ EST DE Triginta Modis Specialibus & de Sexaginta Quæstionibus.

HÆc Distinctio in *duas Partes* dividitur, sicut & præcedentes duæ Distinctiones, quarum *prima* habet triginta Modos speciales; *secunda* verò sexaginta Quæstiones.

PARS I.

De

Triginta Modis Specialibus, quos convenit scribere in Pagina, in qua hæc Ars figuratur.

SIcut *secunda Figura* ipsius T. assignatur in ista arte, ut sit signum & impressio *tertiæ Figuræ* ipsius T., sic *septem Figuræ generales* & *sedecim modi* assignantur *generaliter*, ut sint *regula* & *materia* modis, qui in hac arte *specialiter* determinantur: ideo nos exemplificamus de *triginta Modis* in speciali; & per exemplum, quod de illis ponitur, potest intelligi etiam ars in aliis modis; & quemlibet modum oportet habere suam propriam figuram, ex qua sibi sumat formam; qui modi in sequentibus Rubricis nominantur.

Modus I. *Adjuvare.* [E.I.N.R.] [A.T.V.X.Y.Z.]. Sicut elementa se mutuò adjuvant in compositione corporum, sic quælibet species ipsius S. adjuvat aliam in accipiendo objectum in A.T.V.X.Y.Z.; quia I.N.R. adjuvant ipsum E., ut sit in A., quando I. est in V. livido cum F.G., & in V. rubeo cum H.; & N. adjuvat ipsum E., quando diligit Y., & odit Z.; & R. adjuvat ipsum E., quando formatur hac intentione, scilicet ut E. non habeat nimiam animositatem in objectis, quæ recipit; & E. adjuvat alias species, prout convenit: unde ex isto auxilio intellectuali sequitur auxilium sensuale. Quare sicut aliæ species adjuvant alias, sic species ipsius S. adjuvant se cum quibusdam individuis ipsorum A.T.V.X. contra alia.

Modus II. *Associare.* [E.E.][I.I.][N.N.] Si unum S. velit habere familiaritatem & consortium cum alio, oportet ipsum in tantum movere F.G. per A.T.V.X.Y.Z., quousque percipiat objecta, quæ S., cujus familiaritatem diligit, consuevit recipere; & postea decet, quòd sumat illa, prout S. sumit; quia quando duo E. capiunt unum objectum, tunc formatur medium, propter quod quodlibet E. efficitur objectum alterius; & ideo formatur Y., quod est objectum decens; & istud idem sequitur de duobus N.

Modus III. *Assuescere.* [F.G.A.T.V.X.Y.Z.][E.I.N.] Quicunque se vult subjicere consuetudini, oportet, quòd F.G. faciat tantum moveri per primam cameram, quousque secunda camera sumat objecta per se tam fortiter, quòd E. I. N. adjuvent se ad utendum illis tam continuè, donec consuetudines sensuales sequantur intellectuales, & E. habeat societatem cum majoritate in cameris superioribus elementalis figuræ, & I. habeat societatem cum minoritate in cameris inferioribus.

Modus IV. *Concordare.* [E.A.] [F.G.T.V.][I.Z.][M.Y.] Quando B.C.D. sumunt cameras ipsius A. pro objecto, & F.G. moventur per T.V., & I. præbet H. ad Z., & M. diligit ipsum Y., tunc formatur concordantia; & nisi ipsa concordantia formetur secundùm hanc figuram, oportet ipsam esse contrariam huic figuræ; & nisi S. possit concordare secundùm dictam figuram, sequitur sua impossibilitas, eò quòd ignorat istam artem, & quia E. movet sua individua per inferiores cameras elementalis figuræ.

Modus V. *Confiteri.* [F.G.A.T.V.X.Y.Z.] [E.N.A.V.Y.][I.V.Z.] Cameram superiorem ignis oportet esse E.N. cum A., &

quòd in camera, in qua est terra in superiori linea, sit V. rubeum & Z., & quòd E. N. sint in camera ignîs, quæ est in secunda linea, cum V. livido & cum Y., & quòd H. sit in tertia linea in camera ignîs.

Modus VI. *Consolari.* [M. A.] [E. A.] [E.V.Y.] [F.G.T.] [I.V.Z.]. Quicunque diligit consolationem, eum oportet per M. diligere ipsum A. & suas cameras, ut A. cum suis cameris sit objectum ipsi E.; & quòd V. lividum & Y. sint objecta ipsi E., & quòd F. G. moveantur per T. ita continuè, quousque V. rubeum & Z. sint objecta ipsi I.

Modus VII. *Consulere.* [F.G.T.] [E.A. V.Y.] [I.V.Z.]. Quicunque vult aliis consulere, oportet eum in tantum movere F. G. per T., quousque E. sumat in objectum A.V. Y., & quòd I. sumat in objectum V. Z., & eligat cameras superiores secundæ figuræ ipsius T.; & si ille, qui aliis consulit, non habet artem, quâ mediante sciat formare hanc figuram, oportet eum dare consilium per *octavum modum*; & si per aliquam prædictarum demonstrationum nescit dare consilium, non est dignus meritò vocari Consiliarius.

Modus VIII. *Dare.* [E.A.V.Y.] [F.G. T.V.][H.V.Z.]. Si quis vult præbere aliis congrua munera, oportet eum priùs dare B.C.D. ipsi A. & V. livido & ipsi Y., & quòd moveat F.G. per T.V. tanto tempore, donec V. rubeum & Z. sint objecta ipsi H.; quia contrario modo non est conveniens dona dari.

Modus IX. *Dirigere.* [F.G.E.I.N.R.] [A.T.V.X.Y.Z.] [E.A.V.Y.] [I.V.Z.] [M. V.Z.]. Quicunque vult dirigere se & sua facta, & A. sequi, & ea, quæ sunt devia, evitare, oportet eum imprimis movere F. G. per primam cameram, ut dirigat species ipsius S., ut cum illis intret taliter secundam cameram, donec formentur tres cameræ, quæ sunt post primam & secundam cameram, & quòd R. removeatur à prima camera.

Modus X. *Eligere.* [F.G.A. T.V. X. Y.Z.] [D. Ignis] [H. Ignis] [Ignis D. Aër] [Ignis H. Terra]. Si quis vult scire arte eligere majus & melius præ minori & pejori, oportet ipsum imprimis movere F. G. per A. T. V. X. Y. Z., ut prima camera moveat tantum alias cameras, quousque D. diligat ignem, qui est in superiori linea secundæ figuræ ipsius T.; & H. habeat odio ignem, qui est minor in inferiori linea; & D., quod diligit æqualitatem, diligat ignem, qui est in secunda linea, & aërem, qui est in superiori linea; & H. habeat odio æqualitatem, quæ est inter ignem, qui est in linea inferiori, & inter terram, quæ est in linea superiori; quia æqualitas ignîs & aëris convenit cum majoritate, & æqualitas ignîs & terræ cum minoritate secundùm prædictas cameras.

Modus XI. *Festare.* [F.G.T.V.X.Y. Z.] [E.I.N.A.]. Si quis vult festare, oportet eum in tantum movere F. G. per T. V. X. Y. Z., quousque A. sit objectum ipsis E. I. N., quando B. C. D. sunt in A., & H. est in Z., & M. diligit ipsum A. & suas cameras extra terminos ipsius E., & festum sensuale est subjectum festi intellectualis.

Modus XII. *Honorare.* [E. I. N. A.] [A. E. I. N.] [I. N. E.] [E. I. N.] [E. I. N. T. V. X. Y.]. Si quis vult scire honorare, recipiat significationes hujus figuræ, quia E. I. N. debent adhibere honorem ipsi A. & suis cameris taliter, quòd in secunda camera recipiant honorem ab ipso A., quando A. est objectum ipsis E. I. N., quæ ipsum honorant, eò quòd E. F. G. M. faciunt de ipso objectum, & H. facit objectum de V. Z.: & I. N. honorant ipsum E., quando I. habet F. G. H. in Z. & in V. rubeo, ut B. C. D. sint in V. livido & in Y.; & N. debet affirmare possibilitatem, ut E. queat venire de potentia ad actum; & E. honorat ipsum I., quando generat F.G. in V.Y., & H. in V. rubeo & in Z.; & E. honorat ipsum N., quando mortificat B. C. D., ut N. possit uti fide; & E. I. N. honorant V. X. Y., quando utuntur tertiâ figurâ ipsius T. secundùm ordinationem & honorem camerarum.

Modus XIII. *Incipere.* [F. G. S.] [F. G. T. V. X. Y. Z.] [E. A. T. V. X. Y.] [I. V. Z.] [N. A. V. Y. Z.] [R. E. A. V. Y] [I V. Z.] [N. A. V. Y. Z.]. Ipsa F. G. incipiunt in S., ut sciant habere initium in secunda camera; & E. incipit in A. ad dandum B. C. D., & postea in literis, prout sequuntur in tertia camera, ita tamen, quòd E. non sit contra A.; & I. incipit in quarta camera in V. rubeo, & postea in Z.; & N. incipit in A. in dilectione, postea in V. livido & consequenter in Y. taliter, quòd M. incipit odio habere Z. & V. rubeum in generali; & R. incipit reddere illud, quod continet de E., ut E. sit in A.V.Y.; & postea incipit reddere id, quod continet de I., ut I. sit in V. rubeo & in Z., & ut principium intellectuale sequatur hanc artem in principio sensuali.

Modus XIV. *Inquirere.* [N. A. T. V. X. Y. Z.] [F. G. A. T. V. X. Y. Z.] [E. A. V. Y.] [I. V. Z.]. Hæc figura docet res inquirere intellectualiter & sensualiter; quia N. debet affirmare possibilitatem per primam cameram,

ram, ut F. G. possint moveri per secundam cameram, & quòd recipiant significationes illius, & illas offerant tertiæ & quartæ cameræ taliter, quòd ipsa tertia & quarta camera queant recipere has significationes eo modo, quòd A. V. Y. sint objecta ipsi E., & V. Z. ipsi I., & secunda intentio tribuatur primæ & secundæ cameræ, & prima intentio tertiæ & quartæ cameræ conservetur; & secundùm relationem sit secunda intentio quartæ cameræ, & prima tertiæ.

Modus XV. *Intelligere.* [M. G. C.] [K. F. B.] [A. T. V. X. Y. Z.] [D. H.]. Volentem uti intellectu oportet imprimis per M. affirmare, esse possibile illud, quod K. credit recolere in secunda camera; quoniam propter talem affirmationem F. intrat tertiam cameram, in qua G. intelligit hoc, quod recolit F., & ipsa F. G. movent ipsum B. in tertiam cameram, in quo B. à C. intelligitur tertia camera; propter quæ B. C. D. diligit A.V.Y., & H. odit V. rubeum & Z. secundùm æqualitatem ipsorum B. C. D. *in figura elementali;* quam æqualitatem ostendimus *in figura ipsius S.*; sinè qua æqualitate C. non intelligit perfectè.

Modus XVI. *Judicare.* [N.Y.Z.] [F. G. A. T. V. X. Y. Z.] [E. A. V. Y.] [I. V. Z.]. Judici convenit hæc figura; unde, antequam Judex judicet, decet N. affirmare, possibile esse Y., vel Z., ut F. G. per secundam cameram moveantur & per secundam & tertiam figuram ipsius T., ut in Judice, antequam procedat ad ferendam sententiam, sit tertia & quarta camera; absque quibus cameris non est dignus aliquid judicare; nec illud, quod judicat, debet habere robur & firmitatem.

Modus XVII. *Laudare.* [F. G. A. T. V. X. Y. Z.] [E. A. V. T. Y.] [I. V. Z.] [N. A.]. F. G. oportet moveri per primam cameram, ut E. sciat laudare in secunda ipsum A. & suas cameras; & si quis vult laudare alium, oportet, quòd D. diligat illum laudare per secundam figuram ipsius T. taliter, quòd V. lividum & Y. sint objecta ipsi E., & V. rubeum & Z. ipsi I.; & si N. vult laudare ipsum A., oportet, quòd M. diligat ipsum A. supra terminos ipsius E.

Modus XVIII. *Memorare* [F. S.] [F. T.] [E. T.] [E. A, V. Y.] [I. V. Z.] [N. A.]. Oportet F. recolere ipsum S., ut sciat recolere ipsum T., & quòd F. sit citiùs in T., quàm B., eò quòd propter nimis magnum vel nimis parvum D. destruitur ipsum B. ita, quòd nescit recolere; ideo F. est causa ipsi B., quòd sit in T. taliter, quòd sciat recolere in quarta camera A.V.Y. per æqualitatem ipsorum C. D. cum B. secundùm secundam figuram ipsius T.; propter quam æqualitatem V. rubeum & Z. sint objecta ipsi I.; & quòd N. diligat ipsum A. præ ipso B.

Modus XIX. *Movere.* [F. G. S.] [F. G. A. T. V. X. Y. Z.] [E. A. T. V. Y.] [I. T. V. Z.] [N. T. V. Z. A.] [R. E. I. N.]. Principium motûs intellectualis oportet esse in F. G., quæ moventur per S., ut sciant moveri per secundam cameram taliter, quòd E. sciat movere B. C. D. per tertiam cameram, & I. sciat movere F. G. H. per T. V. rubeum & Z.; & N. moveat taliter K. L. M., quòd A. sit ei objectum ad amandum, & T. in speciali & V. rubeum & Z. in generali; & R. moveat E. I. N., ut materia, in qua est, dissolvatur; & motus sensualis sequatur motum intellectualem prædictum.

Modus XX. *Mortificare & Vivificare.* [F. G. A. T. V. X. Y. Z.] [E. I. N. R.] [E. A. V. Y.] [I. V. Z.] [N. E. A. V. Y.]. Ad mortificandum vitia & vivificandum virtutes oportet F. G. moveri per primam cameram taliter, quòd in secunda camera aliæ species mortificent & vivificent alias, ita tamen, quòd in tertia camera A. V. Y. sint objecta ipsi E., & in quarta camera V. rubeum & Z. sint objecta ipsi I., & in quinta camera N. mortificet ipsum E. taliter, quòd A.V.Y. sint objecta ipsi N.; *& hæc ars mortificandi & vivificandi sequatur regulam secundæ figuræ ipsius T.*

Modus XXI. *Perficere.* [E. A. V. Y.] [F. G. T.] [I. V. Z.] [M. A. V. Y.]. Iste modus significatur per hanc figuram; quia denotat perfectionem, & figura huic contraria significat defectum; unde G. intelligit, quòd, nisi M. perficiat per hanc figuram hoc, quod petit, oportet necessariò fructum sequi in aliis, quæ N. ignorat; & nisi hoc ita esset, sequeretur, quòd in A. non esset camera perfectæ bonitatis; & si M. perficiat per figuram contrariam aliquid, oportet necessariò, quòd amittat in illo aliquid de suo; quia aliter sequeretur, quòd non esset in A. camera perfectæ Justitiæ.

Modus XXII. *Precari.* [F. G. A. T. V. X. Y. Z.] [E. A. V. Y.] [I. V. Z.] [N. A. V. Y.]. Si quis vult preces fundere, sequatur significationes hujus figuræ; quia, quando F. G. moventur per primam cameram, B. C. D. præparant se ad sumendum in objectum

A.V.Y.; & quòd V. rubeum & Z. sint objecta ipsi I., & N. sumat in objectum A.V.Y. in eo, ad quod E. attingere non potest; & deprecans caveat, quòd non sit contrarius ordinationi secundæ figuræ ipsius T., nec pervertat primam intentionem in secundam: unde sicut cameræ elementalis figuræ moventur ad suum locum, sic ista figura deprecandi movet ad favendum illi, qui est deprecatus, quando ille, quem deprecatur, movetur per prædictam figuram.

Modus XXIII. *Prædicare.* [F.G.T.] [E. T.] [E. A.V.Y.] [I.V. Z.] [N.A.V.Y.]. Ista figura significat artem & modum prædicandi; quoniam F. G. oportet moveri per T., ut E. moveat B. C. D. propter ordinationem elementalis figuræ, ut in tertia camera A.V.Y. sint objecta ipsi E.,& in quarta camera V. Z. sint objecta ipsi I.,& in quinta camera N. utatur fide & spe, ut A. det ei V. Y. ad conservandum primam intentionem, & ad faciendum verba vera & rhetorica; & motiva sensualis sequatur intellectualem motum prædictæ figuræ.

Modus XXIV. *Recurrere.* [N.Y.Z.] [E.A.V.Y.] [I.V.Z.] [E.I.N.R.] [E.I.T.]. N. oportet recurrere ad affirmationem & possibilitatem, ut C. discernat inter Y. & Z. In secunda camera oportet, quòd, quando B. C. D. perveniunt ad aliquam debilitatem, E. recurrat ad A.V.Y., & quòd faciat ex illis objectum, ut vivificet & fortificet B. C. D. In tertia camera oportet, quòd I. recurrat ad H., & quòd illud det ipsis V.Z., ut forment secundam cameram. In quarta camera oportet, quòd aliæ species ipsius S. recurrant & adjuvent alias, ut forment secundam cameram. In quinta camera oportet, quòd E. I. recurrant ad secundam figuram ipsius T., & quòd ponant simul secum tertiam, ut formetur secunda camera; & oportet, quòd ordinatio ipsius T. præbeatur ipsi E., & inordinatio ipsi I.

Modus XXV. *Regnare.* [N.V.Y.Z.] [E. A.T.V.Y.] [I.T.V.Z.] [R.V.Y.Z.]. Hæc figura pertinet ad Principem; quia ipsa docet eum, qualiter debeat regnare & regere suum populum in hoc mundo: unde oportet N. affirmare possibilitatem per primam cameram, & quòd in secunda camera A.T.V.Y. sint objecta ipsi E., & quòd in tertia camera T.V.Z. sint objecta ipsi I., prout convenit ordinationi secundæ cameræ, & quòd in quarta camera R. moveatur frequenter per V.Y.Z., prout decet; quoniam per talem motum inquirunt E.I.N. multa diversa concordantia & contraria in brevi spatio temporis; & prima & quarta camera moveantur ad secundam & tertiam, & tertia serviat secundæ; eò quòd finalis causa, quare quis est Princeps vel Rex, est causa secundæ cameræ; & tertia camera est forma, & prima & quarta sunt ipsa materia.

Modus XXVI. *Regratiari.* [F.G.A.T. V.X.Y.Z.D.][Ignis,Aër,Aqua,Terra][N.A.]. Quicunque vult referre grates pro beneficiis, quæ recepit, oportet eum priùs movere F.G. per primam cameram, ut ipsum D. referat grates, prout convenit quantitas beneficii cum camera, quæ est æqualis in quantitate cum beneficio in elementali figura; & quia beneficia, quæ A. confert, sunt majora, quàm cameræ secundæ figuræ ipsius T., & majora, quàm S., ideo oportet, quòd N. referat grates ipsi A. ultra terminos ipsorum E. I. & ultra terminos figuræ elementalis.

Modus XXVII. *Salvare.* [N.A.V.Y. Z.] [E.A.V.Y.] [I.V.Z.]. Ista figura significat salvationem, & contraria huic damnationem; quia ad habendum salvationem oportet, quòd N. diligat ipsum A., eò quòd K. nescit recolere, nec L. intelligere; & oportet, quòd diligat V. lividum & Y. secundùm possibilitatem, quam N. potest habere in diligendo; & oportet, quòd N. secundùm habitum, quem potest habere in diligendo V. Y., sumat habitum odiendi V. rubeum & Z.: & ad salvationem habendam decet, quòd A. V.Y. sint objecta in secunda camera ipsi E., & quòd V. Z. sint in tertia camera objecta ipsi I., & quòd prima intentio secundæ cameræ tribuatur, & secunda intentio primæ & tertiæ, & quòd in secunda camera ipsi A. prima intentio conservetur, & secunda ipsis V. Y.

Modus XXVIII. *Sanare.* [F.G.A.T. V.X.Y.Z.] [E.A.V.Y.] [H.V.Z.]. Hæc figura docet artem, quâ quis sciat mundare & sanare se ipsum & suum proximum intellectualiter, vel sensualiter; quia quando F.G. moventur per primam cameram ita, quòd formantur secunda & tertia camera, tunc fit cura intellectualis; sed quando F. G. moventur per secundam figuram ipsius T., tunc peragitur cura sensualis; quia secundùm ordinationem Sphærarum dominium choleræ recolitur & intelligitur in superiori linea, & maximè in camera ignis & in camera terræ; & sanguis hominis cholerici est in secunda linea, & maximè in camera aëris & in camera

camera ignis; & phlegma ipsius cholerici est in tertia linea, & maximè in camera aquæ & aëris; & melancholia ipsius cholerici est in inferiori linea, & maximè dominatur in camera terræ & ignis: unde, si quis velit choleram multiplicare, vel conservare, ordinet illam secundùm suam figuram; & si quis velit illam destruere, formet figuram phlegmatis, prout ordinatur in T.; & hoc idem sequitur de aliis complexionibus in generali.

Modus XXIX. *Tentare.* [E.I.N.R.] [A.T.V.X.Y.Z.] [E.A.V.Y.] [I.V.Z.]. Ista figura docet artem, quâ quis scit tentare se ipsum & alium, & quâ scit cognoscere quamvis tentationem; quia tentatio fit in prima camera de una specie ad aliam, vel in una specie, & non in alia; & cum prima camera oportet tentare secundam taliter, quòd tertia & quarta camera possint recipere formam; quia, si prima camera tentat secundam per cameras contrarias tertiæ & quartæ, tunc tentatio nullam veram formam recipit.

Modus XXX. *Velle.* [F.G.A.T.V. X.Y.Z.][E.A.V.Y.][I.V.Z.][N.A.V.Y.Z.] Volens scire artem, quâ sciat velle & diligere, sequatur significationem hujus figuræ; quia priùs oportet, quòd F.G. per primam cameram moveantur, ut E. sciat movere D. per secundam, & H. per tertiam; & N. in quarta camera diligat A.V.Y., & habeat odio Z. & V. rubeum; & D. conservet primam intentionem secundæ cameræ & secundam aliis cameris, sequens ordinationem elementalis figuræ.

Visis demonstrationibus prædictorum Modorum videndum est de Quæstionibus, quæ per hanc Artem sub compendio sunt solutæ.

PARS II.

De

Sexaginta Quæstionibus, quas convenit scribere in Pagina, quæ ostendit istam Artem per Figuras.

Sicut triginta Modi figuraliter ordinantur, sic oportet fieri Quæstiones, quæ figuraliter sunt solutæ: & sicut per sedecim Modos generales & per triginta speciales quis potest habere artem, & scire alios modos, sic per quæstiones & solutiones, quæ præcedunt istas, & per istas potest quis habere artem & scire solvere alias quæstiones.

1. *Quæstio.* Utrùm A. sit, vel non?

Solutio. [F.G.T.V.X.Y.Z.] [E.A.V.Y.] [I.V.Z.]. Oportet F. G. recipere significationes ipsorum T.V.X.Y.Z., ut ipsis F.G. secunda & tertia camera designentur, & quæ, scilicet vel affirmatio, vel negatio meliùs conveniat cum esse & majoritate, vel cum privatione & minoritate; & si ideo, quia A. est, meliùs conveniat cum esse & majoritate, significatur, quòd A. est; cùm esse & majoritas conveniant & concordent, & privatio & minoritas.

2. *Quæstio.* Quid sit A.?

Solutio. [F.G.T.V.X.Y.Z.] [E.N.] [I.E.] [N.A.]. F. movetur per T.V.X.Y.Z., ut G. intelligat illud, quod est in A.; & G. intelligit, quòd F. non recolit, eò quòd A. est majus, quàm F.: ideo F. recolit *octavum modum*; & E. habet D. ipsi M., quòd diligat hoc in A., ad quod B.C. non possunt attingere; & H. odit, quòd E. sit æquale ipsi A.

3. *Quæstio.* Utrùm sit unum solum A., vel plura?

Solutio. [F.T.] [G.A.] [E.A.]. F. movetur per T., ut G. intelligat, utrùm sint plures Dii, vel unus solus; & G. intelligit, quòd intellexit, A. esse, prout in aliis quæstionibus est probatum: unde C. intelligit, quòd A. non possit esse objectum ipsi E., si essent plures Dii; & quia illud, quod intellexit, oportet esse de necessitate, ob hoc G. intelligit, unum solum A. de necessitate esse.

4. *Quæstio.* Utrùm A. sit bonum, vel malum, vel utrùm sit bonum & malum simul?

Solutio. [Terra, Ignis, Aër.] [Aqua, Ignis, Aër.]. Ignis convenit in prima camera cum majoritate & cum esse; quia calefacit aërem, & quia à terra recipit siccitatem; & in secunda camera convenit cum minoritate & privatione; quia aqua recipit humiditatem, & frigefacit aërem calefactum, & frigefacit terram, ex qua ignis recipit siccitatem: unde F. recolit, quòd bonum, majoritas, simplex & esse conveniunt, & similiter malum, minoritas, compositum & privatio: unde propter hoc G. intelligit, quòd ignis in superiori camera appetat simplicitatem materiæ, formæ & conjunctionis.

5. *Quæstio.* Utrùm in A. sit Trinitas Personarum, vel non?

Solutio. [E.I.N.] [Ignis] [Aër] [Aqua] [Terra]. Si Trinitas Personarum sit in A., prima camera convenit cum majoritate; & si non sit, convenit cum minoritate: & quia majoritas convenit cum esse, & minoritas

cum

cum privatione, oportet, quòd prima camera det majorem significationem in se de hoc, quod est, quàm de hoc, quod non est: & ignis & aliæ cameræ significant perfectionem, eò quòd moventur ad inquirendum simplicem conjunctionem unientem corpus simplex elementatum, & tres simplices naturas, quæ sunt materia, forma & conjunctio.

6. *Quæstio* Quare dicitur Pater & Filius & Spiritus Sanctus?

Solutio. [B. C. D. A.] [F. G. A. H. Z.] [K. L. Z. M. A.] [Magnitudo, Perfectio] [Majoritas, Concordantia] [Ignis] [Aër] [Aqua] [Terra]. Major concordantia, quæ sit in E., est, quando B. generat C., & D. procedit ex B. C., quando A. est objectum ipsius E.; & major concordantia, quæ sit in I., est, quando F. generat G., quod sit in A., & H. procedit ex F. G., quando Z. est objectum ipsi I.; & majùs mirabile, quod sit in N., est, quando K. generat L., quando oblivisci tur Z., & M. extra K. L. diligit ipsum A.: unde significatio istarum trium camerarum format solutionem *per nonum modum*; quoniam, si in E. I. N. est major concordantia per A. in generando & recipiendo generationem & processionem, quantò majorem convenientiam & concordantiam oportet esse in A. propter suî ipsiusmet Generationem & Processionem; cùm sit in A. camera [Magnitudinis & Perfectionis]: & idem sequitur de quatuor cameris ipsius T.; quia ignis in superiori linea desiderat, quòd forma generetur ex materia, & quòd in ea sit simplex conjunctio, quæ est possibilis in futuro tempore, ad quam moventur omnia elementa; quia est major concordantia, quæ sit in natura elementali.

7. *Quæstio.* Utrùm sit Incarnatio, vel non?

Solutio. [E. A. V. Y.] [I. V. Z.] [N. A. V. Y. Z.] [Esse, Perfectio]. Si Incarnatio sit, E. I. N. habent inde perfectius esse, & conveniunt meliùs simul ad sumendum objectum, quàm aliter convenirent; & nisi A. ordinâsset, quòd esset Incarnatio, conveniret cum minoritate secundùm *nonum modum;* hoc autem est impossibile.

8. *Quæstio.* Quænam trium Personarum assumpsit humanam carnem?

Solutio. [F. G. T.] [Ignis, Medium, Calor] [E. A.] [Majoritas, Concordantia]. F. G. moventur per T. inquirentia motum ignîs & caloris, igne generante calorem naturalem, ut quærat conjunctionem, quæ sit medium, per quod idem calor est forma generata ex materia in vegetabili, vel animali: & propter hoc significatur, quòd Persona Filii assumpsit humanam carnem, ut humanitas, quam assumpsit, ipsi E. esset forma, propter quam A. & suæ cameræ essent objecta ipsi E.: & quia humana natura à creatione habet naturam recipiendi generationem, & Filius habet naturam generandi (id est, ut generetur infinitè), ideo est major convenientia & concordantia secundùm *nonum modum*, & prout F. jam recoluit in aliis quæstionibus, quòd Filius assumpsit humanam carnem, quàm aliqua aliarum Personarum.

9. *Quæstio.* Quare tres Personæ non assumpserunt humanam carnem?

Solutio. [F. G. T.] [Majoritas, Differentia, Concordantia] [E. A.]. F. G. moventur per T. ad inquirendum significationem, per quam solvatur quæstio: unde triangulus croceus & viridis significant ipsis F. G., quòd multò meliùs significatur differentia in Personis ipsius A., quando una sola ipsarum assumpsit humanam carnem, quàm si omnes tres simul illam assumpsissent; & per majorem differentiam significatur major concordantia, quam tres Personæ habent in A; & quia E. habet B. C. D. in majori differentia & concordantia in A. secundùm *nonum modum*, ideo oportuit unam Personam solummodo incarnari.

10. *Quæstio.* Utrùm panis hostiæ consecratæ efficiatur verum Corpus CHRISTI, vel non?

Solutio. [N. E. I.] [Concordantia] [Majoritas] [Contrarietas] [Esse, Perfectio]. N. affirmans, quòd panis hostiæ ritè à presbytero consecratæ efficiatur verum Corpus Christi, affirmat majorem possibilitatem & veritatem in A. & suis cameris, quàm N. hæc negans; & E. sumit meliùs majoritatem in B. C.. D. causâ ipsius N. affirmantis, quàm causâ ipsius N. negantis; & I. habet majora F. G. H. contra ipsum Z., & est magìs contrarium sensualitati propter affirmationem, quàm propter negationem: unde N. I. E. habent majorem concordantiam ad capiendum objectum propter affirmationem in intellectualitate, quàm propter negationem: & quia secunda, tertia & quinta camera concordant cum affirmatione, & quarta est ipsi contraria cum sensualitate tantùm, ideo secundùm *nonum modum* oportet, quòd affirmatio sit in Y., & negatio in Z., prout F. recolit, & recoluit in aliis quæstionibus, in quibus

quibus recoluit, quòd majoritas convenit cum esse & perfectione.

11. *Quæstio.* Utrùm in A. sint Virtutes, vel non?

Solutio. [F. G. T. V. X. Y. Z.] [E. V. Y.] [I. V. Z.] [E. F. G. M. A.]. Ut G. intelligat, quòd in A. est bonitas, magnitudo, æternitas, & sic de aliis cameris, F. recolit T. V. X. Y. Z., & ideo G. intelligit, quòd F. recolit diversas cameras in figura ipsius A. necessariis rationibus, & F. recolit *nonum modum*; & G. intelligit, quòd si E. habet B. C. D. in V. Y., & I. habet F. G. H. in V. Z., & E. habet B. C. D., & I. habet F. G., & N. habet M. in A., quantò magis convenit, in A. esse virtutes, (attamen G. intelligit, quòd virtutes ipsius A. sint valde diversæ à septem virtutibus ipsius V.; quia A. & majoritas conveniunt, & S. & minoritas) & nisi in A. essent virtutes, non esset mundus, nec secunda figura ipsius T. moveretur ad inquirendum perfectionem, quam inquirit.

12. *Quæstio.* Utrùm Cameræ ipsius A. sint idem in A., vel utrùm in essentia ipsius A. sint diversæ?

Solutio. [F. G. T.] [E., Magnitudo, Perfectio]. F. G. moventur per secundam figuram ipsius T., in qua ignis est diversus secundùm differentiam camerarum, sed non secundùm materiam igneam: unde F. recolit, quòd cameræ ipsius A. sunt diversæ secundùm creaturas, sed nequaquam secundùm naturam divinam; quia aliter sequeretur, quòd unitas ipsius A. esset plùs, quàm in Trinitate, & non esset in eo major concordantia, quæ est in uno & tribus, nec camera magnitudinis & perfectionis posset esse objectum ipsi E.; hoc autem est impossibile.

13. *Quæstio.* Utrùm quis possit salvari, in quacunque credulitate existat, vel non?

Solutio. [F. G. T.] [E., Veritas, Perfectio] [M. A. Y. Z.]. F. G. moventur per triangulum viridem & croceum, & ideo secunda camera est objectum ipsi E., si M., quod A. Y. habet pro objecto, salvatur; quæ camera non posset esse objectum ipsi E., si M., cui Y. est objectum odibile, & Z. diligibile, salvaretur; nec Y. conveniret cum majoritate, nec Z. cum minoritate; hoc autem est impossibile; quoniam, si esset possibile, A. & minoritas ad invicem convenirent.

14. *Quæstio.* Utrùm sit peccatum originale, & si sit, utrùm sit generale, vel non?

Solutio. [F. G. T.] [E. A.] [Perfectio, Justitia] [Perfectio, Largitas]. F. G. moventur per T., in quo inveniunt significationes, cum quibus solvitur quæstio, qualiter E. sumit A. & suas cameras pro objecto; quia ignis & alia elementa, eò quòd moventur ad inquirendum suam perfectionem, in quacunque linea sint, significant, quòd illam perdiderunt propter culpam, quæ significatur esse generalis, & in tempore præterito; & F. recolit, quòd pœna in homine justo secundùm motum naturalem est ita magna, sicut in injusto; & per justitiam & injustitiam significatur peccatum originale; & G. intelligit æqualitatem inter tertiam & quartam cameram, quam non intelligeret, nisi esset peccatum originale; quia justitia non fuisset usa generalitate in humana specie, sicut largitas fuit usa in gratia, quam fecit primis parentibus, quæ fuit generalis per creationem totius humanæ speciei.

15. *Quæstio.* Quid sit peccatum actuale, & quid potentiale?

Solutio. [E. V. Z.] [I. A. V. Y.] [M. A. V. Y. Z.]. Peccatum actuale significatur in qualibet trium camerarum; quia omnes tres simul conveniunt cum minoritate & privatione; peccatum verò potentiale est in figura prædictæ contraria, quando figura, quæ convenit cum majoritate & esse, non est in privatione: unde peccatum actuale, vel etiam potentiale est in speciali secundùm relationem originalis, quod est generale.

16. *Quæstio.* Quid sit peccatum veniale?

Solutio. [F. G. A. T. V. X. Y. Z.] [E. I. N. R. A. T. V. X. Y. Z.] [E. V. Z.] [I. A. V. Y.] [M. Z.]. Quando F. G. moventur per primam cameram casu fortuito absque causa, & formant secundam cameram, in qua S. casu fortuito absque causa movet suas species in A. T. V. X. Y. Z. taliter, quòd tertia, quarta & quinta camera sunt plùs in actu, quàm in potentia, tunc est peccatum veniale, quod ducitur de potentia in actum, ut formetur in actualitate peccatum mortale, cui peccatum veniale præparat viam, quòd de potentia veniat ad actum.

17. *Quæstio.* Utrùm Peccatum sit aliquid, aut nihil?

Solutio. [E. V. Z.] [I. A. V. Y.] [K. L. A. M. Z.]. Hæc figura significat culpam; quia, nisi significaret culpam, figura isti contraria non significaret meritum; & nisi culpa & meritum essent, A. in creaturis perfectâ justitiâ & misericordiâ minimè uteretur: & quia prædicta figura est contraria finali cau-

sæ, quare E. I. N. sunt, peccatum est contrarium huic, quod est in esse, & convenit cum eo, quod est in privatione; & ideo dicitur, quòd peccatum nihil est, licèt sit culpa in figura; & si peccatum esset in esse, conveniret cum eo, quod concordat & convenit cum esse & perfectione, & contrariatur esse & defectui; hoc autem est impossibile.

18. *Quæstio.* Utrùm A. consenserit peccato Prothoplasti, vel non?

Solutio. [F. G. T.] [Perfectio] [Sapientia] [Justitia] [Potestas] [Amor] [E. A. V. Y.] [N. A.]. Solutio hujus quæstionis habetur per istam figuram, & per *decimum sextum modum*, quando F. G. moventur taliter per cameras, quòd A. V. Y. sint objecta ipsi E.: quia sicut per primam figuram *decimi sexti modi* N. credit, quòd perfecta sapientia significet, quòd A. consenserit peccato Prothoplasti; sic perfecta justitia significat ipsi E., quòd A. non consenserit prædicto peccato; & quia E. recipit significationem perfectæ sapientiæ, quæ sciebat peccatum, & N. credit, quòd consenserit peccato, ideo E. est majus in recipiendo significationes justitiæ & potestatis & amoris perfecti, quàm in recipiendo tantùm perfectionem sapientiæ; & ideo E. concordat cum Y., & N. cum Z.; quia aliter A. V. Y. non possent esse objecta ipsi E. in quarta figura *decimi sexti modi*.

19. *Quæstio.* Utrùm DEUS potuerit creare bonum ita, quòd peccatum vel malum non esset?

Solutio. [F. G. A. T. V. X. Y. Z.] [E. A. V. Y.] [I. V. Z.] [M. A. V. Y. Z.]. Per *nonum modum* & hanc figuram habetur solutio hujus quæstionis; quia F. recolit, quòd, quando A. creavit mundum, non creavit peccatum, nec malum; quia nisi potuisset creâsse & fecisse bonum absque malo, non posset esse secunda camera, & esset tertia & quarta melior, quàm A.; & quia peccatum & malum est, ideo E. sumit melius pro objecto A. & suas cameras & V. lividum & Y.; & nisi I. esset in tertia camera, sua privatio esset mala; & hoc idem sequeretur de quarta camera: & si C. G. cognoscerent bonum absque malo, essent æqualia ipsi A., cujus scientiæ malum non est causa vel occasio cognoscendi bonum.

20. *Quæstio.* Utrùm Dæmones peccaverint, vel non?

Solutio. [F. G. A. T.] [E. A. V. Y.] [I. V. Z.]. Si Dæmones paterentur pœnam absque culpa, A. non esset objectum ipsi E. in suis cameris, nec E. posset tam bene sumere pro objecto, ût sumit, ipsa V. Y. nec I. ipsa V. Z.: & nisi A. dedisset libertatem Angelis post eorum creationem, non potuissent aequirere meritum; & nisi dæmones peccâssent, A. non fuisset tam perfectum objectum ipsis Angelis, sicut est. Unde F. per *nonum modum* recolit, quòd maligni angeli peccaverint, & G. intelligit meliùs A. & suas cameras, quia ipsi peccaverunt; & secunda & tertia camera meliùs concordant cum majoritate.

21. *Quæstio.* Utrùm Mundus sit ab æterno?

Solutio. [F. G. A. T.] [E. A. V. Y.] [I. V. Z.] [M. A.]. F. recolit, quòd recoluerit A. & suas cameras in multis locis hujus Artis; & ideo G. intelligit, quòd, si mundus esset ab æterno, F. non potuisset recoluisse A., nec suas cameras; quia mundus esset æqualis in æternitate ipsi A.; quod A. non esset dignum habere suas cameras, si mundus esset ei æqualis in æternitate; & nisi mundus habuisset principium, secunda, tertia & quarta camera non concordarent tam bene cum esse & majoritate, sicut nunc, quando principium inest mundo; & cameræ contrariæ prædictis concordarent cum esse & majoritate; hoc autem est impossibile; propter quam impossibilitatem G. intelligit principium mundi.

22. *Quæstio.* Utrùm ordinalis motus, vel tempus, vel motus intellectualis habeat principium?

Solutio. [F. G.] [A.] [T.] [S.]. F. recolit, se recoluisse per significationes ipsius A. & suarum camerarum significationes, quibus G. potuit intelligere, quòd mundus principium habuerit, cujus partes sunt tempus, primordialis materia & motus sensualis & intellectualis, & F. recolit similiter, quòd ignis in T. desiderat perfectionem, ad quam movetur ordinalis motus; quam perfectionem haberet, si mundus esset ab æterno; quia privatio perfectionis non potest esse in re, quæ est sinè principio: & si motus habet principium, oportet necessariò, quòd tempus habeat principium; quia sinè motu tempus non haberet primum nec ultimum in motu; & sinè primo & ultimo tempus non esset; cùm tempus semper sequatur motum, & motus sequatur primum & ultimum: & nisi motus intellectualis principium habuisset, S. haberet in hoc mundo plenam satietatem, ita, quòd non moveret se ad inquirendam perfectionem

ipsius E.; hoc autem est impossibile.

23. *Quæstio.* Utrùm ordinalis motus sit actualiter, vel potentialiter infinitus?

Solutio. [F. G. T.] [A. E.]. F. recolit, & G. intelligit, quòd motus ordinalis est finitus in loco actualiter & potentialiter in secunda figura ipsius T.; & hujus finitudo significat finem temporis & motûs: quia, si motus ordinalis esset *potentialiter* infinitus, ignis infinitè se moveret ad perfectionem, & eâdem infinitè careret, & esset in infinito defectu; hoc autem est impossibile, videlicet quòd infinitus defectus moveatur ad perfectionem privatam, quam perfectionem sit impossibile in actum devenire: si autem motus ordinalis esset *actualiter* infinitus, & si ignis perveniret ad hoc, ad quod movetur, potestas ipsius A. esset finita; quia taliter A. non posset esse objectum ipsi E. cum suis cameris, & E. posset plùs recipere, quàm A. significare de sua perfectione, & potentia concordaret meliùs cum perfectione, quàm A. & quàm actus; hoc autem est impossibile.

24. *Quæstio.* Utrùm ordinalis motus habebit finem?

Solutio. [F. G. T.] [E. A. V. Y.]. F. recolit, quòd, si motus ordinalis non haberet finem, conveniret, quòd secunda figura ipsius T. extenderetur per motum ordinalem infinitè in locum infinitum, si A. resuscitaret generata & corrupta corpora hominum; hoc autem est impossibile, quòd ordinalis materia moveatur ad locum infinitum; quia, si moveretur, transcenderet infinitè firmamentum, & esset æqualis ipsi A.; & hoc est impossibile; quia, si esset possibile, A. V. Y. non possent esse objecta ipsi E.: & nisi A. resuscitaret corpora hominum mortuorum, non esset cum suis cameris objectum ipsi E.; ideo G. intelligit, quòd ordinalis motus habeat finem.

25. *Quæstio.* Ob quam causam movetur ordinalis materia in vegetationem & in corpora elementata?

Solutio. [F. G. T.] [E. A.]. F. recolit, quòd ignis & calor desiderant simplicem conjunctionem, ad quam moventur per totam secundam figuram ipsius T. generando & corrumpendo formas elementatas: unde E. sumit pro objecto A. & suas cameras; quia B. recolit, quòd per totum tempus movebitur ordinalis materia circa generationem & corruptionem, quousque ignis & calor & alia elementa consecuta fuerint perfectionem, ad quam consequendam moventur, quam consequentur in corporibus elementatis glorificatis & resuscitatis, absque quibus E. non posset sumere perfectum objectum in A., nec in suis cameris.

26. *Quæstio.* Utrùm sit corpus vel corpora infinita in quantitate?

Solutio. [F. G. T.] [E. A.]. F. recolit, quòd huic solutioni conveniat figura similis suprà dictæ; *quia G. intelligit, quòd per similes figuras possunt solvi in ista Arte diversæ quæstiones:* unde, si essent corpora infinita, F. recoleret, quòd alia essent in aliis finita secundùm sex terminos universales; & sequeretur, quòd finitas & infinitas essent idem; sed hoc est impossibile: & si esset corpus infinitum, oporteret necessariò, quòd esset compositum ex materia, forma & conjunctione, quæ tria non possunt esse sinè situ & habitu formæ circularis & triangularis vel quadrangularis, vel tot figurarum, quæ pervenirent ad circularem figuram; & quamlibet istarum figurarum oporteret necessariò esse finitam; quia sinè fine non possent habere situm, nec habitum; nec A. posset esse objectum cum suis cameris ipsi E.: ideo G. intelligit, omne corpus esse necessariò finitum.

27. *Quæstio.* Utrùm aliud Sæculum vel Resurrectio sit futura?

Solutio. [E. V. Z.] [I. A. V. Y.] [E. A. V. Y.] [I. V. Z.]. F. recolit *nonum modum*, & G. intelligit, quòd si duæ primæ cameræ, quæ conveniunt cum minoritate & cum privatione & defectu, sunt in esse, quantò magis convenit, quòd sint duæ ultimæ cameræ, quæ sunt contrariæ primis; quia, nisi esset aliud Sæculum, A. nihil esset, & nisi esset Resurrectio, A. non esset objectum cum suis cameris ipsi E., nec I. tam bene conveniret cum majoritate in quarta camera, ût nunc: & quia majoritas concordat cum esse, & minoritas cum privatione, oportet necessariò, quòd hoc, propter quod I. est majus, sit in esse.

28. *Quæstio.* Utrùm A. sit essentialiter ubique?

Solutio. [F. G. T. A.] [E. perfecta Magnitudo] [N. A.]. F. recolit *octavum modum*, per quem solvitur hæc quæstio; & G. intelligit, qualiter per primam figuram *decimi sexti modi* N. credit, quòd A. non sit essentialiter in loco, quem lapis occupat; & secunda figura *decimi sexti modi* significat per secundam figuram, quòd A. est essentialiter ubique;

que; & camera perfectæ magnitudinis est objectum ipsi E., quando E. se adjuvat cum *octavo modo*, & transit ad quartam figuram *decimi sexti modi*.

29. *Quæstio.* Quid sit Anima in se?

Solutio. [E.] [Ignis, Aër, Aqua, Terra] [Esse, Perfectio] [Majoritas, Minoritas]. In eo, quòd elementa moventur ad perfectum esse, significatur, quòd adhuc erunt majora in nobilitate, quàm nunc sunt; & E. est minus, quando nescit in hoc mundo id, quid est Anima, & erit majus in perfecto esse tunc, quando hoc sciet; & ideo E. movetur ad perfectum esse, & est in hoc mundo in *octavo modo*.

30. *Quæstio.* Utrùm Incarnatio JESU Christi fuit de necessitate?

Solutio. [F.G.A.T.] [E.A.V.Y.] [I.V.Z.] [M.A.V.Y.]. F. movetur per A.T. & suas cameras, ut G. intelligat in suis cameris, quòd A. non haberet perfectionem in suis cameris, si aliquid faceret, vel crearet, quod ipsi esset de necessitate: ideo F. memorat *nonum modum*, per quem G. intelligit, quòd Incarnatio fuerit necessaria ipsis E. I. M. secundùm prædictas cameras; quia, nisi esset Incarnatio, non potuissent tam bene, ût nunc, sumere objectum, nec possent tam bene concordare cum majoritate nec cum camera [Esse & Perfectionis], ût nunc concordant, quando Persona Filii assumpsit humanam carnem ex utero beatæ gloriosæ Virginis.

31. *Quæstio.* Quâ intentione vel causâ DEUS creavit mundum?

Solutio. [F.G.A.T.] [B.C.D.A.] [B.C.D.E.]. F. movetur per cameras ipsorum A.T., ut eorum significationibus G. intelligat, quòd A. & majoritas concordant, & E. & minoritas: unde secundùm *primum & nonum modum* prima intentio convenit cum secunda camera, & secunda intentio cum tertia; quia majus est E. in habendo B.C.D. in A. in gloria, quàm sit gloria, cui E. est subjectum & objectum; quia secundùm triangulum rubeum & croceum majus est A., quod sit objectum ipsi E., quàm sit E., quod sit subjectum vel objectum suæ gloriæ ipsis B.C.D.: & nisi hoc ita esset, sequeretur, quòd E. esset majus, quàm A.; vel quòd esset ipsi æquale; & hoc est impossibile.

32. *Quæstio.* Quid faciebat A., & ubi erat, antequam mundus esset?

Solutio. [F.G.A.T.X.] [E.A.]. F. movetur per cameras ipsorum A.T.X., quorum significationibus G. intelligit, quòd, antequam mundus esset, & nunc, quando est, A. fruitur suis cameris secundùm cameram esse & perfectionis; & quia DEUS est infinitus, prout F. recoluit in figura ipsius A., ideo G. intelligit, quòd A., antequam mundus esset, & nunc, quando est, est in se; ideo G. intelligit, quòd, si in A. cecidisset accidens propter creationem mundi, A. pateretur in se defectum in essendo objectum ipsi E. secundùm suas cameras; quod est impossibile; quia, si esset possibile, E. fuisset majus ad recipiendum significationes esse & perfectionis, quàm A. ad significandum suam perfectionem; hoc autem est impossibile.

33. *Quæstio.* L. dicit ipsi K., quòd in A. cadit accidens, eò quòd non creabat, nec judicabat aliquid, & sic de aliis, antequam mundus esset, & nunc, quando mundus est, utitur his, quibus priùs minimè utebatur?

Solutio. [F.G.A.T.] [E.A.] [I.Z.]. F. recolit, se recoluisse in figura ipsius A. & quæstionibus prædictis, quòd nullum accidens cadit in A., & quòd suæ virtutes sunt unum & idem; ideo G. intelligit *decimum sextum modum*, & qualiter N. format quæstionem per primam figuram; & E. solvit illam in quarta, quando movetur per cameras ipsius A.; & I. odit ipsum Z., quod generatur ab ipso N. in prima figura: unde F. recolit, quòd Sol utitur suo splendore, licèt homo cæcus non possit videre lumen; & ob hoc G. intelligit, quòd A., antequam mundus esset, suis cameris utebatur, licèt, antequam mundus esset, non essent creaturæ, quæ sufficerent ad recipiendum illud, quo A. potest uti sinè principio & sinè fine; & nisi hoc esset, A. non sufficeret, quòd esset objectum ipsi E. in suis cameris; hoc verò est impossibile, quia aliter A. non esset hoc, quod est.

34. *Quæstio.* M. volente se alterare in D., L. petit ab ipso C., quare A. non creavit citiùs mundum; vel quare non creavit ipsum majorem, vel meliorem; vel quare non creavit plures mundos?

Solutio. [M.D.L.C.] [F.G.T.] [E.A.]. F. movetur per cameras ipsius T. & recolit *nonum modum*, quo G. intelligit, quòd, prout A. creavit mundum, E. habet possibilitatem, quòd A. sit objectum in suis cameris B.C.D; quia mundus recepit perfectam formam in quantitate & in tempore: quare, si mundus haberet aliam perfectiorem quantitatem, A. concordaret cum minoritate, eò quòd non creâsset majorem & meliorem quantitatem atque

atque formam; & cameræ ipsius A. non possent esse objectum perfectum ipsi E.; hoc autem est impossibile.

35. *Quæstio.* Utrùm bonum, vel malum sit in majori quantitate?

Solutio. [F.G.A.T.V.X.Y.Z.] [E.A.V.Y.] [I.V.Z.] [M.A.V.Y.]. F.G. moventur per omnes cameras hujus figuræ; ideo F. recolit, quòd in A. sit majus bonum, quàm sit omne bonum, vel malum, quod est in omnibus creaturis; & majus est bonum in uno solo homine, in quo sint secunda, tertia & quarta camera, quàm sit omne bonum, quod est in vegetabilibus, in brutis animalibus & metallis, & quàm sit omne malum, quod est in rationalibus: & hoc intelligit G.; quia bonum, quod concordat cum esse, est primâ intentione, & malum, quod convenit cum privatione, est secundâ intentione.

36. *Quæstio.* Utrùm quis possit diligere illud, quod non recolitur, nec intelligitur?

Solutio. [F.G.A.] [E.A.M.A.]. F. recolit *octavum & duodecimum modum*, quibus significatur ipsi G. solutio hujus quæstionis; unde, si I. non utitur ipso H. in A., quando F. G. moventur casu fortuito per cameras ipsius A., sequitur, quòd M. excedit E. in diligendo in A. illud, quod E. non sufficit recolere, vel intelligere in A.; & nisi hoc esset, sequeretur impossibile, quòd M. esset in Y., vel in Z.; hoc autem nullatenus esse potest.

37. *Quæstio.* Utrùm JESUS Christus fuerit in hoc mundo?

Solutio. [F.G.A.T.] [E.A.V.Y.] [I.V.Z.] [M.A.V.Y.]. F.G. moventur per cameras ipsorum A. & T.; unde F. recolit, quòd, si Incarnatio esset in Z., & quòd Christus esset adhuc venturus, secunda vel tertia vel quarta camera non convenirent cum suo subjecto tam bene, sicut nunc, quando Christus venit in hunc mundum; ideo G. intelligit per *nonum modum*, quòd hoc, propter quod cameræ sunt majores, oportet esse in Y.; quia aliter A. esset in Z., & concordaret cum minoritate.

38. *Quæstio.* Utrùm pœnæ gehennales habeant finem?

Solutio. [E.V.Z.] [I.A.V.Y.] [M.A.V.Y.]. F. recolit, quòd hæc figura significat damnationem; unde G. intelligit, quòd, si propter pœnas infernales converteretur figura in figuram sibi contrariam, sequeretur, quòd cameræ converterentur sinè libera voluntate, & quòd pœnæ infernales essent major causa salvationis condemnatis, quàm A., vel liberum arbitrium; sed hoc est impossibile; cùm A. & liberum arbitrium concordent cum majoritate, quia sunt de prima intentione, & pœnæ gehennales concordent cum minoritate, quia sunt de secunda intentione.

39. *Quæstio.* Utrùm peccator pœnitens in suprema hora mortis consequatur salvationem?

Solutio. [E.A.V.Y.] [I.V.Z.] [M.A.V.Y.Z.]. F. recolit, quòd hæc figura significat salvationem; unde, si peccator haberet in se istam figuram, & minimè salvaretur, concordaret cum majoritate, & A. cum minoritate: sed G. intelligit, quòd, si in suo obitu aliquem pœnitet suorum peccatorum, qui habet in se contrariam figuram isti, & L. credit, quòd peccator sit in vera figura salvationis, C. intelligit, quòd A. propter perfectam justitiam removet eum à possessione veræ figuræ; unde F. recolit, quòd A. ponit peccatorem ante mortem suam ad condemnationem; quia ante suum obitum corporalem non vult in se habere istam figuram, & proponit, quòd in fine suorum dierum habebit in se illam; & nisi illud esset, A. perfectâ Justitiâ minimè uteretur.

40. *Quæstio.* Utrùm Prædestinatio & Liberum Arbitrium sint?

Solutio. [F.G.T.A.V.X.Y.Z.] [E.A.] [I.V.Z.] [M.A.V.Y.]. Oportet, quòd F. G. moveantur tantum per primam cameram, & per *decimum sextum modum*, quousque possint formari aliæ cameræ hujus figuræ, quibus prædestinatio & liberum arbitrium designantur, & significantur esse in esse; & quòd habeant æqualitatem: & absque tribus cameris suprà dictis prædestinatio & liberum arbitrium non cernuntur ab ipsis F. G.

41. *Quæstio.* Quænam trium Legum scilicet Christianorum, Judæorum & Saracenorum prævaleat?

Solutio. [F.G.A.T.V.X.Y.Z.] [E.A.V.Y.] [I.V.Z.] [M.A.V.Y.Z.]. F.G. oportet tantum moveri per primam cameram, & per tres Leges (ut sic loquar) quousque percipiant, per quam Legem tres cameræ concordent cum majoritate, & per quam contrariæ cameræ concordent cum minoritate: unde illam Legem, quæ format tres cameras majores & meliores, & format cameras illis contrarias minores & pejores, oportet necessariò per *nonum modum* esse meliorem & prævalentem aliis; quia

aliter A. esset minus; quod est impossibile.

42. *Quæstio.* Quænam trium Legum significet ipsi E. Paradisum majorem, & ipsi I. Infernum pejorem?

Solutio. [F.G.A.T.V.X.Y.Z.] [E.A.V.Y.] [I.V.Z.]. Oportet F.G. moveri tam diu per primam cameram & per tres Leges, donec recipiant significationes, quibus duæ cameræ significantur esse majores & meliores; quia in majori & meliori quantitate illarum significatur major & melior gloria Paradisi, & major & pejor pœna Inferni.

43. *Quæstio.* Quæ & qualis sit operatio ipsius A.?

Solutio. [F.G.A.T.V.X.Y.Z.] [E.A.V.Y.] [I.V.Z.] [M.A.V.Y.Z.]. F.G. oportet tamdiu moveri per primam cameram, quousque recipiant significationes significantes & ostendentes causas seu occasiones, quibus formantur aliæ cameræ hujus figuræ, ita, quòd una camera cum alia conveniat & concordet; quoniam illa opera, quibus formantur secunda, tertia & quarta camera, oportet esse ipsius A.; quia aliter sequeretur, quòd A., minoritas & defectus concordarent; hoc autem est impossibile.

44. *Quæstio.* Quæ tentatio sit angelica, & quæ diabolica?

Solutio. [F.G.] [E.A.V.Y.] [I.V.Z.] [M.A.V.Y.Z.] [E.V.Z.] [I.A.V.Y.] [M.A.V.Y.Z.]. F.G. oportet moveri per tres cameras concordantes cum majoritate & perfectione; oportet etiam ipsa moveri per alias tres posteriores concordantes cum minoritate & defectu: unde illa tentatio, quæ movet tres primas cameras de potentia ad actum, est angelica, & quæ movet tres posteriores cameras de potentia ad actum, est diabolica; & oportet, quòd, cuicunque tentationi S. consentiat, sumat habitum camerarum concordantium cum tentatione.

45. *Quæstio.* Quæ sit ars, quâ homo cognoscit virtutes & vitia?

Solutio. [F.G.A.T.V.X.Y.Z.] [E.A.V.Y.] [I.V.Z.] [M.A.V.Y.Z.]. Cùm F.G. moventur tam diu per primam cameram, donec percipiant alias cameras & contrarias illis, & ponunt triangulum viridem, rubeum & croceum mixtim in cameris taliter, quòd formentur tres cameræ hujus figuræ, tunc cognoscitur, utrùm illud, quod quis agit, sit virtus, vel vitium.

46. *Quæstio.* Quâ arte cognoscit homo differentiam inter virtutem & virtutem, vitium & vitium?

Solutio. [F.G.T.V.] [E.A.V.Y.] [I.V.Z.]. Oportet, quòd F.G. moveantur per T.V., & quòd moveant ipsum T. per V., prout convenit formationi secundæ & tertiæ cameræ; quia per cameras illis contrarias velatur differentia ipsis G.C.

47. *Quæstio.* Quæ virtus est major, quàm alia, & quod vitium majus, quàm aliud?

Solutio. [S.E.I.N.R.T.] [E.A.V.Y.] [I.V.Z.] [M.A.V.Y.Z.]. Solutio hujus quæstionis habetur, quando S. movetur in T. cum suis speciebus & individuis illarum, & mittit triangulum croceum per suas species & per objecta, quæ capit, quando format virtutes & vitia; & illam virtutem, quâ meliùs formantur secunda, tertia & quarta camera hujus figuræ, oportet esse majorem & meliorem, quàm aliam; & vitium, quod est magis contrarium tribus suprà dictis cameris, est majus & pejus, quàm aliud.

48. *Quæstio.* Quod sit majus, V. lividum, aut V. rubeum?

Solutio. [F.G.A.T.V.X.Y.Z.] [E.A.E.Z.] [I.A.I.Z.] [M.A.M.Y.]. Solutio hujus quæstionis habetur, quando F.G. moventur per primam cameram tam diu, donec F. recolat, & G. intelligat illud, quod aliæ cameræ significant & ostendunt; quia in secunda camera significatur, quòd major virtus est in primo E., & minus vitium in secundo E.; & majus est vitium, & minor est virtus, si A. mutetur, & ponatur in loco, ubi est Z., & Z. in loco, ubi est A.: & idem sequitur de majoritate, quæ formatur in tertia & quarta camera, prout majoritas & minoritas ingrediuntur objecta.

49. *Quæstio.* Utrùm damnati, qui sunt in inferno, velint esse, vel non esse?

Solutio. [B.C.D.] [Esse, Privatio] [F.G.H.]. Ad solvendam hanc quæstionem oportet, quòd E.I. sumant simul pro objecto secundam cameram; & sicut primordialis materia componitur ex contrariis, sic E.I. in secunda camera componantur: unde E. habet ipsum D. ad esse in prima intentione, & ad privationem in secunda propter pœnam, quam patitur; & I. habet ipsum H. ad esse & ad privationem; ad esse ideo, quia D. diligit privationem; ad privationem ideo, quia D. diligit esse: unde damnati diligunt esse, quantum ad primam intentionem, & odiunt esse propter pœnam, quam patiuntur; & ideo est eorum figura in I., quod

quod comprehendit ipsum E. in quantitate; quia aliter individua ipsorum E. & I. pœnas minimè sustinerent.

50. *Quæstio.* Quis Ordo sit melior, an Religionis, an Matrimonii?

Solutio. [F.G.A.T.V.X.Y.Z.] [E.A.V.Y.] [I.V.Z.]. Oportet F.G. moveri tam diu per primam cameram, quousque percipiant, quid est illud, quod est magis propinquum causæ finali, quare sunt secunda & tertia camera: unde, quando F.G. receperunt significationes in prima camera, F. recolit, quòd matrimonium concordat cum generalitate, & Ordo Religiosorum cum specialitate; & ideo G. intelligit, quòd quantum ad generalitatem matrimonium est melius, quàm Ordo Religiosorum hominum; quia quantum ad Ordinem Religiosorum, Religio sequitur secundam & tertiam cameram, sicut tempus sequitur motum; & est melior, quàm matrimonium, quod convenit cum materia, & Ordo Religiosorum cum forma.

51. *Quæstio.* Quæ sint licita, & quæ vetita?

Solutio. [F.G.A.T.V.X.Y.Z.] [E.A.V.Y.] [I.V.Z.] [M.A.V.Y.Z.]. Ad cognoscendum, quæ sint licita, & quæ vetita, oportet, quòd F.G. moveantur per cameras literarum, quæ sunt in prima camera, & quòd recipiant significationes, quibus formantur vel destruuntur cameræ hujus figuræ; nam illa sunt licita, in quibus formantur secunda, tertia & quarta camera; & illa vetita, in quibus prædictæ cameræ privantur in S., & in ipso generantur cameræ contrariæ prædictis.

52. *Quæstio.* Quæ sint majoris necessitatis?

Solutio. [F.G.] [Deus, Creatura] [E.A.V.Y.] [I.A.V.Y.]. Ad cognoscendum ea, quæ sunt majoris necessitatis, oportet necessitatem intelligi circa *duas species*, quarum *prima* intelligitur secundùm relationem majoritatis & minoritatis; sicut cameræ ipsius A. sunt majoris necessitatis, quàm cameræ creaturarum; & secundùm *sextum modum* & *elementalem figuram* in creaturis sunt cameræ, quæ sunt majoris necessitatis, quàm aliæ. *Secunda species* est *duplex*, quarum *prima* est, quando cameræ habent æqualem necessitatem, sicut sunt tertia & quarta camera, quibus æqualiter est necessarium liberum arbitrium; quia aliter, postquam una esset in actu, non esset altera in potentia: *secunda* species est, quando quædam sunt necessaria, & alia non; sic homini est necessaria tertia camera, & non quarta.

53. *Quæstio.* Quid sit primus motus & secundus?

Solutio. { [E.A.V.Y.] [I.V.Z.] [M.A.V.Y.Z.] [Esse, Perfectio]. / [E.V.Z.] [I.A.V.Y.] [M.A.V.Y.Z.] [Privatio, Defectus].

F. recolit primum & secundum motum in *Libro Contemplationis*; unde G. intelligit, quòd superioribus cameris significatur primus motus movens primas cameras ad ultimam cameram; secundus motus significatur in cameris inferioribus, quia movet primas cameras ad ultimam cameram: unde sicut generatio præcedit corruptionem, quia citiùs est generatio, quàm corruptio, sic primus motus debet esse in cameris superioribus, quia concordant cum causa finali; & secundus motus debet esse in cameris inferioribus, quia contrariantur causæ finali.

54. *Quæstio.* Quibus cameris significantur meliùs causa sive occasio, & fortuna?

Solutio. { [B.C.D.] [F.G.H.] / [K.L.M.] [O.P.Q.] / [Ignis, Aqua] [Aër, Terra].

Cameræ superiores significant meliùs & fortiùs causam sive occasionem, quàm mediæ; & mediæ significant meliùs fortunam, quàm causam; & in cameris inferioribus secundùm motum elementalis figuræ significatur causa sive occasio in prima intentione, & significatur fortuna in eo, quod sequitur per motum secundæ intentionis: sicut ignis, qui casu fortuito contrariatur suo contrario in aqua secundâ intentione, prout significatur in *duodecimo modo.*

55. *Quæstio.* Quæ sint opera naturalia?

Solutio. [F.G.A.T.V.X.Y.Z.] [E.A.V.Y.] [I.V.Z.]. Opera naturalia cognoscuntur, quando F.G. moventur per primam cameram, & per *primum, tertium, quartum, quintum, sextum, duodecimum, decimum tertium & decimum sextum modum*, & ponuntur in secundam figuram ipsius T., prout convenit formationi secundæ & tertiæ cameræ hujus figuræ; *& sicut per elementalem figuram inquirunt significationes ipsius S. & motus suarum specierum & suorum individuorum, sic cum motu ipsius S. inquirunt motus camerarum figuræ elementalis.*

56. *Quæstio.* Quid sit fulgur?

Solutio. [F.G.T.] [E.A.V.Y.] [I.V.Z.] [E.I.N.R.]. Ad habendam cognitionem de fulgure, oportet F.G. moveri *per figuram elemen-*

elementalem secundùm motum significatum in *secunda & tertia camera;* quia sicut E. movetur ad inquirendum majus in secunda camera, sic ignis & calor moventur ad inquirendum suum majus in simplici conjunctione; & sicut I. inquirit suum majus in tertia camera, sic ignis & calor inquirunt suum majus destruendo alia elementa, quando ignis propter maximam abundantiam appetitûs movetur tam subitò, quòd alia elementa non sint parata, quòd sint subjecta suo calori; & ideo formatur fulgur, quod movetur de superiori camera usque ad inferiorem, recuperando suas partes ab aliis elementis, *sicut E. I. N. ex R. privando suam figuram, & dissolvendo suam materiam, quælibet species recuperat ex R. suas cameras.*

57. *Quæstio.* Quid sit tonitruum?

Solutio. [E.E.] [I.I.] [N. N.] [R.R.] [E.I.] [E.N.] [E.R.] [I.N.] [I.R.] [N.R.]. Ad ostendendum, quid sit tonitruum, oportet, quòd F.G. moveantur per istam figuram, & per triangulum viridem, rubeum & croceum, ut percipiant in figura motum, quem tres prædicti trianguli habent *in elementali figura*; quo motu tonitruum generatur, & hoc propter motum & impulsionem violentam ventorum & *sedecim camerarum figuræ aëris:* & iste talis motus & impulsio fiunt *quadraginta duobus modis* in elementali figura, quorum *duodecim* sunt in longitudine, & *duodecim* in altitudine respectivè ad inferioritatem, & *octodecim* in angulis; quorum octodecim *tres* sunt aëris, & *duo* ignis, *duo* aquæ, & *tres* terræ, & *quatuor* aëris & aquæ, & *quatuor* ignis & terræ. Unde, quando iste talis motus est maximus, tunc cameræ moventur in tantum & tam diu aliæ contra alias, quærendo suum locum & suam intentionem, quousque aër facit tumultum, qui est tonitruum; & propter maximam impulsionem consumitur humiditas, & generantur calor & siccitas, ex quibus generatur fulgur, quod movetur secundùm locum, ad quem impellitur, & fugit hujusmodi impulsionem: *unde hæc figura est necessaria Theologo atque Physico.*

58. *Quæstio.* Quomodo generatur ventus?

Solutio. [F.G.T.]. [ℵ.] [ו.] [T.] [ר.] [ש.] [ת.]. Oportet F. G. moveri per *elementalem figuram* ita, quòd F. recolat, & G. intelligat illud, quod significatur per prædictas figuras secundùm triangulum viridem, rubeum & croceum, & hoc propter ponderositatem, quam fugit aër sub illa: unde primæ tres cameræ sunt contiguæ cum superficie terræ, & situs ipsarum figurarum est grossa materia, quæ onerat aërem, qui non est tam grossæ materiæ; & tres posteriores cameræ sunt in aëre; & ideo sunt venti in summitate montium & in aëre frequentiùs, & non in terra; & tertia & ultima camera sunt cameræ, in quibus incipiunt venti scilicet à linea, quæ movetur superiùs, & à linea stante recta in summitate & in inferioritate; & quilibet ventus habet contrarium motum alteri in longinquitate, vel in propinquitate.

59. *Quæstio.* Quomodo generantur pluvia & nubes?

Solutio. [F.G.T.] [E.A.V.Y.] [I.V.Z.] [E.I.N.R.]. Ad cognoscendum causam, quâ generantur pluvia & nubes, oportet, quòd F. G. ingrediantur *secundam figuram ipsius T. & figuram aquæ*, & sumant significationes camerarum, prout in hac figura significant secunda, tertia & quarta camera: quia sicut E. I. moventur ad suam majoritatem, sic ignis & aër in tertia & infima linea moventur ad suam majoritatem, quando aër ascendit ad secundam lineam, & ignis ad supremam; & quia aqua & terra, quæ sunt in suprema linea & in secunda, appetunt suum locum, moventur ad suam majoritatem, sicut E. I.; & ideo dissolvitur vapor, qui ascendit, & qui est compositus in nubibus: *& sicut E. I. N. recuperant suas partes ex R. privando ipsum, sic pluvia generatur, quando vapor & nubes dissolvuntur, & quodlibet elementum quærit suum locum, & unum contrariatur alteri in suo loco.*

60. *Quæstio.* Quomodo glacies & nix generantur?

Solutio. [F.G.T.X.] [E.X.]. Oportet, quòd F. G. ingrediantur *elementalem figuram in figura aquæ*, & postea in X. recipiant significationes ostensas à secunda camera, quibus inquirunt in ipso T. nivem & glaciem secundùm secundam cameram & *decimum sextum modum:* quia sicut E. plùs accedit ad habendam cognitionem de prædestinatione per primam figuram, quàm per secundam, sic aqua accedit in tantum ad suam simplicitatem, quando est in superiori linea, quòd tunc generetur nix habens multò majorem partem ex aqua, quàm ex aliquo aliorum elementorum; & quia nix generatur in aëre, qui est humidus & calidus, & glacies in aqua, quæ est frigida & humida, ideo glacies est frigidior, quàm nix; & aqua est propinquior suæ naturæ simplici in glacie, quàm in nive: unde sicut fulgur generatur, eò quòd ignis accedit plùs ad suam simplicitatem in eo, quàm ad aliam speciem, sic aqua accedit plùs in glacie ad suam simplicitatem, quàm ad aliam speciem. Et sic est finis istius Artis Compendiosæ.

De Regulis Artis Compendiosæ inveniendi veritatem, & primò.

De Figura S.

Sciendum est, quòd per S. intelligatur Anima Rationalis, cujus *Species* in hac Arte sunt E. I. N. R.; *Individua* autem sunt B. C. D. de E. prima specie, & F. G. H. de I. secunda specie, & K. L. M. de N. tertia specie, & O. P. Q. de R. quarta specie.

Prædictæ species sunt potentiæ Animæ diversimodè accipientes objecta sub affirmatione, vel negatione, vel dubitatione in cæteris figuris, quæ sunt T. A. V. X. Y. Z. Finalis intentio ipsius S. in ista Arte sunt cameræ [E. T. A. V. X. Y.] [I. V. Z.] [M. A. V. Y.]

Secundùm respectum unius speciei ad alteram species E. est propter primam intentionem, & I. N. R. propter secundam; & I. est propter primam, & N. R. propter secundam; & N. est propter primam, & R. propter secundam.

Sciendum est, quòd quælibet harum potentiarum Animæ, seu diversa consideratio potentiarum, quæ dicuntur species, utitur alterâ, seu movet illam in inquirendo; sed maximè E. movet cæteras; E. verò movetur causâ accipiendi objecta figurarum hujus Artis; I. movetur causâ serviendi ipsi E.: N. movetur, ut possit converti in E., vel I.: R. aliquando movetur componendo species E. I. N., aliquando eas dissolvendo.

Figuræ ipsius S. sunt *septem;* quia S. est figura circularis habens quatuor quadrangulos, qui dant *quatuor figuras*, quæ sunt E. I. N. R., præter *primam figuram.* Individua autem prædictarum figurarum constituunt *sextam figuram:* sed *septima figura* est composita de omnibus speciebus. *Istæ septem figuræ significant modum, secundùm quem prædictæ species accipiunt objecta in figuris de T. A. V. X. Y. Z.*

In principio, quando volo facere, vel scire quæstionem, pono S. in figura de A. Y. Z., vel in figura de A. T. V. X.; & deinde descendo ad individua de T. A. V. X., ut inveniam Y. Z., scilicet veritatem & falsitatem.

Quando S. habet complementum ad faciendum vel solvendum quæstionem, incipit cum E., vel cum I.; quando verò non habet complementum, incipit cum M., quod diligit Y., movendo F. G. per T. A. V. X.; & quando S. invenit Y. Z., componitur cum H., quod odit Z., ut D. diligat Y.

Principia magis necessaria ipsi S. sunt primò A., & postea T., & postea X., & ultimò V.; *quia, secundùm quod gradus superiores sunt majores, ita demonstrationes sunt magis necessariæ.* Figuræ *agentes* in hac Arte sunt S. T., *patientes* verò per modum objecti sunt A. V. X. Y. Z.

Movetur F. G. per cameras cæterarum figurarum absque H.; quia E. inquirit Y. cum F. G., & quia F. G. interdum moventur à fortuna.

Modi sedecim generales, & triginta speciales, & sexaginta quæstiones sunt in ista charta, ut S. per similes modos possit solvere alios modos & alias quæstiones. Cameræ verò, quæ sunt in quæstionibus & in modis, sunt compositiones specierum, vel individuorum, vel dictionum significantium solutionem quæstionis: primæ dictarum camerarum sunt *antecedentes*, posteriores sunt *consequentes.*

Quando tento disputantem vel mecum loquentem, quærendo, per quam speciem ipsius S. moveatur, hoc ideo fit, ut sciam, quæ species in ipso dominetur, & sciam eum mutare in aliam speciem, vel in eadem conservare. Si ille, qui objicit, incedit per I. Y., vel per E. Z., debeo concordare in alio objecto meum D. cum suo D. per A., vel per T., vel per X., vel per V.; & propter hanc concordantiam alterabo suum I. in E., & E. primum in I.

Modi ipsius S. accipiendi objecta sunt *duo*, scilicet interdum *grosso modo*, & interdum *subtili modo.*

C. accipit objectum *tripliciter; primò* simpliciter, *secundò* componendo unum cum altero, vel dissolvendo unum ab altero, *tertiò* accipiendo unum objectum ab altero.

De Figura T.

T. In hac Arte est *Figura principiorum* vel *significationum*, & habet suas species, quæ sunt quinque trianguli contenti suâ figurâ circulari.

Triangulus lividus est de *Deo, creaturâ & operatione*, in quibus oportet quòd omnis quæstio vel solutio accipiat principium in aliqua vel in aliquibus speciebus angulorum ipsius trianguli.

Triangulus viridis significat, quòd omnis res est *differens, concordans*, vel *contrarians* secundùm species angulorum cum altera re; S. verò ex hoc triangulo accipit principia ad demonstrandum cæteros triangulos, vel ad demonstrandum cameras de T. A. V. X. secundùm differentiam, vel concordantiam, vel contrarietatem.

Triangulus rubeus significat sive est de *principio, medio & fine*, cum quo in suis angulis S. componit principium, medium & finem in aliis triangulis, vel in aliis figuris.

Triangulus croceus est de *majoritate, æqualitate & minoritate*; cum quo triangulo S. in suis angulis mensurat suas species & species angulorum ipsius T. & cameras figuræ elementalis & aliarum figurarum ideo, ut majoritas possit attribui ipsi A., & ut S. possit in venire majus, quod est similius ipsi A., dando Y. ipsi E., & Z. ipsi I.

Triangulus niger est de *affirmatione, dubitatione & negatione* per cæteros triangulos de T. & per alias figuras, cum quo S. experitur seu tentat affirmando, dubitando, vel negando alios triangulos & alias figuras, ut sciat affirmare, vel negare per species angulorum ipsius trianguli nigri compositorum cum aliis triangulis & figuris.

Figura ipsius T. est *duplex: una* circularis composita de dictis triangulis; *alia* de quatuor figuris elementalibus. Figura elementalis significat in hac Arte operationem ipsorum A.T.V.X.Y.Z.; *quia, sicut elementa operantur naturaliter, ita S. per simile in illis accipit demonstrationem in figuris istius Artis*, loquendo metaphoricè cum illo, qui objicit, ut in illo simili convenienter possim habere meum propositum de ipso in cæteris figuris.

Quatuor gradus sunt in qualibet figura elementalis figuræ, ita, quòd in figura ignis in inferiori linea est primus gradus, in sequenti secundus, & sic deinceps: & idem est in aliis figuris secundùm qualitatem eis competentem; quando autem fit æqualitas sive concordantia in dictis gradibus, calor ignis in tertio gradu correspondet humiditati aëris in quarto gradu, & hoc propter nobilitatem ignis; & idem est de frigiditate aquæ & calore ignis; calorem autem ignis in primo gradu facio æqualem siccitati terræ in tertio gradu, & hoc est propter nobilitatem ignis: & idem est in aliis secundùm majorem nobilitatem, vel minorem. Camera verò superior in figura ignis est simplex, cæteræ sunt compositæ: & idem est in aliis figuris. Appetitus naturalis simplicis cameræ ignis & cæterarum simplicium camerarum aliarum figurarum est simplex conjunctio, quam materia & forma simplices ostendunt & sequuntur. Appetitus naturalis in compositis cameris est conjunctio composita, cum qua materia & forma compositæ participant. Cameræ simplices movent compositas; quia simplices habent appetitum naturalem, compositæ verò accidentalem secundùm comparationem camerarum simplicium. Qualiter trianguli ponuntur in ista figura, invenitur in *Lectura*.

Descensus universalium rerum ad particulares & ascensus particularium ad universales fit mediante T., & hoc sic, scilicet ponendo triangulum viridem inter particulares & universales, discurrentibus F. G. per angulos ipsius T. & per cameras ipsorum A.V.X.Y.Z., ut S. possit cum C. ascendere ad universalia, & cum ipso descendere ad particularia; per eundem triangulum datur universale particulari, & particulare universali.

Quæstio. Quare diversis opinionibus attribuuntur diversæ sententiæ?

Solutio. Quia majus & minus concordant in rebus diversis, in quibus non est contrarietas; contrariis autem opinionibus dantur contrariæ sententiæ; quia majus & minus contrariantur in rebus diversis, in quibus non est concordantia.

Duæ sunt species demonstrationis: *una* est per principia per se nota & probata, *alia* est per principia probata per alia; & hæc calumniatur, quousque prima principia sint probata.

Quæstio. Quare in qualibet quæstione fit probatio prò & contrà?

Solutio. Propter hoc, ut mensuretur quælibet objectio cum triangulo croceo, & quòd detur id, quod majus est, ipsi E., & quod minus est, ipsi I., & æquale dubitationi.

De

De Figura A.

A. Est figura significans Deum; hujus autem figuræ cameræ sunt illæ, quæ scriptæ sunt in sua figura; lineæ lividæ extensæ ab una camera ad aliam significant, (ut ita loquar) compositionem unius cameræ cum alia.

Quæstio. Quid significat compositio camerarum?

Solutio. Significat, quomodo S. dirigitur in suis speciebus ad inveniendum Y. per demonstrationem concordantiæ & æqualitatis in cameris sinè contrarietate unius cameræ ad aliam, licèt secundùm respectum creaturarum per unam creaturam, vel unam operationem fortiùs significetur una camera, quàm alia.

Hæc figura est *triplex: prima* est, quando intelliguntur cameræ essentialiter; *secunda*, quando intelliguntur personaliter & relativè respectu Personarum divinarum; *tertia*, quando intelliguntur respectu ad creaturas secundùm rationem.

Quæstio. Qualiter diriguntur species S. ad inveniendum Y. per cameras ipsius A.?

Solutio. Accipiendo S. objecta & cameras aliarum figurarum super cameras ipsius A., affirmando semper majus in A., & negando minus, & concordando majus cum esse, & minus oppositum majori cum privatione.

A. cognoscitur cum inferiori seu creato bono; quia, si bonum inferius haberet aliquid, propter quod esset summum bonum, sequeretur necessariò, illud esse in A., quod est summum bonnm.

Quæstio. Quare A. plùs potest, quàm creatura recipiat?

Solutio. Quia sua operatio est infinita, & quia habet majorem possibilitatem, quàm inferius bonum; aliàs haberet virtutem finitam: & ideo plùs potest sumum bonum facere cum se ipso in bono inferiori, quàm cum alia re.

Si verò non potes concordare cameras ipsius A. cum creatura, secundùm quod disconveniunt cum illa in prima & secunda figura ipsius X., debes attribuere ipsi A. id, quod majus est, & creaturæ, quod minus est, & concordare cameras per ipsasmet, vel per quartam figuram ipsius X., & respuere illam contrarietatem, quæ est inter tertiam figuram ipsius A. & quartam ipsius X.

Quæstio. Quare demonstrationes de A. calumniantur per negationem, concordantiam & minoritatem; cùm affirmatio & concordantia conveniant cum majoritate?

Solutio. Propter hoc, ut demonstrationes sint credibiles ipsi M. per fidem, ut meritum & gloria sint in illis, qui non habent principia demonstrationum.

Privatio & Z. attribuuntur rei, quæ minùs similis est A.; esse verò & Y. attribuuntur rei, quæ magìs similis est ipsi A.

Quæstio. Quare duæ res sunt oppositæ?

Solutio. Ideo, quia A. & esse & Y. & majoritas concordant; sed privatio & Z. & minoritas conveniunt.

Cameræ ipsius A. ostenduntur majores in Fide Christianorum, quàm in aliis sectis infidelium; quia, quod ipsi de nobilitate attribuunt dictis cameris, totum attribuunt Fideles, & plùs, quàm infideles possunt attribuere secundùm ipsorum credulitatem.

A. & suæ cameræ ostenduntur per S. T. V. X. Y. Z.; quia per convenientiam vel inconvenientiam principiorum est demonstrabilis convenientia, quæ est inter A. & suas cameras. Si A. non ostenderet ita efficaciter suas cameras, A. esset oppositum illis, & esse & majoritas concordarent cum privatione & minoritate.

Quæstio. Per quam relationem magìs cognoscuntur Trinitas & Incarnatio?

Solutio. Per operationem, quæ est intra ipsum A., vel etiam extra A.

Quæstio. Quare triangulus rubeus non est in A.?

Solutio. Hoc cognoscitur per principium creatum, & per medium conservatum, & per finem perfectum per ipsum A.; quia, sicut creatura non dat sibimet ipsi principium, ita nec habet perfectionem de se, scilicet finem. Principia magìs dirigentia in ista figura sunt *majoritas, inconvenientia & impossibilitas*.

De Figura V.

V. Est figura significans compositionem virtutum & vitiorum, quæ sunt in cameris, seu quæ possunt derivari ab illis; *lineæ lividæ* significant compositionem virtutum, & *rubeæ* vitiorum: fit autem compositio *tripliciter*, scil. vel virtutum ad invicem, vel vitiorum ad invicem, vel virtutum & vitiorum simul; & hoc ideo, ut inquiratur, quid significent per concordantiam, vel per contrarietatem. In hac figura dirigitur Anima magìs cum figura T.; & hoc ideo, quia est de pluribus composita: unde, quando principia V. non sufficiunt, recurrendum est ad principia de T. A. X. Y. Z.

V. inquiritur in me, in te, & in illo; & in me ipso habetur major notitia; quia actus meæ Animæ sive ipsius S. sunt magis intimi mihi, quàm alteri.

Mortificantur vitia sive V. rubeum, & vivificantur virtutes sive V. lividum cum speciebus S. & cum objectis nobilioribus.

Cùm tibi ab aliquo fit falsa oppositio, affirmes eam, ut facias ipsum judicare contrarium propter inconvenientiam, quæ sequeretur.

Majoritas in V. cognoscitur comparando illud cum esse, quod excellit, & est majus in V. livido, & dando privationem ei, quod est majus in V. rubeo.

Quando deficit tibi responsio, facias aliquam figuram à fortuna; & si illa est in Z., ars significabit tibi oppositum; vel lege Regulas de S.T.A.V.X.; si autem fit tibi quæstio de Astronomia, vel de alia scientia, quam ignoras, quære solutionem in terminis hujus Artis; & si non invenis, quære significationem quæstionis, & vide per terminos hujus Artis, utrùm sit in Y., vel in Z.; quia ista Ars est sufficiens, si utitur aliis artibus propter finem, ad quem sunt.

De Figura X.

X. Est figura composita *de quatuor figuris*; & *prima* est composita de Sapientia & Perfectione, & *secunda* de Justitia & Perfectione, *tertia* de Dubitatione, *quarta* est Determinativa.

Officium hujus figuræ in hac Arte est, quòd det objecta ipsi S. per *Oppositа Relativa* & *Composita*. *Relativa* autem hujus sunt sapientia ignorantia, esse & privatio, & hujusmodi; *Composita* sunt sapientia perfectio prædestinatio, & suum oppositum in theorica, scilicet justitia perfectio & liberum arbitrium, & sic de aliis: tamen in quarta figura non opponuntur; quia practica & quarta figura conveniunt.

Significata primæ figuræ sunt principia, per quæ facio oppositionem contra secundam figuram; sed secunda figura significat principia, per quæ oppono contra primam: tertia figura significat dubitationem de affirmatione & negatione in prima & secunda figura: quarta figura est mensuratio primæ & secundæ figuræ ad inquirendum, quæ duarum conveniat cum majoritate, dando, quod majus est, ipsi esse seu enti, & quod minus est, privationi.

Quæstio. Quomodo attribuitur ipsi esse, quod majus est?

Solutio. Dando ipsi S. pro objectis T. A. V. X. Y. Z., attribuendo ipsi A., quod majus est, componendo cameras de T. A. V. X. Y. Z.: quando autem principia, quæ sunt in X., tibi non sufficiunt, recurre ad principia, quæ sunt in aliis figuris.


Dirigitur autem homo ex hac figura ad Theologiam, ad Logicam, ad Naturalia (Philosophiam) ad Medicinam, ad Jus, & ad alias scientias; & hoc metaphoricè, secundùm quod metaphoricè figura elementalis applicatur aliis scientiis.

Quoniam X. significat in ista Arte secundùm expositionem literalem scilicet contraria vel concordantia, quæ opponuntur, vel conveniunt cum medio, vel sinè medio; & quia ferè omnis scientia per ista duo decurrit, ideo est nomen conveniens, quòd X. sit *Figura contrariorum & concordantium*; sed metaphoricè vocatur *Figura Prædestinationis*: hæc figura magis apprehenditur sub principiis de A. & de T.; & hoc ideo, quia habent principia magis necessaria.

De Figura Y. & Z.

Y. Est veritas, & Z. est falsitas; officium eorum est in hac Arte, ut sint objecta ipsi S. ad faciendum vel dissolvendum quæstiones, quando S. inquirit concordantiam, quæ est inter possibilitatem & convenientiam; & concordantiam, quæ est inter impossibilitatem & inconvenientiam. *Inquisitio hujus fit dando inconvenientiam & impossibilitatem pro principiis possibilitati & convenientiæ, & dando convenientiam & possibilitatem pro principiis impossibilitati & inconvenientiæ, concordando T. cum esse & cum majoritate & cum E., & concordando Z. cum privatione & cum minoritate & cum I.*

Hæc Charta est facta ad modum crucis ad honorandum, venerandum, demonstrandum & significandum Crucem, per quam Veritas est recreata: *quia nulla forma artificialis est tam similis formæ naturali, sicut beatissima CRUX.*



(o)

Sequuntur nunc Definitiones Principiorum Artis Compendiosæ Inveniendi Veritatem & primò.

Definitiones Principiorum Figuræ A.

1. Bonitas est Ens, ratione cujus bonum agit bonum; & ideo bonum est esse, & malum est non esse.
2. Magnitudo est Ens, per quod Bonitas, Magnitudo, Duratio &c. sunt magnæ, ambiens omnes extremitates essendi.
3. Æternitas vel Duratio est id, per quod Bonitas, Magnitudo, Potestas &c. durant.
4. Potestas est id, per quod Bonitas, Magnitudo &c. possunt existere & agere.
5. Sapientia est Proprietas, per quam Sapiens intelligit.
6. Voluntas seu Amor est id, per quod Bonitas, Magnitudo &c. sunt amabiles & desiderabiles.
7. Virtus est Origo Unionis Veritatis, Bonitatis, Magnitudinis & aliorum principiorum subjecti.
8. Veritas est id, per quod Bonitas, Magnitudo &c. sunt veræ.
9. Gloria est illa Delectatio, in qua Bonitas, Magnitudo & alia principia quiescunt.
10. Perfectio est illa Forma, cui propriè competit perficere.
11. Justitia est Virtus, cum qua Justus justè agit.
12. Largitas est illa Proprietas, per quam propriè competit largiri.
13. Misericordia est Virtus, per quam indulgentur culpæ, & dantur dona.
14. Humilitas est Virtus, quæ facit inclinare res nobiliores ad minùs nobiles.
15. Dominium est Proprietas, per quam Dominus est Dominus, & habet Dominium.
16. Patientia est Virtus, cum qua Patiens patienter agit.

Definitiones Principiorum Figuræ T.

1. Deus est illud Ens, in quo Bonitas, Magnitudo, Æternitas & aliæ Dignitates Dei convertuntur in eodem numero.

Unitas est illa Forma, cui propriè competit unire.

Trinitas est Distinctio trium ejusdem Essentiæ.

2. Creatura est illud Ens, quod habet esse post non esse.

Creatura Sensualis est illa, quæ habet esse & operari sensualia.

Creatura Intellectualis est illa, quæ habet tantùm esse intellectuale.

Creatura Animalis est illa, quæ est composita de anima rationali & corpore.

3. Operatio est illud Ens, per quod Operans operatur operatum.

Operatio Intellectualis est id, per quod intellectuales intellectualiter operantur.

Operatio Naturalis est id, per quod agens naturale naturaliter operatur.

Operatio Artificialis est id, per quod artificialiter operatur.

4. Differentia est id, per quod Bonitas, Magnitudo &c. sunt Rationes inconfusæ sive claræ.

Differentia Sensualis est id, per quod Entia sensualia sunt clara & inconfusa.

Differentia Sensualis & Intellectualis est id, per quod res simul sensuales & intellectuales differunt.

Differentia Intellectualis est id, per quod res intellectuales sunt claræ & inconfusæ.

5. Concordantia est id, per quod Bonitas, Magnitudo &c. in uno & in pluribus concordant.

Concordantia Sensualis est id, per quod res sensuales sensualiter concordant.

Concordantia Sensualis & Intellectualis est id, per quod res sensuales & intellectuales simul concordant.

Concordantia Intellectualis est id, per quod res intellectuales intellectualiter concordant.

6. Contrarietas est id, per quod diversi fines adinvicem contrariantur.

Contrarietas Sensualis est id, per quod res sensuales sensualiter contrariantur.

Contrarietas Sensualis & Intellectualis est id, per quod sensualia & intellectualia simul contrariantur.

Contrarietas Intellectualis est id, per quod intellectualia intellectualiter contrariantur.

7. Principium est id, quod est ante omnia ratione alicujus prioritatis.

Principium Efficiens est id, per quod Efficiens principiat suum effectum.

Principium Formale est id, quod est ante omnia ratione informandi.

Principium Materiale est id, quod est ante omnia ratione patiendi.

Principium Finale est id, quod est ante omnia ratione finaliter perficiendi.

Quantitas est Principium, ratione cujus subjectum est quantum, & agit quantum.

Qualitas est Principium, ratione cujus entia sunt qualia.

Relatio est Principium indicativum indicans necessariam pluralitatem.

Actio est Principium, cum quo Agens agit in passo.

Passio est Principium, ratione cujus Patiens patitur sub agente.

Habitus est Principium, quo res induitur.

Situs est Principium indicans assituationem entium.

Tempus est Principium, in quo entia creata sunt incepta & nova.

Locus est Principium, per quod entia sunt collocata.

8. Medium est Subjectum, per quod Finis influit Principio suam similitudinem, & Principium illam refluit Fini.

Medium Conjunctionis est id, per quod plura conjunguntur ad unum finem.

Medium Mensurationis est Subjectum, in quo ea, quibus est Medium, mensurantur.

Medium Extremitatum est id, quidquid clauditur inter extrema.

9. Finis est id, in quo Principia quiescunt.

Finis Perfectionis est id, in quo entia naturaliter perficiuntur.

Finis Terminationis est id, in quo entia terminantur.

Finis Privationis est id, in quo entia fine privantur.

10. Majoritas est Imago Immensitatis Bonitatis, Magnitudinis, Æternitatis & aliarum Dignitatum.

Majoritas Substantialis est id, per quod quædam Substantiæ sunt majores, quàm aliæ, substantialiter.

Majoritas Substantialis & Accidentalis est id, per quod quædam Entia substantialia & accidentalia sunt majora, quàm alia.

Majoritas Accidentalis est id, per quod quædam Entia accidentalia sunt majora, quàm alia.

11. Æqualitas est Subjectum, in quo quiescit finis concordantiæ Bonitatis, Magnitudinis &c.

Æqualitas Substantialis est id, per quod Substantiæ substantialiter sunt æquales.

Æqualitas Substantialis & Accidentalis est id, per quod substantialia & accidentalia æquantur.

Æqualitas Accidentalis est id, per quod Accidentia accidentaliter æquantur.

12. Minoritas est Ens propè non esse.

Minoritas Substantialis est id, per quod quædam substantiæ sunt propè non esse.

Minoritas Substantialis & Accidentalis est id, per quod quædam substantiæ & accidentia sunt minora, quàm alia.

Minoritas Accidentalis est id, per quod entia accidentaliter sunt minora.

13. Affirmatio est Ens indicans esse.

Affirmatio Entis est id, per quod affirmans affirmat, quod est.

Affirmatio Non Entis est id, per quod affirmans affirmat, quod non est.

Affirmatio Possibilis vel Impossibilis est id, per quod affirmantur Entia possibilia vel impossibilia.

14. Dubitatio est Actus confusus Affirmationis & Negationis.

Dubitatio Entis est id, per quod dubitatur de Entibus.

Dubitatio Non Entis est id, per quod dubitatur de Non Entibus.

Dubitatio Possibilis vel Impossibilis est id, per quod dubitatur de Entibus possibilibus vel impossibilibus.

15. Negatio est Ens indicans non esse.

Negatio Entis est id, per quod negatur, quod est.

Negatio Non Entis est id, per quod negatur, quod non est.

Negatio Entis Possibilis vel Impossibilis est id, per quod negantur Entia possibilia vel impossibilia.

Definitiones Principiorum Figuræ V.

1. Fides est Virtus à Deo data, ut per ipsam credamus id, quod per intellectum non possumus intelligere.

Spes

2. Spes est Habitus, cum quo aliquis sperat, à Domino dari veniam & gloriam.

3. Charitas est illa Virtus, per quam Charitativus charitativè agit.

4. Justitia est id, cum quo Justus justè agit.

5. Prudentia est Virtus, per quam bonum diligitur, & malum evitatur.

6. Fortitudo est Virtus, cum qua Fortis fortiter & viriliter agit.

7. Temperantia est Virtus, cum qua Temperatus temperatè utitur in agente.

8. Abstinentia est Refrenatio voluntatis.

9. Castitas est Virtus, cum qua Castus castè agit contra luxuriam.

10. Largitas est illa Virtus, quæ plùs contrariatur avaritiæ, quàm aliqua alia virtus.

11. Diligentia sive Fervor boni est illa Virtus, per quam homo est fervens operando bonum contra acediam.

12. Humilitas est Virtus, quæ magis resistit superbiæ, quàm aliqua alia virtus.

13. Fidelitas est illa Virtus, cum qua homo est fidelis sive legalis contra invidiam.

14. Patientia est Virtus, cum qua Patiens vincit & non vincitur.

15. Gula est Habitus, cum quo Gulosus est incarceratus imposterum, & in infirmitate positus.

16. Luxuria est Habitus, cum quo homo utitur suis potentiis indebitè contra Matrimonium.

17. Avaritia est Peccatum devians bona à fine, propter quem ipsa sunt.

18. Acedia est Habitus, cum quo Acediosus condolet de bonis alterius, & gaudet de malis illius.

19. Superbia est Peccatum, per quod aliquis desiderat ascendere in honorem, & per quod inferiùs stat in honore.

20. Invidia est Peccatum, cum quo Invidus appetit habere aliena sinè ratione.

21. Ira est Habitus, cum quo Iratus ligat suam deliberationem & libertatem.

22. Infidelitas seu Incredulitas est id, per quod Incredulus seu Infidelis discredit veritatem de Deo.

23. Desperatio est Habitus, cum quo Desperatus desperat de misericordia Dei.

24. Odium est Habitus, cum quo Odiens odit charitatem & illa, quæ sunt de genere charitatis.

25. Injuria est Habitus, cum quo Injuriosus injuriosè utitur contra justitiam.

26. Imprudentia est id, cum quo Imprudens est contra prudentiam.

27. Fragilitas est id, cum quo Fragilis est contrarius fortitudini.

28. Intemperantia est Vitium, cum quo Intemperatus intemperatè utitur.

Definitiones Principiorum Figuræ X.

1. Sapientia est illa Dignitas, per quam Deus perfectè intelligit sinè aliqua ignorantia.

2. Prædestinatio est scire Dei, qui scit, qui homines salvabuntur vel damnabuntur.

3. Perfectio est id, per quod Entia sunt perfecta.

4. Meritum est id, per quod acquiritur Remuneratio, quâ regnum cœlorum promittitur.

5. Potestas est id, per quod Bonitas, Magnitudo &c. possunt existere & agere.

6. Gloria est illa Delectatio, in qua quiescunt Bonitas, Magnitudo & alia Principia.

7. Esse est Finis Essentiæ.

8. Scientia est Habitus Intellectûs, in quo intellectus per intelligere est sanus, & per ignorantiam est in labore.

9. Justitia est Virtus, cum qua Justus justè agit.

10. Liberum Arbitrium est Electio Voluntatis, quæ supponit facere bonum vel malum.

11. Defectus est Habitus, cum quo Deficiens deficit contra perfectionem.

12. Culpa est Vitium, cum quo res existunt culpabiles.

13. Voluntas est id, per quod Bonitas, Magnitudo &c. sunt amabiles & desiderabiles.

14. Pœna est Consequentia peccati.

15. Privatio est illarum rerum, quæ fiunt in suo non esse.

16. Ignorantia est Habitus privativus scientiæ.

Definitiones Figuræ Veritatis & Falsitatis.

Veritas est id, quod est verum de Bonitate, Magnitudine &c.

Falsitas est Habitus, cum quo Falsus agit contra veritatem.

Definitiones XVI. Modorum generalium.

MOdus est Figura Ordinis & Dispositionis. Vel sic : Modus est communis Ordo Actuum & Rationum.

1. Intentio est illud Instrumentum, cum quo finis principiorum ea principia sibi ipsi habet.

Prima Intentio est id, quod se habet ad finem sui ipsius.

Secunda Intentio est id, quod se habet ad finem primæ.

2. Disputatio est Contrarietas spiritualis, quæ per verbum manifestat conceptionem, quam unus intellectus habet contra alium.

3. Significatio est Revelatio Secretorum demonstratorum cum signo.

4. Actus est Connexio potentiæ & objecti.

Potentia est illud Subjectum, in quo existunt entia, quæ possunt reduci in actum.

5. Sensualitas est illa Forma, per quam sensuale sentit & potest sentiri.

Intellectualitas est Proprietas, per quam res sunt intelligibiles, & differunt à Sensualibus.

6. Substantia est Ens per se existens.

Accidens est Ens non per se existens, nec principaliter se habet ad suum finem.

7. Oratio est Forma, cum qua Orans sanctificè loquitur Deo.

8. Sapientia est id, per quod Sapiens intelligit.

Ignorantia est id, per quod Ignorans ignorat.

9. Majoritas est Imago Immensitatis Bonitatis, Magnitudinis, Æternitatis & aliarum Dignitatum Dei.

Minoritas est Ens propè non esse.

10. Contrarietas est quorundam mutua Resistentia propter diversos fines.

11. Positio est Suppositio, per quam intellectus supponit, ut possit intelligere.

Necessitas est Forma, quæ aliter se non potest habere.

12. Causa est id, per quod est Effectus.

Occasio est Instrumentum causæ & effectûs.

Fortuna est id, quod evenit à casu sinè ordinatione mentis.

13. Conversio est Forma, per quam res convertuntur.

Perversio est contrarius Actus Conversionis, in quo entia pervertuntur.

14. Libertas est Proprietas, per quam subjectum est liberum, & liberè agit bonum, & liberè evitat malum.

Coactio est Restrictio voluntatis contra ejus libertatem.

15. Expositio est Forma, cui propriè competit exponere.

16. Affirmatio est Vocabulum, quod significat ostensivam necessitatem.

Negatio est Ens, cum quo Negans negat possibile vel impossibile.

Dubitatio est confusus Actus intellectûs, ut possit habere habitum credulitatis.

Determinatio est certa Manifestatio dubiorum.

Definitiones XXX. Modorum Specialium.

1. ADjutorium est Actus fortis, qui subvenit debili, ut debilis possit obtinere suum optatum.

2. Societas est Vicinitas, in qua homines habent concordantiam propter aliquem finem.

3. Assuescere sive Consuetudo est quidam frequens Habitus, in quo homines per virtuosum agere faciliter quiescunt.

4. Concordantia est id, ratione cujus Bonitas, Magnitudo, Duratio &c. in uno & in pluribus concordant.

5. Confessio est voluntarius Concessus veritatis ad honorandum Deum.

6. Consolatio est id, quod dat Remedium alicujus gravaminis per aliquam satisfactionem.

7. Consilium est dubitabilis Propositio, Consultum autem est sua quies.

8. Donum est id, quod liberaliter & gratanter per alterum alicui est donatum.

9. Dirigere est Actus Directionis, & Directio est id, ratione cujus Dirigens dirigit ignorantem vel deviatum ad finem.

10. Eligere est Actus Electionis, & Electio est Assumptio alicujus rei per majoritatem finîs super minoritatem.

11. Festare est Actus Festi sive Festivitatis, & Festivitas est illa Solennitas, in qua homo cum suis potentiis objectando quiescit.

12. Honor est illa Virtus, quæ exaltat Honorantem, cùm honorat majorem se. Vel:

Honor est illa Virtus, quæ ostendit nobilitates honorantis minorem se.

13. Incipere est Actus Inceptionis, & Inceptio est illud principium, quod disponit medium, ut sequatur finis.

14. Inquirere est Actus Inquisitionis, & Inquisitio est Investigatio alicujus rei propter aliquem finem.

15. Intellectus est Potentia, per quam Entia sunt intelligibilia.

16. Judicare est Actus Judicis, & Judex est illa communis Persona pluribus, ut det unicuique, quod suum est.

17. Laus est Manifestatio Virtutis alicujus boni entis.

18. Memoria est Potentia, cum qua entia sunt recolibilia.

19. Motus sive movens est illud Ens, quod movet entia de potentia ad actum.

Motus Ordinalis est Processus Ordinalis seu naturalis de potentia per habitum ad actum.

20. Mortificatio est Depressio potentiæ, quæ se elevat contra finem.

Vivificatio est Exaltatio potentiæ, quæ concordat cum fine.

21. Perfectio est id, in quo completur finalis Intentio agentis.

22. Precatio est Forma, cum qua Deprecans deprecatur deprecatum.

23. Prædicatio est Forma, cum qua Prædicator informat populum ad habendum bonos mores, & ad evitandum malos. Vel aliter : Prædicatio est Forma, cum qua Prædicator reducit errantes ad viam veritatis, demonstrans eis benè vivere.

24. Recursus sive Refugium est id, in quo desolatus invenit suam consolationem.

25. Regimen est illa Forma, quâ communis Persona est constituta ad dirigendum plura secundùm finem.


26. Regratiatio est Recognitio beneficii susceptì cum laude.

27. Salvatio hominis est æviterna Quies. Vel : Salvatio est Finis Creationis.

28. Sanitas est Concordantia propriarum qualitatum & appropriatarum secundùm finem : & Infirmitas est Degradatio propriarum qualitatum & appropriatarum.

29. Tentatio est Forma, cum qua quis inquirit inclinationem sui vel alterius, ut sequatur finis.

30. Voluntas est id, per quod Bonitas, Magnitudo &c. sunt amabiles & desiderabiles.



Tr. L. 2. F 9

Figura Universalis.




FIGURA T

Deus creat	creat opera	opera differ	differ conc	conc contr	contr princi	princi medi	medi finis	finis major	major æqual	æqual mino	mino affirm	affirm dubit	dubit negat
Deus opera	creat differ	opera conc	differ contr	conc princi	contr medi	princi finis	medi major	finis æqual	major mino	æqual affirm	mino dubit	affirm negat	
Deus differ	creat conc	opera contr	differ princi	conc medi	contr finis	princi major	medi æqual	finis mino	major affirm	æqual dubit	mino negat		
Deus conc	creat contr	opera princi	differ medi	conc finis	contr major	princi æqual	medi mino	finis affirm	major dubit	æqual negat			
Deus contr	creat princi	opera medi	differ finis	conc major	contr æqual	princi mino	medi affirm	finis dubit	major negat				
Deus princi	creat medi	opera finis	differ major	conc æqual	contr mino	princi affirm	medi dubit	finis negat					
Deus medi	creat finis	opera major	differ æqual	conc mino	contr affirm	princi dubit	medi negat						
Deus finis	creat major	opera æqual	differ mino	conc affirm	contr dubit	princi negat							
Deus major	creat æqual	opera mino	differ affirm	conc dubit	contr negat								
Deus æqual	creat mino	opera affirm	differ dubit	conc negat									
Deus mino	creat affirm	opera dubit	differ negat										
Deus affirm	creat dubit	opera negat											
Deus dubit	creat negat												
Deus negat													

Secunda Figura. T. Fu.

Ignis Terra	Terra Aër	Aër Aqua
Ignis Aër	Terra Aqua	
Ignis Aqua		

T.1. L.2. E12.

FIGURA A

Bonit Magn	Magn Æter	Æter Potes	Potes Sapie	Sapie Amor	Amor Virtu	Virtu Verit	Verit Glori	Glori Perfec	Perfec Juſtit	Juſtit Largi	Largi Miſer	Miſer Hum.	Humi Domi	Domi Patie
Bonit Æter	Magn Potes	Æter Sapie	Potes Amor	Sapie Virtu	Amor Verit	Virtu Glori	Verit Perfec	Glori Juſtit	Perfec Largi	Juſtit Miſer	Largi Humi	Miſer Domi	Humi Patie	
Bonit Potes	Magn Sapie	Æter Amor	Potes Virtu	Sapie Verit	Amor Glori	Virtu Perfec	Verit Juſtit	Glori Largi	Perfec Miſer	Juſtit Humi	Largi Domi	Largi Patie		
Bonit Sapie	Magn Amor	Æter Virtu	Potes Verit	Sapie Glori	Amor Perfec	Virtu Juſtit	Verit Largi	Glori Miſer	Perfec Humi	Juſtit Domi	Largi Patie			
Bonit Amor	Magn Virtu	Æter Verit	Potes Glori	Sapie Perfec	Amor Juſtit	Virtu Largi	Verit Miſer	Glori Humi	Perfec Domi	Juſtit Patie				
Bonit Virtu	Magn Verit	Æter Glori	Potes Perfec	Sapie Juſtit	Amor Largi	Virtu Miſer	Verit Humi	Glori Domi	Perfec Patie					
Bonit Verit	Magn Glori	Æter Perfec	Potes Juſtit	Sapie Largi	Amor Miſer	Virtu Humi	Verit Domi	Glori Patie						
Bonit Glori	Magn Perfec	Æter Juſtit	Potes Largi	Sapie Miſer	Amor Humi	Virtu Domi	Verit Patie							
Bonit Perfec	Magn Juſtit	Æter Largi	Potes Miſer	Sapie Humi	Amor Domi	Virtu Patie								
Bonit Juſtit	Magn Largi	Æter Miſer	Potes Humi	Sapie Domi	Amor Patie									
Bonit Largi	Magn Miſer	Æter Humi	Potes Domi	Sapie Patie										
Bonit Miſer	Magn Humi	Æter Domi	Potes Patie											
Bonit Humi	Magn Domi	Æter patie												
Bonit Domi	Magn Patie													
Bonit Patie														

T.I. L.2. F13.

FIGURA V

fides spes	spes charit	charit juſtit	juſtit prud	prud fortit	fortit temp	temp gula	gula luxur	luxur avarit	avarit acedi	acedi ſuper	ſuper invid	invid ira
fides charit	spes juſtit	charit prud	juſtit fortit	prud temp	fortit gula	temp luxur	gula avarit	luxur acedi	avarit ſuper	acedi invid	ſuper ira	
fides juſtit	spes prud	charit fortit	juſtit temp	prud gula	fortit luxur	temp avarit	gula acedi	luxur ſuper	avarit invid	acedi ira		
fides prud	spes fortit	charit temp	juſtit gula	prud luxur	fortit avarit	temp acedi	gula ſuper	luxur invid	avarit ira			
fides fortit	spes temp	charit gula	juſtit luxur	prud avarit	fortit acedi	temp ſuper	gula invid	luxur ira				
fides temp	spes gula	charit luxur	juſtit avarit	prud acedi	fortit ſuper	temp invid	gula ira					
fides gula	spes luxur	charit avarit	juſtit acedi	prud ſuper	fortit invid	temp ira						
fides luxur	spes avarit	charit acedi	juſtit ſuper	prud invid	fortit ira							
fides avarit	spes acedi	charit ſuper	juſtit invid	prud ira								
fides acedi	spes ſuper	charit invid	juſtit ira									
fides ſuper	spes invid	charit ira										
fides invid	spes ira											
fides ira												

T.1. L.2.

FIGURA X

F.14

Sapien prædes	prædes perfec	perfec merit	merit potest	potest gloria	gloria esse	esse scien	scien justitia	justitia libarb	libarb defect	defect culpa	culpa volunt	volunt pœna	pœna privat	privat ignor
Sapien perfec	prædes merit	perfec potest	merit gloria	potest esse	gloria scien	esse justitia	scien libarb	justitia defect	libarb culpa	defect volunt	culpa pœna	volunt privat	pœna ignor	
Sapien merit	prædes potest	perfec gloria	merit esse	potest scien	gloria justitia	esse libarb	scien defect	justitia culpa	libarb volunt	defect pœna	culpa privat	volunt ignor		
Sapien potest	prædes gloria	perfec esse	merit scien	potest justitia	gloria libarb	esse defect	scien culpa	justitia volunt	libarb pœna	defect privat	culpa ignor			
Sapien gloria	prædes esse	perfec scien	merit justitia	potest libarb	gloria defect	esse culpa	scien volunt	justitia pœna	libarb privat	defect ignor				
Sapien esse	prædes scien	perfec justitia	merit libarb	potest defect	gloria culpa	esse volun	scien pœna	justitia privat	libarb ignor					
Sapien scien	prædes justitia	perfec libarb	merit defect	potest culpa	gloria volunt	esse pœna	scien privat	justitia ignor						
Sapien justitia	prædes libarb	perfec defect	merit culpa	potest volunt	gloria pœna	esse privat	scien ignor							
Sapien libarb	prædes defect	perfec culpa	merit volunt	potest pœna	gloria privat	esse ignor								
Sapien defect	prædes culpa	perfec volunt	merit pœna	potest privat	gloria ignor									
Sapien culpa	prædes volunt	perfec pœna	merit privat	potest ignor										
Sapien volunt	prædes pœna	perfec privat	merit ignor											
Sapien pœna	prædes privat	perfec ignor												
Sapien privat	prædes ignor													
Sapien ignor														

(1)



BEATI RAYMUNDI LULLI DOCTORIS ILLUMINATI ARS UNIVERSALIS SEU LECTURA ARTIS COMPENDIOSÆ INVENIENDI VERITATEM.

Deus Splendoris Solis perfectio, ad te cognoscendum & amandum intendimus incipere *Artem Universalem* & modum discursûs *Artis Compendiosæ* inveniendi veritatem, in quo tibi totius bonitatis origini devotè supplicamus, quatenus nostrum intellectum illumines, & ad notitiam hujus artis sublimes, ut modico tempore è servitute longarum & confusarum scientiarum egredi valeamus, in quibus particulare in universali quærere per artem minimè demonstratur: quapropter, tuo tamen patrocinio & benedictione confidentes, per præfatam artem innocentes per ignorantiam errantes dirigamus, & contritioni atque devotioni culpabiles concordemus, ut tibi liberali gratiæ Largitori laudem conferant, & devotissimè famulentur.

DE PROLOGO.

Finalis intentio hujus artis est reperire Y., hæc autem intentio in *quatuor partes* dividitur, *prima* est bonum amare, *secunda* malum odire, *tertia* ut ex universali composito ex S. A. T. V. X. Y. Z. sciatur fieri descensus ad investigationem & inventionem particularis, in quo cognoscere diligimus Y. *Quarta* est, ut faciamus necessariam demonstrationem illius, quod in reliquis scientiis credibile atque probabile secundùm veritatem existit; per has enim quatuor intentiones Ars ista decurrit, hæc verò quatuor ad unum finem diriguntur, videlicet ut habeatur scientia inveniendi veritatem.

Quatuor sunt scientiæ generales scilicet *Theologia*, *Philosophia*, *Jus*, & *Medicina*, & propterea secundùm has quatuor scientias exemplificamus hanc artem, quas quatuor in *duas partes* dividimus, quarum *prima* est Theologia & Philosophia, *secunda* est Jus & Medicina. Sub prima scientia secunda consistit; est enim Theologia principium Juris, & Philosophia Medicinæ: sub Theologia verò Philosophiam ponimus, quod est, quia secundùm nobilitatem Theologia est finalis scientia omnibus reliquis & suprema, & ideo omnibus aliis scientiis est principium.

Hæc ars in *tres distinctiones* dividitur, in quarum *prima* ponuntur septem figuræ, quæ sunt S. T. A. V. X. Y. Z.; & secundùm compositionem harum figurarum fiunt in arte *duæ figuræ omnibus generales*, *prima* componitur de A. Y. Z., & *secunda* constituitur de A. T. V. X.; in *secunda distinctione* ponitur *Figura Universalis* & conditiones illius; in *tertia* conditionantur quatuor figuræ T. A. V. X.

INCIPIT

PRIMA DISTINCTIO

QUÆ EST

DE

Dispositione septem Figurarum.

FIGURA OBJECTORUM

SEU

FIGURA S.

FIgura S. est divisa in *septem figuras*, quarum

Prima est figura circularis, in qua quatuor quadranguli existunt diversificati per *colorem lividum*, *nigrum*, *rubeum*, & *viridem*: in hac autem sunt E. I. N. R. *species*, sub quibus continentur *individua* [B. C. D.] [F. G. H.] [K. L. M.] [O. P. Q.] prout unumquodque individuum cum sua specie convenit in quadrangulo angulo & colore.

Secunda figura est de E., quæ *sex objecta* habet videlicet A. T. V. X. Y. Z.

Tertia figura est de I., quæ *sexies* habet pro objecto A. T. V. X. Y. Z., quod est, quia *cum medio* & *sinè medio* accipit ipsa.

Quarta figura est de N., quæ *sexies* habet pro objecto A. T. V. X. Y. Z., quod est, quia M. *duplum* est, & quia *cum medio* & *sinè medio* capit objecta.

Quinta figura est de R., hæc autem *sex objecta* habet, scilicet A. T. V. X. Y. Z.

Sexta figura componitur ex individuis harum specierum, scilicet, E. I. N. R.

Septima figura componitur ex speciebus S., videlicet E. I. N. R., prout apparet in *figura objectorum*, quæ est in charta, in qua omnes figuræ istius artis figurantur.

De Prima Figura ipsius S., id est, de Figura Circulari.

HÆc figura circularis vocatur, in qua

E. est quadrangulus lividus, B. est memoria recolens, C. intellectus intelligens, D. voluntas diligens, E. verò est species ipsorum B. C. D.; unde, quod prædicatur de E, prædicatur de B. C. D.

I. est quadrangulus niger, & est species composita de F. G. H.; F. autem est memoria recolens, G. intellectus intelligens, & H. voluntas odiens, & in differentia ipsorum D. H. fit differentia ipsorum B. F. & C. G., & quod prædicatur de I., prædicatur de F. G. H.

N. est quadrangulus rubeus, & est species ipsorum K. L. M., K. est memoria obliviscens, L. intellectus ignorans, M. voluntas diligens, vel odiens; unde quod prædicatur de N., prædicatur de K. L. M.

R. est quadrangulus viridis, componitur autem de O. P. Q.; O. enim est B. F. K., P. est C. G. L.; Q. est D. H. M.: quare quod prædicatur de R., prædicatur de O. P. Q.

Hæc circularis figura composita de E. I. N. R. principium artis existit, in qua est eligenda species, cum qua incipiendum est ad investigandum Y. & ad capiendum objecta, in quibus Y. re periri desideratur.

De Secunda Figura ipsius S., id est, de Figura E.

EEst secunda figura ipsius S, quæ in *sex cameras* dividitur, habentes *sex objecta*, quæ sunt A. T. V. X. Y. Z. Hoc E. capit objecta continuè cum B. C. D. se de uno objecto in aliud alterando, & secundùm quod quædam objecta nobiliora sunt aliis, nobilius est in quibusdam objectis, quàm in aliis, & secundùm majorem malitiam quorundam objectorum, quàm aliorum, E. culpabilius est in capiendo quædam objecta, quàm alia.

B. C. D. sunt potentiæ ipsius S., & objecta potentiarum apprehendunt, & egreditur operatio ex B. C. D., quæ actu composita est ex singulis tribus potentiis, in qua compositione consistit operatio ipsius B. generans operationem ipsius C., & operatio ipsorum B. C. præbet processionem operationi ipsius D., hæc autem tota operatio revolvitur in speciem vel individuum, quæ accipiunt pro objectis.

B. unum individuum accipit pro objecto, deinde alterum, & ex pluribus colligit unam universalem memoriam, ut C. in ea possit conservare & reponere objecta, quæ capit, & ex hoc unam universalem intelligentiam congregat, quæ ad particulares descendit mediante D.: *quamobrem id, propter quod hæc ars noviter est inventa, est, ut sinè particularium acceptione per artem sciat C. ad particularia descendere, licèt B. non præbuerit ea ad recolendum*; hoc autem impetrat, ut amissio temporis evitetur, & ut detur ars & regula ipsi B., qualiter sciat recolere, ut per artem operationem C. valeat generare.

In hac specie E. ponere potest triangulos ipsius T., prout concordant E. I. N. R. ad capiendum objecta, & etiam ponere potest B. C. D. in T.

E. nobilior est quadrangulus in figura S. quàm alii, quod est, quia per primam intentionem existit, reliqui verò per secundam: per inordinatam autem operationem E. culpabilior quadrangulus potest existere quàm alii, cùm objecta accipit vitiosè.

De Tertia Figura ipsius S., id est, de Figura I.

IEst tertia figura ipsius S., quæ dividitur in *triginta sex cameras* variatas per A. T. V. X. Y. Z., hic verò numerus multiplicatur, quia I. *mediatè* & *immediatè* capit objecta secundùm *primam* & *secundam intentionem*; nam F. G. discurrunt, & unum objectum accipiunt, ne H. capiat aliud; quandoque contingit, quòd F. G. unum solum objectum accipiunt in principio, prout designatur in ipsius figura in objectis.

I. servit ipsi E.; quia sicut B. generat operationem ipsius C., sic D. generat operationem ipsius H., ut odiat objecta contraria ipsi D., & propterea inter unum E. & aliud E. existit discordia & contrarietas, quolibet generante unum I. contra reliquum; unde, ut suffocetur contrarietas, & amicitia ac concordantia generetur, F. G. sinè H. in hac arte discurrunt, ut unum E. cum altero pacificare possint, nec unum I. opponatur alteri, ne fiat impedimentum ad investigandum & inveniendum Y. in hac arte.

Trianguli ipsius T. poni possunt in hac figura inquirendo qualitatem & quantitatem ipsorum F. G. H., quæ sunt, prout moventur per E., cui serviunt: *hujus datur exemplum in arte magna in septima figura ipsius S., & velut unum elementum in aliud convertitur*, sic E. convertitur in I., & I. in E. super objectis, quæ accipiunt.

De Quarta Figura ipsius S., id est, de Figura N.

NEst quarta figura ipsius S., quia verò duplex est M., & quandoque dimittit cum K. L. quædam objecta, alia verò recipit per modum *primæ* & *secundæ intentionis*, propterea multiplicantur *cameræ* numero *triginta sex*, prout repræsentatur in *figura objectorum*.

Hæc figura se habet ad *fidem* & *credentiam*, & affirmat *possibilitatem* & *impossibilitatem* & Y. & Z., ut F. G. per objecta discurrant, & B. C. D. accipiant Y., F. G. H. verò capiant Z., & propterea N. principium est ipsis E. & I., E. autem est perfectio & finalis intentio, ad quam movetur N., & medium est I. contrarium ipsi Z.

De Quinta Figura ipsius S., id est, de Figura R.

REst quinta figura ipsius S., & habet *sex cameras*, quæ variantur per A. T. V. X. Y. Z., quæ ipsius R. objecta existunt. Per hanc figuram E. I. N. ingrediuntur confusionem, miscentur, & dissolvuntur eorum operationes, per hanc etiam figuram dubitatio, negligentia, debilitas cordis, & defectus constantiæ generantur.

Cum hac figura mortificari & suffocari potest quædam species ipsius S., & altera vivificari, ipsum R. ex omnibus speciebus componendo, & ideo S. multoties recreatur in confusione suarum potentiarum: *quia velut sensualiter primordialis materia existit potentia distinctioni elementorum & operationibus eorundem, sic R. intellectualiter existit materia ipsorum E. I. N.*

De Sexta Figura ipsius S., id est, de Figura Individuorum.

SExta figura ipsius S. componitur ex individuis ipsorum E. I. N. R.; hæc verò figura in *viginti octo cameras* dividitur, in quibus ponuntur trianguli ipsius T., prout oportet, & exemplificatur *in Arte majori in figura ipsius S.*

Hæc figura est valde necessaria, ut habeatur notitia motûs & speculationis, qui fiunt ex potentiis ipsius S., movendo eas super species & earum individua; per eundem enim motum habebitur notitia modi, secundùm quem investigari debet Y. concordando individua ipsorum E. I. N. R. eidem inquisitioni, prout *in arte majori* in modis & quæstionibus datur exemplum.

De Septima Figura ipsius S., id est, de Figura Specierum.

SEptima figura ipsius S. componitur ex E. I. N. R., & habet *quindecim cameras*, hæc figura est una species universalis, ex quo ad particulare descenditur, quod petitur, & sciri desideratur; nam componendo unam speciem cum alia, ponendo in speciebus A. T. V. X. significatur particulare, si scitur investigari per artem.

Hæc figura specierum sex figuris ipsius S. perfectio existit, & ad illam moventur, ac ab ea reliquæ figuræ descendunt; per ordinem autem figurarum & finem in hac figura particulare confusum, quod investigatur per artem, digestionem ingreditur, & ipsis B. C. D. ac F. G. per compositionem specierum monstratur: *igitur cùm ita sit, hæc figura septima ipsius S. super omnia diligatur; nam in ea & in generali figura de A. T. V. X. composita hæc ars tota consistit, ponendo septimam figuram ipsius S. in generali figura supradicta, quæ duæ figuræ præ omnibus reliquis figuris amentur; in illis enim reperietur particulare figuræ compositæ de A. Y. Z.*, quæ cum ambabus ipsis figuris inquiritur, concordantibus in eorum particularium individuis; in earum enim concordantia secretum particularis, quod investigatur, revelabitur. Igitur cùm hoc ita sit, in hoc puncto & transitu tota fortitudo hujus artis consistit, & ideo, ne ignoretur in hoc transitu, habeatur cautela, ne virtutem ejusdem & fortitudinem obliviscens transeat.

Dictum est de septem figuris ipsius S., nunc oportet, ut figuram ipsius T. monstremus.

FIGURA T.

TIn *duas figuras* dividitur, quarum una ✦ *principiorum* est, alia *elementorum*, primò dicemus de *prima figura*, quæ circularis est ex quinque triangulis diversorum colorum constructa, & primò de triangulo livido ostendemus.

De Prima Figura ipsius T., id est, de Figura Principiorum.

De Triangulo Livido.

TRiangulus lividus in tres angulos dividitur, scilicet *Deum, creaturam, operationem*, in angulo autem, in quo præsentatur Deus, hæc tria membra consistunt, scilicet *Unitas, Trinitas & Virtutes*, in angulo, in quo creatura reponitur, sunt *sensualis, animalis & intellectualis*, sed in angulo operationis *intellectualis, naturalis & artificialis* habentur.

Super hoc triangulo reliqui trianguli discursum accipiunt, & versantur, & principaliter S. in hoc triangulo particulare, quod scire desiderat, incipit perscrutari. Hic triangulus lividus principium est & causa finalis, reliqui verò trianguli media existunt, quibus in hoc triangulo fit discursus.

De Triangulo Viridi.

TRiangulus viridis continet tres angulos, scilicet *differentiam, concordantiam, contrarietatem:* in angulo differentiæ hæc tria membra scribuntur, videlicet *sensualis à sensuali, sensualis ab intellectuali, intellectualis ab intellectuali;* in reliquis angulis hæ eædem differentiæ scribuntur.

Hic triangulus est valde necessarius, ut investigetur Y., & unius objecti differentia fiat ad aliud, & concordetur inconveniens cum minoritate, privatione, defectu & Z., si autem sit ipsius contradictoriè oppositum, concordetur cum majoritate, esse atque perfectione, cui conveniens concordat; istud enim hoc principio designatur, videlicet quòd A. omnia creavit hâc intentione, ut cognoscatur & ametur; hæc enim est magìs finalis intentio hujus artis.

Per hunc triangulum Y. *quadrifariam* inquiritur, *primò* differentiâ sensualis à sensuali, *secundò* sensualis ab intellectuali, *tertiò* intellectualis ab intellectuali, *quartò* intellectualis à sensuali; hoc idem fiat in concordantia & contrarietate: hæc autem inquisitio fiat cum reliquis triangulis, prout conveniunt in A. V. X. Y. Z., & in elementali figura; *& quoniam hìc non damus exemplum, intelligi potest, nos nequaquam de particulari verùm de universali in hoc loco tractare.*

De Triangulo Rubeo.

TRiangulus rubeus ex *principio, medio*, atque *fine* componitur; in angulo principii continentur *tempus, quantitas*, & *causa*, in angulo medii sunt *terminatio* seu *extremitas, mensura & conjunctio*; in angulo finis *causa finalis, terminatio & privatio* describuntur.

Per hunc triangulum designatur, qualiter ejus anguli misceri debent, scilicet alii cum aliis, & qualiter cum reliquis angulis triangulorum misceantur, & etiam cum cameris de A. T. V. X., prout *in arte majori* datur exemplum; hoc autem fiat, ut S. suas species possit dirigere ad perscrutandum Y.

In principio, quando aliquid inquiretur, oportet F. G. discurrere per A. T. V. X. absolutè, ut imaginentur formam & qualitatem figurarum, & ut haberi possit particulare, quod quæritur, & forma quæstionis memorari. Incipiendum est autem in particulari figuræ meliùs convenientis, ut existat medium, quo ad finem valeat perveniri.

„Per principium designatur, qualiter „incipiendum est artem ostendere, per me„dium autem, qualiter sequendus est ordo, „per quem debet ars demonstrari; per fi„nem verò monstratur, quâ intentione ars „sit demonstranda: nam primò alphabe„tum in mente est reponendum, deinde re„gulæ doceri debent, & explanari figuræ, „postea triginta modi & sexaginta quæstio„nes; deinde *lectura brevis* sedecim modos „continens subsequetur, & *hæc ars de uni„versali* consequenter ministrari debet. „Post hæc verò debet tradi doctrina qua„tuor *principiorum*, videlicet *Theologiæ, Phi„losophiæ, Juris & Medicinæ.* His monstra„tis redeundum est ad triginta modos & „sexaginta quæstiones: consequenter scho„lares practicâ artis potiri debent *in arte „majori, in libro gentilis & trium sapientum, „ac in Volumine demonstrationum*, in quibus „practica hujus artis continetur. His ad„impletis debet *ars notatoria* ministrari, ut „sciant scholares, quòd intelligere, & reco„lere diligant sub brevibus figuris & notis „per angulos triangulorum & quadrangu„lorum, & per A. V. X. cameras notare.

Trianguli rubei natura est, ut principium & finis cum medio concordentur, medium autem ordinetur cum principio & fine secundùm triangulum viridem & croceum, & secundùm figuram de X. ejúsque membra mediatè vel immediatè investigando conveniens vel inconveniens, concordando conveniens cum esse, majoritate & perfectione, inconveniens verò cum minoritate, privatione & defectu.

Hic triangulus formatus fuit, cùm A. mundum principiavit, & creavit, ut cognoscatur & diligatur, & cùm res aliæ per secundam intentionem decurrant, & cùm oporteat, quòd Deus posuerit quasdam creaturas in prima intentione, alias verò in secunda, prout quædam sunt in nobiliori specie, quàm aliæ.

De Triangulo Croceo.

TRiangulus croceus ex *majoritate, æqualitate & minoritate* componitur: in angulo majoritatis *inter substantiam & substantiam, inter accidens & accidens, & inter substantiam & accidens* majoritas continetur; & hoc idem reperitur in angulo æqualitatis, & minoritatis.

Cum hoc triangulo in angulis reliquorum triangulorum & in cameris de S. T. A. V. X. mensurari debet, ut Y. valeat reperiri; id autem, quod majus est in nobilitate, tribuendum est esse, perfectioni & Y.; ejus contrarium verò dandum est privationi & Z.

Cavendum tamen est, ne à majoritate hujus, quòd non est, deceptio fiat, quæ infinitatem operationis ipsius A. in creatura contra *nonum modum* designat, à qua deceptione cum triangulo rubeo & viridi & cum tertio membro ipsius X. & cum operatione hujus, quod consistit in tempore præsenti atque præterito, caveri potest, inquirendo majoritatem & perfectionem in cameris ipsius A. affirmando.

Cùm præfata ratio prædicti paragraphi non bene intelligatur in universali, ideo in particulari exemplum volumus dare dicendo, quòd, si Deus in creatura majoritatem in numero qualitate atque quantitate infinitè multiplicare deberet, majoritatem & operationem ipsius ad perfectionem infinitè moveret, & majoritas ad finem suî minimè perveniret, & ideo oportet, quòd Deus certam quantitatem majoritatis exhibeat, ut operatio ipsius veniat ad perfectionem, & majoritas suî perfectionem & finem attingat, quod si non ita foret, sequeretur, quòd majoritas esse & perfectio existerent minoritas privatio & imperfectio; hoc autem est impossibile.

De Triangulo Nigro.

TRiangulus niger ex *affirmatione*, *negatione* atque *dubitatione* componitur; in unoquoque angulo ipsius *possibilitas* & *impossibilitas*, *esse* & *non esse* consistunt; hic autem triangulus cum reliquis triangulis & cum cameris figurarum misceatur, ut in affirmatione vel negatione seu dubitatione conveniens vel inconveniens inquiratur; privationi verò & Z. adhibeatur inconveniens, ipsi esse & Y. conveniens tribuatur: priùs tamen dubitandum est in percipienda opinione, ut conveniens sicut inconveniens, & è converso, consistat; nam absque dubitatione F. G. idoneum discursum in hac arte non haberent, nec N. affirmaret possibilitatem, quâ C. meliùs proportionatum ad intelligendum existeret.

Natura hujus trianguli est, quòd major possibilitas & impossibilitas cum perfectione ac esse concordes in A. existant, in creatura verò minor; sed ea, quæ consistit inter majorem ipsius A., & minorem ipsius creaturæ, major est eâ, quam creatura habet in se ipsa, & minor illâ, quam habet Deus in se ipso. Igitur cùm hoc ita sit, *tres species generales possibilis & impossibilis* per illud intelligi possunt, quibus ad particularia descendi potest, de quibus daremus exemplum, sed propter breviloquium hujus artis illud relinquimus.

Majoritas concordans cum esse atque perfectione affirmationi seu negationi tribuatur, cùm super esse atque non esse una contra alteram concludentes existunt; nam esse, majoritas & perfectio contra sua opposita concordant; & ideo oportet, quòd affirmatio vel negatio idonea ipsis attribuatur & præbeatur; quòd si hoc non fiat, E. huic arti est contrarium.

Diximus de prima figura ipsius T, nunc de secunda referemus.

De Secunda Figura ipsius T., id est, de Figura Elementali.

FIgura elementalis in *quatuor partes* dividitur, *prima* de igne, *secunda* de aëre, *tertia* de aqua, *quarta* de terra existit: harum partium quælibet ex quatuor elementis componitur, quæ elementa in figura in *tribus speciebus* consistunt; *prima* namque secundùm *mixtionem*, *secunda* secundùm *digestionem*, *tertia* verò secundùm *compositionem* habetur.

Figura ignîs quatuor coloribus scribitur: *rubeus* quidem color ignîs, *niger* terræ, *lividus* aëris, & *viridis* sphæram aquæ designat.

Ignis est per se naturaliter calidus, accidentaliter est siccus ex terra, ideóque rubeam lineam nigra sequitur: quoniam verò viridis opponitur rubeæ, cum rubea verò, in quantum ignis aëri calorem præbet, livida concordat, propterea inter nigram & viridem locus lividæ continetur, quanquam simul nigra & livida repugnent, quæ contrarietas in sphæra ignîs tam magna nequaquam existit, quàm illa, quæ est ignis & aquæ, & propterea linea nigra & livida in sphæra ignîs tantùm non possunt ab invicem removeri, quantùm in sphæra aëris vel terræ.

Quoniam ignis nobilior subtilior & agilior est, quàm aër, secundùm appetitum naturæ generaliter sphæra ipsius est suprema; quoniam autem aër est subtilius agilius & nobilius elementum, supra sphæram aquæ locatur; & quoniam aqua est subtilior terrâ, supra sphæram terræ obtinet locum: quoniam verò elementa mixtionem digestionem & compositionem ingrediuntur in individuis specierum, per appetitum & ordinationem naturæ ac per corporum supercælestium dispositionem, & quoniam natura appetit conservare species, necessariò oportet, ut elementa superiora ad inferiora descendant, ac ut inferiora ad superiora ascendant, ut in aëre ac in spatio, quod inter spatium terræ & supremam superficiem ignis existit, misceantur, & ut per ipsam mixtionem & participationem misceantur, & componantur in *vegetabilibus*, *animalibus* & *metallis*, ex quibus species sub se habentes individua generabilia & corruptibilia conservantur.

Velut longum latum & profundum se habent ad corpus, sic se habet corpus ad materiam & formam, materiæque & formæ compositum, ut suppositum corporale existat; & propterea C. intelligit, quòd ignis est de natura corporea, & quòd est natura simplex; sed quoniam est necessarium ipsum descendere de linea rubea in reliquas, necessarium est, aquam corpus simplex in sua sphæra non esse; nam si sic, ignis, qui in parte & non in sua totalitate descendit & ascendit, nequaquam posset per sphæram aquæ transire: si autem elementa non miscerentur unum in alterum, nec alternatim transirent, inter nos quidem generatio seu corruptio minimè foret; quoniam verò deorsum G. generationem & corruptionem intelligit, sequitur, quòd ignis & aqua similiter & reliqua elementa videlicet aër & terra corpora simplicia non existant.

Quemadmodum voluntas hominis esset contra suam naturam humanam, si digitum de manu, pedem de tibia, nasum de facie sibi vellet abscindi, sic ignis contra suam naturam appeteret, si foret corpus in sua sphæra, & naturalem appetitum haberet, ut sibi pars auferretur, quæ in compositionem cum aqua ipsi contraria subintraret; si verò diceretur, quòd corpora supercælestia ignem existentem in sua sphæra compellant, ac ipsi partem ad reliquas sphæras descendentem auferant, tunc Author hujus sermonis contra naturalem appetitum existit, & ignem secundùm dispositionem naturæ liberum à cursu naturæ denudat: quoniam autem C. in igne ac in reliquis elementis intelligit appetitum naturæ, ab ejus sermone contradictio plurimùm implicatur, si affirmetur, quòd elementa in suis sphæris existant unumquodque simplex corpus habens tres dimensiones corpori convenientes, ab Authore hujus sermonis quæritur, qualiter transeant nubes, venti, pluviæ, nives atque tonitrua, & qualiter splendor Solis manifestari potest æquali colore in aëre & aqua cum igne, cùm splendor ejusdem meliùs conveniat igni, quàm alteri elemento.

Aër aquæ dat humiditatem, aqua verò frigiditatem terræ; si autem ignis aëri calorem præberet, nec à terra reciperet siccitatem, concordaret cum privatione minoritate & defectu, aër autem & aqua, in quantum darent & reciperent beneficium, concordarent cum majoritate esse atque perfectione, terra verò concordaret cum minoritate, in quantum beneficium minimè daret, sed cum majoritate, in quantum quotidie sumeret incrementum, quo quidem augmento quodlibet reliquorum elementorum ad privationem veniret; hoc autem inconveniens & impossibile & contra cursum naturæ existit.

Si quis affirmat ignem calidum & siccum, terram siccam & frigidam, aërem humidum & calidum, aquam frigidam & humidam per eorum naturam existere, ex hac affirmatione multiplicantur octo diversæ & oppositæ qualitates, ac concordantia prohibetur inter elementa dantia unum alteri & recipientia unum ab altero beneficium; & quoniam natura cum operatione concordat, cursus naturæ & simplicitas in elementis simplicibus negatur, in quantum eis duæ qualitates diversæ attribuuntur, & in sphæris, in quibus elementa simplicia continentur, operatio negatur, & affirmatur, ipsa extra sphæras suas nobiliora esse, ubi composita & operativa existunt; cùm privatio operis cum non esse defectu & minoritate concordet, esse autem & opus cum majoritate & perfectione conveniant.

Si quis dicat, in igne simplici calorem & siccitatem æquales qualitates existere, secundùm sermonem hujus sequitur, quòd æqualiter siccitas ignîs humiditati aquæ contrarietur, ne cum humiditate aëris concordet, & quòd calor ignis frigiditati aquæ con-

contrarietur, ne cum frigiditate terræ concordet; cùm in aëre humiditas & calor, in aqua frigiditas & humiditas, in terra frigiditas & siccitas, & in igne calor & siccitas concordes existant; unde si sermo hujus foret in Y., sequeretur, non esse inter elementa unius cum alio concordantiam; si autem inter ea non esset concordantia, propter contrarietatem inter ea existentem pervenirent ad defectum & privationem, quod est impossibile.

Præterea si ignis esset siccus de suî natura, existeret gravis propter subjectum siccitatis, levis verò propter subjectum caloris, nec ascenderet sursum, neque descenderet deorsum; hoc autem est contra experimentum humani corporis & oculorum.

Si calor in igne simplici major esset, quàm siccitas, seu siccitas major, quàm calor, ambas qualitates igne per se ipsum habente, materia ejus composita esset de majoritate & minoritate, in quantum meliùs conveniret cum majori qualitate, quàm cum minori, ac in se principium medium & finem haberet, & majoritas per aliquod medium & propter aliquam intentionem ex intentione prima & secunda compositam principium esset minoritatis, & si sic, sequeretur, quòd ignis simplex & compositus in sua sphæra existeret; in hoc autem oppositio contradictionis implicatur.

Si dicatur, quòd ignis simplex in sua sphæra non descendat deorsum, & ignis inter nos existens non ascendat sursum, vapores, pluviæ, fulgura & ventus ignem sursum ascendentem & deorsum descendentem reparare negantur; unde duo motus naturæ scilicet *sursum* & *deorsum* per hunc sermonem penitus amoventur, & per eundem affirmatur, quòd elementa simplicia sinè operatione maneant, ac in operatione naturæ sint superflua, & quòd superfluitas & fortuna sint majores in cursu naturæ, quàm causa ordo & necessitas; hoc autem est impossibile.

Ampliùs, si negetur, quòd ignis à terra siccitatem recipiat, generatio & corruptio destruuntur, igne dante calorem aëri, ut aër humiditatem calefactam aquæ præbeat, quâ mediante ignis aquæ inferat passionem, per quam passionem aqua dat terræ frigiditatem mortificatam per calorem extinctivum, quæ terra det igni siccitatem frigiditate refrigeratam atque calefactam, per quam calefactionem caliditas remittitur in linea rubea, & revertitur in lineam rubeam, ex qua descendit usque ad lineam viridem. Negatio autem hæc principia negans est negatio negans animalia, metalla, & vegetabilia, quæ multiplicat negationem quinque sensuum particularium, per quam negationem formatur contradictio affirmando, quòd privatio, esse, generatio & corruptio sunt unùm & idem; hoc autem est impossibile, quâ impossibilitate & reliquis supradictis significatum est, quòd ignis in linea rubea superiori simplex corpus non existat habens compositam continuam quantitatem in longum latum & profundum, & hoc idem in reliquis elementis designatur.

Ignis rubei coloris, qui est suprema linea, existit in gradu quarto, qui nigri coloris est, in tertio, qui lividi, in secundo, qui verò viridîs, in primo; unde significatur in sphæra aquæ esse minùs caloris in igne coloris viridîs existente, quod est, quia consistit in linea, in qua habet aqua majorem frigiditatem; unde per minorem calorem ostenditur major & æqualis existens inter ignem, qui est coloris lividi in sua sphæra, & illum, qui est coloris rubei in sphæra terræ; nam in secundo gradu existunt: & ex hac æqualitate panditur, qualiter in viridi linea ignîs aër aqua terra sensualiter degradantur; cùm eadem linea ignîs in primo gradu solùm existat, & propterea C. intelligit, quòd terra in linea livida sphæræ ignîs sit in primo gradu, in nigra in secundo, in rubea verò in tertio.

In supradictis ostendimus, & dubium penitus removimus, quòd ignis & reliqua elementa corpora simplicia non existant: ampliùs divinâ gratiâ in prædictis metaphoricè designavimus, qualiter T. cum omnibus suis triangulis in elementali figura subintrat; per ea verò, quæ retulimus, significatur, quòd elementa super animalia, vegetabilia & metalla moventur, ut suam perfectionem inquirant, videlicet corpus simplex; nam veluti terra movetur deorsum, quia suum centrum appetit, sic in aëre moventur elementa tribus superiùs dictis speciebus, in quibus moventur unam formam generando, & aliam corrumpendo, convertendo se unum scilicet elementum in aliud, & augmentando seu

seu diminuendo suam qualitatem de uno gradu in alium, & de qualitate unius in qualitatem alterius, & de forma in formam suo motu totum subjectum destruendo.

Prout metaphoricè designavimus, qualiter T. ingreditur elementalem figuram, sic per metaphoram datam de figura ignîs designantur ordo & dispositio figuræ terræ, aëris & aquæ in figura elementorum: quapropter non oportet dare aliam expositionem hujus ipsi C., quia unum per aliud apprehendit.

Intentio, quâ ista figura elementalis interponitur in hac arte, est, *ut metaphoricè detur exemplum hujus, quod est necessarium solutioni ipsorum A. V. X. T. Z., ac ut naturalibus quæstionibus respondeatur naturaliter secundùm operationem & dispositionem, quæ in elementali figura superiùs designantur, quæ figura est quoddam universale naturæ, in quo particulare quæritur, quod petitur, cum S. in ipsis T. A. V. X. T. Z. & in eadem operatione figuræ elementalis.*

FIGURA A.

Figura A. in *tres figuras* dividitur, *prima* est divinæ essentiæ, *secunda* divinarum personarum, *tertia* rationum, secundùm quas E. accipit A. ejúsque cameras pro objecto.

De Prima Figura ipsius A.

B. recolit, se in *arte majori & in libro gentilis ac volumine demonstrationis meminisse*, quòd C. intellexit per plurimas demonstrationes & necessarias rationes, A. & ejus cameras existere; quare D. in hoc loco non vult probare, esse A., cùm hoc in plurimis locis in hac arte sit demonstratum; præcipit autem F. G. discurrere per T. V. X. Y. Z., ut suus frater C. possit ascendere, ut per intelligentiam contempletur summam essentiam, & ut idem D. possit recipere benevolentiam & virtutem.

Discurrerunt F. G. per figuras, prout D. ipsis mandatum fecerat, & miscuerunt alternatim angulos triangulorum ipsius T., & in essentiali figura ac etiam in V. X. Y. Z. illos posuerunt, ut ipsi C. significationem præberent, per quam posset habere notitiam causæ per effectum, & effectûs per causam, ut ad essentiam ipsius A. ascendere possit.

Secundùm discursum ipsorum F. G. recolit B. in creaturis inter esse & essentiam differentiam esse; quia verò A. cum majori nobilitate & virtutê concordat, quàm creatura, oportet, quòd inter divinam essentiam & divinum esse nulla differentia sit; ideo C. intelligit in A. esse sedecim virtutes sive dignitates scriptas in circulari figura ipsius A., quæ sunt *Bonitas, Magnitudo, Æternitas, Potestas, Sapientia, Amor, Virtus, Veritas, Gloria, Perfectio, Justitia, Largitas, Misericordia, Humilitas, Dominium & Patientia.* Adhuc aliæ virtutes in A. existunt, quæ secundùm tertiam figuram ipsius A. in numero ipsius C. & L. permanent infinitæ.

C. intellexit inter bonitatem, & magnitudinem videlicet immensitatem essentiæ nihil interesse, & hoc idem in reliquis cameris apprehendit, & propterea intellexit unam puram actualitatem unúmque purum actum essentialem simplicem in A. suísque cameris existere absentiâ omnis differentiæ, contrarietatis, majoritatis & minoritatis; ampliùs intellexit in hac essentia tam pura tam simplici magìs immensam & magìs unam unitatem, quàm sit omnis alia unitas vel aliud unum; & ideo ipsi B. formatur conditio, quâ omnem majorem unitatem, simplicitatem & actualitatem, omnémque majorem & puriorem actum, quem C. intelligere possit, in A. existere agnoscat, attribuat, & affirmet; minorem verò oppositum majori attribuat Z., privationi atque defectui, prout esse, majoritas & perfectio conveniunt & concordant.

Hæc autem figura plurimùm necessaria est in hac arte, ut ex ea S. accipiat principium, & in suo discursu dirigatur per conveniens vel inconveniens primæ figuræ ipsius A.; quoniam est impossibile, quicquam in veritate manere, unde in figura vel operibus, seu inter unam & aliam cameram ipsius A. inconveniens sequitur; ergo cùm ita sit, *discursus & ordinatio, quos accipit S. in hac figura, omni ordinationi discursui & consequenti hujus artis & omnium aliarum principium & antecedens existunt.*

Ulteriùs velut artificiatorum materia & forma directionem accipiunt ad unum ultimum finem, qui est perfectio operis, *sic ad finem primæ figuræ ipsius A. omnes reliquæ figuræ diriguntur:* non tamen dicimus, quòd secunda figura ipsius A. primâ minor existat; sic autem nos loqui oportet, ut per principalem secundariam cognoscamus.

De Secunda Figura ipsius A.

COncordata sunt B. C. D., & proposuerunt formare novam quandam valde sublimem considerationem, & ad ipsam primam figuram ipsius A. ascendere, ut possent considerare & contemplari secundam figuram: quapropter B. recolit, quòd si Rex vel aliquis Princeps intelligit in sua persona pulchritudinem, fortitudinem, virtutem cordis, nobilitatem, honorem, potestatem, justitiam, sapientiam & libertatem, oportet, quòd hæc felicitas suæ voluntati placere contingat; cùm autem majoritas, perfectio & A. concordent, creatura verò & minoritas, oportet necessariò, quòd A. intelligens se ipsum & suas cameras se ipsum & suas cameras amet, quo amore habeat in se ipso majorem gloriam, quàm sit gloria vel felicitas creaturarum.

C. plurimùm consideravit in eo, quod B. recoluerat, quoniam verò B. recolebat, & F. G. discurrebant per artem in T. V. X. Y. Z., intellexit C. necessitate artis, in essentia ipsius A. quendam debere esse, qui gloriam & beatitudinem hujus, quod in se ipso intelligebat, haberet, & qui ab ejus essentia non differret; nam conveniebat, quòd singulas cameras ipsius A. in se ipso intelligeret, quæ sunt una essentia existens eædem cameræ.

Cùm C. magis sublimatum fuit in consideratione ejus, quod præcessit, stando in illa altitudine per virtutem ipsius A., misit F. huc inferiùs memorare, quòd recoluit, licèt Rex vel alius homo in se ipso pulchritudinem, magnitudinem &c. recolat, non ideo sequi, quòd ex illa recolentia tam magna beatitudo procedat, quòd ex ea egrediatur influentia, quâ aliud in pulchritudine, bonitate &c. ipsi eidem simile generetur; postquam F. hoc recoluerat, G. intellexit A. & majorem gloriam & intelligentiam convenire, hominem verò & minorem, quare B. memoratum ascendit, quòd A. se ipsum & suas cameras intelligente oporteat generari ex eodem intellectu aliquem habentem easdem cameras, ut in A. inde major gloria existat, & superexcedat creaturam in eo, quòd ipsius intellectus accipiat objectum in se ipso & in suis cameris.

C. considerans illud, quod B. recoluit, intellexit esse virtutem tam immensam, quam habet A. in intelligendo se ipsum bonum, magnum, æternum &c., quòd sit necessarium, ut ex ea virtute, ac influentia in bonitate, magnitudine ac æternitate similis intellectus generetur; per illud autem, quod C. intelligit, ipsi B. formatur distinctio, quæ inter generantem & generatum existit; & per infinitam concordantiam & largitatem, quas inter unum & alium distinctum esse oportet, C. intelligit unum alium à duobus prædictis distinctum, qui in bonitate, magnitudine ac æternitate cæterísque virtutibus ab eis procedit æqualis, qui ipsis duobus intelligentibus ipsius A. cameras in se ipsis procedit, & propterea ipsi E. formata & revelata fuit secunda figura ipsius A.

Placuit plurimùm ipsi D. consideratio ipsorum B. C., timuit tamen, ne primæ figuræ ipsius A. foret illata injuria, & hoc timore perverteretur in M., & dubitaret; sed B. C. juvârunt ipsum D., recolente B. in A. ipsius cameras, quibus intellexit C. per infinitatem bonitatis, magnitudinis, æternitatis, cæterarúmque virtutum, quòd omnes tres divinæ Personæ possint existere una essentia, in qua omnes cameræ existant, & quòd quælibet Persona habeat easdem cameras, licèt quælibet Personarum ab altera distinguatur; si autem hoc esset impossibile, nec B. recolere, nec C. intelligere posset, qualiter A. concordaret cum majoritate, differentia & concordantia contra differentiam & contrarietatem, & qualiter minoritas & creatura concordes existerent; quoniam autem hoc est impossibile, propterea B. C. roborârunt D., ne in M. per ignorantiam perverteretur.

Conditiones hujus figuræ sunt, quòd in divinis Personis major distinctio existat, quàm in re aliqua existere possit; insuper, quòd meliùs concordent in se distinguere una ab alia, & quòd maneant una divina essentia, quæ quidem essentia est prima figura, in quantum prima figura distinctione caret, eam tamen secundùm artem vocamus figuram, & hoc idem de secunda figura sequitur. Ergo cùm ita sit, patet, quòd in conditione hujus artis recipiantur omnes demonstrationes exhibentes majorem distinctionem & concordantiam divinarum Personarum; harum verò rationes contrariæ, minoritati, privationi, defectui atque Z. tribuantur.

Si dubitatio hujus oritur, & videtur impossibile, quod de hac figura præcessit, quia disconvenit cum possibilitate creata, discurrant F. G. in æqualitate per T. X., ut A. cum majoritate, esse, perfectione, creatura verò cum minoritate, privatione atque defectu concordet; sed si hoc non fiat, & dubitetur in æqualitate, quid sit fortius, divina possibilitas, an possibilitas creaturæ? non ambigitur, quòd divina possibilitas; cùm majoritas & A., minoritas verò & creatura sint concordes.

Quare si mente perceptum est, quid designetur per majoritatem & minoritatem, intellectus intelliget, quòd secundùm conditiones hujus artis semper percipiet A. & opera, quæ habet in se ipso, super potentias creaturarum, & super opera, quæ ipsum A. habet in creaturis.

In quæstionibus & *Arte majori* probatur, quòd oportet in A. Paternitatem, Filiationem & Processionem esse; quare, si in A. majorem differentiam, concordantiam, perfectionem & gloriam esse putaretur, si in ipso plures Paternitates, Filiationes & Processiones essent, item si aliæ proprietates personales diversæ atque distinctæ à proprietatibus personalibus per Paternitatem, Filiationem & Processionem distinctis in ipso existerent, discurrant F. G. per A. T. V. X. Y. Z., & fiat recursus ad *nonum modum*, & species ipsius S. ordinentur in objectis, quæ capiunt, & sic fiet inventio hujus, quod secundùm conditiones camerarum ipsius A. inquiritur, & hujus, quod inde S. secundùm objecta in vera via potest accipere, quâ E. I. N. cum majoritate, esse, perfectione contra minoritatem, privationem & defectum concordes existant; nam oportet, quòd distinctioni atque concordantiæ, quas esse oportet inter unam Personam divinam & aliam, una Paternitas, una Filiatio & una Processio sufficiant: si enim hoc ita non esset, sequeretur, quòd in A. essent infinita numero supposita concordantia & distincta; hoc autem est impossibile & contradictio, cùm non possit esse perfecta concordantia nisi suppositorum, quæ numero finiuntur.

Ut sciatur causa, hæc secunda figura plurimùm necessaria est; nam per hanc homo in hac arte multùm dirigitur contra illos, qui habent M. contra Sanctissimam Trinitatem ipsius A., ad cujus figuræ cognitionem venit E. per gratiam Dei atque discursum, quem F. G. in A. T. V. X. Y. Z. habent, & ipsum offerunt ipsi E., quia E. ipsi A. majorem operationem, concordantiam, distinctionem, esse atque perfectionem attribuit, creaturis verò minorem. Præterea E. habet notitiam istius figuræ per majus opus cum esse atque perfectione in creaturis conveniens contra minus, privationem & defectum.

De Tertia Figura ipsius A.

TErtia figura ipsius A. formatur, prout E. accipit A. ejúsque cameras pro objecto; unde, quia E. cum minoritate concordat, A. verò cum majoritate, per objectum camerarum ipsius A. accidentaliter differentia generatur in C., nam ad comprehendendum totum A. & ejusdem cameras nequaquam attingere potest; velut enim visus corporeus differentiam splendoris Solis facit, quæ existit inter id, quod accipere & non accipere potest, sic etiam & multò fortiùs C. inter unam & aliam cameram ipsius A. constituit differentiam, quod est, quia non sufficit ad intelligendum omnes cameras ipsius A. in virtute earum; quod cùm ita sit, demonstratur hanc figuram formari in C. respectu ejusdem C., & non secundùm virtutem ipsius A., veluti Sol, qui in suo splendore variatur secundùm visum corporis inter unum splendorem & alium suorum radiorum, non secundùm virtutem ejusdem Solis, quæ quoad ipsius essentiam una sinè differentia existit.

Plurimùm C. consideravit in prædicta figura, & ut figura fortiter imprimatur & infundatur in ipsum D., mandavit ipsis F. G. in operatione discurrere, quam habet S. in formando suas species secundùm differentiam individuorum suarum specierum; quare F. recolit, secundùm virtutem ipsius S., unam solam existere; velut autem splendor Solis variatur formante Sole diversos radios secundùm differentiam factarum fenestrarum, quibus domum subintrat, sic anima sinè differentia ipsius B. C. D. unam eandémque virtutem exhibet & infundit, differentiâ verò potentiarum fit virtus diversa in varietate ipsorum B. C. D.; & propterea G. illud, quod intelligit per prædictum exemplum, exhibet ipsi C., ut intelligat in ipso A. nihil differre inter unam & aliam cameram; quoniam verò sunt diversæ creaturæ, ac ipsæ in se ipsis virtutem ipsius A. diverse recipere debent, propterea secundùm rationem videtur in ipso A. esse differentiam potestatis, sapientiæ, amoris, justitiæ atque misericordiæ, quæ differentia formatur secundùm hanc figuram in S. ejúsque speciebus, prout virtutem ipsius A. diverse recipit.

In hac arte plurimùm est necessarium hanc figuram scire, ut per A.T.V.X.Y.Z. sciamus E.I.N.R. ponere, prout decet, taliter, ut in A. & ejus cameris, & in V. livido, & in Y. nullum inconveniens sequatur, & quòd esse, perfectio atque majoritas cum Y., cum Z. verò eorum oppositа concordentur.

FIGURA V.

V. In *duas figuras* dividitur, una est *virtutum*, altera *vitiorum*; derivando autem & componendo ex his duabus figuris multæ species & multæ figuræ secundùm hanc artem multiplicari possunt, prout aliæ virtutes cum aliis, & similiter vitia cum vitiis alternatim concordant, & prout per objecta, quæ accipiunt species ipsius S., virtutes & vitia simul sibi mutuò adversantur.

De Prima Figura ipsius V.

EX *Fide, Spe, Charitate, Justitia, Prudentia, Fortitudine* atque *Temperantia* componitur prima & principalis figura ipsius V., quæ *coloris lividi* existit; hæc autem figura *duo membra* continet, unum ab alio diversum, *primum* est constructum ex Fide, Spe, Charitate, *secundum* verò ex Justitia, Prudentia, Fortitudine atque Temperantia componitur: primum membrum magis animæ, quàm corpori, secundum magis corpori, quàm primum per naturam & operationem secundùm comparationem unius ad aliud appropinquat.

Species ipsius S. super hanc figuram volvuntur, concordando & differentiando unam ab alia, prout in varietate specierum & individuorum earundem virtutes diversificantur: *dupliciter* verò sunt concordes; nam *primò* concordant, una scilicet intentione alterius, *secundò* verò concordant, ut vitia suffocentur.

Concordantia, quæ est unius virtutis cum alia per propriam intentionem earum, cum majoritate & prima intentione concordat, concordantia verò, quæ fit unius virtutis cum alia contra vitia, cum minoritate & cum secunda intentione concordat, quod est, quia prima concordantia in E. principium sumit, in I. verò secunda.

Natura hujus figuræ est, ut, cùm una virtus est in actu in S., omnes aliæ existant in habitu, quod est, quia actus & habitus in majori concordantia conveniunt, quàm actus & potentia, seu quàm potentia & habitus: quoniam autem vitium in specie ipsius S. potentialiter est, cùm habet actualiter in se ipsa V. lividum pro objecto, propterea oportet esse unam virtutem in actu, quæ omnes alias habeat in habitu; quod si non esset, sequeretur, quòd in eodem tempore virtutes & vitia pro objecto haberi possent, nec habitus esset magis propinquus actui, quàm potentia; hoc autem est impossibile & contra ordinationem ipsius A., quod non potest esse objectum ipsi E. in eodem tempore manenti in V. Y. Z.; quia, si esset, sequeretur, quòd in eodem tempore E. totum tertium membrum ipsius X. haberet, hoc autem est impossibile.

Conditiones hujus figuræ sunt, quòd T.X. in ipsa ponantur, ut Y.Z. perquirantur, & ut Y. ipsi E., Z. verò ipsi I. præbeatur, & ut semper virtutes cum majori differentia & concordantia simul conveniant, ut fortiùs A. & suas cameras significent, & V. rubeo magis repugnent, & ut una virtus cum alia magis concordet, hujus significatio tribuatur esse, majoritati, perfectioni & Y., hujus verò significationis contraria detur Z., minoritati, privationi & defectui.

Si particulare, quod quæritur, in una virtute ipsius V. inveniri non potest, ea cum alia virtute jungatur, unam virtutem cum alia componendo, & ipsas alternatim mutando, ac in earum concordantia, quam habent inter se, vel in concordantia, quam habent contra V. rubeum, inquirendo, quousque particulare valeat reperiri: si verò in ipso V. reperiri non potest, ponantur T.A.X. in ipso V., ut inveniri possit per individua ipsorum T. A. X., ipsa cum V. livido contra V. rubeum concordando.

De Secunda Figura ipsius V.

HÆc secunda figura, quæ *coloris rubei* est, ex septem peccatis mortalibus copulatur, quæ sunt *Gula, Luxuria, Avaritia, Acedia, Superbia, Invidia* & *Ira*; hæc in *duo membra* dividuntur, *primum* est Gulæ & Luxuriæ, *secundum* verò est reliquorum vitiorum, primum magis convenit corpori, quàm secundum, secundum verò magis ipsi S., quàm primum.

Hæc figura concordat cum privatione & cum defectu contra esse atque perfectionem; ampliùs hæc figura locatur in medio, quod est inter potentias ipsius S. & objecta, quæ capiunt; quoniam autem medium, quod inter potentias & objecta consistit, id est, operatio individuorum specierum ipsius S. convenit cum Y., esse, majoritate atque perfectione, cùm S. habet operationem suarum specierum in eo, propter quod A. ipsum S. ejúsque potentias & ejusdem operationem creavit, propterea cum minoritate, defectu &c. concordat opus, quod contra prædictam rationem finalem existit.

Cùm per istam figuram in universali particulare inquiritur, unum vitium cum altero componatur, & addatur, & discursus fiat per A.T.V.X.Y.Z. atque per V. lividum, & reperietur particulare in majori contrarietate, quæ inter unum vitium & aliud est, cum V. livido verò major concordantia esse, majoritatis & perfectionis, cum V. autem rubeo major concordantia minoritatis, privationis & defectûs.

Conditio istius figuræ est, ut huic arti sic repugnet, velut cum hac arte prima figura concordat; nam quia V. rubeum concordat cum non esse, defectu & minoritate, nec regulam, nec ordinationem, nec ullam artem sequitur; quapropter in omni, quod contra artem existit, particulare cum hac figura concordans percipi potest. Igitur cùm ita sit, per conveniens vel inconveniens, prout dictum est, potest particulare, quod inquiritur, designari; si autem reperiri non valet, non est defectus artis, sed potiùs inquisitoris hujus artis nescientis individua discurrere per individua ipsorum E.I.N.R.

FIGURA X.

X. Est figura ex *sedecim cameris* constructa, quæ sunt *Sapientia, Prædestinatio, Perfectio, Meritum, Potestas, Gloria, Esse, Scientia, Justitia, Liberum Arbitrium, Defectus, Culpa, Voluntas, Pœna, Privatio & Ignorantia.*

Hæc figura continet in se *sex species: prima* est concordantiarum, *secunda* contrarietatum, *tertia* de mediatè, *quarta* de immediatè, *quinta* figurarum, *sexta* membrorum.

De Prima Specie ipsius X.

HÆc species *concordantiæ* designat, qualiter quædam cameræ concordent cum reliquis in quæstionibus & solutionibus, quas formant F.G. discurrendo, & Y. perscrutando; quare species ista in figura ipsius X. subjicitur hâc intentione, quâ F.G. per S.T.A.V.X. alias cameras cum aliis in X. concordando discurrant, ut Y. in cameris ipsorum S.T.A.V.X. per conveniens vel inconveniens invenire possint, & Y. ipsi E., Z. verò ipsi I. objectum existat.

De Secunda Specie ipsius X.

HÆc species *contrarietatis* designat, qualiter cameræ ipsius X. aliæ aliis contrarientur, prout species ipsius S. eas accipit pro objecto: præterea ista species contrariorum significat conveniens vel inconveniens, quod ex universali revelatur ipsi particulari, cùm F.G. discurrunt, & ordinatim Y. per cameras ipsorum S.T.A.V.X. perscrutantur, minoritate, defectu, privatione, V. rubeo cum Z. pugnantibus contra majoritatem, perfectionem, esse, V. lividum & Y. ad invicem concordantes.

De Tertia Specie ipsius X.

ISta species *medii* significat in figura ipsius X., qualiter aliæ cameræ cum aliis *per medium* in simul conveniant & repugnent; de concordantia primò dicemus.

De Concordantia.

PRædestinatio & esse per sapientiam & perfectionem mediatè concordant; nam si sapientia ipsius A. perfecta est, sequitur prædestinationem convenire cum esse.

Liberum arbitrium & esse mediatè conveniunt, quia justitia ipsius A. & perfectio concordant; nam, si justitia ipsius A. perfecta est, oportet necessariò, quòd liberum arbitrium cum esse concordet; si enim in homine non foret liberum arbitrium, quo E.I.N. ipsum V. accipere possent, impossibile etiam esset, quòd A. in homine justitiâ perfectè uti posset.

Esse & privatio per perfectionem & defectum mediatè concordant; nam si in ente existit perfectio, in quo existit defectus inclinans privationi, velut in homine, vel in alio supposito, in quo sunt esse, privatio, perfectio & defectus, necessariò sequitur, esse & privationem per perfectionem & defectum in illo supposito convenire, atque perfectionem & defectum per esse atque privationem

concordari mediatè, cùm esse atque perfectio, privatio & defectus concordes existant.

Meritum & gloria mediatè per justitiam & liberum arbitrium concordant, cùm E. pro objecto habet A. V. Y., I. autem V.Z., M. verò A. V. Y. Z. Idem sequitur de culpa & pœna concordantibus mediatè in camera ipsorum E. V. Z. & ipsorum I. A. V. Y. ac ipsorum M. A. V. Y. Z.

Si scias triangulum rubeum & viridem concordare, intelliges, qualiter meritum & culpa concordent, ut maximum meritum & justitia & misericordia designentur in A. per maximam gloriam significatam per maximam culpam, quæ culpa magnam justitiam in A. per magnam pœnam designat. Unde, cùm ita sit, secundùm modum medii una camera cum alia *tertii membri* ipsius X. concordari potest respectu diversorum objectorum, concordantiarum, contrarietatum, finium & principiorum.

Potestas, voluntas, scientia mediatè cum esse unum per aliud concordant; nam nec potestas & voluntas sinè scientia, nec potestas & scientia sinè voluntate, nec voluntas & scientia sinè potestate in opere ullatenus convenirent, quia tantùm in hoc *quinto membro* ipsius X. una camera cum alia convenit, quòd una sinè alia non conveniret cum esse, nec esse sinè omnibus quatuor cameris conveniret cum aliqua camerarum.

Potestas, voluntas & ignorantia cum privatione conveniunt; nam ignorantia tantùm cum privatione convenit, quòd mediatè potestas & voluntas cum privatione & defectu scientiæ concordant; unde *sextum membrum* facit potestatem & voluntatem cum privatione convenire, quod est, quia in se continet ignorantiam, quæ potestatem & voluntatem ad privationem declinat.

Prout exemplificavimus in unoquoque sex membrorum ipsius X. ejusdem X. cameras concordari, cameræ aliorum membrorum in aliis concordari possunt, si per quadrangulos ipsius S. & per triangulos ipsius T. in cameris ipsorum A. V. alias cameras cum aliis commiscere scias, velut in sapientia, justitia & perfectione, quæ per meritum, gloriam, culpam & pœnam concordant, sapientiâ operationes ipsius S. perfectè sciente, & justitiâ opera ipsius S. perfectè judicante; hoc idem in aliis membris sequitur.

De Contrarietate.

Sicut exemplum concordantiæ mediatè dedimus, ita contrarietatis per medium existentis in cameris membrorum ipsius X. exemplum dare possumus; nam sapientia ipsius A. ejúsque justitia mediantibus prædestinatione atque libero arbitrio ipsi esse repugnant; quod est, quia in operatione ipsius S. prædestinatio & liberum arbitrium contrariantur, prout S. inordinatè & contra Y. ipsas accipit pro objecto; nam si prædestinatio est, videtur non esse liberum arbitrium, & è converso; si verò non est prædestinatio, videtur in A. sapientiam perfectam non esse, videtur etiam in A. justitiam perfectam non esse, si liberum arbitrium non est; unde hæc tota falsa apparentia existit in speciebus ipsius S., quod est, quia S. in A. cameras ipsius per medium accipit, videlicet mediantibus creaturis, cùm cameræ ipsius A. absentiâ omnis contrarietatis immediatè concordent.

In *tertio membro* esse cum perfectione concordat; unde mediante perfectione convenit esse contra privationem, privatio verò, quæ cum defectu convenit, est contra esse concordans cum perfectione; & hoc idem sequitur de contrarietate mediante esse atque privatione, quæ contrarietas inter perfectionem & defectum remanet.

Est alius modus contrariorum videlicet, quòd esse atque perfectio mediante subjecto privationi & defectui opponuntur, sed privatio & defectus in subjecto ipsi esse atque perfectioni repugnant.

In *quarto membro* meritum & gloria per medium opponuntur; meritum enim cum minoritate, sine atque privatione convenit, gloria verò per misericordiam ipsius A. cum durabilitate sinè fine concordat. Hoc idem de culpa & pœna sequitur; nam culpa, quæ per opus finitur, contrariatur pœnæ, quæ sinè fine durat, scilicet justitiâ ipsius A. & dominio mediante; quoniam verò gloria in creatura per primam intentionem existit, pœna verò per secundam, propterea oportet per hoc medium pœnam & culpam opponi.

Alia species est per medium oppositorum; nam gloria est oppositа culpæ, quia culpa cum pœna concordat, pœna verò est oppositа gloriæ, quia gloria concordat cum merito contrario culpæ, sed pœna contrariatur merito, quia meritum cum gloria concordat.

In

In *quinto membro* defectu ipsius esse potestas & voluntas mediatè scientiæ repugnant, defectu autem voluntatis potestas & scientia contrariantur, defectu verò potestatis scientia & voluntas contrariantur. Hæc eadem contrarietas in *sexto membro* sequitur.

De medio in concordantia & contrarietate camerarum ipsius X. retulimus; unde hæc *tertia species* ipsius X. ab artista magìs ametur, quàm ulla alia specierum ejusdem X., nam per hanc speciem priùs particulare in universali reperitur, quàm per alias

De Quarta Specie ipsius X.

Hæc quarta species ipsius X. significat, qualiter cameræ *sinè medio* in subjecto concordent, & etiam opponantur. Primò dicemus de concordantia.

De Concordantia.

Dicimus igitur, quòd sapientia, justitia, perfectio, esse, potestas, voluntas & scientia in A. sinè medio concordent, cùm in esse unum & idem existant; quod autem dictum est, ipsas cum medio concordari, id quidem est, prout S. accipit *tertiam figuram* ipsius A. pro objecto.

Perfectio & esse, meritum & gloria concordant; privatio & defectus, pœna, culpa & ignorantia conveniunt; prædestinatio, sapientia & perfectio, similiter liberum arbitrium, justitia & perfectio concordant; hoc autem existit secundùm relationem & comparationem majoris & minoris concordantiæ.

Secundùm triangulum viridem uno modo in *prima figura* ipsius A., alio in *secunda*, & alio in *tertia figura* sinè medio cameræ ipsius X. concordant: & hoc idem est de concordantia, in qua cameræ ipsius X. sunt in sapientia ipsius A., & in ipsis C. G. in concreto; unde ista diversa concordantia in mente artistæ plurimùm imprimatur.

De Contrarietate.

Prædestinatio & liberum arbitrium secundùm comparationem majoris & minoris contrarietatis in C. sinè medio sunt adversæ; sapientia verò, perfectio, justitia, potestas, voluntas, scientia ignorantiæ, defectui, privationi, culpæ atque pœnæ sinè medio simul repugnant: similiter meritum & culpa, gloria & pœna, esse & privatio sibi invicem opponuntur; hæc enim contrarietas unius cameræ ad aliam simpliciter accipitur absque eo, quòd una camera juvet aliam alteri repugnare: *quapropter in contrarietate seu concordantia prædicta sinè medio non oportet in hac arte miscere cameras ipsius X., nisi duas in duas, prout sinè medio concordant vel contrariantur; in concordantia verò vel contrarietate cum medio tres in tres, vel quatuor in quatuor, vel plures simul cameras ipsius X. miscere convenit.*

De Quinta Specie ipsius X.

Hæc species in *quatuor figuras* dividitur, *prima* est affirmationis, *secunda* negationis, *tertia* dubitationis, *quarta* determinationis. Per has quatuor figuras ars tota decurrit, quapropter Doctor hujus artis præcipit in principio F. G. per S. T. A. V. X. discurrere, imaginato statu & qualitate figurarum ipsius S. T. A. V. X. recolendo & intelligendo, qualiter S. in quatuor speciebus, quæ sunt E. I. N. R., & qualiter T. in duabus figuris videlicet principiorum & elementorum existat, & qualiter figura principiorum in quinque triangulis consistat, elementorum verò ex quatuor complexionibus sit constructa, & qualiter in A. tres figuræ, videlicet essentia, Trinitas & rationes existant, sic loquendo: ampliùs qualiter V. ex duabus figuris videlicet virtutibus & vitiis copuletur: præterea qualiter illæ duæ figuræ multiplicentur in decem, prout in *ista Lectura* præbuimus exemplum.

Post has conditiones F. G. per X. debent discurrere considerando, qualiter hæc figura X. sex species continet, deinde debent imaginari, quomodo *septima figura ipsius S.* intrat compositionem cum *generali figura* ex ipsis A. T. V. X. copulata: ampliùs qualiter ex hac mixtione quædam *figura universalis* appellata formatur, in qua quæritur particulare figuræ compositæ ex A. Y. Z., quæ *figura particularis* vocatur, ad quam F. G. moventur, ut forment istas cameras [E. A. V. Y.] [I. V. Z.] [M. A. V. Y. Z.] quæ finalis intentio artis existunt.

Per hanc imaginationem prædictas figuras imaginari oportet, ut F. G. discurrere sciant; priusquam verò discurrant, oportet fieri considerationem & discursum prædictum, nam in imaginatione sunt oculi sensuales, qui ipsorum F. G. spirituales oculos aperiunt.

De

De Prima Figura ipsius X.

PRima figura *affirmationis* ipsius X. ex sapientia & perfectione ipsius A. & ex esse atque prædestinatione componitur, affirmante C., quòd, si sapientia ipsius A. ejúsque perfectio unum idem existunt, necessariò prædestinatio & esse convenire debent; quia, si foret oppositum, sequeretur, ipsius A. perfectionem & sapientiam discordare.

Hæc figura X. prædestinationi tribuitur, quod est, quia gravis quæstio intelligitur per ipsam, velut autem prima figura ipsius X. ex prædestinatione formatur, sic in illa eadem figura possunt aliæ figuræ constitui, ex quibus formentur quæstiones & solutiones, quanquam ex prædestinatione non sint; & velut in primo membro ipsius X. constituitur affirmatio, sic potest in reliquis membris formari.

De Secunda Figura ipsius X.

HÆc *negationis* figura est, videlicet quando C. per concordantiam justitiæ atque perfectionis ipsius A. affirmat liberum arbitrium, quâ quidem affirmatione negat prædestinationem, & similiter quando C. negat liberum arbitrium, affirmat prædestinationem: igitur cùm ita sit, ista secunda figura ipsius X. ex *quatuor cameris* copulatur, quibus *secundum membrum* componitur; velut enim in secunda figura per secundum membrum decurrente comparavimus ipsius X. difficilem negationem, sic liberi arbitrii difficilis negatio in prima figura consistit; unde in subtili & difficili negatione ac affirmatione revelatur universale, ut in prima & secunda figura ipsius particulare subtiliter inquiratur.

De Tertia Figura ipsius X.

HÆc tertia figura *dubitationis* existit, quæ resultat in S. de prima & secunda figura; unde ista dubitatio causa est, quâ F. G. iterum discurrant per S. T. A. V. X., prout superiùs est relatum, inquirendo, quid cum esse, perfectione ac majoritate affirmationis vel negationis conveniat, vel an sint in contradictione, seu an sint æquales extra contradictionem?

Hæc dubitatio ex E. I. N. R. formatur, quia E. pro objecto accipit in diversis temporibus primam & secundam figuram; I. autem habet H., ut una figura concordet cum majoritate, & alia cum minoritate; & quoniam E. uno tempore ambas figuras non potest pro objecto accipere, dubitat N., ne contradictio implicetur, & propterea opinatur R., unam figuram cum Y. concordare, aliam verò cum Z.: quamobrem accidentaliter in speciebus ipsius S. dubitatio formatur.

Prout exemplificavimus in particulari, qualiter per primam & secundam figuram ipsius X. in speciebus ipsius S. dubitatio generetur, ut in quarta figura sint prædestinatio & liberum arbitrium, eâdem ratione dubitare potest investigator inquirens, ut in quartam figuram ipsius X. sciat per dubitationem intrare, ac in eadem particulare valeat invenire, cujuscunque scientiæ sit, in quo quidem particulari sic subtiliter & difficulter dubitare debet, dum inquirit, velut in prima & secunda figura ipsius X. difficulter & subtiliter dubitat. Igitur cùm ita sit, significatur istâ figurâ dubitationis, quòd, sicut illi convenit subtiliter & difficulter affirmare & negare, sic eidem convenit subtiliter & difficulter dubitare, qui cupit sublimare intellectum in investigatione particularis in universali.

De Quarta Figura ipsius X.

QUarta figura ipsius X. *determinativa* dicitur, removens R. à societate ipsorum E. I. N.; unde oportet, quòd hæc figura primam & secundam concordet & coæquet cum esse, majoritate, perfectione & Y., sed ipsius primæ & secundæ contrarium cum privatione, defectu & Z.; hæc autem concordantia fit, dum E. de necessitate accipit primam figuram, deinde F. G. per secundam discurrunt, taliter discurrendo per S. T. A. V. X., quòd E. pro objecto habere possit A. V. Y., & ut camera ipsorum I. V. Z. inde taliter formetur, quòd tertia figura de actu in potentiam, prima verò secunda & quarta in E. de potentia in actum transmutentur.

Ut hæc quarta figura de potentia moveatur ad actum, oportet, quòd F. G. per ipsum T. unius figuræ ad aliam in A. differentiam habeant, & ut ipsum A. perfectionem & majoritatem, minoritatem autem & creaturam concordent; ob hoc enim C. intelliget contradictionem non existere, ut prima & secunda figura consistant; quoniam autem C. in tertia figura ipsius A. illud, quod est in ipso A., secundùm primam & secundam figuram ejusdem non potest

potest accipere, propterea secundùm opus creaturæ in prima & secunda figura ipsius X. contradictio videtur existere, quod in C. secundùm *tertiam figuram* ipsius A. apparet esse contradictio, & quia *prima* & *secunda figura* ipsius A. cum Y. majoritate, esse atque perfectione concordant, ejusdem verò *tertia* opposita primæ & secundæ figuræ ipsius in S. cum minoritate, privatione, defectu & Z. concordat, propterea hæc quarta figura secundùm hanc concordantiam determinativa est: si enim per primam & secundam figuram ipsius X. contradictio foret, quanquam ipsi S. in tertia figura ipsius A. videtur contradictio, sequeretur, primam & secundam figuram ipsius X. non meliùs concordare cum prima & secunda ipsius A., quàm cum tertia ejusdem A., hoc autem est impossibile, cùm prima & secunda figura ipsius A. cum majoritate perfectione ac esse, tertia verò cum minoritate, defectu ac privatione conveniat, per quod majus & minus particulare ipsius X. revelatur, qualiter in tertia figura ipsius A. & tertia figura ipsius X. mediatè videtur esse contradictio, quod non est contradictio secundùm concordantiam primæ & secundæ figuræ ipsius A. cum prima & secunda figura ipsius X.

Per hoc prædictum particulare, quo revelatur prædestinationem & liberum arbitrium cum esse & perfectione, prout suprà significavimus & demonstravimus, absentiâ contradictionis concordare, aperitur universale, præbens regulam & doctrinam, quibus particulare, quod in universali quæritur, per simile sciatur & valeat reperiri. Igitur cùm hoc ita sit, quarta ista figura ipsius X. supra omnes alias regulas hujus artis ab artista diligatur, ut ipsius modum & regulam sequatur in investigatione particularis, quod desiderat invenire.

De Sexta Specie ipsius X.

HÆc species ex *sex membris* componitur, & ex cameris ipsius X. copulatur.

De Primo Membro ipsius X.

PRimum membrum ex *sapientia*, *perfectione*, *prædestinatione* & *esse* constituitur; hoc autem membrum subjicitur, ut per ipsum investigetur objectum, quod per concordantiam, aut per inconveniens sapientiæ, perfectionis, esse, prædestinationis invenire volumus: quare semper id concordet cum majoritate & Y., per quod inter illas quatuor cameras sequitur concordantia, ex quibus membrum superiùs dictum componitur; illud verò, per quod inconveniens & contrarietas sequitur inter sapientiam, prædestinationem & esse, concordet cum minoritate & Z.

Hoc membrum se habet ad affirmationem per conveniens unius cameræ cum alia, ad negationem verò per inconveniens ejusdem cum eadem; ampliùs per inconveniens unius cameræ cum alia secundi membri se habet ad negationem, ad affirmationem autem per concordantiam suarum camerarum cum cameris secundi membri; quoniam verò cameræ duorum membrorum principalium concordant cum majoritate, & contrarium eorum cum minoritate, propterea oportet ipsi esse & Y. attribuere concordantiam, privationi verò & Z. contrarietatem. Igitur cùm hoc ita sit, quoddam universale aperitur, per quod multa particularia poterunt reperiri, videlicet quòd in S. per minoritatem, privationem, defectum & Z. inter cameras primi & secundi membri & inter duo simpliciter inconveniens formatur; inter alias autem & alias cameras concordantia secundùm esse reale formatur.

De Secundo Membro ipsius X.

HOc membrum ex *justitia*, *perfectione*, *libero arbitrio* & *esse* componitur; istæ cameræ subjiciuntur, ut particulare per conveniens vel inconveniens perquiratur; nullum enim particulare cum affirmatione convenit, ubi inconveniens inter unam & aliam cameram sequitur; quia si sic, sequeretur in A. concordari privationem & defectum contra perfectionem & esse; hoc autem est impossibile.

Hoc membrum concordat, ut primum membrum negetur, cùm inconveniens & contrarietas inter unum & aliud membrum falso modo formantur; convenit verò cum affirmatione, cùm inter cameras unius & alterius membri de necessitate formatur concordantia. Igitur cùm hoc ita sit, revelatur, quòd, sicut majus est inalterabile per suum oppositum minus absque medio, sic impossibile & inalterabile videtur, ut per liberum arbitrium alteretur conveniens in inconveniens inter unam & aliam cameram duorum prædictorum membrorum;

rum; *& propterea datur ars, & regula, qualiter Artista intelligat & sciat per hanc regulam particularem in prædestinatione & libero arbitrio regulam universalem formare, per quam valeat multa diversa particularia invenire.*

De Tertio Membro ipsius X.

ISTud membrum ex *quatuor cameris* componitur, quæ sunt *esse*, *perfectio*, *privatio* & *defectus*; hoc verò membrum in *duas species* dividitur: *una* est, cùm super uno eodémque supposito omnes quatuor cameræ concordant, in quantum illud suppositum est objectum eisdem cameris; *alia* verò species est, cùm esse & perfectio conveniunt uni absentiâ privationis & defectûs, alteri verò sinè perfectione & esse conveniunt privatio & defectus.

Per hoc membrum regula habetur, ut A. ejúsque cameræ inquirantur, & inter unum & aliud majus differentia fiat, & ut una majoritas super altera multiplicetur, & una concordantia super altera: hoc idem sequitur de triangulo nigro, de cameris ipsius V. & figura elementali; quapropter in hac arte plurimùm ab artista hoc tertium membrum ametur, per quod multa particularia poterit invenire, si sciverit hoc membro in hac arte potiri.

De Quarto Membro ipsius X.

ISTud membrum ex *quatuor cameris* componitur, quæ sunt *gloria* & *meritum*, *pœna* & *culpa*. Hoc autem membrum *duas species* continet, quæ nunquam uno tempore in eodem supposito immediatè sunt concordes; quia si sic, sequeretur, quòd gloria & pœna simul ac meritum & culpa unum & idem existant, & sinè contrarietate & differentia concordari possint; hoc autem est impossibile, quo designatur ars & regula, quibus particulare per inconveniens unius speciei ad aliam perquiratur, & per gloriam & meritum culpa simul & pœna concordent.

In hoc membro particulare Theologiæ & Juris investigetur, in hac autem investigatione reliqua membra misceantur, ut in hoc particulare reperiri valeat; velut enim cum una manu alia lavatur, sic in hac arte unum membrum alteri servit, dum particulare quæsitum investigatur.

De Quinto Membro ipsius X.

QUintum membrum ex *quatuor cameris* videlicet *potestate*, *voluntate*, *esse* & *scientia* componitur: per esse monstratur, qualiter potestas, voluntas, scientia concordent, vel opponantur, prout in speciebus ipsius X. præbuimus exemplum. Per hoc membrum manifestatur, qualiter unum particulare se habet ad esse per essentiam, aliud per C., aliud per A., & aliud per concretum: præterea qualiter una scientia per opinionem, alia per probabilitatem & alia per demonstrationem habetur, prout una cum majore potestate, alia verò cum minore concordat in esse: præterea per hoc membrum ostenditur, qualiter una potestas habetur in actu, & alia in potentia, & qualiter una voluntas per primam intentionem, & alia per secundam, & sic de cæteris his similibus.

Cùm in particulari per potestatem, voluntatem, scientiam & esse dubitabitur, fiat ad hoc membrum recursus, & ipsum T. cum speciebus ipsius S. in ipso ponatur; cum hoc autem membro *sextum* formetur concordans cum minoritate, privatione & defectu; nam per hoc cum perfectione, majoritate & esse conveniens cognoscetur illud.

De Sexto Membro ipsius X.

SExtum membrum ex *potestate*, *voluntate*, *ignorantia* & *privatione* componitur, videlicet, potestas & voluntas per privationem scientiæ inclinantur ad privationem, & ignorantia venit in C. G., quæ alterantur in L., in quo potestas & voluntas concordant cum privatione contra *quintum membrum*, in quo potestas & voluntas concordant cum esse in C.G., privatio & ignorantia cum L. conveniunt, C. G. autem cum esse atque scientia concordant.

Istud membrum huic arti multùm contrariatur, quòd est, quia opponitur *quinto membro* cum arte fortissimè concordanti; unde si amator hujus artis in brevi tempore vult proficere, ut ipsius intellectus per hanc artem sublimetur, oportet, quòd hujus membri sit inimicus, & quòd potestatem & voluntatem à servitute privationis & ignorantiæ extrahat, & ipsas in libertatem quinti membri ponat, ut sciat per artem discurrere, &, quod desiderat, invenire.

Dixi-

Diximus de figuris ipsorum S. T. A. V. X., nunc oportet nos de generali, & particulari figura referre.

FIGURA PARTICULARIS.

Figura particularis componitur ex ipsis A. Y. Z., prout ostensum est in figura objectorum. Vocatur figura particularis, quia in hac arte particulare in universali quærimus, quod particulare oportet reperiri per ipsa A. Y. Z., cùm S. format infrà scriptas cameras: [E. A. V. Y.] [I. V. Z.] [M. A. V. Y. Z.] ad quas cameras tota finalis intentio hujus artis movetur, quæ ars consistit in mixtione, quam facit S. ex figura generali & figura specierum, ut prædictæ cameræ per particularia formari valeant.

FIGURA GENERALIS.

Figura generalis componitur ex ipsis A. T. V. X., prout ostensum est in figura objectorum, & significat conditionalem doctrinam, qualiter artista debet quamlibet figuram recolere, prout existit in habitu illius intellectûs; deinde debet unam figuram cum alia miscere, ut ipsi particulare secundùm concordantiam vel inconveniens mixtionis figurarum per opus specierum ipsius S. patefiat, semper verò conveniens cum esse, Y., majoritate & perfectione concordet, nisi contra formam & qualitatem figurarum hujus artis idem inconveniens sequatur, quas designavimus & habitualiter dedimus ipsis F. G., quamlibet figuram per seipsam videlicet S. T. A. V. X. per ordinem exhibendo.

Hujus figuræ generalis talis est conditio, videlicet quòd figura composita ex speciebus ipsius S. in ipsa ponatur, ut reveletur particularis figura, & etiam particulare, quod inquiritur. Quare, quando inconveniens sequitur propter mixtionem ipsarum duarum figurarum, semper illud inconveniens privationi, Z., minoritati atque defectui comparetur, quia stat contra formam & proportionem ipsorum S. T. A. V. X. & contra cameras ipsorum. [E. A. V. Y.] [I. V. Z.] [M. A. V. Y. Z.] quæ cameræ concordant cum esse, majoritate, perfectione & Y. & cum hujus intentione finali.

De figura generali retulimus, nunc oportet dicere de *figura universali*, in qua particulare quæritur, ad quam ista ars movetur, propter quod particulare possunt formari sequentes cameræ.

INCIPIT SECUNDA DISTINCTIO QUÆ EST DE Figura Universali.

HÆc figura vocatur *Universalis*, in qua particulare quæritur; componitur autem ex *figura specierum* & *figura generali*, & in ipsa *viginti octo cameræ* formantur, de quibus breviter volumus tractare. Præterea explicabimus de qualibet camera, qualiter una cum alia in universali habetur, ut per illud exemplum designetur & reveletur particulare secundùm conditiones istius artis, & secundùm conveniens vel inconveniens unius cameræ cum alia propter particulare, quod inquiritur, quod particulare ad conveniens camerarum, ejus autem contradictoriè oppositum ad inconveniens refertur. In his autem brevibus sermonibus tota regula consistit, & conditio hujus artis difficilis est, & subtilitas hujus artis existit in discursu ipsius S. per A. T. V. X. Y. Z., & ideo ponimus hanc universalem figuram, per quam præbeatur doctrina discursûs designati in conditionibus camerarum hujus universalis figuræ.

De Conditionibus Figuræ Universalis.

Camera 1.

[*E. I.*]

VOluit A. ordinare, quòd E. se habeat ad primam intentionem, I. verò ad secundam, & quòd A. V. Y. sint objecta ipsi E., & V. Z. ipsi I., & quòd, cùm E. est in actu, I. sit in habitu, & è converso, E. habente primam intentionem ad ipsum A., & I. serviente ipsi E., dante E. suum I. contra aliud I. concordans cum alio E. contrario primo E. Unde si particulare, quod quæritur, cum istis conditionibus convenit, concordabit cum esse, Y., majoritate, perfectione & cum affirmatione, ipsius autem contradictoriè oppositum conveniet cum privatione, Z., minoritate, defectu & negatione, quia contra prædictam ordinationem existit.

Tanto tempore misceri oportet, E. I. per cameras universalis figuræ, quousque reperiatur particulare concordans cum supradictis conditionibus in E. I.; si verò cum ista camera & cum prædictis conditionibus non convenit, ponatur in alia camera, deinde in alia tamdiu, donec inveniatur camera, cum qua conveniens sit salvis conditionibus ipsorum E. I.; si autem cum aliqua camera non conveniat, accipiatur oppositum illi contrarium, quod cum omnibus cameris & conditionibus discurrat.

Camera 2.

[*E. N.*]

HÆc camera taliter conditionatur, quòd inde reperiri potest particulare, quod quæritur; nam N. sic movetur ad E., ùt forma, quæ movetur in materiam, cùm venit de potentia in actum; unde, quando cum ista camera inquiretur particulare, discurrant F. G. per cameras universalis figuræ taliter, quòd huic cameræ suæ conditiones conservari possint; si autem illud particulare est contra cameras & conditiones ipsorum E. N., convenit cum Z. & privatione, ipsius autem oppositum cum Y. & esse.

Quandoque contingit, quòd N. superascendit E. in uno eodémque supposito, quolibet habente pro objecto Y.; hoc autem facit N. intentione, quâ sit causa ipsi E., ut ascendat ad gradum, ubi existit N., & N. ad alium gradum superascendat; unde secundùm quod quidam gradus sunt superiores aliis, consistit Y. in habitu uno tempore in E., & alio in N.; cùm autem Y. existit habitualiter in E, est actualiter in N. uno gradu superiori, quàm gradus, ubi est E.; cùm verò Y. existit actualiter in E., consistit habitualiter uno gradu superiori in N.; unde per hanc ordinationem & scalas ascendunt E. N. ad ipsum Y. elongantia se ab ipso Z., ut ascendant ad A. Hâc ordinatione revelatur proportio, quæ est inter E. N., ut ascendant ad Articulos Sanctæ Fidei Catholicæ. Igitur cùm hoc ita sit, quidquid est huic ordinationi contrarium, convenit cum privatione & Z., quo principio particulare, quod quæritur, per inconveniens revelatur.

Camera 3.

[*E. R.*]

EConcordat cùm majoritate essentialiter, R. autem accidentaliter; si verò E. pro objecto habet V. Z., convenit R. cum majoritate essentialiter & accidentaliter, si verò E. pro objecto habet A. V. Y., concordat R. essentialiter & accidentaliter cum majoritate & cum minoritate; unde, si particulare, quod inquiritur, reperiatur secundùm convenientiam supradictæ regulæ, concordabit cum majoritate, esse, Y. & perfectione, ipsius autem oppositum prædictæ ordinationi contrarium cum privatione, minoritate, Z. & defectu conveniet.

Camera 4.

[*E. A.*]

CUm investigabitur aliquod particulare in universali figura, inspiciatur, si convenit cameræ ipsorum E. A. salvis conditionibus cameræ, videlicet quòd illa convenientia non sit contraria tribus figuris ipsius A., & quòd E. habens A. pro objecto non concordet cum V. Z., nec generet I. contra A. V. Y.; nam est impossibile, quòd aliquod particulare cum Y. esse, majoritate & perfectione conveniat, quod prædictæ cameræ repugnet, quâ impossibilitate revelatur, quòd particulare cum camera concordans concordat cum Y., esse, perfectione & majoritate: si autem contingat, quòd concordantia ipsorum E. A. non sufficiat ad reperiendum particulare, quod melius con-

venit cameræ ipsorum E. A., quàm aliis cameris, misceantur cum illa camera reliquæ cameræ universalis figuræ, ut multiplicatione cameratum fortiùs reveletur secretum particularis, quod inquiritur.

Camera 5.

[*E. T.*]

AD inquirendum particulare in universali figura oportet inspicere qualitatem particularis, quod dare vis ipsi E. pro objecto, in quo triangulo ipsius T., vel in qua camera elementalis figuræ convenit; hæc autem convenientia taliter existat, quòd non sit contra conditiones ipsorum E. T., neque contra convenientiam, quam E. T. habent cum A. V. X. Y. contra Z.; nam contrarietas contra hanc convenientiam concordat cum privatione, defectu, minoritate & Z., ipsius autem oppositum cum esse, perfectione, majoritate & Y.

Camera 6.

[*E. V.*]

HÆc camera duplicatur, quia V. est duplex; unde si particulare, quod inquiritur, per hanc cameram declarari debet, oportet, ut accipiatur pro objecto in T. triangulus viridis & croceus, & quòd concordet E. cum A. V. Y., ut fiat differentia inter unum V. & aliud, & si particulare revelatur per concordantiam ipsorum E. A. V. Y., conveniet cum Y., majoritate, esse atque perfectione, si autem est contra E. A. V. Y., conveniet cum Z., minoritate, privatione & defectu, & propterea revelabuntur duo supposita, unum contra aliud, quorum unum detur ipsi E., aliud ipsi I., taliter, quòd conservetur camera ipsorum [E. A. V. Y.]

Camera 7.

[*E. X.*]

CUm E. accipit pro objecto X., oportet, quòd inquiratur, quod membrum, seu quæ species, seu quæ figura ipsius X. accipiatur, & inspiciatur, cum quo particulari convenit E., tali modo, quòd E. non deficiat in sua forma, nec X. suam formam neque suas qualitates amittat; deinde oportet, quòd ibi addantur A. T. V. Y. Z., ut fiat differentia quarundam cameratum ab aliis ipsius X, ut cum A. V. Y. Z. sciatur cognosci, quas cameras ipsius X. accipit E. concordando cum A. V. Y. seu cum V. Z.; particulare autem, quod concordat cum ipsis E. A. V. Y. contra E. V. Z., conveniet cum esse, Y., perfectione & majoritate, particulare verò ipsius oppositum concordans cum E. V. Z. privationi, minoritati, Z. & defectui tribuatur.

Camera 8.

[*I. N.*]

PArticulare, unde sequitur concordantia ipsorum I. N. habente I. ipsa V. Z. & N. ipsa A. V. Y. Z. pro objecto, convenit cum Y., ipsius oppositum cum Z.; cùm autem Y. & esse conveniant, & Z. & privatio, propterea erunt ipsis F. G. duo particularia unum alteri oppositum, unum illorum erit illud, quod quæretur, quod revelabitur per concordantiam & supradictam regulam, & N. transformabitur in I., & ipsius forma remanebit in habitu, & I. serviet cuidam E., quod habebit particulare, quod quæretur. Unde si propter particulare, quod dabitur ipsi E., sequetur inordinatio ipsorum I. N., habebit se H. ad perfectionem, esse, majoritatem & Y., E. autem ad privationem, defectum, minoritatem & Z., & è converso.

Camera 9.

[*I. R.*]

COnditio ipsorum I. R. est, quòd R. contineat in O. P. Q. tantum materiæ ipsius E., quòd I. conveniat cum minoritate, & quòd E. recuperans suas partes concordet ipsum I. cum minoritate & privatione; unde, si particulare, quod quæritur, convenit cum conditione istius cameræ, concordabit cum Y., si verò non, cum Z.; & ideo convenit, quòd E. Y. dentur affirmativæ, I. Z. verò negativæ, quod si non fiat, fit contra conditiones cameræ.

Camera 10.

[*I. A.*]

HÆc camera talem conditionem habet, quòd I. habeat F. G. ad A., ut habere possit ipsum H. contra objectum, quod contra A. ejusdémque cameras existit, & per quod objectum sumptum ab ipso H. sequeretur, quòd A. ejusdémque cameræ concordarent cum minoritate, contrarietate, privatione, defectu & Z.; & quoniam hoc est impossibile in A. & ejusdem cameris, oportet necessariò, quòd omne particulare, quod auferret inconveniens, quòd

prædicta impossibilitas possibilitas esset, cum Z. concordet, & quòd H. oppositum ipsi Z. serviat cuidam E., quod habeat B. C. D. ad A. V. Y., cui E. dabitur particulare, quod quæritur, si sciantur conservari cameræ ipsorum I. A. & suæ conditiones.

Camera 11.
[*I. T.*]

Et habet B. C. D. in conditionibus ipsius cameræ, recolente B., & intelligente C., & diligente D., quòd T. est divisum in duas figuras, quarum una componitur ex quinque triangulis, alia verò ex quatuor elementis, I. autem in se continet F. G. H., ut cum F. G. discurrat per T. ad inquirendum V. Z., ut sint objecta ipsi H., & ut A. V. Y. sint objecta ipsi E.; unde si particulare, quod quæritur, concordat cum istis conditionibus, detur affirmativæ, negativæ verò, si contra istas conditiones existit.

Camera 12.
[*I. V.*]

COnditiones hujus cameræ sunt, quòd I. sit contrarium V. rubeo, ut E. N., quæ dominantur ipsi, valeant cum V. livido convenire; unde si particulare, quod inquiritur, concordat & convenit cum hac ordinatione, cum affirmatione conveniet, si autem est huic ordinationi contrarium, cum negatione concordabit; si verò per I. V. solum prædicta concordantia reperiri non potest, misceantur cum ista camera tot cameræ ipsorum A. T. X. S., quòd inveniatur convenientia suprà dicta; & si per omnes istas cameras prædicta concordantia formari non potest, relinquantur illa particularia, & capiantur alia, quibus cameræ suæ conditiones salvari possint, & fieri valeat prædicta convenientia affirmationis & negationis.

Camera 13.
[*I. X.*]

HÆc camera habet has & alias multas conditiones, videlicet quòd I. discurrere faciat F. G. per X. taliter, quòd X. suam formam nequaquam amittat, neque quòd I. irregulatum existat, & quòd justitia & prædestinatio in quarta figura tam fortiter concordent, velut sapientia & prædestinatio in prima, & hoc idem sequatur de libero arbitrio; præterea quòd in tertio membro A. ejusdémque cameræ cum esse atque perfectione conveniant absentiâ defectûs & privationis, & quòd in quarto membro I. habeat ipsum H. contrà pœnam & culpam, ut E. habeat D. ad gloriam & meritum, & E. possit habere quintum membrum ad A., & sextum membrum habeat pro objecto I. ad H., sequendo prædictam ordinationem: unde, si particulare cum sex speciebus ipsius X. & cum quatuor figuris ejusdem X. sine irregularitate ipsius I. conveniet, concordabit cum Y., si verò non, concordabit cum Z.

Camera 14.
[*N. R.*]

VElut elementa sensualiter habent locum, ubi miscentur, & ubi digestionem subintrant, ut ad compositionem veniant, ubi sit mixtio perfectior, quàm illa, ubi ante digestionem miscebantur, sic E. I. N., loquendo metaphoricè, miscentur in R., & fit digestio in N. Fidei & Spei, discurrendo F. G. tantùm per S. A. T. V. X., quousque E. I. habeant objectum conveniens ipsi Y. contra Z., & remanet & existit N. in habitu, R. autem in potentia, cùm M. diligens Y. cum esse conveniat, Q. verò non diligens Y. cum privatione concordet. Unde si particulare, quod inquiritur, convenit cum tali conditione, qualis in hac camera designatur, convenit cum Y. & affirmatione, ipsius autem oppositum cum Z. & negatione concordat.

Camera 15.
[*N. A.*]

HUjus cameræ conditiones sunt, quòd N. diligat A. ejusdémque cameras, & quòd E. I. non sint contra A, nec cameras ejus; ampliùs quòd A. & ipsius cameræ non sint contrariæ ipsis E. I., neque E. I. ipsi A. & cameris ejus; ampliùs si E. ascendit ad ipsum A. per N., quòd N. meritum non amittat, & quòd remaneat in habitu in gradu, ubi erat E., cùm tantùm non ascenderat, & quòd N. super gradum ascendat, ad quem ascendit E., præterea quòd E. semper majus existat per N., & N. per E., & majus sit I. contra V. Z., & M. contra Z.: unde, si particulare, quod inquiritur, convenit, & se habet ad istas conditiones, concordabit cùm Y., ipsius autem oppositum cum Z.; quod si non esset, sequeretur inconveniens contra istas conditiones, si autem inconveniens concordaret cum Y., esse &

& perfectione, sequeretur, quòd A. & ipsius cameræ convenirent cum Z., privatione & defectu, quod est impossibile.

Camera 16.
[*N. T.*]

AD investigandum particulare in universali, oportet, quòd F. G. discurrant per T., & quòd N. ipsis det lumen per illum discursum, affirmando possibile vel impossibile, miscentibus F. G. cameras ipsius T. tantùm, quòd N. convertatur in E. actuale, & remaneat in habitu ipsius E., in quo habitu N. potentialiter existat, ut E. in habitu ipsius N. potentialiter sit existens: unde, si particulare, quod inquiritur, concordat cum supradictis conditionibus, & quòd N. T. inde possint habere concordantiam in suis conditionibus & qualitatibus, concordabit particulare, quod quæritur, cum Y., oppositum autem ipsius cum Z.

Camera 17.
[*N. V.*]

HUjus cameræ conditiones sunt, quòd N. diligat V. lividum, & odiat V. rubeum, præterea quòd N. majus existat, ubi K. L. M. se fortiùs habent ad V. lividum dilectum per M., minus autem sit, ubi K. L. M. se magìs habent ad V. rubeum dilectum per M.; si autem istæ conditiones convenirent cum Z. & privatione, sequeretur inde tale inconveniens in cameris ipsius A., quo A. esse non posset objectum ipsi E., nec I. posset accipere V. rubeum pro objecto, nec E. perfectè V. lividum: igitur cùm hoc sit inconveniens, revelabitur particulare, quod inquiritur, per inconveniens & per prædictas conditiones, si sciamus discurrere per hanc artem species ipsius S., quærendo inconveniens contrarium conditionibus cameræ per convenientiam particularis, quod inquiritur cum conditionibus cameræ.

Camera 18.
[*N. X.*]

CUm investigabitur particulare per N. X., dentur pro objecto ipsis F. G. qualitas & habitus, in quo se habent N. X. in S., & conservetur illa qualitas & habitus ipsorum N. X. in S., deinde inquiratur, utrùm particulare, quod quæritur, sit contra illum habitum, & an habitus ipsius N. sit contra X., & an habitus ipsius X. sit contra N., & discurrant F. G. per species, figuras & membra ipsius X., & per K. L. M., & particulare, quo poterit haberi concordantia inter N. X. absentiâ inconvenientis ipsorum E. A. V. Y. & I. V. Z., concordabit cum Y., ipsius autem oppositum cum Z.

Camera 19.
[*R. A.*]

REst confusio ipsorum E. I. N. in tertia figura ipsius A., cùm L. opinatur se esse C., & id, quod ignorat in tertia figura ipsius A., intelligat in prima & secunda figura ejusdem A., & K. opinatur recolere, quòd in A. non differant suppositа, & M. odit differentiam, quam negat K.; præterea F. G. carent virtute, quâ discurrere possint inter unam & aliam figuram ipsius A., quia in R. existunt confusa cum reliquis individuis specierum ipsius S. Igitur cùm hoc ita sit, particulari conveniente cum negatione negante, quòd id, quod suprà diximus, convenit cum Y., poterit reperiri particulare conveniens cum affirmatione affirmante, quòd id, quod diximus, cum Y. concordet.

Camera 20.
[*R. T.*]

IN elementali figura intrant elementa tali confusione in suppositа, quæ generant, quòd sensualiter in sua simplicitate oculis corporeis non possunt videri, & propterea videntur in re alia, videlicet in supposito ex ipsis constructo materiam & formam habente, si autem particulare, quod inquiritur, habet distinctionem unius cameræ ab alia in T., destruendo ipsum R., convenit illud cum Y., nam deducit in actum operationem, quâ formabitur differentia ipsorum E. I. N.; si verò particulare abscondit E. I. N. sub forma ipsius R. in confusione camerarum ipsius T., illud particulare concordabit cum Z.; repugnabit enim cameris ipsius T., & ipsorum E. I. N., & conveniet cum R., quod R. cum minoritate, privatione & defectu concordat.

Camera 21.
[*R. V.*]

HUjus cameræ conditiones sunt, quòd R. in se ipso confusionem faciat unius V. cum alio, & quòd non reveletur ipsis E. I. differentia neque concordantia unius virtutis cum alia nec unius vitii cum alio, neque differentia & contrarietas inter virtutem

tutem & vitium ; si autem particulare convenit, ad dandum differentiam & concordantiam unius virtutis cum alia, & ad dandum differentiam & contrarietatem inter virtutem & vitium, necessariò conveniet cum Y., ipsius autem oppositum cum Z., & ubi distinctio, concordantia & contrarietas supradictæ majores erunt, major erit manifestatio particularis, quod per conditiones cameræ inquiritur.

Camera 22.
[*R. X.*]

VElut R. in se ipso abscondit triangulos viridem, rubeum & croceum ipsius R. in E. I. N., sic particulare concordans cum Z. & cum minoritate contra particulare cum Y. & majoritate conveniens tres prædictos triangulos celat in X., & designat confusionem in X. specierum, figurarum & membrorum ejusdem : igitur cùm ita sit, & confusio conveniat cum Z., distinctio verò cum Y., propterea secundùm hanc conditionem conditionatur hæc camera ad designandum & revelandum particulare in universali, quod quæritur, & aperitur in distinctione & in triangulis ipsius X., ut dissolvatur R., & formentur E. I. N., quæ cum Y. conveniunt.

Camera 23.
[*A. T.*]

HUjus cameræ conditiones sunt, ut T. ordinetur instrumentum, quo E. possit A. ejúsque cameras pro objecto accipere, si autem particulare, quod inquiritur, illi instrumento sit contrarium, & si sequatur, quòd A. T. alterentur, & quòd eorum cameræ atque figuræ deleantur, oportet necessariò, quòd illud particulare cum Z. conveniat, ipsius autem oppositum cum Y. ; si verò sunt duo particularia, quorum unum oppositum est alteri, & unum designat fortiùs, quàm aliud, cameras & figuras ipsorum A. T., concordando ipsas cum majori perfectione, aliud verò cum minori perfectione, oportet, quòd majus significatum & particulare concordent cum Y.

Camera 24.
[*A. V.*]

HÆc camera habet tales conditiones, videlicet quòd A. V. non mutentur, nec alterentur in suis figuris, & quòd propter objecta, quæ accipiunt E. I. N., eorum formæ atque conditiones minimè deleantur ; unde si particulare, quod in universali quæritur, significat, quòd A. in se habeat aliquam contrarietatem inter unam & aliam cameram, & quòd concordet cum V. rubeo contra V. lividum, necesse est, quòd oppositum illius particularis conveniat cum Y. ; quia si conveniret cum Z., sequeretur, quòd E. I. N. recipientia pro objecto A. V. alterare possint A. V., quod est impossibile.

Camera 25.
[*A. X.*]

COnditionatur hæc camera his conditionibus : videlicet quòd propter objectum aliquod, quod E. I. N. R. accipiunt, A. X. alterabilia non existant : unde si A. alteraretur in X., vel X. in A., sive A. in se alterationem reciperet, vel X. amitteret suas conditiones operatione ipsorum E. I. N. R., concordaret A. cum minoritate, & X. in universali per E. I. N. R. deleri posset, quod est impossibile, quà impossibilitate revelatur, quòd particulare concordans cum durabilitate & inalteratione ipsorum A. X. convenit cum Y., ipsius autem oppositum cum Z.

Camera 26.
[*T. V.*]

AD inquirendum particulare per hanc cameram convenit hæc conditio : videlicet quòd non sequatur inconveniens contra T. V., quæ sunt principia & antecedentia illius particularis, quod oportet esse consequens secundùm convenientiam suorum antecedentium & principiorum ; sed particulare oppositum particulari consequenti & concordanti cum antecedentibus & principiis necesse est convenire cum Z. ; quia, si concordaret cum Y., sequeretur, quòd non conveniret T. V. esse universalia principia, quibus S. possit habere cognitionem, quæ inconvenientia impossibilis est impossibilitate, quæ est, ipsum A. cum suis cameris esse destructum.

Camera 27.
[*T. X.*]

MIsceri oportet T. X. in speciebus ipsius S., ut T. X. sint universalia & principia, quibus particulare, quod quæritur, reperiri possit ; unde particulare, cum quo

quo convenire poterunt T. X. sinè inconvenienti ipsorum A. V. X., concordabit cum Y., ipsius autem oppositum cum Z., cujus si foret contrarium, sequeretur, quòd A. non esset principium ipsis T. X., & quòd V. lividum & Y. non essent existentia contra V. rubeum & Z. ; hoc autem est impossibile, quà impossibilitate revelabitur secretum, quod petitur ex particularibus, quæ quæruntur.

Camera. 28.
[*V. X.*]

HUjus cameræ conditiones sunt, quòd V. X. taliter concordent, quòd E. se habeat ad A. V. Y., & quòd I. se habeat ad V. Z. ; unde si particulare quæratur in hac camera, affirmetur illud particulare, ex quo in V. X. convenientia sequitur, quâ ipsis E. I. prædicta objecta possint formari, & negetur particulare, unde sequitur, quòd E. pro objecto habere possit [A. V. Y. Z.] & I. [V. Y. Z.] actualiter & habitualiter uno eodémque tempore ; ista namque actualitas & habitualitas in contradictione consistunt & contra principia hujus artis.

Diximus de universali figura, qualiter in cameris ipsius particulare reperiri potest, salvis conditionibus cujuslibet camerarum, quæ contrariæ sunt particulari oppositi particulari, quod cum ipsorum conditionibus concordat, quâ contrarietate & quâ concordantiâ prædictis datur ars & doctrina ad inquirendum & reperiendum particulare in cameris universalis figuræ.

INCIPIT
TERTIA DISTINCTIO
DE
Conditionibus Quatuor Figurarum T. A. V. X.

REtulimus qualiter existunt & jacent hujus artis figuræ, videlicet S. T. A. V. X. Y. Z., & qualiter arte & conditionibus particulare in universali figura reperiri potest. Nunc ad T. regredi nos oportet, alios triangulos in aliis permiscentes, ut ipsius cameras taliter conditionemus, quòd inde quædam universalis figura formetur sub qua subsistant cameræ, quibus & quarum conditionibus particulare in universali valeat reperiri, & demonstretur doctrina discursûs in hac arte convenientis designatis conditionibus camerarum ipsis C. G., & hoc idem per consequens ex ipsis A. V. X. tractare convenit.

De Prima Figura ipsius T. & ejus Cameris.

HÆc figura in *centum & quinque cameras* dividitur, miscendo & combinando quamlibet camerarum cum alia secundùm istam figuram. Harum camerarum conditiones sunt, quòd nullæ ipsarum ad destructionem ipsius T. conveniant, nec una contra conditiones alterius existat ; quòd præterea omnes cameræ se habeant ad hanc artem & principia ejus, & quòd nullum particulare huic ordinationi, conditionibus & regulis contrarium conveniat cum majoritate, perfectione, esse, Y., A. & V. livido, ipsius autem oppositum concordet cum istis cameris [E. A. V. Y.] [I. V. Z.]

Camera 1.
[*Deus, Creatura.*]

HÆc camera designatur per duos angulos trianguli lividi ; operatio verò ipsius A. & creaturæ in tertio angulo designatur. Triangulus viridis ostendit differentiam, concordantiam & contrarietatem, quæ inter A. & creaturam existunt. Triangulus rubeus significat, qualiter A. est principium & finalis intentio creaturæ, & qualiter hic mundus medium est, quo rationale animal movetur de principio ad finem. Triangulus croceus significat, qualiter A. convenit cum majoritate, & qualiter in A. est æqualitas Personarum, in creatura verò majus, minus & æquale secundùm species,

individua & operationes sensuales & intellectuales. Per triangulum nigrum significatur, qualiter detur affirmationi & negationi omne illud, per quod A. magis cognoscatur, & majus conveniens sit, ut ipsis E. N. objectum existat; dubitatio autem sit ex rebus, unde sequitur inconveniens ex quibusdam triangulis in alios contradictoriè contra conditiones cameræ; illa verò dubitatio deleatur per particulare concordans cum istis conditionibus cameræ, & cum reliquis cameris ipsius T.

Hujus cameræ conditiones sunt, quòd omnes anguli ipsius T. taliter revolvantur super cameram, quòd camera & reliqui anguli triangulorum ad unum finem conveniant, ad significandum & demonstrandum particulare, quod cum ordinatione triangulorum in camera concordat, & convenit absentiâ omnis inconvenientis, ex quo sequeretur inconveniens, per quod ordinatio triangulorum in camera deleretur; præterea quòd tres species anguli Dei (sic loquendo) & tres anguli creaturæ non destruantur, quæ destructio est impossibilis secundùm hanc artem.

Camera 2.
[*Deus, Operatio.*]

PEr triangulum viridem habemus differentiam & concordantiam operis in A. secundùm secundam figuram ipsius A., quod est intrinsecum cum majoritate concordans, operatio verò extrinseca, quam habet A. in creatura, convenit cum minoritate, & operatio, quam habet A. in se ipso, æqualis est in cameris ejus, quâ æqualitate intelligit E., quòd opus est generandi Filium, & spirandi Sanctum Spiritum, & producendi cameras in Filio & Sancto Spiritu, quæ cameris ipsius A. æquales existant, ipso A. illas intelligente: quod si ita non esset, sequeretur, quòd opus ipsius A. intrinsecum cameris non esset æquale, quod est impossibile; quia, si possibile foret, ipsius opus intrinsecum cum minoritate conveniret, & cameræ ejusdem cum majoritate, quod est impossibile, quâ impossibilitate intelligit C., quòd in A. est, qui generat, & qui spirat, & qui producit Personas divinas, in quibus cameræ ipsius A. existunt. Igitur cùm hoc ita sit, prout jacent, & posuimus triangulos in camera Dei & operationis, oportet, quòd affirmatio vel negatio cum particulari conveniat, unde sequitur concordantia triangulorum in camera salvis conditionibus; particulare autem oppositum istis conditionibus cum minoritate, privatione, Z. & defectu conveniat.

Camera 3.
[*Deus, Differentia.*]

PEr triangulum nigrum affirmamus differentiam in A. secundùm secundam figuram ipsius A., negamus autem differentiam in eodem secundùm primam figuram; dubitamus verò per tertiam figuram, quod dubium cum minoritate concordat, affirmatio verò & negatio prædictæ cum majoritate concordant; quod est, quia prima & secunda figura ipsius A. cum majoritate conveniunt, & tertia cum minoritate. Unde, si particulare propter triangulum rubeum non convenit cum camera, nec cum reliquis angulis, & concordat, quòd sit cum contrarietate in differentia cameræ & contra angulos ipsius, oportet necessariò, quòd cum minoritate, Z. & defectu concordet, ipsius autem oppositum cum Y., majoritate & perfectione. Unde cùm istæ sint conditiones hujus cameræ, propterea potest haberi cognitio illius particularis, quod secundùm conditiones cameræ inquiritur.

Camera 4.
[*Deus, Concordantia.*]

OMnes trianguli ipsius T. ordinantur, qualiter demonstrent concordantiam intrinsecam, quam A. habet in secunda figura; quia sinè differentia, distinctione & æqualitate suppositorum non posset esse concordantia, quæ existeret per omnes cameras ipsius A.; concordantia enim extrinseca, quam habet A. cum creatura, minor est illâ, quam habet in se ipso; quod est, quia creatura non potest subjici concordantiæ infinitæ, cùm creatura triangulum rubeum habeat. Igitur cùm hoc ita sit, triangulus niger affirmare debet particulare concordans cum prædicta ordinatione triangulorum in camera, negare verò debet particulare oppositum supradicto, quod est causa ad negandum vel dubitandum, quòd in A. concordantia sit, sinè qua non existeret tam concordans ipsis E. V. Y., neque tam contrarium corruptioni, minoritati, privationi, defectui atque Z.; hoc autem sequeretur privatione concordantiæ intrinsecæ per

per omnes cameras ipsius A., quâ privatione esset in privatione concordantia extrinseca inter A. & creaturam in operatione.

Camera 5.
[*Deus, Contrarietas.*]

CUm dicimus per triangulum viridem & croceum, quòd A. concordat cum majoritate, & creatura cum minoritate, habemus triangulum nigrum negantem in A. contrarietatem existere; quia, si contrarietatem haberet in se ipso, non haberet, cum quo concordaret, ut major esset perfectè per omnes suas cameras, quàm creatura; cùm contrarietas, defectus & minoritas conveniant, concordantia verò & majoritas concordent: quoniam autem A. magis contrarium est contrarietati, quæ concordet cum minori & cum majori defectu, quàm creatura, idcirco oportet, quòd nullam contrarietatem habeat in se ipso; quia, si sic, non posset esse principium & finis concordantiæ creaturæ convenientis beatificari perdurabiliter istis cameris [E. A. V. Y.] [I. V. Z.] Igitur cùm hoc ita sit, secundùm prædictas conditiones reperiri potest conveniens vel inconveniens duorum particularium oppositorum, quæ quæruntur, ut unum ipsi E., aliud verò ipsi I. præbeatur.

Camera 6.
[*Deus, Principium.*]

HUjus cameræ conditiones sunt, quòd A. sit principium & prima causa creaturæ per influentiam sui operis, quod habet in se ipso, & præterea extrinsecum. Per viridem habemus, quòd A. in se ipso habeat distincta suppositа concordantia, in quibus niger contrarietatem negat, & affirmat, quòd A. majus principium existat, quàm reliquum esse, & quòd in se ipso habeat æqualia principia, quæ sunt principia creaturæ: præterea quòd principia, quæ creatura habet in se ipsa, minora existant, quâ minoritate C. intelligit, quòd A. in se habeat increata principia, quæ sunt ante creaturam, tempus & quantitatem. Unde si particulare, quod inquiritur, convenit cum istis conditionibus, concordabit cum majoritate, esse & Y., ipsius autem oppositum cum minoritate, privatione & Z., quod si non esset, sequeretur, quòd minoritas & privatio majoritatis existerent in cameris ipsius A., quod est impossibile.

Camera 7.
[*Deus, Medium.*]

SI particulare, quod inquiritur per viridem, concordat cum nigro, qui medium negat in A., affirmans, per croceum, quòd A. & majoritas conveniunt, creatura autem & minoritas, conveniet cum conditionibus hujus cameræ, ipsius autem oppositum erit illis adversum, quâ contrarietate cum Z. & privatione concordabit: si autem particulare convenit cum affirmativa, quæ affirmat Deum esse medium inter Deum & creaturam, concordabit cum viridi significante distinctionem suppositorum in A., & quòd Deus medium majori significatione det creaturæ majorem demonstrationem camerarum ipsius A., & quòd E. concordet fortiùs cum A. V. Y., & I. cum V. Z., si de Deo & creatura factum est unum suppositum, quo creatura vadat ad A. & cameras ejus, ut perfectam beatitudinem habeat.

Camera 8.
[*Deus, Finis.*]

HUjus cameræ conditiones sunt, quòd niger negationem faciat, quòd in A. privatio vel terminatio sit, & quòd affirmatio affirmet, quòd A. omnibus finibus finalis intentio existat, ut C. per rubeum intelligat, quòd omnium finium principium est A. & ejus cameræ, ut sit omnium finium perfectio: præterea quòd B. per croceum possit recolere, quòd prima intentio & majoritas concordant in A., & secunda & minoritas in creatura, & quòd corpora cælestia per viridem, croceum, rubeum & lividum per secundam intentionem existant, per primam verò terrena, & quòd inanimata sint per secundam & animata per primam. Præterea quòd animæ rationalium sint per primam & corpora per secundam, corpora autem irrationalium per primam, & animæ per secundam existant; præterea quòd vegetabilia, metalla & animalia irrationalia sint per secundam, homo verò per primam, & quòd homo sit per secundam, & A. & ejus cameræ sint per primam; cujus si foret contrarium, esset impossibile, quòd A. finis ultimus existeret, qui esset causa, finis & perfectio universis finibus, & quòd particulare posset inveniri per cameram, quia absentiâ prædictarum conditionum ejus non haberetur ars neque maneries,

quibus ipsum in universali reperiri posset, nec quibus istæ cameræ possent formari scilicet [E. A. V. Y.] [I. V. Z.]

Camera 9.
[*Deus, Majoritas.*]

HÆc camera conditionatur, quòd niger affirmet, quòd A. sit majus omni aliâ re, quæ A. non est, & quòd negativa neget, quòd in A. sit majoritas & minoritas, affirmante affirmativâ per viridem & croceum differentiam, æqualitatem & concordantiam in A. absentiâ contrarietatis, non dubitante, quòd A. sit, & quòd rubeum non habeat in se scilicet principium, medium & finem terminationis, magis verò affirmativa sit affirmans, quòd A. principium, medium & finis est omni creaturæ, prout cameris ipsius convenit: præterea quòd omne perfectum opus, quo C. possit percipere modum, quo A. & ejus cameræ demonstrentur majores absentiâ omnis inconvenientis, conveniat cum Y., ipsius autem oppositum cum Z., ut istæ cameræ [E. A. V. Y.] [I. V. Z.] [M. A. V. Y. Z.] possint majores formari, & earum contrariæ minores, ad inveniendum particulare, quod quæritur supradictis conditionibus.

Camera 10.
[*Deus, Æqualitas.*]

NEgare æquale majus & minus in aliquo est affirmare, quòd illud concordat cum privatione, & est contrarium ipsi esse, in quantum non habet id, per quod ens convenit cum esse contra privationem; nihil enim concordat cum esse, in quo non sit æquale, majus aut minus: quoniam autem æquale differentia & concordantia conveniunt cum majori esse, & majus & minus in differentia conveniunt cum minori esse & privatione, idcirco his principiis conditionatur hæc camera tali modo, quòd per conditiones ipsius particulare in universali reperiri possit, quod est diversarum concordantium Personarum divinarum æqualitas in A. & cameris ejus, quod particulare cum universali prædicto concordari oportet, ipsius autem oppositum universali contrarium cum privatione & Z. convenire necesse est.

Camera 11.
[*Deus, Minoritas.*]

PEr triangulum rubeum G. intelligit, quòd Deus dedit principium creaturæ, ut C. D. pro objecto haberent A. & cameras ejus; igitur hujus cameræ conditiones sunt, quòd per nigrum E. sit affirmans omne, quo possit habere majores B. C. D. in A. & cameris ejus, & I. habere possit majora F. G. H. in V. Z., & quòd E. I. habentibus prædicta objecta possit E. habere majora B. C. D. in V. Y. Igitur cùm hoc ita sit, tali operatione ipsum S. oportet negare, quòd in A. minoritas existat, & negare minoritatem oppositam majoritati in operatione ipsius S., ut A. ejusdémque cameræ causa sint majoris S. & majoris beatitudinis ejusdem; igitur cùm hoc ita sit, his conditionibus particulare inveniri potest.

Camera 12.
[*Deus, Affirmatio.*]

HUjus cameræ conditiones sunt, quòd affirmatio affirmet, quòd in A. ejúsque cameris sit major concordantia, quæ in aliquo ente existat, in quo A. sit esse & perfectio absentiâ privationis & defectûs, quàm concordantia, quæ sit in ente, in quo totum tertium membrum ipsius X. existit; cùm esse & perfectio sint cum majori dignitate entis concordes, cum minori verò privatio & defectus. Igitur cùm hoc ita sit, per hoc universale conditionatum, prout supradictum est, revelatur aliud universale, quod est alteri demonstrationi principium, videlicet, quòd, si S. est incorruptibile, meliùs cum ente convenit, quàm corpus, quod est corruptibile; cùm esse & perfectio longinquiùs se habeant ad corruptionem, & propinquiùs ad ens, quàm privatio & defectus se habentes longinquiùs ad incorruptionem, & propinquiùs ad corruptionem. Unde per hoc, quod G. intelligit, revelatur, qualiter hæc ars universalis existat particulari, quod quæritur.

Camera 13.
[*Deus, Dubitatio.*]

COnditionatur hæc camera contra dubitationem, ex qua sequitur inconveniens, quo G. intelligeret, quòd in A. dubitatio esset, quæ dubitatio concordat cum minoritate & privatione, & est principium ipsi R., & contrarium cameris ipsius A., & operationi divinæ intrinsecæ in A., & extrinsecæ, quam habet A. in creaturis: Igitur cùm hoc ita sit, demonstratur, qualiter inveniatur particulare, quod quæritur, secundùm concordantiam illius cum conditionibus cameræ contra particulare, quod conditionibus cameræ contrariatur.

Camera 14.
[*Deus, Negatio.*]

SI negativa negat in A. majorem concordantiam & differentiam possibilitatis & impossibilitatis, negat in A. majorem operationem intrinsecam suppositorum æternorum infinitorum, habente quolibet cameras ipsius A.; quapropter affirmat in A. minorem possibilitatem & impossibilitatem operationis intrinsecæ non habentis influentiam æternam & intrinsecam operationis infinitæ per omnes cameras ipsius A.; quoniam autem minus inconveniens contra majus cum esse convenit, & majus inconveniens convenit cum privatione, propterea majus conveniens, esse atque perfectio concordant, minus autem, privatio & defectus conveniunt, quâ convenientiâ camera conditionatur ad inveniendum particulare concordans cum oppositio conditionum cameræ. Igitur cùm hoc ita sit, per hoc universale habetur, qualiter in creatura cum supposito essentialiùs convenit operatio, quam habet in se ipso intrinsecam, quàm illa, quam habet extrinsecam, velut operatio specierum ipsius S., & sic de reliquis his similibus, quæ quædam principia sunt aliis.

Camera 15.
[*Creatura, Operatio.*]

IN angulo trianguli lividi est differentia unius creaturæ cum alia & unius operationis cum alia; quare hujus cameræ conditiones sunt, quòd trianguli concordari possint cum particulari, quod quæritur, secundùm quod anguli triangulorum cadunt in confusionem operis differentiæ, concordantiæ, contrarietatis, principii, medii, finis, majoritatis, æqualitatis, minoritatis, affirmationis, dubitationis, negationis; unde, si particulare est contra confusionem & inconveniens, oportet, quòd concordet cum Y., ipsius autem oppositum cum Z., & maximè, si inde sequeretur, quòd A. & creatura convenirent in esse æquales in aliqua vel aliquibus camerarum ipsius A., quæ æqualitas est impossibilis.

Camera 16.
[*Creatura, Differentia.*]

COnditionatur hæc camera ex proportione triangulorum & dictionum, quæ in eorum angulis consistunt; nam suâ proportione se habent ad regulam & ordinationem contra inconveniens proportionis eorum; nam T. lividum per omnes suos angulos convenit cum viridi, ut ejus differentia cum creatura concordans conservetur, contrarietas autem viridîs repugnat particulari contrario cameræ; rubeus verò habet omnes suos angulos ad conservationem cameræ, & croceus cum nigro convenit, cùm affirmat creaturam majorem, unde formari possint ipsi C. G. differentia & concordantia majores convenientes cum esse in aliquo subjecto contra differentiam & concordantiam minores concordantes cum privatione, cùm inde contradictio formetur.

Camera 17.
[*Creatura, Concordantia.*]

TRiangulus lividus cameræ conditiones præstat per omnes suos angulos, concordante unâ creaturâ cum alia secundùm genus, speciem & opus intentione, quâ ipsi E. pro objecto A. & ejus cameræ dentur, & contrarietas ipsius viridîs dat cameræ conditionem, qualiter sit I. contra V. Z., cùm F. G. discurrunt per contrarietatem consistentem inter unum elementum & aliud & inter virtutes & vitia. Triangulus rubeus conditionem præbet cameræ, qualiter habeat principium temporis & quantitatis, & qualiter ad finem se habeat, quo fine à principio contingit medium. Triangulus croceus dat secundùm suam qualitatem conditiones, & secundùm qualitates cameræ, prout convenit, quasdam creaturas esse majores vel æquales vel minores. Triangulus verò niger existit instrumentum conditionatum ad affirmandum vel negandum seu dubitandum, prout alii trianguli conditiones cameræ præstant. Igitur cùm hoc ita sit, particulare, quod quæritur, convenit cum Y., nisi implicet inconveniens conditionibus supradictis; ipsius autem oppositum implicans inconveniens cum Z. concordat.

Camera 18.
[*Creatura, Contrarietas.*]

TRriangulus croceus comparativè concordat A. & ejus operationem cum majoritate, creaturam verò cum minoritate; & propterea A. cum viridi & rubeo contrarium est creaturæ, ut extra triangulum

rubeum sit existens, quâ contrarietate niger affirmat, quòd A. facere potest opus contrarium cursui naturali, postquam ipsius opus majus est & extra triangulum rubeum. Præterea ex suo opere, ac ex illo, quod est in triangulo rubeo, A. facere potest unum suppositum, quod sit unum habens naturam extra rubeum & intra rubeum, hoc absente, quòd creatura contra suam naturam existat. Triangulus viridis per concordantiam diversorum sinè contrarietate contrarietatem habet per aliam convenientiam diversarum rerum absentiâ contrarietatis, sive sint creaturarum intellectualium vel sensualium, & propterea secundùm croceum formatur contrarietas major vel minor vel æqualis in rubeo; unde si particulare, quod quæritur, concordari potest cum conditionibus supradictis contra suum oppositum, convenit cum Y., ipsius autem oppositum cum Z.

Camera 19.

[*Creatura, Principium.*]

QUoniam croceus & viridis comparant affirmante nigro, quòd A. per omnes suas cameras cum majoritate convenit, creatura verò cum minoritate, oportet, quòd in omnibus angulis rubei creatura terminetur conveniens cum minoritate; creaturæ enim contrarium est, quòd major existat, A. verò minus; præterea creaturæ contrarium est, quòd A. eidem principium non dederit, & sibi habuerit intentionem secundam & creaturæ primam; etiam creaturæ contrarium est, quòd principium non existat principio, quo V. Z. sunt contra V. Y., quibus A. principium exhibuit in potentia, in habitu & in actu in speciebus ipsius S. secundùm differentiam temporis; cùm autem G. hoc intellexit, C. intelligit artem & regulam, secundùm quas particulare reperire potest per conditiones secundùm quas trianguli ipsius T. ponuntur in camera.

Camera 20.

[*Creatura, Medium.*]

VIridis, croceus & rubeus in duobus angulis lividi sunt objecta ipsis F. G., cùm C. per nigrum affirmat, quòd animal medium est creaturæ sensualis & intellectualis, unde componitur animal; creaturæ verò sensualis medium est compositum ex forma & materia, creaturæ autem intellectualis medium est ex forma & materia intellectuali constructum, & mundus est medium sensualitatis, intellectualitatis & animalitatis, in quantum ex ipsis componitur ad unum solum existere; ex medio autem aliarum specierum C. intelligit velut medium unius anguli ad alium, sive unius mensuræ ad aliam, sive medium, ad quod elementa moventur, quando naturalem appetitum habent ad suam perfectionem, & medium, ad quod movetur S., videlicet A., cùm sit perfectio ipsorum B. C. D.; aliud verò medium C. intelligit, quod est ex A. & ex creatura compositum, quod medium inter A. & creaturam existit, ut A. suam benedictionem præbeat creaturæ, ut illam possit creatura recipere, præterea, ut finis sequatur, quo creatura subsistit. Igitur cùm ita sit, secundùm istas conditiones potest haberi notitia particularis.

Camera 21.

[*Creatura, Finis.*]

DUo anguli rubei dant conditionem angulo rubeo, unde procedit camera, dando principium medio, ut ad finem accedat, qui in principio appetitur; duo autem anguli lividi præbent conditionem tertio in camera consistenti, qualiter creatura opere sit obediens ipsi A. secundùm finem, ad quem A. ipsam creavit. Triangulus viridis habet differentiam, concordantiam & contrarietatem, secundùm quod cum croceo & nigro concordantiam accipit, ut conditiones conserventur, quas camera capit per triangulum lividum & rubeum, quæ conditiones sunt instrumenta, quibus inquiratur & reperiatur particulare in supradictis universalibus conditionibus.

Camera 22.

[*Creatura, Majoritas.*]

HIs tribus angulis, qui sunt A., creatura, majoritas, omnes alii anguli triangulorum serviunt, ut creatura majori E. possit accipere A. & suas cameras pro objecto cum majori operatione ipsorum A. B. C. D., & ut inde E. melius se habeat ad V. Y., I. verò ad V. Z. Unde inter alias conditiones camerarum hæc est plurimùm necessaria ad inquisitionem particularis; nam convenit, quòd creatura per majorem operationem melius designet A. ejusdémque cameras; præterea per majorem differentiam in triangulo rubeo & per majorem contrarietatem

tem & differentiam inter Y. Z., & inter V. lividum & rubeum melius conditionatur camera in triangulo nigro; ulteriùs omne id, quo creatura major se ipsâ foret, oportet in A. & cameris ejus existere, cùm A. conveniat cum majoritate, & creatura cum minoritate, cùm creatura nequaquam se ipsâ major existere possit.

Camera 23.

[*Creatura, Æqualitas.*]

HUjus cameræ conditiones sunt ad reperiendum particulare, quòd trianguli tam fortiter alternatim misceantur, ut per ipsos designetur æqualitas in creatura secundùm proportionem eorundem, quâ æqualitate demonstretur æqualitas existens in A. & suis cameris, ad quam æqualitatem movetur æqualitas creata per triangulum lividum, viridem, rubeum, croceum & nigrum, ut inde ipsi E. demonstratio detur, ac ut I. concordet cum V. Y. contra V. Z; præterea quòd H. neget in A. majoritatem & minoritatem propter æqualitatem, quam C. intelligit per conditiones istius cameræ.

Camera 24.

[*Creatura, Minoritas.*]

COnditionatur hæc camera, quòd minoritas, quam creatura habet, videlicet V. rubeum & Z., sit accidentaliter natum principium à creatura sinè A. & cameris ejus. Præterea quòd C. intelligat minoritatem, quam habet creatura in se ipsa majorem, quàm sit ipsa, quæ existit ex conjunctione ipsius A. & creaturæ in esse unum suppositum; ad hanc enim significationem dandam omnes trianguli diriguntur, & omne particulare contra hanc conditionem cum Z. concordat. Præterea creatura minor est opere suo in E. habente B. C. D. in A. & cameris ejus, & minus est ipsius opus, quàm potentia in istis cameris [E. V. Z.] [I. A. V. Y.] [M. A. V. Y.] Præterea G. intelligit triangulum rubeum & croceum, ut C. intelligat, qualiter una creatura minor est aliâ, prout angulis triangulorum designatur.

Camera 25.

[*Creatura, Affirmatio.*]

HUjus cameræ conditiones sunt, quòd trianguli regulentur & ordinentur ad unum finem, quo niger affirmare possit in majori nobilitate A. & cameras ejus, & creaturam existere remotiùs ab V. rubeo & Z., & propinquiùs V. livido & Y. & ipsi A., salvâ ipsi A. suâ majoritate, in qua creatura exaltetur. Secundùm istas conditiones sequitur, quòd affirmatio debeat affirmare majorem possibilitatem in A. & cameris ejus per angulos operationis, creaturæ, differentiæ, concordantiæ, principii, medii, finis, majoritatis & æqualitatis, & majorem impossibilitatem creaturæ contra A. & cameras ejus. Igitur cùm hoc ita sit, particulare inveniri potest.

Camera 26.

[*Creatura, Dubitatio.*]

COnditionatur hæc camera, quòd trianguli regulentur & ordinentur ad exaltandum C. propter discursum, quem faciunt F. G. per S. T. A. V. X. Y. Z., ut N. convertatur in E. habens pro objecto A. V. Y., ac ut I. pro objecto habeat V. Z., & R. sit cum privatione concordans: si autem particulare, quod quæritur, huic regularitati & ordinationi repugnat, cum Z., minoritate, defectu & privatione convenit, ipsius autem oppositum cum regularitate &c.

Camera 27.

[*Creatura, Negatio.*]

IN triangulo livido unus angulus concordat cum majori concordantia, differentia, esse & perfectione, quàm omnes alii anguli triangulorum; si verò negatio & particulare conveniunt cum majoritate & minoritate prædictis, concordabit cum majoritate, Y. & esse, ipsius autem oppositum cum privatione & Z.; & hoc idem sequitur, si negatio negat, quòd A. in creatura triangulum rubeum incepit, ut sibi secundam intentionem haberet, primam verò mundo; nam si A. talem intentionem haberet, mundum priùs incepisset, & impossibile foret secundùm suam bonitatem, magnitudinem & amorem, quòd finem triangulo rubeo dare posset; quoniam autem creaturam creavit secundâ intentione, est actualis possibilitas, quòd camera in triangulo rubeo reguletur secundùm dispositionem reliquorum triangulorum, ut designetur in A. perfectionem existere, cui sufficiens est per omnes cameras ipsius A. una divina essentia, in qua sufficit sic una sola Paternitas, una Filiatio, & una sola Processio multò & incomparabiliter meliùs, ût sufficiunt creaturæ limites & terminatio rubei.

Igitur

Igitur cùm hæc ita sint, *duo prædicta principia* sunt doctrina aliis principiis, quibus particulare reperiri potest per prædictas conditiones, ad quas omnes trianguli regulantur.

Camera 28.

[*Operatio, Differentia.*]

HUjus cameræ conditiones sunt, quòd omnes trianguli ordinentur ad significandum tam fortiter opus immensum, divinum, differens & concordans infinitè per omnes cameras ipsius A., quòd opus, quod habet A. in creaturis, & quod creaturæ in se ipsis habent, alterare non valeat opus divinum, nec eidem accidens causare, velut una gutta vini mare totum in colore non potest alterare. Præterea omnes trianguli regulantur ad significandum differentiam operis intrinseci in A. & cameris ejus secundùm figuram secundam ipsius A., & quòd in differentia significent infinitatem & concordantiam rerum infinitarum diversarum sinè triangulo rubeo. Præterea regulantur trianguli ad designandum opus diversum & concordans & contrarium in creaturis, prout per angulos triangulorum sunt diversæ, & prout earum differentia, concordantia & contrarietas per angulos triangulorum decurrunt. Unde cùm hæ sint conditiones hujus cameræ, propterea per ipsas particulare inveniri potest, & investigari conveniens in camera secundùm conditiones ejusdem.

Camera 29.

[*Operatio, Concordantia.*]

PEr croceum habetur major & æqualis operatio in A., quia ex suppositis infinitis distinctis existit; ex hoc enim opere in creatura concordante descendunt omnia opera concordantia cum rubeo in istis cameris [E. A. V. Y.] [I. V. Z.] [M. A. V. Y. Z.] per concordans autem opus sensuale decurrunt viridis, croceus & rubeus secundùm regulam & ordinationem angulorum triangulorum in tertio membro ipsius X., & secundùm ordinatum appetitum naturalem in prima & secunda intentione. Igitur cùm hæ sint conditiones hujus cameræ, secundùm illas particulare, quod inquiritur, cum opere triangulorum concordetur.

Camera 30.

[*Operatio, Contrarietas.*]

PEr angulum operationis G. affirmat per croceum, quòd major est contrarietas operationis in S., cùm format istas cameras [E. V. Z.] [I. A. V. Y.] [M. A. V. Y.] & propterea H. fortiùs odit rubeum in cameris, quàm in elementali figura, quæ non existit tam diversæ contrarietatis. Præterea in angulo contrarietatis G. intelligit croceum per contrarium sensualis intellectuali, & sensualis sensuali, & magis fortiter in operatione substantiæ contra substantiam mediante accidente, quàm unius accidentis ad aliud. Præterea niger habet magis contrarium opus, cùm affirmat in A. illud, quod non est in ipso, & in eodem negat, quod in ipso est, seu cùm in A. plùs dubitat, quàm in alio objecto: hæ multæque aliæ conditiones hujus cameræ existunt, cum quibus potest particulare, quod inquiritur, inveniri.

Camera 31.

[*Operatio, Principium.*]

HÆc camera conditionatur per triangulos, quòd opus intrinsecum existens in A. sit principium operi, quod in creatura consistit, quo dirigitur ad significandum ipsi C. opus existens in A. & cameris ejus, ut istæ cameræ [E. A. V. Y.] [I. V. Z.] inde formentur. Præterea per croceum habemus, quòd causa finalis in creatura existat majus principium operis principio, quàm principium causæ finali, cùm causa finalis existat intentione primâ, principium & medium verò secundâ. Præterea viridis totum se ipsum demonstrat per unum & aliud principium secundùm suos angulos & secundùm angulos reliquorum triangulorum, & ideo formari potest affirmatio vel negatio cum majori vel minori opere & principio, ut particulare, quod inquiritur, cum istis conditionibus conveniat, & ipsius oppositum eisdem contrarietur.

Camera 32.

[*Operatio, Medium.*]

SI ponatur hæc camera in viridi, habebitur tota camera per totum viridem, & per croceum viridi & cameræ adjunctum habebitur totus croceus in camera; & ideo affirmari possunt majus minus & æquale medium in operatione: quoad affirmationem vel negationem conditionatur camera in reliquis triangulis, cùm majus medium operationis videlicet V. Y. datur ipsi E., minus verò videlicet V. Z. datur ipsi H., & medium, quod est inter duos prædictos

dictos terminos, creaturæ præbetur, in qua ponatur viridis & croceus, prout conveniens est. Unde his conditionibus designatur quoddam medium majus operatum, quod est inter A. & creaturam secundùm figuram ipsius A. & creaturam majorem omnibus reliquis creaturis, contra quam nullum particulare concordans cum Z. poterit convenire cum conditionibus istius cameræ.

Camera 33.

[*Operatio, Finis.*]

PEr lividum, croceum & rubeum revelatur, quòd operatio, quæ est in secunda figura ipsius A., est opus finale, quod opus existit finis omnibus finibus in angulo creaturæ mediante quodam opere creato, quod est finis omnibus aliis finibus creatis, qui recipere non possent influentiam operis intrinseci, quod existit in A., nisi mediante quodam fine creato unito cum aliquo supposito operis infiniti. Unde, si particulare, quod inquiritur, convenit cum illis duobus operibus, & duobus finibus diversis & concordantibus, & quòd concordet, cùm multa opera & fines sunt per viridem, rubeum & croceum, quòd omnes conveniant supradictis illis duobus operibus & finibus, oportet necessariò, quòd illud particulare concordet cum Y., ipsius verò oppositum supradictis principiis contrarium cum Z.

Camera 34.

[*Operatio, Majoritas.*]

LIvidus per opus intrinsecum in A., viridis per opus infinitum diversarum Personarum divinarum concordantium, & croceus per æqualitatem operis infiniti rerum infinitarum opus majus revelant, quod extra triangulum rubeum existit: opus verò majus, quòd sit extra A. intra rubeum, & extra rubeum in A., est unio Filii Dei & creaturæ; majus autem opus, quod in creatura existat, est in istis cameris [E. A. V. Y.] [I. V. Z.] [M. A. V. Y. Z.]. Post hanc majoritatem operis sequitur aliud opus, quod est copulatio ipsius S. cum corpore, quod majus existit, quàm aliud opus sensualis & sensualis, & sensualis & intellectualis. Post hæc autem omnia opera per triangulos in elementali figura reperiri potest, quodnam opus cum majoritate seu cum minoritate concordet. Igitur cùm hoc ita sit, concordetur semper affirmativa cum particulari affirmante prædictas conditiones & attribuente ipsi A. & creaturæ majorem operationem contra oppositum contrarium majoritati ipsorum E. I. N., quæ in prædictis cameris figurantur.

Camera 35.

[*Operatio, Æqualitas.*]

PEr diversas concordantes infinitas personas per cameras ipsius A. per croceum intelligit C. majorem æqualitatem operis omni aliâ æqualitate operis in triangulo rubeo existente. Sub opere verò præmisso est aliud opus existens in majori æqualitate, quàm omnia alia opera, quæ per triangulum rubeum decurrunt, quod existit in Christo JESU unito ex A. & creatura. Præterea opus magis æquale, quod reperiatur inter unam creaturam & aliam, existit in B. C. D., cùm E. habet A. V. Y. pro objecto: minor autem æqualitas operis, quàm præcedentes, est in elementalibus corporibus, in quibus croceus, viridis & rubeus majori vel minori æqualitate operis reperiri possunt. Cùm autem trianguli sic regulati conditionem cameræ præbent, propterea secundùm eorum regulam particulare, quod inquiritur, potest in camera inveniri.

Camera 36.

[*Operatio, Minoritas.*]

MInus opus, quod existat in viridi, rubeo, croceo & nigro, in cameris subsequentibus aperitur [E. V. Z.] [I. A. V. Y.] [M. A. V. Z. Y.] [R. A. V. Y. Z.] minor enim est camera prima, quàm secunda, & secunda, quàm tertia, & tertia, quàm quarta. Præterea minus opus, quod sit per viridem, croceum & rubeum in elementali figura, est secundùm quartum, tertium, secundum & primum gradum caliditatis, humiditatis, frigiditatis & siccitatis, & est minus in terra, quàm in aqua, & in aqua, quàm in aëre, & in aëre, quàm in igne. Præterea minor est operatio in viridi, rubeo & croceo, prout existunt secundâ intentione, quàm primâ, in metallis, vegetabilibus & animalibus, & minor est in metallis, quàm in vegetabilibus; quod est, quia intentione metalla magis remota sunt ab animalibus, quàm vegetabilia. Ulteriùs minor est in vegetabilibus, quàm in animalibus, & in irrationabilibus, quàm in rationabilibus. Præterea in corporibus supracælestibus minor est

operatio in intentione, major verò in dominatione. Igitur cùm hoc ita sit, secundùm minoritatem operis supradicti potest haberi notitia particularis concordantis cum conditionibus cameræ conditionatæ per divisionem secundùm minus opus præmissum.

Camera 37.

[*Operatio, Affirmatio.*]

COnditionatur hæc camera, quòd affirmatio affirmans operationem discurrere faciat F. G. per lividum, viridem, rubeum & croceum, ut det regulam & conditionem cameræ per dispositionem & proportionem angulorum triangulorum, ut concordare seu contrariare possit particulare cum conditionibus cameræ affirmando particulare, quod cum camera & suis conditionibus convenit. Præterea secundùm proportionem lividi, viridis & crocei oportet, quòd S. affirmet majorem operationem in A. diversorum concordantium suppositorum, quàm in creatura; cùm operatio, quæ est in A., absentiâ trianguli rubei existat. Ampliùs oportet, quòd S. per triangulos præmissos affirmet omne id, per quod fortiùs in majoritate operis formari possint ipsi S. istæ cameræ [E. A. V. Y.] [I. V. Z.] [M. A. V. Y.] & per quod fortiùs fieri valeat operatio earundem contra minoritatem operis, è quibus cameris non est A. nec ejus cameræ; quia si sic, cum minori operatione contra majorem concordans existeret, quod est impossibile.

Camera 38.

[*Operatio, Dubitatio.*]

HUjus cameræ conditiones sunt, quòd N. dubitare debeat intentione, quâ F. G. inde magis occasionem habeant ad investigationem particularis in [T. A. V. X. Y. Z.] nam quantò major est dubitatio, tantò major operatio multiplicatur in discursu ipsorum F. G., quapropter subsequentes cameræ majores inde formari possunt [E. A. V. Y.] [I. V. Z.] [N. A. V. Y.] secundùm dispositionem triangulorum. Unde, si particulare concordat cum cameris in intentione finali & in majoritate camerarum, oportet illud cum Y., ipsius autem oppositum cum Z. concordare.

Camera 39.

[*Operatio, Negatio.*]

PEr croceum & viridem habetur, quòd C. cum majoritate concordat, & imaginatio cum minoritate; cùm imaginatio non possit habere operationem in intellectualibus in objectis, quæ C. accipit, cùm S. operatur in B. C. D. accipiendo illa opere, quod habet ex se ipsa, & ex A., & auxilio, quod ipsi contulit imaginatio sensualium objectorum. Igitur cùm hoc ita sit, oportet necessariò, quòd per lividum, viridem, rubeum & croceum C. operari possit in faciendo majorem negationem, quàm imaginatio; quia si non, objecta intellectualia super imaginationem affirmare non posset. Præterea negatio negans in A. id, quod in eodem existit, habet opus contra majorem affirmationem, quàm, cùm negat id, quod est in creatura, & propterea obligatur S. ad esse passivum in majori opere justitiæ & perfectionis, culpæ atque pœnæ. Igitur cùm hoc ita sit, per hanc præmissam universalitatem *duo particularia* revelantur; unum est *Trinitas* ipsius A., aliud est *Incarnatio* Christi; negatio enim major existere potest in Z. negans in A. existere operationem diversorum concordantium infinitorum, quàm operationem non diversorum infinitorum concordantium. Præterea negatio negans conjunctionem ipsius A. & creaturæ per impossibilitatem camerarum ipsius A. major existit in Z., quàm negans operationem ipsius A. sinè conjunctione ipsius A. & creaturæ; quoniam autem majorem negationem in Z. oportet esse oppositam majori affirmationi in Y., & quia major operatio convenit cum majoritate, esse, perfectione, Y., propterea his conditionibus *duo præmissa particularia* sunt inventa, & possunt similiter alia particularia inveniri, si triangulos in camera regulare sciatur, cujus exemplum datur in *Arte magna particulari* derivata ex *hac universali* generaliter discurrente.

Camera 40.

[*Differentia, Concordantia.*]

IN rubeo majus opus lividi ipsi E. præbetur objectum, si diversorum suppositorum infinitorum concordantia per cameras ipsius A. existat, & per rubeum intelligantur major concordantia & differentia diversorum infinitorum, & diversorum finitorum existentium una Persona per magnam concordantiam diversarum rerum; negatione verò negante rubeum secundùm durationem, habetur major æqualitas mundi & ipsius A., differentia verò minor, quâ minori differentiâ nequaquam haberi potest pro objecto ipsi E. tam magna concordantia inter A. & creaturam existens, & quia major differentia majorem concordantiam implicare potest absque eo, quòd inde inconveniens aliquod sequatur, idcirco habetur quoddam particulare designans, quòd mundus principium habet. Præterea *duo præmissa particularia* metaphoricè revelantur: unde prout *tria particularia* ex hac universalitate cameræ designavimus, potest haberi doctrina ad investigandum alia particularia, quæ quæruntur.

Camera 41.

[*Differentia, Contrarietas.*]

HAbemus per viridem & croceum, quòd niger negat hanc cameram in A., quia in concordantia hujus cameræ res diversæ privantur, quam concordantiam non oportet esse in A., in quo res diversæ in majori convenientia concordant, quàm in omni alio. Præterea habemus per rubeum, quòd cameram in creatura finitam esse oportet, ut per omnes cameras ipsius A. designetur non existere cameram infinitam differentiæ & concordantiæ in rubeo. Præterea per operationem & tertium membrum ipsius X. habemus, quòd in camera unum cum esse & perfectione, aliud cum privatione & defectu convenit, in quantum una res diversa repugnat alteri; & præterea croceus majoritati, minoritati & æqualitati in camera convenit, & ideo per rubeum & nigrum in operatione & creaturâ in livido & in viridi potest concordari particulare, quod quæritur, & cum triangulo croceo & rubeo, secundùm quod conditiones cameræ concordant.

Camera 42.

[*Differentia, Principium.*]

PEr croceum in livido & viridi habetur notitia istorum particularium, videlicet quòd sinè diversis principiis concordantium diversorum majoritas per unum solum principium non potest tam fortiter haberi; quia autem oportet in A. majorem differentiam & concordantiam affirmare, declaratur, quòd particulare in æqualitate crocei est in majoritate. Præterea per cameram in croceo, viridi & rubeo revelatur secretè aliud particulare, videlicet, quòd per diversa principia, quæ sint unum suppositum compositum ex eo, quod est extra triangulum rubeum, & ex eo, quod est majus in eodem triangulo, habetur major differentia, concordantia & principium istis cameris [E. A. V. Y.] [I. V. Z.] [M. A. V. Y.]. Igitur cùm hoc ita sit, secundùm exemplum, quod ex *duobus supradictis particularibus* dedimus, alia possunt investigari per cameram, si cum illa trianguli in ipsa regulari & ordinari sciantur.

Camera 43.

[*Differentia, Medium.*]

IN hac camera duo anguli lividi coëxistunt, tertius verò minimè; quod est, quia ibidem medium cum differentia copulatur, & croceus habet in camera majoritatem, in quantum unum suppositum componitur ex eo, quod majus est in triangulo rubeo, & ex eo, quod extra triangulum rubeum est, illud autem medium est ultimâ intentione finali, propter quam A. creaturam creavit; per hoc enim particulare revelatum in croceo affirmativa cum majoritate, negativa verò illud negans cum minoritate concordetur. Præterea camera per omnes angulos viridis, crocei, rubei & nigri super duobus angulis lividi formatur. Unde si particulare cum camera & triangulis convenit, cum Y., si autem non convenit, cum Z. concordetur.

Camera 44.

[*Differentia, Finis.*]

PEr omnes angulos triangulorum possunt colligi flores, & secundùm relationem & comparationem aliorum florum cum aliis possunt triangli in camera poni; nam prout res diversæ sunt, tendunt ad diversos fines, & prout concordant in croceo, tendunt ad unum finem: & præterea unus finis ad alium per totum lividum, viridem, rubeum, croceum & nigrum potest referri, & per conveniens & inconveniens unius differentiæ cum alia uniúsque finis cum alio in triangulis particulare, quòd inquiritur, ipsi Y. vel ipsi Z. potest applicari.

Camera 45.

[*Differentia, Majoritas.*]

PEr croceum & viridem G. intelligit, quòd hæc camera se habet ad majorem concordantiam & æqualitatem, & ad majorem contrarietatem & æqualitatem; quantò major enim differentia existit, tantò

major affirmatio vel negatio per rubeum in camera principiari potest: unde revelatur secretum, cùm in camera trianguli ponuntur, quòd ex suppositis infinitè distinctis dari potest ipsi E. major differentia pro objecto; & per hoc ipsi E. præberi potest aliud objectum unius suppositi ex majore differentia constructi, ut una persona existat: quoniam autem major differentia & contrarietas cum privatione, minoritate & defectu convenit, fit demonstratio *duorum prædictorum particularium*, ut E. possit intelligere quandam differentiam & concordantiam remotiorem ab alia differentia, in qua major contrarietas existit: Igitur cùm hoc ita sit, secundùm artem & regulam, quibus duo prædicta particularia invenimus, alia in camera secundùm angulos triangulorum inveniri possunt.

Camera 46.
[*Differentia, Æqualitas.*]

COnditionatur hæc camera ad investigationem particularis secundùm conditiones supradictæ cameræ; *multoties enim contingit in hac arte alias cameras secundùm conditiones aliarum conditionari:* nam camera istam sequens secundùm hanc conditionem conditionatur per triangulos, videlicet quòd ex rebus minoribus in differentia minor æqualitas formatur, præterea secundùm hanc demonstrationem conditionatur, quòd ex majoribus differentiis ipsi C. major concordantia, vel major æqualitas, seu major contrarietas formari possunt; unde particulare, quod quæritur, conveniet cum Y., ipsius autem oppositum cum Z., si hanc regulam imitetur.

Camera 47.
[*Differentia, Minoritas.*]

SI niger negat in A. majorem distinctionem esse, oportebit ipsum affirmare in A. minorem concordantiam esse; quia verò majoritas, concordantia & æqualitas conveniunt in A., oportet necessariò differentiam in A. minorem non esse: ut autem significetur, quòd in A. major differentia per substantiam existat, fit ab ipso A. major concordantia inter creaturam & unam Personarum, ut E. intelligat, quòd ex majori differentia major concordantia & æqualitas formari potest. Igitur cùm hoc ita sit, *per duo prædicta particularia revelata habetur ars & regula, quibus secundùm artem alia particularia perquirantur, concordando cum T. particulare conveniens cum regula, per quam invenimus duo particularia prædicta in universalitate cameræ & triangulorum ejusdem.*

Plurimùm displicuit ipsi N. supradicta comparatio, & inquit majorem differentiam existere inter A. & asinum, quàm inter A. & hominem; respondit autem C. dicens: quia homo cum omnibus creaturis participat, ipsum in se res magis diversas continere, quàm asinum, & ideo cum A. & creatura major concordantia fieri potest hominis & Dei, quàm non hominis & Dei.

Voluit M. lætari in eo, quod eidem M. ipsum E. retulerat; R. verò conturbavit ipsum recolens & ignorans opinando majorem esse concordantiam in Incarnatione Christi, si omnes divinæ Personæ carnem assumpsissent, quia major differentia Personarum in illo opere foret; E. verò destruit R. recolendo, quòd magis diversi sint Pater & Spiritus Sanctus humanitati, quam Filius assumpsit, quia non assumpserunt carnem, quàm si carnem assumpsissent; & propterea Filius major causa existit, ut major concordantia sit inter Patrem, Filium & Spiritum Sanctum in humanitate, quam ipse assumpsit.

Camera 48.
[*Differentia, Affirmatio.*]

AFfirmatio, majoritas, æqualitas, operatio, esse atque perfectio concordant; cùm E. in A. & ejus cameris intrinsecam differentiam affirmat; nam per differentiam, quam affirmat, affirmans concordantiam & æqualitatem esse in A. & suis cameris, concordari potest cum majoritate, æqualitate, operatione, esse atque perfectione contra minoritatem, privationem & defectum; & quia talis affirmatio cum esse convenit, ipsius autem oppositum cum privatione, propterea istud principium aliis principiis principium universale existit, quibus reperiri potest universale, quo sciatur & valeat inveniri particulare, quod quæritur.

Camera 49.
[*Differentia, Dubitatio.*]

DUbitare differentiam existere in eo, in quo est, vel in eo, in quo non est, est dubium concordans cum minoritate, privatione, Z. atque defectu propter confusionem

nem ipsorum E. I. N. in R.; & propterea intelligit E. per majoritatem concordantiæ in rebus diversis, quòd, ubi magis diversa sunt & concordantia, plùs sunt demonstratio concordantiæ confusionis ipsius R., & fortiùs ipsa E. I. N. per rubeum differunt. Igitur cùm hoc ita sit, secundùm istas conditiones reperiri potest particulare, quod quæritur, ipsum concordando cum differentia A., à dubitatione longiùs removendo.

Camera 50.
[*Differentia, Negatio.*]

SI N. negat differentiam existere in secunda figura ipsius A., majorem negationem format contra majus Y., esse atque perfectionem, quàm si negat differentiam esse in omni, quod in triangulo rubeo reperitur, & propterea per majorem negationem majori Y., esse atque perfectioni adversam ipsi E. pro objecto formatur affirmatio contraria negationi, quæ affirmatio cum majore Y., esse atque perfectione, quæ sint in triangulo rubeo, concordat; per quam concordantiam intelligit E. negationem affirmationi contrariam cum majori privatione, Z. & imperfectione, quæ sint in triangulo rubeo, convenire. Igitur cùm hoc ita sit, *per unum particulare aliud intelligi potest*, videlicet negationem, quæ differentiam in prima figura ipsius A. negat, cum majori esse, perfectione ac Y. concordari; quod si non esset, prout suprà dictum est, sequeretur, quòd ipsum E. de negatione in differentia non posset formare majorem contradictionem per A. & ejus cameras; hoc autem est impossibile & contra regulam hujus cameræ, quam trianguli conditionare subintrant, ut particulare, quod inquiritur, valeat inveniri.

Camera 51.
[*Concordantia, Contrarietas.*]

PEr lividum intelligit G., nigrum affirmare per croceum & viridem, quòd major impossibilitas, quæ sit, est in A. contrarietatem existere; ideo intelligit G. concordantiam in A., nam si privaretur concordantiâ, non foret à contrarietate magis remotum, quàm creatura, in qua diversum opus existit sinè contrarietate concordans. Unde cùm intellexit E. prædictum particulare, F. G. discurrunt per triangulos, ut aliud particulare in camera significetur, videlicet quòd major concordantia, quæ inter A. & creaturam contra majorem contrarietatem existat, est, si A. & creatura uniuntur eâ intentione, ut rubeus triangulus formetur contra istas cameras [E. V. Z.] [I. A. V. Y.] [M. A. V. Z.] quæ magis ipsi A. & creaturæ adversantur, quàm omnis alia contrarietas. Igitur cùm hoc ita sit, secundùm prædictam regulam in camera possunt alia particularia inveniri.

Camera 52.
[*Concordantia, Principium.*]

IPso F. in camera discurrente per triangulos, G. intelligit, quòd in angulo livido, in quo est A., principium est angulo, in quo creatura ponitur, & operatio ipsius A. est principium operationi creaturæ; hoc autem est secundùm triangulum croceum & viridem, in quibus A. concordat cum majori creatura, & ideo differunt diversa principia concordantia alia cum majoritate & alia cum minoritate, ex qua majoritate & minoritate formantur ipsi E. duæ intentiones prima & secunda, quæ ad invicem per angulos triangulorum concordant. Unde si particulare, quod quæritur, concordet cum prædicta ordinatione, oportet ipsum cum Y., ipsius verò oppositum cum Z. convenire.

Camera 53.
[*Concordantia, Medium.*]

TRes sunt species concordantiæ, & tres medii, prout in T. apparet; quocirca omnis concordantia per ipsas tres species medii indaganda est; cùm omnis concordantia per aliquod medium habeat esse. Unde cùm hoc ita sit, idcirco particulare, quod quæritur, investigari debet secundùm has species præhabitas, deinde particulare, quod producit majorem concordantiam, affirmabile est contra particulare ipsi majori concordantiæ oppositum; hæc autem regula nunquam deficit, cùm concordantia & esse conveniant, contrarietas verò & privatio.

Camera 54.
[*Concordantia, Finis.*]

PRout quidam anguli triangulorum aliis nobiliores existunt, & in angulis quædam species aliis nobiliores, sequitur unum finem alio nobiliorem existere; quia verò

hæc est hujus cameræ conditio, prout prædictum est, propterea particulare cum conditione hujus cameræ concordans est eligendum, ipsius autem oppositum negandum.

Camera 55.

[*Concordantia, Majoritas.*]

OMnes trianguli & etiam omnes figuræ hujus artis videlicet S. T. A. V. X. Y. Z. conditionantur, ut conservetur in differentia rerum majorum quantitate & dignitate majorem concordantiam existere; hæc enim concordantia cum majoritate, perfectione ac esse, ipsius autem oppositum cum minoritate, privatione & defectu concordat. Præterea G. intelligit aliam concordantiam, quæ est ex majoribus contrarietatibus, quæ concordant ad invicem, ut contrarientur majoribus concordantiis dignis existere. Igitur cùm hoc ita sit, secundùm supradictas conditiones particulare, quod inquiritur, demonstratur, si sciatur ipsum cum prædictis conditionibus concordare.

Camera 56.

[*Concordantia, Æqualitas.*]

IN livido est æqualis concordantia in A' ssuppositorum absentiâ contrarietatis, & in creatura est æqualis concordantia, cum minoritate tamen concordans; ipsius autem A. cum majoritate concordat: quod est, quia in creatura cadit æqualitas, per quam contrarietas opposita concordantiæ generatur; unde æqualis concordantia, quæ est extra triangulum rubeum, & illa, quæ consistit in triangulo rubeo se habens ad majus & minus, istius cameræ regulæ & conditiones existunt, quibus particulare reperiri possit discurrendo F. G. per triangulos & eorum angulos unam æqualitatem concordando cum alia, & particulare cum arte & prædictâ regulâ comparando.

Camera 57.

[*Concordantia, Minoritas.*]

F. G. discurrunt per angulos ipsius T., ut minorem concordantiam, quæ est inter unum particulare & aliud, & inter unum oppositum & aliud, perscrutentur, ut C. possit intelligere, quodnam particularium se habet ad majorem concordantiam, & quod ad minorem; quia verò majus esse & perfectio sunt magis propinqua majori concordantiæ, quæ est in A., minor verò concordantia habens defectum indigna subsistere est magis remota à concordantia ipsius A., propterea secundùm quod particulare in minori quantitate fuerit terminatum in triangulo rubeo in minori concordantia oppositum majori concordantiæ contra aliud particulare habens majorem concordantiam in triangulo rubeo, concordabit cum Z., ipsius verò oppositum cum Y.

Camera 58.

[*Concordantia, Affirmatio.*]

OMnes figuræ hujus artis videlicet A. S. T. V. X. Y. Z. omnésque trianguli ipsius T. regulæ sunt & conditiones cameræ, qualiter affirmativa sit in triangulo rubeo & viridi cum majoritate concordans, discurrentibus F. G. per lividum contra negationem designantem istarum camerarum [E. A. V. Y.] [I. V. Z.] [M. A. V. Y.] minoritatem. Unde si unum particulare convenit, ut majores cameras significet, & aliud, ut minores designet, oportet, quòd artista affirmativam cum majori significatione concordet, ut inde demonstrationem habeat contra minorem significationem cameris repugnantem, per quam contrarietatem conveniunt cum privatione, Z. & defectu, cùm cameræ concordent cum esse, majoritate, Y. & perfectione.

Camera 59.

[*Concordantia, Dubitatio.*]

SI dubitat N. in A. & suis cameris, concordat dubitatio cum majoritate, N. verò cum minoritate, & majus se habet ad quantitatem, minùs autem ad culpam, & propterea totus triangulus viridis & lividus & duo anguli crocei & unus nigri habentur: si verò dubitatio est, ut affirmatio concordet cum Y., & negatio contrarietur ipsi Z., concordabit cum esse, majoritate & perfectione in N. se movente ad has cameras [E. Y.] [I. Z.] Unde, si particulare, quod quæritur, scitur cum conditionibus cameræ concordari, oportet ipsum cum Y., ipsius verò oppositum cum Z. convenire.

Camera 60.

[*Concordantia, Negatio.*]

NUlla negatio convenit cum majori perfectione contra negationem negantem id, quod non est in A. & ejus cameris; si enim hoc ita non esset, affirmatio affirmans in A. & ejus cameris id, quod est in ipsis, non esset super affirmationem affirmantem id, quod est in creaturis, hoc autem est impossibile, quia, si foret, sequeretur generaliter inconveniens inter concordantiam & negationem, & inter concordantiam & affirmationem; præterea concordantia & dubitatio cum esse & perfectione convenirent, concordantia verò, affirmatio & negatio se ad privationem & defectum haberent; hoc autem est impossibile, quâ impossibilitate regulatur & conditionatur particulare, quod quæritur, qualiter debet cum majori negatione contra oppositum ipsius concordari, ex quo sequeretur suprà dictum inconveniens.

Camera 61.

[*Contrarietas, Principium.*]

NUllum principium ipsi esse, perfectioni, majoritati & Y. ita contrariatur, ût est principium istarum camerarum [E. V. Z.] [I. A. V. Y.] [M. A. V. Y. Z.] quæ repugnant istis cameris sequentibus [E. A. V. Y.] [I. V. Z.] [M. A. V. Y. Z.] quæ sunt cum esse, perfectione & majoritate concordes. Igitur cùm hoc ita sit, si A. & creatura primis cameris & earum principiis repugnant, aperitur secretè quoddam particulare, quod sciri multùm est utile, & per quod meliùs potest opponi principiis primarum camerarum, & ultimæ cameræ meliùs haberi possunt. Unde per artem, per quam declaravimus prædictum particulare, & per conditiones cameræ potest particulare, quodquæritur, inveniri.

Camera 62.

[*Contrarietas, Medium.*]

CUm concordantia & differentia per viridem se habent in livido, revolvendo in croceo inter finem & principium, ipsis F. G. per nigrum discurrentibus, camera & ejus conditiones formantur, concordando unum particulare cum alio secundùm tertium membrum ipsius X. per primam & secundam figuram ejusdem X., & ulteriùs per figuram elementalem. Unde, si particulare, quod inquiritur, concordat cum conditionibus cameræ, & ipsius oppositum est contra cameram & conditiones ejusdem, sequitur, quòd concordet cum Y., & ipsi E. pro objecto præbeatur.

Camera 63.

[*Contrarietas, Finis.*]

HÆc camera inter principium & finem existit, videlicet, per medium subjectum contrarietati, quæ est inter principium & finem secundùm causam finalem, cùm per medium inordinatum in duobus angulis lividi finis à principio deviat, & in viridi principium & medium differentiæ à fine, dante croceo majoritatem contra finem, & ipsi fini minoritatem, alterando primam intentionem in secundam, per quam alterationem formatur in G. confusio angulorum triangulorum, & M. cum Z. generatur. Unde si particulare, quod quæritur, est contra M. fortificando G., erit cum Y., ipsius verò oppositum cum Z. concordandum.

Camera 64.

[*Contrarietas, Majoritas.*]

MAjor contrarietas, quæ sit, est per medium in tertio membro ipsius X. secundùm istas cameras [E. A. V. Y.] [I. V. Z.] [M. A. V. Y. Z.] [E. V. Z.] [I. A. V. Y.] [M. A. V. Y. Z.] [R. A. V. Y. Z.] & nisi esset hæc major contrarietas, sequeretur, quòd G. majorem concordantiam intelligere posset in sensualibus, quàm in intellectualibus; hoc autem est impossibile. Propterea potest esse major contrarietas rerum intellectualium & sensualium, minor autem sensualium & sensualium; hoc autem intelligit G. per majorem concordantiam diversorum. Ulteriùs major est contrarietas sensualium, prout croceus in rubeo & viridi in elementali figura versatur. Igitur cùm hoc ita sit, secundùm cameram positam per suprà dictos terminos potest particulare, quod quæritur, & ejus contradictoriè oppositum inveniri, & concordetur particulare cum esse, perfectione & Y., si concordat cum camera, ipsius autem contradictoriè oppositum cum Z., privatione & defectu.

Camera 65.

[*Contrarietas, Æqualitas.*]

HÆc camera condititionatur secundùm mixtionem triangulorum discurrentibus F. G. per eos, & per A. T. V. X. Y. Z.; unde si B. C. D. æquarentur contra Z., E. habente Y., & dante ipsum Z. ipsi I., major æqualitas contraria foret inter V. Y. &

V.Z., quàm si B. C. D. in capiendo objecta non essent æqualia; & hoc idem sequitur ex æqualitate alteri contraria in elementali figura. Igitur cùm hoc ita sit, secundùm has conditiones inquiratur particulare contradictoriè oppositum alteri particulari cum minori contrarietate rerum æqualium concordanti, unam concordando cum alia æquali quantitate, contra aliam æqualem quantitatem aliarum concordantium.

Camera 66.
[*Contrarietas, Minoritas.*]

IN livido ponatur camera, ut contrarium designetur, quòd A. & ejus opus concordet cum minoritate, creatura verò & ejus opus cum majoritate, & etiam quòd creatura intellectualis & opus ejusdem existens in E. A. V. Y. cum minoritate conveniat, cum majoritate verò creatura sensualis; in viridi autem minor est contrarietas minoris differentiæ & concordantiæ; in croceo verò camera se habet ad minorem vel ad majorem contrarietatem secundùm dispositionem lividi, rubei & nigri.

Camera 67.
[*Contrarietas, Affirmatio.*]

SI per affirmativam aliquod antecedens formatur, ex quo consequens contra angulos triangulorum sequatur, affirmationem ipsi Y. & majoritati, esse & perfectioni repugnare oportet; quia si non, sequeretur, quòd ordinatio triangulorum cum Z., privatione, defectu & minoritate concordaret; hoc autem est impossibile, & cameris ipsius A. contrarium.

Camera 68.
[*Contrarietas, Dubitatio.*]

PEr viridem in livido formatur dubitatio contraria per operationem ipsius G. & imaginativæ, cùm G. super imaginativam contradictoriè affirmat vel negat, nec imaginativa perfectè offert res corporeas phantasticas ipsi G., nec permittit ipsum G. denudari, & supra se ipsam ad intellectualia ascendere; & propterea supra croceum formantur duæ dubitationes contrariæ. Quamobrem debet artista in rubeo perscrutari majorem contrarietatem & dubitationem convenientes cum Z. & minoritate contra Y. & majoritatem, quæ sunt magis propinquæ ipsis C. G., & ab ipsis K. L. sunt magis remotæ, quibus K. L. dubitatio & minoritas sunt magis propinquæ.

Camera 69.
[*Contrarietas, Negatio.*]

SUper Y. Z. in triangulis ipsius T. conditiones hujus cameræ versantur; cùm Y. Z. alternatim sibi simul repugnent: unde, si negatio serviens ipsi Y. existit contra negationem servientem ipsi Z., oportet ipsam cum ordinatione triangulorum in S. T. A. V. Y. concordem esse, & negationem servientem ipsi Z. eidem opponi; & propterea potest discerni, quæ duarum negationum contradictoriarum se habet ad majus esse atque perfectionem, & quæ ad minus, majus autem ipsi Y., minus verò ipsi Z. præbeatur.

Camera 70.
[*Principium, Medium.*]

PEr viridem in livido inter principium & medium habetur differentia: propterea F. G. per triangulos debent discurrere, utrùm principium & medium concordent cum intentione finali, propter quam medium recipit principium: si autem medium contra principium & finem deviat, convenit cum Z., minoritate & defectu; propterea assumat artista ipsius contradictoriè oppositum, quod oppositum concordat ad hoc, ut medium sit ordinatum, ut inter principium & finem existat, à quo ejus oppositum deviat.

Camera 71.
[*Principium, Finis.*]

COnditionatur hæc camera, quòd omnes trianguli ordinati in S. A. T. V. X. Y. Z. sint via medio, per quod ens intentionem finalem attingat, quod ens post principium ad illum finem venire debet. Unde si particulare, quod quæritur, de principio transire potest ad finem sinè inordinatione triangulorum in S. A. T. V. X. Y. Z., & particulare illi contradictoriè oppositum non valet transire nec pervenire de principio ad intentionem finalem sinè inordinatione & destructione triangulorum in S. T. A. V. X. Y. Z., oportet necessariò artem & doctrinam haberi, quibus G. in prædicta universali ordinatione cognoscat particulare, quod quæritur.

Camera 72.
[*Principium, Majoritas.*]

ID, quod sit majus principium istis cameris [E. A. V. Y.] [I. V. Z.] [M. A. V. Y.] in triangulis ipsius T., cum Y. & perfectione concordare convenit, cum Z. verò ipsius contradictoriè oppositum; cujus si foret contrarium, sequeretur, ipsum A. ejusdémque cameras cameræ principii & majoritatis in suprà dictis cameris repugnare, hoc autem est impossibile, quia, si foret possibile, ipsum A. ejusdémque cameræ in ente creato magis concordarent cum minori perfectione, quàm cum majori, hoc autem est contra infinitam, perfectam & æternam bonitatem in A. existentem.

Camera 73.
[*Principium, Æqualitas.*]

SI ex diversis concordantibus finitis suppositis possunt esse æqualia & inæqualia principia, sequitur, quòd ex diversis concordantibus infinitis suppositis opus æqualium æquari possit, in quibus inæqualitas non existat; quod si non ita foret, sequeretur, quòd principium & æqualitas ad majoritatem se nequaquam haberent in A., quod agit in creatura, hoc autem est impossibile, quâ impossibilitate G. intelligit, se revolvens supra lividum cum viridi, croceo & rubeo, quòd æqualia principia ipsius S. concordant cum majori æqualitate, quàm æqualia principia elementalis figuræ; in qua intelligit G. per id, quod superiùs intellexit, quòd, secundùm quod quædam elementa nobiliora sunt aliis, ipsa majoribus principiis adæquentur, & in quibusdam speciebus magis æqualia sint, quàm in aliis. Igitur cùm hæ sint conditiones hujus cameræ, potest per ipsas particulare, quod quæritur, inveniri.

Camera 74.
[*Principium, Minoritas.*]

OMnes trianguli ipsius T. regulantur & ordinantur, ut in secunda intentione minus principium, in prima verò majus existere designetur; & propterea demonstratur, quòd V. Z. in E. sunt minora principia & magis ab omni ente remota; & sensualia principia sunt minora, quàm intellectualia; & principium unius creaturæ ad aliam minus est, quàm principium, quod A. est creaturæ; & principium, quod A. est creaturæ, minus est, quàm illud, quod est in A. unius suppositi æterni & infiniti ad aliud, quod quippe majus est omnibus suprà dictis principiis; quod est, quia in ipso rubeus non existit. Unde, si particulare cum prædicta ordinatione convenit contra suum contradictoriè oppositum, concordat cum Y., majoritate & perfectione.

Camera 75.
[*Principium, Affirmatio.*]

SEcundùm conditiones hujus artis conditionatur camera, prout in S. T. A. V. X. Y. Z. trianguli regulantur; & propterea oportet secundùm artem primò incipere per N. affirmando esse possibile, quòd id, quod N. ignorat, ad notitiam ipsorum E. I. perducatur; deinde necesse est intrare A. & ejus cameras & S. T. V. X. ad formandum illas secundùm formam & qualitatem, secundùm quam in hac arte consistunt, & prout earum forma habituatur in E.; totum autem hoc antecedens existat, ut valeat reperiri particulare per consequentiam cum prædictis conditionibus concordantem.

Camera 76.
[*Principium, Dubitatio.*]

REst species confusa composita ex E. I. N. per inordinationem imaginationis & specierum ipsius S. in irregulatis triangulis; in hac verò specie, (loquendo tamen metaphoricè) dubitatio incipit, ut N. convertatur in E. vel in I. Unde, si particulare contra R. fortificat N., concordandum erit cum Y., ipsius verò contradictoriè oppositum cum Z.; cujus si foret contrarium, sequeretur, quòd partes ipsorum E. I. N. in R. appetitum ad suas species, quæ sunt E. I. N., nequaquam haberent, nec N. in E. vel in I. appeteret alterari, hoc autem secundùm ipsorum naturam est impossibile.

Camera 77.
[*Principium, Negatio.*]

PRincipium, quod accipit N. in negando A. & ejus cameras, procedit ex privatione ipsorum G. C. & ex privatione devotionis & ex habitu istarum camerarum [E. V. Z.] [I. V. Y.] propterea in cameris, quæ his contrariantur, potentialiter remanet in S. principium affirmationis, quæ huic negationi contrariatur. Præterea procedit à creatura aliud principium negationis

tionis negantis, & derivatur à cameris sequentibus [E.V.Z.] [I.A.V.Y.] [M.A.V.Y.Z.]. Unde, cùm ita sit, si inveniatur particulare contradictoriè oppositum suprà dictis cameris, per quod trianguli regulari & contrariis cameris ordinari valeant, oportet illud particulare cum Y., ipsius autem oppositum cum Z. concordare.

Camera 78.
[*Medium, Finis.*]

DIscurrentibus F. G. cameram per triangulos, aperitur ipsi C. majus medium, quòd est in majoritate finis & principii, & magis concordans cum esse, & privationi magis in livido repugnans, & etiam magis inde specificatur niger in affirmatione vel negatione contra dubitationem. Igitur cùm istæ sint conditiones cameræ per eam sic conditionatæ, potest haberi notitia particularis, quod quæritur.

Camera 79.
[*Medium, Majoritas.*]

CUm F. G. discurrunt cameram per lividum & viridem, C. intelligit majus medium increatum & creatum, quod est inter A. & creaturam, unde compositum est suppositum æquale ipsi A. & minus, majus autem, quàm alia creatura, patet autem hoc particulare. Aliud est majus medium, quod est in speciebus ipsius S., & aliud est particulare in V. livido, & denique *alia species est in elementali figura, ad quam ipsa quatuor elementa moventur.* Unde per ista prædicta particularia in regularitate triangulorum revelata possunt alia particularia, quæ quæruntur, intelligi, habendo respectum ad ipsam cameram per concordantiam vel contrarietatem.

Camera 80.
[*Medium, Æqualitas.*]

HUjus cameræ conditiones sunt, quòd illud opus debeat affirmari, per quod E. habeat majorem æqualitatem in operatione ipsorum B. C. D. capientium A. V. Y. pro objecto, *& illud, per quod in elementali figura habeatur major æqualitas unius elementi ad aliud*, ac illud, per quod creatura fortiùs elongetur à minoritate, appropinquans ipsi A., & quòd opus ipsi contradictoriè oppositum debeat negari; hoc autem fit, ut inde camera conveniat cum esse atque majoritate contra suum oppositum, quod cum privatione atque minoritate contra suprà dicta principia concordat.

Camera 81.
[*Medium, Minoritas.*]

MInus medium, quod reperitur, ex minori principio & fine formatur; si autem medium à majori principio & fine deviat, concordabit cum majori culpa contra majus meritum; & si medium affirmationem vel negationem ad minoritatem declinet, fortificet autem & multiplicet dubitationem in R., illud medium concordabit cum minoritate, illius autem contradictoriè oppositum cum majoritate, per quam majoritatem & minoritatem habetur ars & regula, quibus particulare, quod quæritur, inveniatur.

Camera 82.
[*Medium, Affirmatio.*]

IN X. niger affirmat per primum & secundum membrum inter unum & aliud membrum contradictionem existere, & ideo B. per viridem recolit differentiam, concordantiam & contrarietatem absque eo, quòd inde inter affirmationem & negationem contradictio sequatur, quæ in duobus membris prædictis formatur ex contrariis in diversis objectis, quia creatura cum minoritate, A. verò cum majoritate concordat, & quia ipsum A. ipsi C. in tribus figuris existit. Unde, cùm hæc sit regula & conditio istius cameræ, secundùm hanc regulam potest particulare, quod quæritur, inveniri.

Camera 83.
[*Medium, Dubitatio.*]

CUm F. G. discurrunt per S. T. A. V. X. Y. Z. & per triangulos, recipiunt diversa objecta, per quæ ipsis formatur tertium membrum ipsius X., tunc secundùm dispositionem & quantitatem crocei in speciebus ipsius S. generatur R. ex ipsis O. P. Q., unde formatur dubitatio, unâ operatione ipsorum O. P. Q. concordante cum Y., alterâ verò concordante cum Z., & propterea dubitatio est medium, quod æqualiter inter negationem & affirmationem existit. Unde, si particulare, quod quæritur, medium est & causa, ut dubitatio valeat à medio removeri, & magis ad unam, quàm ad aliam extremitatem declinare, habebitur per illud particulare revelatio ipsorum Y. & Z.

Camera

Camera 84.
[*Medium, Negatio.*]

CUm niger negat principium & finem in duobus angulis lividi, qui per omnes angulos viridis & crocei revolvuntur, tunc ab eo negatur medium, per quam negationem illud medium est medium, per quod potest cognosci particulare contradictoriè oppositum negationi cum affirmatione concordanti. Præterea per alium modum particulare per cameram inveniri potest, videlicet si est oppositum contradictoriè croceo per angulos medii viridis & lividi & per cameras elementalis figuræ, contra quod particulare aliud concordat cum Y., affirmatione revolvente croceum per alios angulos triangulorum.

Camera 85.
[*Finis, Majoritas.*]

MAjor finis, propter quem A. creaturam creavit, est, ut ipsum A. ipsi E. Christi objectum existat; & major finis, qui una creatura sit alteri, humanæ speciei Christus existit, ut E. cognoscat ipsum A. esse majus, quàm creaturam: *Præterea major finis, ad quem moveantur elementa, est corpus glorificatum.* Unde, cùm hoc ita sit, per particularia prædicta in regularitate angulorum triangulorum per cameram designatâ inveniri potest particulare, quod inquiritur per illud exemplum hujus artis & doctrinæ, quod superiùs datur.

Camera 86.
[*Finis, Æqualitas.*]

DIscurrentibus F. G. per triangulos, ut in ipsis cameram forment, intelligit E., quòd major æqualitas, quæ sit, est in secunda figura ipsius A., & post hanc ipsius A. & creaturæ in JESU Christo, cùm ex majoribus finibus concordantibus & diversis possit major æqualitas formari, quàm ex minoribus finibus rerum magis inæqualium in concordantiâ & differentiâ: mox autem cùm E. duo superiùs dicta particularia intellexit, intelligit C., quòd per similem doctrinam alia particularia possit intelligere, prout trianguli diversificant & concordant, & secundùm quod unum particulare alteri contradictoriè adversatur.

Camera 87.
[*Finis, Minoritas.*]

IN triangulo rubeo finis in tribus speciebus existit; non autem accipimus in camera, nisi unam, scilicet causam finalem, hoc verò facimus, quia reliquæ sunt minores. Unde, si quis cupit habere notitiam, quæ trium Legum melior existat, in ipsis per triangulos perscrutetur eam Legem, quæ concordat cum majori fine contradictoriè opposito minoribus finibus; quoniam autem major finis concordat cum esse, Y. & perfectione, propterea cognoscere potest, quæ Legum sit melior, & per eam notitiam potest habere cognitionem aliorum particularium per eandem prædictam artem.

Camera 88.
[*Finis, Affirmatio.*]

PRincipalior & major affirmatio est, quâ E. affirmet esse A. ejúsque cameras, & earum operationes; & propterea per croceum & viridem in livido & rubeo habemus, quòd major concordantia & differentia existit inter principaliorem causam finalem & affirmationem, prout sunt concordes cum majoritate, per quam majoritatem habetur regula ad alia particularia invenienda in prædicta regula & doctrina, secundùm quam in camera trianguli teneantur regulati & conditionati, cùm inquiritur particulare qualitatis ipsius cameræ.

Camera 89.
[*Finis, Dubitatio.*]

SI volvatur camera, & etiam triangulo croceo, viridi & livido misceatur, reperietur, quòd finis principalior, propter quem est dubitatio, est propter hoc, ut E. I. affirmationem vel negationem secundùm istas cameras [E. A. V. Y.] [I. V. Z.] pro objecto possint habere. Unde si particulare, quod inveniri petitur, concordet cum suprà dicta regula, conveniet cum Y. contra suum contradictoriè oppositum, quod cum Z. concordabit; cujus si foret contrarium, sequeretur, quòd in V. livido N. principalius esset, quàm E., & dubitatio, quàm affirmatio vel negatio, hoc autem est impossibile.

Camera 90.

[*Finis, Negatio.*]

QUantò nobiliori & magìs necessario fini negatio servit, tantò magìs in croceo per viridem cum majoritate concordat contra suam contradictoriam affirmationem, quæ in croceo cum minoritate convenit. Unde si per lividum in rubeo à principio usque ad finem hæc conditio revolvatur, habebuntur in speciebus multa diversa particularia concordantia & contrariantia, in quibus eligi poterit particulare quæsitum.

Camera 91.

[*Majoritas, Æqualitas.*]

DIscurrentia F. G. per cameram & per triangulos inveniunt hæc particularia, videlicet quòd ex majoribus diversis rebus concordantibus ad majorem finem & derivatis ex majoribus principiis ac transeuntibus ad finem per majora media formatur ipsi C. major æqualitas, contra quam minor possibilitas contrarietatis & inæqualitatis reperitur existere: quoniam autem minoritas & creatura conveniunt, majoritas verò & creator, sequitur, quòd in A. sit major æqualitas extra triangulum rubeum, in quo triangulo minoritas, quæ extra æternitatem existit, cum majoritate concordat, per quam suprà dictam majoritatem & minoritatem significatur aliud particulare, in quo est major æqualitas, quàm omnis alia æqualitas, quæ inter A. & creaturam existit. Unde, prout exemplificavimus de suprà dictis particularibus, ars & doctrina possunt haberi inveniendi alia particularia, quæ desiderantur.

Camera 92.

[*Majoritas, Minoritas.*]

PEr lividum, viridem, rubeum & nigrum majoritas & minoritas discurrant, & hoc idem de minoritate & majoritate fieri potest; nam per diversa concordantia in esse unum suppositum conjunctum ex majori, quod sit extra rubeum, & majori, quod sit in rubeo, majus & minus habentur secundùm comparationem majoritatis & minoritatis ipsius A. & creaturæ tantùm. In C. per istas cameras [E. V. Z.] [I. A. V. Y.] minor majoritas haberi potest, quæ majoritas per istas cameras [E. A. V. Y.] [I. V. Z.] in minoritatem convertitur.

Camera 93.

[*Majoritas, Affirmatio.*]

MAjor affirmatio, quæ est creaturæ possibilis, est affirmare, esse A. & ejus cameras, ac in eodem operationem existere (sic tamen loquendo) extra triangulum rubeum, quæ operatio per omnes cameras ipsius A. distinctorum concordantium & æqualium suppositorum existat, quòd si hæc non est major affirmatio, sequeretur, quòd extra rubeum non esset majus illo, quod in ipso rubeo reperitur, hoc autem est impossibile; quâ impossibilitate potest haberi aliud particulare, videlicet quòd de creatura majus opus affirmari non potest, quàm est conjunctio creaturæ & ipsius A. in esse unum suppositum. Igitur cùm hoc ita sit, prout ascendet & descendet major vel minor affirmatio, secundùm quod camera habituatur, & in triangulis jacet, potest haberi notitia particularium, quæ quæruntur.

Camera 94.

[*Majoritas, Dubitatio.*]

QUantò majorem operationem C. habet in hac camera [E. A. V. Y.] tantò longiùs à majori dubitatione removetur, & quantò E. I. N. ipsi R. propinquiora sunt, ad tantò majorem dubitationem feruntur, & secundùm quod A. & ejus cameræ & opus ejusdem cum majoritate concordant, creatura verò cum minoritate, ipsum S. potest habere majorem vel minorem dubitationem de A., quàm de creatura; & hoc idem sequitur in majoritate vel minoritate unius creaturæ ad aliam. Quod cùm ita sit, prout trianguli regulantur & ordinantur cum camera, per eosdem in camera inveniri possunt particularia in prædicta universalitate reperiri possibilia.

Camera 95.

[*Majoritas, Negatio.*]

MAjor negatio formatur in E., minor autem in N., cùm B. C. D. cum majoritate, K. L. verò cum minoritate conveniant. Præterea major negatio potest formari de E., quàm de I., cùm E. per primam, I. verò per secundam intentionem existat, & quoniam R. dubitationi est propinquius, quàm N., propterea major negatio potest formari per N., quàm per R. Ulteriùs quia A. & majoritas, creatura verò

verò & minoritas conveniunt, idcirco major est negatio, negare in A. id, quod in A. non est, quàm negare in creatura id, quod est in ipsa, & negare, quòd in creatura non est id, quod est in ipsa, non est tantum, quantum est negare in A. id, quod est in ipso. Amplius negare, creaturam esse, non implicat tantam negationem, quàm negare, A. & ejus cameras existere, & hoc idem sequitur de operibus, quæ sunt in A. & creatura, prout ad majoritatem & minoritatem se habent.

Camera 96.

[*Æqualitas, Minoritas.*]

B. C. D. habent majorem æqualitatem in majoritate, quàm in minoritate, quod est ratione majoris operationis ipsorum B. C. D. in magìs nobilibus & magìs distinctis concordantibus objectis, quàm ratione minoris, & in minùs nobilibus minùs distinctis & concordantibus; cujus si foret contrarium, sequeretur, quòd major concordantia esset magìs possibilis de minori distinctione, & major contrarietas esset magìs possibilis de majori distinctione; hoc autem est inconveniens, quia, si esset conveniens, esset possibile, quòd inter ipsum A. & creaturam major contrarietas esset possibilis, quàm concordantia, hoc autem est contra principia istius cameræ [E. A. V. Y.] per quæ *Trinitas* & *Incarnatio* demonstrantur.

Camera 97.

[*Æqualitas, Affirmatio.*]

SI in hac camera per triangulos discurratur, reperietur, quòd ex majoribus æqualibus distinctis & concordantibus suppositis absentiâ contrarietatis potest formari magis æqualis affirmatio, cujus si foret contrarium, sequeretur, quòd ex majoribus æqualibus distinctis concordantibus suppositis major æqualitas ipsi E. contra majorem inæqualitatem pro objecto formari non posset, hoc autem est impossibile, quâ impossibilitate quoddam secretum aperitur, per quod possunt formari affirmationes magìs æquales affirmando, distincta supposita æqualia esse in cameris ipsius A., & unam essentiam esse. Unde, prout hoc secretum declaravimus, artista potest habere doctrinam ad perscrutandum alia particularia.

Camera 98.

[*Æqualitas, Dubitatio.*]

HÆc camera in diversis speciebus in ipso S. secundùm triangulos variari potest, nam secundùm quod objecta se habent æqualiter ad esse visibilia vel invisibilia, & ad esse in amore vel odio, possunt haberi æquales dubitationes, secundùm quod individua specierum ipsius S. in formando & comprehendendo ipsum R. æquantur. Præterea æqualis dubitatio æquale meritum & æqualem culpam designat, per quam æqualitatem aperitur sancta *Trinitas* ipsius A. & *Incarnatio* Filii Dei, si sequi sciamus in E. prædictas generalitates, per quas habetur ars & regula ad inveniendum multa particularia in situ & habitu, quibus camera & trianguli ipsum E. subintrant.

Camera 99.

[*Æqualitas, Negatio.*]

SI negatur, in A. per omnes ejus cameras extra triangulum rubeum intrinsecam operationem esse, æqualis negatio habetur illi, quæ fit, cùm negatur, esse A. & suas cameras, quia impossibile est unam negationem cum Y., aliam verò cum Z. concordari. Præterea si negatur primum membrum in X., fit æqualis negatio illi, cùm secundum membrum negatur; unum enim sinè alio esse non potest. Præterea, si negatur mundum in triangulo rubeo existere, fiunt duæ negationes æquales, videlicet negari majus in æternitate infinitâ, & negari minus in terminatâ & finitâ quantitate. Igitur cùm hoc ita sit, secundùm cameram, & prout trianguli discurrunt per ipsam, potest haberi regula ad perscrutandum particularia ipsius conditionibus concordantia vel contraria.

Camera 100.

[*Minoritas, Affirmatio.*]

AFfirmare, esse mundum æternum & esse sinè principio, est minor affirmatio, quàm affirmare mundum habere principium, cujus si foret contrarium, sequeretur, quòd in A. non meliùs concordaret opus intrinsecum cum æternitate & infinitate, quàm opus extrinsecum, quod A. habet in mundo; hoc autem est impossibile & contra secundam figuram ipsius A. & contra regulam, secundùm quam in ca-

mera trianguli regulantur. Præterea minorem affirmationem Judæi & Saraceni faciunt secundùm suam Legem in operatione intrinseca & extrinseca ipsius A. ejúsque cameris, quàm Christiani secundùm suam Legem; cujus si foret contrarium, sequeretur, quòd ex majoribus diversis æqualibus & concordantibus majus opus minimè formaretur, quàm ex minoribus diversis, hoc autem est impossibile, quâ impossibilitate in hac camera doctrina præbetur ad perscrutandum multa particularia.

Camera 101.

[*Minoritas, Dubitatio.*]

CErtum est, triangulum rubeum esse majorem in S., quàm in corpore, & ideo minor dubitatio ipsius corporis haberi potest, quàm ipsius S., cùm dubitatio discurrere possit per medium, quod inter principium & finem existit, quia & Judæus & Saracenus nec in A. nec in ejus cameris, nec in creatura nec in V. tam magna objecta accipiunt, ût Christianus, propterea illi in minoribus terminis cameram possunt terminare, Christianus autem in majoribus, per quas majoritates E. I. N. ipsius Christiani magis sublimari possunt, quàm E. I. N. Judæi & Saraceni, per quam majorem exaltationem *duo secreta* superiùs demonstrata revelantur, secundùm quorum demonstrationem habetur ars, quâ in camera per triangulos alia particularia inquirantur.

Camera 102.

[*Minoritas, Negatio.*]

CUm N. negat Y., minorem negationem format, quàm E. I. negantia ipsum Y., quod est, quia minor culpa formatur in N., major autem in E. I. Præterea cùm E. I. N. negant Z., tunc major negatio formatur in B. F. C. G. D. H. secundùm meritum, quàm in K. L. M., sed secundùm Prudentiam & Charitatem majus meritum formatur in B. C. D., quàm in K. L. M. Igitur cùm hoc ita sit, per hanc necessitatem conditionatam in camera secundùm prædictam regularitatem specierum ipsius S. in triangulis reperiri possunt particularia, quæ quæruntur, per cameram & triangulos in exemplo dato de speciebus ipsius S. metaphoricè mensuratos.

Camera 103.

[*Affirmatio, Dubitatio.*]

SI F. G. per viridem, croceum & rubeum discurrant, reperietur, quòd dubitatio & opinio habent minorem differentiam & concordantiam, probabilitas autem, demonstratio & affirmatio habent majorem differentiam & concordantiam: propterea major & minor differentia & concordantia habetur, per quam revelatur, dubitationem existere, in qua E. N. nequaquam exaltationem recipiunt, sed in affirmatione, uno stante in habitu uno tempore, alio autem in actu, & uno per aliud ad majus ascendente, ut formentur istæ cameræ sequentes [E. A. V. Y.] [M. A. V. Y.] cujus si foret contrarium, impossibile esset, ipsas duas cameras secundùm regularitatem triangulorum in camera concordari.

Camera 104.

[*Affirmatio, Negatio.*]

PEr viridem, croceum & rubeum camera discurri potest in livido, affirmatio enim & negatio diversæ atque concordantes possunt esse; privatur tamen earum concordantia, dum una se habet ad unum finem, alia verò ad alium per medium & principium contraria. Præterea possunt esse diversæ & concordantes absentiâ contrarietatis, cùm per concordantiam principii & medii ad unum finem se habent, una per unum objectum, & alia per aliud revolvendo. Unde si particulare, quod quæritur, regulam cameræ & prædictas qualitates conservet, poterit cum Y., ipsius verò contradictoriè oppositum cum Z. convenire.

Camera 105.

[*Dubitatio, Negatio.*]

VElut medium in medio principii & finis existit, sic dubitatio in medio affirmationis & negationis locatur; per viridem autem in prædicto exemplo differunt; nam medium principiatum est, ut finis existat, dubitatio verò consistit in medio, ut E. I. N. perveniant ad affirmationem vel negationem, quæ concordet cum Y., seu ad affirmationem & negationem, ex quibus formatur concordantia affirmans Y. vel negans Z. Igitur cùm hoc ita sit, secundùm prædictum universale, prout diximus, in camera & triangulis regulatum potest particulare, quod quæritur, inveniri.

Explicit prima figura ipsius T., quæ universalis est, ut instrumentum existat, quo reperiatur in ipsa particulare contradictorium alterius conditionibus & regulis oppositi, per quas trianguli in cameris & cameræ in triangulis regulantur.

De Secunda Figura T., id est, de Figura Elementali.

PRout alios angulos triangulorum ipsius T. in aliis miscuimus, oportet nos miscere angulos triangulorum in *sexaginta quatuor cameris* elementalis figuræ, quæ figuræ in charta & in *Arte particulari* locantur, quoniam autem abbreviamus *Lecturam Artis*, idcirco triangulos per *sex cameras* in figura prædicta existentes miscere volumus, ut demus doctrinam, quâ sciatur modus discurrendi triangulos per omnes cameras elementalis figuræ.

Camera 1.

[*Ignis, Terra.*]

IN hoc discursu lividus, viridis, rubeus, croceus & niger habentur, videlicet quòd forma universalis in prima materia diversificat ignem & terram per differentiam suarum sphærarum & operationum & levitatis & ponderositatis; quia verò ignis simplex habet naturalem appetitum ad inquirendum suam perfectionem, convenit cum terra recipiendo de siccitate frigefacta, ut in se ipso & in terra mortificet & destruat frigiditatem suo calori contrariam.

In simplici medicina, in qua ignis terræ dominatur, ignis est principium terræ in recipiendo siccitatem ab ea, ut misceri & concordari possit contra aquam cum terra concordantem: præterea, si simplex medicina in quarto gradu caloris existit, facit ignis de se tria puncta, & æqualificat ipsa tribus punctis terræ, quam recipit, ex quibus in illa medicina tertius gradus siccitatis formatur, prout diximus *in Principiis Graduum Medicinæ:* medium autem est terra, quæ cum igne & aqua concordat, sed secunda intentio ignis est, quòd aquam in terra corrumpat, prima autem & principalior intentio ignis est, ut ipse inveniat suum complementum.

Licèt ignis in hac camera sit patiens, in quantum à terra recipit siccitatem, non sequitur, quòd ignis minor existat, quàm terra in illa simplici medicina, in qua ignis in quarto gradu caloris, terra verò in tertio siccitatis existit; sed ignis major est, terra verò minor, dante igne & æqualificante tria puncta caloris tribus punctis siccitatis, & dante ac æqualificante duo puncta caloris duobus humiditatis, & dante ac æqualificante unum punctum caloris uni puncto frigiditatis contra aquam, retinente verò sibi dominium scilicet septimum punctum simplex, quod est forma, magister & dominus agens, ut conservetur species, in qua consistit in quarto gradu caloris.

Affirmando, negando & dubitando locuti fuimus, ut reperiatur Y. in livido creaturæ & operationis per viridem, rubeum & croceum, secundùm quod elementa regulantur, commiscentur & etiam componuntur: unde particulare naturæ, quod petitur, oppositum contradictoriè regularitati prædictæ concordandum est cum Z., ipsius verò oppositum cum Y., cujus si foret contrarium, sequeretur regularitatem prædictorum triangulorum naturalium cum Z., minoritate, privatione & defectu, ipsius verò oppositum cum Y., majoritate, esse & perfectione convenire; hoc autem est impossibile secundùm cursum naturæ.

Camera 2.

[*Ignis, Aër.*]

IGnis per sphæram differt ab aëre, cùm sphæra ignis sursum, aëris verò deorsum existat: præterea ignis & aër in operatione diversificantur, cùm ignis det aëri, & aër aquæ; contrariantur autem, in quantum ignis contra aërem à terra recipit siccitatem, & aër aquæ contra ignem præbet humiditatem; sunt verò concordes, in quantum humiditas aëris subsistit materia calori naturali agenti in ipsa.

In simplici medicina, in qua ignis est dominus, calor est humiditati principium; medium autem est elementorum digestio, quæ consistit in medio mixtionis & compositionis, quas habent in individuis specierum; hoc autem medium sic stat sinè medio inter mixtionem & compositionem, velut piscis existit medium sinè alio medio inter unam & aliam superficiem aquæ, ubi piscis est in termino collocatus. Elementorùm

rum mixtio est per omnes sphæras, & per totam digestionem, & etiam in compositis individuorum specierum; finis autem est, quòd ignis & aër cum reliquis elementis consistant in compositis, quibus species conservantur; nam velut galla, gumma, vitriolum & aqua sunt in atramento, sic elementa materialiter & formaliter in proprietatibus & virtutibus sunt in animalibus, vegetabilibus & metallis: sicut verò galla, vitriolum, gumma & aqua in atramento suam formam amittunt, sic elementa in suppositis suam formam perdentia per alias formas visibiles demonstrantur, quas mediantibus imaginativâ & phantasiâ intellectus accipit. Unde, cùm ita sit, aperitur quoddam secretum utile, ut sciatur, quod monstratur in humana natura, quæ hoc absente in sua essentia alteraretur, quod est, ut sensualiter & intellectualiter istis cameris [E. A. V. Y.] [I. V. Z.] [M. A. V. Y.] melius possit creatura potiri, nam velut notitiam elementorum habere non possemus, si non intrarent compositionem in individua specierum, sic cognitionem ipsius A. ejúsque camerarum perfectè habere non possemus absentiâ Incarnationis & conjunctionis Dei & humanæ naturæ.

Prout diximus in camera ignîs & terræ, potest haberi cognitio, qualiter ignis major, aër verò minor existit in simplici medicina, in qua ignis est dominus, & aër subditus: sunt tamen æqualia in intentione in eo, quòd concordant in generando unum corpus sanguineum, in quo aër major, ignis verò minor existit secundùm majoritatem & minoritatem, quæ sunt ex igne & terra. Quod cùm ita sit, secundùm regulam prædictam naturæ potest haberi cognitio illius particularîs, quod inquiritur.

Camera 3.

[*Ignis, Aqua.*]

IGnis & aqua diversi sunt & oppositi, per medium verò secundùm tertiam speciem ipsius X. sunt ad unum finem concordes per primam & secundam intentionem, quæ prima intentio principium est secundæ, & finis existit, ad quem ignis movet aquam mediantibus terrâ & aëre, quæ cum aquâ tam fortiter concordant, quòd per vehementem motum, & per partes minimas cujuslibet elementi, & per magnum appetitum naturæ aliud generant, quod non est elementa, videlicet quod ex quatuor elementis est compositum: per hanc mixtionem invenitur aliud quoddam secretum, quod ex tribus naturis tam unitum est & conjunctum, quòd est illæ, & ipsæ sunt illud, quod melius se habet ad id, quod est, quàm omne compositum & solum de natura creata, quod est, ut increata essentia significetur, & tres Personæ divinæ, quæ sunt eadem essentia, & eadem essentia est ipsæ, nec fit alterum, sed potiùs absentiâ majoris & minoris sunt æquales. Igitur, cùm hoc ita sit, prout in camera miscuimus triangulos, potest particulare cum camera conveniens reperiri.

Camera 4.

[*Terra, Aër.*]

IN operatione lividi terra & aër in viridi ter simul repugnant, bis verò sunt concordes, & ideo differentia & contrarietas in camera sunt majores in rubeo, differentia autem & concordantia sunt minores; nam sinè medio terra & aër sunt contrarii, & bis simul repugnant, uno quidem modo per medium in igne, & alio per medium in aqua; habent autem concordantiam bis per medium ratione primæ & secundæ intentionis, quam in aqua & in igne habent. Unde per prædictam contrarietatem & concordantiam essentialis motus naturæ formatur, ens enim naturale concretum & compositum est per suprà dictum motum ex triangulis naturalibus. Præterea declaratur aliud universale & particulare, scilicet temporalitas, quæ est essentia in universali, & tempus ens in conjuncto individuo speciei & particularîs ejusdem, quod individuum de potentia in actum, & de actu in corruptionem movetur, propter quam corruptionem particulare ad essentiam reparatur & alteratur in numero, & forma ejusdem privatur, & ipsius materia sub alia specie subsistere potest.

Camera 5.

[*Terra, Aqua.*]

IN hac camera viridis est per differentiam essentiæ & operationis, & per concordantiam contra ignem & aërem, & per concordantiam, quam habent terra & aqua in ponderositate & in densitate materiæ & in descensu & ascensu; sursum enim ascendere per motum innaturalem est terræ & aquæ descensus, per descendere verò deorsum

sum habent naturalem ascensum, qui se habet ad majoritatem, & ipsius oppositum ad minoritatem, & earum contrarietas est æqualis in *duobus mediis*; *unum* est, cùm terra concordat cum igne contra aquam, & *alterum* est, cùm aqua concordat cum aëre contra terram; ex hac enim contrarietate formatur unus finis ex alio, & unum principium ex alio, & ignis descendit ignem minorem augmentans, ut terræ & aëri auxilietur, aqua verò de sua sphæra descendit aquam minorem in terra & in aëre multiplicans contra ignem. Igitur, cùm hoc ita sit, *secretum ignis* aperitur, qualiter descendit minorem augmentans, & ascendit suo calore minorem evacuans; & hoc idem sequitur de aliis elementis.

Camera 6.

[*Aër, Aqua.*]

PEr majoritatem & concordantiam ignîs & aëris à minoritate & privatione aër fugit in aquam exhibens ipsi humiditatem calefactam, ut aqua in se humiditatem frigefaciat, quæ annihilaretur in materia aëris, nisi aqua ipsam frigefaceret; & hinc habetur in camera major & minor concordantia & differentia & triangulus rubeus. Præterea habetur affirmatio & negatio in aliis cameris figuræ per suprà dictam metaphoram. Unde, si particulare, quod quæritur, formatur & concordat cum conditionibus cameræ, sequitur, ipsum cum Y., ipsius verò contradictoriè oppositum cum Z. convenire.

Breviter diximus de elementali figura, & cum diversis conditionibus ejusdem cameras conditionavimus, quibus conditionibus particularia naturalia designantur, quæ in universalitate conditionum possunt inveniri; si verò particulare, quod sciri desideratur, per conditiones unius cameræ inveniri non potest, inquiratur per conditiones alterius cameræ unam cameram cum alia permiscendo.

Hic est naturalis appetitus, ad quem in *tribus speciebus*, videlicet *animalium*, *vegetabilium* & *metallorum* elementa moventur, in quibus speciebus componuntur, quia in ipsis suam perfectionem inquirunt, quæ inquisitio in *duabus speciebus* existit, quarum *prima* est, cùm quodlibet elementum affectat corpus simplex per se ipsum existere habendo simplicem compositionem in sua propria materia & forma; *alia verò species* est, cùm quodlibet elementum desiderat unum corpus esse cum alio, in quo possint in differentia & concordantia absentiâ contrarietatis convenire, concordante igne cum aëre, terrâ & aquâ, nec mortificante aquam in se ipso recipiendo siccitatem frigefactam, nec aquâ recipiendo humiditatem calefactam suffocante in se ipso calorem, nec aëre recipiendo calorem desiccatum in se ipso exstinguente siccitatem, nec terrâ recipiendo frigiditatem humefactam in se ipsa consumente humiditatem: quoniam autem elementa duas prædictas species invenire non possunt, & eas nunc in uno individuo, nunc in alio perscrutantur, propterea fit ipsa inquisitio motûs per generationem in alteratione, actu & potentiâ, quòd si non esset perfectio, ad quam moverentur, essent duæ species contrariæ duabus prædictis eorum perfectio, ad quam moverentur, & unumquodque elementum sibi ipsi primam intentionem haberet ad corruptionem & privationem sui esse, secundam autem intentionem haberet ad generationem & ad esse; hoc autem est inconveniens, & contra cursum naturæ motui & cursui naturali contrarium.

Per hanc suprà dictam metaphoram revelatur ipsi E. *gloria cælestis in glorificato corpore*; ipsi verò I. *pœna gehennæ in damnato corpore*, nam in glorificato corpore in prædictâ *secundâ specie* convenient elementa, & suam perfectionem habebunt, in *primam* verò *speciem* prædictæ contrariam ad suam imperfectionem moventur propter pœnam, quam corpus damnatum patietur, quod in privationem deveniret, nisi Justitia ipsius A. ipsum sustineret, ut illud puniat æternis tormentis.

Per hanc metaphoram aperitur alia, videlicet *finis generationis & corruptionis in fine mundi*, in quo elementa suam perfectionem habebunt in suis sphæris, & erunt simplicia immobilia & non permixta corpora, nec in digestionem & in compositionem alia in alia ingredientur, & semper erunt duratura.

Finaliter de figura elementali sermo noster expressit breviter; nunc autem loqui volumus de figura ipsius A. & conditionare cameras ejusdem cum triangulis ipsius T., & etiam regulam demonstrare, ut secundùm ipsas conditiones possimus reperire particularia, quæ requiruntur ad scientiam Theologiæ.

De Figura ipsius A.

HÆc figura in *centum viginti cameras* dividitur; *oportet autem unamquamque cameram concordari secundùm conditiones universalis figuræ, tali modo, quòd per ipsius conditiones possit ars & modus haberi ad investigandum & inveniendum particulare scientiæ Theologiæ ponendo & permiscendo in cameris triangulos ipsius T., ut in cameris regulentur, & secundùm eorum regulam conditionentur cameræ ad designandum conveniens vel inconveniens*, prout C. cum triangulis in cameras ingreditur, ut principia sint convenienti & inconvenienti, antecedenti & consequenti, per quæ declarantur secreta, in quibus particularia latent ignorantes artem & prædictam doctrinam, & nescientes in speciebus ipsius S. sinè omni contrarietate cameras concordare.

Camera 1.

[*Bonitas, Magnitudo.*]

BOnitas & magnitudo dignitates existunt habentes majorem concordantiam & æqualitatem in dignâ majoritate, quàm in dignâ minoritate, & magis in majoritate, quàm in minoritate bonitatis & magnitudinis privationi repugnant. Igitur, cùm bonitas & magnitudo in triangulo rubeo non possint esse in subjecto in majoritate bonitatis & magnitudinis absentiâ privationis, sequitur, quòd sit una essentia, in qua triangulus rubeus non existat, in qua quidem sint bonitas & magnitudo concordes & æquales in majoritate, quæ sit absque privatione bonitatis & magnitudinis, quam majoritatem oportet infinitam existere in bonitate, magnitudine, concordantia & æqualitate, per quam concordantiam & æqualitatem suppositorum infinitorum in infinita majoritate concordantium & æqualium distinctio demonstratur, cùm absentiâ distinctionis concordantia & æqualitas esse non possint; si autem hoc ita non esset, sequeretur, destrui necessaria principia suprà dicta, & bonitatem, magnitudinem in dignâ majoritate infinitâ sinè privatione bonitatis & magnitudinis non meliùs concordari, quàm in minoritate habente privationem bonitatis & magnitudinis; hoc autem est impossibile, quâ impossibilitate particularia superiùs demonstrata revelantur, videlicet in A. infinitam bonitatem, magnitudinem & *Trinitatem* existere. Unde, prout per artem dicta particularia superiùs sunt demonstrata, potest haberi cognitio *Incarnationis Filii Dei* aliorúmque particularium, quæ in scientia Theologiæ postulantur.

Camera 2.

[*Bonitas, Æternitas.*]

NIsi foret æternitas, triangulus rubeus ens nequaquam existeret, cùm triangulus rubeus per se ipsum esse non posset; quoniam autem existit, C. intelligit æternitatem existere, in qua non est triangulus rubeus: & quoniam illa æternitas in majoritate bonitatis habet majorem concordantiam, quàm durabilitas, in qua triangulus rubeus reperitur, oportet necessariò esse bonitatem æternam in essentia, in qua triangulus rubeus non existat, quæ essentia est A., in quo supremum æternum bonum existit; quod si non esset, prædicta principia delerentur, quorum destructio est impossibilis; quia, si possibilis esset, sequeretur, principia eorum contraria esse necessaria; præterea sequeretur, bonitatem & æternitatem cum privatione bonitatis & majoritatis in minoritate meliùs convenire, quàm cum perfectione bonitatis in majoritate, hoc autem est impossibile; quod si possibile foret, quilibet homo magis amaret non esse, quàm esse, & minorem dignitatem bonitatis, quàm majorem, & hoc idem sequeretur de plantis & animalibus irrationalibus, quod non est verum.

Camera 3.

[*Bonitas, Potestas.*]

M. Affirmat, quòd in A. bonitas & potestas concordant in croceo & viridi in majori distinctione, concordantia, majoritate & æqualitate, quàm illa, quæ in triangulo rubeo existit, & propterea formatur in E. intelligere, intelligente C., quòd, si camera existit in A., prout in illa affirmat, sequitur, ipsam à privatione bonitatis & potestatis longiùs removeri, quàm si negatio affirmationi contradictoria foret in Y.; quoniam autem longiùs remotâ privatione bonitatis & potestatis in A. oportet affirmare, quòd necessarium sit, in A. bonam potestatem existere, quæ de se aliud suppositum distinguat, æqualificet & concordet, ut in A. camera possit esse in majori dignitate, & ut per infinitum opus superextendat finitum opus, quod A. in

triangulo rubeo habet. Igitur cùm hoc ita sit, prout trianguli ordinantur & regulantur in camera, ut prædictum particulare designetur, regulari & poni possunt in arte ad inquirendum & inveniendum alia particularia Theologiæ.

Camera 4.

[*Bonitas, Sapientia.*]

IN croceo camera se habet ad majorem dignitatem in majoritate & æqualitate, ad minorem autem dignitatem in minoritate & æqualitate; quare in rubeo medium concordans cum digniori camerâ se habet ad majoritatem & æqualitatem, quantò major est conjunctio majorum distinctorum concordantium suppositorum. Unde si est Y., ut majus quoddam bonum sapiens, in quo non sit triangulus rubeus, & aliud quoddam bonum sapiens, in quo sit rubeus, una persona consistant, sequitur operationem ipsius A. cum majori operatione in creatura in majori æqualitate concordari, & in majoritate bonitatis & sapientiæ formari E. I. N. istas cameras [E. A. V. Y.] [I. V. Z.] [M. A. V. Y.] componendo; si autem illud Y., quod diximus, est Z., sequitur, quòd A. prædictis cameris in majoritate bonitatis & sapientiæ repugnet, & quòd cum minoritate sit concordans, quod est impossibile.

Camera 5.

[*Bonitas, Amor.*]

IStius cameræ conditiones sunt, ut in viridi & croceo affirmetur majoritas operis cum majoritate bonitatis concordans in opere, quod in A. existit intrinsecum, vel extrinsecum ipsius A. & creaturæ: si autem particulare, quod quæritur, cum prædictis conditionibus concordari non potest, ejus contradictorium necessariò est accipiendum, quo possint conditiones ipsius cameræ salvari, & nulla contrarietas nec ullum inconveniens esse inter bonitatem & amorem divinum.

Camera 6.

[*Bonitas, Virtus.*]

MAnifestum est ipsi E., quòd bonitas & virtus meliùs diversificari, concordari & æqualificari possint in majoritate, quàm in minoritate; nam si foret contrarium, sequeretur, quòd vitium & privatio bonitatis, seu vitium & bonitas, sive virtus & privatio bonitatis cum majori dignitate majorem proportionem haberent, quàm cum minori; hoc autem est impossibile, quâ impossibilitate ars & modus revelatur, qualiter in camera trianguli regulari & ordinari debent, cùm quæritur particulare, quod cum prædictis conditionibus taliter concordetur, ut inde camera cum majoritate contra minoritatem majoritati contradictoriam concors existat.

Camera 7.

[*Bonitas, Veritas.*]

IN opere, quod fit in triangulo rubeo, bonitas & veritas non se habent ad tam fortem majoritatem, concordantiam, distinctionem & æqualitatem, ût in opere extra triangulum rubeum existente; igitur cùm hoc ita sit, veritas ad majoritatem in bonitate, & bonitas ad majoritatem in veritate se habet, ubi opus majorum bonorum & verorum concordantium æqualium & distinctorum existit; cujus si foret contrarium, sequeretur, quòd in triangulo rubeo camera major esse posset, quàm in A., hoc autem est impossibile & contra dicta principia.

Camera. 8.

[*Bonitas, Gloria.*]

FRecolit, & G. intelligit, quòd camera cum majoritate, in qua non existat triangulus rubeus, meliùs concordari possit, quàm cum majoritate, in qua triangulus rubeus existit; cujus si foret contrarium, sequeretur, quòd ipsius majoritas meliùs posset convenire cum essentiâ finitâ & terminatâ, quàm cum infinitâ, hoc autem est impossibile, quâ impossibilitate demonstratur, quòd oportet in majoritate extra triangulum rubeum existente esse æqualitatem distinctorum bonorum concordantium in gloria per omnes cameras ipsius A.; quia si non, sequeretur, quòd in rubeo bonitas & gloria meliùs concordarent in minoritate, inæqualitate & contrarietate bonorum gloriam habentium absentiâ distinctionis, hoc autem est impossibile, & nostro experimento contradictorium; si misceantur cum camera largitas & misericordia Dei, & in camera [Dei, creaturæ & majoritatis] ponantur, aperietur aliud particulare per suprà dicta principia, videlicet *Incarnatio Filii Dei*, & per illud revelabitur aliud, videlicet *mundum esse creatum*, & *habere principium*,

cipium, & sic gradatim perveniri potest per quædam particularia ad notitiam aliorum.

Camera 9.

[*Bonitas, Perfectio.*]

BOnitas & perfectio ad majoritatem fortiùs se habent, quàm ad minoritatem, cujus si foret contrarium, sequeretur, quòd esse & privatio, majoritas & minoritas super camera concordarent, quâ concordantiâ bonitas & perfectio contrariarentur ipsi esse, & essent cum privatione concordes; hoc autem est impossibile, quâ impossibilitate obligatur artista secundùm prædicta principia id, per quod E. altiùs potest elevare B. C. D. in fovendo cameram in A. ejúsque operationibus, concordare cum affirmatione, ipsius verò contradictoriè oppositum cum negatione. Igitur cùm hoc ita sit, secundùm obligationem prædictam ad inquirendum particulare, quod petitur, conditio istius cameræ declaratur.

Camera 10.

[*Bonitas, Justitia.*]

BOnitas & justitia cum majoritate sunt concordes in essentia, in qua triangulus rubeus non existit, cum minoritate verò in ea, in qua prædictus triangulus reperitur, & in qua potentialiter vel actualiter sunt injuria & privatio bonitatis; igitur cùm hoc ita sit, & extra triangulum rubeum sit æternitas, oportet priùs esse justitiam, quàm culpam, & bonitatem, quàm malitiam; unde si mundus foret æternus, sequeretur, quòd æternitas ad justitiam, & bonitas ad injuriam & pœnam æqualiter se haberent, deinde quòd nunquam extitisset protoplastes; hoc autem est impossibile, quâ impossibilitate per prædicta principia revelatur, quòd *mundus habeat principium*, & quòd camera sit anterior principio mali, in quo existit injuria & privatio boni, quæ sunt cum minoritate concordes extra æternitatem, in qua æternitate secundùm comparationem minoritatis bonitas & justitia concordant cum majoritate.

Camera 11.

[*Bonitas, Largitas.*]

BOnitas & largitas sunt contradictoriæ malitiæ & avaritiæ in una actualitate; unde si in majoritate opus bonitatis & largitatis concordat & diversificat, in quo triangulus rubeus non est, camera longiùs à suo contradictorio removetur, quàm si in minoritate opus esset in triangulo rubeo; cujus si foret contrarium, sequeretur, quòd bonitas & largitas haberent majorem concordantiam in minoritate differentiæ & in absentiâ operis, quàm in majoritate & æqualitate, quibus haberent differentiam suppositorum infinitorum secundùm secundam figuram ipsius A.; hoc autem est impossibile, quâ impossibilitate secunda figura ipsius A. demonstratur, in qua demonstratione ostenditur *Incarnatio Christi* per suprà dicta principia, quæ sunt regulæ ad investigandum alia particularia Theologiæ.

Camera 12.

[*Bonitas, Misericordia.*]

BOnitas & misericordia in prima figura ipsius A. unum & idem existunt, ratione verò secundæ figuræ in ea distinctionem bonitatis & misericordiæ esse oportet, ut in A. sit concordantia & æqualitas distinctorum bonorum & misericordium in majoritate, in qua triangulus rubeus non existat; quod si non esset, sequeretur, quòd camera à suo contradictorio & à triangulo rubeo non esset tam remota; & si non, sequeretur, quòd majoritas, in qua esset, finiretur & terminaretur; hoc autem est impossibile, quâ impossibilitate aperitur secunda figura ipsius A., & alia camera constructa ex eo, quod est in livido extra rubeum, & ex eo, quod in rubeo majus existit, in quo majori fortior est camera bonitatis & misericordiæ, quàm in omnibus individuis, quæ in triangulo rubeo subsistunt, ut influentia intrinseca influens opus extrinsecum in triangulo rubeo designetur.

Camera 13.

[*Bonitas, Humilitas.*]

SI superbia bonum esset, humilitas & bonitas sibi repugnarent; unde ut demonstretur, quòd bonitas & humilitas habeant concordantiam in majoritate, quæ est extra rubeum, & in majoritate, quæ multùm valeat in rubeo, voluit Filius Dei humiliare se ipsum ad esse unam personam cum ente, quod in triangulo rubeo continetur; quod si non esset, esset impossibile ipsum E. ipsis B. C. D. tam bene posse potiri ad habendum demonstrationem, qualiter camera contra suum contradictorium in majoritate foret: quoniam verò major demonstratio convenit cum Y., ipsius verò oppo-

oppositum cum Z., propterea demonstratur particulare Theologicum superiùs designatum.

Camera 14.

[*Bonitas, Dominium.*]

SI quoddam bonum, in quo sint cameræ ipsius A., aliud bonum generat, in quo eædem cameræ existunt, & aliud bonum easdem cameras habens ab ipsis ambobus procedit, si generans generatum & processum sunt bonitas & dominium, habebunt concordantiam, æqualitatem & differentiam in majoritate, absentiâ trianguli rubei & minoritatis, & ab oppositio cameræ longiùs removebuntur, quâ oppositione magis remotâ in A. *pluralitas* demonstratur, cujus demonstratione *Incarnatio* & *creatio* secundùm principia superiùs dicta ostenduntur, si secundùm ea principia trianguli in camera regulari & ordinari sciantur.

Camera 15.

[*Bonitas, Patientia.*]

IN bonitate & patientia, in quibus triangulus rubeus non existit, oportet esse majorem majoritatem concordantiæ & æqualitatis, quàm in bonitate & patientiâ, in quibus rubeus triangulus invenitur; quod si non esset, sequeretur bonitatem patientiæ repugnare, & patientiam cum impatientia concordari posse; hoc autem est impossibile, quia si esset, contradictio in contradictorio conveniret cum esse; hoc autem est impossibile, quâ impossibilitate aperitur distinctio suppositorum concordantium æqualium, in quibus non est rubeus, cujus distinctionis absentiâ major concordantia & æqualitas in majoritate sinè rubeo esse non posset. Unde, ut demonstretur ipsi E. particulare superiùs designatum, quod quæritur, Filius Dei voluit esse homo, ut ex majori, in quo rubeus non est, & ex majori, in quo est, ipsi E. tam magna camera formetur, quòd E. I. N. non possint habere majorem cameram bonitatis & patientiæ ad multiplicandum in majoritate cameras istas [E. A. V. Y.] [I. V. Z.] [M. A. V. Y.] contra cameras ipsis contrarias.

Camera 16.

[*Magnitudo, Æternitas.*]

ÆTernum, magnum, infinitum operans per infinitam magnitudinem opus infinitum, æternum, concordans & æquale cum suo opere per infinitum opus æternum sinè rubeo esse oportet: quare si negativa negans æternum opus est in Y., sequitur, quòd æternum opus operatum per magnum infinitum conveniat cum minoritate, ut quantitas rubeum habens existat, si verò negativa negans æternum opus est in Z., opus æternum concordabit cum majoritate: quoniam autem æternum habet majorem concordantiam & æqualitatem in majoritate, quàm in minoritate, propterea demonstratur ipsum A. ejusdémque cameras existere, & revelatur *pluralitas*, quæ existit in A., cujus cognitio habetur per suprà dicta necessaria principia, quibus notitia aliorum particularium haberi potest.

Camera 17.

[*Magnitudo, Potestas.*]

NEcessarium est, quòd potestas, quæ sit operans opus per magnitudinem infinitam, infinita existat, & etiam opus ejusdem, & oportet, quòd magnitudo, potestas & opus sit pura infinita actualitas in majoritate, in qua non sit triangulus rubeus, & in qua sit impossibile contrarietatem & potentiam reperiri: quoniam autem tale opus sinè distinctione Personarum esse non posset, *pluralitas* in A. revelatur, per quam & per suprà dicta necessaria principia declaratur, quòd potestas, quæ valet unire ipsum A. & creaturam in esse unam personam, conveniat cum majoritate intrinseca & extrinseca; si autem concordantia in majoritate foret inconveniens, esset in minoritate concordans, quâ minoritate demonstraretur, quòd potestas, quæ per infinitam magnitudinem operaretur, cum majoritate disconveniret, cum minoritate verò concordaret, quæ disconvenientia & concordantia impossibiles coëxistunt, quâ impossibilitate declaratur, *mundum esse creatum*; nam si foret inconveniens ipsum esse creatum, sequeretur, quòd divina potestas in opere, in quo reperitur rubeus, conveniret in quantitate tam magnæ æqualitatis in tanto causato, ût in A., & in extrinseco opere, ût in intrinseco ac infinitâ magnitudine, quod est inconveniens & impossibile, & magnitudini, potestati & majoritati est contrarium.

Camera 18.

[*Magnitudo, Sapientia.*]

SI de sphæra Saturni quoddam frustum plumbi moveretur deorsum, fortiùs moveretur in sphæra Martis, quàm Jovis, & Solis, quàm Martis, & quantò magis appropinquaret suo centro, tantò fortiùs ipsius motus augmentum reciperet, donec attingeret terram: unde si illud plumbum posset æternè moveri, & ipsius centrum infinitè elongaretur, ipsum plumbum infinitè & æternè multiplicaret suum motum, & hinc sequeretur necessariò, quòd generaret alium motum æqualem in æterno infinito motu, movente atque motu distinctis uno scilicet ab alio, & existentibus uno eodémque in motu. Quod cùm ita sit, per hanc metaphoram aperitur camera in majoritate operis distincti concordantis & æqualis extra rubeum per omnes cameras ipsius A.: & ex significata metaphora revelatur alia, quæ consistit de magnitudine & sapientia ipsius A. & creaturæ in una persona; in qua per metaphoram aperitur, si ipsum E. sciat ascendere, qualiter mundus creatus existit, quia si foret æternus, opus extrinsecum, in quo rubeus existeret, haberet æqualitatem cum æternitate & cum opere intrinseco concordante cum majoritate, hoc autem est impossibile & contra regularitatem, secundùm quam trianguli sunt in camera.

Camera 19.

[*Magnitudo, Amor.*]

MAgnitudo operis amoris meliùs convenit cum majoritate, quàm cum minoritate; cujus si foret contrarium, sequeretur, quòd amor possit major esse in minoribus diversis minùs à contrarietate remotis, quàm in majoribus diversis magis à contrarietate remotis, quod est impossibile, quâ impossibilitate demonstratur, si amor & magnitudo conveniunt in opere, in quo est rubeus cum minoritate, contrarietate & inæqualitate concordans, quantò magis conveniens est, quòd existat operans concordans per infinitam magnitudinem, in qua sint distincta suppositа infinitâ distinctione, & æqualia concordantia in esse unam essentiam divinam, in qua rubeus non existat, nec inæqualitas nec contrarietas in ea possit habere operationem nec esse; quod si non esset, sequeretur, quòd amor, minoritas & imperfectio convenirent cum esse, amor verò, majoritas & perfectio ipsi esse opponerentur; hoc autem est impossibile, quâ impossibilitate C. intelligit quoddam alterum particulare aperiri & demonstrari, in quo amor & magnitudo in majori quantitate operis sunt concordes, quæ inter ipsum A. & creaturam possit existere, per quam istæ cameræ [E. A. V. Y.] [I. V. Z.] [M. A. V. Y.] in majori magnitudine operis amoris formentur.

Camera 20.

[*Magnitudo, Virtus.*]

DIscurrunt F. G. per rubeum, in quo reperiunt, quòd quantò principium & finis virtutis appropinquant minoritati, tantò elongantur à majoritate, minus medium formando, in quo minor viridis, creatura & operatio existunt; & ideo C. intelligit, quòd, quantò plùs elongatur finis & principium in opere virtuoso, tantò majus medium potest existere, per quod principium & finis concordent, & diversificent, ut significent & demonstrent, esse aliam quandam virtutem immensam sinè rubeo, cujus absentiâ magnitudo & virtus nequaquam haberent concordantiam sinè minoritate & contrarietate convenientibus cum privatione & defectu, sunt tamen ad significandum, quòd sit aliqua magnitudo & virtus sinè rubeo.

Cùm hoc G. intellexit, intelligit E., quòd magnitudo & virtus sinè distinctione operis sibi æqualis in majoritate non possent ascendere super magnitudinem & virtutem existentes in rubeo, in quo est distinctio operis in minoritate & virtute, quæ se habent ad privationem & defectum, cum esse tamen & perfectione conveniunt, ut designent, ipsum A. in pluralitate esse, ut significent, quòd major virtus, quæ est in rubeo, per virtutem, in qua rubeus non reperitur, possit esse unita cum virtute, in qua minoritas & contrarietas non existit, ut in rubeo per istas cameras [E. A. V. Y.] [I. V. Z.] [M. A. V. Y.] detur major magnitudo virtutis, quâ cameræ contra cameras eisdem contrarias inde possint esse majores.

Camera 21.

[*Magnitudo, Veritas.*]

G. Intelligit, quòd si Z., in quo non esset rubeus, de se ipso generaret aliud Z. eidem æquale, ut ab ipsis ambobus Z. procederet aliud Z., in quo foret æqualis concordantia, ut omnia tria Z. essent unum essentiale Z., in quo rubeus nequaquam existeret, impossibile quidem esset, quòd ipsum Z. vellet esse Y., vel Y. effici posset & per ipsum Y. deleri, licèt magnitudo & Y. sint cum majoritate & esse concordes, Z. verò & minoritas cum privatione. Quod cùm ita sit, per prædictam metaphoram in universalitate regularitatis triangulorum in camera *tria particularia* revelantur, quæ sunt A. esse, ac in eo pluralitatem distinctarum Personarum existere, & etiam Incarnationem esse, multáque particularia possunt intelligi per metaphoram, si per cameram ars sciat discurrere.

Camera 22.

[*Magnitudo, Gloria.*]

SI in essentia, in qua non esset rubeus, quædam pœna generaret aliam concordantem & eidem æqualem, & ab ambabus pœnis procederet alia concordans & æqualis eisdem, impossibile foret, in illa essentia gloriam esse; tam vehemens enim foret pœna, quòd ipsius contrarium in ipsa capi non posset: igitur cùm magnitudo & gloria cum majoritate & esse conveniant, magnitudo verò & pœna cum minoritate & privatione, & cùm gloria & pœna in rubeo sint in esse, quantò magis gloria & magnitudo sunt concordes in ente quodam, in quo rubeus non existat, & in quo ente sint, prout designatum est per metaphoram, ad demonstrandum, quòd in eodem ente pœna non recipi nec esse possit; quod si non esset, sequeretur, quòd æqualiter magnitudo & esse cum pœna & gloria concordarent; hoc autem est impossibile, quâ impossibilitate per hanc metaphoram eadem particularia accidunt, quæ præbebat alia metaphora in camera magnitudinis & veritatis.

Camera 23.

[*Magnitudo, Perfectio.*]

G. Intelligit, si hæc camera absentiâ operationis sinè rubeo in quodam ente existit, ipsam magnitudinem & perfectionem cum majoritate convenire, quod est, quia in ipsis rubeus non reperitur; si verò camera in ente quodam permanet, in quo sit rubeus, & in quo absentiâ rubei opus magnitudinis & perfectionis existat, camera cum majoritate concordabit in illo ente vel essentia ratione operis, ratione autem rubei nequaquam: nam quoniam rubeus se ipso majori in magnitudine & perfectione causa esse non potest, idcirco demonstratur, quòd opus magnitudinis & perfectionis sinè rubeo sui ipsius est perfectio & æqualis magnitudo.

Cùm G. intelligit, & F. recolit, quòd si opus magnitudinis & perfectionis existit in ente, in quo est rubeus, quantò magis convenit, opus magnitudinis & perfectionis esse in ente, in quo rubeus non existat; quod si non, sequeretur, quòd opus, minoritas, perfectio & magnitudo conveniant cum esse, sed opus, majoritas, perfectio & magnitudo concordent cum privatione; hoc autem est impossibile.

Plurimùm placuit ipsi D. illud, quod G. intellexit, quo placere G. intellexit, ex magnitudine & perfectione, in quibus existit majoritas, istas cameras [E. A. V. Y.] [I. V. Z.] [M. A. V. Y.] majores formari posse, quàm ex magnitudine & perfectione, in quibus reperitur minoritas; ideo demonstratione necessariâ B. recolit Incarnationem Filii Dei per suprà dicta principia, cujus absentiâ cameræ cum magnitudine & perfectione tam bene non possent convenire.

Camera 24.

[*Magnitudo, Justitia.*]

IN tam magna majoritate conveniret injuria cum esse, si in ipsa infinitum injustum existeret, quod generaret ex se ipso infinitum injustum in æterna magnitudine sibi ipsi simile & concordans absentiâ rubei & contrarietatis, quòd esset impossibile, esse justum, quod injusto posset passionem & privationem inferre: quia autem justitia & esse, injuria verò & privatio concordant, sequitur necessariò, quòd in majoritate sinè rubeo existant magnitudo & justitia habentes id, quod magnitudo & injuria haberent, si foret impossibile, quòd magnitudo & justitia in ipsis possent actionem habere; quod si non esset, sequeretur, quòd justitia & injuria æqualiter se haberent in magnitudine, majoritate & esse; hoc autem est impossibile & contra suprà dicta principia, quâ contrarietate revelatur, quòd sit A., & quòd sinè rubeo in pluralitate Personarum existat, præterea quòd duratio mundi habuerit principium.

Camera 25.

[*Magnitudo, Largitas.*]

IN majoritate, in qua non est rubeus, multò meliùs concordat opus largitatis in largo, qui præbeat tale donum, quàm in majoritate, in qua est rubeus, quod si repugnaret majoritati, sequeretur, quòd dare minus donum concordaret cum magnitudine, largiri autem majus donum conveniret cum minoritate; sed hoc est inconveniens & contradictio; unde ipsi E. formatur demonstratio, quòd si donum est in rubeo, quantò magis convenit esse in essentia, in qua rubeus non existat; quare, ut demonstretur suprà dicta demonstratio, voluit A., quòd sua Incarnatio & Passio essent alia demonstratio, ut per illam ipsi E. fieret prædicta demonstratio ad hoc, ut ipsum E. concordaret cum camera in majoritate formando hanc cameram [E.A.V.Y.]

Camera 26.

[*Magnitudo, Misericordia.*]

CErtum est, quòd secundùm dignitatem & operationem misericordia & magnitudo in majoritate & æqualitate concordant, culpa verò & minoritas, quod si non esset, sequeretur, quòd misericordia & culpa cum esse & privatione æqualem proportionem haberent; sed hoc est contradictio, quâ demonstratur, quòd misericordia est ita magna in æternitate, quòd necessarium est, ipsam ante culpam existere, ante quam culpam esse non posset, si mundus esset æternus: cùm autem E. hoc intellexit, L. ignorat, qualiter misericordia possit habere usum æternum, si mundus habet principium: sed C. revertitur ad intelligendum secundam figuram ipsius A., in qua intelligit, quòd misericordia magna est per æternitatem & infinitatem, si unum misericors infinitum in magnitudine & æternitate generat aliud sibi ipsi æquale & concordans, sinè qua generatione in A. misericordia non posset esse absque triangulo rubeo.

Tam magnam exaltationem recepit C., cùm intellexit hoc, quod suprà dictum est, quòd per illam exaltationem conatur intelligere per principia & regulatos triangulos, quòd Filius Dei carnem assumpsit, ut camera fortiùs demonstretur, & ut sit causa, quâ multiplicentur istæ cameræ, [E.A.V.Y.] [I.V.Z.] [M.A.V.Y.]

Camera 27.

[*Magnitudo, Humilitas.*]

GIntelligit, quòd, si magnitudo ipsius A. cum minoritate conveniret, quia carnem assumpsit, sequeretur, quòd humilitas haberet majorem concordantiam cum minoritate, quàm cum majoritate, superbia verò cum majoritate, quàm cum minoritate; hoc autem est inconveniens, quo secretum Incarnationis Filii Dei revelatur ipsi E. hoc intelligenti, quæ revelatio causa est, quâ multiplicentur cameræ [E.A.V.Y.] [I.V.Z.]

Camera 28.

[*Magnitudo, Dominium.*]

MAgnitudo & dominium concordant in majoritate, cùm servitus cum minoritate conveniat: unde, si magnitudo & dominium non essent in majoritate sinè minoritate, sequeretur, quòd minus esset causa majori, & si esset, rubeus esset causa enti existenti sinè rubeo, & hoc est inconveniens, quo significatur ens, quod magis convenit esse dominium sinè rubeo.

Camera 29.

[*Magnitudo, Patientia.*]

PAtientia & magnitudo habent majorem concordantiam in majoritate, quàm in minoritate, & propterea magnitudo & impatientia habent majorem concordantiam in minoritate dignâ, quàm in majoritate, & majorem in majoritate indignâ, quàm in minoritate. Igitur, cùm hoc ita sit, per hæc principia metaphorica demonstratur, quòd oportet aliquod magnum patiens esse sinè rubeo, quod convenit, quantum est de se ipso, esse patiens sub minori sinè passione, quæ conveniat cum privatione, culpâ & minoritate, quod magnum patiens, ut det de se ipso demonstrationem, carnem assumpsit in rubeo, ut per id, quod continet de rubeo, meliùs formari possint istæ cameræ [E.A.V.Y.] [I.V.Z.] quæ majoritas camerarum demonstrat Incarnationem & principium mundi, ad quod convenit, quòd ista camera [magnitudo, patientia] sit in majoritate ante impatientiam.

Camera 30.

[*Æternitas, Potestas.*]

SI A. nihil esset, mundus haberet potestatem, quòd esset æternus per se ipsum; & quia mundus in rubeo habet finitam quantitatem, si A. nihil esset, potestas & æternitas concordarent in minoritate, & concordarent in majoritate, si A. esset, in quo rubeus non existit, vel si mundus non esset in rubeo: & quia æternitas multò meliùs convenit cum potestate in majoritate, quàm in minoritate, igitur oportet, quòd sit aliqua majoritas, in qua rubeus non existat, & quòd in ipsa æternitas & potestas concordent, & sint æquales in majoritate, & à minoritate remotæ, quam rem esse A. necessarium est; igitur A. existit.

Æternitas & potestas sinè opere concordant in minoritate; si autem in ipsis esset opus, in quo operans & operatum esset potestas æterna distincta una ab altera & concordans & æqualis, convenirent in majoritate: & quoniam majoritas meliùs convenit cum æternitate & potestate, quàm minoritas, oportet necessariò, quòd potestas in æternitate sit operans & operatum in æterno potente.

Si potestas potest copulare principiatum ad esse unam Personam cum æterno non illatâ injuriâ dignitati amborum, concordabit illa potestas cum majoritate, quæ concors est cum æternitate; si autem potestas hujus non est potens, concordabit cum minoritate, quæ est ab æternitate remota: unde, ut demonstretur concordantia æternitatis & potestatis in majoritate, voluit Filius ipsius A. incarnari, ut ejus Incarnatio esset demonstratio suprà dictæ concordantiæ. Igitur cùm hoc ita sit, secundùm hanc regulam & artem possunt alia particularia inveniri in qualibet camerarum ipsius A.

Camera 31.

[*Æternitas, Sapientia.*]

OPus æterni sapientis cum majoritate convenire non potest, si nescit se ipsum sapientem æternum in generando æqualem sibi ipsi sapientem æternum, & qui sciat in se potestatem & voluntatem æternam, quæ possit & velit actualiter & incessanter id, quod scit: & si æternus sapiens æternaliter operatur sciendo & amando se ipsum, & inde non sequitur utilitas, ut generetur alius ipsi æqualis in dignitate & ab ipso in proprietate distinctus, conveniet æternus sapiens & ejus opus cum minoritate contra majoritatem; quoniam autem talis concordantia cum privatione convenit, oportet necessariò ipsius oppositum convenire cum esse: quia si non, sequeretur, quòd esse & privatio haberent æqualem proportionem cum majoritate & minoritate; sed hoc est inconveniens, quo particulare superiùs dictum demonstratur.

In æternitate nequaquam tantùm potest scire sapiens non æternus, quantùm æternus, & si sapiens æternus unit sibi ipsi sapientem habentem rubeum, ipse sapiens æternus inde concordat cum majoritate operis, in quantum æternitas & æternum fortiùs demonstrantur non æterno; & si sapiens æternus tale opus non scit, vel odit opus, quod æternus habet in non æterno, est inde cum minoritate concordans, quâ minoritate istæ cameræ [E.A.V.Y.] [I.V.Z.] [M.A.V.Y.] non habent causam, quâ possint cum majoritate convenire, quam habent, si æternus sapiens copulavit sibi ipsi sapientem principiatum, ut ipsæ cameræ habeant causam, quâ cum majoritate possint concordari.

Camera 32.

[*Æternitas, Amor.*]

AMor æternus, qui non amat æternaliter & distinctè suppositа distincta æterna concordantia & æqualia in æternitate & amore, non est tam magnus, quàm esset, si amaret distinctè suprà dicta supposita; & quoniam amor æternus concordat cum majoritate, secundùm operationem minoritatis in amore & æternitate esset contradictio concordantiæ majoritatis & minoritatis; hoc autem est inconveniens, quo habentur regulati trianguli in camera, ut particulare sit demonstratum.

Plurimùm placuerunt ipsi D. prædicta objecta demonstrata ipsis B. C., sed oblitum est K., propterea inquit L., quòd amor æternus cum majoritate concordaret, si distinctè diligeret æternos amantes & amatos infinitos in numero: recoluit verò B. perfectionem æternam, quæ cum minoritate conveniret, si numerus existeret infinitus, & si in pluribus vel in paucioribus esset, quàm in tribus; cùm numerus ternarius habeat concordantiam cum majoritate in unitate essentiæ per Generantem, Generatum & Procedentem, in quibus est perfectio numeri & distinctionis suppositorum concordantium & æqualium in esse unam essentiam simplicem absque eo, quòd in ipsa sint plures quàm tres necessarii,

cessarii, & cùm nullus trium in superfluitate existat.

Æternus amatus potest magìs diligere suum æternum amatum, quàm amatum, qui principiatus existit; unde, si æternus amatus principiatum amatum sibi conjunxit, concordabit ille amatus, qui principium habet, cum majoritate ad amandum æternum amatum, & ad diligendum istas cameras [E. A. V. Y.] [I. V. Z.] [M. A. V. Y.] & si æternus amatus sibi non conjunxit principiatum amatum, non poterit facere tantùm diligi à creatura suum æternum amatum, & ipsius opus cum minoritate conveniet, quod haberet convenientiam cum majoritate, si carnem assumpsisset; & quia minoritas est neganda in æterno amato, & majoritas est affirmanda, per ea revelatur particulare Incarnationis.

Camera 33.

[*Æternitas, Virtus.*]

E Intelligit, quòd ex hac camera [I. V. Z.] generatur hæc [E. V. Y.] & è converso; unde, si in rubeo generetur virtus per odire vitium, licèt rubeus cum minoritate conveniat, quantò magìs convenit, quòd in æternitate virtuosus existat, qui generet virtuosum, cùm æternitas & ipsius virtus sint concordes cum majoritate, quod si non esset, sequeretur, quòd generatio conveniret cum privatione contra majoritatem & esse, corruptio verò minoritas & privatio convenientiam haberent cum virtute & æternitate; hoc autem est inconveniens, & contra conditiones cameræ & triangulorum existit.

Manifestum est, quòd A. & majoritas concordant, creatura verò & minoritas; unde, si est aliquod E. conjunctum in persona cum virtuoso æterno, convenit virtus ipsius cum majoritate, si autem non est conjunctum cum virtuoso æterno, concordat cum minoritate; & quia virtuosum æternum cum majoritate convenit secundùm proprietatem suæ virtutis, oportet, quòd ipsum se uniat cum virtute minori, ut eam ex minoritate elevet in majoritatem, in qua triangulus rubeus non existit, ut ipsam inde virtus creata meliùs contempletur, quod si non esset conveniens, sequeretur, quòd virtus æterna esset contraria contemplationi convenienti eidem offerri, hoc autem est impossibile.

Camera 34.

[*Æternitas, Veritas.*]

F. G. discurrunt per triangulum rubeum, in quo inveniunt, quòd B. C. D. habuerunt æquale principium cuidam fini significato per hanc cameram [B. C. D. A.] supra quem finem nulla creatura principium recipit, & alter finis creatus in majoritate non est eidem æqualis; & quoniam operatio ipsorum B. C. D. est ipse finis, cùm habent A. pro objecto, & illa operatio est quædam actio operata ex diversis potentiis æqualiter concordantibus ad unum finem, eadémque operatio est ex generatione & processione, propterea per suprà dictam metaphoram demonstratur, qualiter in æternitate unus verus generat alium verum, à quibus alter verus procedit, qui se habent ad unam æternitatem & veritatem essentialem, æternam & veram, quæ concordat cum majori æternitate veritatis & cum majori veritate æternitatis per tres veros prædictos, sinè quibus camera haberet convenientiam cum minoritate contra majoritatem, quæ concordantia est inconveniens & impossibilis.

Si ex æterno vero & principiato vero quoddam suppositum verum unitur, oportet necessariò, quòd illud verum fortiùs cum majoritate conveniat, quàm omne aliud verum, quod in rubeo existit; quod si non esset, sequeretur, quòd æternum verum non esset concordans cum majoritate: ut autem veriùs demonstretur, quòd ipsum cum majoritate conveniat, voluit exaltare creatum verum per verum, quod est extra rubeum, ut veriùs verificaretur ipsius veritas in hac camera [B. C. D. A.], quod si non esset, Deus contra majoritatem cameræ existeret; sed hoc est inconveniens, & contra majorem affirmationem ipsius Y., & majorem ipsius Z., & etiam conveniret cum majori dubitatione; hoc autem est impossibile, & cum istis cameris [B. C. D. Z.] [K. L. M. A.] concordans existit.

Camera 35.

[*Æternitas, Gloria.*]

SI in rubeo & in minoritate C. se habet ad intelligendum, quantò magìs in æternitate atque majoritate, in quibus rubeus non existit, se habet gloria ad gloriandum. Præterea, si in rubeo concordat principium ad principiandum, quantò magìs in gloriâ, in qua non est rubeus, æternitas se habet ad æternificandum, & æqualitas ad æqualificandum; quod si non ita foret, sequeretur, quòd in rubeo potentia & actus se haberent in majoritate, & in camerâ æternitatis se haberent in minoritate; hoc autem est inconveniens, quo revelatur, quòd in camera sint proprietates distinctæ Personarum æternarum & gloriosarum.

G. intelligit, quòd actus in rubeo magìs est ab æternitate remotus in numero individuorum speciei, quàm in specie, & propinquior est gloria individuis humanæ speciei, quàm eidem speciei: unde, si mundus esset æternus, esset medium, quo æternitas & gloria existerent in minoritate concordes; si autem non esset æternus, convenirent in majoritate; & quoniam cum majoritate conveniunt, idcirco demonstratur, quòd mundus habeat principium.

Ut detur gloria æterna, convenit majoritas operis, & ut præbeatur gloria finem habens, minoritas operis conveniens existit: unde, si A. carnem assumpsit, inde majus opus habetur in rubeo, & si carnem non assumpsisset, minus opus esset in rubeo, & quoniam majoritas operis magìs concordat cum camera, quàm minoritas, si A. carnem non assumpsisset, ejus opus contra cameram existeret, quod est inconveniens.

Camera 36.

[*Æternitas, Perfectio.*]

ÆTernitatem & perfectionem oportet convenire cum majoritate, in qua nequaquam sit rubeus, cùm in æternitate rubeus non existat; & si concordarent in majoritate in hoc, in quo rubeus esset, sequeretur, quòd æternitas tam magnam proportionem haberet cum quantitate finitâ, quàm cum essentiâ infinitâ; hoc autem est valde inconveniens & contra perfectionem, quæ convenit cum majoritate in infinitate, & cum minoritate in quantitate terminatâ. Igitur cùm ita sit, demonstratur esse A., in quo sinè rubeo camera sit existens.

Æternitas dat perfectionem in rubeo, multiplicando, quod est minus, & ipsum convertendo in dignitatem majorem; unde, si æternitas tali opere cum imperfectione concordat in opere minoritatis, necessariò oportet, quòd cum perfectione conveniat in opere majoritatis & æqualitatis, in quo non sit rubeus, neque majoritas & æqualitas à minoritate veniant, nec etiam deriventur; quia si sic, non convenirent cum æternâ majoritate & æqualitate perfectionis, convenirent autem meliùs in minoritate, quàm in majoritate; hoc autem nequaquam verum est.

Certum est, quòd æternitas habet majorem concordantiam cum perfectione intra se ipsam, quàm extra se ipsam, & propterea dare potest majorem perfectionem in se ipsâ, quàm in alio extra se ipsam, cujus si foret contrarium, contrarietas esset in camerâ, neque perfectio tam magnum complementum dare posset suo operi in æternitate, velut in rubeo, quod est inconveniens, quo significatur, quòd mundus habet principium, postquam ejus perfectio extra divinam æternitatem existit, cum quâ meliùs divina perfectio concordat, quâ majori concordantiâ revelatur aliud particulare, videlicet, quòd divina perfectio potest dare majorem perfectionem ipsi rubeo in uniendo ipsum cum re æternâ, quàm extra rem æternam, ut significetur, quòd æternitas & perfectio meliùs extra rubeum, quàm in rubeo concordent.

Camera 37.

[*Æternitas, Justitia.*]

SI in rubeo justitia concordat cum majoritate & æqualitate, quantò incomparabiliter magìs oportet, quòd conveniat cum majoritate & æqualitate in æternitate, in quâ non sit rubeus cum minoritate concordans; quod si non esset, sequeretur, quòd justitia meliùs conveniret cum minoritate, quàm cum majoritate, & quòd proportionem haberet in similitudine cum injuriâ concordante cum minoritate, quod est inconveniens, quo habetur demonstratio, quòd sint diversa suppositа in camerâ, in qua justitia æqualificat distinctas personales proprietates in æternâ infinitâ æternitate & perfectione sinè rubeo existente.

Cùm A. sit causâ, & mundus sit ejusdem causatum, causa autem & majoritas conveniant, causatum verò & minoritas concordent, si justitia æquaret mundum in æternitate, faceret cum causâ æqualitatem minoritatis & majoritatis, ipsam causam ad minoritatem deprimens, & causatum ad majoritatem elevans; & si hoc esset, sequeretur, quòd justitia injuriaret majorita-

tem, & quòd in æternitate & justitiâ minoritas & majoritas essent in habitu movente de potentiâ ad actum, & de actu ad potentiam, quod est inconveniens, quo demonstratur, quòd mundus habuit principium.

Tantùm conveniunt justitia & æternitas in secunda figura ipsius A., quòd justitia, in quâ rubeus non existit, in majoritate & æternitate justum multiplicare voluit, in quo rubeus reperitur per conjunctionem & unionem, quam habet ab æternali justo, in quo rubeus minimè invenitur; & quoniam hoc opus majus est, quod camera habere possit in rubeo, & majus, quod justum rubeum recipere possit, ad significationem maximæ concordantiæ ipsius cameræ in secundâ figurâ voluit justus æternus incarnari in justo, quod habet principium, ut ipsum magnificaret in suâ æternâ justitiâ.

Si resurrectio est, camera cum majori opere convenit in rubeo, si verò resurrectio non est, cum minori concordat; & quoniam justitia meliùs concordat cum æternitate per majus opus, quàm per minus in rubeo, necesse est, quòd justitia contra majoritatem operis non existat; quia si sic, esset contra æternitatem & se ipsam, quod est inconveniens, quo resurrectio sit manifesta.

Camera 38.
[*Æternitas, Largitas.*]

CAmera & trianguli regulati manentes in ipsâ sunt universale, quo per necessarias rationes reperiri possunt *Trinitas*, *Incarnatio*, *Resurrectio*, *Creatio* & reliqua particularia, quæ sunt possibilia per prædictum universale cognosci; nam cùm B. recolit, quòd si A. dare potest esse in rubeo, quantò magis ipsum dare potest sinè rubeo in æternitate; quia si non, sequeretur, quòd camera non conveniret in majoritate, & quòd major esset largitas minorum donorum, quàm majorum; & si sic, major esset in rubeo, quàm in hoc, in quo rubeus non existit, quod est inconveniens.

Præterea majus donum camera dat in rubeo, si quoddam particulare rubei cum æterno generato infinito in largitate conjunxit, quàm in munere, quod dat sinè prædictâ conjunctione; & quoniam nobilius & majus donum rubeo largiri potest in naturâ, in quâ rubeus non existit, propterea necessarium est, quòd largitas præbeat tale donum, in quo meliùs conveniat cum æternitate, quæ cum majoritate concordat.

Præterea si largitas in hoc mundo largitur in rubeo esse humanum, quod est majus esse, quàm S., si in alio sæculo, quod meliùs concordat cum æternitate & cum majoritate, quàm istud, non redderet esse humanum, largitas esset contraria majoritati, quæ cum æternitate meliùs convenit, & concordaret cum avaritiâ & minoritate, quod est inconveniens.

Præterea, si mundus esset æternus, ipsum A. non dedisset totum rubeum in majoritate, concordando angulos ipsius rubei istis cameris [E.A.V.Y.] [I.V.Z.] [M.A.V.Y.] & ipsa largitas contra majoritatem & æternitatem existeret, quod est impossibile.

Camera 39.
[*Æternitas, Misericordia.*]

ÆTernitas & majoritas concordant, & si misericordia cum æternitate convenire non posset sinè rubeo, qui cum minoritate concordat, impossibile foret, quòd æternitas & misericordia in majoritate æqualiter convenirent, & rubeus esset materia & subjectum, qualiter misericordia concordaret cum æternitate secundùm actum & potentiam, quod est inconveniens; quo demonstratur, quòd oportet in æternitate opus existere, quo æternus misericors sit æternaliter generans in ipsa misericordem æternum, & quòd in ambobus æternitas & misericordia concordent æqualiter in majoritate sinè rubeo & absque privatione bonitatis & perfectionis.

Misericors, qui simpliciter permanet in rubeo, concordari non potest cum tam magnâ majoritate, quàm si in rubeo & extra rubeum existit; unde, ut sit propinquior æternitati, & ab oppositio misericordiæ remotior, voluit A., quòd suus Filius carnem assumeret, ut demonstraretur concordantia æternitatis & misericordiæ, in quâ rubeus nequaquam reperitur.

Camera 40.
[*Æternitas, Humilitas.*]

HUmilitas & superbia contrariæ sunt in croceo, in quo humilitas & majoritas concordant, superbia verò & minoritas; unde, si humilitas non conveniret cum æternitate sinè rubeo, concordaret æternitas cum majoritate, & humilitas cum minoritate; præterea foret in A. inæqualitas majoritatis & minoritatis, quod est inconveniens; quo demonstratur, quòd in æternitate quendam humilem æternum distinctè oportet existere concordantem æqualiter cum alio humili, qui sit æternus.

Si humilitas & superbia æternitati forent æquales, justitia esset æternitati contraria; & si sic, injuria & æternitas convenirent, quâ convenientiâ foret possibile, quòd superbia & æternitas concordarent; cùm autem sit plurimùm inconveniens, quòd superbia & injuria cum æternitate conveniant, propterea demonstratur, mundum esse creatum.

In viridi & croceo lividus & rubeus tam bene convenire non possunt in æternitate & humilitate absque unitate & conjunctione unius cum alio, quàm copulatione & unione unius cum alio; ut autem demonstretur, quòd camera cum majoritate fortissimè convenit, voluit æternus humilis carnem assumere, ut rubeus magis elongaretur à superbiâ concordante cum minoritate.

Camera 41.
[*Æternitas, Dominium.*]

ÆTernitas & dominium concordant in A. sinè rubeo, sinè quo rubeo servitus esse non potest, quia rubeus sinè principio esse non potest nec æternus; unde, si æternitas & dominium in rubeo solùm concordarent, sequeretur inæqualitas majoritatis & minoritatis in ipsâ concordantiâ, æternitate conveniente cum majoritate, & dominio cum minoritate; quod si sic esset, æternitas & dominium convenirent accidentaliter actu & potentiâ in A., quod inconveniens est & contra regulam, secundùm quam in camerâ trianguli regulantur.

Camera 42.
[*Æternitas, Patientia.*]

E. Intelligens cameras ipsius A. intelligit, quòd omnes trianguli regulantur in camerâ, ut significetur, quòd æternitas & patientia concordant æqualiter cum majoritate sinè rubeo & sinè culpâ & pœnâ & V. rubeo & Z.; si autem patientia non conveniret cum æternitate sinè rubeo, sequeretur, quòd æternitas creâsset rubeum, quia ipso caruisset, & ipso indiguisset, & hoc est inconveniens, quo revelatur patiens æternum generatum sinè culpâ & pœnâ, à quo impatientia æternè est remota.

Camera 43.
[*Potestas, Sapientia.*]

POtestas per sapientiam & sapientia per potestatem sinè rubeo cum majoritate & æqualitate concordant, & potestas per sapientiam & sapientia per potestatem in rubeo cum minoritate conveniunt, in quantum C. L. se habent in rubeo uno tempore in actu, & alio in potentia; unde, si in rubeo potestas & sapientia convenientiam habent cum majoritate in actualitate ipsius C., & in privatione actualitatis ipsius L., quantò magis sinè omni comparatione oportet, quòd potestas & sapientia concordantiam habeant in aliquâ essentiâ, in quâ non sit rubeus, neque L. in ipsâ consistat in potentiâ; quod si non esset, sequeretur, quòd potestas se haberet æqualiter ad ipsa C. L., & hoc est inconveniens, cùm L. conveniat cum minoritate, C. autem cum majoritate, quâ concordantiâ vel inconvenienti prædicto demonstratur, ipsum A. & ipsam cameram existere.

Si potens habet potestatem, quòd se ipsum possit scire potentem generare per potestatem in sciendo sinè rubeo, oporter, quòd ipsa potestas & ipsa sapientia conveniant cum majori actualitate potestatis & sapientiæ, quàm si potestas nesciat generatorem æqualis potestatis & sapientiæ sibi ipsi sinè rubeo. Præterea si potestas potest, & sapientia scit exaltare creaturam extra rubeum, scit sua sapientia, quòd sua potestas habet inde majus opus in potentiando & sciendo in creaturâ, quàm si potestas non copulâsset & univisset suæ sapientiæ creaturam; & quia majus & nobilius opus convenit attribui cameræ concordanti cum majoritate, propterea duo particularia superiùs designata revelantur.

Camera 44.
[*Potestas, Amor.*]

SI potestas largiri potest voluntatem sinè rubeo ad amandum se ipsam & aliam, potestas & voluntas erunt æqualiter cum majoritate concordes; & si potestas non posset voluntatem præbere sinè rubeo ad amandum aliam, potestas & voluntas convenirent cum majoritate, & opus ipsius potestatis & voluntatis cum minoritate; hoc autem est inconveniens, quo signifi-

catur & demonstratur, quòd, si potestas, volùntas & velle sunt æquales, oportet necessariò, quòd potestas possit, & voluntas velit æquare in volendo potentiare distinctas personales æquales proprietates sinè rubeo in essentia in opere & etiam in actualitate, alioquin enim camera cum majoritate convenire non posset.

Si A. potestatem & voluntatem habet multiplicandi potestatem & voluntatem in rubeo magìs in unâ specie, quàm in aliâ, & magìs in uno individuo speciei, quàm in alio, non est inconveniens divinæ potestati & voluntati, nec est impossibile potestati & voluntati, in quibus rubeus reperitur, si aliquod individuum rubei exaltatum est in potestate & voluntate in conjunctione & unione cum divinâ potestate & voluntate: & si esset inconveniens & impossibilitas, sequeretur, quòd majoritas conveniret cum privatione potestatis & voluntatis, minoritas verò cum potestate & voluntate, quod est prorsus inconveniens, contra quod A. voluit carnem assumere, ut in rubeo potestas & voluntas concordarent cum majoritate in istis cameris [E. A. V. Y.] [I. V. Z.] [M. A. V. Y.] contra cameras his prædictis contrarias.

Camera 45.

[*Potestas, Virtus.*]

POtestas & virtus ipsius A. cum majoritate conveniunt, potestas autem & virtus creaturæ cum minoritate; unde, si potestas creaturæ operatur cum virtute finitâ, oportet, quod potestas ipsius A. operetur cum virtute infinitâ; quoniam autem creatura consistit in rubeo, oportet, quòd in aliâ re, in quâ non sit rubeus, potestas ipsius A. cum infinitâ virtute operetur opus infinitum, in quo sit operatio infinita virtutis, quæ potestatem infinitam habeat, & cum potestate & virtute ipsius A. æqualis existat; quod si non esset, sequeretur, quòd potestas & virtus ipsius A. concordarent in potentiâ cum majoritate, & in actu cum minoritate, eò quòd creatura non potest recipere potestatem vel virtutem sinè rubeo; & quia inconveniens est, quòd in A. camera concordet cum majoritate in potentiâ, & cum minoritate in actu, propterea demonstratur, quòd in A. est distinctio suppositorum inter potentes & virtuosos, sinè quorum distinctione prædictum inconveniens sequeretur.

Si E. operaretur objectum nobile, quod accipit, ipsius opus conveniret cum majoritate in potestate & virtute, quâ majoritate multipliçaretur opus ipsorum B. C. D. & essentia ipsius E. in majoritate in potestate & virtute; unde, si in A. est operatum objectum æquale suæ potestati & virtuti, concordant ejus essentia & ejusdem opus & objectum vel objecta cum majoritate potestatis & virtutis: & si objectum, quod accipit A. in se ipso amando & intelligendo, non est operatum neque distinctum, potestas ipsius A. & ejusdem virtus cum minoritate convenient, quæ minoritas concordantiæ in A. & ejus cameris inconveniens existit; quia, si conveniens esset, sequeretur possibile esse, quòd rubeus cameræ ipsius A. posset esse æqualis, hoc autem est impossibile.

Potestas ipsius A. major est in operando virtutem in se ipso, quàm in creaturâ, si autem in creatura rubeus non existeret, tantam potestatem haberet A. in operando virtutem in creatura, quantam in se ipso, unde, cùm hoc ita sit, A. sibi ipsi creaturam conjunxit, ut creatura possit recipere majorem virtutem in esse operatam, quâ majori virtute majorem potestatem virtutis haberet huic cameræ sequenti [B. C. D. A.] contra quam est inconveniens, quòd camera potestatis & virtutis in minoritate consistat, cùm omnes creaturæ principium receperint, ut camera ipsorum [B. C. D. A.] similiter sit in esse.

Si mundus esset æternus, potestas & virtus in majoritate disconvenirent; nam potestas dare non posset virtutem, nisi ex aliâ virtute, neque potestatem, nisi ex aliâ potestate, nec virtus nec potestas haberet, quo ex nihilo creare posset potestatem & virtutem, nec quo posset ad nihilum reducere, quod produxit ex nihilo; quod si ita esset, illud, quod est à causa causatum, minùs per ipsam sustineretur: & si mundus est creatus, sequitur, quòd potestas & virtus ipsius A. concordant in causa in majoritate, quam majorem concordantiam necessariò esse oportet.

Camera 46.

[*Potestas, Veritas.*]

GIntelligit, quòd, si potestas generare potest veritatem & veritas potestatem, remotior est camera ab ipso Z. & à privatione potestatis, quàm si suprà dicta generatio foret impossibilis, & quoniam majoritas prædictæ elongationis convenit cum esse, & minoritas illi opposita cum privatione, propterea demonstratur, quòd in camerâ existit generatio potestatis & ipsius Y. sinè rubeo, in quo potestas & Y. cum minoritate conveniunt, per quam suo opposito appropinquant.

Si inseritur ramus olivæ in oleastro, materia oleastri convertitur in naturam olivæ; per hanc metaphoram demonstratur, quòd potestas & veritas, quæ consistunt in rubeo, meliùs multiplicari possunt in A., si cum ipso conjunguntur, quàm in rubeo solùm, & quoniam in majoritate potestatis & ipsius Y. rubeus habere potest majorem hanc cameram [B. C. D. A.] quàm in minoritate, idcirco potestas & veritas, quæ sunt in A., forent contra majoritatem in rubeo, si forent contra majoritatem cameræ ipsorum [B. C. D. A.] & cum minoritate contra cameram convenirent; quâ convenientiâ foret in A. contrarietas potestatis & veritatis, quod est inconveniens.

Camera 47.

[*Potestas, Gloria.*]

SI potestas sinè rubeo generare potest potentem in gloriâ, & glorioſum in potestate, & si gloria generare potest glorioſum in potestate, & potentem in gloriâ, magìs à potestate & gloriâ elongabitur privatio potestatis & gloriæ, quàm sinè prædictâ generatione; & quia major longinquitas & majoritas concordant, & minor & minoritas, ideo habetur demonstratio particularis, quod superiùs designavimus.

Si homo habet majorem potestatem habendi gloriam in E., quàm in M., & in A., quàm in creatura, sequitur, quòd possit habere majorem gloriam, si est conjunctus cum potestate & gloriâ ipsius A., cum quo una persona existat, quàm sinè illa conjunctione; quia si non, A. conveniret cum minoritate, rubeus verò cum majoritate, quod est inconveniens, quo demonstratur, quòd A. carnem assumpsit, ut creatura possit inde majorem gloriam recipere, & ut A. in ipsa potiri possit majori potestate & gloriâ, & ut E. inde meliùs frui possit camerâ ipsorum [B. C. D. A.]

Camera 48.

[*Potestas, Perfectio.*]

POtestas & perfectio majorem concordantiam habent in majoritate, quàm in minoritate, cujus si foret contrarium, sequeretur, quòd camera & suum oppositum unum & idem existerent, & contradictionem implicarent; sed hoc est inconveniens, quo demonstratur, quòd si camera reperitur in rubeo, quantò magìs sequitur, ut existat sinè rubeo, in aliquâ tamen re rubeus & majoritas concordent.

Si potestas in majoritate sinè rubeo perfectionem præbere potest, magìs est remota à rubeo in dignitate potestatis & perfectionis, quàm si perfectionem sinè rubeo dare non potest; & hoc idem sequitur de perfectione, si dare potest potestatem sinè rubeo; & quia minor longinquitas cameræ & trianguli rubei opposita contradictoriè majoritati cameræ est inconveniens, propterea habetur in A. distinctio æqualium suppositorum sinè rubeo. Ampliùs habetur, quòd, si unum illorum conjunxit sibi ipsi unum rubei, potestas & perfectio inde majorem concordantiam habent in rubeo; quoniam potestas & perfectio dare possunt majorem potestatem & perfectionem huic cameræ [B. C. D.] contra quam potestatem & perfectionem ipsius cameræ est impossibile, quòd A. & ejusdem cameræ existant.

Camera 49.

[*Potestas, Justitia.*]

PRivatio potestatis & injuria sunt concordes cum minoritate, si camera convenientiam habet cum majoritate; unde; si camera non est sinè rubeo, sequitur, quòd camera & ejus oppositum non sint tam remota per majoritatem & minoritatem, quàm propinqua per minoritatem solùm; sed hoc est inconveniens, quo demonstratur, quòd camera est sinè rubeo, quâ demonstratione metaphoricè revelatur, quòd, priusquam rubeus existeret, oportuit, quòd potens & justus haberent concordantiam distinctam æqualem in majoritate, ut actio & actualitas & esse potentis justi non acciperent principium in principio rubei cum minoritate concordantis, quæ contradictoria majoritati existit; quâ metaphoricè revelatur, qualiter camera per Incarnationem Filii ipsius A. in rubeo habet majorem convenientiam, quàm habere poterat sinè Incarnatione; quia rubeus non haberet, cum quo sufficeret ad recipiendum majorem convenientiam, contra quam est impossibile, quòd camera existat.

Camera

Camera 50.

[*Potestas, Largitas.*]

POtestas magìs largiri potest in majoritate, quàm in minoritate, & ideo potestas & largitas meliùs concordari possunt in æqualitate in majoritate, quàm in minoritate; si autem potestas & largitas convenire non possent sinè rubeo cum minoritate concordanti secundùm operationem majoritatis, in qua rubeus non existit, sequeretur, quòd potestas & largitas non tantum elongarentur à privatione potestatis nec ab avaritiâ; & quia minor longinquitas est neganda, & major affirmanda, propterea manifestum est, quòd camera sinè rubeo sit existens, quo demonstratur, ipsum A., Trinitatem & Incarnationem existere: hæc autem demonstratio consistit in arte, secundùm quam trianguli ipsius T. per cameram discurrunt.

Camera 51.

[*Potestas, Misericordia.*]

SI misericordia sinè rubeo non posset esse, potestas non posset convenire cum misericordiâ in majoritate sinè minoritate, & sequeretur, quòd minoritas non esset propinquior rubeo, quàm majoritas, quæ non esset remotior à rubeo, quàm minoritas; & quia divina potestas & majoritas concordant, & divina potestas & misericordia in majoritate æquales existunt, necessariò sequitur, quòd misericordia sit, antequam rubeus, qui cum minoritate convenit. Quod cùm ita sit, ideo revelatur, ipsum A. & creationem existere, quâ metaphorâ Trinitas & Incarnatio demonstrantur.

Camera 52.

[*Potestas, Humilitas.*]

QUantò majorem humilitatem potestas generare potest, tantò fortiùs potestas & humilitas cum majoritate ac æqualitate convenire possunt; unde, si potestas non posset generare humilem sinè rubeo, nec humilis posset generare potestatem sinè rubeo, sequeretur, quòd minoritas esset medium, secundùm quod potestas & humilitas & privatio potestatis & superbia se haberent ad esse, nec potestas & humilitas majoritatem haberent, per quam se haberent ad esse sinè rubeo & ipsarum opposito, quod est inconveniens; quo revelatur metaphoricè, quòd potens humilis carnem assumpsit, ut inde majorem convenientiam habeat camera cum rubeo, ut multiplicentur potestas & humilitas in hac camerâ [B. C. D. A.] contra quam multiplicationem est impossibile, quòd hæc camera potestatis & humilitatis existat.

Camera 53.

[*Potestas, Dominium.*]

SI potestas cum dominio sinè rubeo convenire non posset, sequeretur, quòd rubeus esset accidens & causa, per quæ potestas & majoritas convenirent, & hoc est impossibile in A. & ejus cameris, quâ impossibilitate demonstratur, quòd, si potens generavit dominum, antequam rubeus esset, qui dignus est esse dominus sinè rubeo, potestas & dominium magìs remota esse possunt à servitute cum minoritate concordante, quàm si potestas & dominium sinè rubeo concordantiam habere non possent: & quia remotior servitus affirmari debet in A. & ejus cameris, propterea demonstratur, quòd potestatem & dominium oportet esse generatum sinè triangulo rubeo. Præterea ostensa est major convenientia per Incarnationem, quæ possit esse inter cameram & triangulum rubeum.

Camera 54.

[*Potestas, Patientia.*]

HÆc camera conditionatur, quòd major patientia contradictoria minoris concordet cum camerâ, quæ convenit cum majoritate contradictoriâ minoritatis, ut per cameram possit esse major concordantia potestatis & patientiæ in rubeo per istas cameras [E. A. V. Y.] [I. V. Z.] cujus si foret contrarium, sequeretur, quòd cameræ majorem convenientiam haberent per minoritatem, quàm per majoritatem cum camerâ potestatis & patientiæ, quod est inconveniens, & contra regulam, quâ trianguli in camerâ existunt.

Camera 55.

[*Sapientia, Amor.*]

SApientia & amor, qui convenientiam habent in majoritate, in quâ rubeus non existit, magìs elongantur ab ignorantiâ & à privatione amoris, quàm sapientia & amor, qui concordant in minoritate, in quâ non possunt sinè rubeo convenire: unde, cùm A. sciat & amet V. lividum, & sciat & odiat V. rubeum, & concordantia, quam

quam habent, sit in differentiâ, concordantiâ & contrarietate in creaturâ, in quâ minoritas est existens, oportet necessariò, quòd sinè rubeo convenientiam habeant in distinctione proprietatum personalium, in qua rubeus non existit; quod si non esset, sequeretur, quòd per distinctionem creaturarum haberent majorem convenientiam extrinsecè in rubeo, quàm sinè rubeo in operatione intrinseca, quod est inconveniens; quia, si foret conveniens, sequeretur, quòd sinè distinctione posset esse concordantia in diversis suppositis: in hoc autem implicatur contradictio.

Si sapiens scit sibi ipsi æqualem in sapientia & in amore sinè rubeo, & scit se scitum & amatum per illum, magìs scit, & magìs amat, quàm si talem nesciret, & remotior est ab hoc, ut ignoretur & odiatur; & si sapiens amans scitus & amatus sinè rubeo conjunxit individuum rubei sibi ipsi, magìs scit, & magìs amat, ubi majorem & meliorem creaturam scit & amat; & magis est scitus & amatus per sibi ipsi adjunctum. Igitur, cùm hoc ita sit, secundùm conditiones majoritatis & æqualitatis conditionatur suprà dicta camera; contra quas conditiones trianguli non possent in camera convenire.

Camera 56.

[*Sapientia, Virtus.*]

SI sapiens sciens suam virtutem generat sibi ipsi æqualem in sapientia & in virtute sinè rubeo, cum majoritate concordat in sapientia & virtute; & C., quod accipit [A. V. Y.] pro objecto, est inde propinquius majoritati & à minoritate remotius, in quantum habet majorem similitudinem cum A.; & quia illud, per quod camera & ipsum C. meliùs cum majoritate conveniunt contra minoritatem & contra L. & privationem virtutis, concordat cum Y., propterea demonstratur conveniens, per quod conditiones istius cameræ designantur.

Ut sit concordantia potentiæ cum ejusdem opere, voluit A. ponere differentiam inter C. & opus ejusdem, cùm capit objectum, ut ex objecto & potentiâ nascatur virtus, quæ sit medium, quo potentia & objectum possint concordari. Unde, si A. sapiens & virtuosum existit, quod tam fortiter concordet cum objecto, quod accipit in se ipso, ut exinde possit sequi tam magna utilitas in alio virtuoso sapiente, velut in se ipso, sequitur ex hoc concordantia in æquali majoritate, sinè quâ ipsum A. in accipiendo objectum in se ipso cum minoritate conveniret.

Cùm C. accipit [A. V. Y.] pro objecto, ipsius opus est medium, quo C. & objectum in simul conjunguntur, & in illo opere copulantur operationes ipsorum B. C. D., ut una actualitas existant: unde, si A. scit aliquam creaturam, & voluit esse illa, & est illa, sequitur inde virtus, quæ meliùs convenit cum majoritate operationis ipsius A. & creaturæ, quàm omnis alia virtus, quæ inter A. & creaturam existat; unde, si N. negat talem sapientiam & virtutem, non diligit majorem sapientiam & virtutem, quæ sint inter A. & triangulum rubeum; & propterea ejus minus opus contra majus existit.

Camera 57.

[*Sapientia, Veritas.*]

ANon habet sapientiam, quâ creare possit majorem veritatem in minoritate, neque minorem veritatem in majoritate: quia, si sic, inde contradictio sequeretur, & sapientia & veritas possent esse majores in specie asini, quàm hominis, & lapidis, quàm asini, quod est impossibile; quâ impossibilitate demonstratur, quòd si A. sapientiam habet, quæ possit in rubeo multiplicare unam veritatem supra aliam, quantò magìs potest sinè rubeo in se ipso æquare & distinguere unum verum ab alio vero; quod si non esset, sequeretur, quòd camera majorem virtutem haberet ad operandum extra se ipsam in rubeo, quàm sinè rubeo in se ipsa; sed hoc est inconveniens: quia, si foret, rubeus & majoritas convenientiam haberent, A. autem & minoritas, quod est impossibile.

Si unum verum scit aliud verum sinè rubeo, & scitur per illud verum, magìs scitur, esse verum unumquodque duorum illorum verorum, quàm si unum verum scit se ipsum verum absque eo, quòd sciret, & sciretur per aliud verum eidem æquale; quod si non esset, sequeretur, quòd veritatem scire esset falsitas cum minoritate concordans, quod est impossibile.

Si verum, quod est in rubeo, scit se conjunctum cum vero, quod existit sinè rubeo, plùs veri scit in A. & in rubeo, quàm scit omne aliud verum, cum quo non sit conjunctum verum, in quo rubeus non

existit: præterea A. plùs veri scit in illo, quem sibi conjunxit, quàm in omni alio remanente in rubeo; cujus si foret contrarium, sequeretur, quòd in rubeo plùs cognitionis ipsius Y. haberet creatura minùs similis ipsi A., & quòd A. sciret plùs ipsius Y. in eo, in quo minùs ejusdem existit, quod est inconveniens; quo demonstratur, quòd id in Y. debet existere, per quod camera habeat majorem operationem in creaturâ, & creatura in A.; quod si non, Y. & minoritas, Z. autem & majoritas convenientiam haberent, quod est impossibile.

Camera 58.

[*Sapientia, Gloria.*]

SApiens, qui scit se ipsum gloriosum in alio & in se ipso sinè rubeo, magìs existit remotus à rubeo, quàm si sciret se ipsum gloriosum absque eo, quòd sua gloria transiret in alium, in quo rubeus non existeret: unde, si sapiens & gloriosus esset in privatione, qui esset magìs remotus à rubeo, & sapiens gloriosus haberet esse, qui esset magìs propinquus rubeo, sequeretur, quòd C. L., gloria & pœna tam magnam concordantiam habere possent, quòd efficerentur unum & idem sinè differentiâ & contrarietate; hæc autem est contradictio, quâ demonstratur, quòd si sapiens gloriosus est in rubeo, qui subjicitur ipsis L. C., gloriæ & pœnæ, quantò magis oportet existere sapientem gloriosum sinè rubeo.

Si sapiens gloriosus, qui est de naturâ rubei, scit se ipsum conjunctum cum sapiente glorioso, qui est A., majorem gloriam scit in A. & in se ipso, quàm sapiens, qui existat de naturâ rubei, & qui cum A. minimè conjungatur; & A. scit plùs gloriæ & sapientiæ in illa creatura, quam univit sibi ipsi, quàm in alia; quod si non esset, sequeretur, quòd L. & pœna cum majoritate convenirent, C. autem & gloria cum minoritate, quod est inconveniens: quo habetur demonstratio in majori concordantiâ ipsius A. & creaturæ contra majorem contrarietatem, quòd A. carnem assumpsit, ut daretur demonstratio majoris æqualitatis & concordantiæ, quæ inter sapientem & gloriosum sinè rubeo existunt.

Camera 59.

[*Sapientia, Perfectio.*]

SI sapientia & perfectio, quæ generant sapientiam & perfectionem sinè rubeo, non essent majores, quàm sapientia & perfectio, quæ sapientiam & perfectionem minimè generarent, sequeretur, quòd sapientia & perfectio majorem convenientiam haberent in minoritate, quàm in majoritate: hoc autem est inconveniens, contra quod oportet affirmari majoritatem cameræ, ad quam secundùm hanc artem trianguli regulantur; & si fieret obligatio ad affirmandum minoritatem cameræ, fieret obligatio ad negandum majoritatem, quâ negatione dubitaretur fortiùs in majori convenientiâ sapientiæ & perfectionis, quàm in minori, quâ minoritate L. conveniret cum majori perfectione, C. verò cum minori, quod est inconveniens.

Quoniam homo cum omnibus creaturis participat, idcirco plùs perfectionis habet, & minùs haberet, nisi participaret cum omnibus creaturis; & quoniam homo format has cameras [E.V.Z.] [I.A.V.Y.] ideo se inclinat ad majorem imperfectionem, quàm omnis alia creatura. Quod cùm ita sit, ut C. magìs exaltaretur ad sciendum majorem perfectionem in creaturâ, & ut meliùs scire posset perfectionem ipsius A. & ejusdem camerarum, & ut inde A. sciret in creaturâ majorem perfectionem, voluit Filius ipsius A. incarnari; sinè quâ Incarnatione creatura non sciret tantum perfectionis in A., nec etiam in se ipsa: præterea ipsum A. tantum perfectionis in creaturâ nesciret.

Camera 60.

[*Sapientia, Justitia.*]

SI sapientia & justitia essent contrariæ sinè rubeo, contrariarentur in majoritate & æqualitate: si autem essent contrariæ in rubeo, repugnarent inter se in minoritate; unde, cùm sit majus inconveniens, quòd sibi contrarientur in majoritate & æqualitate, quàm in minoritate, sequitur necessariò, quòd conveniant in majoritate & æqualitate sinè rubeo; cùm in rubeo concordent: cùm autem F. G. discurrunt per suprà dicta principia, C. intelligit, ipsum A. esse, & in eodem existere sapientiam & justitiam, quæ extra rubeum concordant & æquantur; quâ æqualitate & concordantiâ Trinitas designatur.

Si sapiens est justus in justo, in quo rubeus non existit, ejus sapientia & justitia conveniunt cum majoritate & æqualitate; & si est justus in justo, in quo rubeus sit, concordat

cordat cum minoritate; si autem sapiens justus foret justus in minoritate & non in majoritate, sequeretur possibilitas, quòd inter sapientiam & justitiam contrarietas posset reperiri, quod est inconveniens: quo demonstratur, quòd oportet sapientem justum extra rubeum existere, qui justus existit in justo æqualiter & distinctè extra rubeum; quod si non, sequeretur, quòd sapientia & justitia se haberent meliùs ad sciendum & judicandum minora, quàm majora, quod est impossibile.

Si majus inconveniens est, quòd sapientia & justitia, quæ inveniuntur in rubeo, sint contra sapientiam & justitiam, quæ extra rubeum existunt, si A. est homo, ut homo salvetur, sequitur, quòd majus conveniens sit, per quod convenire possint sapientia & justitia increatæ & creatæ, si Deus homo existit. Quod cùm ita sit, necessariò sequitur, quòd Deus sit homo; quia, si non, foret injustus prædicto majori inconvenienti & convenienti, quod est impossibile.

Camera 61.

[*Sapientia, Largitas.*]

SI sapientia & largitas sunt contrariæ, sequitur, quòd earum contrarietas, majoritas & esse conveniant, & quòd ipsarum concordantia, minoritas & privatio concordent; quia, si non, sequeretur, quòd sapientia & largitas bonum non essent, & quòd earum oppositum malum non esset, quod est impossibile; quo C. intelligit, esse A. & cameram extra rubeum, in quo rubeo sapientia & largitas sunt contrarietati propinquæ secundùm comparationem remotionis, in quâ contrarietas ab eis extra rubeum removetur, quæ remota contrarietas significat & demonstrat, esse extra rubeum æqualem distinctam concordantiam sapientis largi, ut camera sit existens; quod si non esset, magìs remota contrarietas sapientiæ & largitatis cum privatione conveniret, minùs verò remotâ cum esse, quod est impossibile.

Si sapiens, in quo rubeus non existit, se largiatur in rubeo homini in rubeo consistenti, scit se magìs largum, quàm sapiens largus, in quo rubeus existit; unde, cùm ita sit, oportet, quòd sapiens se largum sciat extra rubeum, & quòd se det sapienti, in quo non sit rubeus: præterea sequitur, quòd se in rubeo largiatur; quod si non esset, sequeretur, quòd sapiens largus extra rubeum esset contrarius majoritati cameræ ac ejusdem operi, quod est inconveniens, quia si conveniens esset, sciret se cum avaritia concordantem, quod est impossibile.

Camera 62.

[*Sapientia, Misericordia.*]

SI sapientia & misericordia in simul repugnarent in justitiâ, in qua non sit rubeus, magìs inconveniens & major esset earum contrarietas, quàm si contrariarentur in justitiâ, in qua rubeus existat; cùm autem major contrarietas cameræ in justitiâ sit magìs inconveniens & magìs remota ab esse & perfectione, quàm minor, sequitur necessariò, quòd extra rubeum sit aliqua essentia, in qua coëxistit æqualiter & distinctè concordantia sapientiæ & misericordiæ in justitiâ, ut opus concordantiæ sit inde magìs à minoritate & contrarietate remotum.

Si sapiens misericors, in quo non est rubeus, de se ipso habet misericordiam homini in rubeo, H. habet inde majus inconveniens, si est contra A., & E. majus conveniens, cùm habet cameram pro objecto: unde, si A. se tantum misericordem nesciret, quòd sua camera per hoc esset magìs concordans cum E., quod ipsam accipit pro objecto, & magìs contraria ipsi I., quod eandem sumit pro objecto, sciret suam cameram in rubeo terminatam, quod est impossibile; quia, si conveniens esset, sequeretur, quòd E. & camera concordari possent cum majoritate, A. verò & camera convenire possent cum minoritate, quod est impossibile manifestè.

Camera 63.

[*Sapientia, Humilitas.*]

SI sapiens & humilis, in quibus non est rubeus, in superbo contrariantur, oportet, quòd omnes tres in majoritate æquales & inæquales existant; æquales enim sunt, in quantum extra rubeum coëxistunt, inæquales verò sunt, in quantum humilis est minor in numero, sapiens autem & superbus in numero sunt majores, eò quòd contra humilem concordant. Unde, cùm contrarietas & inæqualitas privationi & ipsi esse in rubeo sint propinquæ, oportet, quòd sapientia, humilitas & concordantia sint extra rubeum à privatione & contrarietate

remotæ; quod si non esset, sequeretur, quòd sapientia & humilitas non haberent subjectum, in quo convenire possent sinè subjecto, in quo potentia est ad esse contrarietatem in superbiâ inter sapientem & humilem; hoc autem est inconveniens, quia, si conveniens esset, sequeretur, quòd concordantia, contrarietas, humilitas & superbia cum esse æqualiter convenirent, & privationi contrariarentur, quod est impossibile.

Major contrarietas, cum qua humilis homo potest repugnare superbiæ, & sapiens ignorantiæ, est, si sapiens humilis, in quo rubeus non est, se voluit scire hominem esse in homine, & per hominem mortem suscipere; si autem A. nollet se scire tam humilem esse in homine, sequeretur, quòd vellet se scire superbum, & majori contrarietati repugnare, quâ homo majorem concordantiam cum humilitate posset habere, quod videtur clarè impossibile.

Camera 64.
[*Sapientia, Dominium.*]

SI sapiens dominus nesciret se dominum, antequam existeret rubeus, sciret suum dominium magìs minoritati propinquum: si autem scit se dominum, priusquam rubeus esset, scit suum dominium magìs à minoritate remotum; quoniam verò dominium & majoritas concordant, idcirco designatur, quòd, si extra rubeum est sapiens conveniens esse dominus rubei, qui generet alterum sapientem convenientem esse dominum rubei, sapientia & dominium fortiùs extra rubeum conveniunt, quàm si extra rubeum non esset distinctio unius sapientis ab alio; & quoniam major concordantia sapientiæ & dominii affirmari debet, ideo Trinitas designatur, quâ majori convenientiâ L. affirmat, mundum esse æternum, ut æternaliter dominio subjectum existat, C. verò negat contra L., quia B. multas rationes recolit, quibus in hac arte mundum in rubeo esse probatur.

Sapiens dominus, qui scit se dominum creatione & recreatione, potest se scire in majori majoritate dominii, quàm sapiens dominus, qui scit se dominum creatione solùm; & quia major convenientia sapientiæ & dominii cum esse convenit contra minorem illius contradictoriam, propterea Incarnatio demonstratur; & si demonstrabilis non existeret, sequeretur, quòd id, per quod sapientia & dominium longinquiores à servitute existunt, cum majoritate minimè conveniret, quod est inconveniens.

Camera 65.
[*Sapientia, Patientia.*]

MAjus inconveniens, per quod homo cum impatientia concordet, est, si A. voluit esse homo patiens ad sustinendam mortem propter hominem; & si hoc majus inconveniens non existeret, non foret utilitas humanæ speciei, ipsum A. esse hominem, nec esse hominem patientem, quod est impossibile, quo quidem oportet, quòd A. sit homo, ut homo sciat majus conveniens, quo contra impatientiam esse possit, & sciat majus conveniens, quo melius possit cum patientia concordari.

Camera 66.
[*Amor, Virtus.*]

VElut in rubeo differentia esse non posset inter opus & opus sinè differentia operati & operati, ac operantis & operantis, sic extra rubeum non posset existere distinctio amoris & virtutis sinè distinctione suppositorum; nam sicut in rubeo non est differentia inter opus & opus solùm, sic extra rubeum inter amorem & virtutem: unde, cùm in rubeo sit concordantia inter opus & operatum, secundùm quod opus operatum existit, oportet, quòd extra rubeum sit convenientia inter amorem & virtutem, & quòd amor & virtus sint una eadémque essentia cum eo, cum quo concordantiam & distinctionem habent; quod si non esset, esset impossibile, quòd in majoritate & æqualitate eorum distinctio & concordantia convenirent secundùm operationem differentiæ & concordantiæ, quæ cum minoritate in rubeo sunt concordes.

Si amans virtuosus, qui est extra rubeum, voluit assumere de rubeo amantem virtuosum, & conjungere sibi ipsi, & esse cum eo una Persona, amat & virtuificat in rubeo in majoritate; quod si ita non est, in rubeo in minoritate amat & fruitur, & inde inconveniens sequitur, quòd minus ei servitur per amorem & virtutem, qui in rubeo consistunt; & quia majoritas operis amoris & virtutis est magìs remota à privatione, quàm minoritas operis amoris & virtutis contradictoria majoris, propterea Incarnatio demonstratur.

Camera

Camera 67.
[*Amor, Veritas.*]

OPus amoris & veritatis, in quo non est rubeus, est remotius ab odio & falsitate, quàm opus, quod est amoris & veritatis in rubeo; quod si non esset, rubeus non conveniret cum minoritate, nec id, quod est extra rubeum cum majoritate, quod est inconveniens: quo demonstratur, quòd, si in rubeo est opus amoris & veritatis, quantò magìs convenit, quòd extra rubeum amor & veritas habeant opus; quod si non esset, operati essent majus opus amoris & veritatis in rubeo & in concordantia amoris & veritatis, & amorosi & verificati, quod est inconveniens, quod significat aliud inconveniens in majoritate suprà dictorum principiorum, si A. carnem non assumpsit.

Camera 68.
[*Amor, Gloria.*]

ESsentia sinè esse non haberet, in quo haberet concordantiam, nec opus sinè operato, nec humanitas sine homine; quia verò essentia, opus & humanitas se habent ad secundam intentionem, & esse, operatum & homo se habent ad primam, propterea in rubeo est facta concordantia inter minoritatem & majoritatem; & quia rubeus & minoritas sunt concordes & propinqui odio & pœnæ, oportet, quòd id, quod est extra rubeum cum majoritate concordans & remotum ab odio & pœna, in se habeat proprietates personales distinctas, in quibus esse possit æqualis concordantia amoris & gloriæ per amantes gloriosos amatos glorificatos quolibet in se ipso per se ipsum & per alium eorundem, & quòd ex magna influentia amoris & gloriæ influant in rubeo tantum amoris & gloriæ, quòd inde capiant partem, quam Filius ipsius A. sibi ipsi conjunxit; quod si esset inconveniens, influentia solis in luna majorem proportionem haberet in rubeo, quàm A. in creatura, & creatura in A., quod est inconveniens.

Camera 69.
[*Amor, Perfectio.*]

OPus amoris potest esse majus in subjecto, in quo perfectio ab imperfectione est magìs remota, & è converso; unde, si in rubeo, in quo perfectio non est ab imperfectione remota, hujus ipsius imperfectionis & amoris operi subjectum existit, quantò magìs convenit, quòd extra rubeum sit res aliqua, in qua sit amor & perfectio absque eo, quòd illa sit odio & imperfectioni subjecta; quod si non esset, sequeretur, quòd amor & perfectio, odium & imperfectio ad esse & privationem æqualiter se haberent, quod est inconveniens; quo significatur necessarium conveniens suppositorum distinctorum extra rubeum amore amante & amato perficiente & perfecto, sinè quibus esset inconveniens inter amorem & perfectionem sinè rubeo, quod inconveniens generaret aliud inconveniens inter ipsum A. & creaturam, quo foret inconvenientia Incarnationis ipsius A. in creatura, quâ inconvenientiâ amor & perfectio haberent cum minoritate concordantiam, & eorum oppositum cum majoritate, quod est inconveniens.

Camera 70.
[*Amor, Justitia.*]

VElut rubeus non haberet, in quo consisteret, si opus operans & operatum nihil essent, sic in rubeo justitia nihil esset, si justus justum & justitiam non amaret; unde, si in rubeo est amor & justitia, licèt subjiciatur privationi amoris & justitiæ, quantò magis convenit, quòd camera sit in aliqua essentia, in qua rubeus non existat, & quæ non subjiciatur privationi amoris & justitiæ; quod si non esset, sequeretur inconveniens, concordando minus cum majoritate, majus verò cum minoritate, quo foret conveniens, quòd esse haberetur ab essentia & à privatione privatum; hoc autem est inconveniens, quo demonstratur necessarium conveniens, quod demonstrat, A. esse & cameram ejus, in quo A. & ejus camera demonstratur distincta Persona ab alia, in quibus est opus amoris & justitiæ sinè rubeo, sinè quo A. non haberet, in quo concordaret majoritatem & æqualitatem in sua camera sinè rubeo, cujus æqualitatis & majoritatis privatio inconveniens esset, quo inconveniens existeret, quòd A. carnem assumpsisset, quo inconvenienti minor concordantia esset inter A. & istas cameras [E.A.V.Y.] [I.V.Z.]

Camera 71.
[*Amor, Largitas.*]

SI amor & largitas concordantiam habent sinè rubeo, conveniunt in majoritate &

æqualitate, in quibus elongantur ab inæqualitate, minoritate & contrarietate extra rubeum; si verò non concordant in camera sinè rubeo, contrarium hujus existit, quod dictum est, quod contrarium est inconveniens; quia deleret suprà dicta principia, quorum destructio est impossibilis; quo impossibili sinè rubeo in camera concordantia demonstratur, & per ipsam convenientiam demonstratur distinctio, sinè qua distinctione concordantia esse non posset; & ipsâ distinctione demonstratur pluralitas, sinè qua non posset distinctio suppositorum existere: pluralitate verò demonstratur Trinitas suppositorum in majori æquali concordantia extra rubeum super perfectione operis, quod est extra rubeum in Paternitate, Filiatione & Processione, quæ perfectioni operis extra rubeum sufficientes existunt: igitur, cùm hæc ita sint, secundùm superiùs dicta antecedentia & consequentia sinè rubeo habentur principia ad conditionandum cameram amoris & largitatis, ut consequentia particularia possint demonstrari.

Si habente E. pro objecto ipsum A., D. generaret de se ipso aliud D., cui largitatem præberet, & ab ipsis duobus D. procederet aliud D., unde alia largitas procederet, & si largitas haberet similem operationem ipsius D., sequeretur longinquitas amoris & largitatis ab odio & avaritia, & amoris & largitatis propinquitas; & si ipsa longinquitas & propinquitas extra rubeum forent, converteretur E. in A., & egrederetur de rubeo: igitur, cùm hoc ita sit, oportet necessariò, quòd illud opus existat in A., quo E., quod est creatura, converteretur in A.; quia, si non, A. haberet imperfectionem illius perfectionis, quâ E. de minoritate ad majoritatem ascenderet extra rubeum, in qua solum A. existit.

In prædicta metaphora significarè intendimus, quòd unus amorosus largus generet alium, & quòd ab ambobus alius amorosus largus procedat, & quòd in ipsis tribus non sit rubeus, qui per hanc sequentem metaphoram illos prædictos designet: *habente in elementali figura quolibet elementorum tam magnum naturalem appetitum in dando se ipsum aliis & recipiendo se ipsum in aliis, quòd inde suppositum quoddam generatum resultet, in quo significatur illa una essentia, & illa tria suppositа, quæ sunt in eadem extra rubeum.*

Præterea tali metaphorâ designatur, quòd per vehementem influentiam ipsius cameræ unum suppositorum, quæ sunt extra rubeum, se dat in uno supposito intra rubeum consistente, unde resultat suppositum quoddam constructum ex eo, quod est extra rubeum, & ex eo, quod in rubeo reperitur, ut sit metaphora in majoritate cameræ compositæ majoritatis cameræ simplicis, quæ extra rubeum existit.

Camera 72.

[*Amor, Misericordia.*]

ANtequam videretur sol, sol ipse generabat suum splendorem in aëre à solis splendore illuminato; unde, si hæc operatio non esset in sole, antequam oculi essent, non existeret sol usui splendoris tam propinquus, neque tam remotus à privato usu sui splendoris; cùm verum sit, quòd sol oculis aërem, colorem & objectum illuminat, & oculis illuminationem præbet: igitur, cùm hoc ita sit, per hanc metaphoram demonstratur in majoritate, quam A. habet supra solem, qui est creatura, quòd A. non esset tam remotum à rubeo, nec à minoritate, nisi generaret unus amans misericors alium amantem misericordem extra rubeum, & cum majoritate & æqualitate tam bene non conveniret: sequeretur præterea, quòd camera sinè rubeo nihilominus concordaret cum majoritate & æqualitate, in qua minoritas non existit.

Quoniam sol majorem splendorem habet in aëre, quàm ignis ardens in cereo, meliùs habetur demonstratio suprà dictæ metaphoræ per exemplum solis, quàm haberetur per ignem: unde hæc metaphora demonstrat, quòd camera meliùs in rubeo suâ majoritate potitur, si est Incarnatio, quàm si incarnatio non esset, & quantò major usus majoritatis consistit in rubeo, tantò magis à minoritate usûs elongatur in rubeo, ut majoritas cameræ extra rubeum fortiùs significetur & demonstretur.

Camera 73.

[*Amor, Humilitas.*]

SI, antequam rubeus esset, amorosus humilem non generaret, & è converso, sequeretur, quòd amor & humilitas inter se majoritati & esse repugnarent extra rubeum, & quòd cum minoritate & cum esse in rubeo

rubeo convenirent; hoc autem est inconveniens: quia, si foret conveniens, sequeretur, quòd majoritas amoris & humilitatis esset cum privatione concordans, minoritas verò cum esse, & quòd oppositum cameræ haberet cum majoritate & esse concordantiam, quod est inconveniens, & contra experimentum V. lividi, quod convenit cum majoritate & esse, & V. rubeum cum minoritate & privatione.

C. habet nobilius opus in objecto, quod cum majoritate convenit, quàm in objecto, quod cum minoritate concordat: per hoc autem principium demonstratur, quòd major usus cameræ in rubeo consistit in multiplicando majoritatem rubei in aliquo suo particulari conjuncto alicui extra rubeum, quàm in multiplicando rubeum in eo, quod extra creaturam non existit; & ex rubeo conjuncto cum A. habetur major usus cameræ ipsi C., quàm ex omni ejus de rubeo; unde, si foret inconveniens, quòd A. incarnatus existeret, majoritas in camera extra rubeum & intra rubeum esset inconveniens: præterea esset A. cum suis cameris propinquum privationi & minoritati ipsi cameræ repugnanti, quod est impossibile.

Camera 74.

[*Amor, Dominium.*]

IStius cameræ conditiones sunt, quòd affirmativa & negativa cum camera contra dubitationem concordent, elongando [E.I.] ab [N.R.] & ponendo N. ad affirmandum possibilitatem unius contradictorii contra aliud, ut F.G. discurrant per cameram supra triangulos ipsius T.; & quòd affirmativa affirmet illud particulare, per quod meliùs cameræ majoritas demonstratur; & quòd negativa minoritatem majoritatis contradictoriam neget: si verò hæ conditiones inconvenientes essent ipsi cameræ, majoritas cum opposito cameræ conveniret, minoritas verò cum camera, quod est inconveniens; quo metaphoricè demonstratur Incarnatio, quâ [E.I.N.] obligantur magis ad formandum istas cameras [E.A.V.Y.] [I.V.Z.] [M.A.V.Y.] contra quarum majoritatem est impossibile, quòd adsit majoritas cameræ amoris & dominii: quia, si possibile foret, haberet convenientiam cum cameris, quæ suprà dictis cameris repugnant, quod patet esse inconveniens.

Camera 75.

[*Amor, Patientia.*]

SI amor & patientia in majoritate essent contrariæ, eorum contrarietas esset extra rubeum; & si concordarent in minoritate, in rubeo convenirent: cùm autem sint concordantes in rubeo, oportet necessariò, quòd extra rubeum concordent; quia, si non, eorum concordantia esset à contrarietate remotior in rubeo, quàm extra rubeum, quod est inconveniens: quo habetur demonstratio concordantiæ, quæ metaphora est ad demonstrandum distinctionem proprietatum personalium extra rubeum.

Si E. habet majus D. ad patientiam, I. verò majus H. ad impatientiam per Incarnationem, & A. est oppositum majoritati ipsorum D. H., habetur metaphora, quâ significatur, quòd in A. amor & patientia majorem concordantiam habent in minoritate contra majoritatem; cùm autem hoc sit impossibile, propterea habetur demonstratio, quòd oportet majoritatem ipsorum D. H. cum camera esse concordem: & quia Incarnatio est major concordantia & medium, quibus D. H. possunt cum majoritate meliùs convenire, idcirco Incarnatio demonstratur.

Camera 76.

[*Virtus, Veritas.*]

FRecolit, quòd camera remotior est à minoritate in subjecto, in quo ejus oppositum est potentialiter, quàm in subjecto, in quo est actualiter; quod si non esset, sequeretur, quòd camera & minoritas simul convenirent, majoritas verò & oppositum; hoc autem est inconveniens, quo significatur, quòd oportet extra rubeum esse subjectum aliquod, in quo virtus & veritas tam remotæ sint à minoritate, quòd in ipso nec potentialiter nec actualiter oppositum cameræ existat; illud autem subjectum est A. & camera: quia, si non esset, sequeretur, quòd esse & privatio æqualem concordantiam haberent in majoritate sinè rubeo, & quòd illa æqualis convenientia esset A. & camera: hoc autem est contradictio.

Si virtus & veritas non habent extra rubeum, in quo sit distinctio virtuosi & veri, est impossibile, quòd extra rubeum concordantiam habeant: cùm autem in rubeo concordent, unâ virtute generante aliam,

aliam, & unâ veritate generante aliam, & à qualibet alius virtuosus verus procedat, & simul conveniant ad esse unum suppositum virtuti & veritati & earum contrariis, quantò magis convenit, quòd extra rubeum habeant distinctas Personas, ubi convenire possint in tam magna concordantia, quòd ibi earum contrarium nec potentialiter nec actualiter existat.

Virtus sensitiva & intellectiva convenientiam habent in C. formante ipsum Y., ut D. ipsum pro objecto accipiat, & H. ipsum Z. capiat pro objecto: unde, si virtus & veritas conveniunt in rubeo in virtute & veritate sensitiva & intellectiva, quantò magis convenit, quòd camera, quæ est extra rubeum, & aliqua nobilior virtus & veritas, quæ sint in rubeo, majorem concordantiam habeant in esse unum suppositum, in quo C. D. H. majorem convenientiam habeant cum virtute & veritate contra privationem & Z.; quod si impossibile esset, esset possibile, quòd virtus & veritas in rubeo meliùs convenire possent, quàm in rubeo & eo, quod extra rubeum est; hoc autem est impossibile & inconveniens majoritati ipsius A. & minoritati ipsius rubei.

Camera 77.
[*Virtus, Gloria.*]

VIrtus & gloria habent majorem concordantiam in majoritate, quàm in minoritate: si autem convenientiam habent in rubeo, quantò magis convenit, quòd eam habeant extra rubeum; quia, si non, sequeretur, quòd virtus & gloria majorem concordantiam haberent in minoritate, quàm in majoritate, quod est inconveniens; & si virtus & gloria convenientiam haberent extra rubeum sinè distinctione personalium proprietatum, majorem concordantiam haberent, si in distinctis personalibus proprietatibus extra rubeum convenirent; & si majorem concordantiam non haberent, haberent ipsam in potentia vel in privatione, & minorem in actu, quod est inconveniens.

Si quis, qui est in rubeo, tam magnam virtutem haberet extra rubeum, quòd in ipso virtuosus existeret, qui generaret gloriam in alio virtuoso extra rubeum, egrederetur de rubeo, & esset A. tali opere: unde id, per quod ille efficeretur A., in A. esse oportet; & id, per quod A. possit creare majorem virtutem & gloriam in rubeo, esse oportet in Supposito unito ex A. & homine, ut concordantia virtutis & gloriæ in A. extra rubeum meliùs demonstretur, & multiplicetur virtus in istis cameris [E. A. V. Y.] [I. V. Z.] ut E. in gloria possit habere majorem gloriam in camera virtutis & gloriæ.

Camera 78.
[*Virtus, Perfectio.*]

IN rubeo virtus dare non potest perfectionem sinè munere suî ipsius, vel alterius virtutis, nec perfectio sinè virtute potest convenire cum esse, neque cum privatione sinè privatione virtutis: unde, si extra rubeum virtus non daret perfectionem de se ipsa, conveniret ipsa perfectio cum minoritate extra rubeum, & cum majoritate in rubeo: præterea virtus haberet majus opus in rubeo, quàm extra rubeum; hoc autem est inconveniens & contra experientiam, quam in rubeo reperimus, in quo virtus incipit in se ipsa perfectionem, & ipsam perfectionem largitur in alio supposito virtuoso perfecto.

Virtus, quæ sit extra rubeum, dare potest majorem virtutem & perfectionem in rubeo in se ipsa, quàm in rubeo extra se ipsam: si autem in eo, in quo largiri valet majorem virtutem & perfectionem, non daret ad significandum manifestiùs majorem virtutem & perfectionem, quas extra rubeum præbet, foret contraria sibi ipsi suæque perfectioni: hoc autem est inconveniens, dum inde aliud inconveniens non sequatur.

Camera 79.
[*Virtus, Justitia.*]

SI virtus & justitia forent unum & idem sinè distinctione virtutum, esset impossibile, quòd in rubeo, in quo E. habet injuriam pro objecto, existeret justitia in potentia, & liberum arbitrium in actu; & hoc est contra experientiam ipsius C., quâ C. intelligit differentiam inter virtutem & justitiam; & si virtus & justitia non sunt unum & idem sinè differentia, sequitur, quòd injuria possit existere unum & idem cum virtute, quod est inconveniens: quo significatur, quòd si in rubeo virtus & justitia possunt esse differentes & non differentes sinè contradictione, quantò magis esse potest distinctio virtuosi & justi extra rubeum, & quòd in essentia virtus & justitia sint unum & idem sinè differentia; quod si non esset, sequeretur, quòd in rubeo virtus & justitia haberent majorem convenientiam, quàm extra rubeum; & hoc est inconveniens.

Si M., quod affirmat Incarnationem, habet majorem virtutem ad movendum E. ad justitiam & H. ad injuriam, quàm M., quod negat Incarnationem; & est in Z., sequitur, quòd virtus & justitia habent majorem concordantiam in minoritate, quàm in majoritate, quod est inconveniens: quia, si esset conveniens, fortiùs convenirent in rubeo, quàm extra rubeum, quod est impossibile; quâ impossibilitate particulare ostenditur, & demonstratur regula ad investigandum aliud particulare per artem, cum quâ particulare superiùs dictum demonstratur.

Camera 80.
[*Virtus, Largitas.*]

IGnis tam largus existit aëri, quòd ipsi præbet suam virtutem, scilicet calorem, qui aërem calefacit, & illum dando dat aëri calorem desiccatum per terram, à qua ignis recipit siccitatem: quare G. intelligit, quòd virtus ignîs, quam ignis de se ipso dat aëri, cum majoritate convenit, & illa, quam eidem de terra exhibet, cum minoritate; quâ majoritate & minoritate C. intelligit differentiam inter virtutem & largitatem; nam sinè differentia nec majoritas nec minoritas nec concordantia nec contrarietas formari possent: quia verò hoc in rubeo reperitur, & quia rubeus & minoritas conveniunt, A. verò & majoritas, idcirco demonstratur, quòd oportet, quòd sinè rubeo virtus in A. existat, quæ de se ipsa larga sit virtuoso largo sinè contrarietate, quod si non esset, sequeretur, quòd in rubeo esset major concordantia largitatis & virtutis, quàm extra rubeum: hoc autem est impossibile, secundùm quod in prædicta metaphora demonstratur.

In elementali figura elementa se dant in virtute, in essentia & in concreto individuis specierum, nihil sibi retinentia; unde, si A. non se largiretur in virtute, essentiâ & naturâ creaturæ ad conjungendum ipsam sibi ipsi, sequeretur, quòd elementa concordarent cum majoritate virtutis & largitatis in rubeo, & A. conveniret cum minoritate, quod est inconveniens; quo Incarnatio metaphoricè revelatur.

Camera 81.
[*Virtus, Misericordia.*]

IN creatura virtus se habet differenter in opere misericordiæ & justitiæ, licèt misericordia & justitia unum & idem in virtute existant; unde, si una eadémque virtus in rubeo suas operationes diversificat sinè diversificatione suî ipsius, quantò magis extra rubeum una & eadem virtus suas operationes sinè diversificatione suî ipsius distinguit; quod si non esset, sequeretur, quòd virtus in rubeo majorem concordantiam haberet cum suo opere, quàm extra rubeum, quod est inconveniens: quo demonstratur, quòd necessariò oportet, quòd extra rubeum virtus & misericordia sinè culpa & imperfectione conveniant, habente virtute distinctionem, quæ in ipsius opere existat, in quo convenire possit.

Id debet existere & affirmari, per quod C. intelligere potest, ipsum A. esse longiùs à rubeo; id autem, per quod C. potest intelligere, ipsum A. rubeo esse propinquius absque eo, quòd in A. inconveniens sequatur, non debet negari; quia, si sic, significaretur, quòd in majori propinquitate ipsius A. & rubei possit virtus ipsius A. & rubei minorem concordantiam habere: & hoc est impossibile, quâ impossibilitate demonstrat A. longinquiùs suam virtutem à rubeo, quantò magis appropinquat sibi rubeum in virtute; cujus rubei virtus non habet posse contra virtutem ipsius A., quod ipsum ad suam naturam inclinat; & inde rubeus multiplicatur in virtute in natura ipsius A., ut virtus & misericordia meliùs concordent in cameris subsequentibus [E. A. V. Y.] [I. V. Z.]

Camera 82.
[*Virtus, Humilitas.*]

SI in rubeo humilitas convenit cum virtute in humili & virtuoso, licèt virtus & humilitas unum & idem non existant, sequitur, quòd virtus & humilitas habeant in A. virtuosos & humiles, in quibus convenire possint virtute & humilitate manentibus unum & idem: & si ignis, cùm unâ eâdémque virtute desiccat terram humefactam ex ipsa recipiendo siccitatem, & ceram dissolvit exhibens humiditati calorem, habet majorem virtutem in diversificatione suæ operationis in se ipso, quàm extra se ipsum; quia, si non, non diversificaretur

caretur in se per suam virtutem, sed per aliam in dando & recipiendo: quantò magis igitur in A. virtus & humilitas intrinsecè in se habent proprietates personales, per quas distinguuntur virtuosi & humiles; quod si non esset, sequeretur, quòd ignis & alia elementa, quæ subsistunt in rubeo, haberent majorem propinquitatem virtuti & differentiæ operis virtuosi quodlibet in se ipso & in alio, quàm virtus & humilitas in A.: hoc autem est inconveniens; cùm A. & majoritas, rubeus verò & minoritas conveniant.

Si virtus ipsius A. sibi conjungit virtutem rubei, in rubeo superbia magis est remota ab humilitate, quàm sinè illa conjunctione: quantò autem humilitas creata remotior est à superbia, tantò magis in majoritate convenit cum virtute, & humilitas inde magis virtutem exaltat ad demonstrandum fortiùs increatam virtutem & humilitatem, & ad multiplicandum in virtute & humilitate istas cameras [E. A. V. Y.] [I. V. Z.] quod si ita non esset, sequeretur, quòd virtus & humilitas haberent majorem concordantiam in propinquitate privationis & virtutis & in actualitate superbiæ, quàm in actualitate virtutis & humilitatis, quod est inconveniens.

Camera 83.
[*Virtus, Dominium.*]

G. Intelligit, quòd virtus remotior est à suo contrario in dominio, quàm in servitute; quod si non esset, convenirent virtus & servitus magis in majoritate, quàm virtus & dominium, quod est inconveniens; quâ inconvenientiâ demonstratur, quòd si virtus ipsius A. habet concordantiam in rubeo cum ipsius subdita virtute creata, quantò magis convenit, quòd habeat convenientiam in se ipsa cum dominio increato sibi ipsi æquali; quod si non, sequeretur inconveniens suprà dictum.

Quantò majorem concordantiam virtus ipsius A. & ejusdem dominium habent in rubeo cum creata virtute & servitute, tantò meliùs in rubeo camera demonstratur; præterea rubeus inde majorem virtutem habet & magis sublimatam virtutem in dignitate: unde, si virtus & dominium, quæ sunt in A., & virtus & servitus, quæ sunt in rubeo, essent contraria majoritati & concordantiæ secundùm virtutem prædictorum principiorum, sequeretur, quòd dominus & subditus majorem concordantiam haberent in minori virtute, quàm in majori, quod est impossibile; quia, si possibile esset, virtus & dominium sibi repugnarent.

Camera 84.
[*Virtus, Patientia.*]

H. In V. rubeo concordat cum D. in V. livido, & quantò majorem operationem habent H. D., tantò majorem concordantiam habent in majoritate, & eorum opus à minoritate est magis remotum: unde, si per Incarnationem habet H. majorem virtutem contra impatientiam, & D. majorem convenientiam cum patientia, si virtus ipsius A. est contra virtutem Incarnationis, sequitur, quòd sit contra majoritatem, quam habere possunt H. D. habendo concordantiam cum camera, quod est impossibile: quia, si possibile esset, sequeretur, quòd virtus & impatientia convenirent, patientia verò & privatio virtutis, quod videtur manifestum inconveniens.

Cùm D. lætabatur in prædicta demonstratione, dubitavit N. affirmando, quòd Incarnatio debuit in multis hominibus esse, ut H. D. meliùs convenirent; B. verò recoluit inconvenientiam, quæ inde sequeretur contra virtutem & perfectionem, quæ per unam solam Incarnationem non potuissent in rubeo majorem concordantiam adimplere.

Camera 85.
[*Veritas, Gloria.*]

CUm H. accipit pro objecto Z., consistit Y. in D., quod movet ipsum H. ad ipsum Z., quo H. cum Y. convenit, & ipsius gloria resultat & existit in Y. D. habitualiter, & gloria ipsius D. potest esse habitualiter vel actualiter, gloria verò ipsius H. non sufficit ad existendum in actu, sed solùm in habitu; quod est, quia irasci magis remotum est à gloria, quàm amare: cùm autem G. hoc intellexit, intelligit C., quòd id, per quod Y. & gloria magis elongantur ab ipso Z. & pœna, convenit cum esse in majori concordantia, quàm id, quod est causa, quâ Y. & gloria, Z. & pœna propinquitatem habeant; & si id non conveniret cum esse, esset autem concordans cum privatione, sequeretur, quòd Y. & gloria haberent minorem concordantiam cum esse, privatio verò & Z. & pœna magis convenirent cum esse contra privationem, quod est

est inconveniens & contra suprà dicta principia; unde metaphoricè demonstratur, A. esse; nam, si A. nihil esset, omnia prædicta principia delerentur.

Gloria se habet ad ipsum D., & Y. se habet ad ipsum C.: unde, si in rubeo gloria & Y. converterentur in esse unum & idem, & hoc idem fieret in ipsis C. D., & remanerent in sua differentia, sequeretur, quòd gloria & Y., D. & C. haberent inde concordantiam in majoritate; quod est, quia per hoc majorem propinquitatem haberent; & si differentia in ipsis foret destructa, sequeretur exinde destructio operationis in concordantia rerum diversarum; præterea gloria, Y., C. & D. in minoritate forent: quoniam autem A. & majoritas conveniunt, creatura verò & minoritas, propterea in metaphora prædicta Trinitas & Incarnatio significatur & demonstratur.

Camera 86.
[*Veritas, Perfectio.*]

Y. Et perfectio cum majoritate conveniunt, Y. autem & imperfectio cum minoritate; nam, si Y. & imperfectio non convenirent, quidquid est extra perfectionem & Z., in privatione existeret: hoc autem est Z., quod habet concordantiam cum Y. in ipsa negativa; unde, si A. nihil esset, sequeretur, quòd major convenientia ipsius Y. & perfectionis non esset propinquior principio, quàm minor; & ambæ concordantiæ inter principium & finem essent sibi contrariantes, & haberent unum finem & unum principium, quod est impossibile; quâ impossibilitate demonstratur, quòd oportet convenientiam ipsius Y. & perfectionis in tam vehementi magnitudine esse, quòd aliter subsistant, quàm minor concordantia: quia major & minor concordantia non se habent æqualiter ad privationem & esse; ad quam æqualitatem se haberent, si nihil extra rubeum existeret.

Si C. generaret ipsum Y., majorem inde perfectionem haberet ad capiendum objectum, & magis removeretur ab L., quàm est, cùm non generat Y.; quod si non esset, sequeretur, quòd inter Y. & perfectionem convenientia non esset: hoc autem est inconveniens, & metaphoricè in A. generationem demonstrat.

Si Y. non esset majus in uno subjecto, quàm in alio, esset contrarium perfectioni, quæ est major in uno subjecto, quàm in alio, nec E. foret nobilius in sua operatione propter unum objectum, quàm propter aliud, quod est inconveniens; quo Incarnatio demonstratur, sinè qua Y. & perfectio, quæ sunt extra rubeum, tam magnam concordantiam in rubeo non haberent; quia rubeus non haberet tam magnum Y. & perfectionem, in quibus illam reciperet, & major concordantia ipsius Y. & perfectionis in rubeo conveniret cum privatione, minor verò cum esse: præterea sequeretur, quòd major concordantia ipsius Y. & perfectionis extra rubeum foret contraria majori, quam rubeus recipere posset, quod est inconveniens.

Camera 87.
[*Veritas, Justitia.*]

SI Y. H. concordantiam habent contra Z. & injuriam, quia Y. & justitia concordant, oportet, quòd concordantia ipsius Y. & justitiæ antè existat in rubeo, quàm concordantia ipsorum Y. H.; quia, si non, Y. H. cum Y. & justitia starent æqualiter in medio rubei, & haberent unum finem & unum idémque principium, quod est inconveniens; quo demonstratur, quòd oportet veritatem & justitiam antè existere, quàm rubeum; quia si non, justitia & injuria convenirent æternaliter & æqualiter cum esse, & prædicta differentia in privatione majoris & minoris concordantiæ esset confusa.

Si ex Y. procederet D., quod acciperet pro objecto justitiam, & daret pro objecto Z. ipsi H., major esset concordantia inter Y. D. H. & contrarietas in Y. D. H., quæ suam differentiam salvando converterentur in esse unam substantiam, quæ foret justitia; & concordantia suprà dicta & contrarietas multiplicarentur in quantitate contra Z. & injuriam. Præterea si Y. & justitia, quæ sunt unum & idem extra rubeum, tantum apponantur rubeo, quòd de natura ejus accipiant, oportet, quòd sint plùs contra Z. & injuriam, quæ in rubeo existunt; quod cùm ita sit, velut materia, quæ per formam ostenditur, sic A. se demonstrat per rubeum sibi conjungendo individuum rubei, velut materia, quæ apponitur & copulatur cum forma in esse unum suppositum (loquimur tamen metaphoricè) quia, si ita non esset, sequeretur, quòd materia haberet majorem convenientiam cum Y. demonstrando se ipsam per formam,

mam & in forma, quàm A. in rubeo & per rubeum; & Y. & justitia ipsius A. sibi repugnarent, quod est impossibile.

Camera 88.
[*Veritas, Largitas.*]

SI Y. & largitas majorem convenientiam haberent in dispensatore, quàm in domino, dispensatore dante bona domini, sequeretur, quòd dispensator majorem jurisdictionem haberet in bonis sui domini, quàm dominus ipse: hoc autem est inconveniens; quo demonstratur, quòd, si Y. largiretur de C., meliùs cum camera conveniret, quàm cùm dominus largitur de suis denariis; quod est, quia Y. & C. habent majorem convenientiam in largitate & in D, quàm dominus & sui denarii: igitur, cùm hoc ita sit, secundùm prædictam metaphoram in majoritate & minoritate concordantiæ suprà dictarum proprietatum significantur & demonstrantur Trinitas & Incarnatio secundùm artem, quâ trianguli cum camera concordant; & per illam artem sequendo conditiones triangulorum inveniri possunt alia particularia, quæ quæruntur.

Camera 89.
[*Veritas, Misericordia.*]

MAjorem misericordiam facit A. ipsi C., cùm ipsi præbet Y. pro objecto in se ipso, quàm cùm dat eidem Y. pro objecto in creatura; unde, si in A. extra rubeum misericors existit, qui in se ipso extra rubeum largiatur Y. pro objecto alteri misericordi, habet majorem misericordiam, quàm cùm præbet ipsi C., quod est in rubeo, Y. pro objecto in se ipso: si autem majus opus ipsius Y. & misericordiæ non existit in A, propinquior est camera suo contrario; sed si majus opus est in A, ab eo magis est remota; & quia major longinquitas debet affirmari, & major propinquitas negari, idcirco in A. distinctio proprietatum personalium existit; quæ demonstratio Incarnationem ostendit, faciendo ex prædicta demonstratione metaphoram cum Incarnatione concordem.

Camera 90.
[*Veritas, Humilitas.*]

SI uno tempore unâque actualitate S. posset esse subjectum ipsis E. I. N., in qua una actualitate sic operaretur, quòd E. N. haberent cameram pro objecto, & I. haberet oppositum cameræ pro objecto, oppositum cameræ magis esset remotum ab S, & camera eidem propinquior foret, quàm per E, seu per I., sive per N. solùm; cùm autem hoc subsistat in rubeo, oportet, quòd extra rubeum, ubi veritas & humilitas habent majorem concordantiam, quàm in rubeo, existat distinctio suppositorum; in qua distinctione camera sit in majori concordantia, quàm in rubeo; quia, si non, E. I. N. forent cum camera magis concordes in rubeo, si haberent id, quod suprà posuimus, quàm camera cum eo, quod extra rubeum existit, quod est inconveniens.

Veritas & humilitas habent majorem convenientiam in majori nobilitate nobilium hominum, quàm in minori: quia, si non, oppositum cameræ concordaret cum majori nobilitate personarum, quod est inconveniens; quo demonstratur, quòd ex veritate & humilitate, quæ sunt extra rubeum, & ex alio Y. & humilitate, quæ sunt in rubeo, oporteat fieri unionem, ut inde resultent major veritas & humilitas, quæ subsistant in rubeo, ad demonstrandum magnitudinem cameræ extra rubeum, minori rubeo in majori rubeo conjuncto cameræ extra rubeum existenti; quod si non esset, sequeretur, quòd camera, quæ est extra rubeum, & quæ in rubeo reperitur, cum minoritate convenirent: si autem est, prout suprà diximus, erunt cum majoritate concordes; & quia hæc camera conditionatur supra majorem concordantiam veritatis & humilitatis, propterea Incarnatio demonstratur.

Camera 91.
[*Veritas, Dominium.*]

SI E. habet ipsum Y. distinctum in distinctione ipsorum B. C. D., & hoc idem habet ipsum Y. contra Z, sequitur, quòd Y. habet inde majus dominium super Z, quàm si non distingueretur in differentia ipsorum B. C. D. F. G. H.; quod est, quia differentiâ ipsarum literarum, quæ conveniunt ad concordantiam sinè contrarietate, multiplicatur camera contra suum oppositum in rubeo; cujus si foret contrarium, sequeretur, quòd in majori veritate & dominio minor esset convenientia, quod est impossibile; quâ impossibilitate demonstratur metaphoricè *Incarnatio, Trinitas, Creatio, Prædestinatio, Liberum Arbitrium*, & reliqua particularia, quæ per cameram demonstrantur secundùm regularitatem triangulorum in camera.

Camera 92.
[*Veritas, Patientia.*]

MAnifestum est, quòd camera meliùs cum rebus magis nobilibus quàm cum minùs nobilibus in majoritate convenit; quia à suo opposito magis remota est in majoribus in dignitate, quàm in minoribus: unde, si camera non haberet subjectum, in quo esset extra rubeum, sequeretur, quòd ipsius majoritas & dignitas non possent existere sinè minoritate & indignitate, quibus subjicitur rubeus; propter tale verò conveniens sequeretur, quòd camera posset habere majorem convenientiam cum suo opposito in uno eodémque subjecto, quàm contrarietatem, quod est impossibile; quâ impossibilitate demonstratur metaphoricè, *A. esse*, & *in eodem pluralitatem existere, Incarnationem esse, Mundum esse creatum*, & *Prædestinationem atque Liberum Arbitrium*, & reliqua particularia, quæ cum camera concordant.

Camera 93.
[*Gloria, Perfectio*]

DIscurrentia F. G. per rubeum inveniunt, quòd camera habet majorem convenientiam cum majoritate in fine, quàm in principio & medio; quod est, quia perfectio meliùs convenit cum majoritate in ultimo fine, quàm in principio & in medio illius finis: cùm autem in rubeo gloria & perfectio concordari non valeant cum majoritate, quamdiu principia earum in minoritate subsistunt, in qua propinquiores sunt suo opposito, quàm in majoritate, necessariò sequitur, quòd extra rubeum sit aliquod subjectum, in quo convenire possint cum majoritate absque eo, quòd unquam in minoritate steterint; quod si non esset, sequeretur, quòd in minoritate, ubi oppositum cameræ convenit ad essendum in subjecto, existeret principium majoritatis cameræ, quod est inconveniens; quo demonstratur, ipsum A. esse, & cameram esse in eodem.

F. G. discurrunt per E., in quo reperiunt majorem concordantiam gloriæ atque perfectionis, quia B. C. D. sunt distinctæ potentiæ concordantes sinè contrarietate ad accipiendum objectum, quàm gloria & perfectio unius individui ipsius E. solùm sinè reliquis; nullum enim individuorum ipsius E. valet habere concordantiam in se ipso sinè reliquis; quia non est diversum neque distinctum in se ipso sibi ipsi. Igitur, cùm ita sit, hâc prædictâ metaphorâ demonstratur *Trinitas, Incarnatio, Creatio, Prædestinatio, Liberum Arbitrium*, & reliqua principia hujus artis, quæ ipsi E. necessaria existunt.

Camera 94.
[*Gloria, Justitia.*]

QUantò E. in Y. multiplicat suum opus in B. C. D. ad capiendum pro objecto Y, tantò fortiùs elongat B. C. D. ab ipso Z., & B. C. D. cameræ appropinquant; unde, si extra rubeum habet camera in se ipsa suppositum justum glorioſum generans aliud suppositum justum glorioſum, & ab ambobus aliud justum glorioſum procedat, & omnia tria existant ipsa camera, sequitur, quòd tali opere camera longiùs removeatur à suo opposito, quàm esset absentiâ operis supradicti: & quoniam major longinquitas habet majorem concordantiam cum majoritate, minor autem cum minoritate, & major est concordans cum esse, minor verò cum privatione, propterea istorum quinque particularium, quæ plurimùm necessaria sunt, ut sciantur, demonstrationem habemus, quæ sunt: *Trinitas, Incarnatio, Creatio, Prædestinatio*, & *Liberum Arbitrium*; quæ quinque particularia potest artista demonstrare per suprà dicta principia, si scit ipsum T. cum camera concordare.

N. dubitat in suprà dictis principiis, dicente L., quòd majorem concordantiam haberet camera cum majoritate cum numero quaternario vel plurium, quàm cum numero Trinitatis; C. verò ipsi L. consensit sub conditione, dicens: salvo, quòd inde nequaquam aliud inconveniens contra A. & cameras ejusdem sequeretur, quod inconveniens habitum est in memoria in multis locis hujus artis per ipsum B.; quâ memoratione C. inquit, quòd, si non sufficeret numerus ternarius, necessarium esset perfectioni cameræ dare numerum infinitum: & sic perfectio venire non posset ad finem, & in principio & medio imperfecta consisteret, quod est inconveniens & perfectioni cameræ competenti contrarium.

Præterea incepit iterum N. dubitare,

dicens, quòd camera majorem perfectionem haberet absentiâ pluralitatis; B. verò recoluit, quòd principia suprà dicta delerentur, quæ cum majoritate conveniunt, in quantum camera longè fortiùs à suo opposito removetur.

Camera 95.
[*Gloria, Largitas.*]

F. G. discurrunt in Y. per cameram, affirmando, quòd Y. habet in se ipso gloriam & largitatem generantes gloriam & largitatem, quæ sunt Y., & quòd ex ambobus Y. procedunt gloria & largitas, quæ sunt Y. Cùm F. G. hunc discursum fecerunt, tunc discurrerunt in Z. oppositum cameræ, dicendo, quòd Z. in se ipso habet pœnam & avaritiam, quæ sunt Z., & ex ambobus Z. procedunt pœna & avaritia, quæ sunt Z.; cùm autem hunc discursum fecerunt, ex ipsis Y. Z. rubeum extraxerunt; & propterea C. quandam considerationem habet, quâ Y. Z. reperit æquales in magnitudine: quoniam autem Y. cum esse & cum majoritate, Z. verò cum privatione & minoritate convenit, idcirco C. intelligit, quòd extra rubeum est camera ipsius Y., & est impossibile, quòd ibi existat Z.; quia, si sic, sequeretur, quòd Y. Z. æqualia forent; & quia discursu ipsorum F. G. magìs demonstrantur Y. Z. in esse distincta & contraria, id esse oportet, quo magìs demonstrantur esse distincta & contraria, & unum ab alio remotum, & Y. meliùs concordans cum esse & majoritate, Z. verò cum privatione & minoritate: quod cùm ita sit, demonstrationem habemus in prædicta metaphora, quòd *ipsum A.* est, quod est *Trinitas*, *Incarnatio*, *Creatio*, *Resurrectio*, *Prædestinatio*, & *Liberum Arbitrium*; quia, si non, suprà dicta principia delerentur.

Camera 96.
[*Gloria, Misericordia.*]

QUando F. recolit culpam, quæ est finita in duratione, & G. intelligit pœnam, quæ est infinita in duratione, tunc K. L. credunt justitiam ipsius A. infinitam, & misericordiam finitam: sed quando F. recolit meritum finitum in duratione, & G. intelligit gloriam infinitam in duratione, tunc K. L. credunt misericordiam ipsius A. infinitam, & justitiam infinitam; & ideo per hanc majoritatem & minoritatem misericordiæ infinitæ in gloria & finitæ in pœna cadunt K. L. in R.; sed quando B. recolit proportionem, quæ est inter culpam finitam & pœnam infinitam, & C. intelligit proportionem, quæ est inter meritum finitum & gloriam infinitam, & utramque proportionem eâdem mensurâ justitiæ & misericordiæ mensurant, tunc inveniunt proportiones omnino æquales: & quia B. C. in R. sunt fortiora, quàm K. L, devincuntur K. L. per B. C., & dissolvitur R., quod erat formatum per M. odiens primam proportionem, & diligens secundam, & per K. L. obliviscentia & ignorantia æqualitatem proportionum: ex qua demonstratione inter cætera particularia duo revelantur, quorum unum est summè amabile, & alterum summè timibile.

Camera 97.
[*Gloria, Humilitas.*]

GLoria & humilitas habent majorem concordantiam in majoritate, quàm in minoritate; quia si non, oppositum earum cum majoritate conveniret, quod est inconveniens: quo demonstratur, quòd gloria & humilitas habent majorem concordantiam cum æqualitate absentiâ majoritatis & minoritatis, quàm cum majoritate, quæ sinè minoritate subsistere non potest; quod si non esset, sequeretur, quòd camera cum esse sinè suo opposito concordare non posset: hoc autem est inconveniens; quo demonstratur, quòd camera in se ipsâ habet concordantiam rerum in gloria & humilitate æqualium extra rubeum, extra quem non potest esse minoritas: quod cùm ita sit, demonstratur, quòd A. & camera ipsius existit; & in demonstratione ipsius A. & cameræ demonstrantur *Trinitas*, *Incarnatio*, *Creatio*, *Prædestinatio* & *Liberum Arbitrium*, & ostenduntur alia particularia, quæ cum conditionibus cameræ concordant.

Camera 98.
[*Gloria, Dominium.*]

GLoria & dominium habent majorem concordantiam in rebus majoribus, quàm in minoribus & minùs nobilibus: & propterea sequitur, quòd E. potest habere majorem gloriam & majus dominium in D., quàm I. in H.; quod est, quia D. potest majus & nobilius objectum accipere, quàm H.: quod cùm ita sit, per hanc metaphoram demonstrantur *Incarnatio*, *Creatio*, *Resurrectio*, *Prædestinatio*, *Liberum Arbitrium*, *Prima & Secunda Intentio:* præterea demonstratur, qualiter A. creavit esse, quod est, quia habet intentionem ad hanc cameram [E. A.] ex qua sequitur secundâ intentione ista camera [A. E.]

Camera 99.
[*Gloria, Patientia.*]

GLoria & patientia majorem convenientiam habent in majoritate, quàm in minoritate: propterea sequitur, quòd I. potest esse subjectum majori patientiæ, quàm N.; cùm F. G. sint concordes cum majoritate, sed K. L. cum minoritate: & hinc E. potest esse subjectum majori gloriæ & patientiæ per I., quàm per N.; quod cùm ita sit, per hanc metaphoram demonstratur omne particulare, quod cum principiis metaphoræ cum majoritate convenit contra suum oppositum contradictorium cum minoritate concordans & contra principia metaphoræ, quæ *Incarnationem*, *Creationem*, *Resurrectionem* &c. demonstrat.

Camera 100.
[*Perfectio, Justitia.*]

PErfectio & justitia habent majorem convenientiam in eo, in quo magìs sibi appropinquant, quàm in eo, in quo ab invicem longiùs removentur; & ideo propinquitas perfectionis & justitiæ convenit cum majoritate, longinquitas verò cum minoritate: si autem camera est extra rubeum, perfectio & justitia majorem inde convenientiam habent cum majoritate extra rubeum & intra rubeum, quàm si camera extra rubeum non esset: quoniam autem id habere oportet esse, quo majorem concordantiam & propinquitatem perfectio & justitia habeant, quia, si non haberet esse, oppositum cameræ haberet majorem convenientiam cum majoritate & cum esse, quàm camera, quod est inconveniens, propterea demonstratur, ipsum A. esse, & cameram esse extra rubeum existentem.

Secundùm prædicta principia C. intelligit, quòd major camera perfectionis & justitiæ est, quòd filius habeat hæreditatem sui patris, quàm est, quòd Rex jurisdictionem habeat in suis subditis; quod si non esset, sequeretur, quòd major propinquitas esset inter Regem & suos subditos per naturam, quàm inter Regem & suum filium; hoc autem est inconveniens, quo demonstratur, quòd id, per quod in rubeo perfectio & justitia habent majorem concordantiam & propinquitatem, extra rubeum debeat existere; quia, si non, magis convenirent in minoritate, quàm in majoritate, quod est inconveniens; per quod habemus demonstrationem *Trinitatis*, *Incarnationis*, *Creationis*, *Prædestinationis*, *Liberi Arbitrii* & *Resurrectionis* & aliorum particularium, quæ cum conditionibus cameræ concordant.

Camera 101.
[*Perfectio, Largitas.*]

F recolit, quòd majoritas habet majorem concordantiam cum camera in rebus magìs nobilibus & majoribus, quàm in minùs nobilibus & minoribus; quod si non esset, sequeretur, quòd largitas major existeret in muneribus minoribus, quàm majoribus, quod est inconveniens; quo demonstratur, quòd, si in A. extra rubeum foret inconveniens, quòd largiretur munus, oporteret inconveniens esse, quòd ex nobilioribus muneribus perfectior largitas sequatur; & quia istud inconveniens est in rubeo, per illud demonstrationem & principium habemus ad probandum *Trinitatem*, *Incarnationem* & *Liberum Arbitrium* &c., cum quibus regulam secundùm conditiones sequuntur, quâ trianguli cameram subintrant.

Camera 102.
[*Perfectio, Misericordia.*]

SI in medio rubei est aliquod impedimentum, quo principium non potest consequi suum finem, quò remotius illud medium est à perfectione, eò majorem misericordiam habet A, si largitur illud, quo medium dirigi possit, & existat in via veniendi ad finem: igitur, cùm hoc ita sit, & cùm camera habeat majorem convenientiam cum majoritate in subjectis magìs nobilibus & majoribus, quàm in minùs nobilibus & minoribus, propterea demonstrantur *Incarnatio*, *Creatio*, *Prædestinatio*, *Liberum Arbitrium*, *Resurrectio*, & reliqua particularia, quæ cum conditionibus cameræ concordant.

Camera 103.
[*Perfectio, Humilitas.*]

IN rubeo perfectio & humilitas habent majorem concordantiam cum majoritate in

in subjecto, ubi camera principium est alteri cameræ, quæ tam magnæ quantitatis non existit, quàm in subjecto, ubi camera non existit per ipsum, nec est in ipso in tam magna quantitate, quàm est in alio prædicto subjecto; quod cùm ita sit, sequitur, quòd una potentia existit, ubi humilitas ascendit ad majorem perfectionem, ad quam ascendere possit, ut illa perfectio sit contra majorem imperfectionem & superbiam, quæ possit in rubeo capi; quod si non esset, esset impossibile, quòd convenientia perfectionis & humilitatis esset in majoritate, quæ formari potest ex camera, quæ est extra rubeum, & ex camera, quæ potentiâ in rubeo existit.

Plurimùm placuit ipsi D. demonstratio Incarnationis per metaphoram suprà dictam, & propterea C. intellexit, quòd, velut in rubeo natura de imperfectione ad perfectionem ducit formas de potentia in actum, sic per influentiam cameræ, quæ est extra rubeum, reducitur camera, quæ est in rubeo, ad ipsam, quæ extra rubeum existit; quod si non esset, sequeretur, quòd elementalis natura haberet majorem perfectionem in rubeo, quàm camera, quæ extra rubeum est, quod est impossibile.

Camera 104.

[*Perfectio, Dominium.*]

MAnifestum est ipsi C, quòd camera habet majorem concordantiam cum majoritate in subjectis majoribus & magìs nobilibus, quàm in minoribus & minùs nobilibus: unde, si extra rubeum est perfectio, cujus virtute sit generatus dominus perfectionis, quâ sit perfectio dominans perfectioni, quæ in rubeo reperitur, inde sequitur, nobiliorem & majorem cameram extra rubeum & intra rubeum esse, & ex illis majoribus & nobilioribus ambabus cameris sequitur nobilior camera, in qua ista camera, quæ est extra rubeum, & camera, quæ in rubeo existit, possint habere majorem perfectionem in una Persona simul; & quia majori perfectioni cameræ & camerarum oppositum longiùs à camera & à cameris removetur, idcirco demonstratur *Trinitas*, *Incarnatio*, *Creatio*, *Resurrectio*, *Prædestinatio*, *Liberum Arbitrium*, & reliqua particularia, quæ cum conditionibus cameræ concordant.

Camera 105.

[*Perfectio, Patientia.*]

PErfectio & patientia habent majorem propinquitatem in rebus majoribus & nobilioribus, quàm in minoribus, in quibus à suo opposito non ita removentur, quàm in majoribus; & si perfectio & patientia propinquiores sunt distinctione concordantiæ & æqualitatis suppositorum, & per essentiam unum & idem existunt, majorem habent concordantiam contra suum oppositum, quàm si non essent in suppositis distinctis concordantibus & æqualibus, quæ non essent una essentia; quod si non esset, sequeretur destructio prædictorum principiorum, quorum destructio est impossibilis; quâ impossibilitate *Trinitas* demonstratur.

Patiens & impatiens sunt in operatione contraria; unde, cùm perfectio in opere concordet cum opere patientis, & imperfectio cum opere impatientis, propterea oportet in rubeo quoddam suppositum esse in tam magna perfectione & patientia, quòd imperfectio & impatientia in ipso nec potentiales nec actuales existerent; quod si non esset, patiens perfectus, qui est extra rubeum, non haberet potestatem in rubeo, quâ multiplicaret cameram perfectionis & patientiæ supra potentiam & actualitatem imperfectionis & impatientiæ: præterea influentia cameræ, quæ est extra rubeum, imperfectio patientiæ foret, quod est inconveniens; quo *Incarnatio* & *Creatio* demonstrantur.

Camera 106.

[*Justitia, Largitas.*]

LArgitas & avaritia sunt contrariæ; largitas enim convenit cum majoritate & cum esse, avaritia verò cum minoritate & privatione; unde, si extra rubeum nihil existeret, sequeretur, quòd justitia & largitas non haberent, in quo priùs existerent, quàm injuria & avaritia: cùm autem inconveniens sit, quòd justitia non judicet, se ipsam & largitatem existere priùs, quàm sua opposita, oportet, quòd camera priùs existat, quàm suum contrarium; quia, si non, careret eo, de quo haberet virtutem, quâ concordaret cum esse & majoritate, & quâ judicaret, quòd suum oppositum conveniret cum privatione & minoritate.

Quia camera habet majorem concordantiam in rebus magìs nobilibus, quàm in minùs nobilibus, idcirco oportet, quòd justitia eroget largitati suum jus in tam magna majoritate, quòd extra rubeum existat; quia, si non, tempore foret æqualis avaritiæ, & justitia inferret injuriam largitati, nisi ipsam præponeret extra rubeum avaritiæ: præterea sequeretur, quòd esset convenientia inter justitiam, injuriam & avaritiam, contrarietas verò inter justitiam & largitatem, quod est inconveniens; in quo munere, quo largitas est priùs & extra rubeum, *Trinitas* demonstratur; quæ demonstratio est principium ad demonstrandum *Incarnationem*, *Creationem*, *Resurrectionem*, *Liberum Arbitrium*, *Gloriam* & *Damnationem*.

Camera 107.

[*Justitia, Misericordia.*]

JUstitia & misericordia habent majorem convenientiam in rebus majoribus, quàm minoribus; si autem justitia major est, quàm rubeus, sequitur, quòd in se ipsa melius concordari possit cum misericordia, quàm extra se ipsam; si verò non concordaret cum misericordia in eo, ubi misericordia major existere potest, esset injuriosa misericordiæ, & cum injuria justitiæ oppositâ conveniret, quod est inconveniens; quo demonstratur, Trinitatem extra rubeum esse; & major justitia & misericordia demonstrantur fortiùs in Fide Christianorum, quàm Judæorum, seu Saracenorum; nam plùs potest camera frui suâ virtute in majori usu in peccatoribus Christianis, quàm in Judæis, seu Saracenis; quod est, quia in Christianis cum majoritate convenit hæc camera [M. A. V. Y.] unde sequitur majoritas injuriæ in istis cameris [E. V. Z.] [I. A. V. Y.] in Christianis, quàm in reliquis hominibus.

Camera 108.

[*Justitia, Humilitas.*]

JUstitia & humilitas habent majorem concordantiam in rebus nobilioribus & majoribus, quàm minoribus: propterea sequitur, quòd convenientia earum major est respectu suîmet ipsarum, quàm respectu sui oppositi cum minoritate concordantis; si autem non haberent extra rubeum majorem concordantiam, haberent æqualem convenientiam contra suum oppositum subsistens in rubeo cum concordantia, quæ convenit eis extra rubeum; quod inconveniens cum injuria concordat, quo justitia, injuria & superbia contra humilitatem convenirent: hoc autem est inconveniens, quo *Trinitas*, *Incarnatio* & *Creatio* demonstrantur, elongando justitiam ab injuria & superbiam ab humilitate secundùm proportionem, quam habet humilitas cum justitia, & quam habet injuria cum superbia.

Camera 109.

[*Justitia, Dominium.*]

JUstitia & dominium absentiâ operis in rubeo convenire non possent, nec extra rubeum absentiâ operis & actualis usûs operativi convenire & concordare possent; nam, si sinè opere extra rubeum convenirent, sequeretur, quòd in rubeo concordarent cum majoritate, extra rubeum verò cum minoritate, quod est inconveniens; quo suppositorum distinctorum æqualium opus intrinsecum in A. existere demonstratur, & inde significatur *Trinitas*; quæ significatio & demonstratio est in majori proportione numeri æterni, quàm omnis alia proportio, quæ in alio numero existit. Prædicta demonstratio est principium ad probandum *Incarnationem* & *Liberum Arbitrium*, & ad eligendum salvationem vel damnationem; nam si justitia judicat innocentem dominum totius rubei causâ recreandi quoddam particulare rubei, quantò magìs igitur totus rubeus subjicitur innocenti conjuncto cum domino extra rubeum generato.

Camera 110.

[*Justitia, Patientia.*]

SI justitia judicat in se ipsa generantem justum patientem extra rubeum, & per hanc generationem & per Incarnationem judicat fortiùs rubeum ad cameram, sequitur major concordantia inter justitiam & patientiam extra & intra rubeum, quàm foret, si non esset, prout diximus suprà; quoniam autem obligatur E. ad affirmandum majorem concordantiam cameræ extra rubeum & in rubeo, & I. obligatur ad negandum minorem concordantiam cameræ majoris contradictoriam, propterea tali obligatione *Trinitas* & *Incarnatio* demonstrantur.

Camera III.

[*Largitas, Misericordia.*]

LArgitas & misericordia habent majorem convenientiam in majoritate, quàm in minoritate: propterea C. intelligit, quòd, si largitas & misericordia conveniunt in rubeo, quantò magis convenit, quòd extra rubeum concordent; quia, si non, sequeretur, quòd haberent majorem convenientiam cum minoritate, in qua oppositum cameræ potentialiter existit, quàm in re alia, in qua sit camera absque eo, quòd oppositum ejusdem potentialiter vel actualiter in ipsa consistat, quod est inconveniens, quo probatur, A. esse, in quo camera extra rubeum existit.

Recolente F. decem conditiones *Libri Gentilis & trium Sapientum*, G. intelligit, quòd conditiones hujus cameræ & aliarum camerarum ipsius A. decurrunt per easdem conditiones prædicti libri; & ideo hæc camera & omnes reliquæ jurisdictionem habent supra affirmativam & negativam, ut affirmativa sit affirmans, illud esse in camera & propter cameram, unde sequitur major contrarietas inter cameram & oppositum ejus, & major concordantia inter largitatem & misericordiam; & quòd negativa sit negans omne inconveniens, quod in camera extra rubeum & in rubeo sequitur.

Camera II2.

[*Largitas, Humilitas.*]

IN rubeo largitas & humilitas differentiam habent in concordantia majoritatis & minoritatis; & quia largitas & humilitas propinquiores sunt & magis concordes in æqualitate in se ipsis subjectâ, quàm in majoritate & minoritate extra se ipsas, idcirco oportet, quòd in essentia, in qua sunt extra rubeum, habeant concordantiam distinctam æqualem majorem, quàm concordantiam, quam in rubeo habent; quod si non esset, sequeretur, quòd melius convenirent cum majoritate intra rubeum, quàm extra rubeum; hoc autem est inconveniens, quo habemus demonstrationem pluralitatis distinctæ & æqualis, quæ in A. in camera existit; & per illam demonstrationem habemus principia ad demonstrandum *Incarnationem, Creationem* &c.

Camera II3.

[*Largitas, Dominium.*]

C. Intelligit, quòd largitas majorem concordantiam habeat cum domino, quàm cum subdito; quod est, quia dominus convenit cum majoritate, subditus verò cum minoritate; largitas autem melius concordat in dando majora munera, quàm minora; quod cùm ita sit, per suprà dicta principia demonstratur, quòd si in A. largitas concordat cum rubeo, in quantum A. se dat pro objecto ipsis E. N., quantò magis convenit, quòd A. habeat in se ipso, qui se det pro objecto æquali sibi ipsi; quod si non ita foret, sequeretur, quòd rubeus esset causa, quâ camera foret in A.; & si sic, impossibile foret, quòd A. extra rubeum existeret, quod est inconveniens: quo *Trinitatis, Incarnationis, Creationis* &c. demonstrationem habemus.

Camera II4.

[*Largitas, Patientia.*]

SI largitas extra rubeum generat largum patientem, quem largiatur in rubeo, magis repugnat avaritiæ & impatientiæ, & patientia magis est contraria impatientiæ & avaritiæ, quàm si extra rubeum largitas non generaret largum patientem, nec ipsum in rubeo largiretur, ex quo si sequeretur inconveniens & contrarietas, delerentur ista principia, videlicet, quòd largitas & patientia convenirent, avaritia verò & impatientia; quâ inconvenientiâ perverterentur in contrarietatem, & concordarent largitas, avaritia & impatientia contra patientiam, avaritia verò patientia & impatientia contra largitatem, quod est inconveniens; quo habemus principium ad demonstrandum *Trinitatem, Incarnationem, Creationem* & *Resurrectionem*, secundùm quod trianguli regulantur & ordinantur in camera.

Camera II5.

[*Misericordia, Humilitas.*]

SI misericordia & humilitas in rubeo generarent una aliam, & existerent unum & idem, haberent majorem concordantiam contra suum oppositum, quàm si generaret una aliam absque eo, quòd unum & idem essent, aut si unum & idem essent absque eo, quòd una generaret aliam: cùm autem prædicta concordantia in rubeo non existat, oportet, ipsam extra rubeum esse; quia, si non, sequeretur, quòd in eo, in quo magis contra suum oppositum concordarent, non possent tam fortiter convenire cum esse, ût in eo, in quo sunt minùs concordes; & quia major concordantia convenit cum esse, oportet necessariò, quòd extra rubeum concordent, prout diximus suprà; quia, si non, sequeretur, quòd esse foret subjectum æquali opposito cameræ, & cameræ, quod est inconveniens: quo demonstratur, A. esse, & esse cameram in eodem, & in majori concordantia & remotiori contrarietate *Trinitas, Incarnatio* & *Resurrectio* demonstrantur.

Camera II6.

[*Misericordia, Dominium.*]

IN elementali figura miscentur & concordant tam fortiter in operatione quatuor elementa, quòd generant individua specierum, in quibus miscentur, digeruntur & componuntur concorditer & distinctè, eadémque essent supposita, nisi essent adversa contrarietate; nam, in quantum miscentur, digeruntur & componuntur, resultat quoddam suppositum, & est aliud, quàm sunt quatuor elementa: propterea in illo supposito elementa longinqua sunt ab esse, cui propinqua forent, si eadem elementa essent supposita: & quia istud ita non est in rubeo, convenit, quòd extra rubeum sit res aliqua, in qua sit distinctorum supposítorum concordantia, in qua unum & idem existant, & sint una & eadem essentia, in qua simul sunt, & illa eadem essentia non sit aliud, quàm illa distincta supposita, nec supposita sint aliud, quàm illa sola essentia; quod si non esset, sequeretur, quòd elementa concordantia cum camera haberent æqualem propinquitatem cum esse: hoc autem est inconveniens; quo demonstratur, esse A. & cameram, & *Trinitatem* existere; quia, si non, sequeretur, quòd camera propinquior esset privationi & contrarietati, quàm elementalis figura, quod est inconveniens, & primæ ae secundæ intentioni repugnans.

Camera II7.

[*Misericordia, Patientia.*]

MIsericordia & patientia in rubeo sunt distinctæ; quia, si non, patientia non haberetur in uno subjecto per modum justitiæ in uno tempore, & per modum misericordiæ in alio, quod est inconveniens: quo demonstratur, quòd oportet extra rubeum esse cameram in majori concordantia & distinctione, quàm in rubeo; quia, si non, convenire posset in minori concordantia, in majori verò nequaquam, quod est inconveniens; cùm camera se habeat ad majorem distinctionem & convenientiam in rebus majoribus & magis nobilibus, quàm in minoribus & minùs nobilibus: quia autem hæ conditiones cameræ existunt, ideo A. & camera sunt in C., cui demonstrantur *Trinitas, Incarnatio, Creatio* in majoritate, distinctione, concordantia & æqualitate cameræ extra rubeum & intra rubeum.

Camera II8.

[*Humilitas, Dominium.*]

SI humilitas & dominium non concordarent extra rubeum, non haberent virtutem in rubeo, in qua convenirent melius in majoribus & magis nobilibus in rubeo, quàm in minoribus & minùs nobilibus; cùm in rubeo, in quantum rubeus se habet ad minoritatem & concordantiam, convenire non possent sinè minoritate in subjecto, in quo est potentia ad oppositum cameræ: quia autem camera virtutem habet, quâ conveniat melius cum majori concordantia, quàm cum minori, propterea illa virtus est demonstratio ipsi E., quâ C. intelligit, A. & cameram esse, & in camera distinctionem suppositorum existere, cujus absentiâ impossibilis esset concordantia: cùm autem C. intellexit, F. G. discurrunt per prædictam demonstrationem, in qua demonstrantur *Incarnatio* & *Creatio* secundùm demonstrationem cameræ in majoritate, distinctione & concordantia contra majorem longinquitatem sui oppositi, & majorem propinquitatem humilitatis & dominii.

Camera II9.

[*Humilitas, Patientia.*]

ID, in quo consistunt in rubeo humilitas & patientia in majori concordantia, remotius est ab oppósito cameræ, quàm id, in quo minimè tam magnam convenientiam habent; si autem camera egrederetur de rubeo, & humilitas & patientia cujusdam supposíti, quod esset extra rubeum, in alio

suppositio extra rubeum generarent humilitatem & patientiam, & ambo illa suppositia cum alio suppositio, in quod camera procederet ab illis duobus suppositis, essent una essentia, in qua forent distincta & concordantia in humilitate & patientia extra rubeum, sequeretur inde tam magna longinquitas cameræ ab ejus oppositio, quòd impossibile foret, quòd illa essentia & potentia subjiceretur actui & potentiæ ipsi cameræ repugnanti, & quòd illud oppositum existeret extra rubeum: & quia major longinquitas & contrarietas cameræ & ipsius oppositi meliùs convenit cum esse, quàm minor, quia, si non, sequeretur, quòd oppositum cameræ concordaret cum esse, propterea demonstratur, quòd extra rubeum est concordantia distincta trium prædictorum suppositorum distinctorum & concordantium extra rubeum; quâ majori concordantiâ & majori distinctione in camera demonstrationem *Incarnationis* & *Creationis* habemus.

Camera 120.

[*Dominium*, *Patientia.*]

SI camera non haberet, in quo extra rubeum existeret, non antè subsisteret in duratione, quàm suum oppositum, & in tempore æqualem concordantiam haberent, quod est inconveniens; cùm duratio se habeat ad minorem dignitatem per oppositum cameræ, & ad majorem dignitatem per cameram: & quia trianguli secundùm hanc artem regulantur ad attribuendum omnimodam nobilitatem & perfectionem cameris, quæ concordant cum esse, vilitatem verò earum oppositis, quæ conveniunt cum privatione, propterea demonstratur, cameram extra rubeum esse, & in nobilitate cameræ A. esse, & in eadem *Trinitatem* existere, *Christum incarnatum fuisse, & mundum creatum:* hæc demonstratio est in regula, secundùm quam trianguli subintrant cameram per discursum ipsorum F. G. præbentium Y. ipsi E., Z. verò ipsi H., ut E. inde fortiùs habeat A. pro objecto.

Dei auxilio & ejusdem gratiâ figuram ipsius A. perfecimus, in qua generaliter & specialiter exemplum præbuimus, qualiter particulare in universali debet investigari & discurri, ponendo ipsum T. in cameris ipsius A., prout decet, affirmando conveniens & negando inconveniens, taliter, quòd quælibet camerarum conditionetur ad habendum convenientiam cum majoritate camerarum istarum [E. A. V. Y.] [I. V. Z.] [M. A. V. Y.] contra majoritatem sequentium, [E. V. Z.] [I. A. V. Y.] [M. A. V. Y.] quæ conditiones sunt principia & demonstrationes ad reperiendum particularia operationum ipsius A. & camerarum ejusdem.

De Figura ipsius V.

HÆc figura in *nonaginta cameras & unam* dividitur, quarum unaquæque conditionatur secundùm conditiones *universalis figuræ* & regulam, quâ trianguli ipsius T. in cameras debent immitti, ut demonstrentur & designentur particularia in universalibus per suprà dictas conditiones, concordando particularia, quæ conveniunt cum eisdem conditionibus, neque contra ipsas conditiones existunt, cùm majoritate & concordantia & ipso Y., contrariando autem conditionibus particularia contradictoria particularibus convenientibus cum conditionibus camerarum. Præterea quòd conveniens cum Y., cum Z. verò inconveniens concordet: cùm autem hæc sit ars hujus figuræ, conditionare volumus quamlibet camerarum secundùm præmissum processum.

Camera 1.

[*Fides*, *Spes.*]

PRout M. se habet ad majus Y. amando, ad majus verò Z. odiendo, & D. se habet ad majus Y., H. verò ad majus Z., necesse est, majorem concordantiam & majorem distinctionem in operatione ipsorum M. E. I. consistere; quâ majore concordantiâ & distinctione Fides & Spes in majori convenientia & distinctione existunt, & à suo oppositio in majori contrarietate longiùs removentur. Unde, si particulare in rubeo convenit cum suprà dictis conditionibus, concordat cum Y.: si verò ipsis conditionibus repugnans existeret in Y., ipsius autem oppositum in Z., sequeretur, inter Fidem & Spem esse contrarietatem, & Fidem cum contrario Spei convenire, Spem etiam concordare cum incredulitate, quod est inconveniens; quo conditiones cameræ in rubeo demonstrantur: quo rubeo ostenditur, quòd conditiones in camera sunt magis necessariæ, cùm extra rubeum capit objecta, quàm in rubeo; quâ majori necessitate affirmandum est omne id, propter quod camera per rubeum & extra rubeum meliùs conditionatur;

tur; quod si non esset, in rubeo & in A. esset defectus ad conditionandum cameram in majoritate & concordantia, quod est inconveniens & contra conditiones universalis figuræ.

Camera 2.

[*Fides*, *Charitas.*]

CHaritas & D. habent majorem concordantiam per C., quàm per M.; quia, si non, sequeretur, quòd K. L. majorem convenientiam haberent cum M., quàm B. C. cum D., quod est inconveniens; quo demonstratur, quòd Fides & Charitas habent operationes distinctas & concordantes cum majoritate seu cum minoritate secundùm operationem præmissarum literarum: si verò Fides existeret contra Charitatem cum E. convenientem, E. N. in Y. Z. essent contraria; quâ contrarietate Fides & Spes majorem convenientiam haberent in objectis minoribus & minùs nobilibus, quàm majoribus & magis nobilibus, quod est inconveniens; quia, si esset conveniens, cum majoritate meliùs convenirent capiendo objecta in rubeo, quàm extra rubeum, quod est inconveniens; cùm A. cum majoritate, rubeus verò cum minoritate concordet.

Camera 3.

[*Fides*, *Justitia.*]

HUjus cameræ conditiones sunt, quòd, quantò C. D. ipsi Y. & Justitiæ propinquiora sunt, G. H. autem ipsi Z. & injuriæ, præterea quantò magis M. diligit Justitiam & ipsum Y., odit verò ipsum Z. & injuriam, tantò majorem concordantiam oportet esse inter Fidem & Justitiam, unâ existente in habitu, aliâ verò in actu, vel utrâque simul in habitu: si autem Fides esset contra majorem Justitiam, quæ ipsi E. foret objecta, vel si E. repugnaret majori Justitiæ, quæ esset objecta Fidei, Fides & Justitia essent contrariæ, quod est inconveniens; quo demonstratur concordantia, quam habent in habitu & in actualitate in speciebus ipsius S.; contra quam concordantiam nullum particulare cum Fide & cum Justitia potest convenire: præterea particulare cum camera conveniens cum oppositio cameræ minimè potest concordare.

Camera 4.

[*Fides*, *Prudentia.*]

FIdes & Prudentia habent majorem concordantiam in rubeo in majoribus & magis nobilibus rebus, quàm in minoribus & minùs nobilibus; quod si non, meliùs convenirent capiendo objecta in rubeo, quàm in A., quod est inconveniens; quo cameræ conditiones probamus per hanc metaphoram. [M. A. V. Y.] [E. A. V. Y.] [I. V. Z.] in camera concordant; quod si non, M. E. I. in A. V. Y. Z. essent contraria, quod est inconveniens; quo demonstratur, quòd, quantò majorem convenientiam habent M. E. I. in objectis magis nobilibus, tantò majori habitu, actu & potentiâ possunt extollere Fidem & Prudentiam ad concordantiam & majoritatem, & longiùs possunt eas à suo oppositio removere: quod cùm ita sit, conditiones hujus cameræ existunt, quòd multiplicando Prudentiam remanet Fides in habitu, & quòd potentiam habeat ad exaltandum E., in quo Prudentia confortetur; cujus si foret contrarium, omnia suprà dicta principia delerentur, quod est inconveniens; *quo demonstratur, quòd, licèt Articuli Catholicæ Fidei demonstrentur, inde tamen non sequatur, Fidem deleri, nec esse contrarietatem inter Fidem & Prudentiam.*

Camera 5.

[*Fides*, *Fortitudo.*]

QUando M. ad A. V. ascendit amando, & ad Z. descendit odiendo, tantò fortius est, & cum E. I. majorem concordantiam habet, quantò magis E. extollit B. C. D. ad A. V. Y., & I. deprimit F. G. H. ad V. Z.; quo ascensu ipsorum E. I. habent majorem Fortitudinem contra V. Z. & ad possidendum pro objecto A. V. Y.; quia verò major concordantia Fidei & Prudentiæ est in majori Fortitudine ipsorum M. E. I., propterea secundùm majorem concordantiam ipsarum magis à suo oppositio camera removetur, & magis Fortitudini sunt propinqua: præterea major est distinctio operis in concordantia, quæ in M. E. I. existit. Cùm autem istæ sint conditiones hujus cameræ, propterea secundùm istas conditiones potest artista habere notitiam particularis, quod petit, cujus oppositum conditionibus & principiis suprà dictis repugnat.

Camera. 6.

[*Fides, Temperantia.*]

REcolit F., quòd M. E. I. habent majorem concordantiam, ubi in rubeo magis distincta sunt & concordantia in operationibus, quàm in minori distinctione & concordantia; cujus si foret contrarium, sequeretur, quòd Fides & Temperantia in majoritate nobilitatis sibi repugnarent, quod est inconveniens; quia, si conveniens esset, sequeretur, quòd majus M. habens fortiùs A., quàm minus M., magis cum E. & Temperantia minoribus & cum I. & intemperantia majoribus conveniret, quod est impossibile; in qua impossibilitate conditionatur camera in majori distinctione & concordantia ipsorum M. E. I. habentium majorem contrarietatem cum opposito cameræ.

Camera 7.

[*Fides, Gula.*]

FIdes & Gula majorem contrarietatem habent in majoribus & magis nobilibus objectis, quàm in minoribus & minùs nobilibus; nam M. magis contrariatur Gulæ, quò sublimius est in contemplando A. Y., & quantò E. magis B. C. D. ad Temperantiam habet, tantò fortiùs movet H. contra Gulam: & ideo majori distinctione & concordantiâ ipsorum M. E. I. potest major contrarietas in rubeo inter Fidem & Gulam existere: igitur, cùm hoc ita sit, in majori longinquitate Fidei & Gulæ major est contrarietas; in majori autem contrarietate major est propinquitas Gulæ & Incredulitatis: similiter est major propinquitas Fidei & Temperantiæ; & ideo in præmissa majori distinctione, concordantiâ & contrarietate hæc camera conditionatur ad investigandum particularia, quæ cum camera conveniunt, vel ei repugnant.

Camera 8.

[*Fides, Luxuria.*]

FIdes concordat cum E. habente Spem & Justitiam pro objecto, & præbente ipsi I. Luxuriam, Incredulitatem, Desperationem & Injuriam pro objecto; unde, quantò altius est opus ipsius M. in amando A. V. Y. & odiendo V. Z., tantò majorem concordantiam & differentiam operis habet cum E. habente V. Y. pro objecto, & cum I. habente V. Z. pro objecto. Igitur, cùm hoc ita sit, necessarium est, quòd M. majorem concordantiam habeat cum E. I., quantò magis E. habet pro objecto A., & I. fortiùs ipsi E. servit: & propterea hujus cameræ conditiones sunt in majori differentiâ ipsorum M. E. I. & in majori concordantiâ contra majorem contrarietatem ipsorum M. E. & contra majorem propinquitatem Fidei & Luxuriæ.

Camera 9.

[*Fides, Avaritia.*]

AVaritia & Fides inter se differunt & contrariantur, quia Fides & Largitas inter se differunt & concordant: quamobrem hujus cameræ conditiones sunt, quòd M. habeat in A. Fidem & Spem, & quod E. Largitatem contra Avaritiam, Desperationem & Injuriam habeat pro objecto: quod cùm ita sit, quantò E. magis ascendit ad A., & I. descendit ad Luxuriam, tantò fortiùs convenit cum M., quod amat A. V. Y., & odit V. Z. Unde, si particulare cum præmissis principiis concordat, necessarium est, quòd ipsius oppositum sit eisdem contrarium, & conveniat cum Z.

Camera 10.

[*Fides, Acedia.*]

QUantò M. magis ascendit ad amandum & contemplandum sublimem bonitatem, Charitatem & Justitiam ipsius A., tantò magis repugnat ipsi E. habenti B. C. D. ad Acediam; & ideo sequitur, quòd, quantò magis M. subjicitur Fidei, tantò major est concordantia & differentia inter M. & E., ubi E. altiùs accipit ipsum A. pro objecto; quâ majori differentiâ & concordantiâ ipsorum M. E. differentia & concordantia inter M. I. majores existunt, cùm I. contra Acediam fortiùs movetur; quod si non esset, sequeretur convenientia inter Fidem & Acediam contra Fidem & contrarium Acediæ, quod est inconveniens, & quæsiti particularis demonstratio.

Camera 11.

[*Fides, Superbia.*]

QUantò magis M. E. amant & contemplantur Humilitatem existentem in A., quam pro objecto habent, tantò meliùs conveniunt cum I., quod in rubeo Superbiam pro objecto habet: si autem M. E. in majoritate Humilitatis contra minoritatem nequaquam tam fortiter convenirent, sequeretur, quòd E. M. haberent majorem concordantiam cum I., quantò minùs H. Superbiam odiret, & quantò minùs M. odium haberet ad Superbiam, quod est inconveniens & contra præmissa principia, quibus camera conditiones recipit.

Camera 12.

[*Fides, Invidia.*]

QUantò Fides credit in A. majus & nobilius opus Largitatis, bonitatis, sapientiæ, amoris, justitiæ, misericordiæ, perfectionis ac etiam potestatis, tantò magis contrariatur ipsi E., quod habet B. C. D. in Invidia, & ipsi I., quod habet F. G. H. in contrario Invidiæ: quapropter hæc camera conditionatur in majori concordantia & differentia ipsorum M. E. I. contra Fidei & Invidiæ majorem contrarietatem & differentiam, ut inquiratur major contrarietas & differentia unius oppositi contra aliud, unum affirmando, aliud verò negando, prout convenit suprà dictis principiis.

Camera 13.

[*Fides, Ira.*]

QUantò magis credit M., quòd in A. major Patientia existat, tantò magis contrariatur ipsi I., quod est contra Patientiam, & est cum Ira concordans, & magis repugnat ipsi E., quod Impatientiam pro objecto habet: cujus si foret contrarium, sequeretur, quòd Fides & Ira possent contra Patientiam convenire, quæ cum Incredulitate & cum Z. haberet concordantiam; hoc autem est inconveniens, quo conditiones cameræ formantur; quibus ût etiam conditionibus reliquarum camerarum significavimus metaphoricè rubeum Fidei.

Camera 14.

[*Spes, Charitas.*]

SPes & M., quæ habent A. diligendo, conveniunt, similiter E. & Charitas; unde, cùm M. Spem habet, quòd E. in A. nobiliorem operationem intelligat, magis exaltatur idem E. ad habendam pro objecto Charitatem; præterea magis habituat I. in contrarium cameræ: quò magis verò E. habet A. & cameras ejus pro objecto, eò fortiùs concordantia ipsorum M. E. I. multiplicatur in camera; cujus si foret contrarium, sequeretur contrarietas inter Charitatem & Spem, quod est inconveniens & contra suprà dicta principia, supra quæ conditiones istius cameræ fundantur.

Camera 15.

[*Spes, Justitia.*]

PRout in livido & rubeo per croceum majora seu minora vel æqualia sunt objecta, Spes & Justitia habent majorem concordantiam in majoritate, quàm in minoritate; quod est, quia M. in A. V. Y. diligendo, & E. in A. V. Y., & I. in V. Z. differunt & concordant absentiâ contrarietatis in camera: si autem Justitia major esset in M. E. I. minoribus Justitiâ, sequeretur, quòd major concordantia & nobilitas Spei & Justitiæ perverterentur in contrarietatem, quâ Spes & Justitia essent contrariæ, quod est inconveniens & contra suprà dicta principia.

Camera 16.

[*Spes, Prudentia.*]

QUò magis M. sperat in A., eò fortius est contra contrarium Spei, & meliùs concordat cum E. habente Spem in A. per Justitiam & misericordiam, & movet I. in contrarium cameræ: unde, si Prudentia & Spes magis convenirent in minoritate, quàm in majoritate, E. I. M. essent fortiora in minori concordantia, quàm majori, quod est inconveniens & contradictio: propterea oportet necessariò, quòd, quantò majorem operationem & dignitatem habent M. E. I. inter objectum & potentiam, majorem habeant Fortitudinem in majori concordantiâ & in objectis magis nobilibus. Igitur, cùm hoc ita sit, hæc camera conditiones recipit in majori distinctione & concordantiâ, quæ objiciuntur medio potentiæ & objecti.

Camera 17.

[*Spes, Fortitudo.*]

GIntelligit, quòd in majori operatione, quam habet M. diligens magis magnam operationem in A., & in majori intellectu, quem habet E. habens majora & nobiliora objecta in operatione ipsius A., præterea in majori operatione, quam habet I. contra oppositum cameræ, major Fortitudo in Spe & major Spes in Fortitudine consistit; cujus si foret contrarium, sequeretur, quòd M. E. I. haberent majorem concordantiam in objectis in rubeo existentibus, quàm extra rubeum existentibus: præterea camerâ major esset per creaturam, quàm per A., & eadem camera major esset per minorem concordantiam & distinctionem, quàm per majorem, quod est contra regulam hujus

artis

artis & conditiones omnium aliarum camerarum.

Camera 18.
[*Spes, Temperantia.*]

SI M. majorem Spem habet in operatione ipsius A. objecti ipsi E., quàm in operatione elementalis figuræ, sequitur, quòd M. E. inde majorem concordantiam habent in camerâ; quâ majori concordantiâ Spes & Temperantia contra sua opposita majorem contrarietatem habent, & illæ sibi magis ad invicem appropinquant in concordantiâ, & magis elongantur in contrarietate ipsorum E. M. Igitur, cùm hoc ita sit, secundùm suprà dicta principia camera conditionatur ad habendum concordantiam vel contrarietatem cum particulari, quod quæritur.

Camera 19.
[*Spes, Gula.*]

HUjus cameræ conditiones sunt, quòd inter Spem & Gulam concordantia non existat, & quòd majores & magis necessariæ conditiones sint in majori contrarietate, quæ inter Spem & Gulam existit, ut major concordantia ipsorum E. M. in camera sequatur, ipsius autem I. & Gulæ major contrarietas; quod si non esset, & cameræ conditiones majores & magis necessariæ existerent in minori contrarietate Spei & Gulæ, sequeretur, quòd conveniens esset, Spem & Gulam contra sua opposita convenire, quod est inconveniens & contra principia ipsius S. & objectorum, quæ accipit secundùm ordinationem hujus artis.

Camera 20.
[*Spes, Luxuria.*]

SPes & Luxuria sunt magis contrariæ, quantò magis E. habet pro objecto Castitatem, I. autem Luxuriam, M. verò diligit Spem. Quod cùm ita sit, oportet necessariò, quòd, quò magis E. suas operationes multiplicat in differentiâ & concordantiâ in A. & ejus cameris, eò magis sit I. contrarium Luxuriæ, M. verò eò magis cum Spe concordet; quod si non esset, sequeretur, quòd major contrarietas esset inter Spem & Luxuriam in minoritate & in inferioribus objectis, quàm in majoritate & in superioribus objectis, quod est impossibile; quâ impossibilitate ostenduntur conditiones cameræ, quibus particularia demonstrantur.

Camera 21.
[*Spes, Avaritia.*]

UT hæc camera conditionetur, oportet affirmare, quòd, quò magis A. est objectum ipsis M. E., eò magis Spes est contraria Avaritiæ; cujus si esset contrarium, sequeretur, quòd, quò magis E. removeretur ab A., & H. ab Avaritiâ, eò major contrarietas esset inter Spem & Avaritiam, quod est inconveniens: quo demonstratur, quòd M. per Fidem, E. verò per Prudentiam magis roborant Spem contra Avaritiam in majori operatione, quàm in minori; præterea quòd A. fortiùs concordet cum majori operatione Spei ob majorem operationem Avaritiæ, ut ipsæ operationes magis elongentur à se ipsis, & invicem repugnent.

Camera 22.
[*Spes, Acedia.*]

SI A. nihil esset, nec Trinitas esset, & si Incarnatio non esset, nec Creatio, nec Liberum Arbitrium, sequeretur minor contrarietas inter Spem & Acediam; quâ minori contrarietate Spes & Justitia haberent minorem concordantiam, & Acedia, Injuria & Desperatio inde haberent majorem convenientiam; & quia minor concordantia convenit vitiis, major verò virtutibus, propterea demonstrantur existere suprà dicta principia, quibus conditionavimus istam cameram in majori concordantia virtutum & minori vitiorum.

Camera 23.
[*Spes, Superbia.*]

SUperbia Spem inclinat ad privationem, & Humilitas ipsam elongat à privatione, inclinans Desperationem ad privationem: præterea quò majorem Humilitatem E. contemplatur in A., eò magis multiplicat Spem in se ipso & in M., & magis movet I. ad Superbiam & ad Desperationem: & ideo affirmari oportet majorem Humilitatem in A. & in creaturâ contra Desperationem & Superbiam; & si major Humilitas negaretur, magis deberet amari minor Humilitas & Spes, quàm major, & minùs deberet odiri major Superbia & Desperatio, quàm minor, quod est inconveniens: quo conditiones hujus cameræ formantur ad demonstrandum *Trinitatem*, *Incarnationem*, *Creationem* aliáque particularia, quæ possunt secundùm conditiones cameræ demonstrari.

Camera 24.
[*Spes, Invidia.*]

INvidia, Avaritia, Luxuria & Injuria concordant & differunt, ut magis suis contrariis adversentur, quibus sinè differentiâ ipsa vitia tam contraria non essent: ideo E. intelligit in A. diversa concordantia suppositа, per quæ Spes meliùs possit cum Charitate, Largitate & Justitia concordare; quod si non esset, sequeretur, quòd Spes meliùs convenire posset in rubeo per diversa concordantia objecta, quàm extra rubeum, quod est inconveniens; quo metaphoricè demonstratur præmissum nobile particulare in sua demonstratione conditionans cameram ad demonstrandum *Incarnationem*, *Creationem* & alia particularia.

Camera 25.
[*Spes, Ira.*]

SI Spes haberet cum Ira concordantiam, repugnaret Patientiæ, quæ cum Desperatione conveniret; hoc autem est contra artem, secundùm quam trianguli cameram ingrediuntur: unde, si E. intelligit majorem Patientiam in rubeo & extra rubeum, oportet, quòd D. inde Spem magis amet, & H. Iram fortiùs odiat, & quòd M. cum Spe meliùs conveniat; cujus si foret contrarium, sequeretur Spei & Iræ concordantia, quod est inconveniens: quo *Incarnatio* & *Originale Peccatum* probantur; camera verò conditionatur in ipsorum probabilitate.

Camera 26.
[*Charitas, Justitia.*]

SI D. H. non essent in S., impossibile foret, quòd Justitia & Charitas in rubeo haberent, in quo convenirent; & ideo G. intelligit, quòd in differentiâ ipsorum D. H. & in unitate eorundem D. H. Charitas & Justitia concordant, cùm E. in V. Y. existit, I. autem in V. Z.; igitur, cùm hoc ita sit, oportet, quòd Justitia & Charitas habeant in A., in quo concordari, distingui & unum idémque esse possint; cùm conveniant in A. cum majoritate, in creaturâ verò cum minoritate. Quapropter conditionatur camera, quòd affirmetur omne illud, quo meliùs possit cum A. & ejus cameris convenire, ut ipsa sit in majori contrarietate contra suum oppositum in rubeo; præterea ut E. I. M. sint in majori concordantia in A. & in rubeo per magis distinctum & concordans opus in ipsis E. I. M.

Camera 27.
[*Charitas, Prudentia.*]

M. D. se habent in rubeo ad Charitatem, G. C. autem ad Prudentiam; per concordantiam verò ipsorum [M. D. G.] [D. G. C.] Charitas & Prudentia conveniunt, cùm accipiunt pro objecto A. V. Y., & cùm ipsum H. ad oppositum cameræ movent: omne autem illud, quo differentia & concordantia multiplicantur in camerâ, concordat cum camerâ & ejus conditionibus; contrarium verò ipsius multiplicationis est contra suprà dicta principia & contra conditiones cameræ.

Camera 28.
[*Charitas, Fortitudo.*]

QUò magis C. ascendit ad intelligendum in A. V. Y., eò magis descendit H. ad oppositum cameræ; & quò magis C. intelligit, oportet, quòd intelligat per differentiam objectorum concordantium & distinctorum: & ideo E. I. habent majorem Fortitudinem in camerâ, & H. in contrario ejusdem cameræ; & M. per habitum Fidei inde fortius est contra Z., & fortius existit in Y. Igitur, cùm hoc ita sit, conditiones cameræ jacent & regulantur secundùm principia suprà dicta, secundùm quæ habetur demonstratio particularium, quæ per cameram demonstrari possunt.

Camera 29.
[*Charitas, Temperantia.*]

E. Extollens ipsa B. C. D. ad A. V. Y. in se ipso multiplicat Charitatem, H. autem descendente ad Gulam, in E. Temperantia multiplicatur: si verò in E. propter tale opus distinctum & concordans est multiplicatio distinctionis & concordantiæ, oportet, quòd in A. intelligente & amante se ipsum sit operatio, quæ sit distincta & æqualis ipsi essentiæ; quod si non esset, sequeretur, quòd in camerâ E. I. haberent majorem concordantiam, quàm A. in se ipso intelligens & amans suam essentiam, quod est inconveniens; secundùm quod camera conditionatur ad demonstrandum præmissum particulare, & significatur ars, quâ artista cameram conditionare potest secundùm particularia, quæ invenire vel per cameram demonstrare desiderat.

Camera 30.

[*Charitas, Gula.*]

CHaritas concordat cum hâc camerâ [E. A.] Gula verò cum istâ [H. A.] & omne illud, per quod una camera removetur ab aliâ, & per quod camera prima major existit, secunda verò minor, est de conditionibus cameræ, ad demonstrandum particulare, quod investigatur per cameram. Igitur, cùm hoc ita sit, affirmare oportet majorem vel minorem distinctionem & concordantiam, vel distinctionem & contrarietatem ipsorum E. H. in rubeo, quibus affirmanda est in A. distinctio & concordantia absentiâ minoris.

Camera 31.

[*Charitas, Luxuria.*]

CHaritas & Castitas conveniunt in distinctâ concordantiâ ipsorum D. H., habente D. pro objecto Charitatem, & habente H. pro objecto Luxuriam: unde omne illud, per quod D. magis removetur à Luxuria, & H. à Charitate, est de conditionibus cameræ; quo significatur, quòd id, in quo E. ipsa B. C. D. ad A. & ad Charitatem magis elevat, & in quo H. magis descendit ad Luxuriam, affirmandum est secundùm conditiones cameræ; ipsius autem oppositum negandum; nam, si affirmaretur, conditionaretur camera, quòd convenientia esset inter Charitatem & Luxuriam, quod est inconveniens.

Camera 32.

[*Charitas, Avaritia.*]

D. Convenit cum Charitate, H. verò cum Avaritia: ideo inter D. H. concordantia distinguitur; unde, in quantum se habet D. ad Charitatem, H. autem ad Avaritiam, in tantum D. ipsum H. à Charitate removet, H. autem ipsum D. ab Avaritia: quapropter multiplicando distinctionem multiplicatur concordantia; si autem tantum multiplicari possent distinctio & concordantia operis ipsorum D. H. in camerâ, quòd egrederentur extra rubeum, sequeretur, quòd D. H. essent A. & ejus cameræ; quâ consequentiâ conditionatur camera ad alia particularia demonstranda, prout conditionatur & demonstratur metaphoricè præmissum nobile particulare.

Camera 33.

[*Charitas, Acedia.*]

IN contrarietate Charitatis & Acediæ se habet D. commune & speciale, & H. etiam cum eisdem se habet; & ideo differentia & contrarietas inter Charitatem & Acediam existit, prout D. H. suas operationes multiplicant: unde, si D. H. extra rubeum multiplicare possent suum opus ex contrariis & diversis compositum, D. & Charitas essent unus Deus, H. autem & Acedia alius, & unus haberet concordantiam cum esse, & alter cum privatione; ad esse autem & potestatem æqualiter se haberent. Unde, si per opus diversum & contrarium sequitur extra rubeum, quod superiùs dictum est, quantò magis convenit, quòd in A. extra rubeum sit opus distinctum & concordans, in quo sit concordantia & unitas absentiâ contrarietatis. Cùm igitur hoc sit demonstratum suprà dictis principiis, secundùm quod præbuimus doctrinam ad demonstrandum *Trinitatem*, potest artista dare demonstrationes aliorum particularium, si cameram cum C. sciat conditionare, affirmans id, quo Charitas & Acedia sint magis contrariæ; contra quam affirmationem existit, cùm negat *Incarnationem, Resurrectionem & principium mundi*, sinè quo non posset habere perfectionem convenientem cum Largitate, quæ contrariatur Avaritiæ concordanti cum Acedia.

Camera 34.

[*Charitas, Superbia.*]

QUò majorem Humilitatem C. intelligit in A., eò majorem occasionem habet H. per D. ad fortiùs odiendum Superbiam: cùm autem M. odit Incarnationem, tunc repugnat præmissis principiis & Charitati; quâ charitate D. habet majorem concordantiam, quòd magis moveat H. ad Superbiam. Igitur, cùm hoc ita sit, hujus cameræ conditiones sunt illud, quo Charitas & Superbia in distinctione & contrarietate magis à se invicem elongantur: quapropter talibus conditionibus demonstratur, quòd in A. oportet existere omne illud, quo Charitas magis removeatur à Superbia, & Humilitas sit magis distincta & Charitati propinquior; quod si non esset, non esset virtus, quâ camera conditionaretur, prout convenit, & secundùm quod ex ipsis conditionibus experimentum habemus.

Camera

Camera 35.

[*Charitas, Invidia.*]

CHaritas & Largitas concordant, Invidia verò & Avaritia: quapropter conditiones cameræ existunt, quòd omne illud affirmetur, quo Charitas & Invidia mediante Avaritiâ & Largitate sibi contrariantur. Igitur, cùm hoc ita sit, secundùm præmissas conditiones sequitur, quòd camera conditionetur in omni eo, in quo Charitas & Avaritia meliùs sibi ipsis possunt repugnare, & etiam Largitas & Invidia, ut sint demonstratio *Trinitatis & Incarnationis*, quæ cum conditionibus cameræ concordat.

Camera 36.

[*Charitas, Ira.*]

QUò majorem concordantiam habet Patientia cum majoritate, eò remotior est Ira à Charitate; quod si non esset, sequeretur, quòd Charitas & Patientia minimè convenirent, nec etiam Ira & Impatientia, quod est inconveniens; quo conditionatur camera ad affirmandum omne illud, quo Charitas & Ira habent majorem differentiam, longinquitatem & contrarietatem; & minor differentia & contrarietas non negetur, si inde non sequatur inconveniens majoris differentiæ & contrarietatis; quo inconvenienti sequeretur convenientia Charitatis & Iræ contra Charitatem & Patientiam; præterea quòd Ira & Impatientia inde contrarietatem habeant: unde, si negatur *Incarnatio*, conditionibus cameræ repugnatur.

Camera 37.

[*Justitia, Prudentia.*]

JUstitia & Prudentia meliùs se habent in concordantiâ ipsorum E. I., quàm ipsorum E. N., sive ipsorum I. N.; quod est, quia K. L. cum minoritate, B. C. verò cum majoritate conveniunt: propterea in subjecto cameræ oppositum ipsius cameræ fortiùs est in potentiâ in majoritate in E. I., quàm in E. N., & in I. N., quàm in N. R.; quod si non foret, culpa & pœna convenirent meliùs in majoritate per K. L., quàm per B. C., seu F. G., quod est inconveniens; quo inconvenienti demonstratur, quòd camera magis removetur à suo opposito in majoritate, quàm in minoritate: quapropter affirmandum est illud, per quod camera à suo opposito magis est remota; quia, si negaretur, significaretur, quòd Justitia & Prudentia ad invicem repugnarent, quod est impossibile.

Camera 38.

[*Justitia, Fortitudo.*]

ILlud, per quod Justitia habet majorem Fortitudinem in E. I. N., est propter majorem differentiam & concordantiam, quæ existit in individuis ipsorum E. I. N.; illud autem, per quod Justitia minorem Fortitudinem habet in R., est propter confusam distinctionem & concordantiam ipsorum E. I. N.; quod cùm ita sit, oportet, quòd Justitia majorem Fortitudinem habeat in majoritate ipsorum E. I. N., quàm in minoritate: & quoniam E. I. N. nobiliora & majora existunt per objecta majora, oportet, quòd, quò magis distinctè E. N. contemplantur A. & cameras ejus, & H. est contra oppositum cameræ, eò fortiùs existat majoritas in E. I. N.; quæ majoritas tam magna non foret, si E. N. in A. non contemplarentur distinctam concordantiam, nec H. in opposito cameræ distinctam contrarietatem odiret: præterea camera non tam bene conditionaretur ad demonstrandum *Trinitatem, Incarnationem & Resurrectionem*, nec possent alia particularia convenientia per cameram demonstrari.

Camera 39.

[*Justitia, Temperantia.*]

TEmperantia est in medio rubei, ipsius autem oppositum ejusdem medii, in quo est Temperantia, extremis contrariatur; quod si non foret, sequeretur, quòd principium & finis Intemperantiæ essent in Temperantiâ, quæ foret causa, quòd Temperantia Justitiæ repugnaret, quod est inconveniens; quo demonstratur, quòd principium & finis Temperantiæ cum Justitiâ concordant, principium autem & finis Intemperantiæ cum Injuriâ. Quod cùm ita sit, secundùm præmissa principia demonstratur, quòd Justitia & Temperantia existant in majori distinctione & concordantiâ in rubeo subjecto cameræ ac ejusdem oppositi, & in majori distinctione & contrarietate contra suum oppositum: quapropter per præmissa principia, quæ sunt conditiones hujus cameræ, *Trinitas* & *Incarnatio* revelantur.

Camera 40.

[*Justitia, Gula.*]

QUò majus est E. in A., & I. in Gulâ, eò magìs Justitia & Temperantia contrariantur contra Gulam & Injuriam: unde, si illud, per quod E. est majus in Justitiâ, & I. in Gulâ, esset in Z., ipsa majoritas esset in principio & in medio rubei, nec esset perfectio, quâ veniret ad finem; quia autem hoc est inconveniens & contra perfectionem ipsius A., oportet, quòd Justitia ipsius A. in rubeo & in se ipsâ ipsi E. largiatur objecta, quibus majoritas, quâ Justitia & Gula magis elongari possint, existat in Y.; quod si non, A. foret injustum ipsi Y. & majoritati ipsorum E. I., & cum minoritate Justitiæ conveniret & cum majoritate Gulæ, quod est impossibile.

Camera 41.

[*Justitia, Luxuria.*]

CUm E. accipit pro objecto Justitiam, & I. Luxuriam, tunc est concordantia distinctorum individuorum in E. & in I.; cùm autem E. accipit pro objecto Luxuriam, I. verò Justitiam, tunc contrarietas est in distinctione ipsorum B. C. D. & ipsorum F. G. H.; cùm enim E. I. fortiùs accipiunt prædicta objecta, majorem distinctionem habent in operatione suorum individuorum; & ideo major inde concordantia seu major contrarietas implicari & multiplicari potest: unde, si S. subjectum est majori concordantiæ propter majorem distinctionem potentiarum, & idem S. existit subjectum contrarietati Justitiæ & concordantiæ Luxuriæ, quantò magis absentiâ omnis contrarietatis convenit, quòd in A. sit concordantia distinctorum suppositorum; quod si non esset, Justitia ipsius A. non haberet in se, cum quo se diversificaret & pugnaret tam fortiter contra Injuriam & Luxuriam, velut E. I., quod est inconveniens; quo *Trinitas* & *Incarnatio* præmissis principiis demonstrantur.

Camera 42.

[*Justitia, Avaritia.*]

SI Avaritia extra rubeum generaret Avaritiam, & ab ambabus alia Avaritia extra rubeum procederet, impossibile foret, quòd essentia unita ex istis tribus Avaritiis per Justitiam puniretur; & quia Justitia cum majoritate, Avaritia verò cum minoritate convenit, oportet necessariò, quòd illud opus existat extra rubeum, sinè quo per Justitiam Avaritia puniri non posset, si præmissam generationem & processionem haberet; quod si non esset, sequeretur, quòd id esset magìs impossibile, per quod Justitia & Avaritia possunt majorem longinquitatem habere, quàm id, per quod vellent esse magis propinquæ, quod est inconveniens; quo secundùm conditiones cameræ in A. *Generatio, Processio* & *Incarnatio* demonstrantur.

Camera 43.

[*Justitia, Acedia.*]

SI [B. C. D.] [F. G. H.] se ad majoritatem haberent absentiâ operationis, nec Acedia peccatum, nec Justitia virtus existeret: si autem Justitia foret major virtus in minori opere ipsorum E. I. M., quàm in majori, esset minor culpa in Acediâ majori, quàm in minori: præterea Justitia major esset in creaturâ, quàm in A., quod est inconveniens; quo demonstratur, quòd Justitia ipsius A. debet habere in se ipsâ opus intrinsecum extra rubeum in suppositis justis concordantibus & distinctis, à quibus magìs removeatur Acedia, quàm in rubeo. Igitur, cùm hoc ita sit, per præmissa principia habet artista demonstrationem *Trinitatis, Incarnationis, Creationis, Resurrectionis* & *Liberi Arbitrii.*

Camera 44.

[*Justitia, Superbia.*]

CUm D. Justitiam accipit, & H. Superbiam, necesse est, quòd Justitia & Humilitas differant uno tempore in D. H. per habitum & per actum, & quòd habitus & actualitas concordantiam habeant in differentiâ ipsorum D. H.: majorem autem differentiam & concordantiam haberent, si Superbia non existeret potentialiter in D., neque Justitia in H. Igitur, cùm ita sit, secundùm præmissa principia demonstratur, quòd major convenientia foret inter D. H., si uno tempore D. haberet in actu Justitiam, & H. Superbiam; cùm actus sit magis remotus à potentiâ propinquâ privationi, quàm habitus; & ideo demonstratur, in A. in unâ eâdémque actualitate opera distincta esse sinè habitu & potentiâ, & demonstratur *Incarnatio* secundùm suprà dicta principia.

Camera

Camera 45.

[*Justitia, Invidia.*]

SI Justitia non haberet, in quo puniret, nec Misericordia, in quo parceret, neque Largitas, in quo donaret, Invidia nequaquam haberet, in quo peccatum esset; si autem Invidia subjectum haberet, in quo esset peccatum, & hoc ideo, quia Justitia punire potest, Misericordia misereri, Largitas largiri, essent Justitia, Misericordia & Largitas principium Invidiæ cum Injuriâ, Crudelitate & Avaritiâ concordanti; hoc autem est impossibile, scilicet, unum contrarium alteri contrario principium esse; quia, si sic, esset impossibile, quòd triangulus rubeus, seu croceus, lividus, sive niger distinctus esset, quod est impossibile: quâ impossibilitate demonstratur, quòd necesse est, in A. esse distincta justa suppositа tantum concordantiæ habentia in suâ distinctione, quòd inde convenientia seu confusio inter Justitiam & Invidiam non sequatur; & quòd illa distincta suppositа sint æqualia in dignitate per omnes cameras ipsius A., ut inde magìs ab Invidiâ removeantur; præterea, quòd existat *Incarnatio*, ut in rubeo Invidia magìs à Justitia elongetur.

Camera 46.

[*Justitia, Ira.*]

JUstitia se fortiùs habet contra Iram in E. I., quàm in I. N., & in I. N., quàm in N. R., quod est, quia Ira magis multiplicari potest per E., quàm per I. N. R., & per I., quàm per N. R., & per N., quàm per R.: igitur, cùm hoc ita sit, demonstratur, quòd Justitia possit esse major in E., quàm in I., & in I., quàm in N., & in N., quàm in R. Unde, si Justitia posset esse major in E. sinè H., quàm cum H., sequeretur, quòd H. conveniret cum Ira, cùm ipsam pro objecto habet, quod est impossibile; quia, si foret possibile, sequeretur, quòd H. non esset contra Justitiam, cùm eam accipit pro objecto; & si non, foret impossibile, quòd E. posset accipere Justitiam pro objecto, quod est impossibile: quâ impossibilitate demonstratur, quòd, si in rubeo Justitia concordat cum majoritate in differentiâ & concordantiâ ipsorum E. H., oportet, quòd extra rubeum Justitia concordet cum majoritate & æqualitate in distinctione suppositorum æqualium in Justitia, & insuper Iræ repugnet; quia, si non, Justitia melius conveniret contra Iram per E. H. in rubeo, quàm extra rubeum, quod est impossibile.

Camera 47.

[*Prudentia, Fortitudo.*]

QUò magìs E. in A. multiplicat operationes ipsorum B. C. D., eò fortiùs stat contra K. L., & roboratur H. contra V. Z.; si autem in A. distincta suppositа non sunt, E. non potest in ipso tantum multiplicare suum recolere, intelligere & velle, ût facit, si in A. est distincta operatio extra rubeum, & si in rubeo carnem assumpsit: E. enim simile est in potentiâ igni habenti potentiam multiplicandi suam operationem super materiam lignorum, eò quòd magìs ardere possit, quàm ligna, quæ comburit, ipsius actioni subjici; si autem E. in tali conditione foret, velut ignis, cùm habet A. pro objecto, ipsum E. fortius esset in virtute ipsorum B. C. D., quàm A. in potestate ad esse objectum ipsi E., quod est inconveniens; cùm A. & majoritas conveniant, E. verò & minoritas.

Camera 48.

[*Prudentia, Temperantia.*]

HÆc camera conditionatur in majori concordantia ipsorum E. I. contra oppositum hujus cameræ; quæ major concordantia capit principium, medium & finem in objectis magis nobilibus ipsius E., & in ipsius E. majoritate in A. V. Y., & ipsius H. in V. Z. Igitur, cùm hoc ita sit, oportet, quòd A. V. Y. tantum nobilitatis habeant, ut possint sufficere ad esse objecta valde magno E., & quòd V. Z. in tam magnâ vilitate consistant, quòd in eis plurimùm multiplicari possit I. in operatione ipsorum F. G. H., cujus si foret contrarium, A. V. Y. cum minoritate convenirent, & V. Z. cum majoritate, quod est inconveniens, quo habemus demonstrationem *Trinitatis* & *Incarnationis.*

Camera 49.

[*Prudentia, Gula.*]

IN Prudentia C. imaginativam transcendit, cùm C. se habeat ad objecta intellectualia essentialiter, ad sensualia verò accidentaliter, & imaginativa se habeat essentialiter ad objecta sensualia: quod cùm ita sit, oportet, quòd D. melius se habeat ad C., quàm ad imaginationem imaginantem delectabilia Gulæ, ut subjecta sint ipsi E. contra illa C. D., quæ melius conveniunt ad delectabilia intellectûs, quàm sensûs; propter-

ea H. se movet ad Gulam in imaginatione, D. autem ad Prudentiam in ipso C.; quo motu demonstratur, quòd, si imaginativa inclinare vult E. ad Gulam per distincta concordantia delectabilia sensualia, sinè qua distinctione concordante ipsum nequaquam inclinare posset, quòd E. per distincta supposita concordantia se ad objecta intellectualia in A. V. Y. possit exaltare; quod si non esset, sequeretur, quòd virtus imaginativa & sensitiva majorem proportionalitatem haberent ad inclinandum E. ad Gulam, quàm virtus intellectiva ad elevandum ipsum E. ad objecta intellectualia, quod est inconveniens.

Camera 50.
[*Prudentia, Luxuria.*]

PRudentia habet posse contra Luxuriam per E. in A. V. Y. & per H. in V. Z. Unde, quò magis E. multiplicare vult B. C. D. in A. V. Y., & quò magis I. multiplicare vult F. G. H. in V. Z., eò magis concordat Prudentia cum esse & majoritate, Luxuria verò cum privatione & minoritate. Quod cùm ita sit, oportet, quòd A. V. Y. dignitatem habeant, quâ E. multiplicare possit in se ipso & in I. Prudentiam contra Luxuriam; in qua dignitate habetur demonstratio *Trinitatis* & *Incarnationis*, si per cameram triangulos ipsius T. sciamus discurrere.

Camera 51.
[*Prudentia, Avaritia.*]

PRudentia & Avaritia sunt contrariæ mediante Largitate, quæ cum Prudentia convenit, Imprudentiâ cum Avaritia concordante; si autem Prudentia est objectum ipsi E., cui A. est objectum, & insuper idem E. in A. accipit objectum, quod objectum A. præbet, quod sit datum extra rubeum, & in rubeo carnem assumpsit, & sit datum per rubeum, oportet, quòd illud E. magis removeatur ab Avaritia, & magis appropinquet Prudentiæ, quàm E. tales operationes non habens in B. C. D.: quod si non foret, sequeretur, quòd Largitas non conveniret cum Prudentia contra Avaritiam tam fortiter in majoritate, quàm in minoritate, quod est inconveniens & contra dispositionem & conditiones cameræ.

Camera 52.
[*Prudentia, Acedia.*]

FG. discurrunt Prudentiam per rubeum, ut E. extollat B. C. D. supra rubeum, & ut Acedia ipsi H. sit objectum, cujus totum contrarium facit Acedia: quod cùm ita sit, quò magis Prudentia potest extollere ipsum E. ad A., eò magis H. potest descendere ad Acediam, & quò altius E. potest ascendere, eò magis ejusdem descensus est in potentiâ propter Acediam: quapropter multiplicatur *quartum membrum ipsius X.*, in qua multiplicatione perfecta Justitia ipsius A. melius demonstratur; quâ majori demonstratione habemus demonstrationem *Trinitatis*, *Incarnationis*, *Creationis* & *Liberi Arbitrii*; quod si non esset, sequeretur, quòd minor demonstratio perfectionis Justitiæ haberet majorem concordantiam cum minori perfectione Prudentiæ, quàm major, quod est impossibile; quia, si possibile foret, major dignitas se haberet ad privationem, minor autem ad esse; præterea sequeretur, quòd creatura esset major, A. verò minus, quod est inconveniens.

Camera 53.
[*Prudentia, Superbia.*]

FDiscurrit per cameram, in qua G. intelligit, quòd Superbia est in subjecto, in quo ejus motus exiltit per potentiam, habitum & actum; & ob hoc C. intelligit, quòd Prudentia similem motum habet, & ex istis duobus motibus intellectualibus formatur *quartum membrum ipsius X.* in majori vel minori quantitate *tertii membri*: cùm autem Prudentia & Superbia magis elongentur per actum & potentiam, quàm per actum & habitum, oportet illud in A. & ejus operatione existere, per quod Prudentia & Superbia magis elongari possint & sibi invicem repugnare; quia, si non, sequeretur, quòd per A. non possent convenire nec contrariari; hoc autem est inconveniens & contra majoritatem *tertii & quarti membri ipsius X.*, cum qua majoritate operatio Justitiæ ipsius A. melius demonstratur; quæ major demonstratio conditiones cameræ præbet, & est ostensio præmissorum principiorum, ad demonstrandum *Trinitatem*, *Incarnationem*, *Creationem* & *Resurrectionem* & alia particularia, quæ cum camera demonstrari possunt, sequendo in hac arte ejusdem conditiones.

Camera. 54.
[*Prudentia, Invidia.*]

IN illo subjecto, in quo Invidia movetur de potentiâ in actum sive de actu in habitum, oportet Prudentiam in potentiâ esse, cùm

cùm Prudentia & Invidia non possint existere in uno subjecto uno tempore in potentiâ, vel in habitu, vel in actu: & quoniam Invidia & Avaritia possunt simul capi & existere in habitu, seu in potentiâ, vel in actu, licèt cum privatione & minoritate conveniant, oportet necessariò, quòd Prudentia habeat quandam virtutem, quæ ab ipsâ differat, & cum ipsâ concordet, cum qua possit existere vel in potentiâ, vel in habitu, vel in actu; quod si non esset, sequeretur, Invidiam melius se habere ad majoritatem & esse, quàm Prudentiam, & etiam melius minoritatem, quàm majoritatem; hoc autem est inconveniens: quo *Trinitas* & *Incarnatio* demonstratur, existentibus in A. distinctis suppositis, & actualiter consistente finito & infinito in unâ Personâ; cùm A. & majoritas melius ad actualitatem se habeant, quàm minoritas in creaturâ, & etiam A. & creatura melius se habeant ad majoritatem & actum in unâ Personâ, quàm creatura solùm distincta ab aliâ in unâ personâ, quod nisi possibile & concordans esset, præmissa principia delerentur, quorum destructio est impossibilis.

Camera 55.
[*Prudentia, Ira.*]

PRudentia & Ira sunt contrariæ propter operationes, quas habent E. I. N. in objectis, quæ accipiunt; & quia Prudentia virtutem accipit ex objectis, quæ E. capit, Ira verò defectum accipit ex objectis, quæ E. propter Iram capit, propterea Prudentia convenit ipsi esse & majoritati, Ira verò privationi & minoritati: cùm autem H. non possit virtutem accipere ex objecto, quod accipit, oportet ipsius virtutem generare ex virtute, quam capit E., absque eo, quòd E. suam virtutem minuat, potiùs ipsam multiplicet in se ipso & in H., quæ virtus una tota subsistit in essentiâ, & est distincta & concordans distinctione ipsorum E. I.; & si illa virtus una distincta concordans æqualis & extra rubeum esset, sequeretur, quòd E. I. essent A.; quod A. extra rubeum debet esse, postquam E. I. essent A., si extra rubeum essent: quod A. oportet habere in se ipso opus, per quod E. I. egrederentur de rubeo, si concordantiam & æqualitatem haberent in suâ operatione cum infinitate, æternitate, potestate, reliquísque cameris ipsius A. Igitur, cùm hoc ita sit, præmissis principiis habetur demonstratio ipsius A., *Trinitatis* & *Incarnationis* &c.

Camera 56.
[*Fortitudo, Temperantia.*]

FOrtitudo & Temperantia habent majorem concordantiam in E. I., quàm in E. N. & quàm in I. N.; quod est, quia B. C. F. G. ad Fortitudinem se habent, & K. L. ad oppositum Fortitudinis: & ideo demonstratur, quòd, quantò magis E. F. G. ad A. V. Y. possunt ascendere, H. verò ad V. Z. descendere, tantò majorem concordantiam habere possunt Fortitudo & Temperantia in majoritate, quàm in minoritate; quod si non esset, sequeretur, quòd non melius convenirent in B. C. F. G., quàm in K. L., quod est impossibile; quâ impossibilitate in majori convenientiâ Fortitudinis & Temperantiæ cameræ concordat, ut demonstratio *Trinitatis* & *Incarnationis* existat.

Camera 57.
[*Fortitudo, Gula.*]

FOrtitudo magis Gulæ repugnat per D., quàm per H., & per H., quàm per M.; quia H. habens Gulam pro objecto movetur per D., quod habet Continentiam, Temperantiam & Abstinentiam pro objecto; & quia H. habet Gulam pro objecto propter F. G., & M. convenit cum K. L., propterea in F. G. fortior est Fortitudo, quàm in M. Quod cùm ita sit, demonstratur, quòd Fortitudo accipit majorem virtutem contra Gulam in objectis magis nobilibus, quàm in minùs nobilibus; quia, si non, sequeretur, possibile esse, quòd Fortitudo contra Gulam fortior esset in H., quàm in D., & in M., quàm in H., & K. L. essent magis nobilia, quàm B. C. F. G., quod est impossibile; quâ impossibilitate camera conditionatur in objectis magis nobilibus ipsorum E. F. G. & in objectis nobilitati magis oppositis, quæ ipsi H. sunt objecta.

Camera 58.
[*Fortitudo, Luxuria.*]

FOrtitudo est contra Luxuriam & operationem naturæ cum operatione intellectuali E. I., habente E. pro objecto [A. V. Y.] I. verò [V. Z.]; Luxuria autem contra Fortitudinem existit cum operatione sensuali & cum operatione intellectuali ipsorum I. M. E., habente H. Castitatem pro objecto, & N. obliviscente ipsorum A. V. Y., & E. diligente Luxuriam: quoniam verò operatio intellectualis major existere potest propter objecta

jecta magis nobilia, quàm propter minùs nobilia, & quia eadem operatio intellectualis fortior est, quàm operatio sensualis, propterea demonstratur, quòd Fortitudo habet majorem convenientiam cum Castitate in Fide Christianorum, quàm in omni credentiâ aliorum; quod est, quia E. ad objecta magis nobilia se habet in A. V. Y. in Fide Christianorum, H. autem ad magis vilia, ad demonstrandam longinquitatem, differentiam & contrarietatem objectorum ipsi E. & ipsi H. convenientium, ut inde D. H. in majoritate differentiæ & concordantiæ consistant in camerâ contra contrarium Fortitudinis & Castitatis.

Camera 59.
[*Fortitudo, Avaritia.*]

SI C. intelligit, quòd extra rubeum largus existat, qui det de se ipso virtutem, quæ sit alius virtuosus largienti æqualis, & quòd ambo extra rubeum existant, & quòd unus illorum duorum det se ipsum rubeo in rubeo & pro rubeo, oportet, quòd inde Fortitudo fortior sit in D., & quòd inde fortiùs moveatur H. contra Avaritiam, quàm si C. non consideraret in prædictis objectis; & quia major consideratio convenit cum majori contrarietate Fortitudinis & Avaritiæ, ideo in majori consideratione ipsius C. & in fortioribus D. H. istam cameram conditionamus.

Camera 60.
[*Fortitudo, Acedia.*]

ACedia est magis contraria in bono communi, quàm speciali; & ideo necessarium est, quòd Fortitudo ipsi in bono communi magis repugnet, quàm in speciali; quod si non esset, sequeretur, quòd Fortitudo cum majoritate in rebus minoribus meliùs conveniret, quàm in majoribus; sequeretur ampliùs, quòd meliùs conveniret cum K. L., quàm cum B. C. F. G.; hoc autem est inconveniens, in quo & per quod hanc cameram conditionamus ad significandum & demonstrandum, quòd per Trinitatem & Incarnationem major Fortitudo potest existere, & Acedia inde potest esse major contra Fortitudinem, & ut Fortitudo contra Acediam habeat majorem operationem, ut in camera sit major differentia & contrarietas ad significandum majorem differentiam & concordantiam ipsius A. & creaturæ, per quas distincta concordantia existens in A. extra rubeum designetur.

Camera 61.
[*Fortitudo, Superbia.*]

FRecolit, contrarietatem existere inter Fortitudinem & Superbiam; quapropter G. intellexit concordantiam inter Fortitudinem & Humilitatem; quâ convenientiâ Humilitas Superbiam devincit: cùm autem H. Superbiam pro objecto accipit, recolit F. quendam fortissimum Regem valde honoratum, qui vestitus erat humilibus vestimentis, & G. intellexit differentiam & concordantiam in camerâ concordantes secundùm magnitudinem Fortitudinis & Superbiæ; & præterea E. recoluit, intellexit & amavit quendam alterum Regem, in quo existit major distinctio & concordantia Fortitudinis & Humilitatis in quodam supposito finito & infinito; quo conditionamus istam cameram ad majorem concordantiam ipsius A. & creaturæ, ut conditionetur ad majorem contrarietatem Fortitudinis & Superbiæ, ut inde Fortitudo & Humilitas majorem differentiam & concordantiam habere possint.

Camera 62.
[*Fortitudo, Invidia.*]

DIscurrentibus F. G. per A. V. X. Y. Z. cum T., intelligit C., quòd Largitas, Justitia, Amor & Misericordia contra Invidiam existunt; quapropter in D. H. formatur Fortitudo contra Invidiam; quæ Fortitudo magna existit, prout F. G. discurrunt per cameras ipsius A.; secundùm quam magnitudinem magnum est H. contra Invidiam in Fortitudine. Igitur, cùm hoc ita sit, demonstratur, quòd ista camera conditionetur in eo, per quod D. H. contra Invidiam majorem Fortitudinem habeant, ut D. habeat oppositum Invidiæ fortiùs pro objecto, & ut H. fortiùs Invidiam odiat. Si autem hæ conditiones irregulatæ forent & contra artem, quâ C. subintrat cameram, sequeretur, quòd F. G. essent in nobiliori operatione in rubeo, quàm extra rubeum, præterea, quòd D. H. inde haberent in minori distinctione & concordantiâ majorem convenientiam contra Invidiam, quod est impossibile.

Camera 63.
[*Fortitudo, Ira.*]

QUantò major existit Ira, tantò majorem Fortitudinem necesse est esse; quia, si necesse foret, quòd, quantò Ira major esset, tantò minor Fortitudo existeret, sequeretur, quòd Ira conveniret cum esse & perfectione, Fortitudo verò cum privatione & defectu, quod est inconveniens; quo demonstratur conditio istius cameræ in majori Fortitudine ipsorum D. H. contra Iram, quæ major Fortitudo formatur in majori operatione ipsius E. in A. V. Y. & ipsius H. in V. Z.; quæ major operatio est demonstratio *Trinitatis & Incarnationis*; quia, si non esset demonstratio, possibile foret, quòd præmissa principia delerentur, quorum destructio est impossibilis.

Camera 64.
[*Temperantia, Gula.*]

TEmperantia & Gula majorem contrarietatem habent in nobiliori & majori operatione ipsorum E. I. N., quàm in minori; quod est, quia in nobiliori & majori operatione E. I. N. magis elongantur à Gula, quàm in minori; & inde Gula est privationi & imperfectioni propinquior. Igitur, cùm ita sit, demonstratur, quòd in A. id oportet existere, per quod E. I. N. ad nobilius & majus opus in Temperantiâ contra Gulam se habere valeant; cujus si foret contrarium, sequeretur, quòd A. concordaret cum minoritate, privatione & defectu, & E. I. N. cum majoritate, esse & perfectione, quod est inconveniens: in quo conditionatur hæc camera ad majorem contrarietatem & distinctionem Temperantiæ & Gulæ, ac ad majorem concordantiam & distinctionem ipsius A. & creaturæ.

Camera 65.
[*Temperantia, Luxuria.*]

IN divite Temperantia habet majorem possibilitatem habendi majorem contrarietatem contra Luxuriam, quàm in paupere, & in sene Luxuria habet majorem possibilitatem essendi concordans cum majoritate in E. I. N., & minorem in operatione sensuali, quàm in juvene; quod si non ita foret, sequeretur, quòd Temperantia & Luxuria, divitiæ & paupertas, senectus & juventus nequaquàm ad invicem repugnarent, quod est inconveniens: quo hanc cameram conditionamus in præmissis principiis, quæ deleri non possunt; quibus principiis camera se habet ad particularia demonstranda, prout conditionantur in majori differentiâ & contrarietate Temperantiæ & Gulæ, ut conditionetur in majori differentiâ & concordantiâ Temperantiæ & Castitatis, & in majori concordantiâ & differentiâ Luxuriæ & Gulæ; omnes autem hæ demonstrationes existunt, ut operationes, quas habet A. in se ipso & creaturis, demonstrentur.

Camera 66.
[*Temperantia, Avaritia.*]

SI habitus, actus & potentia differentes & concordantes non existerent, impossibile foret, Temperantiam & Largitatem Intemperantiæ & Avaritiæ repugnare & è converso; cùm autem existat præmissa contrarietas, oportet esse differentiam & concordantiam habitûs, actûs & potentiæ: quoniam autem unum subjectum continere potest differentiam & concordantiam in unâ operatione se habente ad unum principium & unum finem mediante actu, habitu & potentiâ, demonstratur in opere distincto ipsorum E. I. N. se habentium ad concordantiam contra Avaritiam, quòd in A. sunt distincta suppositа infinita & concordantia ad unum opus & unum finem absentiâ habitûs & potentiæ in unâ simplici actualitate; quod si non esset, distinctio & concordantia convenire non possent in actualitate cum esse absentiâ habitûs & potentiæ, qui ad privationem & minoritatem se habent: hoc autem est impossibile; quia, si foret possibile, actualitas operationis ipsius A. non haberet, cum quo in majoritate esset super operationem ipsorum E. I. N.; hoc autem est impossibile.

Camera 67.
[*Temperantia, Acedia.*]

SI Temperantia & Acedia haberent minorem contrarietatem in M. I., quàm in E. I., sequeretur major majoritas in *quarto membro ipsius X.* propter minoritatem contrarietatis & differentiæ, concordantiæ & differentiæ, quàm propter majoritatem; hoc autem est inconveniens, quo camera conditionatur ad demonstandum majorem distinctionem & convenientiam, ubi E. I. majorem possibilitatem habent ad esse distincta & concordantia contra majorem

differentiam & contrarietatem oppositam Temperantiæ & Acediæ repugnantem.

Camera 68.
[*Temperantia, Superbia.*]

TEmperantia & Superbia sunt sibi contrariæ; quia, si non, sequeretur, quòd Temperantia & Superbia convenire possent contra Temperantiam & Humilitatem; hoc autem est inconveniens, quo demonstratur, quòd habitus est medium inter actum & potentiam; in quo medio differentia & concordantia habent majoritatem & minoritatem cum contrarietate; cùm actus & majoritas sint concordantes, potentia verò & minoritas. Quod cùm ita sit, secundùm præmissa principia necessariò sequitur, quòd, cùm Temperantia est in actu, oportet, quòd Humilitas sit in habitu, & Superbia in potentiâ; quia, si non, non haberet Temperantia, cum quo pugnaret contra Superbiam, cùm esset in actu; neque Superbia posset venire de potentiâ in actum, quod est impossibile; quâ impossibilitate habemus demonstrationem unius Humilitatis actualis sinè habitu & potentiâ extra rubeum, & alterius Humilitatis actualis in rubeo absentiâ Temperantiæ seu admixtionis habitûs & potentiæ; quæ Humilitas actualis rubei ex influentiâ actualitatis, quæ extra rubeum est, existit; cujus influentiæ absentiâ actualis Humilitas extra rubeum existens tam perfectè non posset demonstrari.

Camera 69.
[*Temperantia, Invidia.*]

TEmperantia se habet ad res æquales concordantes & distinctas, ut finis sequatur, propter quem principium est; Invidia verò est medium, quo deleatur vel impediatur medium, per quod in principio ratio finalis existit: & ideo Temperantia & Invidia sunt media diversa & contraria habentia diversa & contraria principia & etiam fines: & quoniam Invidia stat contra Temperantiam, sequitur, quòd medium sit confusum inter principium & finem ad significandum majorem differentiam & contrarietatem, quas habet cum Temperantiâ, quæ existit ordinatio inter principium & finem contra majoritatem & minoritatem cum Invidiâ concordantes, quæ duo sunt extrema, â quibus Temperantia elongatur. Igitur, cùm hæc sint principia hujus cameræ, per ipsa conditionamus cameram ad inquirendum particularia, quorum inventio est necessaria.

Camera 70.
[*Temperantia, Ira.*]

SI Temperantia convenit cum E. diligente vitam sensualem, quantò magis convenit, quòd conveniat cum H. odiente mortem spiritualem: si autem E. fortiùs se habet ad Patientiam per vitam spiritualem, quàm per sensualem, oportet, quòd H. magis se habeat ad Temperantiam per mortem intellectualem, quàm corporalem. Igitur, cùm hoc ita sit, in majori opposito, quod esse possit extra E. I. N., oportet existere nobilius objectum, quod E. I. N. contra Intemperantiam & Iram habere possint, ut demonstretur major opportunitas, quâ liberum arbitrium meliùs possit elongari ab Intemperantia & Ira, magis verò possit appropinquari in E. I. N. earum contrario, ut justitia, misericordia, magnitudo & perfectio ipsius A. inde meliùs possint creaturâ potiri.

Camera 71.
[*Gula, Luxuria.*]

FPercurrit elementalem figuram, in qua G. intelligit, *quòd, cùm fit mixtio cujusdam simplicis medicinæ calidæ in quarto gradu cum aliâ frigidâ in eodem gradu, tunc ambæ istæ qualitates sunt contrariæ in uno subjecto æqualiter in differentiâ & contrarietate; & ideo illud subjectum devenit in corruptionem, & oportet, quòd ambæ istæ qualitates transeant in aliud, unâ augmentante, & aliâ diminuente, secundùm quod suppositum, quod generant, meliùs cum unâ qualitate, quàm cum aliâ convenit auxilio temporis, loci vel alterius accidentis.* Quod cùm ita sit, hâc metaphorâ demonstratur, qualiter Gula & Luxuria subjectum sensuale corrumpunt, & declinant E. I. N. ad alia vitia, camerâ actualiter in habitu remanente, sed camerâ manente in actu faciunt existere alia vitia in habitu, quæ cum camerâ concordant; & similia sequuntur ex opposito cameræ: Hoc autem totum est ad significandum, quòd ex distinctione & concordantiâ extra rubeum & in rubeo contingit quoddam suppositum, in quo *Incarnatio* demonstratur, ut ostendatur *Trinitas* secundùm suprà dictas metaphoras.

Camera

Camera 72.
[*Gula, Avaritia.*]

FRecolit, quòd ignis propinquior est suæ sphæræ suæque simplicitati in quarto gradu caloris, quàm in tertio, secundo & primo; & ideo G. intelligit, quòd E. habens cameram pro objecto tam propinquum est privationi & defectui, quàm magna propinquitas ipsius cameræ existit; quod si non esset, sequeretur, quòd camera conveniret cum esse & perfectione, ipsius autem oppositum cum privatione & defectu; hoc autem est inconveniens: quo demonstratur, quòd, quantò majorem operationem E. habet in oppositio cameræ, H. autem in ipsâ camerâ, tantò meliùs E. I. cum esse conveniunt ad significandum, quòd, ad quantò majorem majoritatem E. extollit opus ipsorum B. C. D. in habendo A. & cameras ejus, tantò fortiùs convenit cum esse & perfectione, & elongatur à privatione & defectu, ut inde sequatur demonstratio hujus, quod convenit ipsi A. & ejus cameris; nam, si in A. & ejus cameris non esset id, per quod E. exaltat B. C. D. in A., & elongatur ab imperfectione, sequeretur inde contradictio, quod est inconveniens.

Camera 73.
[*Gula, Acedia.*]

FG. discurrunt per elementalem figuram ad formandum istam metaphoram, videlicet *quòd ignis existens in simplici medicinâ calidæ complexionis in quarto gradu antè recipit à terrâ, quàm aëri præbet, in quantum ab ipsâ recipit tertium gradum, nec dat aëri de calore suo nisi secundum gradum;* & ideo significat in se majorem defectum, quàm perfectionem, in quantum magis recipit, quàm præbet: & quia camera neque suo opposito præbet, nequę ab eodem recipit, propterea est magis remota à perfectione, quàm ignis; quâ longinquitate significatur metaphoricè, quòd in A. oportet existere suppositum distinctum ab alio, quod recipiat, & quod donet æqualiter absentiâ privationis & defectûs, ut significetur, quòd conveniat cum perfectione & esse sinè defectu & privatione, & quòd se det in rubeo in majori dono, quàm recipiat, ad significandum, quòd rubeus non possit tantum præbere ipsi A., quantum recipere in conjunctione, dum componitur unum suppositum ex A. & creaturâ.

Camera 74.
[*Gula, Superbia.*]

FRecolit, quòd Gula & Superbia habent majorem concordantiam in majoritate, quàm in minoritate; quapropter camera est metaphora ad dandum demonstrationem *Peccati Originalis*, existente majore differentiâ & concordantiâ inter Gulam & Superbiam, si ipsarum concordantia est sinè necessitate contra obedientiam ipsius A. & contra oppositum cameræ. Quod cùm ita sit, demonstratur, quòd oppositum cameræ cum majori differentiâ, concordantiâ obedientiæ, humilitatis & esse concordat, absque eo, quòd in ipso subjecto in actu vel in habitu seu in potentiâ camera existat; quod si non esset, sequeretur, quòd camera non esset remota à suo opposito, prout decet.

Camera 75.
[*Gula, Invidia.*]

GUla & Invidia habent majorem concordantiam in E. H. per res sensuales, quàm per res intellectuales; hinc oportet, quòd E. H. meliùs conveniant contra cameram cum rebus intellectualibus, quàm cum sensualibus, ad demonstrandum, quòd res intellectuales majorem virtutem habent contra vitia, quàm sensuales. Quod cùm ita sit, secundùm præmissam metaphoram necesse est, quòd omne illud in A. existat, per quod E. H. meliùs contra cameram se habent, & per quod meliùs cum opposito cameræ concordant; quod si non esset, sequeretur, quòd meliùs se haberent cum rebus sensualibus, quàm cum objectis intellectualibus: hoc autem est inconveniens; quo *Incarnatio* demonstratur.

Camera 76.
[*Gula, Ira.*]

GUla magis multiplicari potest in E., quàm Ira in H., & Ira potest major existere per H., quàm per M.; cùm E. se habeat ad majus, H. autem ad minus, & cùm F. G. se habeant ad majoritatem, K. L. verò ad minoritatem. Quod cùm ita sit, oportet, quòd oppositum cameræ meliùs habeatur per E., quàm per H., & per H., quàm per M.; & ideo demonstratur, quòd A. & ejus opera meliùs habentur per E., quàm per M.; quod M. datum est, ut adjuvet ipsum E., quando deficit, & non sufficit ipsum E.

per se ipsum: si autem E. deficeret accipere Articulos, & M. eidem sufficiens esset, sequeretur, E. esse minus, quàm M.; præterea principia præmissa delerentur, quorum destructio est impossibilis.

Camera 77.

[*Luxuria, Avaritia.*]

LUxuria & Avaritia habent majorem concordantiam in majori differentiâ & concordantiâ ipsorum E. I. N., quàm in minori; & ob hoc oportet, quòd oppositum cameræ habeat majorem concordantiam in majori differentiâ & concordantiâ ipsorum E. I. N., quàm in minori; quod si non esset, sequeretur, quòd in R. posset esse major differentia & concordantia, quàm in E. I. N.; hoc autem est inconveniens: quo conditionamus istam cameram ad majorem differentiam & concordantiam contra oppositum ejusdem; quod oppositum conditionamus ad majorem differentiam & concordantiam contra ipsam cameram, ut E. I. N. magis inde sint distincta & concordantia ad demonstrandum extra rubeum & intra rubeum majorem concordantiam & distinctionem.

Camera 78.

[*Luxuria, Acedia.*]

CUm ignis impeditur ad recipiendum siccitatem à terra, & ad dandum caliditatem aëri, tunc diminuitur ejus operatio; quâ diminutione devenit ad privationem; & ideo privatio operis est privatio subjecti. Cùm autem G. præmissam metaphoram intellexit, C. intelligit, quòd E., quantò magis movetur ad minoritatem in camerâ, magis movet H. contra oppositum ejusdem cameræ, & E. I. magis multiplicant cameram in majoritate. Cùm verò C. hanc secundam metaphoram intellexit, D. diligit, quòd in A. tam magna operatio existat, per quam E. I. possint in tantum multiplicare suas operationes contra cameram, quòd ipsa camera tantum cum minoritate & privatione conveniat, quòd ipsius oppositum conveniat cum majoritate operis & cum esse. Igitur, cùm hoc ita sit, hæc camera conditionatur in majori opere ipsorum E. I. contra cameram & in majori opere ipsius A. ad multiplicandum operationem ipsorum E. I.

Camera 79.

[*Luxuria, Superbia.*]

LUxuria magis Castitati repugnat in actu, quàm in habitu, & in habitu, quàm in potentiâ; & ideo Luxuria & Superbia habent majorem convenientiam in actu & in habitu, quàm in habitu & in potentiâ; quod est, quia habitus & potentia se habent in E. I. in minori differentiâ & concordantiâ, quàm actus & habitus; quia potentia & habitus remotiores sunt ab esse, quàm actus, & sunt magis propinqui privationi. Quod cùm ita sit, in majori differentiâ & concordantiâ ipsorum E. I. contra majorem differentiam & concordantiam Luxuriæ & Superbiæ conditionatur hæc camera, & major differentia & concordantia ipsorum E. I. contra cameram conditionatur in majori differentiâ & concordantiâ, quam E. in A. & ejus operationibus contra cameram potest accipere pro objecto.

Camera 80.

[*Luxuria, Invidia.*]

GIntelligit, quòd Luxuria & Invidia tam fortiter simul conveniunt, quòd in uno subjecto in actu simul existunt, & contra oppositum cameræ se habent ad unum; unde, si essent in actualitate ita differentes, sicut sunt per actum & habitum, inde possent habere majorem concordantiam in actualitate, in quâ consistunt, ac inde magis oppositio cameræ repugnarent. Igitur, cùm ita sit, in præmissâ metaphorâ C. intelligit, quòd in actualitate, quam habet A. in se ipso, est necesse distinctionem & concordantiam distinctarum Personarum divinarum existere; quia, si non, major foret concordantia in actualitate creatâ contra cameram in subjecto, in quo oppositum cameræ actualiter existit: si autem actualitas esset major in creaturâ, quàm in A., sequeretur, quòd in A. essent habitus & potentia; hoc autem est inconveniens, cum quo conditionatur hæc camera, ut sit metaphora reliquis particularibus hujus artis.

Camera 81.

[*Luxuria, Ira.*]

HAnc cameram conditionare volumus ad dandum regulam, quâ ipsa camera mortificari possit; quæ regula est, quòd in actualitate Luxuria tantum diversificetur ab Irâ, quòd una sit in actu, alia verò in

in habitu; deinde, quòd illa veniat in potentiam, quæ in habitu permanebat, & quòd illa, quæ in actu est, in habitum descendat; & tali operatione manente in E. I. possunt E. I. se ipsa habere ad oppositum cameræ in differentiâ & concordantiâ, prout cum camerâ se habebant; præterea habitus Luxuriæ & Iræ inde potest in potentiam devenire. Quod cùm ita sit, volumus hujus cameræ conditiones esse omne illud, per quod E. I. N. se meliùs diversificare & concordare valeant in majoritate contra cameram, unam virtutem cum aliâ contra unum & aliud vitium opponendo.

Camera 82.

[*Avaritia, Acedia.*]

MAjor Avaritia magis est contra majorem Largitatem, quàm minor Avaritia, & Acedia habet majorem concordantiam cum majori Avaritiâ, quàm cum minori; quia, si non, sequeretur, Avaritiam & Largitatem simul convenire posse; quæ convenientia est inconveniens; quo demonstratur, quòd in majori differentiâ Avaritiæ & Acediæ potentialiter vel habitualiter vel actualiter major concordantia existit, ut significetur, & sit metaphora, quòd in purâ actualitate divinæ Largitatis debet existere distinctio concordantium suppositorum; cujus distinctionis absentiâ virtus non esset in A., per quam haberet in se ipso tam magnam concordantiam, quàm habent vitia in speciebus ipsius S.

Camera 83.

[*Avaritia, Superbia.*]

CErtum est, cameram cum majoritate fortiùs convenire in E., quàm in I., & in I., quàm in N.; hinc oportet, quòd cameræ oppositum majus existat in E., quàm in I., & in I., quàm in N.: quod cùm ita sit, demonstratur, quòd in E. I. convenit majoritas secundùm majoritatem diversorum concordantium operum; quia, si non, præmissa principia non essent necessaria; in qua necessitate conditionatur hæc camera, ut sit metaphora, per quam significetur major distinctio & concordantia, & etiam demonstretur, quòd majoritas majoris distinctionis & concordantiæ est valde necessarium principium huic arti, quo multa particularia reperiuntur in Y. & in Z.

Camera 84.

[*Avaritia, Invidia.*]

AVaritia & Invidia sunt propinquiores in actu per majoritatem, quàm per minoritatem, remotiores verò per habitum & potentiam, quàm per habitum & actum; & si Avaritia & Invidia per illam concordantiam haberent propinquitatem, per differentiam verò longinquitatem, & ipsa longinquitas & propinquitas solùm esset in actualitate, sequeretur inde magis distincta concordantia in camerâ, per quam in camerâ sequeretur majoritas; quæ majoritas cameræ est metaphora majoritati sui oppositi, in cujus majoritate cameram conditionamus, ut sit metaphora majori concordantiæ, quæ sit in A. & ejus operationibus.

Camera 85.

[*Avaritia, Ira.*]

AVaritia & Ira se habent ad majorem differentiam, quàm Avaritia & Invidia, & Avaritia & Invidia se habent ad majorem concordantiam, quàm Avaritia & Ira; & ideo secundùm operationem Avaritia & Ira actu & habitu longinqua consistunt; Avaritia verò & Invidia sunt actu propinqua: si autem Avaritia & Ira distinctionem haberent, quam habent in actu, prout ipsam habent per habitum & per actum, & si tam fortiter convenirent in actu, ût Avaritia & Invidia, sequeretur, quòd Avaritia & Ira fortiores existerent contra suum oppositum, quàm Avaritia & Invidia. Quod cùm ita sit, conditionamus istam cameram, ut sit metaphora majori distinctioni & concordantiæ, ut major concordantia demonstretur, quam habet A. intelligendo & amando se ipsum majori distinctione suppositorum, ut demonstretur major distinctio & concordantia, quam habet A. cum creaturâ per Incarnationem.

Camera 86.

[*Acedia, Superbia.*]

QUia concordantia est inter Charitatem & Humilitatem, ac inter Acediam & Superbiam, ideo necesse est, quòd Charitas & Humilitas contra Acediam & Superbiam coëxistant, & contra omnia reliqua vitia, quæ cum camerâ concordant. Quod cùm ita sit, oportet, quòd camera conditionetur in S. in majori differentiâ, concordantiâ & contrarietate in rubeo & in V., ut E. se meliùs

habere possit ad A.V.Y., & I. ad V.Z.; ad quam majoritatem se habent propter majoritatem concordantiæ in majori differentiâ vel contrarietate in X. & in Y.Z. & in *tertio* & *quarto membro ipsius X.*

Camera 87.
[*Acedia, Invidia.*]

ACedia est à summâ bonitate remota, & Invidia à summâ Largitate; & ideo formatur distinctio & concordantia in opposito cameræ, quod summæ bonitati & Largitati est æqualiter propinquum; quia, si non, divina essentia distincta esset in bonitate & Largitate in primâ figurâ, in quâ unum idémque existunt; si autem in secundâ figurâ ipsius A. bonitas remota est ab Acedia uno modo, ab Invidia verò alio modo, quod idem de Largitate sequitur, oportet, quòd camera inde magis sit remota ab A. & ejus cameris; quæ major longinquitas affirmetur contra suum oppositum contradictorium, ut *Trinitas* & *Incarnatio* designentur.

Camera. 88.
[*Acedia, Ira.*]

ACedia & Ira habent majorem concordantiam in H., quàm in D.; hinc oportet, quòd earum oppositum sit in majori concordantiâ in D., quàm in H.; cùm camera concordet cum minoritate, ipsius autem oppositum cum majoritate: & quia D. & majoritas conveniunt, H. autem & minoritas, propterea in H. concordante cum D., in quo concordat oppositum cameræ, major existit concordantia cameræ oppositæ, quàm in D., in quo Ira & Acedia concordant. Igitur, cùm hoc ita sit, simili demonstratione demonstratur, quòd in A. est major concordantia per distinctionem & convenientiam, quàm in D. per distinctionem & convenientiam oppositi cameræ; quod si non esset, sequeretur, quòd creatura meliùs se haberet ad majoritatem æqualitatis & concordantiæ, quàm A., & quòd magis esset ab æqualitate & contrarietate remota; hoc autem est inconveniens, in quo conditionatur hæc camera.

Camera 89.
[*Superbia, Invidia.*]

SUperbia & Invidia se habent ad majorem contrarietatem contra suum oppositum in I., quàm in N.; quod est, quia in I. est major operatio differens & concordans ipsorum F.G.H., quàm in N.; quod si non foret, sequeretur, quòd opus meliùs conveniret in K.L., quàm in F.G.; hoc autem est inconveniens, quo ipsi C. demonstratio formatur, quòd oppositum cameræ in E. majus existat, quàm in M.: quâ majoritate sequitur alia demonstratio, in quâ majoritas operis fortior est in ipso E. habente ipsum A. & ejus cameras pro objecto, quàm in N., ad demonstrandum, quòd E. majorem utilitatem habere potest in Articulis Fidei Christianæ, quàm N.; quia, si non, præmissa principia delerentur, quorum destructio est impossibilis.

Camera 90.
[*Superbia, Ira.*]

QUò magis E. elevat B.C.D. ad A.V.Y., eò magis I. deprimit F.G.H. ad ipsam cameram, quare oppositum cameræ in E.I. magis ascendit; si autem in A. tantum Humilitatis & Patientiæ non existeret, quòd inde sequeretur distincta concordantia infinitorum suppositorum, & quòd unum eorundem suppositorum distinctè concordaret cum E. in esse unam Personam, in quâ esset distincta Patientia & Humilitas, sequeretur, quòd E. tam perfectè non posset, elevare B.C.D. per A.V.Y. in opposito cameræ, neque I. deprimere F.G.H. ad ipsam cameram: quoniam autem meliùs convenit affirmare ascensus & descensus magis nobiles, quàm minùs nobiles; cùm majus opus & utilitas meliùs concordet cum esse, quàm minus, propterea *Trinitatis* & *Incarnationis* demonstrationem habemus; quòd si non esset demonstratio, sed conveniens foret, quòd præmissa principia delerentur, sequeretur, majorem Superbiam & Iram magis convenire cum esse, quàm minorem: hoc autem est inconveniens; cùm major Humilitas & Patientia in majoribus & magis nobilibus subjectis meliùs concordent, quàm in minoribus & minùs nobilibus.

Camera 91.
[*Invidia, Ira.*]

QUemadmodum in majoritate camera meliùs convenit cum privatione & defectu, sic in majoritate oppositi cameræ meliùs esse & perfectio concordant: cùm hoc autem sit demonstratio, oportet, quòd, si ex camerâ & opposito ipsius fieri potest demonstratio ipsis E.I., ut E. se habeat ad oppositum cameræ, I. autem ad cameram, necesse est, quòd ex distinctâ & æquali concordantiâ, quæ existit in A., ipsi E. demonstratio formari possit, ut opus ipsorum B.C.D. inde magis ascendat in oppositio cameræ, & operatio ipsorum F.G.H. in camerâ magis descendat; quod si non esset, sequeretur, quòd E.I. majorem nobilitatem & concordantiam haberent in demonstratione cameræ & ejusdem oppositi, quàm in A. & in ejus operibus; hoc autem est inconveniens, quo conditionamus istam cameram.

Finita & perfecta est figura ipsius V. patrocinio Dei omnipotentis & ejusdem Creatoris gratiâ; *quam figuram conditionamus maximè, ut veritas inquiratur Articulorum sanctæ Fidei Catholicæ, ad quos magis cameras inclinavimus, quàm ad alia particularia:* exemplo autem conditionum camerarum in particularibus antecedentibus conditionatarum possunt exhiberi & formari demonstrationes aliorum particularium, sequendo regulam & artem superiùs declaratam; *quæ ars & regula est universalis, ut particularia virtutibus & vitiis convenientia inquirantur.*

De Figura ipsius X.

HÆc figura ipsius X. in *centum viginti cameras* dividitur, quas ad perscrutandum particularia in universali conditionare volumus secundùm cameras subsequentes [E.A.V.Y.] [I.V.Z.] [M.A.V.Y.]. Has cameras conditionamus in triangulo ipsius T. sub tali formâ, videlicet ut majoritas camerarum affirmetur, contradictoria verò minoritas negetur; hoc verò fiat, si ex majoritate nullum inconveniens contra tres præmissas cameras sequatur: si verò inde aliquod inconveniens sequeretur, oportet, ut talem majoritatem inquiramus, ex quâ nullum inconveniens sequitur; nam illa major majoritas est, per quam esse & perfectio in *tertio membro* à privatione & defectu longiùs removentur.

In hac arte nos oportet formâ & qualitate uti, secundùm quod X. divisum est in *species, figuras* & *membra*, prout à nobis præmissum est: ampliùs oportet, ut cameras ipsius X. præmissis cameris applicemus per *similitudines, metaphoras* & *principia; præterea quòd per unum principium intelligatur aliud, & per unam metaphoram alia*, & ut hæc ordinatio tota dirigatur ad unum finem, videlicet ad majorem nobilitatem præmissarum trium camerarum; quem finem per particularia figuræ perscrutamur.

Camera 1.
[*Sapientia, Prædestinatio.*]

B.C.D. discurrunt per sapientiam & perfectionem; & ideo sapientia & perfectio concordant in E., quousque idem E. ipsa B.C.D. per justitiam & perfectionem faciat discurrere: quare in E. esse & liberum arbitrium concordant; duabus autem præmissis concordantiis formantur ipsi N. differentia & contrarietas prædestinationis & liberi arbitrii, neque N. credit in E. differentiam & concordantiam duarum figurarum; & ideo cadit in dubitationem, quousque E. movet B.C.D. ad majorem concordantiam sapientiæ & justitiæ in esse & perfectione, I. verò movet F.G.H. ad minorem concordantiam, secundùm quam mediante prædestinatione accipit convenientiam sapientiæ & perfectionis, & mediante libero arbitrio accipit concordantiam justitiæ & perfectionis; & ideo dubitatio cadit in privationem. E. autem intelligit, quòd A. perfectiùs intelligit, quàm C., in operatione concordantiam & distinctionem sapientiæ, justitiæ, perfectionis, prædestinationis & liberi arbitrii, in quibus C. absentiâ contradictionis nequaquam potest intelligere; quam contradictionem C. intelligit, quia A. id intelligit & intelligere potest super E., quod E. in se ipso intelligere non potest absentiâ contradictionis in duabus præmissis figuris.

Camera 2.
[*Sapientia, Perfectio.*]

OBviârunt sibi E.I.N., quæ proposuerunt ex viridi in perfectione ponere differentiam & concordantiam, ex croceo verò majoritatem & æqualitatem, sed ibi rubeum non ponere. Cùm E.I.N. fecerunt præmissam operationem, C. intellexit, illam perfectionem existere æqualem in magnitudine & nobilitate ipsi A. & cameris ejus, quousque E.I.N. illud à perfectione removerunt, quod in ea posuerant, & illam cum hoc, quod in ipsâ posuerant, rubeus subintravit; ideo & bene sapientia scit creaturam & operationem ejusdem in perfectione, in quâ simul fuerunt trianguli & omnes anguli eorundem; quam perfectionem inquirimus cum perfectione in generatione & cor-

corruptione per differentiam concordantiam & generationem, & per differentiam contrarietatem & corruptionem.

Camera 3.

[*Sapientia, Meritum.*]

F. G. accipiunt cameram pro objecto, in quam ponunt differentiam & concordantiam absentiâ contrarietatis & culpæ: quapropter G. intelligit, quòd in A. distinctio Personarum existit, postquam sapientia, in quâ rubeus non existit, extra se ipsam cum creaturâ differentiam & concordantiam habet; sinè qua distinctione nequaquam habere posset in se ipsâ tantum concordantiæ, quantum habet in se ipsâ & extra se ipsam. Cùm autem G. intelligit, F. recolit majus meritum in majoritate sapientiæ; quia major est sapientia, si affirmetur Incarnatio, quàm si negetur; quod majus meritum magìs remotum est à culpâ affirmatione Incarnationis, quàm negatione: quare in majoritate sapientiæ & liberi arbitrii hæc camera conditionatur.

Camera 4.

[*Sapientia, Potestas.*]

SApientia scit potestatem, & potestas potest sapientiam; & hoc æqualiter in A. extra rubeum existit: & ideo recolit F., quòd majoritas sapientiæ & potestatis meliùs concordat in camerâ, quæ est extra rubeum, quàm quæ est in rubeo; & tam perfectè in rubeo convenirent, si infinitas & æternitas in illo capi possent: si autem aliqua res ipsius cameræ & alia ipsius rubei uniuntur, & sunt una Persona, meliùs accipitur in rubeo majoritas ipsius A., & in majoritate ipsius A. meliùs capi videtur rubeus. Quod cùm ita sit, in eo hæc camera conditionatur, quo sapientia meliùs scire potest majoritatem suî ipsius & rubei; veruntamen nisi inde sequatur inconveniens; quod inconveniens sequeretur, si conditionaretur camera in majoritate præmissæ majoritati contradictoriâ.

Camera 5.

[*Sapientia, Gloria.*]

SApientia scit, quòd ipsa & gloria extra rubeum unum & idem existunt; si autem una res existerent in rubeo, sapientia sciret differentiam & concordantiam inter se ipsam & rubeum; cùm in ipsa rubeus non existat: quoniam autem sapientia & sua gloria extra rubeum in majori majoritate se habent, quàm in rubeo, oportet necessariò, quòd sapientia & gloria in semet ipsis distinctam concordantiam habeant; quia, si non, convenirent ad majorem gloriam & majorem sapientiam extra se ipsas; hoc autem est inconveniens & principium, quod est demonstratio *Incarnationis*, in quo formatur præmissa demonstratio *Trinitatis*.

Camera 6.

[*Sapientia, Esse.*]

F. G. A. H. X. uno modo se habent ad differentiam & concordantiam, alio verò modo ad differentiam & contrarietatem; & ideo camera est universale, ipsi verò duo modi sunt particularia: cùm enim se habent ad differentiam & concordantiam, tunc C. per A. intelligit sapientiam, & per X. esse, & F. G. accipiunt A. pro objecto, ut H. odiat in A. esse ignorantiæ: cùm autem se habent ad differentiam & contrarietatem, tunc F. G. accipiunt A., & H. odit esse perfectæ sapientiæ, ut odiat prædestinationem & pœnam. Quod cùm ita sit, habemus demonstrationem, quòd differentia & concordantia ac differentia & contrarietas unà simul cum esse conveniunt, & quòd una concordantia cum majoritate, alia verò cum minoritate convenit: concordantia majoritati convenit ratione differentiæ & concordantiæ, quæ conveniunt cum esse, minoritati verò ratione differentiæ & contrarietatis, quæ concordant cum privatione. Quapropter aliam demonstrationem habemus, videlicet quòd si ex rebus distinctis & contrariis formatur majoritas, quò magìs res istæ sunt distinctæ & contrariæ, quantò magis convenit, majoritatem existere in rebus magìs distinctis & concordantibus: quòd si hæc non esset demonstratio, sequeretur, quòd sapientia sciret majus esse contrarietatis in rebus magìs distinctis & contrariis, quàm esse concordantiæ in rebus magìs distinctis & concordantibus; hoc autem est inconveniens, quo secundùm præmissa principia habemus demonstrationem *Trinitatis & Incarnationis*.

Camera 7.

[*Sapientia, Scientia.*]

F. G. H. scientiam pro objecto accipiunt, & B. C. D. sapientiam; & ideo distincta est & concordans operatio ipsorum E. I.; nam H. odit, quòd scientia, in quâ potentialiter est L., existat in A., D. verò diligit perfectionem sapientiæ ipsius A.: cùm autem H. odit subjectum propter L., & D. amat subjectum, quia est creatura sapientiæ ipsius A., tunc est distincta & contraria operatio ipsorum E. I. *Et ideo sub uno principio habemus diversa particularia, quæ aliis particularibus possunt esse principia*, quod demonstramus dicentes, quòd si H. D. differunt & concordant, licèt possint differre & contrariari, quantò magìs convenit, esse in A. concordantiam per distinctionem; & præterea convenit, quòd in A. & in creatura distinctio & convenientia in unâ Personâ existant; quod si non foret, sequeretur, quòd H. D. se haberent ad majorem distinctionem & concordantiam, quàm A., & quàm A. & creatura; hoc autem est inconveniens & contra suprà dicta principia.

Camera 8.

[*Sapientia, Justitia.*]

SApientia & justitia in E. I. ad majoritatem se habent, quantò fortiùs E. habet cameram pro objecto, H. autem oppositum cameræ: unde, si E. I. se habent ad majorem distinctionem & concordantiam præmissâ operatione, oportet, quòd A. se habeat in se ipso ad majorem concordantiam sapientiæ & justitiæ, quàm E. I. in sapientiâ & justitiâ ipsius A. & creaturæ; quia, si non, sequeretur, quòd in A. haberet E. majorem operationem, & I. in opposito cameræ, quàm A. in se ipso & creaturâ; hoc autem est inconveniens, quo habemus demonstrationem *Trinitatis, Incarnationis, Prædestinationis & Liberi Arbitrii.*

Camera 9.

[*Sapientia, Liberum Arbitrium.*]

G. Accipit A., cùm F. perfectionem in sapientiâ recolit, & H. odit privationem liberi arbitrii; & ideò D. prædestinationem amat: si autem contradictio esset inter D. H., oporteret, quòd Z. conveniret cum H. vel cum D.; & si sic, sequeretur major distinctio & concordantia liberi arbitrii & ipsorum H. D., quàm sapientiæ ipsius A. & liberi arbitrii, quod creavit in ipsis H. D.; hoc autem est inconveniens, quo hæc camera conditionatur ad perscrutandum particularia secundùm præmissa principia.

Camera 10.

[*Sapientia, Defectus.*]

IN hâc camerâ duplex est significatio, & ideo est universalis particularibus: una significatio bona est, videlicet cùm H. odit Y., in quo reperitur defectus, in quantum verum est, quòd V. rubeum est in quodam subjecto: cùm autem malam significationem habet, tunc H. odit Y. in prædestinatione, cùm F. G. per cameram sapientiæ & perfectionis decurrunt. Si autem H. in Y. ad distinctam & contrariam operationem se potest habere, quantò magìs A. se habet ad distinctam & concordantem operationem in se ipso; cùm A. & majoritas conveniant, H. autem & minoritas; quod si non esset, sciret A. minorem perfectionem in se ipso, quàm in H.; in quâ minoritate sciret defectum majoritatis: hoc autem est inconveniens.

Camera 11.

[*Sapientia, Culpa.*]

G. Intelligit, quòd licitum est ipsi D. amare subjectum V. lividi, & vetitum est ipsi H. odire subjectum V. rubei; quod subjectum est creatura: quapropter recolit F., quòd differentia & concordantia majorem majoritatem habent in V. livido, quàm in V. rubeo; quia, si non, sequeretur, quòd, sicut bonum est ipsi D. propter V. lividum amare subjectum, etiam bonum sit ipsi H. propter V. rubeum odire subjectum: & quoniam H. habet culpam, si odit creaturam, & habet meritum, si odit V. rubeum, & D. habet meritum, si diligit V. lividum & subjectum ejusdem, propterea voluntas est magìs libera in D., quàm in H., & est major majoritas in distinctione & concordantiâ, quàm in distinctione & contrarietate. Quod cùm ita sit, demonstratum est, quòd oportet sapientiam ipsius A. priùs scire, se ipsam esse realiter, quàm ipsum H., & ipsum D., quàm H.; cùm H. sit propter odire culpam cum privatione concordantem, & ejus oppositum concordet cum esse: quâ concordantiâ habemus demonstrationem, quòd A. est, & quòd in pluralitate suppositorum existit; præterea quòd creatio est in triangulo rubeo secundùm suprà dicta principia.

Camera 12.

[*Sapientia, Voluntas.*]

SApientia & voluntas ad majoritatem se habent in majori operatione ipsorum C.D., quàm ipsorum G.H., & ipsorum G.H., quàm ipsorum K.L.M.: & propterea Charitas est magìs generalis in D., quàm in N., Fides autem in N., quàm in E. Quod cùm ita sit, habemus demonstrationem, quòd *Articuli Fidei sint demonstrabiles*; quia, si non, prædicta principia delerentur.

Camera 13.

[*Sapientia, Pœna.*]

POena & privatio conveniunt, & gloria & esse: ideo recolit F. in elementali figurâ, quòd ignis non possit dare principium formæ venienti de potentiâ in actum sinè subjecto potentiæ ipsius; & ideo G. intelligit, quòd oportet gloriam existere priùs in aliquo subjecto, quàm pœnam; & si sic, oportet, quòd ipsa ante creationem existat; quia, si non, gloria non existeret ante pœnam, nec culpa cum privatione, nec dignitas cum merito conveniret; hoc autem est inconveniens, quo habemus demonstrationem *Creationis*; cujus creationis absentiâ sapientia nequaquam sciret in A. perfectionem absque defectu, si mundus foret æternus; & cum pœnâ conveniret æternè, in quantum sciret in se ipsa defectum; hoc autem est inconveniens.

Camera 14.

[*Sapientia, Privatio.*]

SI A. scit in suâ sapientiâ perfectionem, impossibile est, quòd G. sciat in ipso ejusdem sapientiæ privationem; & si A. scit mundum æternum, oportet, quòd G. in æternitate sciat perfectionis privationem; nam, si G. sciret omni imperfectioni principium, esset impossibile, quòd A. sciret mundum æternum. Cùm autem hoc sit demonstratio creationis, secundùm hanc demonstrationem habemus operationem æternam, cujus absentiâ sapientia sciret in se ipsâ æternaliter perfectionis privationem in æterno opere; quo impossibile esset, quòd suum opus sciret in rubeo.

Camera 15.

[*Sapientia, Ignorantia.*]

SApientia & ignorantia ad majorem distinctionem & contrarietatem se habent in majoritate ipsorum E.N., quàm in minoritate; si autem D. non ascenderet in majoritate ipsorum B.C., majoritas esset in M., quod ascenderet in majoritate ipsorum K.L., & minoritas esset in D. in minoritate ipsorum B.C.; hoc autem est inconveniens: quo fit demonstratio, quòd *Articuli sunt demonstrabiles*; quia, si non, præmissa demonstratio deleretur, cujus destructio est impossibilis.

Camera 16.

[*Prædestinatio, Perfectio.*]

G. Cameram accipit, habente E. in habitu cameram justitiæ & perfectionis; & ideo in N. formatur dubitatio, recolente F. distinctionem & contrarietatem prædestinationis & liberi arbitrii; quam contrarietatem odit H. in qualibet camerarum, quia C. intelligit differentiam & concordantiam in camerâ prædestinationis & liberi arbitrii; quæ concordantia sinè concordantiâ sapientiæ, justitiæ & perfectionis esse non posset. Quod cùm ita sit, per præmissa principia datur demonstratio, quòd prædestinatio & liberum arbitrium æqualiter cum esse conveniunt, & eorum contrarietas sic elongatur ab esse, ût Chimæra à G.

Camera 17.

[*Prædestinatio, Meritum.*]

IN concordante & distinctâ operatione, quam sapientia, justitia & perfectio ipsius A. in creaturis habent, est convenientia prædestinationis & liberi arbitrii mediante concordantiâ justitiæ & meriti, sinè quâ concordantiâ prædestinatio & meritum minimè possent convenire. Quod cùm ita sit, oportet necessariò, quòd prædestinatio & liberum arbitrium conveniant in majoritate in operatione sapientiæ & justitiæ potiùs, quàm in operatione ipsorum E.I.N.; quia, si non, oporteret, quòd operatio ipsius S. foret æqualis operationi ipsius A.; hoc autem est inconveniens.

Camera 18.

[*Prædestinatio, Potestas.*]

G. Intelligit, quòd prædestinatio & potestas majoritatem habent in A. & minoritatem in creaturâ; & ideo F. recolit propter istam minoritatem existere minoritatem in creaturâ, cujus ibi reminisci non posset, si creatura tantum ab A. posset recipere, quantum A. largiri potest creaturæ: si autem

autem creatura in se ipsâ plùs recipere posset, quàm A. in ipsa prædestinare, contrarietas esset inter potestatem & sapientiam in A.; hoc autem est inconveniens, quo *Incarnatio* demonstratur.

Camera 19.

[*Prædestinatio, Gloria.*]

SI contrarietas esset inter prædestinationem & gloriam, esset contrarietas inter sapientiam & justitiam, concordantia verò non esset; esset autem concordantia inter sapientiam, justitiam & defectum; hoc autem est inconveniens: quo demonstratur, prædestinationem & liberum arbitrium cum majoritate meliùs convenire per A. & ejus cameras, quàm per E.I.N.: & ideo in E.I.N. contrarietas existit, in quantum sunt contrarietati, ignorantiæ & privationi propinqua; quâ propinquitate N. in dubitationem cadit, & inter D. H. contrarietas per affirmationem & negationem oritur.

Camera 20.

[*Prædestinatio, Esse.*]

F. Recolit *esse creatum* distinctum in tribus speciebus, quarum una est, in quantum existit in sapientiâ ipsius A., altera est, in quantum est in ipso. C., tertia est, in quantum consistit in re; & ideo G. discurrit per croceum, & inquirit, in quâ trium specierum esse cum majoritate meliùs concordat: & quoniam sapientia ipsius A. convenit cum majoritate, creatura verò cum minoritate, oportet, quòd esse creatum majus existat in A., quàm in C. & quàm in re, & majus in re, quàm in C.: & propterea B. recolit, prædestinationem & liberum arbitrium in C. esse concordanter & distinctè actu & habitu, & quòd in N. potentialiter & habitualiter sunt contrariè; quia in minoritate habentur defectu ipsorum K.L. & minoritate ipsorum E.I.

Camera 21.

[*Prædestinatio, Scientia.*]

SCientia & ignorantia sunt contrariæ; quare oportet, quòd prædestinatio existens in C. perfectione sapientiæ cum scientiâ concordet, & quòd ignorantia contra prædestinationem existat. Cùm autem G. intellexit præmissam demonstrationem, recolit F., quòd liberum arbitrium convenit in C., quia B. in justitiâ recolit perfectionem; & si liberum arbitrium disconveniret in C., conveniret in C. ignorantia perfectionis & justitiæ: præterea sequeretur, quòd scientia meliùs se haberet in K.L., quàm in B.C., quod est inconveniens; quo demonstrationem habemus cum aliâ præmissâ demonstratione, quòd *Prædestinatio & Liberum Arbitrium* cum esse conveniunt, & sunt à privatione remota.

Camera 22.

[*Prædestinatio, Justitia.*]

SI prædestinatio & justitia contrariæ essent, oporteret justitiam & liberum arbitrium in simul adversari; cùm magìs impossibile sit, justitiam & sapientiam sibi contrariare, quàm justitiam & liberum arbitrium; quia, si non, sequeretur, quòd justitia meliùs se haberet ad creaturam, quàm ad A.; hoc autem est inconveniens, quo habemus demonstrationem, quòd prædestinatio & justitia conveniant; quæ convenientia est demonstratio ipsi C., quòd prædestinatio & liberum arbitrium conveniant: cujus convenientiæ absentiâ prædestinatio & liberum arbitrium convenire non possent; & si non convenirent, sequeretur, quòd sapientia & justitia forent contrariæ; hoc autem est impossibile.

Camera 23.

[*Prædestinatio, Liberum Arbitrium.*]

PEr concordantiam, quam prædestinatio habet cum sapientiâ & sapientia cum perfectione, & per concordantiam justitiæ cum perfectione concordantia inter prædestinationem & liberum arbitrium existit; nam, si ibi contrarietas esset, sequeretur destructio præmissarum concordantiarum, quæ deleri non possunt. Igitur, cùm ita sit, contrarietas, quæ cadit in speciebus ipsius S., convenit cum Z. & privatione atque minoritate; quia nequaquam tam magnam concordantiam habent ad accipiendum cameram pro objecto, ût sunt præmissæ concordantiæ, quæ cum esse & majoritate conveniunt.

Camera 24.

[*Prædestinatio, Defectus.*]

SI esset defectus in prædestinatione, sequeretur, quòd inter sapientiam & perfectionem esset contrarietas; cùm defectus & perfectio sint contraria: & quoniam est impossibile, quòd sapientia ipsius A. conveniat cum defectu, oportet prædestinationem & defectum sibi repugnare: quâ contrarietate

habemus demonstrationem, quòd liberum arbitrium & defectus sunt contraria; quia, si non, sequeretur, quòd justitia & defectus concordarent; hoc autem est inconveniens: quo habemus demonstrationem cum aliâ præmissâ demonstratione, quòd prædestinatio & liberum arbitrium concordant, & id, in quo repugnant, est inordinatione ipsius S. non accipientis objecta perfectè convenientia concordantiæ duarum prædictarum demonstrationum.

Camera 25.

[*Prædestinatio, Culpa.*]

SI prædestinatio & culpa concordantiam haberent, sequeretur, quòd contrarietas inter justitiam & liberum arbitrium esset; quia, si non, sequeretur, quòd sapientia concordare posset cum imperfectione conveniente cum culpâ, & quòd justitia conveniret cum perfectione concordante cum merito: quoniam verò culpa & meritum sunt contraria, oportet, quòd prædestinatio & liberum arbitrium concordent; quia, si non, inde omnia præmissa inconvenientia sequerentur.

Camera 26.

[*Prædestinatio, Voluntas.*]

SI voluntas ipsius A. concordare non posset prædestinationem & liberum arbitrium, magis concordaret cum sapientiâ vel cum justitiâ, & haberet defectum in sapientiâ aut in justitiâ; sed quodlibet horum est inconveniens: & si voluntas concordare posset prædestinationem & liberum arbitrium, & non vellet, meliùs concordaret potestas cum sapientiâ & justitiâ, quàm cum voluntate; hoc autem est impossibile; quâ impossibilitate demonstratur concordantia prædestinationis & liberi arbitrii.

Camera 27.

[*Prædestinatio, Pœna.*]

SI prædestinatio contra liberum arbitrium esset, pœna existeret contra culpam, & meritum contra gloriam; cùm magis impossibile sit, sapientiam & justitiam ad invicem repugnare, quàm pœnam & culpam, & quàm meritum & gloriam; quia, si non, major esset possibilitas minorum, quàm majorum, quod est inconveniens: quo demonstratur, quòd si est impossibile, culpam & pœnam opponi, & meritum & gloriam, quantò magis est impossibile, quòd prædestinatio & liberum arbitrium repugnent.

Camera 28.

[*Prædestinatio, Privatio.*]

SI prædestinatio & privatio convenirent, concordaret privatio cum perfectione, & esse cum imperfectione; quâ imperfectione foret impossibile justitiam & perfectionem concordare cum esse; cùm privationi simul & esse repugnent. Præterea, si justitia & privatio convenirent, liberum arbitrium & meritum concordantiam haberent cum privatione; & si haberent, sequeretur, quòd prædestinatio & liberum arbitrium in privatione convenire possent, & eorum oppositum concordaret cum esse: hoc autem est inconveniens; quo demonstratur, prædestinationem & liberum arbitrium convenire cum esse.

Camera 29.

[*Prædestinatio, Ignorantia.*]

IGnorantia & scientia sunt contrariæ, scientia verò & prædestinatio concordant; & ideo inter prædestinationem & ignorantiam contrarietas existit: si autem contrarietas esset inter prædestinationem & liberum arbitrium, sequeretur, quòd ignorantia concordantiam haberet cum justitiâ propter convenientiam, quam justitia cum libero arbitrio habet, cujus absentiâ justitia non posset dare pœnam pro culpâ, nec gloriam pro merito; & sequeretur, quòd meritum meliùs se haberet ad K. L., quàm ad B. C., & ad R., quàm ad E. I.; hoc autem est inconveniens: quo demonstratur, scientiam & liberum arbitrium concordare.

Camera 30.

[*Perfectio, Meritum.*]

SI mundus esset æternus, meritum & culpa cum perfectione in æternitate æqualiter se haberent, & humanitas primum & ultimum non haberet: & quoniam culpa se habet ad minoritatem, privationem & defectum, oportet, quòd perfectio ante humanitatem existat; quia, si non, nequaquam imperfectio foret privationi propinquior, quàm meritum; hoc autem est inconveniens: quo demonstratur *Creatio*, quam perfectio antecedit.

Camera

Camera 31.

[*Perfectio, Potestas.*]

SI mundus est æternus, oportet ipsum æternum esse vel perfectione ipsius A., vel sui ipsius, vel utriusque; si autem æternus existit perfectione ipsius A. tantùm, necesse est, quòd potestas ipsius A. non sit in mundo contra perfectionem ipsius A., contra quam existeret, si posset in æternitate perfectionem & imperfectionem æquare: si autem mundus est æternus suâ perfectione tantùm, oportet, quòd in æternitate sint æquales potestates & æquales perfectiones distinctæ atque contrariæ in dignitatibus & substantiis, quod est inconveniens: si verò mundus est æternus suâ dignitate & dignitate ipsius A., necessariò oportet, quòd mundus in æternitate ipsi A. æqualis existat; hoc autem est inconveniens, quo demonstratur, mundum fuisse creatum.

Camera 32.

[*Perfectio, Gloria.*]

PErfectio & gloria fortiùs se habent ad majoritatem in majoribus, quàm in minoribus rebus; unde, si mundus foret æternus, non foret Protoplastes, & gloria & perfectio ipsius A. non antecederent Protoplastem, & esse ipsius A. nequaquam in æternitate majus esset; hoc autem est inconveniens: nam, sicut perfectio & gloria majorem concordantiam habent in A. per bonitatem & infinitatem magnitudinis, potestatis, sapientiæ, amoris &c., sic perfectio & gloria extra A. minorem concordantiam habent in æternitate, quàm A. & ejus cameræ; quod si non esset, sequeretur, quòd potestas, justitia & voluntas ipsius A. existerent contra gloriam & perfectionem ejusdem, & quòd mundus esset subjectum, in quo cameræ ipsius A. essent in differentiâ & contrarietate; hoc autem est inconveniens: quo demonstratur, mundum creatum fuisse.

Camera 33.

[*Perfectio, Esse.*]

PErfectio & esse meliùs se habent in A., quàm in C., & meliùs in ipso objecto, quod C. accipit, quàm in quantum perfectio & esse accipiuntur pro objecto ab ipso C.: si autem mundus esset æternus, sequeretur, quòd C. tam magnam perfectionem haberet in accipiendo pro objecto æternitatem in mundo, quantam in A.; hoc autem est inconveniens; quia, si conveniens esset, sequeretur, quòd perfectio & esse in essentiâ tam remota essent à privatione, quàm A., & quòd C. non haberet principium ad accipiendum objectum; præterea esse & perfectio essent in C. perfectiùs, quàm in re ipsi C. objectâ; hoc autem est inconveniens: quo *principium mundi* demonstratur.

Camera 34.

[*Perfectio, Scientia.*]

SI mundus esset æternus, perfectio non antecederet ignorantiam: cùm autem perfectio & scientia, ignorantia verò & defectus concordent; si mundus esset æternus, defectus & ignorantia, perfectio & scientia, esse & privatio convenirent æqualiter cum æternitate; hoc autem est impossibile; quâ impossibilitate *Creatio* demonstratur.

Camera 35.

[*Perfectio, Justitia.*]

PErfectio & justitia meliùs conveniunt in majoribus & magis nobilibus objectis, quàm in minoribus & minùs nobilibus; sed defectus & injuria meliùs conveniunt in rebus minùs nobilibus & minoribus, quàm in magis nobilibus & majoribus: cùm autem majoritas super se majoritatem non habeat, oportet, quòd ibi meliùs conveniant perfectio & justitia, quàm injuria & defectus; quâ majori convenientiâ necesse est, quòd in æternitate camera suum contrarium præcedat; quâ anterioritate mundo principium demonstratur.

Camera 36.

[*Perfectio, Liberum Arbitrium.*]

SI humanitas esset æterna, liberum arbitrium esset æternum in homine, in quo species conservatur, & conservatio speciei esset in privatione in homine, si non idem numero æternè rediret in esse: si autem homo in numero æternè rediret, liberum arbitrium in æternitate perfectionem non haberet, sed potiùs imperfectionem: cùm autem æternitas & perfectio conveniant, privatio verò & imperfectio, & cùm privatio & æternitas opponantur, datur demonstratio *Creationis*, *Liberi Arbitrii* & *perfectionis* ejusdem.

Camera 37.

[*Perfectio, Defectus.*]

PErfectio & defectus contrariantur; unde, si mundus esset æternus, & haberet S., unumquodque principium melius se haberet ad corruptionem, quàm æternitas ad incorruptionem: quia verò S. est de naturâ incorruptibili, quæ convenit cum perfectione, corpus verò est de naturâ corruptibili, sequitur, quòd, si S. convenit cum principio, quia K.L.V.&Z. sunt in potentiâ, corpus & id, ex quo est, conveniant cum principio; quod si non esset, sequeretur, quòd perfectio ad imperfectionem & privationem se haberet, imperfectio autem ad perfectionem & æternitatem; hoc autem est inconveniens, quo *Creatio* demonstratur.

Camera. 38.

[*Perfectio, Culpa.*]

SI mundus foret æternus, perfectio subjecto careret, in quo existeret antecedens culpam cum imperfectione concordantem; quia verò perfectio & æternitas conveniunt, culpa autem & privatio, ideo necesse est, quòd perfectio subjectum habeat, in quo culpam antecedat: si verò meritum conveniret cum æternitate, quia culpa cum privatione convenit, sequeretur, quòd privatio esset causa meriti; quâ causâ meritum & æternitas convenirent: quia verò remunerator meriti cum majoritate convenit, meritum autem cum minoritate, & quia culpa & meritum contrariantur, propterea demonstratur, quòd perfectio meritum antecedit; quod meritum & quæ culpa demonstrant, quòd mundus principium habeat.

Camera 39.

[*Perfectio, Voluntas.*]

VOluntas sinè velle est potentia cum imperfectione, privatione & minoritate conveniens; voluntas autem, quæ vult V. Y., est potentia, quæ concordat cum perfectione, esse & majoritate: si autem mundus esset æternus, voluntas veniret ab imperfectione ad perfectionem, & rediret à perfectione ad imperfectionem, nec haberet perfectionem, à qua veniret, nec ad quam rediret; & sequeretur, quòd major perfectio in voluntate foret, in qua velle non esset, quàm in voluntate, in qua velle esset; quia autem hoc est inconveniens, ideo mundo principium demonstratur.

Camera 40.

[*Perfectio, Pœna.*]

PErfectio & pœna repugnant; quia, si concordarent, sequeretur, quòd perfectio esset justitiæ & gloriæ contraria; hoc autem est inconveniens; cùm justitia & gloria contra pœnam existant: & quia perfectio & æternitas conveniunt, privatio verò & pœna, oportet, quòd ante pœnam existat aliquod subjectum, in quo sint perfectio, gloria & justitia; quia, si non, impossibile foret, principia præmissa subsistere, quorum destructio est impossibilis; quâ impossibilitate demonstratur, quòd mundus habet principium.

Camera 41.

[*Perfectio, Privatio.*]

SI mundus est æternus, ejus perfectio tam est remota à privatione, quàm perfectio ipsius A.; si autem A. rei non habenti principium privationem dare posset, sic finem cum æternitate velut æternitatem cum principio concordare posset; quod si non esset, posset ipsius potestas esse perfectio & imperfectio; hoc autem est contradictio, quâ *Creatio* demonstratur.

Camera 42.

[*Perfectio, Ignorantia.*]

SI humanitas est æterna, in æternitate nequaquam perfectio priùs cum scientiâ concordat, quàm imperfectio cum ignorantiâ; quoniam autem perfectio & scientia cum majoritate & esse concordant, cum quibus concordat æternitas, imperfectio verò & ignorantia cum minoritate & privatione conveniunt, cum quibus æternitas minimè concordat, ideo demonstratur, quòd perfectio & scientia imperfectionem & ignorantiam non antecederent, si humanitas esset æterna.

Per cameram prædestinationis & perfectionis exemplificavimus præmissas cameras in quibusdam particularibus, in quibus prædestinationem, liberum arbitrium & creationem probavimus; *per præmissam enim doctrinam cameræ ipsius X. deduci possunt ad quævis particularia, quæ inquirere libet.* Nunc autem oportet, quòd cameras remanentes ipsius X., de quibus nos sermocinari convenit, ad *Artem Universalem* conditionemus.

Camera 43.

[*Meritum, Potestas.*]

MEritum & potestas conveniunt mediante justitiâ, quæ convenit cum merito & potestate; & quia justitia & potestas contra culpam concordant, oportet, quòd meritum & culpa repugnent; quâ contrarietate pœna & gloria sibi sunt oppositæ; cùm meritum & gloria, culpa verò & pœna conveniant. Unde, si particulare convenientiam habet secundùm præmissa principia, conveniet cum Y.; si verò eisdem repugnet, conveniet cum Z.: si autem duo particularia sunt contradictoria, quorum unum conveniat cum Y. majori, aliud verò cum minori, majus affirmari debet, minus autem negari; & si unum cum Z. majori conveniat, aliud verò cum minori, minus eligi debet.

Camera 44.

[*Meritum, Gloria.*]

SI viridis discurrat per cameram, reperiet differentiam & meritum convenire; sed G. intelligit, quòd unum meritum se habet ad gloriam, aliud autem ad pœnam: & ideo F. recolit, quòd gloria, quæ se non habet ad pœnam, à merito differt, & quòd meritum est ipsum principium, & gloria finis, & opera ipsius S. medium sunt, quorum majus se habet ad gloriam, minus verò ad principium: si autem particulare est contra præmissam ordinationem, convenit cum Z., ejus verò contrarium cum Y.

Camera 45.

[*Meritum, Esse.*]

ESse subjectum est merito & culpæ; & ideo meritum & culpa cotrariantur, & differunt super uno esse solùm, quod, in quantum substantia, non diversificatur per præmissam contrarietatem; & ideo C. intelligit differentiam inter ipsam substantiam & opus ejusdem. Unde, si particulare inclinat ipsum esse ad privationem, concordat cum merito culpæ; si autem dirigit ipsum ad intentionem finalem, conveniet cum merito gloriæ. Quare unum particulare eligendum est, & aliud respuendum ad cameram conditionandam.

Camera 46.

[*Meritum, Scientia.*]

HUjus cameræ conditiones conditionamus in conditionibus subsequentium camerarum [B.C.D.A.V.Y.] [K.L.M.A.V.Y.] videlicet quòd prima camera habet majorem concordantiam cum scientiâ, quàm secunda; & ideo meritum cum majoritate melius convenit per primam cameram, quàm per secundam; quia, si non, sequeretur, quòd meritum & scientia repugnarent absentiâ omnis convenientiæ: si autem meritum & scientia non essent contraria, secunda camera esset impossibilis; quia autem possibilis est, sequitur, quòd meritum & scientia repugnent: quod cùm ita sit, meritum differt in differentiâ ipsarum camerarum, & majus est per unam cameram, quàm per aliam. Quapropter particulare conservans præmissam regularitatem concordat cum Y., ejus verò contrarium cum Z.

Camera 47.

[*Meritum, Justitia.*]

[F. G.A.H.V.] [F.G.H.A.] [E.A.V.Y.] conditiones primæ cameræ in conditionibus trium camerarum consequentium demonstrantur, discurrendo triangulos ipsius T. per ipsas cameras: cùm autem duæ primæ cameræ sint contra justitiam, tertia verò secundùm justitiam, propterea ipsum meritum diversificatur; & primum H. non habet culpam, quâ mereatur perdurabili pœnâ tormentari, secundum autem H. odiens infinitam justitiam infinitâ pœnâ meretur affligi: & quoniam E. tantum dare non potest ipsi A., quantum A. potest eidem remunerari, propterea justitia sinè misericordiâ ipsum ad æternam beatitudinem non posset per meritum judicare. Unde, si cum præmissis principiis particulare concordat, conveniet cum Y.: præterea si non essent in A. distincta suppositа in justitiâ & misericordiâ, præmissa principia delerentur, quorum destructio est impossibilis; quâ impossibilitate *Trinitas* demonstratur.

Camera 48.

[*Meritum, Liberum Arbitrium.*]

HUjus cameræ conditiones sunt, quòd liberum arbitrium conditionetur in S. ad formandum sequentes cameras [E.A.V.Y.] [I.V.Z.] [M.A.V.Y.Z.] vel ipsa-

rum oppositum, ut inter liberum arbitrium & meritum sit concordantia. Unde, si particulare, quod quæritur, convenit cum primâ camerâ & cum tribus subsequentibus, conveniet cum Y.; si autem sit convenientia inter primam cameram & oppositum trium camerarum, concordabit cum Z.

Camera 49.
[*Meritum, Defectus.*]

SI meritum & perfectio conveniunt in hac camerâ [E.A.V.Y.] necesse est, quòd in hac camerâ [E.V.Z.] meritum & defectus convenientiam habeant; si autem meritum & perfectio haberent majorem possibilitatem habendi majorem concordantiam in hac camerâ [M.A.V.Y.] quàm in istâ, [E.A.V.Y.] oporteret, quòd B. C. essent propinquiora culpæ & defectui, quàm K.L.; hoc autem est inconveniens. Unde, si particulare convenientiam habet cum præmissis principiis, oportet ipsum concordare cum Y., & ipsius oppositum convenire cum Z.

Camera 50.
[*Meritum, Culpa.*]

CUm meritum convenit cum justitiâ, tunc oportet, quòd culpæ repugnet; cùm autem meritum concordat cum injuriâ, tunc oportet, quòd cum culpâ concordet. Unde, si particulare hoc, quod dictum est suprà, conservat, conveniet cum Y.: præterea particulare, quod faciet majorem differentiam inter meritum & culpam, & majorem concordantiam inter meritum & justitiam, & majorem contrarietatem inter meritum & injuriam, erit magìs eligendum, & plurimùm affirmandum.

Camera 51.
[*Meritum, Voluntas.*]

VOluntas habet majorem concordantiam cum majoritate in D., quàm in H., & in H., quàm in M., & in M., quàm in Q.; & ideo cum merito habet majorem convenientiam in D., quàm in H., & in H., quàm in M., & in M., quàm in Q.: & hoc idem sequitur de majori contrarietate. Unde, si particulare convenit cum suprà dictis principiis, oportet ipsum convenire cum Y.

Camera 52.
[*Meritum, Pœna.*]

SI meritum non haberet majorem proportionem & majorem possibilitatem habendi majorem concordantiam cum gloriâ, quàm cum pœnâ, sequeretur, quòd D. melius esse non posset habendo A. pro objecto, quàm H. pejus habendo A. pro objecto; quoniam autem D. majus est in possibilitate, quàm H., oportet, quòd meritum habeat majorem convenientiam cum gloriâ, quàm cum pœnâ, & cum pœnâ per H., quàm per M., & cum gloriâ majorem concordantiam habeat per D., quàm per M. Quod cùm ita sit, camera conditionatur secundùm suprà dicta principia.

Camera 53.
[*Meritum, Privatio.*]

QUantò majorem convenientiam habent meritum & gloria, tantò majorem contrarietatem habent cum privatione; quò meliùs autem meritum & pœna conveniunt, eò majorem contrarietatem habent cum esse: quod si non esset, sequeretur, quòd justitia opponeretur ipsi esse, & quòd cum privatione conveniret, & præterea major existeret in minoribus, quàm majoribus rebus; hoc autem est inconveniens; quo affirmanda est major operatio ipsius A. & major nobilitas subsequentium camerarum [E.A.V.Y.] [I.V.Z.] [M.A.V.Y.]

Camera 54.
[*Meritum, Ignorantia.*]

IN K.L. meritum habet concordantiam cum minoritate, & in E.I. cum majoritate; & præterea in M. tantùm habet majorem convenientiam cum majoritate, quàm in D. vel in H. tantùm; quod si non esset, sequeretur, quòd ignorantia magìs cum merito conveniret, quàm scientia, & quòd justitia meliùs dare posset gloriam sive pœnam propter K.L., quàm propter B.C. & F.G.; hoc autem est inconveniens, in quo & per quod hanc cameram conditionamus, ad perscrutandum particulare, quod quæritur.

Camera 55.
[*Potestas, Gloria.*]

POtestas & gloria habent majorem convenientiam in A., quàm in creaturâ, & in E., quàm in N., & in N., quàm in R.: si autem

autem in N. meliùs convenirent, quàm in E., sequeretur, quòd meliùs convenirent in R., quàm in N., & in N., quàm in A.; quod si ita esset, sequeretur, quòd majoritas potestati & gloriæ repugnaret, & quòd minoritas, potestas & gloria convenirent; hoc autem est inconveniens, in quo cameram istam conditionamus.

Camera 56.
[*Potestas, Esse.*]

POtestas est à privatione magìs remota in majoritate, quàm in minoritate; & ideo potestas major existit in A., quàm in creaturâ, & in E., quàm in N., & in N., quàm in R. Igitur, cùm hoc ita sit, prout E.I.N. habent majorem potestatem ipsius esse magis à privatione remoti, habent majorem potestatem ipsius esse cum esse concordantis; & ideo majoritas sequentium camerarum [E.A.V.Y.] [I.V.Z.] [M.A.V.Y.] est affirmanda & eligenda: si autem abnuenda & neganda foret, prædicta principia delerentur, quorum destructio est impossibilis; in qua impossibilitate hæc camera conditionatur.

Camera 57.
[*Potestas, Scientia.*]

SI scientia habet majorem potestatem in E., quàm in N., oportet, scientiam meliùs cum B.C., quàm cum K.L., convenire; quod si non esset, sequeretur, quòd ipsius potestas major existeret per K., quàm per B., & per L., quàm per C.; & melior res esset potestas ipsius S. privatione operis, quàm positione operis: cùm autem hoc sit inconveniens, sequitur, quòd potestas & scientia ipsius A. habeant operationem intrinsecam, & quòd in majoritate istarum camerarum [E.A.V.Y.] [I.V.Z.] [M.A.V.Y.] potestas & scientia majorem concordantiam habeant, quàm in minoritate ipsarum; præterea quòd particulare conveniens cum istâ majori concordantiâ convenientiam habeat cum Y.

Camera 58.
[*Potestas, Justitia.*]

QUò magìs H. potest odire A.V.Y., eò magis justitia ipsum S. potest punire, & quò magìs D. potest amare A.V.Y., eò magìs justitia ipsum S. potest remunerare; quod si non esset, sequeretur contrarietas inter potestatem & justitiam in majoritate,

& quòd concordantiam in minoritate haberent; præterea oppositum cameræ cum majoritate conveniret, camera verò cum minoritate; & quia hoc est impossibile, in istâ impossibilitate camera conditionatur.

Camera 59.
[*Potestas, Liberum Arbitrium.*]

LIberum arbitrium in S. magìs habetur ad majoritatem potestatis in theoricâ, quàm in practicâ; quia in theoricâ habetur in electione duorum contradictoriè contrariorum, in practicâ verò solùm habetur ad electionem alterius contradictorii: cùm autem potestas & majoritas in majori concordantiâ se habeant in A., quàm in S., oportet, quòd in libero arbitrio ipsius A. possit potestas in practicâ majorem libertatem habere, quàm S.; quâ majori libertate demonstratur, quòd A. habet liberam potestatem largiendi salvationem vel damnationem, cuicunque velit, & potest conferre, quodcunque duorum contrariorum vult. Præterea potestas & liberum arbitrium majorem concordantiam habent cum majoritate in E., quàm in N.; quia, si non, potestas & liberum arbitrium majora existerent per K.L., quàm per B.C.; hoc autem est inconveniens, quo majus meritum existit per E., quàm per N., in potentiâ vel in actu.

Camera 60.
[*Potestas, Defectus.*]

QUò magìs potestas & defectus à se invicem elongantur, eò magis sibi mutuò appropinquant potestas & perfectio: quod cum ita sit, majoritas majoris concordantiæ & distinctionis in opere, in quo elongantur potestas & defectus, meliùs convenit inter potestatem & perfectionem, quàm minoritas. Quâ majoritate & minoritate cameram conditionamus in istis cameris [E.A.V.Y.] [I.V.Z.] [M.A.V.Y.] ut eligatur particulare meliùs concordans cum majoritate ipsarum camerarum, & propter quod major differentia & contrarietas inter potestatem & defectum existit.

Camera 61.
[*Potestas, Culpa.*]

SI potestas non esset in majoritate, & culpa in minoritate, justitia non haberet, cum quo puniret culpam; unde, quantò culpa major est, tantò majorem convenientiam habent potestas & justitia contra culpam:

pam: & ideo particulare ponit majorem culpam contrariam majori potestati; quæ major potestas magis affirmari debet, quàm minor; si autem minus magis affirmandum esset, quàm majus, demonstraretur, quòd culpa & potestas majorem contrarietatem haberent in minoritate, quàm in majoritate; præterea possibile foret, quòd potestas & culpa contra privationem potestatis & justitiæ convenirent, quod est inconveniens, in quo hæc camera conditionatur.

Camera 62.

[*Potestas, Voluntas.*]

POtestas & voluntas in A. sunt in distinctione & concordantiâ suppositorum æquales, & in essentiâ unum & idem existunt; quod si non esset, non haberent, in quo haberent majorem concordantiam, quàm in S. Potestas & voluntas habent majorem convenientiam in E., quàm in N.; cùm B. C. habeant majorem potestatem, quàm K. L.; & in majoritate subsequentium camerarum [E. A. V. Y.] [I. V. Z.] [M. A. V. Y.] potestas & voluntas habent majorem convenientiam, quàm in minoritate. Igitur, cùm hoc ita sit, conditionatur hæc camera secundùm suprà dicta principia.

Camera 63.

[*Potestas, Pœna.*]

SI culpa potest existere contra infinitam potestatem, oportet, quòd potestas habeat justitiam, cum qua possit infligere perdurabilem pœnam; quia, si non, sequeretur, quòd pœna major esset propter culpam, quàm justitia propter potestatem, & potestas propter justitiam; hoc autem est inconveniens: præterea si E. potest habere majorem culpam, quàm N., oportet, quòd justitia possit inferre majorem pœnam propter E., quàm propter N.; si autem id, per quod E. magis peccare potest, quàm N., esset perfectio potestatis, necessarium esset, quòd injuria & perfectio convenirent; hoc autem est inconveniens, in quo & in alio præmisso inconvenienti hæc camera conditionatur, quæ per alia quoque inconvenientia inde sequentia conditionari potest.

Camera 64.

[*Potestas, Privatio.*]

POtestas & privatio sunt magis diversæ, magis contrariæ & magis remotæ in rebus, in quibus est majoritas dignitatum, quàm in rebus, in quibus ipsarum minoritas reperitur; quod si non esset, sequeretur, quòd potestas & esse contrariarentur, & quòd privatio & potestas concordarent; hoc autem est inconveniens: quo demonstratur, quòd major potestas sequentium camerarum [E. A. V. Y.] [I. V. Z.] [M. A. V. Y.] eligenda & affirmanda est; nam, si abnuenda & neganda esset, sequeretur, quòd præmissa principia abnuenda & delenda essent; hoc autem est inconveniens, quo multa inconvenientia sequuntur ad exhibendam demonstrationem multorum consequentium.

Camera 65.

[*Potestas, Ignorantia.*]

SI potestas melius non posset contra ignorantiam in E., quàm in N., esset E. id, quod est N., & N. id, quod est E: præterea sequeretur, quòd potestas esset id, quod est privatio potestatis, & quòd ignorantia esset scientia: hoc autem est impossibile; quâ impossibilitate conditionatur hæc camera in majoritate potestatis in istis cameris [E. A. V. Y.] [I. V. Z.] [M. A. V. Y.] ut potestas ab ignorantiâ sit longiùs remota, & quòd M. inde habeat majorem potestatem in recipiendo ab A. ejus gratiam in tertiâ camerâ.

Camera 66.

[*Gloria, Esse.*]

GLoria & esse habent majorem concordantiam in essentiâ, in qua non sit distinctio essentiæ & ipsius esse, nec sit distinctio gloriæ & ipsius esse, & sit concordantia suppositorum, quæ gloria & esse existant, quàm in ente, in quo præmissa reperiri non possunt. Præterea gloria & esse majorem contrarietatem habent cum suo opposito in rebus, in quibus est majoritas pœnæ & privationis, quàm in rebus, in quibus existit earundem minoritas: si autem gloria & esse haberent in alio sæculo in S. majorem concordantiam majoritate hujus cameræ, [N. A. V. Y.] quàm majoritate istius [E. A. V. Y.]; sequeretur, quòd in altero sæculo melius conveniret N. ad habendum gloriam, quàm E., quod est inconveniens.

Camera 67.

[*Gloria, Scientia.*]

SI scientia nihil esset, gloria nihil esset; & si gloria nihil esset, scientia esset privatio boni, & ignorantia esset privatio mali: & ideo G. intelligit, quòd gloria & scientia

scientia convenientiam habent, pœna autem & ignorantia; quia verò pœna & ignorantia conveniunt cum minoritate & privatione, propterea camera conditionatur in majoritate concordantiæ ipsius gloriæ & scientiæ, ut magis à suo opposito elongetur.

Camera 68.

[*Gloria, Justitia.*]

GLoria & justitia habent majorem convenientiam in majoribus, quàm minoribus rebus; & ideo majus opus gloriæ longiùs removetur ab injuriâ, quàm minus, & majus opus justitiæ propinquius est gloriæ, quàm minus: & quò fortiùs justitia majorem culpam punit, eò magis cum majori gloriâ concordat; quia majori pœnâ melius major gloria dignoscitur. Quod cùm ita sit, in majori concordantiâ gloriæ & justitiæ hæc camera conditionatur.

Camera 69.

[*Gloria, Liberum Arbitrium.*]

QUò majorem possibilitatem in hoc mundo liberum arbitrium habet ad formandum sequentes cameras [E. A. V. Y.] [I. V. Z.] [M. A. V. Y.], eò melius concordat cum gloriâ, cum quâ minimè convenire posset absentiâ possibilitatis formandi cameras istas [E. V. Z.] [I. A. V. Y.] [M. A. V. Y.] & quò major majoritas præmissarum camerarum est, eò major causa liberum arbitrium est justitiæ, ut propter meritum majorem gloriam exhibeat, propter culpam verò majorem pœnam. Quod cùm ita sit, in majori convenientiâ gloriæ & liberi arbitrii hæc camera conditionatur, ut inde gloria & justitia melius possint convenire ad designandum maximam convenientiam existentem inter gloriam & liberum arbitrium, quod non potest inclinari ad peccatum propter magnam convenientiam, quam habet cum justitiâ & cum gloriâ: nam, si gloria & liberum arbitrium conveniunt, ut gloria & justitia possint concordari, quantò magis convenit, quòd gloria & justitia conveniant solùm absque necessitate liberi arbitrii, quod potest inclinari ad peccatum.

Camera 70.

[*Gloria, Defectus.*]

GLoria & perfectio habent majorem convenientiam in majoribus & magis nobilibus rebus, quàm in minoribus & minùs nobilibus; & ideo hæc camera conditionatur in operibus, quibus gloriâ & defectus magis differunt & contrariantur; quâ differentiâ & contrarietate conditionatur camera in majore distinctione & concordantiâ gloriæ & perfectionis, cujus absentiâ non tam fortiter sequeretur ipsa distinctio majoris differentiæ & contrarietatis in camerâ: & quoniam major differentia & contrarietas gloriæ & defectûs melius cum esse se habent, quàm minor, oportet necessariò, quòd major distinctio gloriæ & perfectionis melius cum esse se habeat, quàm minor; quod si non esset, sequeretur, quòd privatio melius se haberet cum perfectione & gloriâ, quàm gloria & perfectio cum esse; hoc autem est inconveniens, in quo hæc camera conditionatur.

Camera 71.

[*Gloria, Culpa.*]

QUò major est culpa, eò major est longinquitas gloriæ à pœna, & major est propinquitas gloriæ & meriti; quod si non esset, sequeretur inde inconveniens gloriæ & justitiæ; quod inconveniens est impossibile; in quâ majori impossibilitate fortiùs cameram conditionamus, quàm in minori inconvenienti: nam, si camera melius conditionari deberet secundùm minus inconveniens, quàm secundùm majorem impossibilitatem, sequeretur, quòd possibilis esset concordantia inter gloriam & culpam contra culpam & meritum; hoc autem est inconveniens.

Camera 72.

[*Gloria, Voluntas.*]

VOluntas & gloria habent majorem convenientiam in majoritate intelligendi, quàm in minoritate; cujus si foret contrarium, sequeretur, quòd gloria & voluntas se melius ad majoritatem haberent in N., quàm in E.; hoc autem est inconveniens: quo demonstratur, quòd camera fortiùs se habet ad majoritatem, differentiam & concordantiam intelligendi & volendi gloriam, quàm ad minoritatem, differentiam & concordantiam eorundem. Quod cùm ita sit, cameram conditionamus in suprà dictis principiis ad inquirendum particularia, quæ cum præmissis principiis concordant.

Camera 73.
[*Gloria, Pœna.*]

IN rubeo gloria longiùs removetur à pœnâ in intentione finali, quàm in principio; quod est, quia principium gloriæ est, ut finis ipsius gloriæ existat; & ideo iste mundus est medium, quod est conveniens cum pœnâ, ut per ipsum distinguatur concordantia existens inter principium & finem gloriæ: cùm autem pœna propter culpam magis repugnet gloriæ in majoritate culpæ & pœnæ, quàm in minoritate, sequitur, quòd hæc camera fortiùs conditionetur in majori principio & majori fine gloriæ, quàm in minori principio & minori fine ipsius gloriæ; quæ conditio si esset inconveniens, sequeretur, quòd gloria major esset in principio, quàm in fine, & quòd cum pœnâ contra meritum conveniret & cum culpâ contra justitiam; hoc autem est inconveniens, quo conditionamus istam cameram in majori contrarietate gloriæ & pœnæ & in majori longinquitate & differentiâ earundem.

Camera 74.
[*Gloria, Privatio.*]

PRivatio in E. habente ipsum A. pro objecto longiùs removetur à gloriâ, quàm in N. habente ipsum A. pro objecto; quod si non esset, sequeretur, quòd gloria longiùs esset remota per esse, quàm per privationem; hoc autem est inconveniens: quo hæc camera conditionatur ad majorem propinquitatem gloriæ & ipsius esse, & ad majorem longinquitatem gloriæ & privationis: si verò talis conditio foret contra Y., & conveniret cum V. Z., sequeretur, quòd gloria meliùs se haberet ad K. L., & privatio ad B. C.; hoc autem est inconveniens & contra triangulos & contra regularitatem illorum, quam habent in hac arte.

Camera 75.
[*Gloria, Ignorantia.*]

GLoria & scientia habent majorem convenientiam in majoritate, quàm in minoritate; & ideo gloria habet majorem contrarietatem cum ignorantiâ in majoritate, quàm in minoritate: quoniam autem scientia & justitia habent majorem convenientiam cum gloriâ in majoritate, quàm in minoritate, propterea oportet, quòd major ignorantia gloriæ habeat majorem convenientiam cum majoritate pœnæ, quàm cum minoritate. Quod cùm ita sit, in majoritate gloriæ scientiæ, pœnæ & ignorantiæ hanc cameram conditionari oportet.

Camera 76.
[*Esse, Scientia.*]

ESse in scientiâ se habet cum majoritate, in ignorantiâ verò cum minoritate; & ideo meliùs se habet ad E., quàm ad N.: præterea esse & scientia meliùs se habent in A., quàm in C., & in A., quàm in creaturâ; & meliùs se habet esse in re, quàm in operatione ipsiùs C. solùm, in C. autem & in ejus operatione meliùs se habent esse atque scientia, quàm esse & privatio illius scientiæ. Quod cùm ita sit, in majori concordantiâ ipsius esse & scientiæ hæc camera conditionatur, ut id, per quod camera longiùs removetur à suo opposito, affirmetur.

Camera 77.
[*Esse, Justitia.*]

ESse se habet ad majoritatem per justitiam, ad minoritatem verò per injuriam; & ideo necesse est, ut in majoritate justitiæ meliùs se habeat esse cum majoritate, quàm in minoritate; in qua majoritate & minoritate conditionamus istam cameram, ut eligatur & affirmetur particulare propter majoritatem, & ipsi contradictoriè oppositum propter minoritatem negetur & renuatur, unde sequitur inconveniens, quo fit distinctio & contrarietas ipsius esse & justitiæ.

Camera 78.
[*Esse, Liberum Arbitrium.*]

ESse & liberum arbitrium habent æqualem concordantiam in sapientiâ & justitiâ ipsius A.; cùm sapientia & justitia in A. una eadémque perfectio existant: quoniam autem E. est diversum ab A., & est propinquum ignorantiæ & privationi, sequitur, quòd esse & liberum arbitrium meliùs repræsententur ipsi C. per perfectam justitiam, quàm per perfectam sapientiam; & ideo C., debet fortiùs judicare cameram ad ipsum Y. secundùm ipsum A., quàm secundùm se ipsum: præterea C. debet affirmare, id esse, per quod liberum arbitrium conservetur, ut objectum, in quo existit, conveniat ad majorem nobilitatem essendi. Igitur, cùm hoc ita sit, conditionatur camera in suprà dictis principiis.

Camera

Camera 79.
[*Esse, Defectus.*]

DEfectus & privatio habent tantò majorem concordantiam, quò magis sunt opposita ipsis esse & perfectioni: quare necesse est, quòd esse & perfectio habeant majorem convenientiam in majori differentiâ & concordantiâ, quàm in minori, ut magis opponantur majori defectui & privationi, quàm minori. Quod cùm ita sit, in majoritate & minoritate viridis hæc camera conditionatur, ut conditionetur niger ad affirmandum majorem differentiam & concordantiam ipsius esse & perfectionis contra majorem differentiam & concordantiam privationis & defectûs.

Camera 80.
[*Esse, Culpa.*]

CUlpa, pœna & privatio convenientiam habent, conveniunt autem esse, meritum & gloria: unde, si particulare est contra præmissam ordinationem, oportet, quòd Y. contra illud particulare existat, & quòd Z. sit eidem concordans; si verò unum particulare est majus & aliud minus, unde sequitur contradictio, cum Y. vel cum Z. convenientiam habere possunt: & ideo investigari debet, per quod illorum duorum particularium major contrarietas & differentia in camerâ sequatur, & utrùm inde aliquod inconveniens inferatur; & prout demonstrabitur, eligendum vel renuendum erit particulare quæsitum.

Camera 81.
[*Esse, Voluntas.*]

ESse & voluntas majorem convenientiam habent in actu volendi, quàm in habitu, & majorem in habitu, quàm in potentiâ: cum autem D. vult V. Z., tunc habent majorem contrarietatem in actu, quàm in habitu, & in habitu, quàm in potentiâ; quia, si non, sequeretur, quòd esse se haberet æqualiter ad perfectionem, defectum & privationem, quod est inconveniens. Præterea esse & voluntas se habent ad majorem distinctionem & concordantiam in objectis magis distinctis concordantibus & nobilibus, quàm in objectis minùs distinctis concordantibus & nobilibus; quod si non esset, sequeretur, quòd ipsum D. meliùs se haberet cum esse in minori operatione, quàm in majori; hoc autem est inconveniens, in quo camera conditionatur.

Camera 82.
[*Esse, Pœna.*]

ESse & pœna contrariantur; nam esse contingit per generationem, pœna verò contra esse cum corruptione consistit: unde, si A. esset contra majoritatem ipsius esse in nobilitate, esset contra majoritatem gloriæ, quæ mediante pœnâ est contra culpam; & concordaret cum culpâ; hoc autem est inconveniens.

Camera 83.
[*Esse, Privatio.*]

ESse & privatio contrariantur; unde, si esse & perfectio in majoritate conveniunt, longiùs removentur à privatione & defectu, quàm si concordant in minoritate: si autem A. magis amat id, per quod esse & perfectio magis privationi & defectui propinquant, quàm id, per quod stant longiùs ab iisdem, sequitur, quòd majoritas sequentium camerarum [E. A. V. Y.] [I. V. Z.] [M. A. V. Y.] magis cum privatione & defectu convenit, quàm earundem minoritas; quod si non esset, sequeretur, quòd creatura Creatori non magis concordaret per majorem voluntatem, quàm per minorem; hoc autem est inconveniens, in quo camera conditionatur.

Camera 84.
[*Esse, Ignorantia.*]

FRecolit, quòd C. est ens, quod est subjectum scientiæ & ignorantiæ, quæ contrariantur; unde, quò majorem convenientiam C. habet cum suo opere, eò magis est ab ignorantiâ remotum majoritate, quàm minoritate: quod si non esset, sequeretur, quòd esse & privatio non magis repugnarent in majoritate, quàm in minoritate, præterea quòd privatio & ignorantia contra esse & scientiam minimè convenirent; hoc autem est inconveniens, quo demonstratur, quòd esse & ignorantia conveniant contra majoritatem mediante minoritate operis.

Camera. 85.
[*Scientia, Justitia.*]

SCientia & justitia conveniunt, & in quantum scientia & injuria convenientiam habent, justitia & ignorantia etiam conve-

nientiam habent, per quam justitia repugnat scientiæ concordanti cum injuriâ: quoniam autem injuria & ignorantia cum minoritate & privatione conveniunt, propterea scientia & ignorantia concordantiam habent; quâ concordantiâ diversificatur scientia in suâ operatione, concordando se uno modo cum justitiâ, alio cum injuriâ; & ideo justitia major est in rubeo, quàm scientia, & oportet, quòd extra rubeum sit æqualitas justitiæ cum scientiâ in majoritate, ut scientia in æternitate ab injuriâ, ignorantiâ & minoritate longè sit remota.

Camera 86.

[*Scientia, Liberum Arbitrium.*]

SI C. sciret in I., quòd H. non haberet liberum arbitrium ad odiendum A.V.Y., G. sciret, quòd D. nequaquam haberet tam magnam majoritatem ad amandum A.V.Y., nec minoritatem ad amandum V.Z., & D. majus esset minoritate, minus verò majoritate, & esset contra majorem convenientiam liberi arbitrii & gloriæ cum majoritate meriti, quæ est contra culpam & pœnam & minoritatem meriti; & inde sequeretur in A. minoritas justitiæ, misericordiæ & largitatis; quod est inconveniens.

Camera 87.

[*Scientia, Defectus.*]

SCientia & defectus convenientiam habent contra perfectionem in camerâ ipsorum [E.V.Z.] & ipsorum [I.A.V.Y.]; & hæc concordantia est mediante voluntate habente convenientiam cum injuriâ & privatione contra perfectionem scientiæ, justitiæ & liberi arbitrii. Igitur, cùm ita sit, in minoritate convenientiæ consistentis inter perfectionem & scientiam est concordantia scientiæ & imperfectionis propinqua contra majorem convenientiam justitiæ, scientiæ, voluntatis & liberi arbitrii: quapropter conditionatur hæc camera ad negandam minorem concordantiam scientiæ & perfectionis contra majorem convenientiam scientiæ, justitiæ, liberi arbitrii & perfectionis.

Camera 88.

[*Scientia, Culpa.*]

SCientia scit majorem possibilitatem culpæ in E., quàm in N.; quapropter oportet, quòd sciat majorem possibilitatem pœnæ per E., quàm per N. Igitur, cùm ita sit, propterea demonstratur, quòd scientia scit majorem possibilitatem gloriæ per E., quàm per N.; cujus contrarium si scientia sciret, sequeretur, quòd esset impossibile, quòd sciret per operationem ipsius E. majorem culpam & pœnam, quàm per operationem ipsius N.; hoc autem est inconveniens: si enim conveniens esset, sequeretur, quòd scientia sciret majorem justitiam in minoritate, quàm in majoritate, ac in rubeo, quàm in æternitate & infinitate; hoc autem est impossibile.

Camera 89.

[*Scientia, Voluntas.*]

SCientia & voluntas habent majorem convenientiam in E., quàm in N.; & ideo voluntas est ab ignorantiâ magis longinqua in E., quàm in N. Cùm autem in N. scientia & voluntas majorem convenientiam habent, quàm in E., tunc est virtute objecti illuminantis ipsum M. in absentiâ objecti; & ideo liberum arbitrium est magis remotum ab M., quàm à D., magis propinquum verò ipsi M., quàm ipsi C., præterea operatio ipsius D. est magis remota à C., quàm ab M., magis verò propinqua ipsi C., quàm ipsi L.; cùm per L. sit M. remotum ab S., per C. verò propinquum eidem; quâ longinquitate & propinquitate demonstratur, quòd meritum & gloria majorem propinquitatem habent per C.D., quàm per L. M. in S.

Camera 90.

[*Scientia, Pœna.*]

SCientia & pœna in majoritate conveniunt, ubi scientia scit majorem pœnam, & ubi culpa est causa majoris pœnæ; quoniam autem in E. I. est major possibilitas culpæ, quàm in N. R., idcirco necesse est, quòd C. nesciret majorem gloriam per E. I., quàm per N. R., si esset impossibile, quòd sciret majorem pœnam per majorem culpam, & sciret majorem pœnam per injuriam & privationem justitiæ; quod est inconveniens.

Camera 91.

[*Scientia, Privatio.*]

SCientia & privatio sunt magis propinquæ in N. R., quàm in E. I.; & ideo dubitatio longiùs removetur ab affirmatione & negatione per E. I., quàm per N. R.; quâ majori longinquitate scientia & privatio magis elongantur per affirmationem & negationem, quàm per dubitationem; quæ dubitatio scientiam & privationem conjungit, ut Z. contra Y. existat.

Camera 92.

[*Scientia, Ignorantia.*]

SCientia & ignorantia sunt contrariæ; quâ contrarietate demonstratur, quòd N. R. sunt longiùs remota à scientiâ, quàm E. I., & magis propinqua ignorantiæ. Cùm autem scientia, majoritas & esse conveniant, & ignorantia, minoritas & privatio, propterea oportet, quòd per E. I. scientia, majoritas & esse magis appropinquent ipsi Y., quàm per N. R.; cujus si foret contrarium, sequeretur, quòd scientia & ignorantia nequaquam contrarietatem haberent; quod est inconveniens.

Camera 93.

[*Justitia, Liberum Arbitrium.*]

JUstitia & liberum arbitrium majorem convenientiam habent majoritate differentiæ & concordantiæ, quàm minoritate; & ideo majorem concordantiam & differentiam habent in E. I., quàm in N. R.; & quoniam scientia & justitia majorem convenientiam habent per E. I., quàm per N. R., oportet convenientiam inter scientiam & liberum arbitrium esse; nam, si repugnarent ad invicem, sequeretur, quòd justitia & scientia forent contrariæ, & quòd major concordantia foret in minori differentiâ, quàm in majori: præterea justitia & liberum arbitrium magis remota forent per E. I., quàm per N. R.; & etiam S. esset nobilius & majus in operationibus ipsorum N. R., quàm ipsorum E. I.; quod est inconveniens.

Camera 94.

[*Justitia, Defectus.*]

JUstitia & defectus conveniunt in subjecto potentiâ, in subjecto verò actu & habitu opponuntur; & quoniam justitia & perfectio convenientiam habent habitu & actu, oportet, quòd justitia & defectus remoti sint & contrarii habitu & potentiâ: cùm autem eorum longinquitas magis affirmari debeat in E. I., quàm in N. R., oportet, quòd propinquitas justitiæ & perfectionis magis affirmari debeat in E. I., quàm in N. R.; quod si non, præmissa principia delerentur, quorum destructio est impossibilis.

Camera 95.

[*Justitia, Culpa.*]

JUstitia & culpa fortiùs contrariantur in E. I., quàm in N. R.; quia, si non, sequeretur, quòd culpa & pœna majorem contrarietatem cum justitia haberent per K. L., quàm per B. C., & quàm per F. G.; quod est inconveniens: quo demonstratur, quòd justitia & meritum majorem convenientiam habent contra injuriam & culpam in E. I., quàm in N. R.; cujus si foret contrarium, sequeretur, quòd justitia & gloria majorem convenientiam haberent per K. L., quàm per B. C. F. G., quod est inconveniens.

Camera 96.

[*Justitia, Voluntas.*]

SI justitia & voluntas nullam differentiam haberent, impossibilis esset concordantia inter voluntatem & injuriam, & esset impossibile, quòd justitia puniret voluntatem: si autem justitia & voluntas majorem convenientiam habent in N. R., quàm in E. I., est impossibile, quòd major culpa sit per opus ipsorum E. I., quàm per opus ipsorum N. R.; & si hoc est impossibile, oportet, quòd possibile sit, ut opere ipsorum E. I. justitia & voluntas majorem concordantiam habeant, quàm opere ipsorum N. R.; quâ majori concordantiâ meritum & gloria majorem convenientiam habent per E. I., quàm per N. R.

Camera 97.

[*Justitia, Pœna.*]

JUstitia & gloria majorem convenientiam habent in majoritate, quàm in minoritate: & ideo justitia majorem pœnam tribuit majori culpæ, quàm minori; cùm major culpa magis sit contraria gloriæ, quàm minor; quæ gloria cum justitia concordat; quâ convenientiâ justitia & gloria habent majorem convenientiam in E. I., quàm in N. R. Præterea justitia & culpa longiùs removentur per E. I., quàm per N. R.; quâ majori longinquitate justitia præbet majorem pœnam per E. I., quàm per N. R.

Camera 98.

[*Justitia, Privatio.*]

JUstitia elongatur à privatione tam per sapientiam, quàm per se ipsam; cùm unum & idem cum sapientia & perfectione existat: cùm autem liberum arbitrium sit demon-

demonstratio perfectionis justitiæ, & prædestinatio perfectionis sapientiæ, propterea oportet necessariò, quòd prædestinatio & liberum arbitrium æqualiter distent in S. à privatione; quia, si non, sequeretur, quòd privatio non esset æqualiter remota à justitia, sapientia & perfectione ipsius A., & hoc est inconveniens.

Camera 99.

[*Justitia, Ignorantia.*]

SI justitia judicare posset majorem pœnam per ignorantiam, quàm per scientiam, magis punire posset S. per N. R., quàm per E. I.; præterea posset & deberet judicare S. ad majorem gloriam minori merito, quàm majori, & animalia irrationalia gloriâ perdurabili dignaretur propter justitiam, ignorantiam & privationem meriti; quod est inconveniens: in quo conditionatur hæc camera ad majoritatem scientiæ & justitiæ contra minorem longinquitatem justitiæ & ignorantiæ.

Camera 100.

[*Liberum Arbitrium, Defectus.*]

LIberum arbitrium & perfectio conveniunt in istis cameris [E. A. V. Y.] [I. V. Z.]; conveniunt autem liberum arbitrium & defectus in istis cameris [E. V. Z.] [I. A. V. Y.]; quia verò convenientia præcedentium duarum camerarum major existit contra concordantiam sequentium camerarum, propterea liberum arbitrium & perfectio ad majorem convenientiam se habent in E. I., quàm in N. R.: & quia illud, per quod liberum arbitrium & defectus magis longinquantur, est libero arbitrio & ipsi perfectioni propinquius, & magis à privatione remotum, idcirco necesse est, quòd præmissa major longinquitas & propinquitas affirmetur: quia, si negaretur, præmissa principia delerentur, quorum destructio est impossibilis; quia, si possibilis esset, conveniens esset, gloriam & defectum contra pœnam & perfectionem convenire; quod est inconveniens.

Camera 101.

[*Liberum Arbitrium, Culpa.*]

SI liberum arbitrium culpam haberet, culpa esset creatura; & quia est inconveniens, quòd culpa sit creatura, propterea per operationem, quam habent E. I. contra perfectionem, mediantibus eisdem E. I. liberum arbitrium & culpa conveniunt: habent etiam contrarietatem mediantibus eisdem E. I., quando eorum operatio contra defectum existit: & quia culpa convenit ad majorem quantitatem in E. I., quàm in N. R., propterea necesse est, quòd liberum arbitrium se habeat ad majorem concordantiam vel contrarietatem ad culpam in E. I., quàm in N. R. Unde, si N. dubitat in duobus suppositis contradictoriis propter cameram, oportet, quòd F. G. recurrant ad majoritatem viridis, quæ affirmanda est secundùm suprà dicta principia.

Camera 102.

[*Liberum Arbitrium, Voluntas.*]

LIberum arbitrium ad majorem majoritatem se habet in D., quàm in C., & in H., quàm in G., & in E., quàm in I.; quod est, quia pœna magis remota est à D. in C., quàm ab H. in G. Quod cùm ita sit, demonstratur, quòd liberum arbitrium & voluntas majorem differentiam & concordantiam habent in E. I., quàm in N. R. Unde, si particulare contra majorem differentiam & concordantiam existit, oportet ejus oppositum esse in Y.; nam, si esset in Z., esset camera bonitatis & magnitudinis contra majoritatem suprà dictæ cameræ; quod est inconveniens.

Camera 103.

[*Liberum Arbitrium, Pœna.*]

VElut liberum arbitrium melius se habet ad D., quàm ad C., & ad H., quàm ad G., sic culpa & pœna se habent ad majorem concordantiam per C. G., quàm per L.; præterea gloria & meritum se habent ad majorem convenientiam per C. G., quàm per L. Igitur, cùm hoc ita sit, demonstratur, quòd liberum arbitrium & pœna magis differant & concordent, vel magis differant & contrarientur per E. I., quàm per N. R.; contra quam convenientiam & contrarietatem est impossibile quòd existat camera justitiæ & magnitudinis; quia, si sic, majoritati gloriæ & meriti repugnaret; hoc autem est inconveniens & contra cameram magnitudinis & largitatis.

Camera 104.

[*Liberum Arbitrium, Privatio.*]

LIberum arbitrium est magis remotum à privatione per majoritatem boni operis in E. I., quàm per minoritatem; & ideo privationi est propinquius in N. R., quàm in E. I.: & si A. esset contra præmissam ordinationem, liberum arbitrium esset majus minori operatione in Y., quàm majori; & privatio magis cum perfectione concordaret, quàm esse; quod est inconveniens.

Camera 105.

[*Liberum Arbitrium, Ignorantia.*]

SI liberum arbitrium haberet majorem concordantiam cum majoritate in N. R., quàm in E. I., haberet majorem convenientiam cum majoritate in camerâ dubitationis & ignorantiæ, quàm affirmationis & scientiæ; hoc autem est inconveniens, contra quod demonstratur, quòd liberum arbitrium & ignorantia sunt remotiores in E. I., quàm in N. R., & quòd liberum arbitrium & scientia sunt propinquiores in E. I., quàm in N. R., & quòd ignorantia & dubitatio sunt magis propinquæ in N. R., quàm in E. I. Quod cùm ita sit, præmissis principiis demonstratur, quòd liberum arbitrium & scientia majorem rubeum habent in E. I., quàm in N. R.

Camera 106.

[*Defectus, Culpa.*]

DEfectus & culpa habent majorem convenientiam in E. I., quàm in N. R.; & ideo oportet, quòd perfectio & meritum habeant majorem concordantiam in E. I., quàm in N. R. Unde, si particulare significat concordantiam perfectionis & defectûs, seu perfectionis & culpæ, vel meriti & defectûs, oportet, quòd F. G. decurrant per cameras ipsorum T. A. V. X., quousque oppositum ipsius concordantiæ reperiant, & quòd per aliud vel alia particularia destruant majorem convenientiam perfectionis & defectûs, seu perfectionis & culpæ, vel meriti & defectûs. Cùm autem hoc sit in universali ex conditionibus cameræ & aliarum camerarum, propterea in generali conditionamus cameras hujus Artis in suprà dictis principiis.

Camera 107.

[*Defectus, Voluntas.*]

QUò major defectus existit in B. C. F. G., eò major debet esse in D. H.: & ideo demonstratur, quòd perfectio ad majorem voluntatem se habet in B. C. F. G., quàm in K. L.; quâ majoritate voluntas se habet ad majorem perfectionem in D. H., quàm in M. Q. Cùm verò E. I. deficiunt in B. C. F. G., tunc M. opere ipsius A. sublimatur, ut inde B. C. F. G. majorem exaltationem ad subtilitatem possint habere, & ut inde D. H. habeant majorem animositatem.

Camera 108.

[*Defectus, Pœna.*]

DEfectus & pœna conveniunt propter culpam cum defectu & pœnâ concordantem; culpa verò & pœna propter ignorantiam opponuntur; quâ contrarietate pœna & culpa majorem convenientiam habent in E. I., quàm in N. R.; quâ majori concordantiâ perfectio & meritum majorem convenientiam habent in E. I., quàm in N. R.; cujus si foret contrarium, sequeretur, quòd in E. I. perfectio & meritum minorem concordantiam haberent contra pœnam & defectum, quàm in N. R.; quod est inconveniens.

Camera 109.

[*Defectus, Privatio.*]

DEfectus & privatio propinquiores & remotiores sunt in E. I. secundùm diversa objecta, quàm in N. R.; & ideo secundùm diversas cameras [E. I. N. R.] [A. T. V. X. Y. Z.] esse & perfectio magis propinqua sunt & magis remota per E. I., quàm per N. R. Quod cùm ita sit, si non est dare tantum perfectionis ipsis E. I., quantum ipsis N. R., sequitur, quòd non est danda affirmatio suprà dictis principiis; quod est inconveniens.

Camera 110.

[*Defectus*, *Ignorantia.*]

DEfectus & ignorantia propinquiores sunt in dubitatione, quàm in affirmatione & negatione, in quibus perfectio & scientia conveniunt; & ideo perfectio & scientia majorem possibilitatem habent remotiores existere à defectu & ignorantiâ in E. I., quàm in N. R., in quibus defectus & ignorantia habent majorem possibilitatem propinquiores esse dubitationi, quàm in E. I.; & præterea possunt esse magis remoti ab affirmatione & negatione in N. R., quàm in E. I.

Camera 111.

[*Culpa*, *Voluntas.*]

ILlud, per quod culpa & voluntas propinquiores sunt, magis propinquum est secundùm perfectionem & justitiam ipsi H., & longiùs remotum à D., quàm id, per quod magis remotæ sunt ab H., & magis propinquæ ipsi D.; quod si non esset, sequeretur, quòd propinquitas culpæ & voluntatis se haberet ad perfectionem & justitiam, & longinquitas earundem ad injuriam & defectum; hoc autem est inconveniens: quo demonstratur, quòd id, in quo culpa & voluntas majorem propinquitatem possunt habere, necesse est esse fortiùs in H., quàm in M., & magis existere longinquitatem earundem in D., quàm in M.

Camera 112.

[*Culpa*, *Pœna.*]

CUlpa & pœna majorem convenientiam habent in majoritate defectûs & privationis, quàm in minoritate; & quoniam culpa potest major existere in E. I., quàm in N. R., oportet, quòd in E. I. majus meritum esse possit, quàm in N. R.; quâ majoritate meriti & culpæ major pœna seu major gloria potest esse in E. I., quàm in N. R.; quod si esset inconveniens, in rebus magis necessariis deficeret camera justitiæ & sapientiæ ipsis E. I. contra præmissa principia, & liceret uti camerâ F. G. H. A., quod est inconveniens.

Camera 113.

[*Culpa*, *Privatio.*]

QUò major est culpa, eò major privatio boni multiplicatur; & ideo culpa & privatio tantò majorem quantitatem habent, quò longiùs à merito & esse removentur, & tantò minorem, quò magis eisdem appropinquant. Quod cùm ita sit, H. est magis propinquum, & D. est magis remotum per justitiam & prudentiam earum majori quantitati, quàm earum minori quantitati: & quoniam culpa & privatio longiùs removeri possunt in E. I., quàm in N. R., oportet, quòd H. meliùs possit appropinquari cameræ, quàm M.; præterea quòd D. magis possit elongari à camerâ, quàm M.

Camera 114.

[*Culpa*, *Ignorantia.*]

SI culpa & ignorantia haberent majorem concordantiam in N., quàm in E. I., meritum esset contra scientiam, & culpa contra se ipsam; & sequeretur, culpam bonam & malam in se ipsâ existere, quod est contradictio, quâ demonstratur, quòd si in N. culpa potest esse remota per ignorantiam, & meritum ipsi N. potest esse propinquum per ignorantiam, quantò magis culpa potest esse remota per scientiam ab ipsis E. I., & meritum potest esse propinquum per scientiam ipsis E. I.; quod si non esset, sequeretur, quòd meritum, esse & scientia negarent suprà dicta principia, quod est inconveniens.

Camera 115.

[*Voluntas*, *Pœna.*]

SI esset major impossibilitas ipsis C. G. scire id, quod est major necessitas ipsis D. H., esset major possibilitas ipsis C. G. scire id, quod est minor necessitas ipsis D. H.; præterea sequeretur, quòd in voluntate major pœna esset propter majus meritum, quàm propter majorem culpam; quod est contra cameram [Justitiæ & Charitatis] & cameram [Prudentiæ & Fortitudinis] & esset concordantia, ex qua sequeretur, quòd pœna & culpa, & meritum & gloria repugnarent; hoc autem est inconveniens.

Camera 116.

[*Voluntas*, *Privatio.*]

NEst exaltatio ipsius C., & C. est exaltatio ipsius D.; & ideo oportet, quòd, quò remotiores sunt D. & privatio, eò remotiores existant C. & ignorantia: si verò D. non esset multiplicatio ipsius C., privatio esset magis remota à C. per M., quàm per D.; hoc autem est inconveniens, unde sequeretur convenientia voluntatis & privationis contra voluntatem & esse; & hoc est impossibile & contradictio. Idcirco hujus demonstratio facta est, ad quod demonstratione metaphoricâ conditionatæ fuerunt plurimæ camerarum ipsius X.

Camera 117.

[*Voluntas*, *Ignorantia.*]

VOluntas & scientia nequaquam habent tam magnam participationem per imaginari, quàm per intelligere; quia, si sic, sequeretur, quòd imaginari magis repugnaret ipsi ignorare, quàm intelligere; præterea quòd imaginari & velle magis ad invicem convenirent, quàm velle & intelligere; quod est inconveniens: quo demonstratur, quòd scientia est magis remota à voluntate per imaginari, quàm per intelligere; quâ longinquitate demonstratur, quòd dubitare est magis remotum ab intelligere per scire, quàm per imaginari, & dubitare est magis propinquum ipsi ignorare in N., quàm in E.: propterea demonstratur, quòd id, per quod voluntas & ignorantia propinquiorem participationem habent, fortiùs est renuendum, quàm id, per quod minorem propinquitatem habent.

Camera 118.

[*Pœna*, *Privatio.*]

SI major pœna non esset in S. privatione operis ipsorum E. I. in bono, quàm privatione operis ipsorum N. R., esset major gloria magis ipsi esse propinqua per N. R., quàm per E. I., & esset concordantia inter pœnam & esse contra gloriam & privationem, quod est inconveniens; cùm gloria & esse conveniant, pœna verò & privatio, ut justitia, potestas, sapientia & perfectio in A. existant. Quod cùm ita sit, secundùm præmissa principia demonstratur, oppositum cameræ meliùs se habere ad E. I., quàm ad N. R.

Camera 119.

[*Pœna*, *Ignorantia.*]

PŒna & intelligere ad majoritatem se habent, pœna verò & ignorare ad minoritatem; nam, quò magis C. pœnam intelligit in D., eò magis est D. in pœnâ propter C., quàm sit M. in pœna propter L.; cujus si foret contrarium, sequeretur, quòd pœna magis multiplicari posset propter oblivisci, quàm propter recolere, & propter diligere culpam, quàm propter amare gloriam; hoc autem est inconveniens: quo demonstratur, qualiter camera conditionari debet.

Camera 120.

[*Privatio*, *Ignorantia.*]

IGnorantia est privatio scientiæ, & scientia remotior est à privatione in E. I., quàm in N. R.; si autem privatio & ignorantia majorem convenientiam haberent in E. I., quàm in N. R., sequeretur, quòd privatio & scientia majorem convenientiam haberent, quàm scientia & ignorantia contrarietatem; hoc autem est inconveniens: quo camera conditionatur ad significandum particulare per metaphoram superiùs secretè demonstratam, cujus demonstratio universalis est ad manifestanda multa alia particularia quæsita per Artem, quâ id ipsum est ostensum.


Perfecta est figura ipsius X. divinâ gratiâ. *Nunc oportet nos de quatuor scientiis generalibus videlicet Theologiâ, Philosophiâ, Jure & Medicinâ tractare* opportunè

per cameras ipsorum S. T. A. V. X. Y. Z., taliter de præmissis scientiis discurrentes, quòd prædictarum figurarum cameræ cum suis conditionibus his quatuor scientiis concordantes existant, quibus conditiones & regulas eisdem cameris præbuimus, ut in universalibus inquirantur & inveniantur particularia ad gloriam & laudem ipsius A.

TAB. 3. FIGURA FIG.

Principiorum Theologiæ.

B	*Divina Essentia*	F	*Præcepta.*	K	*Dilectio.*	O	*Suppositio.*
C	*Dignitates.*	G	*Sacramenta.*	L	*Simplicitas.*	P	*Expositio.*
D	*Operatio.*	H	*Virtus.*	M	*Compositio.*	Q	*Prima Intentio.*
E	*Articuli.*	I	*Cognitio.*	N	*Ordinatio.*	R	*Secunda Intentio*



(1)

DIVI RAYMUNDI LULLI DOCTORIS ILLUMINATI LIBER PRINCIPIORUM THEOLOGIÆ.

DEUS, qui es Suprema Virtus immobilis, movens ac ad esse perducens omnes alias virtutes, illumina intellectum & memoriam tui servi gratiâ Sapientiæ, ejúsque voluntatem imbue amore hujus Sanctissimæ Artis, quæ est de *Principiis Theologiæ*, ad ostendendum tuas justissimas & sublimes Dignitates inchoantibus, per quarum cognitionem humana Natura tuis præceptis semper sit obediens & subjecta.

DE PROLOGO.

THeologia est Scientia de DEO loquens; & cùm multa supponantur in Theologia, quorum probatio à nemine necessariis rationibus hactenus est tradita, igitur nos patrocinio & gratiâ Altissimi Opificis aliqua de Theologia nondum ab aliquo probata sub brevibus principiis *ad necessarias Rationes* ducere proponimus, ut illa sint Ars & Doctrina ad demonstranda omnia alia, quæ in Theologia non probantur, sed solùm supponuntur, *rationibus necessitantibus intellectum.*

Hæc autem Ars in *duas Partes* dividitur; in quarum *prima Parte* probamus & conditionamus sedecim Principia, circa quorum notitiam versatur fundamentum totius præsentis Artis, & ex quibus composita est suprà scripta Figura *in centum viginti Floribus* figurata; & quodlibet istorum Principiorum in prima parte hujus operis propriis & convenientibus conditionibus ac necessariis probationibus demonstramus. *In secunda Parte* conditionamus unum Principium cum alio sic omnia ad invicem combinando, ut per regulam illarum conditionum homo queat reducere particularia, quæ inquirit, ad necessaria principia.

Sedecim Principia, ex quibus hæc figura est composita, sunt hæc: *Divina Essentia, Dignitates, Operatio, Articuli, Præcepta, Sacramenta, Virtus, Cognitio, Dilectio, Simplicitas, Compositio, Ordinatio, Suppositio, Expositio, Prima Intentio, Secunda Intentio:* & ut breviùs loquamur, ac principia faciliùs & meliùs per hanc Artem valeant habere discursum, supponimus, B. esse *Divinam Essentiam*, C. *Dignitates*, D. *Operationem*, E. *Articulos*, F. *Præcepta*, G. *Sacramenta*, H. *Virtutem*, I. *Cognitionem*, K. *Dile-*

K. *Dilectionem*, L. *Simplicitatem*, M. *Compositionem*, N. *Ordinationem*, O. *Suppositionem*, P. *Expositionem*, Q. *Primam Intentionem*, R. *Secundam Intentionem*.

Ad conditionandum prædicta principia nos accipimus & conjungimus A. S. T. V. X. Y. Z., ut principia hujus Artis sequantur conditiones & regulas ipsorum A. S. T. V. X. Y. Z.; quas conditiones & regulas habent *in Arte Compendiosa inveniendi veritatem*, in qua supponitur, A. esse *Deum*, S. *Animam*, T. *Principia*, V. *Virtutes & Vitia*, X. *Prædestinationem*, Y. *Veritatem*, Z. *Falsitatem*. Quamlibet autem istarum literarum oportet existere in floribus suprà dictæ figuræ: licèt A. & B. idem secundùm rem significent, nihilominus inter ipsa assignamus differentiam solâ appellatione in eo scilicet, quòd A. appellatur DEUS, B. verò Divina Essentia; & ideo per cameras A. & per C., quod significat dignitates ipsius B., unum & idem intelligimus in hac Arte.

INCIPIT PRIMA PARS QUÆ EST DE Probatione & Conditionibus XVI. Principiorum cujuslibet per se.

PRæsens Pars hujus operis dividitur in sedecim Distinctiones, quæ sunt B. C. D. E. F. G. H. I. K. L. M. N. O. P. Q. R.: & primò incipimus probare & conditionare ipsum B., & sic ulteriùs cætera principia ordinatè.

DISTINCTIO I. De Divina Essentia sive de B.

CUm *unum principium sit probabile per alterum vi connexionis, quam habet unum cum altero*, igitur ad probandum, B. existere, convenientia sunt C. D. H. L., in quibus humano intellectui B. multis necessariis rationibus demonstratur; & ideo ad probandum B. eligimus tantùm *quatuor Rationes*, inter quas præmittimus istam primò.

De Probatione ipsius B.

P*rima Ratio.* Certum est, quòd bonitas habet majorem concordantiam cum perfectione in magnitudine, quàm in minoritate; perfectio etiam est majus bonum in B., in quo non sit differentia essentiæ ab esse; & est minus bonum in essentia, quæ sit differens ab esse; cùm perfectio & esse sint per Q., & essentia naturaliter differens ab esse sit per R. secundùm N. Unde cùm hoc ita sit, si existit B., in quo B. non sit differentia essentiæ ab esse, C. D. H. L. habent in B. majorem perfectionem, & perfectio ipsius C. existit in B. D. H. L. absque M. & absque eo, quòd ibi sit minoritas, privatio & defectus: & si B. nihil est, impossibile est, quòd C. D. H. L. possint habere concordantiam ipsius esse & perfectionis absque M. & absque minoritate & privatione ipsorum C. D. H. L.; hoc autem est inconveniens & manifesta contradictio; est etiam contra N. Q. R.; quâ inconvenientiâ, contradictione & contrarietate demonstratur, ipsum B. existere.

Secunda Ratio est, quòd æternitas habet majorem concordantiam cum majoritate in infinita magnitudine sinè termino mensurationis, quàm in finita magnitudine habente finitum terminum quantitatis; & magnitudo finitæ ac terminatæ quantitatis habet majorem concordantiam cum æternitate in æterna duratione, quàm in duratione, cujus quantitas finito termino mensuratur. Igitur cùm hoc ita sit, necessariò convenit, unum B. infinitum in immensurabili magnitudine existere, cum quo æternitas habeat majorem concordantiam in D. H. L. N., quàm cum magnitudine habente finitam & mensurabilem quantitatem: si enim non ita esset, sequeretur, quòd æternitas esset per R., & subjectum æternitatis esset per Q.; etiam infinita duratio in H. L. I. K. esset concordans cum minoritate, & subjectum finitæ quantitatis in H. Q. M. I. K. esset concordans cum majoritate; hoc autem est contra N. & contra Q. R.; quâ contrarietate demonstratur, ipsum B. necessariò existere.

Tertia Ratio est, quòd, si B. nihil est, sequitur, quòd C. non habet potestatem in D. secundùm infinitam magnitudinem mensurationis, & operatio est per triangulum viridem, croceum & rubeum in æternitate sinè principio & fine; in qua æternitate est impossibile, quòd I. K. H. L. in uno numero seu in uno subjecto existant; & æternitas est æquale subjectum ipsis V. rubeo & livido & Z. & Y., & D. L. est odibile quadrangulo nigro ipsius S.; esse etiam & privatio æqualiter concordant in H. L. M. N. D. R. Q., privatio quoque & defectus habent æqualem concordantiam in omnibus membris ipsius X.; hoc autem est irrationabile & evidenter inconveniens: & si B. existit in esse, nullum suprà dictorum inconvenientium sequitur, & sequuntur omnia convenientia, quæ possunt esse in C. D. H. I. K. L. M. N. Q. R.: & cùm conveniens & inconveniens sint inter se contraria, sed conveniens, majoritas, perfectio, esse & Y. concordent, inconveniens verò, minoritas, defectus, privatio & Z. conveniant, ostenditur, quòd B. necessariò existit in esse; quæ demonstratio manifestè patet in suprà dicta consequentia.

Quarta Ratio est hæc, videlicet, quòd esse & perfectio concordant, privatio autem & defectus similiter conveniunt; esse etiam & perfectio contradicunt privationi & defectui; cùm esse & privatio sint contraria, & perfectio & defectus. Igitur cùm hoc ita sit, si B. non esset ens per se existens in L. absque privatione & defectu, sequeretur, quòd C. in L. H. nullatenus posset concordare absque M. compositio ex esse & perfectione, privatione & defectu; cùm in firmamento & in omnibus, quæ firmamentum continet; sint perfectio & esse, privatio & defectus. Unde, si B. nihil esset, infinitas ipsorum C. D. H. L. esset in privatione & defectu, finis autem & terminatio ipsorum C. D. H. L. esset in esse & perfectione; & ideo defectus & privatio concordarent cum majoritate, perfectio verò & esse concordarent cum minoritate, & foret naturale cuilibet substantiæ & voluntati in triangulo rubeo & croceo appetere naturali appetitu privationem & defectum; hoc autem est inconveniens & contra V. Y. & contra V. Z. & contra quadrangulos S. & contra regulam & naturam triangulorum ipsius T.; quo inconvenienti & quâ contrarietate demonstratur, quòd B. existit in esse; quod B. est cum C. D. H. L. una & eadem essentia, per se ipsam in sua perfectione manens infinitum in C. D. H. L. sinè defectu & privatione.

Multis aliis rationibus est probabile, B. existere, secundùm quod ostenditur in figura ipsius A. in *Arte Magna inveniendi veritatem*, & secundùm quod in *Principiis Philosophiæ* ostenditur esse Prima Causa; & ideo ad probandum & demonstrandum, B. existere, quatuor suprà dictæ rationes sufficiant.

De Conditionibus ipsius B.

MUltæ sunt conditiones non immeritò ipsi B. attributæ; veruntamen nos in hoc loco de *quinque* solummodo tractamus, quarum hæc est

Prima Conditio. Certum est, quòd omnis substantia continet in se H. D.; & ideo oportet, quòd B. in se ipso contineat H. D.: quia, si non, sequeretur, quòd in B. concordarent minoritas, defectus & privatio, & in aliis substantiis concordarent majoritas, perfectio & esse; hoc autem est inconveniens: in quo inconvenienti designatur prima conditio ipsius B.; hæc autem conditio est actus substantiandi (in divinis unam substantiam operandi); sicut enim actus I. est cognoscere, & actus K. diligere, sic actus B. est substantiare in divinis; & si non esset ita, B. existeret per R., & I. K. existerent per Q. in natura.

Secunda Conditio est, quòd B. habeat in se C., quod C. sit actus bonitatis, magnitudinis, æternitatis, potestatis, sapientiæ, amoris, perfectionis aliarúmque camerarum ipsius A.: nam sicut lineæ trianguli tres angulos, ex quibus triangulus foret compositus, non possent facere, si à rectitudine in obliquitatem contra angulos deviarent, ita B. non posset existere absque dignitatibus suæ naturæ & suo esse convenientibus & similibus ac æqualibus suæ essentialitati & entitati; nec illæ dignitates in B. possent existere, si se inclinarent ad aliquam minoritatem, privationem & defectum.

Tertia Conditio est, quòd illud D., quod B. habet in se ipso, sit æquale ipsi B. in infini-

tis C. H. L.: & si non esset ita, sequeretur, quòd in B. existeret M. in triangulo viridi, croceo & rubeo; esset etiam B. per Q., & D., quod habet B. in se ipso, per R.; hoc autem est inconveniens & contra B. D.; est etiam in N. contradicens quadrangulis ipsius S.

Quarta Conditio est, quòd B. majoritati ipsius D. minimè contradicat; in qua majoritate magnitudo fortiùs significatur, quam B. habet in C. D. H. L. E. F. G.; quia, si contradiceret, sequeretur, quòd B contradiceret sibi ipsi & etiam I. K. in triangulo rubeo; esset etiam odibile per quadrangulum nigrum ipsius S.; hoc autem est manifestè inconveniens.

Quinta Conditio est, quòd effectus ipsius B., quem extra se ipsum operatur in creaturis, contineat aliquam similitudinem de B., & de D., quod B. habet in semet ipso, ut ex hoc suus effectus habeat majora H. D. N. I. K., & ut longiùs distet à defectu, privatione, V. rubeo & Z.; & quòd inter B. & suum effectum major concordantia reperiatur: quod si non esset ita, sequeretur, quòd ipsum B. esset contrarium cameris ipsius A., & quòd in creaturis esset major similitudo & concordantia inter artificem & artificiatum & operationes, quàm inter B. & suum effectum; hoc autem est inconveniens & dissonum rationi.

De Probatione ipsius C.

Prima Ratio, quâ probamus ipsum C., est cum B.: scilicet probatum est, B. existere necessariò; quod B. non posset existere absque C.; & quia B. est, igitur est necessarium, C. existere; quia si B. existeret sinè C., sequeretur, quòd ipsum B. concordaret cum opposito ipsius C., & etiam C. conveniret in Q. H. cum minoritate & privatione, ejus verò oppositum concordaret cum majoritate & esse; hoc autem est impossibile, & manifestè implicat contradictionem.

Secunda Ratio est, cùm C. est demonstrabile in se probando unam dignitatem per aliam, videlicet sic: bonitas & magnitudo conveniunt in esse unus actus, qui est bonificare, magnificare; & ideo omne bonum est magìs amabile & appetibile in majoritate, quàm in minoritate, & omne malum est magìs odibile in majoritate, quàm in minoritate. Unde, cùm hoc ita sit, oportet necessariò, quòd bonitas & magnitudo habeant infinitam concordantiam in infinito actu: quia, si non haberent, sequeretur, quòd malum & minoritas minimè concordarent cum privatione & terminatione, privatio etiam boni & majoritatis existeret in infinitate mali & minoritatis; hoc autem est inconveniens & contra quadrangulos ipsius S., in quibus bonitas & magnitudo sunt amabiles in quadrangulo livido, & malum & minoritas sunt odibiles in nigro. Igitur cùm hoc ita sit, oportet necessariò bonitatem & magnitudinem in B. existere infinitè; quod si non esset, sequerentur omnia suprà dicta inconvenientia, & minus bonum esset magìs amabile, quàm majus, & minus malum esset magìs odibile, quàm majus per naturam; hoc autem evidenter est impossibile.

Certum est, quòd æternitas fortiùs manifestatur per infinitatem magnitudinis immensurabilis in bonitate, potestate, sapientia, amore, perfectione, quàm per bonum principiatum; quod bonum haberet principium à se ipso ex nihilo, si æternitas nihil esset; hoc autem principium constat esse impossibile secundùm naturam: & cùm æternitas seu infinita duratio & infinita magnitudo in bonitate, potestate, sapientia, amore & perfectione habeant majorem concordantiam, quàm æternitas & finita magnitudo in bonitate, potestate, amore & perfectione, ideo oportet, quòd major concordantia conveniat cum majoritate dignitatum

DISTINCTIO II.
De Dignitatibus sive de C.

PEr C. in hac Arte intelligimus Cameras ipsius A.; quæ cameræ profundissimè probantur in *Arte Magna:* veruntamen in his Principiis Theologiæ volumus C. demonstrare *tribus Rationibus*, quæ sub diversis generibus probationum sunt formatæ; inter quas *prima* est, cùm per B. probamus ipsum C.; & hæc probatio in Scientia Philosophiæ appellatur *Demonstratio propter quid: secunda* probatio est, cùm unam Dignitatem ipsius C. probamus cum alia; & *hæc est Demonstratio necessaria: tertia* probatio est, cùm probamus ipsum C. per ejus effectum; & hæc vocatur *Demonstratio quia.* Et cùm nos in hac Arte intendamus fugere prolixitatem, idcirco probamus de C. *septem Dignitates* tantùm, quæ sunt *Bonitas, Magnitudo, Æternitas, Potestas, Sapientia, Amor, Perfectio;* & per has septem tractamus ipsum C. in hac Scientia Theologiæ.

tatum & cum esse: quia, si non, sequeretur, quòd major concordantia esset in privatione, & minor in esse, & naturaliter resultaret major concordantia bonitatis, magnitudinis, potestatis, sapientiæ, amoris & perfectionis ex privatione, quàm ex esse; hoc autem est inconveniens; quo inconvenienti demonstratur, C. existere.

Si actus potestatis, sapientiæ, amoris, perfectionis esset finitus in bonitate & magnitudine in ente per se existente æternaliter, esset infinitas in duratione per R., & ens finitum in bonitate, magnitudine, potestate, sapientia, amore & perfectione existeret per Q., & H. I. K. L. N. haberent æqualem concordantiam cum R. & cum Q.; hoc autem est inconveniens & manifesta contradictio, quâ C. est demonstrabile, ût apparet. Præterea genera & species, quibus subjiciuntur individua in M. existentia, essent æterna, & non esset bonitas, magnitudo, æternitas, potestas, sapientia, amor, perfectio in ente infinito, & in C. esset conversus triangulus rubeus, & hoc, quod est principium & medium, esset finis, & finis esset principium & medium in eo, quòd genera & species essent per Q., & eorum individua per R.; hoc autem est inconveniens, quo C. manifestè demonstratur.

Tertia Ratio est, cùm C. ostenditur per suum effectum, videlicet per D., quod B. habet intrinsecè in se ipso, ût probavimus; nam esto, quòd nos appellemus ipsum C. his vocabulis, scilicet bonitate, magnitudine, æternitate, ex hoc non sequitur, quòd, in quantum sunt unum B., una dignitas sit distincta ab alia; quia, si esset, existerent plura B.; ex quo plurima inconvenientia sequerentur: nec absque distinctione suppositorum illæ suprà dictæ dignitates haberent D. in se ipsis per H. L. Q, in quibus suppositis essent distinctæ & diversæ, & in B. communes; nec etiam absque D. & concordantia ipsarum dignitatum suppositа essent in B. unum distinctum ab alio, & insimul unum B. non diversa. Igitur cum hoc ita sit necessarium, secundùm quod ipsis B. C. D. H. I. K. L. N. Q. est conveniens, ergo per effectum dignitatum in suppositis ipsius B. ipsum C. existere demonstratur.

De Conditionibus ipsius C.

VOlumus in hoc loco *quinque Conditionibus* inter alias ipsum C. conditionare, quarum

Prima Conditio hæc est, videlicet quòd dignitates sint communes in ipso B., & quòd B. C. in H. L. absque aliqua distinctione sint unum, & quòd in D. sint distincta suppositа in ipsis B. C., quæ suppositа in H. L. habeant proprias dignitates & æquales ipsi B. & communibus dignitatibus ipsius C.; quod si non esset, esset impossibile, quòd D. existeret in B. C., nec etiam B. C. possent esse A. & suæ cameræ.

Secunda Conditio est, quòd Q. L. K. I. H. existant in C. æqualiter; nam si bonitas, æternitas, potestas essent propter hoc, ut B. ad se ipsum haberet I. K., conveniret, quòd I. K. in H. L. necessariò concordarent in B. cum Q., & bonitas, æternitas, potestas in B. concordarent cum R.; hoc autem est inconveniens: per quod inconveniens significatur, quòd ipsum D. in B. C. habeat tantam concordantiam cum bonitate, magnitudine, æternitate, potestate & perfectione, quantam habet cum sapientia & amore; quam si non haberet, sequeretur, quòd I. K. haberent majora H. L. N. in B. C., quàm bonitas, magnitudo, æternitas, potestas & perfectio; hoc autem est inconveniens & contradicens rationi: propter quod manifestè ostenditur, quòd, sicut se habet actus ad ipsum I. per cognoscere, & ad ipsum K. per amare, sic se habet ad bonitatem per bonificare, & ad magnitudinem per magnificare: & sic de cæteris dignitatibus, cuilibet tribuendo proprium actum.

Tertia Conditio est, quòd nulla dignitatum ipsius C. alteri sit contraria, sed omnes sint insimul concordantes: nam si inter illas esset aliqua contrarietas, impossibile esset, quòd in B. existerent, & quòd in C. inveniretur aliqua perfectio, essent etiam in M.; sed hoc est inconveniens & ipsis H. L. N. contradicens.

Quarta Conditio est, quòd C. non concordet cum V. rubeo & Z., nec contradicat majoritati ipsius Y. & V. lividi; & quòd O. habeat tantò majorem concordantiam cum majoritate, quantò plùs S. habet ipsa I. K. in quadrangulo livido & in C.; quòd etiam P. exponat secundùm concordantiam ipsius C.; & V. lividum & Y. contradicant ipsis V. Z.

Quinta Conditio ipsius C. est, quòd in H. L. N. E. G. sint C. D. supra naturam creatam, ut I. K. in S. nobiliora & majora existant; & ut per hoc B. habeat majus D. ipsius creaturæ; & ut S. habeat majorem quadrangulum

rubeum & lividum ad ipsum C., & nigrum ad ipsa V.Z.

DISTINCTIO III.

De

Operatione, sive de D.

IN hac Arte intelligimus, D. potissimè esse operationem ipsorum B.C., h.e., actum operativum; quod D. est distinctum in operationem intrinsecam & extrinsecam, quam operationem intrinsecam B. habet in semetipso: hoc autem D. intrinsecum volumus probare *sex Rationibus*, de quibus præmittimus istam primò.

De Probatione ipsius D.

P*Rima Ratio.* Quò majorem concordantiam D. & esse habent in C., eò melius esse concordat cum majori perfectione; sed cùm B. habeat omne genus perfectionis, oportet, quòd D. fuerit in B. C. ante productionem mundi, cùm nihil tunc existeret, nisi solummodo ipsum A.: & si D. non esset in B.C., antequam mundus existeret, nunc, cùm B.C. habent D. in mundo, haberent majus H. in D., quàm in se ipsis; & B.C. essent per R. in H.; & C. esset habitus in H., & non actus, h.e., bonificare, magnificare, æternificare, & sic de aliis; & D. ipsorum B. C. esset in H. per Q. in mundo; quod est inconveniens & contrarium veritati. Propter quod demonstratur, quòd D. in B.C. existat ante principium hujus mundi.

Secunda Ratio est hæc: manifestum est, quòd proprium caloris est calefacere, & luminis illuminare; & ideo calor & lumen se habent ad operationem. Unde, si sapientia & voluntas ipsius C. se non haberent ad operandum in B., cognoscente I. & diligente K. in B. ipsum C., sequeretur, quòd calor & lumen haberent majorem actualitatem & concordantiam cum H.L.N. in D., quàm B.C.; hoc autem est manifestè falsum & impossibile: quia, si foret possibile, sequeretur, quòd B. C. haberent concordantiam cum minoritate, & etiam C. esset habitus ipsius B.; & ignis ac ejus lumen concordarent cum majoritate: vel sequeretur, quòd operatio concordaret cum privatione & defectu, sed privatio operationis conveniret cum esse & perfectione: vel sequeretur, quòd habitus in B. C. haberet majus H., quàm actus; quodlibet autem istorum est inconveniens. Idcirco per hoc significatur, quòd in B. sit D. per totum C.; quia, si esset, sequerentur omnia suprà dicta inconvenientia.

Tertia Ratio est, quòd in D. bonitas, magnitudo, æternitas, potestas, sapientia, amor, perfectio cum infinitate æqualiter concordent in H.L.Q. absque R.: quia, si non, sequeretur, quòd B. esset in M. per totum triangulum viridem, croceum & rubeum; & actus B. non haberet se per totum C., nec actus C. per totum B.; hoc autem est impossibile: quo impossibili demonstratur, quòd in D. tantum se habet bonitas ad bonificare, & magnitudo ad magnificare, & æternitas ad durare seu æternificare, & potestas ad possificare, sicut sapientia ad ipsum I., & amor ad ipsum K. per totum C. & B. Igitur, cùm hoc ita sit, oportet necessariò, D. intra ipsum B. existere per totum C.; quod si non esset, sequeretur, quòd I. K. in C. B. essent per Q.; & bonitas, magnitudo, æternitas, potestas, perfectio ibi existerent per R., & quòd essent habitus & non actus; hoc autem est impossibile.

Quarta Ratio est talis, videlicet, quòd, si in B. esset I. ad cognoscendum, & K. ad amandum bonitatem, magnitudinem, æternitatem, potestatem perfectionem, & ex isto intellectu & amore non operaretur intellectus æqualis ipsis I.K. & bonitati, magnitudini, æternitati, potestati, perfectioni, sequeretur, quòd D. esset in I.K. per R.; & in bonitate, magnitudine, æternitate, potestate, sapientia, amore, perfectione esset D. per Q., & in B.C. triangulus rubeus & croceus inveniretur; hoc autem est inconveniens: per quod inconveniens ostenditur, quòd D. sit in B. per totum C. æqualiter per H.L.Q.

Quinta Ratio est, quòd B. habens I.K. in C. habet D. in operando humanum esse, cùm ipsum creat, & facit existere magnum, bonum, durabile, potens, sapiens, & perfectum: unde, si B. non haberet in se D., sicut habet in se I.K. per totum C., haberet necessariò majora H.N. in I.K., cùm esse humanum intelligit & diligit, quàm cùm C. intelligit & diligit in se ipso; hoc autem esset inconveniens, propter quod ostensum est, D. in B. existere.

Sexta Ratio talis est: manifestum est, quòd H. ostendit se ipsum per D., & ostendendo se ipsum ostendit ipsum B.; unde, si B. non haberet D. in se ipso, H. demonstraret virtutem

virtutem ipsius B. in operatione extrinseca, & non esset, qui H. in B.C. ostenderet; hoc autem est inconveniens, & contra L.N.I.K. Q., est etiam contrarium ipsis V.Y., & cum V.Z. conveniens & concordans, & adversatur ipsi A. suísque cameris, quâ contrarietate & inconvenientiâ demonstratur, D. necessariò esse in B.C. intrinsecè.

Jam probavimus & demonstravimus, in B. existere D. intrinsecè; de D. autem, quod B. habet in suo effectu extrinsecè, hoc est, in creaturis, non oportet demonstrationem facere; nam secundùm conditiones ipsorum B.C.D. & secundùm alia principia eorúmque conditiones hoc ostenditur; & evidenter in *Principiis Philosophiæ* probavimus, qualiter B. est prima causa omnium entium.

De Conditionibus ipsius D.

COnditiones D. sunt *sex*, quarum hæc est

Prima Conditio, videlicet quòd D. per tota C.B. existat æqualiter absque distinctione ipsius C. in B., & ipsius B. in C.; & quòd D. per tota C. B. in suppositis sit distinctum: quod si non esset, nequiret existere actus operativus per tota C. B.; & hoc totum sic esse oportet, ut B. sit una essentia per totum C., & ut C. in B. non sit distinctum, D. autem sit diversorum suppositorum distinctorum ad invicem æqualium ipsis C. B. D., & D. ipsis C. B. penitus adæquetur.

Secunda Conditio est, quòd in D. existente in C. B. non sit R.; quia, si esset, sequeretur, quòd in D. ipsius C. inveniretur majoritas & minoritas, & Q ipsius D. existens in H.L.C.B. esset in M., in quo daretur unus actus major alio; hoc autem contradicit cameris ipsius A.: idcirco oportet, quòd D. habeat, in quo perfectionem habere possit; quam perfectionem habet in *tribus*, videlicet in A., in creatura, & in medio ipsius A. & creaturæ, hoc est, in G., in quo D. est in M. ipsius A. & creaturæ in H.N.L.

Tertia Conditio est, quòd D. intrinsecum ipsorum B.C.H.L. non sit in N. contra D. extrinsecum, nec contra majoritatem ipsorum S.V.Y., nec sit conveniens cum V.Z., nec etiam D. extrinsecum sit necessarium ipsi D. intrinseco in B., sed sit necessarium, quòd I.K. sint per R. in D. extrinseco, & per Q. in D. intrinseco.

Quarta Conditio est, quòd F.G.O.P.N. habeant tantò majorem concordantiam cum majoritate, quantò fortiùs I.K. ipsum D. in C.B. significant & ostendunt, & quòd D. ipsorum C.B. non sit contrarium majoritati ipsorum F.G.O.P.N.; quia, si non esset ita, esset D. in C.B. absque H.N.L.; hoc autem est inconveniens.

Quinta Conditio est, quòd D. non sit contrarium majoritati ipsius R.; quia, si esset, contradiceret ipsi Q., & per contrarietatem ipsorum D.Q. ipsum Q. contradiceret R., cum quo debet concordare in D. extrinseco, ut concordet cum D. intrinseco.

Sexta Conditio est, quòd, si creatura, quæ est finita, in triangulo rubeo haberet D., per quod fieret infinita, D. ipsius C. habeat illud H., per quod à terminis trianguli rubei sit extractum; quia, si non, sequeretur, quòd D. ipsius C. non haberet H. per totum C.

DISTINCTIO IV.

De

Articulis, sive de E.

PEr E. in hac arte intelliguntur *quatuordecim Articuli* Sanctæ Catholicæ Fidei; & ideo nos ad præsens intendimus probare aliquos Articulos, quorum probatione consequenter secundùm artem nota fiat probatio ipsius E. & aliorum Articulorum; nam, si quemlibet Articulum probaremus per se singulariter, fieret valde magna prolongatio artis & principiorum.

De Probatione ipsius E.

S*Eptem* sunt Articuli ad Deitatem pertinentes; & *septem*, qui pertinent ad Humanitatem nostri Domini JESU-Christi: pertinentes ad Deitatem sunt hi scilicet: *Unus DEUS, Pater, Filius & Spiritus Sanctus, Creator, Recreator*, & *Glorificator*. Hi verò sunt Articuli humanitatis Christi: JESUS *Christus incarnatus, Natus ex Virgine, Crucifixus, Descendit ad Inferos, Resurrexit, Ascendit ad Cœlos, Venturus est judicare bonos & malos.*

Ex septem Articulis ad Deitatem pertinentibus nunc ad probandum eligimus solùm *quinque* scilicet: *Trinitatem, Unitatem & Creationem:* de Articulis Humanitatis volumus solùm *quatuor* demonstrare, videlicet: *Christum incarnatum*, hoc est, *Conceptum de Spiritu Sancto, Natum ex Maria Virgine, Crucifixum*, & *Resuscitatum*, & per hos Articulos secundùm artem alii designantur.

Ante-

Antequam probemus Trinitatem, oportet demonstrare, Pluralitatem in A. existere; postmodum verò probare convenit numerum Trinitatis, & Unitatem ipsius B.; post hoc verò probare oportet, Generationem & Processionem in A. existere necessariò, quæ sic per ordinem sunt probanda.

De Pluralitate.

AD probandum Pluralitatem in B. *septem Rationes* inter alias assignamus, quarum

Prima Ratio est hæc: Omne, quod est in C., est infinitum, sed potestas est in C., ergo potestas ipsius C. est infinita; quæ potestas non posset esse infinita absque potente in D., qui possit in bono, magno, æterno, sapiente, amante, perfecto existente in toto C.: quòd si potestas est infinita in C. absque pluralitate, est in semet ipsa terminata & finita, nec potestatem habet in alio infinito, nec etiam est actus possificans scilicet D.; quod est inconveniens, & manifesta contradictio; est etiam contra C. H. D. I. K. L. Q. & contra nobilitatem ipsorum S. V. Y., & est concordans cum V. Z.

Secunda Ratio est ista: Omne, quod est in C., est infinitum, perfectio est in C., ergo perfectio est infinita; unde, si D. habet perfectionem in C., & ipsum C. existit in ipso B. sinè pluralitate suppositorum ad invicem distinctorum & perfectorum, sequitur, quòd perfectio in se ipsa & in ipsis C. D. B. est terminata & finita; nec est perfectio alteri perfecto infinito, nec etiam ab una perfectione infinita procedit alia perfectio infinita in concreto; & omne illud, cui perfectio est complementum, est extra ipsum C. finitum & terminatum, & in ipso C. est finita & infinita perfectio in abstracto; hoc autem est contra cameras ipsius A., & etiam evidens contradictio, propter quam oportet necessariò, quòd D. ipsius C. in perfectione suppositа multiplicet, ut ipsum H. sit in D. sinè aliqua terminatione infinitum. Igitur cùm hoc ita sit, secundùm modum præhabitum possumus probare per bonitatem, æternitatem, sapientiam, amorem, quòd ipsi D. ipsorum C. B. est necessarium multiplicare in B. distincta suppositа.

Tertia Ratio est, quòd secundùm majoritatem æqualitatis & concordantiæ in C. oportet ipsum D. habere H. in pluralitate, ut I. K. non sint in C. per Q., nec bonitas, magnitudo, æternitas, potestas, perfectio sint habitus per R.; nam si D. foret intrinsecum in ipsis B. C. sinè pluralitate, existeret una dignitas per Q., & alia per R.; etiam habitus esset distinctus ab actu, & B. non haberet actum essentiandi, hoc est, operandi essentiam; & oporteret ibi pluralitatem & non pluralitatem existere; quod est manifesta contradictio, per quam significatur, quòd in ipsis B. I. K. sunt suppositа distinctè æqualia ipsius D. ipsis C. B. I. K. æqualibus in suppositis.

Quarta Ratio talis est, videlicet quòd, si D. ipsorum C. B. in distinctis personis non existeret, ut ex hoc suum D. non esset in M., H. esset terminatum & finitum in ipsis L. N., & privaret in ipsis C. D. perfectionem per totam bonitatem, magnitudinem, æternitatem, potestatem, sapientiam & amorem; hoc autem est inconveniens, & contra conditiones ipsorum B. C. D. H. L. N., & etiam nobilitati quadrangulorum ipsius S. & ipsis V. Y. manifestè contradicens.

Quinta Ratio est, quòd, si B. nequit habere D. infinitè in creatura, eò quòd creatura est terminata & finita, ex hoc non sequitur, quòd B. non possit operari infinitum in bonitate, magnitudine, æternitate, potestate, perfectione, sapientia & amore; quia cum ipso D. habet majorem concordantiam in A., quàm in creaturis; sed sequitur, quòd D. non possit existere absque distinctione operantis & operati, & diligentis & dilecti, & sic de cæteris, in ipsis C. A.; & si D. sic potest operari, & non vult operari, in ejus voluntate existit defectus infiniti; hoc autem est inconveniens & contradicens conditionibus ipsorum B. C. D. H. I. K. L. N. Q. R.

Sexta Ratio est, quòd, si D. existit in B. absque pluralitate suppositorum, impossibile est, ipsum S. habere in gloria I. K. de D. ipsorum B. C.; nam sinè distinctione suppositorum nequiret in B. habere notitiam, nec posset secundùm Y. ab ipsis C. B. gloriam recipere in se ipso; fieret etiam ipsi S. injuria, & in C. A. cameræ ipsius privarentur. Unde, cùm major gloria sit, quam B. possit largiri ipsi S., si de suo D. intrinseco præbet ipsi notitiam, hanc autem gloriam S. recipere nequeat absque distinctione operantis & operati existentium in ipsis B. C., igitur in cameris ipsius A. ostenditur, & in triangulo rubeo & in quadrangulis ipsius S. & in V. Y., quòd operatio ipsius D. est in distinctis suppositis existentibus in B. C.

Septima Ratio sequitur, cujus intentio talis

talis est: manifestum est, quòd omne existens in B. est A.; sed B. se ipsum intelligit, ergo suum intelligere est A., & si est A., D. ipsius A. est infinitum per totum C. Unde, cùm S. hoc intellexit, intelligit, quòd suum intelligere, cùm se ipsum intelligit, non est S., imò est in H. pars ipsius S., sicut manus vel caput est pars corporis seu hominis: quòd si intelligere ipsius S. esset S., & non pars ejus, in essentia ipsius S. existeret pluralitas, cùm intelligit semet ipsum; nam si ibi non esset pluralitas, esset impossibile, quòd suum intelligere esset S.; & si S. haberet infinitam pluralitatem in ipsis C. D., ipsum S. esset A., & non creatura: & cùm in A. B. C. D. conveniat illud existere, per quod S. esset A., & non creatura, ideo convenit, quòd in A. sit pluralitas suppositorum; quia, si non, in A. non esset H. per ipsa C. D., in quantum S. posset esse A. in ipsis H. D., quod non foret in B. C. D. ipsius A., nec intelligere ipsius A. esset B., imò esset pars ipsorum B. C. D.; hoc autem est inconveniens & contra conditiones ipsorum H. I. K. Q. in ipsis A. B. C. D., quod demonstratur impossibile.

De Trinitate & Unitate.

JAm probavimus B. C. D. & pluralitatem in divinis existere, nunc autem probare nos convenit, quòd pluralitas, quæ est in divinis, sit in Trinitate & Unitate, quam probationem intendimus demonstrare *quinque Rationibus* inter alias, de quibus eligimus istam primò.

Prima Ratio. Manifestum est humano intellectui, quòd infinita potestas non potest habere D. infinitè extra semet ipsam; quia, si haberet, potestas esset finita & extra C., hoc autem est inconveniens; idcirco convenit, potestatem operantem operari in se ipsa essentialiter operatum, & convenit, illud operatum esse infinitum; quia, si non esset, non esset A., nec de natura operantis infiniti; & ab operante & operato convenit ipsum H. procedere, per quod operans & operatum concordent in uno Q. B. L.; & quòd operatum habeat H. L. æqualia operanti, & quòd H. L., quæ ab utroque procedunt, sint ipsis B. C. æqualia, & etiam illis duobus, à quibus procedunt: quod si non esset, esset impossibile, quòd D. esset infinitum in C., & quòd D. esset in divinis; hoc tamen est probabile in conditionibus ipsorum B. C. D. H. L. N. Q. R., secundùm quod repræsentatur per artem in floribus suprà dictæ figuræ.

Secunda Ratio est: Certum est, quòd, quantò H. existit in C., & C. existit in B., tantò D. ipsorum C. B. existit in ipso H.; quod si non esset, esset impossibile, in B. C. D. H. L. æqualitatem existere. Unde, si infinitum ipsius C. habet infinitum D. in H., oportet, quòd infinitum operatum indigeat toto operante, & quòd operatum sit completum & æquale D. in H. ipsi H. operantis: sicut enim calor ignîs, qui tantam virtutem habet, quòd operari potest calefaciendo secundùm quantitatem subjecti, & cum una qualitate operatur diversas operationes, eò quòd subjectum est finitum in M., & si esset infinitum in L. & præparatum ad recipiendum D. ipsius ignîs, calor ignîs haberet H. ad multiplicandum D. secundùm quantitatem materiæ D. subjectæ. Unde, cùm hoc ita sit, & cùm D. in C. conveniat cum majoritate, & in ipso igne conveniat cum minoritate, igitur ostenditur, quòd I. operatum infinitum in C. indiget toto operante, etiam convenit, quòd operatum sit infinitum, ut sufficiat operanti infinito, qui est in C.: veruntamen quia convenit, quòd ab operante & operato procedat aliqua concordantia & utilitas, quæ existat in C., in qua etiam sit unum B. in H. L., igitur oportet tertiam Personam esse, sinè qua in utraque duarum Personarum esset distinctio sinè concordantia, nec inde posset sequi unitas ipsius B., esset etiam ipsum D. extra C. H. L. N.; hoc autem est inconveniens, propter quod Personarum Trinitas & Unitas ipsius B. sunt objectum quadrangulo livido ipsius S.

Tertia Ratio est: Manifestum est, quòd H. plùs distat ab L. in numero quinario, quàm in quaternario, & plùs in numero senario, quàm in quinario, & sic multiplicando per infinitum numerum: unde, si in B. C. oporteret esse majorem numerum divinarum Personarum, quàm numerum ternarium, ut ex hoc cum majori H. concordaret, ipsum B. esset tantò magis distinctum ab ipso L., quantò plùs esset numerus augmentatus; & si numerus esset minor, quàm ternarius, esset in H. minor differentia & concordantia, & ipsa L. B. C. ex hoc cum minoritate concordarent, quæ minoritas est in ipsis B. C. H. L. N. D. manifestè impossibilis.

Quarta Ratio est: Si in B. una Paternitas & una Filiatio & unum L. processionis & unum B. non sufficerent, oporteret C. D.

multiplicare numerum ad numerum infinitum, & esset in C. D. B. triangulus rubeus absque C. H. L. N. in quo triangulo esset triangulus viridis & croceus, esset etiam ibi Q. cum R., & sequeretur, quòd B. C. D. per quadrangulum nigrum ipsius S. odirentur, hoc autem est falsum & inconveniens.

Quinta Ratio est demonstrabilis per effectum, quem B. habet extra se ipsum in triangulo rubeo, scil. quòd totus mundus consistit in uno & in tribus, est enim unus mundus ex tribus speciebus constitutus, videlicet ex animalibus, intellectualibus & sensualibus, & quodlibet istorum, quæ sunt in mundo, in quantum est perfectum, perficitur per tria, scilicet per substantiam, virtutem & operationem, quælibet etiam substantia est unum & tria, videlicet materia, forma & conjunctio; & omne Y. est probabile & ad necessitatem reducibile per tria, scilicet per duas propositiones & unam conclusionem, & omnes tres sunt unum argumentum, quæ tres propositiones artificialiter ex tribus quoque terminis formantur. Præterea homo est unum ex tribus, scilicet corpore, anima & conjunctione utriusque, & sic de aliis rebus similibus istis. Firmamentum & corpora cælestia perfecta sunt per numerum ternarium, scilicet per simplicem materiam, formam, & conjunctionem: corpora verò inferiora tanquam corruptibilia formantur in sua compositione per numerum quaternarium, scilicet per quatuor Elementa, & ideo, quia excedunt numerum ternarium, non sunt durabilia. Unde cùm B. mundum creaverit ad dandum de se & de suis C. H. L. N. ipsi S. ipsa I. K., & cùm nobilior numerus, qui sit de D. intrinseco in D. extrinseco, sit numerus unus & trinus, ideo significatur, quòd in ipsis B. C. D. H. L. N. ipsius A. existit numerus unus & trinus: quod si non esset, sequeretur defectus ipsius C. in D. ipsius A., quod habet in mundo, propter quod significaretur, D. ipsius C. concordare cum minoritate; hoc autem est inconveniens, & contra regularitatem conditionum prædictorum principiorum, & contra cameras ipsius A., & etiam contradicit regulis ipsorum S. T. V. Y. Igitur, cùm hoc ita sit, significatur & demonstratur, quòd pluralitas ipsius D. in Unitate ipsius B. & in Trinitate Personarum existit, & hæc demonstratio secundùm artem & secundùm conditiones florum poterit ampliùs augmentari.

De Generatione & Processione.

MUltæ sunt rationes necessariæ secundùm principia & ordinationem artis, quibus potest demonstrari, generationem & processionem in A. existere; nos autem *decem Rationibus* breviter hoc probare volumus, de quibus istam præmittimus primò.

Prima Ratio. Certum est, quòd major propinquitas, concordantia, æqualitas, quæ per viam similitudinis & naturæ sit inter operans, operatum & operationem mediam, est per generationem & processionem; nam generans de sua natura dat esse generato, & operatio est sub una specie, & de forma generata in materia & de materia formam recipiente exit unio & concordantia, à qua suppositum est formatum; sed cùm nulla alia proprietas ipsi D. ipsius C. sit tam similis, ideo oportet necessariò, quòd in B. C. ipsum D. ipsius A. in generatione & processione existat.

Secunda Ratio est hæc: D. & immobilitas in B. C. H. L. ipsius A. conveniunt, cùm D. sit infinitum in B. C. H. L., in quibus si esset mobile, non posset esse: unde, cùm D. sit infinitum & immobile, oportet D. per generationem & processionem actu infinitum existere, uno infinito potente ex toto se ipso generante alium infinitum potentem, & ab ambobus procedente alio infinito & potente, ut sint unum in B. C. H. L.: quòd si D. non esset per generationem & processionem in B. C. H. L., sequeretur, quòd esset mobile & finitum, & sic D. non esset A., nec de entitate trium prædictorum suppositorum esset actus, nec potestas esset potens in D., quod esset A.; sequeretur etiam, quòd in A. non esset D. per ipsa B. C. H. L.; hoc autem est inconveniens, cùm jam probaverimus, D. existere, secundùm quod in distinctione ipsius D. clarissimè demonstratur.

Tertia Ratio est. Si I. in B. intelligit C., & in C. intelligit A., suum intelligere est D., quod est A.; cùm omne, quod I. intelligit in B. C., & omne, quod I. facit in B. C., sit A.: unde, cùm hoc ita sit, oportet necessariò, quòd I. intelligens A. generet D., nam D. sinè generatione non posset esse A.; & si D. esset A. sinè generatione, non esset de entitate ipsius I., quod est A., & sequeretur, ipsum D. non esse operationem I.; & hoc est inconveniens & evidens contradictio, quâ generatio est probata; per quam generationem processio est demonstrabilis, scilicet per generationem

nem demonstratur Paternitas & Filiatio inter cognoscentem & cognitum, in quibus oportet esse æqualem concordantiam generationi in ipsis C. H. L.; sinè qua æqualitate concordantia non esset A.

Quarta Ratio talis est. Si K. habet D. in A., & ipsum D. est A., oportet, quòd bonitas, magnitudo, potestas, sapientia, perfectio habeant D. in A., quod D. sit A.; quia, si non haberent, essent in B. per modum habitûs & R., & K. esset in B. per modum actûs & Q.; hoc autem est inconveniens, propter quod demonstratur, quòd in C. ipsum D. se habet æqualiter in B. A. Unde, cùm hoc ita sit, oportet, quòd K. diligens C. in B. habeat D., quod sit A.; quod D. oportet generari ab ipso K.: quod si non esset, D. non esset A., & K. non esset A.; hoc autem evidenter est inconveniens; & si bonitas non generaret D., quod esset A. bonificans, & magnitudo magnificans, & æternitas æternificans, & potestas possificans, & sapientia sapientificans, & perfectio perficiens, C. haberet se in M. R. Q., & ipsa H. D. se haberent ad ipsum K. per modum actûs, & ad alias dignitates H. D. se haberent per modum habitûs; hoc autem est impossibile, per quod per totum C. in ipso B. generatio designatur; nam absque generatione non posset D. esse A. in ipsis C. B. H. L.: & per generationem, quæ est A., intelligitur processio, quæ est A., à Paternitate & Filiatione æqualiter procedens; quia sinè processione, quæ esset A., totum C. se haberet in B. per modum habitûs ad processionem & concordantiam, & se haberet per modum actûs ad generationem; hoc autem est inconveniens; cùm habitus conveniat cum minoritate, actus verò cum majoritate.

Quinta Ratio est. Virtus substantiæ non potest procedere in operationem sinè generatione, nec generatio operationis potest existere sinè processione virtutis substantiæ in ipso D. Igitur cùm hoc ita sit, & quia D. est in H. ipsorum B. C. D. A., idcirco oportet, quòd D. in ipsis B. C. H. A. sit per generationem & processionem: quod si non esset, sequeretur inter H. N. contrarietas in ipsis C. B. A. L. per D., & in ipso D. esset M. R. & triangulus rubeus & etiam camera [Defectûs, Privationis]; hoc autem est inconveniens.

Sexta Ratio talis est. Hoc, quod est in L. magis remotum à corruptione, est generatio; & hoc, quod est magis remotum à privatione, est processio ipsius H. in L.; & hoc, quod est magis propinquum privationi, est corruptio. Unde, cùm in C. B. A. sit major impossibilitas corruptionis & privationis, quæ esse possit, oportet necessariò, quòd D. ipsius C. sit in A. per generationem & processionem: quod si non esset, D. in A. non esset magis remotum à privatione & corruptione, quàm in alio ente sub ipso C. existente; hoc autem est manifestè inconveniens.

Septima Ratio est. Si esset una infinita substantia in M., in quo corruptio generaret privationem infinitè, & à corruptione & privatione procederet æquale corruptioni & privationi infinitè, esset impossibile, quòd corruptio, generatio & processio essent in privatione & sinè privatione: unde cùm corruptio & privatio sint magis contrariæ enti, quàm aliqua alia res, & per infinitatem, generationem & processionem illud ens esset æternum & infinitum, oportet igitur necessariò hoc in A. existere, quod in ipsis C. B. D. A. H. melius convenit entitati: quia, si non, sequeretur, D. esse in B. A. absque C. H.; hoc autem est manifestè impossibile.

Octava Ratio est. Elementa generantur in prima materia per formam generatam in subjecto, & per exitum virtutis in concreto à materia & à forma; & unum elementum recipit ab alio, & præbet alteri: homo generat hominem, & una res per naturam suæ similitudinis generat aliam, & per virtutem generationis & processionis ex duabus differentibus speciebus generatur medium, in quo conveniunt; & per generationem & processionem omne, quod existit, naturaliter devenit in hoc esse, & per earum contraria res, quæ sunt in M., quotidie naturaliter inclinantur ad corruptionem; omne etiam, quod est secundùm naturam, per generationem & corruptionem sibi simile affectat. Unde, cùm hoc ita sit, secundùm quod A. ordinavit per N. in I. K. Q. R. ad significandum H. ipsius C. in B. D., oportet, quòd hoc, per quod S. T. V. Y. habeant majorem concordantiam in triangulo rubeo ad cognoscendum A., sit in D., quod existit in ipsis C. B. A. H. Q.: quod si non esset, sequeretur inconveniens in conditionibus ipsorum B. C. D. H. L. N. Q. R. & in cameris ipsius A.; hoc autem est impossibile; quâ impossibilitate aliisque prædictis rationibus demonstratur, quòd in summa Trinitate sit generatio & processio.

Nona Ratio talis est. Certum est, quòd D. est in C. B. intrinsecis, ût jam superiùs est

probatum; & cùm D. habeat majus H. in generatione & processione infinita, quod esse possit in ipsis C. B. L. Q., & haberet minus H. in ipsis C. B. L. Q. absque generatione & processione, ideo oportet necessariò in A. generationem & processionem existere: quod si non esset, esset impossibile, quòd D. esset in H. per totum C. B. L. & Q., nec inferiùs in creaturis D. haberet majus H. in generatione & processione, quàm in aliis rebus, quæ non veniunt ad esse & perfectionem per naturam generationis & processionis.

Decima Ratio est. Manifestum est, quòd S. in gloria habet majora D. H. in majori similitudine suî ipsius cum similitudine ipsius A., & suorum D. H. cum D. H. ipsius A.; & quia in S. est H. essentialiter, quod venit à D. in potentias ipsius S. per generationem & processionem ipsius H., quod est in S., scil: in potentiis ipsius S. habentis ad ipsa A. B. C. D. quadrangulum lividum, idcirco oportet, quòd ipsa H. D. sint in A., quibus S. ipsi A. in suis H. D. & illorum majoritate similius esse possit: quia, si non, H. ipsius C. deficeret in D. ipsi S., quod non haberet complementum à majoritate ipsorum H. D. in gloria; hoc autem est inconveniens, & ejus positio est impossibilis; per quod demonstratur, quòd in A. necessariò sit generatio & processio.

De Creatione.

AD probandum, quòd A. creaverit mundum, *decem Rationes* hìc volumus assignare, quarum hæc est

Prima Ratio. Mundus aut est æternus, aut non? si est æternus, aut est æternus per se ipsum, aut per D. ipsius A., aut per utrumque simul? si est æternus per se ipsum, oportet, quòd habeat D. æquale in æternitate ipsi D. ipsius C.; & oportet, quòd mundus & suum D. sint unum & idem in ipsis L. H., sicut D. & C. sunt unum & idem; hoc autem est inconveniens; cùm constet, quòd mundus sit in M.: & si mundus est æternus per D. ipsius C., ipsum solum D. est contra totum C., & contra H. N. Q. R; nam facit ipsum R. in H. æquale ipsi Q.; per quam æqualitatem contradicit ipsis H. N. in bonitate, magnitudine &c.; hoc autem est inconveniens, videlicet quòd D. ipsius C. sit contrarium sibi ipsi: & si mundus est æternus per se ipsum & per A., sequitur suprà dictum inconveniens, & D. etiam non est infinitum per totum C. H. L. N.; & hoc est valde inconveniens, propter quod ostenditur, quòd mundus sit in triangulo rubeo, in quo nequiret esse per se ipsum; quia, si esset, sequeretur, quòd finis trianguli rubei esset priùs in esse, quàm ejus principium & medium; hoc autem est ipsis H. N. contrarium & manifestè impossibile; quâ impossibilitate demonstratur, mundum esse creatum.

Secunda Ratio est. Si potestas ipsius C. potest habere D., quòd mundus sit æternus, & K. ipsius C. non habet D., quòd mundus sit æternus, & mundus sit æternus, in ipso C. est triangulus rubeus; hoc autem nullatenus potest esse: & si potestas ipsius C. potest habere D., quòd mundus sit æternus, & K. ipsius C. habet D., quòd mundus sit æternus, & mundus non sit æternus, sequitur ex hoc idem suprà dictum inconveniens, & potestas ipsius C. est in habitu, & D. ipsius K. est in actu, & ipsum I. scit triangulum viridem in ipso C.; hoc autem est inconveniens, per quod significatur, quòd potestas ipsius C. non habet D. contra K., nec K. habet D. contra æternitatem ipsius C. in infinita magnitudine per totum C.; contra quam æternitatem K. haberet D., si vellet, quòd finita quantitas mundi in bonitate, magnitudine, potestate, sapientia, amore, perfectione esset æqualis æternitati ipsius C., quod est unum B. per totum C.; esset etiam contra cameram [Perfectionis & Justitiæ] & contra omnes alias cameras ipsius A.; hoc autem est ipsis L. H. contrarium, & contradicit conditionibus ipsorum B. C. D.; quâ contrarietate creatio est ostensa.

Tertia Ratio est. Bonitas in C. est D., & D. est perfectio in C.; unde, si D. ipsius C. esset causa, quòd mundus esset æternus, esset privatio bonitatis & perfectionis in triangulo rubeo, in quo D. mundi infinitè existeret in æternitate absque perfectione, & D. bonitatis & perfectionis in ipso C. esset contra effectum ipsius C.; hoc autem est inconveniens & contra H. N. Q. R. & contra majoritatem ipsorum I. K. S. V. Y., & cum majoritate ipsorum V. Z. concordat; quâ majoritate creatio mundi designatur.

Quarta Ratio. Si mundus est æternus, non fuit Q. in C. sinè R. objectum ipsis I. K. in C. D.; hoc autem est inconveniens, & contradicit ipsis B. H. L. N. Q., & concordat cum M., minoritate, privatione, defectu & cum Z.: & si mundus est creatus, sequitur contrarium suprà dicti inconvenientis, quod concordat cum I. K. in ipsis D. C. B. H. L. N.; quâ

quâ concordantiâ ostenditur, mundum esse creatum; propter quam creationem demonstratur, A. esse Creatorem.

Quinta Ratio. Manifestum est, quòd D. in C. non potest adæquare effectum, quem habet extra C., cum ipso C.; quia, si faceret, sequeretur, possibile esse, quòd infinita magnitudo deveniret in partes finitas; hoc autem est impossibile: nec etiam effectus, quem C. habet in mundo, potest D. adæquare cum ipso C.; quia, si faceret, multiplicaret partes finitas in L. infinito; & hoc est inconveniens: quo inconvenienti & conditionibus ipsorum B. C. D. H. L. N. ostenditur, quòd A. creaverit mundum; nam, si A. esset causa æternitatis mundi, D. ipsius C. esset contrarium ipsi A. & suis cameris in ipsis M. Q. R., esset etiam contra æqualitatem ipsius D. in divinis Personis; hoc autem est manifestè inconveniens.

Sexta Ratio est hæc. Manifestum est, quòd D. ipsius C. est majus in æternitate, si mundus est creatus, quàm si mundus esset æternus; quia, si mundus est æternus, erit D. in mundo & in ipso C. durationeæquale; & si mundus non est æternus, erit D. æternum in ipso C. tantùm: unde, sicut est major dignitas Soli in illuminando, eò quòd in suo lumine non est alter illuminator nisi ipse solus, ita in ipso C. est majus D. in æternitate, eò quòd non est alia res æterna nisi ipsum: & cùm I. K. conditiones habeant in N., quòd eorum actualitas sit in majori H. L., quam habere possit in D. ipsius C., igitur ostenditur, mundum esse creatum.

Septima Ratio est, quòd D. ipsius C. habet majorem concordantiam cum I. K. H. L. in Q., quàm in R.; & etiam in ipso R., si potestas ipsius C. potest creare, sustinere & privare, cùm voluerit, ipsum mundum; & habet minorem concordantiam, si potestas ipsius C. mundum non creavit, nec ipsum sustinet in esse: & cùm major concordantia contraria sit minori, idcirco ostenditur in concordantia ipsius D. in ipsis C. I. K. H. L. N. Q. R., mundum esse creatum; quod si non esset, D. ipsius C. contradiceret suis conditionibus & conditionibus ipsorum I. K. H. L. N. Q. R.; hoc autem est impossibile.

Octava Ratio. Si mundus est æternus, sequitur, quòd D. in ipso C. sit contrarium Justitiæ ipsius A.; nam, si mundus est æternus, sequitur, quòd non sit resurrectio; quia, si esset, simplex materia non sufficeret ad essendum potentia animalibus rationabilibus, ut reciperent sua corpora; nam tot homines erunt præteriti, & tot erunt futuri, eò quòd in mundo generatio non cessabit, quòd in die Judicii cœlum & terra non sufficerent ad essendum materia & locus: sed cùm sit impossibile, resurrectionem non esse, (ût probabimus), & cùm D. non possit esse contra A., ideo ostenditur, primum & ultimum hominem esse; qui homines nequirent esse, si mundus esset æternus.

Nona Ratio est. Si mundus est creatus, I. K. habent inde majus N. in ipsis S. V. Y. ad significandum cameras ipsius A. in humilitate, largitate, amore, virtute &c.: & si mundus est æternus, N. habet inde majorem propinquitatem ad M. ipsorum Y. Z. & ipsorum V. lividi & rubei; est etiam suo opposito magìs propinquum: & cùm D. habeat in C. omnem perfectionem, ideo in concordantia, quam D. habet cum N., demonstratur in ipsis H. L. Q. R., mundum esse creatum & productum: quod si non esset, D. esset contrarium ipsis H. L. Q. R.; sed hoc est impossibile.

Decima Ratio est talis. Si mundus est æternus, sequitur, quòd Q. R. existant in M. absque L. H. N.; nam genera & species, quæ sunt per R., sunt æternales; individua verò, quæ sunt per Q., sunt in triangulo rubeo: & cùm æternitas & majoritas conveniant, privatio autem & minoritas concordent, sequitur necessariò, individua specierum esse per R., species autem per Q.: & hoc idem sequitur de merito & culpa, & de Y. Z., & de gloria & pœna, de V. livido & rubeo; differentia etiam quadrangulorum ipsius S. esset superflua, & sequerentur alia inconvenientia quàm plurima, quæ significantur in conditionibus principiorum & in eorum floribus, si mundus esset æternus.

De Incarnatione.

AD probandum Incarnationem oportet nos sequi modum seu regulam florum eorúmque conditiones; & ideo nos hìc *decem Rationibus* volumus probare Incarnationem, ut exemplificemus, & demus modum & doctrinam, qualiter ipsa sit probabilis floribus suprà dictæ figuræ.

Prima Ratio est ista. Quantò se habet ens ad majus B., tantò se habet ad majus D.; sed B. se habet ad H. infinitum in C.; ergo B. se habet ad D. infinitum in C.; quod C. convenit habere D. infinitum in creatura; quia C. habet D. in creatura, ipso accipiente

naturam creatam finitam unitam cum natura increata infinita in C.; sinè qua assumptione & unione D. ipsius C. in creatura non esset infinitum per C.; esset etiam D. habitus & potentia in ipso C., & non actus infinitus per C.; hoc autem est inconveniens, per quod significatur, quòd sicut, D. non potest habere tantam majoritatem in K. L. N., sicut est illa, quæ est in Sanctissima Trinitate, quæ existit in B., ita oportet, quòd D. ipsius C. habeat tantam actualitatem in creatura, quâ H. ipsius C. majorem habere non possit, nec etiam creatura plùs in se recipere possit secundùm D. ipsius C., per quod C., in quo existunt infinitè bonitas, magnitudo, æternitas, potestas, sapientia, amor, perfectio ipsius A. in creatura, Incarnatio ostenditur in una Persona habente naturam ipsius C. & naturam creaturæ; nam in pluribus personis D. in toto C. existere non valeret; cùm potestas ipsius C. non possit contra I. K. N. ipsius C.; quod si faceret, esset in C. differentia ipsius B.; quod est manifestè impossibile.

Secunda Ratio. Manifestum est ipsi S. secundùm conditiones ipsorum B. C. D. H., quòd, quantò D. ipsius C. se habet ad H. in potestate, tantò se habet in bonitate, perfectione, & è converso: unde si potestas potest jungere & unire creaturam in una Persona cum ipso A., oportet, quòd bonitas & perfectio ipsius C. habeant H. K. ad illam unionem, quam potestas potest: quia, si non, D. haberet majorem concordantiam in C. cum potestate, quàm cum bonitate & perfectione; hoc autem est inconveniens, quo Incarnatio demonstratur: & si non est Incarnatio, eò quòd potestas non potest contra K., sequitur, quòd bonitas & perfectio habeant defectum ipsius D. in potestate ipsius K., cùm majus D. bonitatis & perfectionis ipsius C. in creatura & creaturæ in ipso C. sit Incarnatio, quæ sit per N. Q. sequens conditiones ipsius A. & suarum camerarum in ipsis C. D. H. I. K. L.

Tertia Ratio. Majus I., quod D. ipsius C. creavit, est illud, quod existit sub majori Q.; & cùm majus Q., quod sit creatum, sit illud Q., quod humanitas Christi habet ad ipsum A., ideo oportet, quòd illud Q. habeat ipsum R., quod sibi convenit, in H. N.; quia, si non haberet, fieret injuria ipsi Q. per D. ipsius C.; quod D. esset ipsi C. contrarium; quæ contrarietas est evidenter impossibilis; ob quam impossibilitatem est demonstrabilis Incarnatio; sinè qua Incarnatione cameræ ipsius A. nequaquam forent objectum ipsis I. K. creatis secundùm manifestam concordantiam ipsorum B. C. D.

Quarta Ratio. Manifestum est, quòd D. ipsius C. habet Q. per totam Sanctam Trinitatem sinè R.; & ideo D. ipsius C. in creatura habet majorem concordantiam cum Q. quàm cum R. in ipsis H. L. N.; quâ majoritate concordantiæ oportet existere Incarnationem, cui ipsum C. habeat Q. sinè R.; & quòd sub illa natura creata, ad quam habet Q. sinè R., habeat C. ipsum R. ad omnes alias creaturas, ad hoc, ut illa natura creata sit unita ipsi A. per Q., & omnes aliæ creaturæ sint per R.: Unde, si Incarnatio nihil esset, conveniret, quòd D. ipsius C. haberet defectum ipsorum H. L. N. in ipso C. & in creatura, & creâsset creaturam per necessitatem ipsius H. in C., ex quo sequeretur, quòd Q. non foret sinè R. inter D. ipsius C. intrinseci & D. ipsius C. extrinseci in creaturis, quod est impossibile.

Quinta Ratio. Necessarium est, quòd inter majoritatem & minoritatem ipsius D., in quo est differentia, sit medium: unde, cùm D. H. ipsius C. sint majora, & D. H. creaturæ sint minora, convenit, quòd D. H. ipsius C., & D. H. ipsius creaturæ constituant medium, videl. unum ex ambobus compositum in medio prædictorum; hoc autem est Christus, in quo D. habet perfectionem, & sinè quo non haberet, in quo posset habere perfectum actum, quem necessarium est habere, ut minora D. H. possint habere I. K. per N. in ipsis B. C. D. A. in sempiterna gloria; nam sicut S. non posset habere I. K. ipsius B. sinè D. in ipso C. scil: sinè operatione Sanctæ Trinitatis ipsius A., ita minora D. H. non possent recipere influentiam in ipsis I. K. ab ipso D. ipsius C. sinè medio; quod medium convenit esse ex A. & ex creatura in una Persona, quæ in se ipsa contineat naturam majoritatis ipsius C. & naturam majoritatis ipsius creaturæ in ipsis Q. R.

Sexta Ratio. Manifestum est, quòd D. ipsius C. tribuit majorem perfectionem bonitatis, magnitudinis, potestatis & ipsorum I. K. homini, si ipsum ipsi A. conjungit, & unit ad essendum unum in Persona, quàm si ei daret cameras ipsius A. in quadrangulo livido ipsius S.: unde, si homo non est A., nec A. est homo, major perfectio, quam D. dedit homini, consistit in quadrangulo livido ipsius S., ubi habet A. & suas cameras pro objecto, & homini fuisset possibile recipere

cipere majorem perfectionem ab ipso D. ipsius C., & D. ipsam illi dare potuisse, cùm D. sit infinitum in C.; sed cum D. ipsius C. sit perfectum in sancta divina intrinseca Trinitate, oportet necessariò, quòd ipsum perficiat in creatura majorem perfectionem, quam possit dare creaturæ, & quam creatura valeat recipere: quia, si non, D. haberet perfectionem in C. & defectum extra C.; hoc autem est inconveniens: propter quam imperfectionem ipsorum D. C. H. L. N. Q. R. Incarnatio manifestè demonstratur.

Septima Ratio. Manifestum est, quòd in majoritate ipsius H. alicujus effectûs majus H. illius rei ostenditur ipsi I. per cognitionem & ipsi K. per dilectionem: unde, sicut S. obligatur in quadrangulo livido ad habendum A. pro objecto fortiùs per Q., quàm per R., ita convenit, ipsum fortiùs obligari per majorem effectum, quàm per minorem: & cùm major effectus, qui esse valeat, sit A. esse de natura hominis, igitur in majori R. demonstratur Incarnatio Filii Dei, ut ex hoc quadrangulus lividus & rubeus ipsius S. habeant majorem concordantiam cum A. V. Y., & quadrangulus niger fortiùs contradicat ipsis V. Z.: & si ita non esset, sequeretur, ipsa D. C. non habere perfectionem extra B. in effectu, videlicet in ipsis S. V. Y.; sed hoc est impossibile.

Octava Ratio. Certum est, quòd, quantò fortiùs D. extrahit H. à privatione per creationem, & facit H. existere majus in triangulo rubeo, tantò majus est esse, quod D. præbet substantiæ subjectæ ipsi H. Unde, si existit Incarnatio, sequitur, esse unum hominem in H. & in nobilitate substantiæ majorem omnibus aliis creaturis, qui homo sit unitus ipsi A. per D. ipsius C., quod cum bonitate, magnitudine, potestate, &c. concordat: & si esset unus homo major in H. & in nobilitate substantiæ & in Q., quàm omnes aliæ creaturæ, absque Incarnatione, adhuc posset esse unus alius major & nobilior illo in H. & in nobilitate substantiæ, si esset unitus cum A. in una Persona; supra quem hominem nulla virtus seu nobilitas alterius hominis posset esse; & si non existeret in esse hic homo, supra quem nequeat existere alia nobilitas creata, & qui sit supra omne aliud H. & nobilitatem creatam, D. ipsius C. esset contra bonitatem, magnitudinem &c. ipsius C., & haberet concordantiam cum minoritate ipsius H. & nobilitatis in ipso C. & in creatura; hoc autem est contra B. N. L. I. K. & contra majoritatem ipsorum S. V. Y., quam D. potest creare, & manifestè convenit cum majoritate ipsorum V. Z.

Nona Ratio. Quò magis D. ipsius C. fruitur ipso H. supra naturam creatam in creatura, eò majorem concordantiam habet cum N., cùm concordet cum I. K.; & idcirco oportet, quòd natura nequeat sufficere ipsi D. ipsius C., & quòd operetur in natura per G., quod G. concordaret cum Z. sinè opere Incarnationis: & si G. non esset in Y., ipsum D. non haberet æquale subjectum in creatura, in quo faceret operationem, nec in quo D. tam fortiter magnificaret ipsum F., sicut facit, si Incarnatio est in esse; nam D. extra C. est majus in creatura, si est supra cursum naturæ, & redeat in A., cui uniat creaturam, quàm est, si est supra naturam, & est aliud miraculum sinè Incarnatione: & cùm major influentia ipsius D. supra naturam & perfectio sint de conditionibus ipsorum D. C. H., igitur in majoritate ipsorum D. C. H. F. G. Incarnatio est manifesta.

Decima Ratio. Supponens O. per affirmationem, Incarnationem esse, supponit majoritatem ipsius D. in H. L. I. K. M. N. P. Q. R. S. V. Y.; & supponens O. per negationem, Incarnationem non esse, supponit minoritatem ipsorum D. H. L. N. P. Q. R. S. V. Y. Unde, si Incarnatio nihil esset, sequeretur, quòd O. sit majus in ipsis H. L. N. P. Q. R. S. V. Y. per Z., quàm per Y.; hoc autem est impossibile; quia, si esset possibile, sequeretur, D. esse per triangulum viridem in ipso C., & I. sciret defectum in C. D.; & K. non diligeret in C. bonitatem, magnitudinem, potestatem, sapientiam, perfectionem, in quantum ipsis N. O. H. & majoritati contradicerent, & cum minoritate concordarent, & in ipso D. contrariarentur; hoc autem constat esse impossibile, quâ impossibilitate Incarnatio Filii DEI est manifesta.

Natus de Virgine.

AD probandum hunc Articulum *duas Rationes* hìc principaliter assignamus, quarum hanc volumus esse primam.

Prima Ratio. Secundùm Conditiones ipsorum C. D. H. I. K. N. Q. R. ostenditur, quòd oportuit Filium DEI incarnatum nasci ex Muliere Virgine; nam D. ipsius C. ex hoc habet majorem concordantiam, habente K. ipsa N. H. in C., per quod I. habeat notitiam majoris actûs ipsius D. in C. & in creatura, ut majoritate operis ipsa Q. R. cum majoritate, esse

esse & perfectione magis concordent: & si K. prædictæ majoritati contradiceret, contradiceret majori D. bonitatis, magnitudinis, potestatis, perfectionis & sapientiæ; sed hoc est inconveniens, propter quod manifestatur suprà dictus articulus.

Secunda Ratio. Generatio & corruptio in tota humana specie existunt in triangulo viridi; & cùm sit Incarnatio, secundùm quod jam probavimus, oportet, quòd Incarnatio sit per differentiam & concordantiam sinè contrarietate, ad hoc, ut in illa non sit corruptio, quæ est contraria generationi & cum privatione conveniens; quæ etiam est magis distans à generatione ipsorum D. C., quàm creata generatio, quæ naturaliter concordat cum esse & perfectione: & cùm absque virginitate fœminæ ante conceptionem & post nativitatem Incarnatio non posset esse sinè corruptione, nec triangulus rubeus posset esse tam magnus in ipso D., & in Incarnatione, & in fœmina, & in ipsis H. N., igitur demonstratur, suprà dictum articulum esse in Y.; quia, si esset in Z., sequeretur, quòd D. ipsius C. esset contrarium Incarnationi & Generationi, & contradiceret majoritati trianguli rubei in ipsis H. N. & in nostra Domina & in suo Filio; hoc autem est inconveniens, & contradicit ipsi A. & conditionibus ipsorum C. D.

Crucifixus.

Tribus Rationibus inter alias probare hunc Articulum volumus, quarum

Prima Ratio est hæc. Manifestum est, quòd, si JESUS Christus est crucifixus & mortuus, sequitur, quòd D. ex hoc præbet ipsis I. K. ipsius S. majoritatem ipsius H. in A. V. Y. contra V. Z., & N. est majus in H. Q. R. in ipso S. Unde, cùm S. V. Y. sint effectus ipsorum C. D., & V. Z. contradicant ipsis V. Y., si Christus non fuisset mortuus, D. esset contrarium majoritati sui effectûs, & esset defectus ipsius D. in ipsis C. H. N.; hoc autem est impossibile, & contradicit conditionibus ipsorum C. D. H. N. I. K. G. Q. R.

Secunda Ratio. Si Christus fuit mortuus, manifestum est, quòd corpus, quod sustinuit passionem & mortem ad designandum A. & suas cameras, ex hoc habet majus meritum, quo merito habet majorem concordantiam cum divina Natura, cui divinæ Naturæ in eadem Persona mirabiliter est unitum: & hoc idem sequitur de Anima Christi, quæ habuit majorem charitatem & justitiam, cùm voluit habere N. ad dandum afflictionem corpori, ut in nobis sequerentur majora Q. R. H. N. in ipsis V. Y. contra V. Z. Unde, cùm I. K. sint major triangulus rubeus, propter quem D. nobis esse tribuit, videlicet ad habendum I. K. ipsi A., & cùm passio Christi sit causa & occasio majoritati ipsorum I. K. in triangulo rubeo, igitur oportet Christum fuisse passum & mortuum ad multiplicandum in nobis I. K. per triangulum rubeum contra V. Z., & ad dandum nobis ipsa H. N., qualiter valeamus sustinere passionem & mortem ad honorandum A. & suas cameras & ad honorandum naturam humanam Christi nostri Domini DEI.

Tertia Ratio. In corruptione humani corporis & in subjectione ipsius S., quod est paratum subjectum ipsi V. rubeo & Z., ostenditur, quòd mundus per peccatum devenerit in corruptionem & multos defectus; quia, si non esset ita, D. ipsius A. haberet contrarietatem in ipso C. & in mundo, & contradiceret ipsi S., perfectioni, majoritati & H. N. Q. R. Unde, cùm mundus sit corruptus, oportuit, quòd Christus ipsum recrearet per Incarnationem & passionem sui corporis, sinè qua passione H. non fuisset tam magnum in N. Q. R., nec D. tam bene conveniret cum suo effectu, nec conditiones principiorum hujus artis possent habere tam magnam ordinationem, nec ex hoc sequeretur probatio recreationis, quæ debet esse operatio ipsius C. in creatura; cùm D. ipsius C. in creatura fortiùs contradicat privationi & defectui per recreationem, quàm per creationem; & idcirco oportuit, quòd D. in actualitate operationis esset majus in creatura, ut Q. R. magis concordarent cum ipso D. ad demonstrandum C. H. N. ipsius A.

Resuscitatus.

Tribus Rationibus probamus, JESUM CHRISTUM resurrexisse, quarum hæc est

Prima Ratio. Jam superiùs probavimus Incarnationem, Nativitatem & Passionem: unde, si Christus non esset resuscitatus, tunc D. ipsius C. esset contra H. N. Q. R., & K. in ipso C. esset contra I., bonitatem, magnitudinem, potestatem, perfectionem DEI; hoc autem est inconveniens, & contradicit omnibus cameris ipsius A.; quo inconvenienti in D. ipsius C. per H. N. Q. R. demonstratur resurrectio.

Secunda Ratio ostensibilis est per cameram

meram [Justitiæ & Perfectionis]; quoniam corpus Christi non habuit ullam corruptionem peccati; quia, si habuisset, impossibile fuisset, ipsum esse in M. cum Filio ipsius A.; & si esset, D. contradiceret ipsis H. C.: sed quia est sinè peccato, & habuit meritum, eò quòd fuit crucifixum? igitur oportuit ipsum resurgere; quod si non esset, D. ipsius C. contradiceret prædictæ cameræ in camera [Meriti & Gloriæ], & concordaret cum camera [Culpæ & Pœnæ].

Tertia Ratio. Si Sanctissimum Corpus JESU Christi non fuisset resuscitatum, sequeretur, quòd B. in N. non haberet H. tam exaltatum in triangulo rubeo & in ipsis Q. R., nec S. haberet tam magnam concordantiam cum A. V. Y. contra V. Z.; & D. ipsius C. in ipsis Q. R. concordaret cum minoritate ipsorum H. N. contra majora I. K.; quâ contrarietate contradiceret ipsi C.; quæ contrarietas est manifestè impossibilis; propter quam impossibilitatem resurrectio demonstratur.

De Conditionibus ipsius E.

Multæ sunt conditiones ipsius E.; nos autem breviter de *tribus* loquemur, quarum hæc est

Prima Conditio. Manifestum est, quòd omne illud oportet esse in Y., per quod sequitur majus D. in ipsis C. H. L., generante Patre Filium, & Sancto Spiritu æqualiter procedente à Patre & Filio, his tribus Personis existentibus in simul unum B., in quo sunt totum C. & totum D.; & quòd inter B. & C. nulla distinctio sit per relationem, sed ad Personas D. distinguat B. ab ipso C.; & quòd D., in quantum actus, sit æquale ipsis B. C.; & sit etiam æqualiter in eisdem: quia, si non esset ita, sequeretur, quòd Z. concordaret cum ipsis D. C., & quòd Y. contradiceret, majoritati, esse & perfectioni; hoc autem est impossibile.

Secunda Conditio est, quòd D. ipsius C. influat H. super omnes Articulos, qui sunt intrinsecùs in C., extra D., ad hoc, ut D. habeat perfectionem in operatione extrinseca scil. in ipsis creaturis; & quòd illa influentia ipsius H. regrediatur ad D. ipsius C., ut triangulus rubeus sit in majori medio, per quod medium habeant principium & finis majus H. in ipsis Q. R.; quia, si non esset ita, sequeretur defectus ipsius D., quod est in C., in ipso D. extrinseco, & per hoc in ipsis H. I. K. contra A. & suas cameras; sed hoc est inconveniens & contrarium rationi.

Tertia Conditio est, quòd O. P. habeant N. in ipsis Q. R. ad affirmandum omne illud, per quod D. habeat majus H. in ipsis A. S. V. Y. contra V. Z.; nam si O. supponeret impossibilitatem contra ipsa D. C. & contra majoritatem ipsorum A. S. V. Y., concordaret cum V. Z.; & si P. exponeret D. contra Y. E. F. G. I. K. & contra B. A., necessariò esset in V. Z.; quia, si non esset ita, D. ipsius C. esset extra H. N.; hoc autem est impossibile: quâ impossibilitate conditionatur quadrangulus niger ipsius S. in O. P., & O. P. in triangulo rubeo, croceo & viridi conditionantur in ipso E. secundùm H. N. Q. R. L. M. F. G.

DISTINCTIO V.

De

Præceptis sive de F.

IN hac arte F. significat *decem Præcepta* Decalogi, quæ A. Moysi tradidit, & significat Prophetias & Veterem Legem: & quia nos in hac arte de F. breviter tractare intendimus, probamus decem præcepta probando ipsum F.; & ad illa præcepta ipsum F. maximè reducimus, ut in ipsis possimus probare & conditionare ipsum F.; & qui voluerit diversificare ipsum, sciat sequi artem & regulam ipsius T. in floribus suprà dictæ figuræ, secundùm quod demonstratur in floribus & conditionibus principiorum.

Decem Præcepta sunt hæc: *Adorabis unum DEUM, non accipies nomen DEI invanum, coles Sabbatha, honorabis tuos Parentes, non occides, non mœchaberis, non facies furtum, non præbebis falsum testimonium, non concupisces uxorem tui proximi, non habebis invidiam de bonis tui proximi.*

Hæc Præcepta sunt probabilia secundùm consequentiam principiorum hujus artis, & secundùm flores & eorum conditiones; & ideo non oportet probare aliquod præceptorum distinctè per se ipsum; nam ars fieret nimiùm prolixa; sufficit tamen, quòd probemus, F. esse necessariò, & quòd ipsum conditionemus sub aliis principiis hujus artis; & ideo nos F. *tribus Rationibus* hîc probamus, de quibus præmittimus istam primò.

De Probatione ipsius F.

Prima Ratio. Probatum est, B. C. D. & creationem esse; igitur oportet esse D. potestatis & dominii super quamlibet creaturam; unde cùm homo sit in triangulo rubeo per D. ipsius A., oportet, quòd A. præbeat homini præceptum, secundùm quod convenit quadrangulis ipsius S. in ipsis V. Y. Z., ad hoc, ut I. K. ipsius S. sequantur regularitatem trianguli rubei: unde si A. non fecisset homini præceptum de rebus licitis secundùm V. Y. & de vetitis secundùm V. Z., esset homo in triangulo rubeo per se ipsum, & D. ipsius C. contradiceret cameræ [Potestatis & Dominii]; contradiceret etiam ipsis H. N. Q. R.; hoc autem est inconveniens; quo inconvenienti F. probabile demonstratur.

Secunda Ratio. Manifestum est, quòd, si A. tradidit legem scriptam, & dedit homini præceptum, justitia & misericordia ipsius A. habebunt majorem concordantiam ad utendum ipso S.; nam si S. obediens non fuerit ipsi F., justitia ipsius A. poterit ipsum punire pœnâ, & misericordia poterit ipsi indulgere majorem culpam; sequitur etiam ex hoc majus D. ipsius C. in ipsis S. I. K. Q. R.: & si A. non præbuit F., erit D. ipsius C. contrarium majoritati & concordantiæ ipsorum C. A. S. I. K. Q. R. & contra H. N.; hoc autem est impossibile.

Tertia Ratio. Sicut per justitiam & misericordiam fecimus demonstrationem, quòd F. existat, ita hoc possumus demonstrare per alias cameras ipsius A. & per Incarnationem Filii ipsius A.; nam sinè F. in triangulo rubeo dicta Incarnatio non esset regulata, & defecisset H. ipsorum D. C. in ipso N., nec S. tantum concordaret cum I. K. V. Y. in ipso A. & in triangulo rubeo, nec N. esset tam contrarium ipsis V. Z., & D. ipsius C. concordaret in ipso S. cum minoritate & V. Z., contra Q. R. N. H.; hoc autem est inconveniens, quo manifestè est demonstrabile, F. esse.

De Conditionibus ipsius F.

Prima Conditio ipsius F. est, quòd F. sit per R.; quod R. sit sub Q., quod sit subjectum I. K.; quæ I. K. sint per Q. in ipso S. sub ipsis C. D., & Q. secundarium alteretur in R.: quia, si non esset ita, esset defectus ipsorum H. N. in ipsis D. F.; hoc autem est evidenter inconveniens.

Secunda Conditio est, quòd O. P. sequantur regularitatem in affirmatione & negatione trianguli nigri in omni eo, per quod F. concordat cum majoritate in triangulo rubeo, ut ex hoc D. N. H. possint convenire cum majoritate in suprà dicto triangulo; & quòd S. possit habere majorem concordantiam cum A. V. Y. contra V. Z. in quadrangulo nigro, livido & rubeo ipsius S.

Tertia Conditio est, quòd F. in se ipso nullam contrarietatem unius particularis ad aliud contineat, & quòd major distinctio unius præcepti cum alio conservetur, ut ex hoc major concordantia sequi possit in triangulo rubeo, & in quadrangulis ipsius S., ut S. sua individua habeat magis præparata ad recipiendam influentiam ab ipsis D. H. in N. Q. R.

DISTINCTIO VI.

De

Sacramentis, sive de G.

IN hac Arte G. significat Septem Sacramenta Sanctæ Catholicæ Ecclesiæ, quæ sunt *Baptisma, Confirmatio, Sacrificium Altaris, Pœnitentia, Ordines, Matrimonium, Extrema Unctio*; hæc autem omnia sunt supra potestatem & cursum naturæ; & ideo in hac arte uti possumus ipso G. secundùm opus miraculorum; quæ miracula sub ipso G. comprehendimus multis modis: nos verò G. maximè ponimus sub septem suprà dictis sacramentis.

De Probatione ipsius G.

G. Est oculis corporalibus invisibilis gratia & visibilis forma ipsi S.; quod S. videt G. in ipsis C. D. H. N. Q. R. per majoritatem ipsorum I. K. in triangulo rubeo & in ipsis V. Y. contra V. Z.; quæ visio formatur in quadrangulo livido ipsius S.; & ideo antequam septem Sacramenta probemus, probare nos oportet G. in generali; quod G. probamus *tribus Rationibus*, de quibus hanc volumus esse primam.

Prima Ratio. Manifestum est, quòd D. ipsius C. existit in H. N. in ipsis creaturis; & quia D. ipsius C. in ipsis H. N. est majus, quàm creatura, igitur creatura non potest sufficere ad D. ipsius C. videlicet ad recipiendum tantum H. & N., quantum ipsum D. potest tradere; & idcirco oportet G. existere, in

in quo D. sit in H. N. supra naturam, ad exaltandum creaturam in ipsis H. N. I. K. Q. R. V. Y. contra V. Z.; quia, si non esset ita, M. tertii & quarti membri ipsius X. haberet locum in D.; sed hoc est impossibile; quo impossibili G. esse necessariò demonstratur per influentiam ipsius D. C. supra naturam.

Secunda Ratio. H. N. conditionave-runt in R. ipsum D. scil: in cursu naturali; & ideo H. N. existunt per R. in triangulo rubeo in hoc mundo: & cùm hoc ita sit, oportet, quòd C. D. conditionent H. N. per Q. in alio Sæculo supra naturam; & ideo in alio Sæculo triangulus rubeus se habet in ipsis H. N. Q. supra cursum naturalem. Unde, si in hoc mundo non esset G. supra cursum naturæ, sequeretur, quòd C. D. haberent majorem concordantiam cum ipsis H. N. I. K. in R., quàm in Q., & manifestè contradicerent majoritati trianguli rubei & quadrangulis ipsius S.; hoc autem est inconveniens, & contradicit conditionibus ipsorum C. D.; nam D. non esset in H. N. continuè in hoc mundo, secundùm quod ipsi C. convenit, idcirco oportet G. esse in multis locis, & multis personis, & assiduè per dignas personas, ut D. in ipsis H. N. habeat plurima subjecta; & ideo Catholici obligantur ampliare Romanam Fidem, & multiplicare ipsum G., in quo est D. ipsius C.; quod D. non est contrarium ipsi cameræ [Perfectionis, Liberi Arbitrii], quamvis diligat majoritatem ipsius G., quam ipsi amare convenit secundùm majoritatem cameræ [Perfectionis, Justitiæ.]

Tertia Ratio. Si G. est in esse, sequitur majoritas trianguli viridis in quadrangulis ipsius S. per triangulum nigrum, & ipsa Q. R. in triangulo rubeo meliùs concordant cum majoritate; nam ex hoc major contrarietas reperitur inter sensus corporales & quadrangulum lividum ipsius S.; & ideo S. potest magis exaltari per D. C. affirmans & negans contra naturam per concordantiam ipsorum G. H. N., quàm per contrarietatem ipsorum D. C. G.: & cùm L. ipsorum D. C. per G. sit objectum magis manifestum ipsis I. K. in M. ipsius G., ideo oportet G. esse per R., ut Q. sit ipsis I. K. L. sub ipsis D. C.; quia, si non esset ita, sequeretur, D. C. concordare contra majoritatem ipsorum S. H. N. I. K. L. Q. R. E. F.; quod est inconveniens, quo demonstratur, G. esse.

Probatum est ipsum G. tribus rationibus, multisque aliis hoc probare possemus; sufficiant tamen tres prædictæ: veruntamen nos probare oportet quodlibet septem prædictorum Sacramentorum, & primò hîc probare volumus Baptisma.

De Baptismate.

SI Baptisma est in Y., sequitur inde H. N. ipsius D., quod est in C., secundùm participationem factam in M. elementorum, verborum & ipsius D., quod est in S. A. V. Y.; & ex hoc triangulus rubeus est regulatus ad majoritatem scil: ad unam legem & viam, quæ dirigit ad ipsum A. & ad D. ipsius C. infiniti in H. L., & ad ipsum R., quod sub Q. comprehenditur, quod Q. est infinitum, contra D. ipsius C. & finitum in creatura; quia, si baptisma nihil esset in H. Y. N., sequeretur inde inconveniens in D. ipsius C., scil: per effectum ipsius D. in Q. R. S., & H. non ita fortiter in M. convenit supra naturam, & I. & K. contrariantur in ipsis D. C., & D. C. contrariantur I. K.; & in C. bonitas est contra D. in potestate, & potestas, quæ est actus, se format habitum contra D., quod est actus in magnitudine, perfectione bonitatis infinitæ in H. L. B.: cùm autem hæc omnia inconvenientia sequerentur, si baptisma non esset in Y.; igitur demonstratur, baptisma esse in G., in quo D. ipsius C. facit ipsum esse, ut inde prædicta inconvenientia non sequantur.

De Confirmatione.

COnfirmatio est convenientia Baptismatis; nam si est Baptisma, est necessarium, Confirmationem esse; nam, si Confirmatio nihil esset, sequeretur, quòd H. esset minus in S. ipsius baptizati, quàm in patrinis & presbytero, qui baptizat puerum, qui recipit Sacramentum, cui D. ipsius C. in N. contradiceret sinè Confirmatione illius in suo perfecto S. habente affirmationem & negationem in suis quadrangulis, quibus in camera [Meriti & Liberi Arbitrii] concordet cum Baptismate; & quia D. pateretur defectum ipsius H. in N., si confirmatio esset in Z., igitur secundùm D. C. & secundùm majoritatem ipsius D. in triangulo rubeo & in K. est necessarium, quòd Confirmatio sit in ipso G.

De Sacrificio Altaris.

Quatuor Rationibus inter cæteras probare volumus Sanctum Sacrificium Divini Altaris, quarum hæc est:

Prima Ratio. Sicut D. est in C. per

Trinitatem, ut sequatur majus D., quod possit esse in ipso C. per infinitatem bonitatis, magnitudinis, æternitatis, potestatis, perfectionis & sapientiæ, ita oportet necessariò, quòd illud, quod I. ipsius C. scit esse majus in D. extrinseco per ipsa H. N. M. L. in medio majoris majoritatis ipsius & majoritatis ipsius D. in creatura, ipsum K. ipsius C. diligat, ex quo I. scit illam majoritatem: & quia D. est unum & idem cum ipso C. in ipsis I. K., oportet, quòd K. diligat illud, quod I. scit; & quòd bonitas, magnitudo, potestas & perfectio inde habeant æqualem actualitatem cum I. K.; quia, si non esset ita, esset defectus ipsius D. in C. per Trinitatem divinarum Personarum non influentium in majori D. ipsius A. & creaturæ, quæ esse possit; quod D. est Sanctum Sacrificium Altaris, cùm hostia ritè consecrata transubstantiatur in veram Carnem & Sanguinem, quæ sunt A.: sed quia est impossibile in D. ipsius C. defectum reperire, ideo oportet necessariò primum & majus D. influere in secundo D. majori omnibus reliquis D. sub ipso per R. existentibus, quod secundum D. est per Q. in ipsis H. L. N. compositum cum R. in ipso M., ut ex hoc I. K. ipsi S. ostendant perfectè supremum D., quod non possent ostendere in tam perfectis L. N. absque secundo D. in ipsis Q. R. L. N. Igitur cùm hoc ita sit, secundùm quod convenit conditionibus principiorum hujus artis, Sanctissimum Sacramentum est demonstratum.

Secunda Ratio ostendi potest in majori demonstratione, quæ sequi possit ad demonstrandum secundum D., hoc est, Incarnationem, quæ fortiùs ostendit cameras ipsius A., si Sanctum Sacrificium est in Y., quàm ostenderet, si esset in Z.; in quo Z. ipsum secundum D. concordaret cum privatione, & primum D. contradiceret majoritati ipsius secundi D., quâ contrarietate primum D. in ipsis H. N. Q. R. M. I. K. contradiceret sibi ipsi, & concordaret cum minoritate, privatione & defectu, quæ conveniunt cum V. Z.; hoc autem est manifestè inconveniens; quia, si esset conveniens, sequeretur, quòd primum D. esset extra C., & secundum D. esset in C.; quod est impossibile: cùm secundum D. sit majus H. ipsius C. in M. ipsius L. & creaturæ, & primum D. sit majus in divino C.

Tertia Ratio. Secundùm quod probavimus in ipso G., & probabimus in H., oportet, quòd D. H. ipsius C., & D. H. ipsius creaturæ sint in M., in quo D. possit esse frequentius & in multis locis, & in multis hominibus, & in personis dignioribus: quoniam autem per G. in habitu Sacramenti Altaris D. ipsius N. in H. N. potest melius esse, quàm per aliquod aliud Sacramentum, igitur Sanctissimum Sacramentum Altaris est demonstrabile: sinè quo Sacramento D. non haberet, in quo concordaret cum tam magna majoritate ipsorum H. M. N. I. K. Q. R. in accidentibus sinè subjecto, & in subjecto sinè accidentibus.

Quarta Ratio est hæc. Omnis major triangulus viridis, qui possit esse in triangulo rubeo inter sensus corporales & intellectuales, est, si Sacramentum Altaris est in Y.; & major contrarietas, quam S. potest habere contra sensus corporales cum A. H. V., est per Sacramentum Altaris in suis quadrangulis: sed cùm Y. habeat majorem concordantiam cum majoritate quadrangulorum ipsius S., quàm cum quinque particularibus sensibus corporis, idcirco oportet majoritatem trianguli viridis esse in Y., & ejus oppositum in Z.; quia, si non esset ita, D. in A. esset contrarium majoritati camerarum in ipsis Q. R. H. N. M. I. K.; hoc autem apparet esse impossibile, quo impossibili Sacramentum Altaris ostenditur.

De Pœnitentia & Ordinibus.

POenitentia & Ordines sunt duo Sacramenta ad invicem probabilia, videlicet unum per aliud in ipsis D. C. H. N. L. M. Q. R. I. K.; quoniam per pœnitentiam N. V. Y. H. sunt in quadrangulis ipsius S.; & oportet, quòd D. dederit H. in ipso N., ut dirigat & inclinet ipsum S. ad A. V. Y. contra V. Z.: unde si D. tribuit potestatem ipsius C. homini, qui sit in N., deputato ad corrigendum ipsum S., & ad præbendum ipsum A., & ad indulgendum V. Z., sequitur ex hoc majoritas ipsius D. in ipsis G. H. N. M. Q. R. L. I. K., & D. ipsius A. per hoc inclinat cameras ipsius A. ad majoritatem in presbytero, cui tantum suas cameras humiliat, præbens ei tam magnum officium dandi & indulgendi ad exaltandum triangulum rubeum, & ad designandum D. ipsius C. ipsis I. K., in quo totum C. generatum & generans exhibetur: quoniam autem convenit, quòd à dono cum majoritate concordante procedat influentia ipsorum H. N. ad ipsa Q. R., ad dandum complementum ipsis I. K. in triangulo rubeo, & in ipsis L. M., igitur duo prædicta sacramenta sunt

sunt ostensa, sinè quibus D. ipsius C. contradiceret ipsis H. N. in ipsis A. I. K. L. M. S. V. Y., & concordaret cum V. Z., ac contradiceret majoritati trianguli rubei.

De Matrimonio.

MAtrimonium oportet esse Sacramentum, ut S. suos quadrangulos in triangulo rubeo habeat regulatos ad serviendum ipsi A. ejúsque cameris in ipsis H. N. M. L. Q. R.; quod A. ligat S. cum H. N. F. in ipso G., ut accidentia ipsius S. sint contraria ipsi N. in quadrangulo nigro ipsius S., accidentia verò, quibus D. ipsius S. servit ipsi D. ipsius C., sint in quadrangulo livido; si autem matrimonium non esset G., Q. R. essent in hominibus irregulata sub ipsis D. H. ipsius C., & D. contradiceret ipsi C. in ipsis M. L. I. K.; hoc autem est inconveniens & contra principia hujus artis.

De Extrema Unctione.

AD probandum ultimum Sacramentum oportet sequi regularitatem principiorum hujus artis in sex prædictis Sacramentis, quæ antecedunt hoc ultimum, secundùm majoritatem ipsorum H. N. M. L. Q. R. in triangulo rubeo & quadrangulis ipsius S., ut D. præbeat ipsis I. K. majus D. M. in compositio ex D. ipsius C., & extra D. ipsius creaturæ in ipsis H. N.; quia, si extrema unctio non esset Sacramentum, D. ipsius C., & D. ipsius S. in M. concordarent cum minoritate ipsorum V. Y., & cum majoritate ipsorum V. Z.; hoc autem est falsum & impossibile.

De Conditionibus ipsius G.

PRima Conditio ipsius G. est, quòd majora H. N. Q. R. ipsorum O. P. non sint contra D. ipsius C.; quia, si essent, G. non posset esse in ipsis H. N. Q. R., & concordaret cum minoritate & privatione, & non esset de D. ipsius C., nec etiam haberet subjectum, in quo existeret; quia, si haberet subjectum, D. esset contrarium ipsi C.; hoc autem est manifestum inconveniens.

Secunda Conditio talis est, videlicet quòd G. non contradicat majoritati, quæ est in D. ipsius C., & in D. ipsius creaturæ in ipsis H. N. M. L. Q. R. I. K.; quia, si hoc esset, sequeretur, G. esse & non esse; hoc autem implicat contradictionem, quâ dicta conditio demonstratur.

Tertia Conditio est, quòd nullum Sacramentorum aliis contradicat, & quòd quodlibet ipsorum habeat majorem propinquitatem ad ipsum S., quàm ad sensus corporales; & quòd sensus corporales sint per R., & G. sit per Q.; quia, si non esset ita, sequeretur, quòd D. ipsius C. deficeret in ipsis H. N. contra I. K. L. M.

Quarta Conditio est, quòd O. P. concordent cum majoritate, quando plùs per ipsa in majori differentia & contrarietate Y. Z. repræsentantur ipsi S., quòd etiam S. habeat majorem distinctionem & concordantiam in suis quadrangulis per ipsa A. V. Y. contra V. Z., & quòd E. F. habeant inde majorem concordantiam cum O. P. in ipso G., & quòd per hoc V. lividum & V. rubeum sint magìs contraria & distincta in O. P., & quodlibet H. sit magìs distinctum ab alio, & magìs concordans cum alio in V. livido.

DISTINCTIO VII.

De

Virtute sive de H.

IN hac arte per H. Virtus intelligitur, quæ dividitur in *tres Species* in regulis hujus artis: *Prima* est ipsius D., quod est in C. intrinsecè, videlicet in divinis Dignitatibus: *Secunda* est in D. miraculoso supra naturam: *Tertia* est in D. operante secundùm cursum naturæ; & hæc dividitur in *duas Species*, quarum *prima* consistit in H. naturali & corporeo; alia verò consistit in H. ipsius S., quæ movetur secundùm regulam intellectualis naturæ: & ex his duabus speciebus generatur & procedit alia species, quæ est in H., ubi quinque sensus corporales existunt, & ea, quæ ad ipsa N. M. pertinent per naturam.

De Probatione ipsius H.

QUoniam hæc Principia sunt Theologica, idcirco tractamus hìc potiùs de primo & secundo H., quàm de tertio: primum autem H. non oportet probare, quia jam probatum est in E. per D. ipsius C. videlicet in divinis: tertium verò H. per se est manifestum tam corporalibus quàm spiritualibus sensibus: secundum H. probatur in ipso G.: veruntamen volumus illud hìc demonstrare *quatuor Rationibus*, de quibus hanc ponimus esse primam.

Prima Ratio. Manifestum est, quòd H.

creatum non potest recipere infinitum D. ab ipso C., quia, si reciperet, H. finitum esset æquale ipsi D. infinito; & quia D. est in C. infinito, oportet, quòd D. veniat inferiùs, & influat super H. creatum, in quo superet naturam, & sit propinquius influentiâ infinitis D. H. per D. supra naturam, quàm per D. in H. creato & naturali: quia, si hoc ita non esset, esset D. in ipso C. contra influentiam, quam convenit esse in ipsis H. N. L. M. I. K. Q. R.; & hoc est valde inconveniens, quo secundum H. manifestè ostenditur.

Secunda Ratio. Jam probavimus Creationem & Resurrectionem esse necessariò, probavimus etiam ipsum G; quæ probatio esset impossibilis absque secundo H., cùm Creatio, Resurrectio & G. sint D. supra naturam: quoniam autem Creatio, Resurrectio & G. sunt in esse, ergo patet secundum H. esse necessariò.

Tertia Ratio. Verum est, quòd, si existit H. supra naturam, sequitur inde major concordantia ipsorum S. A. V. Y. contra V. Z.; & si secundum H. nihil esset, sequeretur inde minor concordantia ipsorum S. A. V. Y. & minor contrarietas & differentia ipsorum V. Y. & V. Z.: & cùm D. ipsius C. habeat I. ad majorem exaltationem ipsorum S. V. Y. contra V. Z., si K. ipsius C. non influeret H. supra naturam, esset minus in C., quàm ipsum I., & ipsum I. esset majus in C., quàm bonitas, potestas & perfectio; hoc autem est inconveniens, & contradicit cameris ipsius A.

Quarta Ratio. Certum est, quòd hoc Sæculum est per R., aliud verò per Q., & ideo oportet, quòd, si in triangulo rubeo est H. per R., sit etiam per Q.; hoc autem H. oportet esse supra cursum naturæ, ad hoc, ut sit via & medium ipsi fini, propter quem aliud Sæculum est creatum, & in quo H. est supra regulam naturalem: quia, si non esset ita, sequeretur aliud Sæculum esse in Q. absque triangulo rubeo; hoc autem est impossibile & contra D. ipsius C.: quâ impossibilitate secundum H. ostenditur, quod est in hoc mundo per R.; quod R. est Q. ipsius R., quod est in H., in quo D. est in hoc Sæculo secundùm cursum & regulam naturalem.

De Conditionibus ipsius H.

Prima Conditio ipsius H. est, quòd secundum H. conditionetur in conditionibus ipsorum D. C., in quibus primum H. existit, & quòd à secundo H. conditionetur tertium; quòd etiam secundum H. præbeat tertio aliquam similitudinem ipsius primi, ut ex hoc S. in ipsis I. K. A. N. Q. R. E. F. G. O. P. triangulo rubeo uti queat.

Secunda Conditio est, quòd O. P. sequantur regularitatem, per quam designatur majoritas ipsius secundi H. in ipsis D. N. M. L. Q. R., ad hoc, ut secundum H. ipsi tertio ostendat D. ipsius C.; nam si O. P. in tertio forent contra majorem demonstrationem in secundo, sequeretur tertium H. contradicere ipsi secundo, & secundum primo, & primum ipsis secundo & tertio; hoc autem est manifestè inconveniens.

Tertia Conditio est, quòd primum H. sit per Q., & secundum H. sit per R.; & quòd secundum H. sit in alio Sæculo per Q., & in hoc per R.; & quòd secundum H. in hoc mundo sit per Q., & tertium sit per R.: præterea quòd in tertio H. sit S. per Q., & in rebus naturalibus sit per R.: quia, si ita non esset, esset impossibile H. esse in N. per Q. R.; hoc autem est evidenter inconveniens.

DISTINCTIO VIII.

De

Cognitione, sive de I.

IN hac arte ponitur I. pro actu ipsius C. vel pro Intellectu Angelico, sive etiam pro Intellectu ipsius S.

De Probatione ipsius I.

QUoniam jam probavimus D. ipsius C., & quia I. in S. est per se manifestabile, quoniam etiam in *Principiis Philosophiæ* jam probavimus necessariò Angelum esse, ideo hic non opus est probare ipsum I.: veruntamen nos probare oportet, utrùm A. creaverit I. per Q. vel per R., quam probationem volumus demonstrare per cameras ipsius A.

De Camera Bonitatis & Magnitudinis.

MAnifestum est, quòd I. ipsius C. est majus in bonitate, quàm I. ipsius S., cùm I. ipsius C. sit infinitum per totum C. in bonitate, & I. ipsius S. sit finitum, ac etiam habeat subjectum, cui est possibile convenire cum V. Z.: unde, si C. creavit I. per Q., ut cognoscat suprà dictam cameram, & si gloria, quàm S. habebit in cognoscendo cameram, sit per R., quo R. sit I. sub ipso Q., sequitur inde N. in D. ipsius C. in eo, quòd facit concordantiam majoritatis cum ipso Q., & minoritatis cum R.: & si C. creavit I. per Q., in quantum I. recipit gloriam in camera, & per R., in quantum I. cognoscit cameram, sequitur ex hoc inconveniens in D. ipsius C. contra prædictam cameram, & D. est contra totum C.; hoc autem est inconveniens, quo ostenditur I. esse primâ intentione ad cognoscendum cameram ipsius C., & secundâ intentione, ut ab ipso C. recipiat gratiam & bonum.

De Camera Æternitatis & Potestatis.

CErtum est, quòd æternitas potestatis est magis remota à privatione potestatis in ipso C., quàm duratio potestatis in ipso S.; quoniam autem privatio & defectus conveniunt, & perfectio & esse similiter, idcirco in ipsis H. N. ostenditur, quòd I. existit in S., ut sit in camera per Q., & quòd à camera & ab ipso Q. ipsi R. in S. influentia gratiæ demandetur; cujus si foret contrarium, sequeretur, quòd D. ipsius C. magis diligeret S., quàm cameram; hoc autem est inconveniens.

De Camera Sapientiæ, Amoris & Perfectionis.

SApientia scit in C. amorem & perfectionem, & amor diligit perfectionem & sapientiam, & perfectio est actus perficiendi sapientiam & amorem; & ideo oportet D. esse in C. æqualiter in suprà dicta camera: & quoniam I. in S. est effectus cameræ, oportet, quòd sapientia sciat, & amor diligat, & perfectio perficiat effectum ipsius cameræ: & si I. esset in ipso S. per Q., & esset in camera per R., camera in suo effectu esset contraria sibi ipsi, & in suo D. pateretur defectum ipsorum H. N.; hoc autem est impossibile: quo impossibili ostenditur, quòd I. est in S. per R., & est in S. relatione ad cameram per Q., nam aliter I. non haberet perfectionem in triangulo rubeo.

De Conditionibus ipsius I.

COnditiones ipsius I. sunt quàm plurimæ; nos verò de *tribus* solummodo inter cæteras hîc tractamus, quarum hæc est

Prima Conditio. Secundùm quod in conditionibus ipsius E. probavimus, & secundùm conditiones ipsorum B. C. D. oportet I. ipsius C. conditionari taliter, quòd inter C. & B., & è converso non reperiatur differentia; & quòd I. sit C. B., & C. B. sint in I.: sed quia D. est in C., oportet, quòd I. sit distinctum in distinctis suppositis; sinè qua distinctione D. non posset existere in H. per C., nec I. ipsius S. posset habere notitiam ipsorum B. C.

Secunda Conditio est, quòd I. Angeli cognoscens D. ipsius C. habeat notitiam de se ipso, & à notitia, quam habet de ipsis D. C. B. exeat in ipsum notitia, quam habet de D. C. B. & de se ipso, & hoc ideo, ut sit similius in H. N. ipsis D. C. B.

Tertia Conditio est, quòd I. ipsius S. habeat unam notitiam majoris altitudinis per D. ipsius C., sed habeat aliam minoris altitudinis per D. ipsius C. in H. supra naturam, cui D. sit H. ipsius C. causa; & quòd habeat aliam cognitionem in ipsis H. N. minoris nobilitatis & altitudinis scilicet secundùm naturæ cursum & quadrangulos ipsius S.; & quòd non cognoscat contrarietatem in ipsis C. D. B., nec etiam in O. P., ex qua sequantur minora H. N. in quadrangulis ipsius S. per A. V. Y. contra V. Z.

DISTINCTIO IX.

De

Dilectione sive de K.

SEcundùm T. potest intelligi in hac arte K. esse multipliciter actus voluntatis: nos tamen hîc potissimè tractamus de K. ipsius C. & ipsius S.

De Probatione ipsius K.

QUia C. existit per T., K. verò in S. per se ipsum est manifestabile, igitur K. esse nos non ampliùs oportet ostendere; sed volumus inquirere, utrùm A. creaverit K. in ipso S. per Q. vel per R., quod *quatuor Rationibus* nitimur declarare, quarum hæc est

Prima Ratio. Certum est, quòd K. ipsius C. habet majus D. in C. quàm in S., cùm C. sit infinitum absque triangulo rubeo, & S. in triangulo rubeo contineatur: quod cùm ita sit, oportet, quòd D. ipsius C. creaverit K. in ipso S., ut S. habeat K. in C. per Q.: quod si non esset ita, esset D. ipsius C. contra I. K. per totum C.; hoc autem est inconveniens, quo ostenditur K. esse in S., ut S. habeat K. ad ipsum C. per Q., & ut sub C. habeat K. per R., secundùm quod convenit in ipsis N. H. & in triangulo viridi, croceo & rubeo.

Secunda

Secunda Ratio formatur per majorem concordantiam ipsorum I. K., quia quantò I. se habet ad Y., tantò K. se debet habere ad amandum: unde cùm I. ipsius S. noscat in se majoritatem bonitatis, magnitudinis, durationis seu æternitatis, sapientiæ, amoris & perfectionis, & in creatura noscat minoritatem dignitatum, idcirco est necesse, quòd K. debeat plùs diligere hoc, quod scit in C., quàm hoc, quod scit in creatura. Igitur cùm hoc ita sit, oportet, quòd A. creaverit K. per Q. ad diligendum C., & per R. ad diligendum creaturam, quia si non esset ita, esset D. ipsius C. contra majora H. N. ipsorum I. K. in creatura, quod est manifestè inconveniens.

Tertia Ratio talis est: si K. esset creatum in S., ut S. ad se ipsum haberet Q., & ad ipsum A. haberet R., S. haberet excusationem, ut cessaret D. ad serviendum ipsi A., nam S. per tota H. N. suorum quadrangulorum non faceret servitium ipsi A., & quia haberet voluntatem absque practica, haberet excusationem, si non daret illi perfectionem, cui ipsam potest dare; contradiceret etiam ipsis A. V. Y. & majoritati ipsorum H. N., & concordaret cum V. Z. in triangulo rubeo; hoc autem est inconveniens, & contradicit ipsi A. & suis cameris.

Quarta Ratio talis est: manifestum est, quòd, si Q. existit in S., ut diligat ipsum A., Q. nobilius est ex hoc in triangulo rubeo; & quantò nobilius est Q., tantò nobilius est R. in triangulo rubeo; & quantò nobiliora sunt Q. R. per H. N. in triangulo rubeo, tantò nobilior efficitur triangulus rubeus in ipsis Q. R.; quâ majoritate nobilitatis ipsa V. Y. sunt nobiliora in ipsis S. Q. R. contra V. Z. Igitur cùm hoc ita sit, secundùm conditiones ipsorum B. C. D. Q. R. H. N. oportet, quòd Q. sit in S., ut S. diligat A. & suas cameras, & R. sit in medio in triangulo rubeo sub ipso Q., quod est finis trianguli rubei.

De Conditionibus ipsius K.

SEcundùm quod T. in hac arte existit, potest K. diversificari in multis conditionibus; nos autem ad exemplum de *tribus* solummodo pertractamus, quarum hæc est

Prima Conditio. Oportet necessariò, quòd K. sit æquale ipsi D. per totum C. absque distinctione ipsorum D. C. B., & absque privatione æqualitatis in ipso D.; nam absque æqualitate D. nequiret existere per totum C., nec L. in B. sinè M., neque H. in D. sinè ipsis Q. R.; hoc autem est inconveniens, & contradicit conditionibus ipsorum B. C. D. H. L. M. N. Q. R.

Secunda Conditio est, quòd K. ipsius C. non sit contrarium majoritati ipsius K. existentis in S. in ipsis H. N. O. P. Q. R. V. Y. contra V. Z.; quia si esset, per majoritatem & perfectionem contradiceret suo effectui, & causa & effectus concordarent per minoritatem & defectum, quod est falsum & impossibile.

Tertia Conditio est, quòd K. ipsius S. habeat concordantiam cum O. P. in majoritate ipsorum H. N., ubi meliùs in ipsis V. Y. contra V. Z. possit formare triangulum rubeum, ut K. in ipsis B. C. D. A. sit propinquius per H. N. ipsi K. ipsius S.; quia, si hoc esset contrarium conditioni ipsius K. ipsius S., hoc, quod est Y., esset Z.; & hoc patet esse inconveniens.

DISTINCTIO X.

De

Simplicitate sive de L.

MAnifestè constat, quòd L. sit in creatura, quoniam absque L. in illa non posset esse M.: sed quia D. est in C., oportet nos probare, quòd L. in ipsis D. C. B. A. sit sinè M., quod *quatuor Rationibus* intendimus demonstrare.

De Probatione ipsius L.

Prima Ratio. Omne, quod est in C., est B., & è converso, sed B. est L., ergo L. est C. absque M., quia D. in C. est infiniti suppositi per totum C., quod infinitum suppositum generat infinitum suppositum in toto C., & ab ambobus procedit infinitum suppositum per totum C., & hoc est probatum in ipso E.: ergo oportet L. esse in ipso D. absque M., nam M. non habet, in quo possit consistere in ipsis D. C. B., quia D. L. sunt infinita in C.; quia, si M. haberet ibi subjectum, sequeretur, quòd D. non posset esse infinitè per totum C.; hoc autem est evidenter impossibile.

Secunda Ratio. Oportet, quòd bonitas, quæ est in C. bonum infinitatis in magnitudine boni æternitatis, potestatis, sapientiæ, amoris & perfectionis, sit L. boni infiniti in magnitudine, æternitate &c.: & hoc idem sequitur de magnitudine, æternitate &c. Unde, si in C. non esset D., ad hoc, ut ibi non possit esse M, esset L. in ipso C. in defectu ipsorum H. N. infinitæ bonitatis, magnitudinis, æternitatis, potestatis, sapientiæ, amoris & perfectionis; sed hoc secundùm conditiones ipsorum B. C. D. H. I. K. N. est manifestè impossibile.

Tertia Ratio. Probatum est in E., quòd D. existit in C., ex quo generatio & processio infinitè sequitur per totum C.: unde, si D. infinitè non esset in C. per generationem & processionem, sequeretur, quòd per privationem infiniti D. generationis & processionis ipsorum H. L. esset possibile, M. esse in C.; quæ possibilitas per generationem & processionem ipsius L. infinitè in C. per D. est falsa & inconveniens.

Quarta Ratio. In S. intellectus est potentia, & intelligere est actus ipsius potentiæ; qui actus existit in L. inter potentiam & objectum, quod intelligit; & cùm actus intellectûs nequeat esse sinè actu memoriæ, igitur D. est in M.; in quo M. minimè esset, si actus memoriæ & intellectûs essent per totum C. infinitè in duabus potentiis & objecto, & duæ prædictæ potentiæ & earum D. & illud objectum in L. sinè M. essent A., & non creaturæ: igitur L., per quod creatura efficeretur A., & exiret extra triangulum rubeum per D. H. infinita, oportet necessariò esse in A. per D. H. infinita in ipso C.; quâ infinitate demonstratur, quòd L. sit in A. sinè M.

De Conditionibus ipsius L.

SEcundùm quod T. est in flore ipsorum L. M., potest L. habere multas conditiones; nos tamen de *tribus* solummodo breviter hìc tractamus, quarum hæc est

Prima Conditio. In ipsis D. C. B. conditionatur L., scilicet in infinitate ipsorum D. C. B.; quia L. non haberet, in quo infinitum esset absque infinitate ipsorum D. C. B.: sed cùm D. C. B. infinita sint in ipso L., igitur L. est infinitum in eorum infinitate.

Secunda Conditio ipsius L. est, quòd in ipsis D. C. B. sit L. infinitum per distinctam concordantiam suppositorum, ut ipsa concordantia conveniat cum majoritate, quæ sit infinita; quæ infinitas esse non posset in ipsis D. C. B. absque infinito L. existente in distinctis suppositis infinitis.

Tertia Conditio est, quòd L. cujuslibet creaturæ sit in M. secundùm comparationem illius L., quod est in ipsis B. C. D. ipsius A.: quia, si non esset ita, sequeretur, quòd C. haberet defectum in D., & D. in C., & B. in ipsis C. D.; hoc autem est manifestè inconveniens.

DISTINCTIO XI.

De

Compositione sive de M.

MAnifestum Principium est M. per se ipsum in ipso T.; quare non oportet ipsum probare: veruntamen volumus illud probare in aliquo particulari, hoc est, in Angelo; & probato, quòd M. sit in Angelo, consequenter manifestatur, ipsum esse in omni eo, quod in H. ipsius B. magìs distat ab ipsis C. D. ipsius A.

De Probatione ipsius M.

Prima Ratio. Manifestum est quadrangulo livido ipsius S. recolenti conditiones ipsorum B. C. D., quòd D. ipsius C. non potest tantum in creatura, sicut in C.; quia si posset, sequeretur, creaturam esse æqualem in H. ipsi C.: & si Angelus esset in L. absque M., potestas posset habere æquale D. in H. L. ipsius creaturæ ipsi D. in H. L. ipsius C.: item sequeretur in ipso C. manifestum inconveniens potestatis & aliarum dignitatum ipsius C.; quo inconvenienti triangulus viridis, croceus & rubeus devenirent in ipsa D. C. B., esset etiam M. in ipsis B. C. D.; hoc autem est impossibile, quo impossibili M. in Angelo esse manifestè ostenditur.

Secunda Ratio. Certum est secundùm D. H. N. ipsius C., Angelum habere D. in ipsis C. B. per I. K. H. N. L. Q. R.; cùm C. B. se habeant æqualiter ad I. K. ipsius Angeli; & si Angelus esset L. absque M. in substantia, converteretur suum D. in unum L. sinè distinctione ipsorum I. K., ex quibus inferretur injuria ipsis B. C. D. in Q. R. H. N. per triangulum rubeum; & hoc est impossibile: ob quam impossibilitatem ostenditur, quòd in Angelo est differentia substantiæ ab ipsis I. K., quæ sunt D. potentiarum; quâ differentiâ necessariò oportet esse M. in ejus substantia; nam sinè M. diversificari non possent I. K. in ipsa, nec esset in substantia N. in H., nec H. in N.; & hoc est falsum & inconveniens.

Tertia Ratio. Manifestum est, quòd, si in Angelo est M. de simplicibus rebus in M. facientibus substantiam, meliùs ex hoc potest

est recipere influentiam ipsorum D. C.; cùm secundùm H. N. subjectum, in quo sit differentia, concordantia, æqualitas absque contrarietate, sit magis remotum à privatione, contrarietate & corruptione, & magis propinquum ad recipiendum gloriam, perfectionem & esse, quàm subjectum, in quo non sit differentia, æqualitas & concordantia simplicium rerum, ex quibus ejus substantia componatur: cùm autem O. supponens majus D. ipsius C. in creatura habeat majorem propinquitatem ad ipsa H. N., quàm negans prædictam majoritatem, igitur declaratur, M. esse in Angelo: quia si non, sequeretur, quòd D. ipsius C. contradiceret majoritati ipsorum H. N. in O.; quâ contrarietate esset contrarium majoritati ipsorum H. N. in Q. R., & majoritati ipsius D. ipsorum I. K. in creatura, quod est evidenter inconveniens.

De Conditionibus ipsius M.

QUàm plurimæ sunt conditiones ipsius M., quibus homo investigare potest, secundùm quod T. existit in floribus figuræ universalis hujus artis; sicut M., quod diversificatur in suppositis corporeis, videlicet in corporibus supercælestibus, & in vegetabilibus, animalibus & metallis, & etiam in formis artificialibus, & in operationibus quadrangulorum ipsius S., & in D. ipsius C. agente in creaturas, & in tempore, quod diversificatur in motu, quo sua differentia est composita in numero: & hoc idem est de radio solari existente in aëre, in quo est corpus, & de V. in homine, & de loco in locato, & de A. & de homine in JESU Christo; & sic de cæteris rebus similibus antedictis. Unde, sicut M. est conditionatum in differentia specierum, sicut convenit, ita conditionatur per alios terminos trianguli viridis, & per triangulum croceum, nigrum & rubeum, taliter tamen, quòd semper sit subjectum formis simplicibus, sinè quibus minimè posset esse; & quòd nullo modo sit in ipsis B. C. D. A.

DISTINCTIO XII.

De

Ordinatione sive de N.

MAnifestum est N. per se in multis speciebus, secundùm quod manifestatur per T., quod est in quolibet flore hujus artis: nos autem de ipso N. loquemur breviter in generali in *tribus Speciebus* tantùm.

De Tribus Speciebus ipsius N.

Prima Species. Secundùm quod in *Principiis Philosophiæ* probatum est, N. est de Prima Causa, quæ per virtutem in res creatas ipsum H. influit, & ipsa Intelligentia movet cælestia corpora, quæ influunt H. in hæc inferiora, quorum influentiâ forma universalis & materia prima generant quatuor elementa, quæ ingrediuntur mixtionem, digestionem & compositionem in his inferioribus corporibus, quæ in *tres Species* sunt divisa, videlicet in *vegetabilia, animalia & metalla*; in quibus tribus speciebus est alteratio, & etiam decem prædicamenta: & in his omnibus rebus formatur N. secundùm cursum & regulam naturalem.

Secunda Species ipsius N. est, cùm ipsum S. habet N. in A. V. Y. contra V. Z., & quando quinque particularibus sensibus Imaginativa recipit res corporales, quæ Imaginativa illas res in phantasia offert intellectui, qui ipsas reponit in memoria; quæ memoria ex multis particularibus format unum universalem habitum; & voluntas habet D. secundùm habitum intellectûs & memoriæ habentium D., à quo procedit D. ipsius voluntatis; & super phantasiam & imaginationem tres potentiæ accipiunt objecta in ipsis A. V. Y., secundùm quod declaratur in quadrangulis ipsius S.

Tertia Species ipsius N. est, cùm A. ad demonstrandum D. ipsius C. produxit mundum in esse, & ipsum ordinavit secundùm triangulum viridem, croceum & rubeum in ipsis S. V. X. Y. D. E. F. G. H. L. M. O. P. Q. R., ut ex hoc I. K. habeant N. ad fruendum D. ipsius C. & cameris ipsius A.; & ideo posuit N. in mundo videlicet in Scientiis & in Artibus mechanicis, & statuit Prælatos & Principes & eorum subditos; & sic de cæteris rebus, quarum narratio esset longa.

De Conditionibus ipsius N.

QUàm plurimæ sunt conditiones ipsius N.: nos tamen agemus hîc de quatuor tantùm, quarum hæc est

Prima Conditio. Manifestum est, D. ipsius C. esse supremum in H. cuilibet alteri D.; & ideo oportet, quòd sit unum N. supremum in H. omnibus aliis N., quod in H. cum supremo D. habeat majorem concordantiam, quàm aliquod aliud N.: quia, si non esset ita, esset defectus ipsius H. in D. N. contra D. ipsius C., quod est evidenter inconveniens.

Secunda Conditio ipsius N. est, quòd D. ipsius C. habeat N. terminatum per triangulum croceum, viridem & rubeum in ipsis H. Q. R.: quia, si non haberet, esset D. contrarium ipsis C. N., nec D. ipsius C. posset dare perfectionem ipsis H. N., & in creatura esset infinitè principium sinè medio & fine; hoc autem est inconveniens & evidenter implicans contradictionem, quo ostenditur, quòd oportet N. in creatura esse in qualitate, tempore & numero terminatis.

Tertia Conditio ipsius N. est in Q. R., videlicet quòd supremum Q. se habeat ad N. alterius Sæculi, & quòd R. se habeat ad N. hujus Sæculi: ulteriùs quòd Q. alterius Sæculi sit distinctum per triangulum croceum, ut in illo sit R.: & hoc idem sequitur de R. hujus Sæculi, ut in illo sit Q.: quia, si non esset ita, esset impossibile, quòd in illis posset esse N.

Quarta Conditio ipsius N. est in O. P., videlicet, quòd O. supponat, & P. exponat taliter, quòd ab ipso N. non sequatur inconveniens in ipsis B. C. D. E. F. G. H. I. K. L. M. Q. R., nec in A. S. T. V. X. Y. Z. contradicat N. aliis literis, quæ sunt ab A. usque ad S.

DISTINCTIO XIII.

De

Suppositione sive de O.

O. Est tam manifestum Principium per se ipsum, quòd nos ipsum probare non oportet, sed volumus ipsum tribus rationibus conditionare.

De Conditionibus ipsius O.

Prima Conditio. Manifestum est, secundùm quod in octava & nona distinctione probavimus, quòd I. K. sunt in R., ut habeant Q. ad ipsum A. & suas cameras; & ideo conditionatur O. ad supponendum omne illud per R., per quod in K. habere valeat majus D. ipsorum D. C. B. A.: quia, si non esset ita, esset impossibile ipsi S. habere H. in N. D. ad imitandum regularitatem trianguli rubei in A. V. Y. contra V. Z., esset etiam D. ipsius A. contra H. N., hoc autem patet esse falsum & impossibile.

Secunda Conditio. Certum est, quòd, quando O. per quadrangulum rubeum supponit Y. Z., intellectus sublimatur ad investigandum & inveniendum Y. Z., ut quadrangulo livido pro objecto detur Y., & nigro Z.; quoniam intellectus ex O. facit instrumentum ad habendum D. in Y. seu in Z.: & ideo interdum contingit, quòd intellectus nequit habere D. in Y. seu in Z., nam O. abest à quadrangulo rubeo ipsius S.; ideo D. nequit esse in quadrangulo livido nec in nigro; idcirco oportet O. taliter conditionari, ut per hoc intellectus possit dirigi in investigatione ipsorum Y. Z.

Tertia Conditio est, quòd O. supponat per R., ut Q. in investigatione ipsorum H. N. sit in E. F. G. I. K. M. P.; & quòd ipsum Q. sequatur per R. in ipsis T. V. X. illud Q., per quod investigat O. cum R. ipsum Q., quod convenit iis, quæ sunt sub D. ipsius C., ut non sit contrarietas ipsorum E. F. G. I. K. M. P. in ipsis H. N. contra D. ipsius C., & quòd T. V. X. non amittant suas conditiones in principiis hujus artis.

DISTINCTIO XIV.

De

Expositione sive de P.

IN hac arte P. est universale Principium ad exponendam Sacram Scripturam secundùm regularitatem aliorum principiorum & eorum conditiones, ac secundùm dispositionem ipsorum A. S. T. V. X. Y. Z. in floribus suprà dictæ figuræ. Unde, esto, quòd P. per se ipsum sit manifestabile, nihilominus ipsum volumus declarare *tribus Rationibus*.

De Probatione ipsius P.

Prima Ratio. Jam probavimus E. F. G. N. esse; & ideo secundùm D. ipsius A. convenit esse P., ut sit aliquod universale, in quo sit expositio ipsorum E. F. G. per N. T. V. Y. Z.; & quòd sub P. sint plura particularia, ut per hoc Sacra Scriptura, quæ loquitur de immensitate DEI, & indiget infinitis vocabulis, breviori modo traderetur, & ut S. haberet inde nobiliores quadrangulos, & majorem materiam in triangulis ipsius T. per

ipsa V. Y. Z.: quod si non esset, D. ipsius A. in N. esset contra H. N. Q.R. I. K. E. F. G.; quod est impossibile.

Secunda Ratio. Si Sacra Scriptura esset tantùm intelligenda ad literam, & non indigeret aliâ expositione, oporteret, quòd Sancti Prophetæ & Doctores Sacrosanctæ Ecclesiæ tam clarè locuti fuissent de D. C. B. E. F. G., quòd Q. de ipsis D. C. B. E. F. G. non recipere aliam notitiam, & in S. destrueretur majoritas trianguli rubei, viridis & nigri, ac disconveniret cum majoritate ipsorum V. Y.; præterea quadrangulus niger non esset ita contrarius ipsis V. Z., & A. esset in D. per totum tertium membrum ipsius X.; hoc autem est inconveniens, & contradicit quarto membro ipsius X.

Tertia Ratio. Si P. non esset necessarium, esset defectus revelationis per significationem camerarum ipsius A. in D. ipsius C.; & Sancti Doctores per V. Z. tractavissent de triangulo rubeo in ipsis Q. R.; sequeretur etiam defectus ipsorum H. N. in ipsis I. K., & esset superflua significatio, quam A. de suis cameris præbet ipsi S. in E. F. G.; hoc autem est impossibile.

De Conditionibus ipsius P.

Prima Conditio ipsius P. est, quòd exponat unum principium cum alio, & quòd semper exponat verba taliter, quòd inde sequatur concordantia absque contrarietate per ipsa B. C. D. E. F. G. H. I. K. L. M. N. O. Q. R.; nam, si in illis esset inconveniens & contrarietas, principia in V. Y. Z. & in M. essent contra H. N. L.; sed hoc est inconveniens, & contradicit ipsis I. K. in D. ipsius C.

Secunda Conditio est, quòd O. supponat P. esse in Y. in majori concordantia prædictorum principiorum, ut P. sit magis contrarium majori contrarietati, quam Z. habet contra Y., & quam V. rubeum habet contra V. lividum: quia, si non, sequeretur, quòd Y. Z. & V. rubeum & lividum possent convenire; hoc autem est falsum & inconveniens.

Tertia Conditio, quòd P. non sit occasio contra A. S. T. V. X. per B. C. D. E. F. G. H. I. K. L. M. N. O. Q. R., & è converso; quia, si esset, sequeretur defectus in suprà dictis literis, qui defectus haberet principium ab ipsis D. C. B. A. H.; hoc autem est impossibile & contradictio.

DISTINCTIO XV. & XVI.

De

Prima & Secunda Intentione sive de Q. R.

QUoniam in hac arte Q. R. sunt principia relativa, igitur nos volumus tractare de ambobus sub uno capitulo, & unum per aliud demonstrare: veruntamen Q. R. sunt per se manifestabilia in triangulo rubeo & in creaturis, sicut Firmamentum & Planetæ, quæ sunt per R., corpora autem inferiora per Q., in quæ corpora cælestia mittunt suam influentiam & virtutem: quatuor Elementa sunt etiam per R., & corpora, quæ componunt, sunt per Q.: item in plantis flores & folia sunt per R., fructus autem per Q.; & plantæ sunt per R. relativè ad animalia, animalia verò per Q.; sed animalia irrationalia sunt per R., rationalia autem per Q.: item in rationalibus quinque sensus corporales sunt per R., & tres potentiæ ipsius S. sunt per Q.: in tribus potentiis D. est per Q., aliæ verò potentiæ per R.

Ulteriùs in S. quadrangulus niger & rubeus sunt per R., lividus verò per Q. In V., V. lividum est per Q., rubeum verò per R.; Y. est per Q., & Z. per R. In X. camera meriti & gloriæ est per Q., & camera culpæ & pœnæ per R.; & hoc Sæculum est per R., alterum verò per Q.; & hoc idem sequitur de aliis rebus in hoc & in altero Sæculo existentibus, secundùm quod triangulus rubeus est in viridi & in croceo: & hæc omnia per se sunt tam manifesta, quòd ampliùs ea probare non oportet.

In hac arte & in qualibet alia Q. R. sunt principia universalia, nam quælibet creatura decurrit & existit per Q. R., & ideo nos probare volumus Q. in B. C. D., & volumus ostendere principium, in quo Q. R. relativè existunt, ut veniamus in notitiam illius entis, in quo Q. est absque societate ipsius R.; hanc autem investigationem facimus *quatuor Rationibus*.

De Probatione ipsorum Q. R.

Prima Ratio. Manifestum est, quòd B. est purus actus; quia si non, vel esset habitus vel potentia; & sic esset per R., & divinæ Personæ, quæ sunt purus actus, essent per Q.; & sic D. se haberet ad Personas per Q., & ad B. per R.; hoc autem est inconveniens, cùm Q. conveniat cum majoritate, R. autem concordet cum minoritate: quo inconvenienti demonstratur, quòd Q. in B. sit sinè R., videlicet quòd in B. Pater habet D. ad generandum Filium, & ad dandum processionem Sancto Spiritui, & Filius habet D. ad dandum processionem Sancto Spiritui, qui ab utroque procedit; quoniam autem omnes tres sunt unum B., & quælibet Persona est essentia in se ipsa & in B., & B. est essentia in se ipso & in Personis, igitur B. habet Q. sinè R.: quod si non esset, esset impossibile in illis Q. existere absque R., quâ impossibilitate in ipsis D. B. Trinitas est demonstrata, sinè qua Trinitate Q. non haberet D. sinè R. in B. per totum C., in quo esset defectus ipsorum H. L.; hoc autem est inconveniens, & ipsi E. manifestè contradicit.

Secunda Ratio talis est. Certum est, quòd I. K. sunt in C. per Q. sinè R., nam si in illo esset R., esset ibi majoritas & minoritas in M.; sed hoc est inconveniens, quo significatur D. in Q. existere absque R. per bonitatem, magnitudinem, æternitatem, potestatem, perfectionem in ipso C., in quo est D. unum & idem cum ipsis I. K. ipsius C.: idcirco oportet, quòd sit bonitas & bonificare, magnitudo & magnificare, æternitas & æternificare, potestas & possificare, perfectio & perfectionare: quod si non esset, esset impossibile in C. existere Q. absque R., & I. K. essent per Q., bonitas autem & magnitudo &c. per R., vel è converso; aut sequeretur, quòd D. in C. conveniret cum esse & privatione, perfectione & defectu; hoc autem est contradictio, & est contrarium conditionibus ipsorum B. C. D. A.

Tertia Ratio est, quòd in D. C. B. oportet esse Q. in principio & in fine sinè medio, quod est per R.; hoc autem est, ut ex hoc D. sit majus in perfectione ipsorum C. B., & ut Sanctus Spiritus sit principiatus à Patre & Filio in ipso C., in quo Filius est principiatus à solo Patre: quod si non esset, sequeretur Sanctum Spiritum à Patre & Filio non procedere, esset etiam Filius medium inter Patrem & Sanctum Spiritum, & existeret per R.; hoc autem est manifestè inconveniens, quo demonstratur, Q. in ipsis D. C. B. esse absque R. infinitè per E., sinè quo E. non haberet Q., in quo esset absque R. nec etiam D. in ipso C. infinitum existeret.

Quarta Ratio talis est, quòd D. ipsius C. secundùm H. N. oportet habere I. K. ad creaturam per Q. sinè R., ad quam creaturam non posset habere ipsa I. K. absque unione ipsius A. & creaturæ; quia creatura non posset recipere influentiam ipsorum D. C. H. N., eò quòd continetur terminatis & finitis terminis: quòd si C. D. non haberent Q. sinè R. ad creaturam, D. haberet defectum in C., & in cameris ipsius A. esset avaritia & superbia, & privatio virtutis, veritatis, justitiæ & misericordiæ; hoc autem est impossibile & contra H. N. L. E. F. G.; quâ impossibilitate Incarnatio Filii DEI ostenditur, ad quam habuerunt C. D. ipsum Q. sinè R.; quod Q. est supremum omnibus creaturis, quibus C. D. non habent Q. sinè R.; & istud Q. gloriosum est causa omnibus creaturis, quæ sunt per R. sub prædicto Q., cui fieret injuria, si non haberet sub se R., quod R. recipit esse per H. N. ipsius suprà dicti Q.

De Conditionibus ipsorum Q. R.

Prima Conditio ipsorum Q. R. est, quòd in B. C. D. A. non sit R., quod cum minoritate convenit; & quòd Q. sit æqualiter in B. C. D. A., quod Q concordat cum majoritate.

Secunda Conditio est, quòd homo ad A. habeat ipsum Q. in D. C., & ad se ipsum habeat R.; quoniam A. sic istud ordinavit in N. per H. L. in triangulo rubeo: & qui mutat hanc regulam, irregularis efficitur, & concordat cum V. Z. privatione & defectu, & contradicit ipsis H. N. in quadrangulis ipsius S., in quibus A. regulavit Q. R.

Tertia Conditio est, quòd homo habeat Q. ad se ipsum & ad suum proximum æqualiter in quadrangulo livido, & habeat R. ad suum proximum, & Q. ad se ipsum in quadrangulo nigro odiens minora H. N., quæ sunt contra majoritatem ipsius Q., quod homo habet ad A.: quod si non esset, sequeretur inconveniens in quadrangulis ipsius S., quod S. esset irregulare contra V. Y., & contradiceret ipsis Q. R. in H. N.

Quarta Conditio demonstratur generalis sub differentia rerum relatarum ad Principium hujus capituli; quia sicut A. in ipsis H. N. ordinavit gradatim creaturas in triangulo croceo, viridi & rubeo per Q. R., ita homo obligatur sequi prædictam ordinationem; & qui illam frangit, & facit Q. de R., & R. de Q., est in V. Z. contra A. V. Y., & est per R.

in camera culpæ & pœnæ, cui Q. est superius in camera meriti & gloriæ.

Completa est prima Pars Principiorum Theologiæ divinâ benedictione & gratiâ; nunc restat tractare de secunda adjuvante sapientiâ summi Opificis.

INCIPIT SECUNDA PARS QUÆ EST DE Conditionibus Florum Universalis Figuræ.

Camera 1.

[*B. C.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

QUoniam B. est C., & C. est B., ideo oportet, quòd in B. C. existat D., sinè quo ipsa B. C. non possent esse unum & idem; nam si inde deficeret D., deficerent I. K. H. Q., quæ existunt in C.; sinè quo C. non esset B., nec sinè B. esset C.: & ideo B. C. conditionantur in D., & D. conditionatur in ipsis B. C. per I. K. H. Q. in distinctione, concordantiâ & æqualitate, sinè quibus D. non posset esse in C.; quia D. bonitatis, magnitudinis, æternitatis, potestatis, sapientiæ, perfectionis absque distinctione, concordantiâ, æqualitate suppositorum infinitorum in B. C. non haberet hoc, quod sibi convenit, nec A. haberet cameram justitiæ, perfectionis, sapientiæ, amoris, bonitatis, magnitudinis, largitatis & veritatis; hoc autem est inconveniens, in quo conditiones ipsorum B. C. manifestè ostenduntur.

Camera 2.

[*B. D.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

CONditiones ipsorum B. D. existunt in C. per modum majoritatis ipsius C. in B. D. absque minoritate ipsorum B. D. C.; & ideo oportet, quòd D. in B. habeat libertatem in infinitate ipsius C. in B., & ipsius B. in C.; & etiam quòd libertas sit distincta in infinitate ipsius C.: quod si non esset, sequeretur, quòd omne illud, quod esset D. ipsorum B. C., esset ex necessitate sinè libertate: quod si esset, sequeretur, D. non esse perfectum in B. C.; & D. haberet libertatem in creaturis, quæ esset major, quàm in B. C.; hoc autem est contra H. L. Q. R. N. & contra A. S. V. Y., & concordat cum V. Z.

Item per hanc metaphoram significantur conditiones ipsorum B. D.; scilicet radius solaris est de entitate solis, & est ejus proprietas, cum qua sic illuminat aërem, sicut calor est proprietas ignîs ad ejus operationes: & sicut ignis se habet meliùs ad suam operationem calefaciendo aërem, quàm calefaciendo aquam, sic se haberet meliùs ad suam operationem in se ipso, si haberet in se H. passivum, quod esset in L. absque M.: & quia D. ipsius C. est majus in H. L. quàm sol & ignîs, qui sunt ejus effectus, igitur oportet, quòd D. ipsius C. sit de entitate ipsius B., quod B. oportet esse D. in C.: quod si non esset, haberent sol & ignis in H. æquale D. ipsis C. B.; & hoc est inconveniens, quo ostenditur, quòd D. est C. B., & C. B. sunt D. in E., in quo E. est majus D. in C. B., quàm in G., & in G. majus, quàm in aliis operibus naturalibus secundùm comparationem suprà dictæ metaphoræ.

Camera 3.

[*B. E.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

CONditiones ipsorum B. E. secundùm hanc artem sunt concordare unam conditionem ipsius B. cum alia ipsius E. absque inconvenientia ipsorum D. C. H.: quoniam autem D. existit per C. H. in ipso B., oportet, quòd D. ipsius B. sit in E. secundùm C. H. Unde, cùm D. ipsorum B. C. H. sit in majori possibilitate, quæ esse possit in E., oportet necessariò ipsa B. E. conditionari per majorem possibilitatem & impossibilitatem: nam majorem possibilitatem esse oportet per infinitatem suppositorum in C H. ad-

invicem distinctorum, in quibus D. est possibilius in B. E., quàm in ulla alia re; & major impossibilitas, quæ sit ipsi D. ipsorum C. H. in B., est, quòd sit contra C. H. in B. E. & contra majorem possibilitatem ipsorum C. H. B. A.

Camera 4.

[*B. F.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

SEcundùm quod Cameræ ipsius A. sunt in D., conditionantur B. F. in majoritate ipsius D. in E. G., ut ex hoc F. sit majus in H. N. Q. R. per D. ipsius B., & per quadrangulos ipsius S., ut D. ipsius S. habeat inde majorem concordantiam cum H. N. in A. V. Y. contra V. Z.; & ut tertium & quartum membrum ipsius X. ex hoc habeant eorum individua magìs diversa in L. contra M.; & ut O. P. habeant per hoc concordantiam cum majoritate, quæ majoritas in triangulo rubeo sit subjecta quadrangulis ipsius S.

Camera 5.

[*B. G.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

PEr differentiam & concordantiam sinè contrarietate sunt conditiones majoritatis ipsorum B. G. in triangulo rubeo & in D. H. N.; & ideo quantò plùs G. significat D. ipsius B. in C., tantò magìs diversum & magis altum est illud D. in G. supra naturam & similius & propinquius ipsi D. ipsius C. in B. H. N.; & S. multiplicat inde suos quadrangulos in rubeo per V. Y. contra V. Z.; & in T. affirmativa & negativa sunt propinquiores ipsi D. ipsius C., & magìs contrariæ dubitationi & sensibus corporalibus; & ideo magis concordant cum triangulo rubeo.

Camera 6.

[*B. H.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

IN D. ipsius C. conditionantur B. H.; nam B. non esset C. sinè D., nec C. esset B.; & sinè B. ipsum H. non haberet, in quo existeret; nec B. sinè H. haberet D. in C.; nec C. sinè H. haberet D. in B.: quia si D. esset in B. H. sinè operante & operato, D. esset in ipsis B. H. imperfectè per totum C.; quâ imperfectione nequiret esse in C., nec C. in B. H.; & B. H. C. D. concordarent cum privatione & defectu: & si operans & operatum in C. concordarent cum privatione & defectu in H. B., esset impossibile, quòd D. & H. simul concordarent in B. C.; cùm sinè operante & operato D. & H. non possint concordare in B. C.; quia, si concordarent, esset possibile, quòd H. posset esse in B. C. sinè D.; hoc autem est impossibile; quâ impossibilitate conditiones ipsorum B. H. manifestè patent.

Camera 7.

[*B. I.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

IN omnibus principiis hujus artis conditiones ipsorum B. I. possunt manifestari; veruntamen nos in C. D. H. K. Q. volumus exemplificare dicentes, quòd I. per C. habet D. cognoscens in B. ipsum C.; & quoniam notitia, quam I. habet de B., est, ut ipsum cognoscat bonum, magnum, æternum, potens, sapiens, amans, perfectum, ideo illa notitia est I. B.: quia verò I. in C. est infinitum in cognoscendo B., ipsa H. K. habent Q. ad æquales proprietates reales, personales & distinctas in D., quod I. habet in B. per totum C.: quia, si non haberet, deficeret infinitas magnitudinis per totum C.; & Q. non haberet H., cum quo conveniret in K., quod diligit, ut I. habeat infinita H. D. Q. per totum C. in cognoscendo ipsum B.

Camera 8.

[*B. K.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

CONditiones ipsorum B. K. sunt in majoritate ipsorum Q. I. D. C. H.; nam K. diligit B. per totum C., quod est B.; & I. scit D. ipsius K.: quoniam autem I. scit majus D. ipsius K. in B. C. H., si K. habet Q. ad suppositа æqualia in B. distincta per totum C. & H., quàm si sciret, K. non habere Q. nisi ad unum objectum tantùm in B. C. H. sinè distinctione ipsorum Q. D. in B. C. H., igitur oportet esse majoritatem in B. K., quam I. in ipsis scire debet, secundùm quod convenit ipsi H. ipsorum C. I. D. in B. K.: quod si non esset, esset defectus ipsorum H. D. & justitiæ in C. A.; hoc autem patet esse inconveniens.

Camera 9.

[*B. L.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

BL. sunt conditionata in ipsis C. D. H. I. K., quia D. est in B. per totum C. sinè privatione ipsius L. in ipsis B. C. D. H. I. K.: & si L. est in B. C. D. H. I. K., in quibus sunt infinitè distincta suppositа, quæ non privantur ipso L., ipsa I. K. ipsius L. habent inde majora D. H. in B. contra M. per totum C.: & ideo oportet, quòd majora D. H. ipsorum I. K. in L. sint in B.: quia si non, esset impossibile, quòd D. H. I. K. essent unum cum B. L. in C. sinè M. compositо de triangulo viridi,

viridi, croceo & rubeo; hoc autem est inconveniens, & contrariatur conditionibus ipsorum B. L. D. C. I. K. M. T.

Camera 10.

[*B.M.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

IN conditionibus ipsorum B. M. sunt C. D. H. I. K. L.; nam si in B. non sunt suppositа per C. D. I. K. L., ut ex hoc ibi non sit M., sequitur, quòd in B. sit defectus ipsius H. in C. D. I. K. contra L.; quem defectum sciret I., & odiret K.; hoc autem est impossibile: quia, si esset possibile, esset impossibile, quòd H. D. essent infinitè in B. per tota C. I. K. L.; quæ impossibilitas est inconveniens; quo ostenditur, quòd I. scit, & K. diligit infinitum H. in L. per totum C. in B.; quod infinitum H. indicat, quòd hoc sequi oportet, in quo H. est altius & excellentius in D. ipsorum I. K., ut sit nobilius L. in B., quod esse valeat in H. C. I. K. contra M.; quæ contrarietas est, quòd in L. sint distincta suppositа per totum B. C. D. I. K. sinè M.: nam si K. odiret distinctionem suppositorum ob timorem ipsius M., I. sciret privationem libertatis in D. per B. C. H. K. L.; hoc autem est falsum & inconveniens.

Camera 11.

[*B.N.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

CONditiones ipsorum B. N. sunt in C. D. E. F. G. H. I. K. L. M. O. P. Q. R.; nam de D. ipsius C. in E. influit B. influentiam ipsius H. in F. G. I. K. M. O. P. Q. R.; quod H. format N. in omni eo, quod B. influit in creaturas; quod N. nequiret recipere formam absque D. ipsius C. in B.; quia non esset in B. illud H., à quo inciperet distinctio, concordantia & æqualitas, per quæ formaretur N. in E. F. G. H. I. K. L. M. O. P. Q. R.: sed per D. ipsius C. in B. per totum C. secundùm ejus infinitatem in generatione & processione est N. sub ipso B. in triangulo rubeo, absque eo, quòd D. ipsius C. sit causa ipsorum V. Z., nec V. Y. sint effectus alterius rei, quæ non sit B. nec D. ipsorum C. H. N.

Camera 12.

[*B.O.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

IN tertio membro ipsius X. conditionantur B. O. per triangulum viridem, rubeum & croceum secundùm affirmationem & negationem quadranguli nigri ipsius S., in quo O. supponit omnem majoritatem ipsius D. in B. sinè M. tertii membri ipsius X. & sinè contrarietate contradicente majoritati ipsorum B. D. C. E. G.: & si hoc, quod O. sic supponit, esset in Z., & minoritas majoritati contraria esset in Y., sequeretur, quòd O. esset majus in H. ipsius D., quàm D. ipsius B. in C.; hoc autem est inconveniens, quo ostenditur, quòd D. in B. habet majus C., quàm O. in S.; quâ majoritate oportet esse E. G. in Y.: quod si esset impossibile ipsi D. ipsius B. in C., posset O. per S. plùs operari, quàm D. ipsius C. habere H. in B.; hoc autem est inconveniens, in quo potes invenire particulare, quod secundùm conditiones ipsorum B. O. inquiris.

Camera 13.

[*B.P.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

P. Conditionatur in majoritate, quam S. potest habere in suis quadrangulis, ad habendum pro objecto A. V. Y. per quadrangulum lividum & rubeum contra V. Z., quæ conveniunt ad essendum objecta quadranguli nigri: & ideo ostenditur D. ipsius B. in E. F. G.; sinè quo D. ipsum P. non haberet H. in triangulo rubeo, nec haberet N., in quo P. exaltaret suum D. tantum, sicut convenit ipsi D. ipsius B. in ipsis I. K. N.; & P. haberet majus H. per creaturam in ipso N., quàm per B.; hoc autem est falsum & inconveniens.

Camera 14.

[*B.Q.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

B. Q. sunt in C. D. sinè R.; nam si in illis essent cum R., essent ipsa B. Q. in M. in triangulo viridi, croceo & rubeo: & ideo est impossibile, quòd B. Q. habeant concordantiam per R. Quod cùm ita sit, oportet, quòd D. ipsius C. in B. habeat Q. sinè R. ad creaturam, quæ sit unita ipsi A.; quæ creatura in creatione sit Q., quod sit supra totum R.; quod R. sit creatum per B. sinè V. Z.: quia si non esset ita, sequeretur, quòd B. creâsset R., quod esset necessarium ipsi D. ipsius C.; hoc autem est inconveniens, quo E. G. cuilibet ostenduntur.

Camera 15.

[*B.R.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

CErtum est, quòd D., quod non potest esse in Q. sinè R., non est D. ipsius B. in C.; quia, si esset, sequeretur, quòd B. C. essent cum M. in tertio & quarto membro ipsius X.; & hoc est impossibile: quâ impossibilitate demonstratur, D. esse in B. C.; quod D. habet Q. sinè R. in H. L. ipsorum B. C.; sub quo Q. est omne Q., quod nequit habere D. ad se ipsum sinè R.; quod Q., quod nequit habere D. sinè R., haberet in se ipso B., si non esset D. ipsius C. in H. L. secundùm distincta suppositа per totum B. & C.; hoc autem est inconveniens, quo conditiones ipsorum B. R. manifestè indicant ipsa E. G.

Camera 16.

[*C.D.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

C. D. conditionantur in B. Q., quoniam æqualiter D. in C. convenit cum B., scilicet in bonitate bonificare, in magnitudine magnificare seu infinitare, in æternitate æternificare, in potestate possificare, & in perfectione perficere seu perfectionare, sicut sapientiæ convenit cognoscere, & amori amare: quod si non esset, sequeretur, quòd Q. haberet in B. D. concordantiam cum majoritate, & bonitas, magnitudo, æternitas, potestas & perfectio haberent in B. D. concordantiam cum R. & cum minoritate; hoc autem est inconveniens: & si bonitas non se habet tantum ad bonificare, quantum sapientia se habet ad cognoscere, & amor ad amare, sequitur ex hoc suprà dictum inconveniens: & si sapientia se habet ad cognoscere, & amor ad amare, ut bonitati conveniat bonificare, oportet in D. esse R. per C.; & hoc idem sequeretur per totum C.; hoc autem est manifestè inconveniens; quo ostenditur, quòd sicut calor ignis, si cresceret infinitè in D. calefaciendo & illuminando, cui augmento haberet Q., privaret ab essentia ipsius ignis ipsum R., & quantitatem, tempus, motum, locum deduceret in corruptionem, privationem & defectum, ita D. infinitum in C. est H. L. in B. Q.; idcirco est impossibile, in B. Q. existere hoc, quod esset impossibile essentiæ ipsius ignis, si haberet D. infinitum, secundùm quod D. C. sunt in B. Q.; propter quod E. manifestè ostenditur.

Camera 17.

[*C.E.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

TOt sunt conditiones ipsorum C. E., quot sunt individua existentia sub C. E.: nos verò breviter volumus exemplificare de aliquibus dicentes, quòd D. in C. non potest plùs in possificare, quàm in I. K.: sed in E. potest D. plùs in creare, quàm in recreare, & è converso; quoniam potuisset creare plures mundos, quàm creavit; & plùs est creare hominem, qui sit A., quàm recreare: plùs etiam est recreare, quàm creare mundum, in quantum V. Z. sunt contra D. ipsius C.; & potestas ipsius C. non posset plùs superare H. D. ipsius naturæ, quàm uniendo cum ipso A. hominem natum de Virgine, resuscitatum in corpore glorificato, in quo triangulus rubeus est perfectus.

Camera 18.

[*C.F.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

CONditiones ipsorum C. F. existunt in D. E. G. H. I. K. N. A. S. T. V. X. Y. Z.; nam D. ipsorum E. G. exaltat H. in S. V. Y. contra V. Z. in majoritate cameræ [Esse & Perfectionis] [Meriti & Gloriæ]; etiam justitia & misericordia ipsius A. habent inde majus D. in S. videlicet per majoritatem ipsius F.; quæ majoritas multiplicatur in triangulo rubeo per D. ipsius C. in E. G., ut ex hoc I. K. habeant majorem concordantiam in S. H. N. per C. F.

Camera 19.

[*C.G.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

APpropriantur conditiones ipsis C. G. per D. H. N. S. T. V. Y.; quia D. ipsius C. sublimat H. per S. V. Y. in ipso G. super D. H. ipsius naturæ; quâ exaltatione ipsa C. G. habent majorem concordantiam in D. H. S. V. Y.; & ipsa S. V. Y. ex hoc magis contradicunt ipsis V. Z.: quod si non esset, sequeretur, quòd K. ipsius C. esset contrarium ipsi D. ipsius C. in I., bonitate, magnitudine, potestate, perfectione; & hoc est impossibile & contradictio, in quantum K. D. sunt unum & idem per totum C. in B.

Camera 20.

[*C.H.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

C. H. sunt in D. æqualia; quia si non, esset R. in D. ipsorum C. H.: quoniam autem D. potestatis ipsius C. potest creare seu facere plures res, quàm creaverit seu fecerit, igitur D. ipsius K. existentis in C. habet æqualitatem in H. in nolendo creare hoc, quod D. potestatis poterat creare: quia, si non esset ita, esset impossibile, quòd C. H. essent unum & idem in B., & quòd potestas & K. haberent æquale D., & quòd essent unum & idem in ipsis C. H. B.; hoc autem est inconveniens, in quo conditiones ipsorum C. H. manifestè ostenduntur.

Camera 21.

[*C.I.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

C. I. conditionantur in hac arte per D. K. Q. R. H. in Y. Z. & in V. livido & rubeo, quoniam I. ipsius C. habet D. in sciendo V. Y. & V. Z., & K. ipsius C. habet D. in V. Y., videlicet diligendo, & in V. Z., videlicet odiendo: unde, si I. non haberet D. contra V. Z., suum D. non concordaret cum V. Y., & in C. D. esset I. per R., & K. per Q.; & hoc est inconveniens: quo inconvenienti ostenditur, quòd V. Y. & V. Z. non diversificant D. in I. K., & quòd I. K. sunt unum D. in C.; quâ unitate ipsius D. in I. K. oportet in C. distincta suppositа existere, in quibus possit esse H., quo D. possit esse distinctum in I. K. per totum C.; & quòd I. K. per totum C. distinctionem habeant; sinè qua distinctione nequirent habere D., nec esset aliquid, quod in C. concordaret cum V. Y., nec quod contradiceret ipsis V. Z.

Camera 22.

[*C.K.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

COnditiones ipsorum C. K. sunt in I. D. B.; nam I. scit majorem bonitatem in C., si unum bonum infinitum in magnitudine boni, æterni, potentis, sapientis, amantis, perfecti generet aliud sibi simile in B. C.; & si ab ambobus procedat aliud in B. C. æquale ipsis & simile, quàm sciret, si hoc non ita esset: cùm igitur I. sciat hoc, oportet K. habere D. ad hoc, quod I. scit secundùm majoritatem ipsius D. in C.: quia, si non haberet, esset K. contra I. C. B.; hoc autem est inconveniens, quo conditiones ipsorum C. K. revelantur in præhabito particulari exemplo, per quod poteris invenire multas alias conditiones, quæ sunt in C. K.

Camera 23.

[*C. L.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

C. L. conditionantur in D. E. G. H. I. K. M. N. S. T. V. X. Y.; quia si D. ipsius C. secundùm Y. est in E. G., oportet E. G. esse in Y.; quòd si sunt in Y., sequitur inde majoritas ipsorum H. N. per triangulum rubeum in L. K. S. V. Y., ad hoc, ut S. cognoscat, & diligat D. ipsius C. in E. G.; & D. ipsius C. habet ex hoc majorem libertatem secundùm L. M. in E. G. absque eo, quòd D. C. sint in M., imò sunt unum & idem in L. sinè M.; quia, si C. non haberet D. in E. G., ut ex hoc non sequeretur M. in C. D., D. esset terminatum in C. L., & D. haberet passionem in C. M. contra libertatem ipsius X.; hoc autem est inconveniens, quo conditiones ipsorum C. L. ostenduntur; quâ significatione in C. L. infinita generatio & processio demonstrantur, sinè qua D. ipsius C. nequiret in E. G. existere sinè M.

Camera 24.

[*C.M.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

C. M. conditionantur in B. D. L. H. E. G. T.; quia, si C. habet D. in E. G., & E. G. sunt in Y., ac D. ipsius C. est in B. L. H. sinè M., per hoc est major distantia ipsorum C. M., & M. habet majorem impossibilitatem, quòd possit esse in B. C. D. H.: & cùm major impossibilitas essendi M. in C. & major distantia ipsorum C. M. conveniant cum Y. secundùm conditiones ipsorum B. D. L. H. E. G. T., igitur conditio ipsorum C. M. est manifesta.

Camera 25.

[*C.N.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

C. N. habent conditiones per D. H. T. in E. F. G. Q. R. secundùm S. V. Y. Z.; nam D. ipsius C. habet majus H. in T., si E. F. G. sunt in Y., & minus H., si sunt in Z.; per majoritatem autem ipsius D. in H. T. est N. majus in H. Q. R. S. V. Y. contra V. Z.; quâ majoritate multiplicat triangulum rubeum in conditionibus ipsorum C. N.; qui triangulus multiplicat D. ipsius S. in V. Y. contra V. Z.: quòd si prædicta majoritas esset in privatione & Z., esset N. contra C. & C. contra N. per majoritatem ipsorum H. D., & per minoritatem concordarent; hoc autem est inconveniens, & contradicit conditionibus principiorum hujus artis.

Camera 26.

[*C.O.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

COnditiones ipsorum C. O. sunt in D. H I. K. N. S. T. V.; quoniam O. est obligatum ad supponendum omne illud, per quod D. ipsius S. possit exaltare in H. sua I. K. ad ipsum C., ut S. habeat suos quadrangulos in N., quibus differentia & concordantia sint in V. livido contra V. rubeum ad multiplicandum in H. triangulum rubeum in quadrangulo nigro, livido & rubeo, & quòd S. non possit considerare majorem perfectionem seu ullum defectum in C.; quia, si posset, sequeretur defectus ipsorum H. D. in ipso C.; hoc autem est falsum & inconveniens.

Camera

Camera 27.

[*C.P.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

P. Est conditionatum & regulatum, secundùm quod D. est in C., & secundùm quod C. habet D. in creaturis; & ideo P. exponit unam dignitatem ipsius C. per aliam, & recurrit ad principia hujus artis ad salvandum æquale D. in E. G. F. secundùm C. H.: & P. etiam exponit, qualiter unum principium hujus artis est conditionatum in alio secundùm comparationem ipsorum Q. R. accidentaliter, sed secundùm Q. sinè R. essentialiter: & ideo dicimus, C. esse conditionatum in P., videlicet quòd P. exponat C. secundùm Q. H. absque R.: & P. exponit V. lividum cum Y., cùm format figuram V. Y.; & exponit V. rubeum cum Z., cùm format figuram V. Z.: & idem est dicendum de aliis his similibus.

Camera 28.

[*C.Q.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

COnditiones ipsorum C. Q. sunt in D. H., quia convenit, quòd D. ipsius C. sit in Q. H. absque R. æqualiter per totum C.; & ideo convenit, quòd Q. sit in C.; quia, si Q. non esset in C., esset in D. privatio ipsius H., quod non haberet intentionem ad bonificandum, magnificandum, infinitandum, æternificandum, possificandum, sapientiandum, amandum & perficiendum; hoc autem est inconveniens & contra D., quod D. absque Q. non posset esse in C.: & si oportet, quòd D. sit cum Q. in C., sequitur ex hoc necessariò, quòd ibi sit cum E., h. e. cum Sanctissima Trinitate, quæ in divinis verissimè reperitur.

Camera 29.

[*C.R.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

COnditionantur ipsa C. R. in D. N. negatione & affirmatione, videlicet quòd P. exponit ipsa D. N. per R. negando; quia C. non creavit ipsum R. propter necessitatem ipsius D. in C.; nam si creavisset, privaret perfectionem per totum C.: & ideo P. per N. exponit, quòd C. creaverit ipsum R., eò quòd habet ipsum Q. ad D. in E.; quod E. exponitur à P. in Incarnatione, cui C. habet D. per Q., videlicet per magnum H. ipsius C.: & sub illo Q. creavit C. ipsum R., quod R. assumsit majorem triangulum rubeum per D. ipsorum Q. C.

Camera 30.

[*D.E.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

COnditiones ipsorum D. E. sunt in C. H. Q.; quia D. in C. habet majus H. in potestate, cùm ab uno infinito per C. generat aliud infinitum per C., quàm habet in creando H. ex nihilo, vel in faciendo de uno finito aliud finitum: quod si non esset, sequeretur, quòd D. H. essent in majori majoritate per finitum C., quàm per infinitum C.; hoc autem est inconveniens: quoniam verò D. habet majus H. in potestate per infinitum C., quàm per finitum C., in quantum C. finitum nequit recipere totum D. infinitum, igitur oportet D. esse in E. per totum C. infinitè; quòd si non esset, sequeretur, quòd D. sapientiæ ipsius C., quæ scit prædictam majoritatem, haberet contrarietatem cum K. ipsius C., quod nollet D. infinitum in E., & haberet Q. ad D. finitum contra D. potestatis, bonitatis, æternitatis, infinitatis & perfectionis; hoc autem est impossibile: quâ impossibilitate in D. E. Trinitas est demonstrata; nam in omni eo, quod I. scit in majoribus H. D. in C., conditionatur D. ipsius K.

Camera 31.

[*D.F.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

COnditionantur D. F. in C. E. G. H. I. K. N. Q. R. S. T. V. Y. Z.; quia D. ipsius C. multiplicat F. per H. ipsius S. in N. Q. R., ut I. K. ipsius S. habeant majorem triangulum rubeum ad D. ipsius C. in E. G. V. Y. contra V. Z., & ut D. ipsius C. utatur ipso S. per quadrangulos ipsius S. & triangulos ipsius T. secundùm cameras ipsius A., ad designandum, quòd in majoritate ipsius D. in F. & ipsius F. in N. manifestè ostenditur esse Y. in E. G.

Camera 32.

[*D.G.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

COnditionantur ipsa D. G. in C. H. N. E. F.; nam D. ipsius C. habet æquale H. per totum C., per quod D. à C. influitur ipsum H. in G. supra N. naturæ, ad hoc, ut D. significet in G. ipsum E. & majoritatem ipsius F., quod in N. per D. ipsius C. in ipso G. est multiplicatum; & H. ipsius G. per hoc est magis propinquum ipsis D. H. ipsius C.; & tertium & quartum membrum ipsius X. sunt inde magis contraria ipsi M., & magis concordant cum ipso L.

Camera 33.

[*D.H.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

CONditiones ipsorum D. H. sunt quàm plurimæ, secundùm quod in T. diversificantur: nos autem in exemplo aliquorum particularium aliquas demonstrabimus, videlicet quòd D. in C. habet æquale H. per totam bonitatem, magnitudinem &c., & H. est ipsi D. æquale: quod si non esset, D. H. non essent unum & idem in C. B. L.; hoc autem est inconveniens; & D. ipsius C. creavit H. per Q. comparatione alterius Sæculi in triangulo rubeo, in quo creavit H. per R. comparatione hujus Sæculi; & ideo D. ipsius C. sustinebit & conservabit H. ipsius trianguli rubei absque D. ipsius naturæ in tertio & quarto membro ipsius X.: quia, si non esset ita, esset impossibile, quòd D. ipsius C. haberet perfectum D. in H. ipsius C.; hoc autem est impossibile: quâ impossibilitate demonstratur, istud Sæculum esse in natura per R., aliud verò in H. per Q.

Camera 34.

[*D.I.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

DI. conditionantur in C. Q. A.; quia, quantùm D. potest in I., tantùm potest in totis A. C., & tantùm potest in A. C., quantùm in I.; quod si non esset, esset impossibile, D. I. A. C. esse unum & idem in Q. A.: & quia D. potest in I., ipsum I. potest in D.; & ideo quantùm D. I. habent concordantiam cum majoritate, tantùm K. & ipsa C. Q. A. habent concordantiam cum illa majoritate; quia, si non haberent, non posset D. esse in Q. sinè R.; hoc autem est inconveniens, quo necessariò demonstratur, E. G. esse in Y.; nam si essent in Z., sequeretur, quòd D. I. concordarent cum majoritate in Q., & C. A. concordarent cum minoritate in R.; hoc autem est manifestum inconveniens.

Camera 35.

[*D.K.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

DK. conditionantur in distincta concordanti æqualitate per totum C. in H. Q. L. infinitè; & si D. K. non essent in C. ita conditionata, haberent privationem perfectionis in C., & C. in B. haberet defectum ipsorum H. Q. L.; hoc autem est inconveniens, ob quod inconveniens ostenditur, D. ipsius K. diligere hoc, quod I. scit in D., videlicet hoc, per quod S. esset A., si haberet illud, quod habet D. ipsius A.; & si hoc K. non diligeret, esset suum D. ipsi I. contrarium, aut I. non esset per totum A.; & hoc est inconveniens: propter quod significatur distincta æqualis concordantia ipsorum D. K. in C. Q. L., quâ ipsum E. revelatur.

Camera 36.

[*D.L.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

CONditiones ipsorum D. L. sunt in C. H. Q. T. M.; quoniam D. ipsius C. habet majus H. in Q. ad ipsum L., si generat & producit L. per totum C., & habet minus H., si privatur generatio & processio ipsius L.: & quia I. in C. scit majus D. ipsius L., oportet, quòd K. habeat Q. ad majoritatem ipsorum D. L., quæ per I. cognoscitur; & oportet, quòd bonitas, magnitudo, æternitas, potestas, perfectio habeant concordantiam cum I. K. in D. L.: quia, si non, sequeretur contrarietas ipsorum D. L. in C. H. Q.; hoc autem est inconveniens, quo ipsum E. ostenditur in conditionibus ipsorum D. L., & demonstratur, quòd sit major impossibilitas ipsius M. in C. per E., ubi D. influit L. per totum C., in quibus C. D. est impossibile esse M. infinitè.

Camera 37.

[*D.M.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

HÆc camera conditionatur in S. T. H. L. N. E. G.; nam si D. per totum C. facit esse infinitè generationem & processionem ipsius L., major est ex hoc camera in triangulo viridi scilicet in differentia & contrarietate ipsorum L. M., quàm esset, si in C. non esset D. generationis & processionis ipsius L.; & hoc est ideo, quia camera [Differentiæ, Concordantiæ] est ex hoc major in D. L. H. in ipso C. per generationem & processionem infinitam in C. Item si E. G. sunt in Y., sequitur inde majoritas ipsius D. in C. per L. M. ipsius A. & creaturæ ad essendum una Persona trium naturarum in M., hoc est, A. & S. & corpus humanum, absque eo, quòd L. corrumpatur in C. D. A.; & M. est majus, quod esse valeat, in D. H. N. per triangulum rubeum & differentiam & concordantiam: & hoc idem sequitur de G., in quo est D. ipsius C. in H. ipsius A. & in H. creaturæ; quod H. non posset esse majus in N. M.: quoniam autem K. in C. diligit hoc, quod ibi scit I. in majoritate ipsius D. per M., & potestas ipsius D. in C. potest complere hoc, quod scit I., & hoc, quod diligit K., & bonitas, magnitudo, perfectio habent concordantiam cum potestate & I. K., igitur in E. G. demonstrantur conditiones ipsorum D. M.

Camera 38.

[*D.N.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

CONditiones ipsorum D. N. significantur in C. E. F. G. H. I. K. Q. R. T. S. X.; nam D. ipsius N. ostenditur majus in H. ipsorum I. K. ipsius S. per D. ipsius C., si E. G. sunt in Y.; nam si essent in Z., ipsa D. N. non haberent tam magnam concordantiam in H. Q. R., nec S. in X. haberet tam magna I. K. per F. in triangulo rubeo, nec S. in quadrangulo livido posset habere D. ipsius C. in gloria; quia, si non esset D. distinctum in C., non posset S. habere I. ad D., quod C. habet intrinsecè in B., nec K. ipsius S. absque I. posset habere H. in ipsis B. D. C., esset etiam D. contra C. B. in S. X.; hoc autem est inconveniens; quo inconvenienti significatur E. G. esse in Y.; quod Y. revelatur in conditionibus ipsorum D. N. significatis in E. G. F., ubi est D. in majoritate trianguli rubei in Q. R. per majorem distinctionem, concordantiam, æqualitatem trianguli viridis & crocei in ipso H.

Camera 39.

[*D.O.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

MAnifestum est ipsi I., quòd quantò majus D. ipsius C. supponit S. in E. G. H. Y., tantò majus H. cognoscit I. in O. S.; & si K. ipsorum D. C. contradicit majoritati ipsorum O. S., sequitur ex hoc in D. contrarietas ipsorum I. K. in C.; hoc autem est inconveniens, quo ostenditur, qualiter D. O. in S. H. conditionantur secundùm conditiones ipsorum D. C. I. K.; quibus ostenditur, E. G. necessariò esse in Y.: quia sicut sequeretur inconveniens, si pars esset major suo toto, ita sequeretur inconveniens, si D. ipsius C. contradiceret majoribus H. N. ipsorum O. D. in S.

Camera 40.

[*D.P.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

DP. sunt conditionata, secundùm quod D. ipsius C. est in H. Y. & in E. G. F. Q. R. contra Z., & secundùm quod P. est majus in H. I. per S. V. contra V. Z. in triangulo rubeo contra M. tertii & quarti membri ipsius X.: & ideo oportet, quòd P. habeat D., quod conveniat cum majoritate ipsorum H. Y. in S., ut Q. R. sint ex hoc majora in H. N., & D. ipsius C. meliùs demonstretur ipsi I. ipsius S. in majori P.; & quòd K. ipsius S. habeat majus D. in P. ad ipsa A. V. Y.

Camera 41.

[*D.Q.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

CONditiones ipsorum D. Q. sunt in majoritate ipsorum D. C., ubi est Q. sinè R.; & conditiones ipsorum D. Q. sunt conditionatæ seu regulatæ in majoritate ipsius R., ubi est R.; nam quò majus est R. in H. N. I. K., eò magis Q. est supra R. in D. H. Y. Quod cùm ita sit, secundùm D. C. A. oportet necessariò E. G. F. esse in Y.; quia, si essent in Z., D. esset contrarium majoritati ipsorum Q. R.; sed hoc est manifestè contrarium ipsis D. C. A.: quâ contrarietate significatur Y. in E. G. F., & ipsum S. est ordinatum in N., qualiter debeat habere D. in Q. ad A. sinè R.

Camera 42.

[*D.R.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

CONditionatur R. in majoritate ipsorum D. Q.; nam quantò majus est Q. in D. H. N., tantò magis exaltantur H. N. in R.: quare D. R. conditionantur in Q. H. N. Unde, cùm hoc ita sit, per A. S. in T. V. X. Y. Z. potes invenire particularia in conditionibus ipsorum D. R. per E. G. F.; & si habes Q. ad majoritatem ipsius D. per triangulum rubeum, oportet te habere D., quod est majus ipso R., per triangulum rubeum in quadrangulo livido ipsius S., ut in Q. concordes esse & perfectionem contra privationem & defectum, & ut cognoscas in D. majus H. in generando & donando; nam nullum D. est tam magnum in Q. R. H. per triangulum rubeum, sicut est per opus generationis & donationis: & ideo R. D. significant in D. ipsius C. secundùm E. generationem & processionem, sinè quibus D. non posset habere H. Q. in C.

Camera 43.

[*E.F.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

SEcundùm quod E. conditionatur in semet ipso & in conditionibus ipsorum B. C. D., simili modo conditionatur cum ipso F., & secundùm conditiones, quas F. habet in se ipso, ac secundùm conditiones ipsorum S. T. V. X. Y. Z. ipsum F. regulatur cum ipso E.: & ideo in distincta concordanti majoritate ipsorum H. N. per suprà dicta principia conditionantur E. F. taliter,

quòd E. non contradicat ipsis B. C. D. in majoritate ipsorum H. N., nec contradicat majoritati ipsorum H. N. in F. S. V. X. Y., & quòd sit contrarium ipsis V. Z.; & quòd F. concordet cum H. N. in majoritate ipsorum E. B. C. D. S. V. Y., & contrarietur majoritati ipsorum V. Z.

Camera 44.

[*E.G.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

E. G. conditionantur in majoritate ipsorum D. H., quia D. non habet, in quo sit majus, quàm in E., nec posset habere majus H. in creatura, quàm in G.: & ideo E. G. conditionantur in majoritate ipsorum D. H.; quâ majoritate ostenditur, quòd, si E. G. essent in Z., Y. H. D. concordarent cum minoritate, privatione & defectu, eorum verò oppositum conveniret cum majoritate, esse & perfectione; hoc autem est impossibile, & manifestè contradicit ipsis A. B. C.

Camera 45.

[*E.H.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

E. H. conditionantur in majoritate ipsius D. in C. G. S. Q. R. N.; nam si E. est in Y., in H. C. est D. infiniti in infinito, & finiti H. in infinitis H. D. C.; in G. etiam sunt H. D. supra finita N. Q. R.; & H. ipsius S. per hoc habet D. in majoritate finiti H.: & ideo in E. H. Y. ipsa N. Q. R. habent D. in tam magno H., quòd de ipsis E. D. C. non possent plùs recipere; & K. diligit majoritatem ipsius D. in E. H., eò quòd I. ipsam cognoscit; quod D. ipsius I. convenit à K. diligi per totum C.; & oportet ipsum I. cognoscere tale D. in K. per totum H. ipsius C.; nam si ipsum ignoraret, non esset in C.

Camera 46.

[*E.I.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

I. Scit in E. infinitatem ipsius D.; & ideo oportet ipsum I. scire in D. infinitam generationem & processionem ipsius C.; sinè qua infinita generatione & processione non posset cognoscere infinitum D. in C. Unde, cùm hoc ita sit, oportet I. cognoscere ipsum E. in D. C. & generationem & processionem; in quo D. ipsius I. conditionatur ipsum E., & D. ipsius I. conditionatur in ipso E.: quoniam autem I. cognoscit H. in D., quod ex nihilo creavit aliquid, & recreavit bonum corruptum, oportet K. ipsius C. diligere hoc, quod I. scit in D. ipsius C.; in quo D. ipsius K. conditionatur ipsum E.: & quia I. scit in C. potestatem ipsius E., cognoscit, quòd K. in D. diligit illam potestatem; nam si ipsam odiret, non esset unum cum ipsa in B.; & hoc est manifestè inconveniens.

Camera 47.

[*E.K.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

MAnifestum est, quòd K. habet majus D. in C., quàm in esse causa ipsi mundo; & ideo oportet, quòd diligat D. in E. producendo mundum in æternitate ipsius C.; quo D. ostenditur, quòd æternitas & creatio sint in E.: & quia majus D. est in recreatione per Incarnationem, quàm in creatione, igitur oportet, quòd K. magis diligat majus D., quàm minus; quia si diligeret æqualiter D. in majoritate & minoritate, H. esset contrarium ipsi D. ipsorum A. C.; & hoc est evidenter inconveniens, in quo ostenduntur conditiones & regulæ ipsorum E. K.

Camera 48.

[*E.L.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

IGnis generat & infundit suum calorem in aërem, & ex igne & aëre procedit calor, qui calefacit ipsam aquam seu materiam aquæ; & ideo ignis quantum ad differentiam suî & aëris & aquæ est diversus secundùm D. in aëre & in aqua, sed ipsius calor in se ipso est in L., licèt materia calori subjecta sit in M.: & ideo per hanc metaphoram demonstratur simplicitas ipsorum E. L. in B. & ipsius B. in C. D., cùm ignis concordèt cum minoritate, & D. ipsius C. conveniat cum majoritate: unde sicut calor est unus in L., licèt sub eo sint diversa subjecta, ita in E. Pater est B., & Filius est B., & Sanctus Spiritus est B.; & illud B. est unum in L. E. sinè differentia suî ipsius & sinè M.

Camera 49.

[*E.M.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

SI mea voluntas haberet tam magnum D., sicut est D. ipsius C., vellet habere potestatem ipsius C. infinitè in bonitate, magnitudine, æternitate I. K. & perfectione; quia, si hoc nollet, esset contraria ipsi D. ipsorum H. N.; & si haberet D. ipsius C., esset in M. cum C. similis ipsi E. Unde, cùm hoc ita sit, ostenditur, qualiter E. M. conditionantur in D. C. L. H., & qualiter E. est in Y. absque eo, quòd M. sit in C. B. D.; qualiter etiam M. est in E. trianguli crocei & rubei.

Camera

Camera 50.

[*E.N.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

COnditiones ipsorum E. N. sunt in majoritate ipsius D. in N.; in qua majoritate triangulus rubeus terminatur in triangulo croceo; & D. ipsius C. est in E. secundùm majus N.; quia, si E. foret in Z., esset N. magis remotum à D. ipsius C., & magis propinquum ipsis V. Z., & I. K. non haberent tam magna D. H. in N., & D. in C. contradiceret magnitudini, bonitati, æternitati, potestati, amori, perfectioni ac sapientiæ; hoc autem est inconveniens, & contrariatur ipsis A. V. Y., & concordat cum V. Z.

Camera 51.

[*E.O.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

SEcundùm conditiones ipsius E. obligatur O. ad supponendum, quòd, si D. finitum non potest generare H. infinitum, eò quòd ipsum est finitum, D. infinitum valeat generare H. infinitum, eò quòd est infinitum; & oportet O. æquale D. supponere ipsis I. K. ipsius C. & potestati ipsius C.: quia, si O. hoc ita non supponeret, esset contrarium conditionibus ipsorum D. C. in E., cui ipsum E. contradiceret: & si O. supponit, quòd Y. est in toto E., supponit majus D., quod esse valeat in A. & creaturâ; & ideo concordat cum majoritate ipsius Y. in A. & creaturâ secundùm E.; in quo E. non est Z.; quia si esset, O. haberet majus H. in D. Z., quàm in D. Y.; sed hoc est inconveniens, & contradicit ipsis C. N. I. K.

Camera 52.

[*E.P.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

O. Supponit, quòd in E. Pater est B., & Filius est B., & Sanctus Spiritus est B.; & P. exponit, quòd in B. Pater & Filius & Sanctus Spiritus nullam habent distinctionem contra B.: & ideo P. concordat cum E. in conditione; quam conditionem habet E. in majoritate, quam D. ipsius C. habet supra creaturam, de qua sequi non potest hoc, quod exponit P. in E.: quia si posset, esset creatura æqualis in H. D. ipsi D. ipsius C.; & quia P. exponit per D. ipsius C., quòd in E. ipsum A. non privet L. H. C., licèt sit una persona cum creatura, igitur S. in A. V. Y. multiplicat suos quadrangulos per H. N. Q. R. contra V. Z.; sed P. indiget majoribus H. N. Q. R. I. K. in exponendo E.: & si E. esset in Z., minus P. esset majus in H. N. Q. R., quàm majus; hoc autem est inconveniens, & contra H. N. I. K. in D. ipsius C.

Camera 53.

[*E.Q.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

SI E. esset in Z., non esset D. in magnitudine ipsius C., nec majoritas ipsius Q. haberet, in quo existeret, sua autem minoritas haberet subjectum, in quo esset; & D. ipsius C. esset in Q. contra majoritatem ipsorum H. N. I. K.; quâ contrarietate contradiceret ipsi C. & cameris ipsius A., in quo R. concordaret cum majoritate contra Q.; & V. Y. convenirent cum privatione & defectu, V. Z. verò cum esse & perfectione; hoc autem est inconveniens, in quo conditiones ipsorum E. Q. manifestè ostenduntur: nam sicut ignis in multiplicatione sui caloris multiplicat calorem in calefacto per generationem sui caloris in supposito, à quo suus calor exit, & sicut vegetativa generat vegetativam in foliis, floribus & fructibus, à quibus exit vegetativa, ita & multò meliùs Q. ipsorum C. D. generat ex se Q. in C. D., à quibus exit Q. ipsorum C. D., ut E. possit esse in C. D.

Camera 54.

[*E.R.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

IN sublimatione ipsius Q. sublimatur & exaltatur ipsum R.; & quia Q. est exaltatum in E., igitur R. recipit exaltationem in ipso E., in quo non est Z.; quia, si esset, D. ipsius C. non exaltâsset Q. R. ad majoritatem ipsius D.; & hoc est inconveniens, quo ostenditur, quòd D. in C. exaltat Q. in infinitate generationis & processionis per C.; quam exaltationem exaltat Q. trianguli rubei in C.; per quam exaltationem exaltatur R. in E., absque eo, quòd R., quod est in V. Z., concordet cum R., quod est in V. Y.; quia D. ipsius C. non est causa ipsi R. ipsorum V. Z.; quia, si esset, non esset contrarietas inter V. Y. & V. Z. secundùm D. nec secundùm triangulum rubeum; hoc autem est inconveniens, quo ostenditur Y. in E., sinè quo E. non posset D. ipsius C. contrariari in triangulo rubeo ipsis V. Z. per V. Y.

Camera 55.

[*F.G.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

F. G. conditionantur in majoritate distinctionis & concordantiæ in H. Q. R. per D. ipsius C. in E. ad multiplicandum in H. quadrangulos ipsius S. in V. livido per triangulum rubeum: nam eò quòd E. est in Y., ipsum

ipſum D. ipſius C. eſt cauſa multiplicandi F. in E. S., quia R. habet ex hoc majorem concordantiam cum F., ubi multiplicatur Q. per E.: & quia G. eſt in Y., ipſum S. habet majus H. in V. Y.; & ideo per F. G. ipſa H. Q. R. habent majorem concordantiam in S.

Camera 56.
[*F.H.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

COnditionantur F. H. in Q. R. N. E., quia D. ipſius C. concordat in N. hoc Sæculum cum R., aliud verò cum Q., ad hoc, ut perpetuò D. in H. ſit operans per Q. in S.: & ideo oportet, quòd F. concordet cum majoritate ipſorum Q. R. in triangulo rubeo; nam D. in C. format F. in N., ſecundùm quod C. intelligit & diligit per magnitudinem, poteſtatem, perfectionem, majoritatem ipſius H. in F. Q. R.; quæ majoritas nequaquam eſſet, ſi E. eſſet in Z.

Camera 57.
[*F.I.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

IN C. eſt I., quod ſcit majoritatem, quam F. poteſt habere in triangulo rubeo; quæ majoritas concordat cum H. N. & cum eſſe & perfectione: & ideo revelatur E., per quod ipſum F. multiplicatur in triangulo rubeo; & ſi E. eſſet in Z., ipſum I. ſciret majoritatem ipſius F. in privatione, & K. ipſius C. contradiceret ipſi I., & bonitas, perfectio, largitas ipſius C. contradicerent ipſi K.; hoc autem eſt inconveniens, in quo oſtenduntur conditiones ipſorum F. I., & demonſtratur, E. eſſe in Y.

Camera 58.
[*F.K.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

COnditiones ipſorum F. K. ſunt per I. in quadrangulis ipſius S. cum majoritate & concordantia trianguli rubei; nam quò magìs I. ipſius S. habet A. V. Y. in quadrangulo livido, & habet V. Z. in nigro, eò magìs K. concordat cum majoritate ipſius F.: & ideo F. K. habent majores conditiones in I. ipſius S., quàm in quadrangulo rubeo ipſius S.; quibus majoribus conditionibus D. ipſius C. per N. neceſſariis rationibus manifeſtat ipſum E. ipſi S.

Camera 59.
[*F.L.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

FEſt meliùs conditionatum in majoritate ipſius L., quàm in ejus minoritate; ſed quia L. eſt magìs remotum ab ipſo M. per D. ipſius C. in B., ſi E. eſt in Y., igitur in majoritate ipſius H. exiſtentis in F. conditionatur majoritas ipſius L., ad hoc, ut reveletur L. ipſi S. per E.; in quo E. oſtenduntur conditiones ipſorum F. L., quibus S. habet majorem concordantiam cum F. in A. V. Y. Q. R. N. H. contra V. Z.; quâ majori concordantiâ habet majorem differentiam & contrarietatem in tertio & quarto membro ipſius X.

Camera 60.
[*F.M.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

PRimum Præceptum, quod eſt in F., eſt per Q., alia verò ſunt per R.: & ideo, ſi E. eſt in Y., ſequitur inde major concordantia ipſorum Q. R. in F. M.; & ſi E. eſt in Z., Q. R. ſunt inde minora in F. M., & è converſo: quoniam autem S. per majorem concordantiam ipſorum F. M. Q. R. habet majora H. N. in ſuis quadrangulis per A. V. Y., igitur demonſtratur concordantia ipſorum F. M. Q. R. in S. A. V. Y. & in E. Y. contra Z.: & ſi eſſet Y. contra E., major concordantia ipſorum F. M. C. D. eſſet in privatione, & minor concordantia eſſet in eſſe; hoc autem eſt inconveniens, & evidenter contrarium ipſis I. K. ipſorum C. A. B.

Camera 61.
[*F.N.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

IGnis recipit à terra majorem ſiccitatem in Æſtate, quàm in Hyeme, & Aër majorem calorem ab igne in Æſtate, quàm in Hyeme; & ideo ignis eſt in majoribus H. N. per majoritatem ipſius D., quod recipit & dat beneficium per generationem ſiccitatis in igne & caloris in aëre & proceſſionis ipſius H. in N. & majoritate. Igitur cùm hoc ita ſit, per hanc metaphoram oſtenditur in D. ipſius C., quòd I. intelligens E. generat in N. tam magnum F. in triangulo rubeo, quòd N. habet inde cum F. majorem concordantiam in S.; quæ major concordantia in F. N. S. nequiret eſſe ſinè E.; per cujus E. privationem ipſum K. in C. eſſet contrarium ipſi I.; hoc autem eſt manifeſtè inconveniens.

Camera 62.
[*F.O.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

SI O. ſupponit, E. G. eſſe in Y., ſupponit majoritatem ipſius H. in F.; & ſi O. ſupponit, quòd ſint in Z., ſupponit minus F. in I. K. ipſorum C. D.: unde cùm F. O. ſint meliùs conditionata in E. G., quàm ſinè E. G., ſi E. G. eſſent in Z., I. K. ipſorum C. D. eſſent contra majus H. ipſorum F. O.; quâ contrarietate I. K. eſſent contra bonitatem, magnitudinem, poteſtatem, perfectionem in C.; & hoc eſt inconveniens, quo oſtenditur, majorem conditionem ipſorum F. O. eſſe in Y.; per quod Y. habet O. majorem libertatem affirmandi & negandi in F. E. G.

Camera 63.
[*F.P.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

SI E. G. ſunt in eſſe, P. per hoc eſt majus in F. H. N.; & ſi E. G. nihil ſunt, P. inde eſt minus in F. H. N., & I. K. ipſius C. per hoc habent minus D. in F. P. contra N., quod habet majorem concordantiam cum bonitate, magnitudine, poteſtate, perfectione ipſius C., cui opponeretur K., ſi E. G. eſſent in Z.; quæ oppoſitio ſeu contrarietas eſt impoſſibilis; quâ impoſſibilitate oſtenduntur conditiones ipſorum F. P. in majoritate concordantiæ ipſorum Q. R. in L. M. O.

Camera 64.
[*F.Q.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

MAnifeſtum eſt in D. ipſius C., quòd in F. eſt Q. in ipſo S., & hoc in quadrangulo livido per affirmationem, & in nigro per negationem; & ideo quadrangulus rubeus eſt compoſitus ex affirmatione & negatione in F.; & ſecundùm N. eſt R. ordinatum ſub conditionibus ipſorum F. Q. in V. Y. contra V. Z. ad diverſificandum triangulum rubeum in tertio & quarto membro ipſius X. per H. N., ad hoc, ut Q. ſit in F. reſpectu alterius Sæculi, & R. ſit in F. H. N. reſpectu hujus Sæculi, ut conditiones ipſorum F. Q. ſint majores in G., & R. majus in G., & G. in E.

Camera 65.
[*F.R.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

SI majoritas ipſius H. in F. R. eſſet contra E. G., H. eſſet contrarium ipſis F. R., & E. G. eſſent contraria ipſis F. R. H.; etiam in tertio & quarto membro ipſius X. triangulus viridis & rubeus eſſet minor in Q. R., & D. ipſius C. eſſet contrarium ipſis H. L. B. A. in I. K. M. in ipſo C. per triangulum viridem, croceum & rubeum; hoc autem eſt inconveniens, quo manifeſtatur, quòd conditiones ipſorum F. R. in E. G. C. D. ſint in Y.; nam ſi eſſent in Z., ſequeretur, quòd F. R. eſſent ſecundùm majoritatem in Z., & ſecundùm minoritatem in Y.; hoc autem eſt manifeſtè inconveniens.

Camera 66.
[*G.H.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

PEr Matrimonium eſt majus H. in S. & in V. livido: & hoc idem ſequitur de aliis Sacramentis; & per magnitudinem ipſorum C. D. eſt majus H. in G., cùm videlicet hoſtia conſecrata tranſubſtantiatur in carnem; quia K. ipſius C. diligens D. in G. multiplicat H. in G. & in S.; quod H. poteſtas ipſius C. poteſt; & bonitas habet concordantiam cum K., ad hoc, ut perfectio compleat H. in G., ſecundùm quod illud I. cognoſcit, & K. diligit, & poteſtas poteſt; & D. ipſius C. non eſt diſtinctum per C. in H. ipſius G.: & ideo G. H. tantò magìs multiplicant V. Y. in S. contra V. Z., quantò majus eſt H. in G.; & quia H. in G. nequiret multiplicare ſinè E. in multiplicatione, quæ convenit triangulo rubeo & ipſi H. in O. P. Q. R. ſecundùm V. Y. T., igitur neceſſariò D. ipſius E. eſt in majori concordantia ipſorum G. H.; quia D. ipſius C. influit majus H. in G.

Camera 67.
[*G.I.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

QUò magìs I. ipſius S. cognoſcit D. ipſius C. in G. ſupra naturam, eò majus H. habet I. in G.; quâ majoritate K. ipſius S. habet majus H. in G., & quadranguli ipſius S. ſunt inde in majori H. in G. I., & Q. R. ex hoc ſunt majora in H. ſub I. K. ipſius C.: unde, ſi majoritas ipſius H. eſſet inconveniens inter G. I., ſequeretur, quòd majoritas ipſorum V. Z. ibi eſſet conveniens; hoc autem eſt inconveniens & contra D. H. ipſorum C. A.; quâ contrarietate manifeſtantur conditiones ipſorum G. I., & oſtenditur, Y. eſſe in G., in quo non poſſet eſſe ſinè E.

Camera 68.
[*G.K.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

IN Sacramento Altaris deficit imaginatio ad repræſentandum ipſi I. ipſius S. ipſum H. ipſius D. exiſtentis in C. ſecundùm G.; & hoc eſt, quia imaginatio non accipit H. ſenſuum corporalium in G.; & ideo K. non habet concordantiam cum G. per affirmationem ſenſuum corporalium, imò per negationem, quæ contradicit affirmationi, quam I. ipſius C. facit ipſi I. ipſius S. in G., ut K. ipſius C. ex hoc habeat majorem concordantiam cum K. ipſius S. in G., ut N. inde habeat

beat majorem triangulum rubeum in Q.R. L.S.V.Y. sub A. & suis cameris contra V.Z.; quia tale N. non posset concordare cum majoritate trianguli rubei in Q.R.L.S.V.Y. sub A. sinè majoritate ipsorum G. K.: & si D. ipsius A. esset contrarium majoritati ipsorum G.K., esset contrarium majoritati ipsius N. in Q.R. L.S.T.V.; hoc autem est inconveniens, quod manifestè concordat cum V.Z.

Camera 69.

[*G.L.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

L. Demonstrat ipsi I. ipsius S. simpliciter ipsum G. per D. ipsius C.; & sensus corporales in Sancto Sacramento Altaris negant G. cum D. ipsius naturæ in M., ubi est D. ipsius C. in H. supra D. naturæ: & quia I. ipsius D. existentis in C. facit differentiam inter D. ipsius C., & D. naturæ in G., idcirco G. L. concordant in S. cum D. ipsius C. contra M. & D. naturæ; quâ concordantiâ S. habet majus H. in I. K. ad recipiendum influentiam à D.C. in G.: & si C. majori influentiæ contradiceret, esset C. contrarium ipsis B.L.A.V.Y., & concordaret cum V.Z.M. in tertio & quarto membro ipsius X.

Camera 70.

[*G.M.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

IN Sacramento Altaris est D. in M.; nam D. ipsius C. ostendit ipsi I. ipsius S. carnem per majoritatem camerarum ipsius A. in H.N.Q.R. per S.V.Y.; & D. ipsius naturæ significat panem per actus naturæ: & ideo I. facit comparationem de majori H. in D.Y. inter unum D. & aliud ad diversificandum M.; & quia unum D. est per infinitum C., aliud verò per finitum H. in triangulo rubeo, igitur demonstratur, quòd G.M. habent majorem concordantiam in H.Y. per majus D., quàm per minus; cujus si foret contrarium, sequeretur, quòd D. majus haberet majorem concordantiam cum R., quàm cum Q.; hoc autem est inconveniens, & manifestè implicat contradictionem.

Camera 71.

[*G.N.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

QUia D. ipsius C. habet infinitum H. in B.E., resultat influentia in H. finito, qualiter quælibet creatura habeat majorem concordantiam cum majori H., quàm cum minori: & si infinitum D. ipsius C. in B.E. esset in privatione, sequeretur, quòd H. produxisset N., qualiter quælibet creatura plùs diligeret minus H., quàm majus, & plùs privationem, quàm esse; K. etiam dilexisset plùs R., quàm Q.; & hoc esset in N., eò quòd majus H. plùs esset in privatione, quàm in esse, si infinitum H. esset in privatione, & si totum H. esset finitum: quoniam autem G. est in D. propinquius infinito H., quàm D. naturæ, & H. in G. est supra cursum naturæ, igitur N. est in G., & G. est in N. secundùm Y.: quia, si G. esset in Z., hoc, quod est propinquius ipsi H. infinito, contradiceret ipsi D. ipsius C., quod est per infinita B.E.; hoc autem est inconveniens, quo demonstratur major concordantia ipsius N. in G.

Camera 72.

[*G.O.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

O. Supponens, G. esse in Y., affirmat majorem potestatem in D. ipsius C., & negans ipsum G. affirmat minorem potestatem in D. ipsius C. & minora I.K. in bonitate, magnitudine, perfectione per ipsum C.; & ideo O. habet majorem concordantiam cum D.C.H. per G., quàm sinè G.: unde, si O. esset in Z., dum affirmat G. esse in Y., & haberet majus H. in D., dum negat, G. esse in Y., esset H. contrarium ipsi C.; & hoc est inconveniens, in quo conditiones ipsorum G.O. ostenduntur.

Camera 73.

[*G.P.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

IN Lege Veteri fiebat sacrificium, quod oportebat S. exponere per tale P., quod in ipso M. concordaret cum sensibus corporalibus & cum potentiis ipsius S.: unde, si P. secundùm Y. est in G., G.P. habent majorem concordantiam cum S. in V. videlicet in triangulo rubeo per Q.R.; & si G. est in Z., habet P. defectum ad multiplicanda D. H.N. ipsius S. in triangulo rubeo; qui triangulus, si G. est in Z., non habet Q. in H.N.I. K. ipsorum D.C.; quæ D.C. præbent triangulo rubeo principium & finem in R.: sed cùm R. nequeat esse in triangulo rubeo sinè Q., oportet P. habere concordantiam cum G. per Y.H.N.; quia, si non haberet, injuriaretur ipsi D. in H.C. & ipsis H.C. in D.; hoc autem est inconveniens & contrarium ipsis A.B.

Camera 74.

[*G.Q.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

IN homine infirmo, qui propinquus est morti, & naturaliter amisit sensum frigiditatis, & appetit recuperare sensum, natura facit, quòd infirmus appetit frigiditatem; & appetitus naturæ est per Q., frigiditas autem, quam infirmus appetit, est per R.: sed cùm D. ipsius C. habeat majus L., quàm natura in infirmo, idcirco, si in appetitu ipsius S. alteratur triangulus rubeus per naturam, quantò magis in G. potest H. esse in carne sub forma panis ad significandum in C. potestatem ipsorum I.K. supra H. naturæ: quòd si G. esset in Z., quid esset in N., in quo D. ipsius C. ostenderet majorem potestatem ipsorum I.K. in C., quàm in H. naturæ? unde sicut secundùm H. naturæ in triangulo rubeo principia universalia constituunt substantiam, quæ est sub novem prædicamentis, ipsa autem sunt essentiæ & principia substantiæ, ita G. est in D. supra naturam per Q. ipsorum D.C. ad ostendendum A.B.C.

Camera 75.

[*G.R.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

SI G. est in Y., per hoc D. ipsius C. concordat fortiùs ipsum R. in triangulo rubeo cum minoritate ipsius H. in rebus sensualibus, & Q. cum majoritate ipsius H. in rebus intellectualibus: & si G. non potest esse in Y., sequitur inde contrarium suprà dicti; quod contrarium est impossibile secundùm D.H. ipsius C.: quia sicut sol non est causa in L. suo splendori seu suo lumini, nec ignis est causa in L. suo calori, sed sunt causa in M., h.e., sol & sui radii sunt causa aëri illuminato, & ignis & suus calor ipsi aquæ, vel aëri calefacto, ita accidentia panis & vini consecrati non sunt causa contraria ipsi D. ipsius C., licèt sint causa in alio subjecto, ubi D. ipsius C. non habet tam magnum H.Q.R. ad demonstrandum majora G.R. in H.D., & licèt accidentia panis consecrati, qui est vera Caro, sint absque subjecto panis videlicet in sensibus corporalibus.

Camera 76.

[*H.I.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

COnditionantur H.I. in D.C.B.E.S.T.; nam, dum I. cognoscit in B. infinitum D. esse in C. ipsius H., oportet I. cognoscere infinitum H. in D. & in se ipso & in hoc, quod cognoscit in D.C.B.; quâ cognitione oportet esse generatum & procedens in I.H. per D. ipsius I. in H.C.B.: sicut mulier, quando imaginatur similitudinem viri, tunc concipit filium, & vir generans imaginatur suam similitudinem, tunc naturaliter generat filium sibi similem: quòd si I. non haberet H. generandi in D.C., & si non procederet sibi simile in C., haberet suum D. defectum ipsius H. per totum C. in infinitate ipsorum C.B., & concordaret cum minoritate & fine contra majoritatem ipsius E. & ipsius S.; hoc autem est inconveniens, quod manifestè concordat cum Z.

Camera 77.

[*H.K.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

DIligente K. per totum C. infinitum H., oportet, quòd suum D. distinguat in C., ad hoc, ut concordet & adæquet H. in C. infinitè; nam sinè distincto concordanti æquali D. in infinito H. per C. non haberet B. infinitum D. in H.C.; esset etiam suum D. finitum in C. sinè Q. & sinè libertate ipsius D. in H. infinito per distinctionem, concordantiam, æqualitatem, majoritatem suppositorum amantium & amatorum infinitè in C.B. per H.K.D.: nam ipsum K., quod infinitè diligit per C., habet tam magnam concordantiam cum H. & cum majoritate, quòd necessariò oportet, quòd ibi sit distinctio, concordantia & æqualitas ipsorum D. H., videlicet diligentis & dilecti, boni & bonificati, magni & magnificati, potentis & possificati, cognoscentis & cogniti, perficientis & perfecti, virtuosificantis & virtuosificati: quia, si non esset, esset impossibile, H.K. in D. per totum C. existere infinitè.

Camera 78.

[*H.L.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

IN E. ostenditur conditio ipsorum H.L. per D.; nam æternitas est in C.; & si A. esset in Z. & in privatione, mundus esset æternus, & æternitas esset in abstracto, in M. verò æternitas esset composita & in concreto, & H.L. haberent defectum in B., in quo essent H.L. unum & idem absque compositione abstracti & concreti: quia verò H. habet majorem concordantiam cum L., quàm cum M., igitur demonstratur in conditionibus ipsorum H.L., quòd A. sit in Y.; in quo A. est C., quod est B., in quo H.L. sunt in infinitate & in infinito, in æternitate & æterno, in bonitate & bono, in sapientia & sapiente, in amore, amante & amato, in perfectione & perfecto; ideo oportet existere virtutem & virtuosum, simplicitatem & simplex simplificans; quia, si non esset ita, sequeretur, quòd H.L. non haberent

rent infinitum D. in A. C. B.; hoc autem est inconveniens, quo E. clarè demonstratur.

Camera 79.
[*H.M.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

CErtum est, quòd in H. non potest esse M. rerum infinitarum; nam si esset, essent ipsa L. M. in H. æqualia in D. ipsorum C. B.; hoc autem est inconveniens, & contra conditiones ipsorum Q. R. per triangulum rubeum, in quo est L. per Q., & M. per R.; quod L. est causa finalis, M. autem est principium & medium: & si D. ipsius C. in H. M. non componeret compositum, quod esset ex L. ipsius C. & ex composito trianguli rubei sinè corruptione & alteratione ipsius D. in C. L. B., esset K. ipsius C. cum minoribus H. D. in M. trianguli rubei contra concordantiam & majoritatem ipsorum L. M., & I. cognosceret defectum ipsius C. in ipsis K. D. C., & magnitudo ipsius C. contradiceret majoritati ipsius M. contra K. I.; hoc autem est contradictio, quâ ostenditur H. in M. per majoritatem ipsius L., quod oportet habere Q. ad majoritatem, quam M. recipere valeat ab ipsis L. H. in triangulo rubeo, ubi Incarnatio demonstratur.

Camera 80.
[*H.N.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

SI N. non esset magìs contrarium inordinationi, quàm privatio ipsius N., H. non concordaret cum N., aut H. concordaret cum inordinatione: cùm autem N., quod est absque triangulo rubeo, habeat majorem concordantiam cum H., quàm N., quod est in triangulo rubeo, igitur oportet H. extra triangulum rubeum habere concordantiam cum N. in C. B. D.; nam sinè H. C. impossibile esset, D. esse in C. B. Q. infinitè per L., & H. esse in D. N. infinitè contrarium inordinationi: unde cùm H. N. sint absque triangulo in D. C. B., idcirco oportet E. existere, in quo H. N. sint sinè triangulo rubeo; & in quo etiam H. N. sint in triangulo rubeo, scil: in majoritate, concordantiâ & æqualitate ipsorum H. N. in D. intrinseco & extrinseco per E. F. G. I. K. L. M. O. P. Q. R. V. Y. contra V. Z.

Camera 81.
[*H.O.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

H. O. conditionantur in majoritate, concordantiâ & differentiâ per triangulum rubeum; nam si E. G. sunt in Y., & O. supponit, esse D. in E. G. per H. ipsius C., H. concordat cum majoritate ipsius O. in D. V. Y.; & si E. G. sunt in Z., H. est contrarium majoritati ipsius O. in D. V. Y.; hoc autem est inconveniens: nam sicut sol & ejus radii se habent ad unam entitatem, & corpus & ejus membra & omnes suæ partes similiter, ita H. O. se habent ad majoritatem in E. G. Y., & se haberent ad minoritatem in E. G. Z.

Camera 82.
[*H.P.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

MAnifestum est, quòd D. habet majus H. in P. per Expositionem allegoricam & anagogicam, quàm per Expositionem literalem; & hoc est ideo, quia S. habet majus D. in quadrangulo livido & nigro, ubi P. habet majorem concordantiam cum H. I. K., & I. K. cum H. Quod cùm ita sit, si E. G. sunt in Y., est majus H. in P., & P. in H.; & si eorum majoritati ipsa C. D. contradicunt, D. est contrarium ipsi C., & C. ipsi B., & B. ipsi A.; hoc autem est contra L. N. I. K. Q. R.; quâ contrarietate conditiones ipsorum H. P. ostenduntur.

Camera 83.
[*H.Q.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

SI unus lapis caderet de Saturno usque ad terram, ejus motus esset velocior in Sphæra Solis, quàm in Sphæra Jovis, & velocior in Sphæra Lunæ, quàm in Sphæra Solis; & si lapis caderet, & moveret se infinitè deorsum, oporteret, quòd ex multiplicatione suæ velocitatis in infinitum generaret H. Q. diversa infinitè à motu lapidis descendentis: quod si non esset, non esset aliquid, in quo existeret & multiplicaretur motus infinitus in multiplicatione: cùm autem D. in C. sit infinitè in H. Q., oportet necessariò, quòd ibi sit unum Q. distinctum ab alio in H. D.; quia, si non esset, esset impossibile, quòd ibi D. H. per totum C. existerent infinitè: cùm igitur H. D. sint infinitè per totum C., idcirco oportet, quòd in C. unum Q. habeat differentiam ab alio in infinitis H. D. L. B. absque R.; quia si non, esset Q. in C. B. absque H. D.; hoc autem est falsum & inconveniens.

Camera 84.
[*H.R.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

SI F. est in Y., & E. G. sunt in Z., sequitur, quòd majoritas ipsorum H. S., quam habet triangulus rubeus in R., est F.; & esset major

major majoritas, si E. G. essent in Y.: quoniam autem D. ipsius C. non contradicit majoritati ipsorum H. R. (nam si faceret, esset D. in H. contrarium ipsi C.) igitur oportet secundùm H. N. Q. quòd E. G. sint in Y., ad hoc, ut R. possit esse in H., quod sibi in triangulo rubeo convenit secundùm concordantiam ipsorum D. H. in C. B. A. Igitur cùm hoc ita sit, per majorem concordantiam ipsorum H. R. ostenditur, quòd in E. G. fecit A. majus præceptum ipsi S., quàm solummodo in ipso F.

Camera 85.
[*I.K.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

SI B. habet in se I., quod cognoscat, potestatem ipsius C. posse infinitè habere D. in K., diligente K. creaturam extra B., quam D. faciat æqualem ipsi C., hoc, quod I. scit, & quod K. diligit, est contrarium ipsis C. B. A., & D. potest secundùm hoc adæquare partem trianguli rubei injuriosè ipsis C. B. A.; hoc autem est manifestè inconveniens: & si I. K. habent in B. C. ipsum D. infinitè sinè differentia ipsorum B. L. C. A., ubi sit D. distinctum in toto C. concordans & adæquans infinitè supposita æqualia ipsis C. B. A., nullum ex hoc sequitur inconveniens contra infinitum D. ipsorum I. K. in C. B. A.: & si I. scit, quòd in C. habet D. potestatem infinitam, quæ non sit in K., seu in bonitate, magnitudine, perfectione, est inter I. K. privatio ipsorum H. N., & est in C. potentia contraria ipsi D.; & hoc est manifestè inconveniens, quo ostenduntur conditiones ipsorum I. K.

Camera 86.
[*I.L.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

INtelligente I. in C. suum L., oportet ipsum I. habere æquale D. huic, quod intelligit in se ipso; quod D. oportet esse æquale in L. C. ipsi I., cui non esset æquale, si I. non generaret æquale sibi ipsi in C. L. per æquale D. sibi ipsi in C. L.; nec etiam K. H. convenirent cum D. ipsius I. per totum C. infinitè in L.; & hoc est contra A. B. Item quia I. scit majus H., quod K. potest diligere in creatura, oportet, quòd H. secundùm N. L. diligat illam majoritatem, quam cognoscit ipsum I.; quo amore est majus H. in D., quod creatura possit recipere in A. D. C. M., salvo hoc, quòd L. existat in I. ipsorum A. B. C.

Camera 87.
[*I.M.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

SI S. habet I. in M., quod sit de ipso A. & de homine, habet melius & majus D. in objectum quadrangulo livido, quod esse possit in triangulo rubeo per H. N. Q. R. V. Y.: & si I. ipsius S. per tale M. habet majus D., oportet, quòd I. ipsius C. sciat hoc, in quo D. ipsius S. potest habere majus & melius D.; & oportet K. ipsius C. ibi habere D., ut ipsi I. in C. non sit contrarium. Item cùm I. ipsius S. componit in suis Q. R. ipsum M. ipsorum E. F. G., tunc I. habet ex hoc majus H. in D. N. contra V. Z., & inde magìs concordat cum V. Y.; & idcirco I. M. habent per E. G. majorem concordantiam in F., quàm sinè E. G.: quia, si D. C. contradicerent ipsis E. G., I. ipsius C. esset contrarium ipsi F.; hoc autem est inconveniens, in quo conditiones ipsorum I. M. ostenduntur.

Camera 88.
[*I.N.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

SI I. intelligit in B. tres Personas æquales in C., habet majus H. in D., quàm si intelligeret unum B., in quo non intelligeret distincta concordantia H. D.: & si E. est in Z., ipsa I. N. ipsius S. contradicunt ipsi Y., ubi magìs habent H. D. in I. ipsorum C. B.; hoc autem est inconveniens & contra influentiam ipsorum H. D. scilicet ipsorum I. C. in I. H. N. ipsius S.: quo inconvenienti manifestatur, qualiter I. N. conditionantur in majoritate ipsorum H. D.; quâ majoritate significatur Y. in E.; & per E. ostenditur Y. in G.: quod si non ita esset, esset K. contra I. N. in C. S.; hoc autem est manifestè inconveniens.

Camera 89.
[*I.O.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

AD conditionandum I. O. oportet intueri literas existentes in camera & literas, quæ sunt ab I. usque ad A., & ab A. usque ad S.; & quòd homo ex ipsis eligat aliquam vel aliquas illarum ad conditionandum I. O.; *cùm sit manifestum, quòd per omnes literas conditionari possunt:* & etiam per conditiones ipsorum I. O. conditionari potest I. in O., & O. in I., sic dicendo, quòd I. ipsius S. est conditionatum, qualiter sciat majus O. in H. Y., quò majus D. habet S. in H. Y.

per A.T.V.Y. contra Z.; & quò majus D. habet O. in H. Y. per A.S.T.V.Y. contra Z., eò majus D. in H.Y. ſcit I. in ſe ipſo. Quod cùm ita ſit, ſi O. affirmat Y. in E.G., & affirmatio ex hoc multiplicat majus H. in I., oportet, quòd H. ipſius I. ſit in Y.; quia, ſi foret in Z., ſequeretur, quòd in O. concordantia ipſorum H.Y. in majoritate contrariaretur; hoc autem eſt inconveniens.

Camera 90.

[*I.P.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

QUò majus eſt I. in P., eò majus eſt P. in H.N.Q.R. ipſius I.; & quò majus eſt P., eò majus eſt D. ipſius I. in H.N.Q.R. ipſius P.; & ideo I.P. conditionantur in majoritate trianguli rubei per majoritatem ipſorum H.N.Q.R.: quòd ſi foret hujus contrarium, ſequeretur, quòd D. ipſius C. contradiceret ipſis I.P. in H.N.Q.R., & minoritas ipſorum I.P. haberet in H.N.Q.R. concordantiam contra majoritatem ipſorum D.C.; & hoc eſt inconveniens, quo oſtenduntur conditiones ipſorum I.P.

Camera 91.

[*I.Q.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

SI I. habet Q. ad ſe ipſum & ad aliud per totum C. infinitè ſinè M.R. & ſinè differentia ipſorum I.Q. in C.B., oportet neceſſariò, quòd I.Q. habeant ex hoc majorem concordantiam & propinquitatem in H.L.: ſi autem I. neſcit Q. in D. ipſius C. intrinſecè, ſcit in C. defectum ipſorum D.H.L., ubi eſſet M. tertii & quarti membri ipſius X.: & ſi I. ſcit Q. in K. ipſius C. æquale & concordans ipſi Q. infinitæ bonitatis, magnitudinis, æternitatis, poteſtatis, perfectionis, oportet, quòd ibi ſciat diſtinctionem unius Q. ab alio; quia, ſi non ſciret, oporteret K. eſſe in C. per Q., & bonitatem, magnitudinem &c. per R.; hoc autem eſt manifeſtè inconveniens: & ſi K. haberet intentionem ad exaltandum in H.Q.N.I. triangulum rubeum ſuper omnes alios triangulos, I. eſſet contrarium ipſi K. in C., ſi I. ſciret aliquid contra K. ipſius C.; & K. eſſet contrarium ipſi I. in C., ſi odiret majoritatem ipſius Q., quod I. ſcit in C. & in triangulo rubeo.

Camera 92.

[*I.R.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

IScit R. in ſervitute ipſius Q.; & ſi I. ſciret Q. in ſervitute ipſius R., I. ſciret contra N.H.: & idcirco I.R. meliùs conditionantur in majoritate concordantiæ ipſorum Q.N.H., quàm in minoritate; nam ſi meliùs conditionarentur in minoritate concordantiæ, eſſet poſſibile, quòd I.R. poſſent in N. eſſe contra Q.H.; hoc autem eſt inconveniens, quo metaphoricè revelatur ſecretum ipſorum E.G. in conditionibus ipſorum I.R.

Camera 93.

[*K.L.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

KL. ſunt in B.C. unum & idem; & ſi in B.C. ſit D., ex quo ſequatur diſtinctio concordantiæ ipſius K. in L. & ipſius L. in K. absque M., K.L. per hoc ſunt in majoribus H.D. per B.C.: & ſi K. contradicit majoritati ipſorum H.D. in L., contradicit in B.C. ſibi ipſi; & ſi K. diligens ſe ipſum diligeret aliud in B.C., & perverteret L. ipſorum B.C. in M., haberet K. finitum D. in L. B.C. & in alio, in quo K. perverteret L. in M.: & ſi L. non diligeret aliud L. in K. ſimplificans ipſum in B.C.D. (hoc eſt, ponens ipſum ſub ſimplicitate) non eſſet unum & idem cum K. in B.C.; hoc autem eſt inconveniens, quo revelantur ſecretæ conditiones ipſorum L.K. in B.C.D.A.E.

Camera 94.

[*K.M.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

SI K., quod ſit infinitum per totaC.B.L.H., diligit eſſe in M. cum finito, quod ſit majus in K. ipſorum C.B.L.H., quàm omnia alia, quæ ſunt finita, & K. eſt contra L. ipſorum C.B.H., ſequitur, quòd ipſa C.B. contradicant majoritati ipſorum K.M. in majoritate ipſorum H.L.; & hoc eſt inconveniens & contra majoritatem ipſorum H.L. in Q.R.M.D.: ob quod inconveniens oſtenditur, Y. eſſe in E.G., in quibus D. ipſorum C.B. multiplicat Q.R.M.D. in H.L. per triangulum rubeum, ad ſignificandum ipſi S., quòd ſit impoſſibile, quòd L. ipſorum C.B. poſſit alterari in M., in quo K. ipſorum C.B. habet majus D., quàm in alio finito, & quàm in omnibus aliis finitis: quia, ſi I. ipſius C. haberet D. contra K., haberet M. minoritatem, ſi foret de infinito K. & de finito, quod eſſet nobilius omnibus aliis finitis exiſtentibus in M.; hoc autem eſt inconveniens & contra L. ipſorum I.K. in C.D.B.A.

Camera

Camera 95.

[*K.N.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

SI K. ipſius C. diligeret majoritatem oppoſiti ipſius N., oporteret, quòd odiret majoritatem ipſius H. in N., & eſſet contrarium ipſi C., in quo non eſſet unum & idem in H.B.L.; & hoc eſt inconveniens, quo ſignificantur conditiones ipſorum K.N. in E.G., in quibus K. poteſt diligere majus H. in N. contra majorem inordinationem, quæ ſit in V.Z.: & ſi K. ipſius C. diligit N. in E.G., & E.G. ſunt in Z., eſt privatio ipſius D. in C., ubi K.D. non forent unum in B.; hoc autem eſt inconveniens & contra conditiones ipſorum A.B.C.D.H.N.R.Q.O.P.; quibus conditionibus oſtenditur, quòd majus D., quod K. habere poteſt ad ipſum M., non eſt extra E.G.; quia, ſi eſſet, eſſet N. in majori H. per M., in quo non eſſet D. ipſorum C.B.; & hoc eſt evidenter inconveniens.

Camera 96.

[*K.O.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

CUm K. ipſius S. eſt in H.N., & S. ſupponit, aliquam rem eſſe in Y., vel in Z., tunc K. cum conditione diligit O., videlicet quòd non ſequatur inde inconveniens in H.N. ex hoc, quod S ſupponit in Y. aut in Z.: quoniam autem K. ipſius S. habet talem conditionem cum O. in H.N.Y.Z., oportet, quòd K. ipſius C. non ſit contrarians ipſis H.N., quæ K.O. habent in E.G.; in quibus E.G., quæ ſunt in Y., K.O. poſſunt eſſe majora in H.N. contra Z., quàm in E.G., quæ non ſunt in Y.: quòd ſi hoc ita non eſſet, ſequeretur, quòd K. ipſius S. haberet majus D. in H.N.O., quàm ſit D. ipſorum K.C. in H.N.; hoc autem eſt inconveniens, quo oſtenduntur conditiones ipſorum K.O. in bonitate & magnitudine ipſorum D.C.

Camera 97.

[*K.P.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

SInè E.G. ipſum P. nequiret eſſe materia majoritati ipſius K. exiſtentis in S. per H.N.Q.R.; quoniam I. non poſſet eſſe tam altum in H.N. contra Z.: quoniam autem majus K. in P. habet majora H.N., quàm minus, idcirco oportet, quòd majus P. habeat majorem concordantiam cum majori K., quàm cum minori: quia, ſi ita non eſſet, ſequeretur, quòd majoritas ipſorum H.N. Q.R. eſſet minor in majoribus K.P. ipſorum H.N.Q.R., quàm in minoribus K.P. ipſorum H.N.Q.R.; hoc autem eſt inconveniens & manifeſta contradictio; quâ manifeſtatur cognitio ipſorum E.G. in conditionibus ipſorum K.P.

Camera 98.

[*K.Q.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

SEcundùm curſum naturæ de ente univerſali generatur ens particulare; quod particulare ſupra ſe habet univerſale, quod de ſua virtute agit ſeu generat in univerſali patiente, à quo exit particulare in M. de materia, forma & conjunctione derivatum de forma univerſali & materia prima, ſecundùm quod in *Principiis Philoſophiæ* pleniùs demonſtratur. Cùm autem Q. in appetitu naturæ ſignificet K. in Q., & Q. in K. per ipſa B.C.D. infinitè in L. ſinè M., quia H. ipſorum B.C.D. habet concordantiam cum majoritate, & H. naturæ cum minoritate, igitur oportet, quòd ſi in natura appetitus generat Q., quod ſinè L.M. eſſe non poteſt, quantò magis in C.B. eſſe oportet K., quod de ſe ipſo generet Q., quod ſit de Q. ipſius K. absque univerſali & particulari, quæ in ſe non poſſunt exiſtere, ubi ſit infinitè D. per K.Q.L.

Camera 99.

[*K.R.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

COnditiones ipſorum K.R. ſunt, ſecundùm quod in T. eſt triangulus viridis per hanc cameram & Principia hujus Artis: veruntamen nos breviter dicimus, quòd K. ipſius C. non diligit V.Z., quæ ſunt R. ipſis V.Y.; quod R. eſt propter Q. in triangulo rubeo; nam ſi K. ipſius C. diligeret R. in V.Z., eſſet contrarium ipſis C.H.L.N.: & quia K. eſt infinitum in C. per bonitatem, magnitudinem, æternitatem, poteſtatem, ſapientiam & perfectionem, generationem & proceſſionem, igitur eſt impoſſibile, quòd ibi poſſit eſſe R. ipſorum V.Z., quod per K. diligatur, licèt Q. ipſorum V.Y. non eſſet in N. ſinè R. ipſorum V.Z. Quod cùm ita ſit, per conditiones ipſorum K.R. oſtenditur, quòd E. eſt in Y.; ſinè quo E. ipſum D. ipſius C. non poſſet excuſare K. ab amore ipſius R. in V.Z., nec ipſi K. tribuere odium ipſius R. in V.Z.

Camera

Camera 100.

[*L.M.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

CONditiones ipsorum L.M. significamus per E., dicentes, quòd, si in B. non esset infinitum D. generandi & procedendi ipsius C., sequeretur, quòd M. esset in D. ipsorum I.K. ipsius C., cognoscente I. cognitum & amante K. amatum in B. ipsius C.: sed quia E. est in B. per H. ipsius D., quod est infinitum in C. generante & procedente L., igitur est impossibile, ibi esse M.; quod M. ibi esset possibile sinè E.: quòd si E. non est in B., eò quòd in illo non sit M., sequitur, quòd L. non sit infinitum in toto C.; hoc autem est inconveniens. Item si L. non convenit meliùs cum æternitate, quàm M., ipsum L. non est A., & ipsum L. habet causam, sicut ipsum M., quod non potest esse sinè causa, h.e., sinè L., & esset æternitas effectus; & hoc est inconveniens, quo ostenditur esse A. per conditiones ipsorum L.M.

Camera 101.

[*L.N.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

MAnifestum est, quòd in triangulo rubeo L. magis concordat cum finali ratione, quàm M.; & ideo est N., ut M. se habeat ad medium, L. verò ad finem: quia, si non ita esset, esset impossibile, quòd H. magis concordaret cum L., quàm cum M., & etiam quòd Q. esset per L., & R. per M.: unde, cùm M. nequeat esse sinè pluralitate, oportet, quòd in N. sit pluralitas ipsius L. sinè M. in esse unum B.: quia, si non ita esset, sequeretur, quòd pluralitas ipsius L. in M. haberet majorem concordantiam cum esse & perfectione, quàm pluralitas ipsius L. in uno B., ubi sunt L.C. infinitè; hoc autem est inconveniens & contra H.N.Q.R. & contra E. & contra triangulum rubeum.

Camera 102.

[*L.O.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

SUpponere, quòd in B. sit infinita generatio & processio ipsorum C.L. in distincta concordanti æquali generatione & processione in suppositis, est negare, existere infinitum oppositum ipsis C.L.: unde, si O. haberet majorem concordantiam cum L. ipsorum B.C. per negationem, quàm per prædictam affirmationem, sequeretur, quòd O. haberet concordantiam cum H. contra L. ipsorum B.C., concordantibus sibi invicem H.M. in B.C. contra L. ipsius D. in C. infinitè in H.; hoc autem est inconveniens, quo ostenduntur conditiones ipsorum L.O.

Camera 103.

[*L.P.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

MAnifestum est, quòd, quò majus D. est in C. plurium rerum, quæ sunt unum L. in B., in quo B. sunt plura, quæ sint in L., distincta, concordantia & æqualia, eò majus potest esse H. ex hoc in P.; quâ majoritate H. potest esse in majori conditione in L.P.: quòd si E. esset in Z., ipsum L. ipsius C. esset contrarium majori H. ipsius P. contra V.Z., concordante K. ipsius C. cum V.Z contra A.B.; & hoc est inconveniens & contra N.Q.R.

Camera 104.

[*L.Q.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

QUò majorem concordantiam habet Q. cum L.H., eò majorem concordantiam debet habere cum esse & perfectione; quia, si non haberet, sequeretur, quòd L.H. haberent concordantiam cum privatione & defectu in eorum majoritate; hoc autem est manifestè inconveniens: & quò majorem concordantiam habet L. cum Q.H., eò majorem concordantiam ipsum oportet habere cum esse & perfectione; quia, si non, sequeretur, quòd Q.H. essent contra majoritatem ipsius L., & è converso; hoc autem est inconveniens, quo ostenditur, Y. esse in D. ipsius C. sub distinctione & concordantia in L.Q.H.; nam quantò plùs est Q. in L. absque R., & L. in Q. absque M., tantò plùs est H. in L.Q.: & si D. ipsius C. est infinitè in L.Q.H. sub distinctione & concordantia, remotiora sunt ipsa M.R. ab ipsis L.Q., quàm essent absque D. distincto & concordanti in L.Q.H. Unde, cùm hoc ita sit, secundùm hoc significatur in conditionibus ipsorum L.Q., quòd E.G. sint in Y.

Camera 105.

[*L.R.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

IMpossibile est, quòd R. possit habere concordantiam cum L. sinè M.; cùm R. nequeat esse sinè Q.: cùm autem R. habeat concordantiam cum minoritate, & Q. cum majoritate, L. autem & majoritas conveniant, M. verò & minoritas, idcirco oportet, quòd R. habeat concordantiam cum L. per medium, h.e., per Q.; quia, si R. concordaret cum L. sinè Q., quod est in H. supra R., sequeretur, quòd D. ipsius C. posset esse sinè Q.; hoc autem est inconveniens: & si Q. non possit esse in L. sinè R. distinctè in D. per totum C., esset defectus ipsius H. in L., & sequeretur concordantia de distinctis L.H. inter Q.R. in his rebus inferioribus, quæ sunt per R.; & in superioribus, quæ sunt per Q., privaretur H. in distinctione concordantia infinitè in C.; hoc autem est inconveniens, quo designatur E. esse in Y.

Camera 106.

[*M.N.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

UNiversalia, videlicet *Genus, Species, Differentia, Proprium & Accidens non solùm sunt in intellectu, verùm etiam in natura*; nam si non essent in natura, sequeretur, quòd inter esse & essentiam rei nulla esset differentia, nec etiam res inferiores in M. haberent N. per superiores: & licèt universalia non existant in quinque particularibus, scilicet in quinque sensibus corporalibus, h.e. in Visu, Gustu &c., non propter hoc sequitur, quòd sint divisa & omnino separata ab individuis specierum; quia, si essent, non esset M. tam magnum per H.Q.R. in N. naturaliter: quoniam autem universalia sunt in M. per H., & sensus particulares sunt per materiam & formam in M. per individua, igitur manifestatur, quòd G. sit in M.N., & quòd sit E., ut de C. & creatura sit M. in N., ubi sint E.G. ad hoc, ut I.K. ipsius S. habeant inde nobilius D. in C.B.D., à quo descendat per N. nobilius M., quod conveniat cum perfectione & cum esse.

Camera 107.

[*M.O.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

SUpponere Incarnationem & Resurrectionem & G. esse in Y. est affirmare majus M., quod esse possit in N.; & negare E.G. esse in Y. est supponere minus M. esse in Y.: & si D. ipsius C. haberet majorem concordantiam cum minori M., quàm cum majori, concordaret meliùs cum minori H. in O.N., quàm cum majori, esset etiam D. in C. contra magnitudinem, bonitatem, perfectionem in K., & I. sciret privationem ipsius H. in C.D.; & hoc est inconveniens, ob quod significantur conditiones ipsorum M.O.

Camera 108.

[*M.P.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

MAnifestum est, quòd in majoritate ipsorum H.M. potest esse majus P., quàm in minoritate; quia, si non, sequeretur, quòd N. esset contra H.M.Q.R. in P.; hoc autem est manifestè inconveniens, quo ostenditur E.G. esse in Y.; quia per unionem ipsius C. & hominis & per D. ipsius G. est majus M., quod esse possit, in triangulo rubeo; in quo M. potest esse subjectum majori P., quod esse possit in suprà dicto triangulo: quia, si D. ipsius C. esset contra majus H. ipsorum M.P., contradiceret ipsis C.S.V. Y.H.I.K.Q.R.; hoc autem est inconveniens, quo ostenditur E.G. esse in Y.

Camera 109.

[*M.Q.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

DE majoribus Q.R. potest esse majus M., & de majori M. possunt esse majora Q.R.: & si hoc non ita esset, sequeretur, quòd H.N. essent contra majoritatem in M. Q.R.; quòd si essent, esset D. ipsius C. contra H.N.; hoc autem est inconveniens, quo significatur, qualiter M.Q. conditionantur in majoritate ipsorum H.N.R.; quâ majoritate revelatur E.G. esse in Y.; sinè quibus E.G. non posset esse majoritas ipsorum M.Q. in H.N.R.

Camera 110.

[*M.R.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

SPecies seu Quadrangulus lividus ipsius S. est per Q., cùm se habet ad A.V.Y., & Species seu Quadrangulus niger est per R., cùm se habet ad V.Z., & species rubea est per R., S. amante V. lividum & odiente V. rubeum per defectum ipsius H. in specie livida & nigra. Unde cùm hoc sit secundùm N.H., ideo demonstratur, qualiter M. conditionatur cum R. in camera [Meriti & Gloriæ]; quia D. ipsius S. habet unum H. per speciem lividam, aliud per nigram, aliud verò per rubeam; & ex omnibus simul compositum est M. in camera [Meriti & Gloriæ]; in quo M. sunt majora D.H. ipsius S. per speciem lividam, quàm per nigram, & per nigram, quàm per rubeam secundùm R. in V.: quia, si non ita esset, sequeretur, quòd D. ipsius C. contradiceret ipsis H.N.; hoc autem est manifestè inconveniens.

Camera 111.

[*N.O.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

PEr suppositionem essendi E.G. in Y. intelligit S. esse N. in majoritate ipsorum H.L.Q.R.M.I.K.V.Y. per D. ipsius C. in B. & in creatura: & ideo revelantur ipsi S. con-

conditiones ipsorum N. O. per majoritatem ipsius N. in D. C. H. L. M. Q. R. V. Y.; quia si E. G. sunt in Y., oportet, quòd D. in C. habeat N. in bonitate, quæ est B.; in qua bonitate habet concordantiam, distinctionem & æqualitatem per D. in magnitudine, æternitate, potestate, sapientia, amore & perfectione, quæ in suppositis distinctis concordantibus æqualibus sunt infinitæ in bonitate per totum C., & B. est in suppositis per totum C.: & hoc idem sequitur de æternitate aliisque dignitatibus ipsius C., quod de ipsa bonitate sequitur: quia, si E. esset in Z., esset impossibile ipsum N. esse in D. C. B. H. L. Q. Y. Item per similem modum intelligit S. ipsum N. ipsorum D. C. in creatura, si Incarnatio est in Y., & si G. non est in Z.; quia per nullum O., quod esset in Y. contra E. G., posset esse majus N., nec tam magnum in D. C. B. H. L. M. Y.

Camera 112.

[*N. P.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

CONditiones ipsorum N. P. sunt in majoritate ipsorum D. C. B. H. L. N. Q. R. A. S. T. V. Y.; nam si in C. est D. infinitè in qualibet dignitatum ipsius C., quæ sunt unum B., ubi est D. per distinctionem concordantem æqualem & infinitam in divinis, habet P. in N. & N. in P. majora H. L. N. Q. A. per S. T. V. Y.; est etiam ex hoc S. magis contrarium ipsis V. Z. in Q. R., quia in magnitudine ipsius C., quælibet dignitas ipsius C. in D., quod est in suppositis ipsius B. per totum C. habet concordantiam distinctam æqualem infinitam; sinè qua concordantia distincta æquali infinita nequiret esse D. in C. B. N. H. L. Q. A., nec descenderet influentia ipsorum N. H. Q. A. in S. T. V. Y. creaturarum, nec P. haberet D. in tam magno D., scil: in exponendo D. ipsius C. in H. L. N. Q. A. R.: cùm autem majus D. ipsorum N. P. habeat concordantiam cum D. ipsius C., igitur designatur in majoribus H. D. ipsorum N. P., quòd ipsa E. G. sunt in Y.

Camera 113.

[*N. Q.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

IN C. est Q. idem quod B. in qualibet dignitate ipsius C.; nam si Q. non esset in C. unum & idem cum B., C. esset unum, & B. esset aliud; hoc autem est inconveniens: quia verò D. est infinitè in Q. C. per distinctam concordantem & æqualem generationem & processionem in H. L. N., idcirco oportet, quòd in D. N. H. L. diversificentur ipsa N. Q. suppositorum per D. H. L. in C. B. infinitè in suppositis; quia, si in C. B. non est distinctum D. in N. Q. suppositorum infinitorum in C. B., esset impossibile, quòd D. esset per N. Q. in C. B. infinitè secundùm H. L.; & hoc est inconveniens, in quo ostenduntur conditiones ipsorum N. Q. in D. ipsorum C. B.

Camera 114.

[*N. R.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

MAnifestum est N. R. conditionari in majoritate ipsorum Q. H.; & ideo quantò magis S. est obligatum ad habendum Q. ad D. ipsius C. in E. F. G. I. K., tantò majorem concordantiam habet S. in N. R. ad diligendum V. Y. contra V. Z. per R., quia habet Q. ad ipsum A. Unde cùm hoc ita sit, obligatur homo diligere suum proximum & se ipsum secundùm majora N. R. per H. ipsorum E. F. G., quàm sinè E. F. G.: cùm autem majus H. ipsorum E. F. G. non contradicat majoritati ipsorum N. R. in H., igitur demonstratur E. F. G. esse in Y.; nam si E. F. G. essent in Z., esset D. ipsius C. in H. N. Q. contra majoritatem ipsorum H. N. R.; hoc autem est manifestè inconveniens.

Camera 115.

[*O. P.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

IN *principio erat Verbum* &c. Sic dicitur in Evangelio S. Joannis: unde O. supponente, quòd E. sit in Y., P. potest esse in majoritate trianguli rubei exponens, quòd per D. in æternitate ipsius C., quod in R. est principium tempori, Pater habet Q. ad ipsum Filium, qui Pater & Filius sunt uuum in Q. H. D. per totum C.: & quia dicit, quòd *omnia per ipsum (Verbum) facta sunt*, revelatur, qualiter de D. ipsius C. descendit influentia, quâ esset Q. in Incarnatione, & quâ esset R. sub Q., & sic de aliis rebus: & cùm dicit in Pater noster *qui es in Cœlis*, dicit C., & *noster* dicit Filium in C. æternaliter & infinitè in magnitudine ipsius C.: & cùm loquitur in plurali, indicat Filium esse in duabus Naturis divinâ & humanâ: & cùm dicit *in principio creavit cœlum & terram*, hoc est dictum Q. R. in E.: & cùm dicit *faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*, manifestat D. C. B. L. in distincta & æquali concordantia: & sic de cæteris rebus, quæ exponi non possent, si E. esset in Z., cùm affirmat E. esse in Y., & majoritas ipsorum O. P. H. N. esset contraria ipsi K. ipsius D. in C.; hoc autem est inconveniens.

Camera 116.

[*O. Q.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

MAnifestum est, quòd O. habet majorem concordantiam cum Q., quàm cum R.; nam in majori concordantia ipsius H. & Q. quàm ipsius H. & R. habet O. majus H. per Q. quàm per R.; & si E. est in Y., habet O. majora H. N. in quadrangulis ipsius S. & in triangulis ipsius T., quàm haberet, si E. esset in Z.: cùm autem majora H. N. debeant affirmari in conditionibus ipsorum O. Q., igitur significatur, & ostenditur E. esse in Y.; & hoc idem sequitur de ipsis F. G.: quia, si esset hujus contrarium, concordaret D. ipsius C. cum acedia & invidia in C. contra A. H. L. N.; hoc autem est manifestè inconveniens.

Camera 117.

[*O. R.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

CONsideravit S., quòd, cùm O. supponebat E. F. G. esse in Y., suæ species multiplicabant D. in H. N. V. contra V. Z. per triangulum rubeum: post talem considerationem consideravit S. per alium modum in O., quod supponebat E. F. G. esse in Z.; & intelligit I., quòd species ipsius S. inclinabant se ad minoritatem ipsius D. in H. N. V., & appropinquabant ipsis V. Z.; & ideo S. recolit conditiones ipsorum O. R. in E. F. G. Y. Z. multiplicans R. sub Q. in speciebus ipsius S. per affirmationem ipsius O. affirmantem, quòd E. F. G. sint in Y., & minuens H. N. V. in R. sub Q. per negationem ipsius O. negantem, quòd ipsa E. F. G. sint in Y.: & idcirco intellexit I., in Y. esse majus D., quo ipsa O. R. in S. possint fortiùs concordare in A. V. Y. contra V. Z.; nam si majoritas ipsius D. esset in privatione, deficeret in H. N. ipsum D. ipsorum C. A. B.; hoc autem est manifestè inconveniens.

Camera 118.

[*P. Q.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

„QUàm plurimæ sunt conditiones ipsorum P. Q., de quibus inter alias hanc „volumus assignare, scilicet quòd convenit „illum, qui discurrit per artem ad investigandum particulare, aut monstrat artem, „cum P. exponere literas florum, quæ sunt „necessariæ ad investigandum particulare, „aut ad demonstrandum artem: sicut si vis „probare E. G., debes ire ad cameram ipsorum E. G., & debes exponere hoc, quod A. „S. T. V. X. Y. Z. significant in illa camera de „Q. in H. I. K. L. M. N. O. P. R.; & concorda majoritatem ipsius Q. in dicta camera „contra Z. & V. rubeum, & affirma majus „distinctum D. in C. B. A. concordantiæ & „æqualitatis in Q. absque R.: & hoc idem „de reliquis principiis est dicendum.

Camera 119.

[*P. R.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

KIpsius S. petit ab ipso I., quòd exponat sibi illud H., per quod omnia, quæcunque in triangulo rubeo consistunt, diligunt esse, & odiunt privationem, & quodlibet plùs diligit majoritatem ipsius D. in H. & in dignitatibus, & etiam durare diligit, & quodlibet appetit naturaliter majoritatem mensurationis quantitatis in magnitudine substantiæ & ipsius H.: & respondens I. ipsi ait, quòd omnia ista provenerunt ab A. B. C. D.; nam quia D. est infinitè in A. B. C., habent creaturæ H. N. ad appetendum naturaliter majoritatem substantiæ & ipsius D. in H. & in duratione: quia si D. nihil esset in A. B. C. E., & si A. nihil esset, infinita D. C. B. essent in non esse, & omne, quod est, esset terminatum & finitum, & omnes res haberent naturam & proprietatem appetendi minus H. & privationem & minoritatem quantitatis: quoniam autem A. B. C. D. E. existunt infinitè, igitur R. appetit magnitudinem in H. & in quantitate subjecti, h. e. Q.; quod Q. est in A. B. C. D. E., quo P. exponit ipsi K. ipsum R., quod est conditionatum cum P. secundùm suprà dictam expositionem.

Camera 120.

[*Q. R.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

CONditiones ipsorum Q. R. sunt in perfectione ipsius A., quod est Prima Causa; & omne illud, in quo Q. R. conditionantur, relativè est ejus effectus: & ideo omnis effectus ipsius A. habet naturalem appetitum ad perfectionem ipsius causæ: sicut S., quod credit habere perfectionem in perficiendo aliquod D. in effectu ipsius A., quod, cùm venerit ad perfectionem ipsius D., tunc ipsum K. habet aliud objectum, & ideo in hoc Sæculo non potest invenire complementum, in quo ipsum investigat metaphoricè per Q. R.: sicut elementa, quæ habent naturalem appetitum ad suam perfectionem

per R. & per Q. ad ipsum A.; & quia ipsam in uno supposito non inveniunt, investigant in alio; & ideo eorum D. est per plura supposita generans & corrumpens ipsa, ad significandum generationem ipsius D. in C. B. absque corruptione per Q., & absque eo, quòd R. sit in A.

Perfecti sunt Flores Principiorum Theologiæ, qui sunt Regulæ & Doctrina ad investigandum particularia Theologiæ secundùm eorum conditiones; nunc verò tractare oportet de Quæstionibus, quæ ad divinam gloriam consequuntur.

DE XX. THEOLOGICIS QUÆSTIONIBUS,

In quibus exemplificatur modus solvendi alias quæstiones.

Quæ sunt:

Secundùm Artem & Regulas

Principiorum Theologiæ.

1. *Quæstio.* Utrùm in B. ita se habet ipsum D. ad essendum, (h. e. ad operandum essentiam), sicut se habet D. in C. ad bonificandum magnificandum possificandum cognoscendum amandum perficiendum?

Solutio. Si D. esset in C. & non in B., D. esset in C. per Q., & B. esset in C. per R.; hoc autem est contra H. L. in C. B.; quia, si D. est in B. secundùm infinitatem ipsius C. in suppositis, quæ sint unum B. per infinitum D. in C., sunt ipsa B. C. D. H. L. per Q. absque R.; quoniam autem B. non posset habere in se D. per infinitum C. absque distincto concordanti æquali D. in C. B.; idcirco oportet, quòd quælibet Persona sit B. sinè distinctione ipsius B. in C., & quòd D. ipsius B. sit in qualibet Persona in C., & etiam quòd D. cujuslibet Personæ sit in B. C.; quia, si non ita esset, oporteret, quòd D. esset in B., ubi D. esset in distinctis B., in quibus foret triangulus viridis contrarians ipsi C.; hoc autem est inconveniens.

2. *Quæstio.* Utrùm B. sit distinctum in se ipso per distinctionem divinarum Personarum?

Solutio. Si B. esset distinctum in se ipso per distinctionem divinarum Personarum, privaretur H. L. in B., & Personæ essent per M. in B., & B. esset per M. in divinis; hoc autem est contra infinitum A. ipsorum C. H. L. B.: quia verò D. est infinitè distinctum in divinis per ipsa C. H. L., igitur B. est distinctum in D. suppositorum, & est absque distinctione in se ipso; sicut S. & corpus, quæ distinguuntur ab invicem in L., & sunt absque distinctione in homine, qui, in quantum est homo, non est distinctus in sua humanitate, licèt homo sit in M. ipsius S. & corporis: cùm autem L. se habeat ad majorem majoritatem ipsius H. in B., quàm in homine, igitur ipsi S. est demonstrabile, quòd ipsum B. est in se ipso sinè distinctione, quamvis distincta supposita sint in ipso.

3. *Quæstio.* Utrùm in C. se habet D. æqualiter & distinctè ad bonitatem, magnitudinem, æternitatem, potestatem & perfectionem, secundùm quod se habet ad I. K.?

Solutio. Si D. non esset æqualiter per totum C., esset R. sub Q. in C. B.; hoc autem est contra infinitum D. ipsius C. in L. H.; quia, si æqualitas esset absque distinctione, esset impossibile, D. esse infinitum in C. H. L. B.; & si D. non esset infinitum in C. H. L. B., esset M. per D. C. H. in B., intelligente I. & amante K. in C. H. B. absque L. bonitatem, magnitudinem, æternitatem, potestatem & perfectionem, quæ omnia essent intellecta & amata: verùm quia in C. H. L. B. est infinitum D. ipsorum H. L., igitur constat esse impossibile, quòd M. in ipsis existat.

4. *Quæstio.* Utrùm D. Personæ Sancti Spiritûs sit æquale in C. ipsi D. Patris & Filii; cùm Pater sit generans, & præbens processionem Sancto Spiritui, & Filius sit dans processionem Sancto Spiritui?

Solutio. Si D. Patris & Filii non esset in toto C., esset possibile, quòd D. Sancti Spiritûs haberet concordantiam cum minoritate, si non esset in toto C., aut cum majoritate, si esset per totum C.: quoniam autem D. Patris & Filii est per totum C. in Sancto Spiritu, idcirco oportet, quòd D., quod Sanctus Spiritus habet in toto C., sit æquale ipsi D. Patris & Filii: quod si non esset, sequeretur, quòd non esset infinitum D. in C. H. L. B.; hoc autem est inconveniens & contra conditiones ipsorum B. C. D. H. L. Q.

5. *Quæstio.* Utrùm Humanitas JESU Christi sit in toto D. ipsius C. & in toto B.?

Solutio.

Solutio. Manifestum est, quòd totum H. ipsius S. constituit cum corpore unum hominem seu unam Personam; H. verò ipsius corporis non est tam magnum sicut H. ipsius S.; quia, si esset, ipsum S. non posset habere suas species in H. D. ultra quinque sensus particulares, nec acciperet objecta, quæ accipit, supra imaginationem & supra quinque sensus corporales: & ideo solutio hujus quæstionis in hac metaphora demonstratur; quoniam humana natura Christi consistit in triangulo rubeo, & ipsa D. C. B. sunt extra triangulum rubeum, compositum autem h. e. JESUS Christus est unum in Persona, in quo ipsa D. C. B. sunt majora, quàm humanitas, in qua humanitate est totum D. ipsorum C. B., in quantum Filius ipsius A. est per totum D. C. & B. unum cum humanitate, sicut corpus, quod est in toto H. ipsius S. in esse unum hominem, licèt Persona Filii sit extra humanitatem in infinitate ipsius D. in C. B.; & hoc est per infinitum D., quod est in C. B. H.: nam si radius solis, qui est in triangulo rubeo ipsorum H. D., est corpus in aëre, & non est corpus absque aëre, quantò magis Filius ipsius A. potest esse in JESU Christo, qui est M. ipsius A. & Creaturæ infinitum per tota D. C. B., licèt ipsa humanitas non sit per totum D. ipsorum C. B.

6. *Quæstio.* Utrùm humana Natura JESU Christi sit in Filio ipsius A. per Q., & in Persona Patris & Sancti Spiritûs per R., cùm Pater & Sanctus Spiritus non assumpserint humanam naturam?

Solutio. Si D. ipsius C. esset in Filio per Q., & in Patre & Sancto Spiritu per R., esset possibile, quòd humanitas Christi esset in Filio per Q., & in Patre & in Sancto Spiritu per R.: quia verò D. ipsius C. est æqualiter in Q. absque R. infinitè in Patre & Filio & Sancto Spiritu, igitur est impossibile, quòd humanitas Christi sit in Filio per Q., & in aliis Personis per R.: quia, si hoc non esset impossibile, esset possibile, quòd D. Filii non esset in H. per totum C.; hoc autem est manifestè impossibile.

7. *Quæstio.* Utrùm D. potestatis ipsius C. possit facere hoc, quod I. ipsius C. scit se nolle facere?

Solutio. Si D. ipsius I. ipsius C. scit hoc, quod non faciet D. potestatis ipsius C., & potestas posset facere hoc, quod I. scit, quòd potestas non faciet, D. esset majus in I., quàm in potestate; & H. esset majus in potestate per modum potentiæ oppositæ ipsi D., quàm in I.; hoc autem est inconveniens, quo ostenditur, quòd in I. & in potestate est æquale D. in K., quod non vult potestatem posse facere hoc, quod I. scit, quòd non potest facere extra se ipsum, & extra K.; & I. scit, quòd K. hoc ita vult infinitè in C., & I. hoc scit infinitè in C.; & ideo potestas illud potest infinitè in C.: quia, si non ita esset, esset M. in D. C. B. R. contra H. L. Q.; hoc autem est inconveniens, quo manifestatur infinitum D. distinctum, concordans & æquale esse in C. per generationem & processionem ipsius D. in C., sinè quibus potestas esset major in C., quàm in K.

8. *Quæstio.* Utrùm D. ipsius C. in I., quod scit totum V. & Z. & V. Y., sit majus, quàm D. ipsius C. in K., quod non diligit V. Z., & diligit V. Y.?

Solutio. Si Distinctio Suppositorum non esset in C. per D. existens infinitum per C., esset impossibile, quòd I. posset scire sinè K., quod diligeret omne illud, quod sciret I.; sed quia in D. est diversificatum C. in distinctis suppositis infinitis in H. L. B., idcirco K. est æquale in H. D. L. ipsi I. diligens V. Y. & odiens V. Z.; nam tantùm potest K. diligere & odire in V. Y. Z., quantùm I. intelligere; & tantùm potest K. odire in C., quod ibi sint V. Z., quantùm I. potest ibi scire impossibilitatem ipsorum V. Z.: & ideo C. est commune ipsis I. K. in D. infinitè, & est distinctio in Personis: nam sicut S. & corpus conveniunt ad essendum unum in persona, quod est homo, ita & longè meliùs divinæ Personæ conveniunt in toto C. distinctæ una ab alia, in quo C. divinæ Personæ sunt unum B. infinitum in C.

9. *Quæstio.* Utrùm S. in gloria possit habere notitiam de B. absque D. ipsius C.?

Solutio. Si S. posset habere notitiam de B. absque eo, quòd B. haberet in se ipso D., S. posset habere K. ad ipsum B. in C. sinè D. ipsius B. in S.; hoc autem est inconveniens: nam si B. non haberet H. in D. ipsius C., esset impossibile, quòd haberet D. H. in S., per quod S. haberet I. K. ad ipsa B. C.: quia verò B. habet in C. D. ipsum H., idcirco I. ipsius S. cognoscit B. in D. C., quâ notitiâ K. est in S., quod diligit B. in D. C., ubi est D. distinctum in suppositis, quæ sunt H. B. C. in L.: *nam sicut Elementa amittunt propriàs formas in forma suppositi universalis, & quodlibet retinet propriam formam in supposito particulari*, ita S. per D. ipsius C. in B. habet I. K. ad ipsum B. per contrarium

sensum suprà dictæ metaphoræ per D. C. in B.

10. *Quæstio.* Utrùm Filius A. & Filius hominis possint esse una Persona?

Solutio. Cùm in C. sit D., oportet bonitatem & magnitudinem ipsius C. habere concordantiam in æqualitate & distinctione per potestatem, quæ est C. B.; & concordantia distincta & æqualis est de suppositis, quæ, in quantum subjecta, sunt in potestate B.; quæ potestas distincta, concordans & æqualis in bonitate, magnitudine est de distinctis æqualibus concordantibus suppositis, quæ sunt in potestate, bonitate, magnitudine B. Igitur cùm hoc ita sit, revelatur, quòd, in quantum est distinctio ipsius D. concordantis & æqualis in bonitate, magnitudine, potestate, sunt supposita in ipso C., & in quantum B., sunt unum per totum C.: quia, si non ita esset, esset impossibile, quòd in D. C. B. essent infinita H. L.; hoc autem est inconvenie ns, quo revelatur, quòd Filius ipsius A., qui in ipsis I. K. habet infinitam bonitatem, magnitudinem, potestatem, & habet I. K. in infinita bonitate, magnitudine, potestate, potest esse una Persona cum Filio hominis, sinè qua potestate esset D. terminatum in C. B. in distincta æquali concordantia ipsorum H. L. N.; hoc autem est manifestè inconveniens; nam natura humana potest esse Persona per se in conjunctione Deitatis, sicut elementa simplicia, quæ proprias formas simplices amittunt in forma corporis, ubi sunt composita, quæ est forma ab ipsis composita, idcirco humanitas Christi, quæ naturam habet Personæ, potest esse una Persona cum Filio ipsius A., qui per se est Persona.

11. *Quæstio.* K. ipsius S. quærit ab I. ipsius S., utrùm intelligat modum, secundùm quem quælibet Persona divina est B.C., & est distincta ab aliis in B. C.?

Solutio. Respondit I. ipsi K. dicens, quòd D. in bonitate ipsius C. concordat & distinguit & adæquat in H.L. infinitè magnitudinem, æternitatem, potestatem, sapientiam, perfectionem, in quibus sunt distincta concordantia & æqualia H. L. in Personis divinis per distinctam & æqualem concordantiam dignitatum ipsius C. in bonitate: & hoc idem sequitur de qualibet dignitate ipsius C.: & ideo oportet, quòd quælibet Persona sit B. C., & distincta ab aliis in concordantia, æqualitate infinitis per D., quod in C. B. esse oportet; sinè quo D. non esset perfectio in H. C. B. L. infinitè: & quia hoc intelligit, inquit I. ipsi K., quòd suprà dictum modum intelligat; sed K. in V. livido per fidem scilicet in quadrangulo rubeo intelligit supra quadrangulum lividum modum sublimiorem, quàm sit modus, quem I. intelligit in quadrangulo livido; nihilominus ex hoc non sequitur, quòd I. non intelligat in quadrangulo livido D. ipsius C., videlicet hoc, quod K. quærit, licèt K. & fides intelligat per lumen gratiæ credendo altiorem modum illo, quem I. intelligit.

12. *Quæstio.* K. quærit ab ipso I., utrùm intelligat modum, secundùm quem Filius ipsius A. assumpsit humanam carnem?

Solutio. Respondit I. dicens, quòd intelligit, qualiter voluntas ipsius S. habet potestatem volendi creare similem mundum huic, quem A. creavit: veruntamen quia non intelligit ipsum D. potestatis esse in H. ipsorum K. S., igitur nequit intelligere, qualiter valeat creare mundum: & si potestas ipsius S. esset æqualis ipsi I., secundùm quod est æqualis ipsi K., essent I. K. ipsius S. ipsa C. B. ipsius A.: cùm autem in H. L. sint ipsa D. C. B. A. unum & idem, igitur I. ipsius S. intelligit in D. C. B. A. hoc, quod non potest intelligere extra D. C. B. A., ubi S. non habet tam magnum D. in H., sicut habet in D. C. B. A. Unde cùm hoc ita sit, secundùm suprà dictam metaphoram I. respondet ipsi K, quòd sic intelligit ipsum A. in homine incarnari supra cursum naturæ, sicut intelligit in G. sub figura panis hominem & A. esse, & sicut sub forma corporis animati mobilis intelligit esse H. & D. ipsius S.

13. *Quæstio.* Utrùm D. ipsius A. in C. B. se habeat ad majorem libertatem, quàm D. ipsius S. in V. Y. Z.?

Solutio. Si D. in C. B. non haberet majorem libertatem, quàm S. in V. Y. Z., foret in triangulo rubeo: cùm autem sua libertas sit extra triangulum rubeum, oportet, quòd sua libertas sit in infinito D. in ipso C.: quod si non esset, esset distinctio suæ libertatis & ipsorum C. B.; & hoc est inconveniens, quo demonstratur, Y. esse in E. G.

14. *Quæstio.* Utrùm D. ipsius C. se habeat fortiùs supra naturam in G. secundùm H. potestatis clavium Ecclesiæ, aut in Sacramento Altaris?

Solutio. In Sacramento Clavium homo habet potestatem ipsorum H. L. per D. ipsius C., sed homo non est ipsa D. C. B. A.: verùm sub figura panis consecrati sunt D. C. B. A.

& est homo; & in D. Presbyteri consecrantis sunt H. L. æqualia ipsis H. L. Presbyteri habentis claves indulgendi V. Z.; & ideo H. L. hominis habent majorem concordantiam cum B. C. D. A. in Sacramento Altaris, quàm in clavibus; quâ majori concordantiâ ipsum D. ipsius C. superat magis ipsum D. naturæ in uno Sacramento, quàm in alio: & hoc idem sequitur in E.

15. *Quæstio.* Utrùm S. habeat majus D. in H. in credendo A. esse, aut in credendo Trinitatem?

Solutio. Manifestum est secundùm D. ipsius C., quòd per D. Trinitas est in A.; nam absque D. esset impossibile, quòd Trinitas esset in ipso A.: unde cùm in A. non sit minoritas, oportet, quòd A. per D. sit in sua unitate & in suo esse; quia, si non esset, D. & Trinitas cum majoritate concordarent in H. Q., & unitas ac B. ipsius A. concordarent cum minoritate in H. R.; cùm esse & D. habeant majorem concordantiam in H., quàm esse absque D. Unde cùm hoc ita sit, per prædictam metaphoram respondetur ad quæstionem, cujus solutio significatur in inconvenienti, quod sequeretur, si S. haberet majus H. in credendo Trinitatem, quàm in credendo A. esse, cùm in D. C. A. B. L. illud sit unum H., quod influit H. in S., quando credit A. esse, & Trinitatem in eodem existere.

16. *Quæstio.* In quo quadrangulo ipsius S. ostenditur fortiùs D. ipsius A. per effectum?

Solutio. Manifestum est, quòd D. ipsius S. se habet in majoribus H. Q. R. N. in quadrangulo livido, quàm in nigro; quia majus est H. in I. K., cùm accipiunt A. V. Y. pro objecto, quàm in quadrangulo nigro, cùm accipiunt V. Z. pro objecto: quoniam autem in quadrangulo rubeo est oppositum D. ipsorum I. K., igitur oportet quadrangulum lividum esse nobiliorem, quàm rubeum: quia, si non esset, esset H. contra I. K.; hoc autem est ipsis Q. R. N. manifestè contrarium; quo contrario demonstratur solutio hujus quæstionis; manifestatur etiam, qualiter S. est magis contrarium ipsis V. Z. per quadrangulum nigrum, quàm per rubeum, & effectus meliùs concordat in quadrangulo livido, quàm in nigro & rubeo.

17. *Quæstio.* Utrùm fides destruatur in quadrangulo livido ipsius S., cùm accipit pro objecto A. B. C. D. cum effectu?

Solutio. Antequam sit effectus ipsorum A. B. C. D. in specie livida ipsius S., oportet esse O. in specie rubea ipsius S., quæ supponit per fidem; per quam fidem ascendit in H. D. species livida ipsius S.; & ideo remanet fides in habitu in livido, & quadrangulus lividus seu species livida (quod idem est) est in potentia in ipsa fide; quæ fides est in actu, cùm magis credit in A. B. C. D. per effectum ipsius A., quàm species livida ipsius S. potest accipere A. per effectum. Unde quantò plùs ascendit species livida ipsius S. in H. D. N., tantò plùs ascendit fides in H. D. N. supra speciem lividam, & est fides per R., per quam ascendit Q. speciei lividæ: & si fides destrueretur in majoritate ipsorum H. S. Q. R., esset D. ipsius C. contrarium ipsis H. N. Q. R.; hoc autem est contra A. & suas cameras.

18. *Quæstio.* Utrùm A. habeat culpam in possibilitate, in qua V. Z. sunt in S. contra V. Y.?

Solutio hujus quæstionis manifestatur in D. ipsius C. per E. F. G.; nam si in C. generatur infinita bonitas & magnitudo &c., impossibile est, quòd D. ipsius C. sit causa ipsis V. Z.; quia, si esset, non esset infinitum in C.: quoniam autem A. carnem assumsit, & mortuum fuit scil: in quantum homo, contra V. Z., ad fortificandum in S. ipsa V. Y., igitur contradiceret suum D. suæ Incarnationi, si A. concordaret cum V. Z.: & quia D. ipsius C. facit ipsum A. & hominem esse in G. sub figura panis, sequitur ex hoc secundùm potestatem ipsius C. & secundùm justitiam ipsius A. in C., quòd possit & velit D. ipsius C. esse causa ipsis V. Y. absque eo, quòd sit causa ipsis V. Z.: quia, si esset causa ipsis V. Z., esset sua justitia contra F., quod ipsis V. Z. est contrarium; & hoc est manifestum inconveniens.

19. *Quæstio.* Utrùm sit major utilitas, prædicare per authoritates, aut per necessarias rationes?

Solutio. Manifestum est, quòd authoritates & K. habent concordantiam in quadrangulo rubeo, rationes verò necessariæ & I. habent concordantiam in quadrangulo livido; & ideo oportet, quòd sit major utilitas, prædicare per quadrangulum lividum, quàm per rubeum; quia, si esset contrarium, sequeretur, quòd I. K. haberent majorem concordantiam in H. N. Q. R.

Q. R. in F. per quadrangulum rubeum, quàm per lividum; & ipsa I. K. essent contraria ipsi D. memoriæ & sapientiæ in H. N. Q. R. in F.; hoc autem est evidenter inconveniens.

20. *Quæstio.* Utrùm sit possibile convertere Infideles ad Christum?

Solutio. Si in illo D., ubi potest esse homo similior ipsi D. JESU Christi, esset impossibilitas ipsorum H. N. Q. R., esset D. ipsius A. contrarium ipsis H. N. Q. R. in triangulo rubeo contra cameram [Meriti & Gloriæ], [Spei & Charitatis], [Justitiæ & Perfectionis]; hoc autem est inconveniens: & si Y. non haberet majorem concordantiam cum esse H. N. Q. R. in S., quàm Z. cum V. rubeo in S., essent Y. Z. in S. æqualiter sinè D. ipsius C.; quod S. esset æqualiter subjectum ipsi D. ipsorum Y. Z.; & hoc est contra A. V. Y. & contra quadrangulum lividum & rubeum ipsius S., cùm Y. se habeat ad lividum, & Z. ad rubeum, & quadrangulus lividus conveniat cum esse & majoritate, rubeus verò cum privatione & minoritate.

Prælibatis quæstionibus consequenter tractare oportet de regulis significantibus, qualiter discursus Artis Principiorum Theologiæ debeat pertractari.

De Regulis Principiorum Artis Theologiæ & Primò

De A.

A. Est DEUS, & continet sedecim dignitates, secundùm quod manifestatur in ejus figura; quæ dignitates conditionantur cum conditionibus aliarum literarum existentium ab A. usque ad S., ad investigandum particulare seu particularia scientiæ Theologiæ per convenientia & inconvenientia necessaria conditionibus Principiorum hujus Artis, quæ est regulata ad probandum & demonstrandum de A. hoc, quod supponitur & creditur per O. absque I. in quadrangulo livido & nigro ipsius S., concordans unam cameram ipsius A. cum alia, & affirmans majora D. H. L. N. de ipso A. in quadrangulo livido, ut de majoribus D. C. sequantur majora Q. R. in H. D. N. L. M. E. F. G.

In hac Arte diversificantur A. & C., in quantum in A. plures dignitates nominantur, quàm in C.: veruntamen dicimus, quòd A. C. sunt unum & idem in B. D.; & quando ponimus A. & non C., significatur, quòd loquimur de cameris, quæ sunt nominatæ in A., & non in C.: aliquando etiam A. significat in hac arte unam cameram plùs, quàm aliam, secundùm quod rationi convenit, de qua in proposito pertractatur.

De S.

S. Est Anima Rationalis, quæ in se continet *tres Species*, secundùm quod apparet in ejus figura.

Prima Species est de *Quadrangulo livido*, qui in hac arte deputatus est ad accipiendum A. B. C. D. V. Y. pro objecto, & ad accipiendum distinctam concordantiam in H. N. principiorum artis sinè aliqua inconvenientia: debet etiam hic quadrangulus eò magis multiplicari, quò nobiliori modo accipit objecta; & quadrangulus lividus est in S. per Q., alii verò quadranguli sunt in S. per R.; per quæ Q. & R. diriguntur & regulantur alii quadranguli ipsius S. ad ipsum quadrangulum lividum, cui serviunt ad hoc, ut multiplicetur in D. H. N. V. Y. ad accipiendum A. B. C. D. pro objecto.

Secunda Species est de *Quadrangulo nigro*, qui in hac arte habet officium ad investigandum inconveniens principiorum artis, quod repræsentatum ipsi I. odiatur ab ipso S. in quadrangulo nigro, & quòd etiam ab ipso S. odiantur V. Z., quæ sunt contraria ipsis V. Y.: & hic quadrangulus est effectus ipsius lividi, qui movet ipsum ad ipsa V. Z., & ad inconvenientia principiorum hujus artis, eò quòd lividus accipit concordantiam principiorum & A. V. Y. rationibus necessitantibus intellectum.

Tertia Species est de *Quadrangulo rubeo*, qui est compositus ex oblivione & ignorantia & ex D. in diligendo, seu odiendo: per hunc decurrit fides, & est P. per authoritates, & est O. absque necessariis rationibus; & ideo est possibile, quòd sit in triangulo nigro per Y. aut per Z.: & iste quadrangulus est ad hoc, ut suppleat illud, quod primus & secundus supplere non possunt, & est ad supponendum Y. Z. ad hoc, ut lividus ipsius S. & niger in H. V. Y. N. possint exaltari ad serviendum ipsi A.

De

De T.

T. Est Figura Principiorum subjecta ad investigandum *conveniens* & *inconveniens* secundùm artem, ut Y. tribuatur pro objecto quadrangulo livido ipsius S., & Z. ipsi nigro: T. verò est compositum de *quinque Triangulis*, secundùm quod manifestatur in ejus figura.

Triangulus Lividus est compositus de DEO, creatura & operatione; cujus officium in hac arte est, qualiter in principio homo investiget subjectum quæstionis, in quo scilicet angulorum trianguli jaceat; in quo etiam angulo debet dari solutio absque inconvenienti angulorum suprà dicti trianguli.

Triangulus Viridis est compositus de differentia, concordantia & contrarietate, qui poni debet in triangulo livido, prout quæstioni & ejus solutioni convenit sinè inconvenienti utriusque trianguli.

Triangulus Rubeus est compositus de principio, medio & fine, & debet poni in duobus prædictis triangulis per N., ad investigandum in triangulo croceo majoritatem, æqualitatem & minoritatem secundùm concordantiam omnium triangulorum in principiis hujus artis, quæ conservari debent in suis conditionibus, videlicet in mutuo discursu & introitu triangulorum, qui habent D. in L. M. N.

Triangulus Croceus est compositus de majoritate, æqualitate & minoritate, & debet comparari in quantitate ipsorum H. M. N. L. I. K. D. Q. R.; & majoritas ipsorum D. C. B. A. H. debet esse per Q.; & omne illud debet esse per R., quod est sub majoritate ipsius A. & sub æqualitate ipsorum D. C.; & omne illud est majus in triangulo rubeo & in H. N. I. K., quod magis concordat cum A. B. C. D.

Triangulus Niger est compositus de affirmatione, negatione & dubitatione, in quo quis debet dubitare ad investigandum Y.; & debet affirmare convenientia ipsorum A. B. C. D. E. F. G. H. I. K. L. M. N. O. P. Q. R. S. T. V. X. Y.; negare verò concordantiam ipsorum V. Z. cum aliis suprà dictis literis: & majus D. ipsius C. in E. F. G. est affirmabile in I. K. contra minus oppositum concordantiæ majoris. Hic autem triangulus revolvitur & miscetur cum aliis triangulis, secundùm quod N. est in eorum M. Q. R.

De V.

V. Est Figura duplex composita de virtutibus & vitiis: per V. lividum intelligitur virtus, & per V. rubeum intelligitur vitium; & cùm Y. conjungitur ipsi V., significat V. lividum, Z. autem junctum ipsi V. significat V. rubeum. V. aliquando ponitur pro una virtute, aliquando pro multis: & hoc idem de vitiis est dicendum. Principia hujus artis conditionantur cum V. secundùm decem conditiones scriptas in *Libro Gentilis & trium Sapientum*, secundùm doctrinam & regulam, quam eis assignavit Domina Intelligentia in eorum disputatione, cùm investigabant, quæ trium Legum esset verior: nam secundùm quod H N. Q. R. habent majus D. in principiis hujus artis, V. lividum ab V. rubeo est magis remotum, & reperitur major concordantia inter unam virtutem & aliam, & major contrarietas inter virtutem & vitium ad significandum D. C. B. A. ipsis I. K. ipsius S.

De X.

X. Est Figura composita de sedecim cameris, velut in ejus figura manifestatur: hæc autem Figura distincta est in *quatuor Figuras*, una est *affirmativa*, alia *negativa*, alia *dubitativa*, & alia *determinativa*; & ideo ejus officium est in hac arte per oppositа & concordantia mediata vel immediata cum convenienti & inconvenienti in C. D. B. A. inquirere veritatem.

X. in *sex Membra* distinguitur. *Primum* est compositum de Sapientia, Prædestinatione, Perfectione & Esse. *Secundum* de Justitia, Libero Arbitrio, Perfectione & Esse. *Tertium* est de Perfectione & Esse, Privatione & Defectu. *Quartum* est de Gloria & Merito, de Culpa & Pœna. *Quintum* est de Potestate, Voluntate, Scientia. *Sextum* est de Potestate, Voluntate, Ignorantia.

Quoniam autem X. est subtilis figura, attribuitur ei nomen Prædestinationis; nam hæc figura est valde subtilis & utilis, quia existit in quæstionibus & solutionibus per medium & sinè medio, veluti in suo tractatu refertur in principiis discursûs *Artis Compendiosæ inveniendi veritatem*: & X. in his principiis Theologiæ significat modum, secundùm quem S. discurrit cum suis speciebus per A. T. V. Y. Z. B. C. D. E. F. G. H. L. M. N. O. P. Q. R. ad exal-

tandum in S. ipsa I. K. V. Y. contra V. Z.

De Y.

Y. Significat Veritatem & Z. Falsitatem in hac arte, in qua sunt opposita, & habent officium ad significandum fortiùs D. C. B. A., quò magìs sunt opposita in principiis hujus artis: & Y. significat concordantiam & distinctionem principiorum & etiam conservationem suarum conditionum; Z. verò significat confusionem principiorum & destructionem suarum conditionum: & ideo Y. se habet ad quadrangulum lividum, & Z. ad nigrum.

De B.

B. Est divina Essentia, & est idem, quod A. C.; sub B. verò conditionantur cætera principia hujus artis: veruntamen cùm dicimus, quòd B. conditionatur secundùm S. V. Y. Z., intelligimus hoc dicere secundùm R.: & hoc idem sequitur de A. B. C.

De C.

C. In hac arte ponitur pro Dignitatibus ipsorum A. B., quæ sunt ipsa A. B. & suppositа, quæ sunt in A. B. per D., quod est infinitè in A. B. C.: sub conditionibus verò ipsius C. regulantur omnia principia hujus artis, quæ in triangulo rubeo consistunt, quibus D. in C. est causa, ad demonstrandum C. in A. B. E. G. Q. R.; & ideo C. habet in hac arte officium, qualiter sub D. ipsius C. cætera principia regulentur.

De D.

D. In hac arte maximè significat Operationes ipsius C. in A. B.: unde cùm D. intelligitur de A. B. C., tunc est regula ipsi D., quod intelligitur de A. B. C. in creaturis, hoc est, in effectu ipsorum A. B. C.: & sub illo D. secundo regulantur principia hujus artis, quæ habent in triangulo rubeo ipsum D.; quod D. est tertium, & regulatur in creaturis per R.; & D. primum & secundum sunt per Q.; & secundum D. relativè est per R., primum verò per Q.; & ideo D. habet officium in hac arte ad regulandum species ipsius S., qualiter secundùm majoritatem aut minoritatem ipsorum H. Q. R. in D. Theologiæ particularia investigent.

De E.

E. Ponitur in hac arte pro Quatuordecim Articulis Sanctæ Catholicæ Fidei, & aliquando significat unum articulum, & aliquando alium, secundùm quòd quædam principia hujus artis miscentur aliis; & ideo E. habet majora H. D. Q. R. in uno articulo, quàm in alio; & omnia principia diriguntur eorum conditionibus ad concordandum in H. N. Q. R. per majorem concordantiam, salvis tamen conditionibus ipsius E.

De F.

F. Significat decem Præcepta Legis Veteris, & conditionatur secundùm alia principia, quæ sunt in hac arte regulata, ad conservandum conditiones ipsius F., suis tamen conditionibus salvis; & omnia diriguntur ad fortificandum F., & ad multiplicandum ipsum in H. N. Q. R.: & F. aliquando significat unum præceptum, aliquando verò aliud, secundùm quod literæ, quæ sunt principia, ipsum antecedunt seu consequuntur.

De G.

G. Significat septem Sacramenta, & quandoque significat unum Sacramentum, quandoque significat omnia, secundùm quod convenit: & D. ipsius C. significat ipsum G. in majoritate ipsorum H. N. Q. R.; & in G. non disconvenit unum Sacramentum ab alio, nec aliquod principiorum est contrarium ipsi G.

De H.

H. Est quoddam principium, quod Virtus appellatur, quod aliquando de A. B. C. D. intelligitur, & aliquando de creatura; & omnia principia sunt in N. ad regulandum H. in ipso S., qualiter valeat habere I. K. ad ipsa A. V. Y. contra V. Z.: & idcirco H. fortiùs concordat cum aliis principiis in majoritate ipsorum D. I. K. Q. R., quàm in minoritate; & ideo officium ipsius H. in hac arte est, quòd homo semper investiget majoritatem seu minoritatem in aliis principiis, absque eo, quòd in aliquo principiorum reperiatur inconveniens.

De

De I.

I. Interdum significat Sapientiam ipsius C., & interdum Sapientiam creaturæ; & I. in hac arte conditionatur ad affirmandum majus D., quod I. potest habere in C. & in creatura, in quo I. habet æquale D. secundùm magnitudinem ipsorum H. Q. in A. B. C. & ipsorum H. Q. R. in creatura; & ideo ostenditur Y. in E. F. G., quoniam in majoritate ipsius D. in E. F. G. existit majoritas ipsius I., quod convenit cum A. B. C., secundùm quod N. concordat in H. Q. R.

De K.

K. h. e. Voluntas interdum significat D. ipsius C., interdum verò D. creaturæ; & K. conditionatur cum cæteris principiis sub tali forma, quòd D., per quod K. est majus in C., habeat concordantiam cum Y. H. Q. N.: & hoc idem sequitur de K., quod D. ipsius C. habet in creaturis; quod K. ipsarum creaturarum sit majus in majoritate, quam K. ipsius C. habet in E. F. G., & quam K. creaturarum habet in E. F. G.; quod K. secundùm hanc regularitatem manifestat Y. esse in E. F. G.

De L.

L. In hac arte magìs intelligitur in D. C. B. A., quàm in creaturis, secundùm quod conditionantur flores hujus artis: quoniam autem L. ponitur pro simplicitate in hac arte, & major simplicitas est magìs remota ab ipso M., quàm minor, L. autem, majoritas & esse conveniunt, M. verò, minoritas & privatio similiter concordant, igitur L. habet in hac arte officium, qualiter reguletur ad significandum in sua majoritate majora H. N. Q. R. in regularitate aliorum principiorum, quæ regulata existunt ad significandum majus L., quod sit in H. N.

De M.

M. In hac arte accipitur pro Compositione, & habet officium ad significandum majora H. N. Q. R. ipsius L. distincti absque M. in A. B. C. D.; & ipsum M. regulatur ad essendum in majoribus H. N. Q. R., quò plùs est H. N. Q. in L., quod habet distinctionem in M. compositо ex multis L., ad significandum Incarnationem & G.: omnia etiam principia hujus artis regulantur ad majora H. N. Q. R. ipsius M., & è converso.

De N.

N. Ponitur in hac arte pro Ordinatione, & intelligitur diversimodè, secundùm quod principia artis diversimodè intelliguntur; & intelligimus ipsum N. in A. B. C. D. secundùm comparationem principiorum existentium sub A. B. C. D.: & insuper intelligimus, quòd N. est in A. B. C. D. secundùm triangulum rubeum: & N. in hac arte significat qualiter omnia principia debeant ordinari, salvis eorum conditionibus in N., & N. in ipsis. N. etiam demonstrat, qualiter floribus figuræ secundùm principia homo ad necessitatem debeat reducere particularia, quæ cum principiis florum concordant, & quòd homo per literas florum discurrat salvando illarum conditiones: & hoc idem sequitur in ordinatione, quæ habetur in legendo artem per flores: sicut si vis probare B. existere per tertium membrum ipsius X., pone membrum in flore ipsorum I. K., ubi invenies minus D. ipsorum H. L. M. N. O. P. Q. R., si B. non existit, & majus, si B. existit; cùm autem esse & perfectio ad majoritatem se habeant, privatio verò & defectus ad minoritatem, igitur demonstrari potest prædicto flore B. necessariò existere: *& ideo, qui voluerit habere regulam ordinatam legendi artem, in quolibet flore proponat unam quæstionem convenientem illi flori, & per conditiones floris, quas scriptas inveniet, & per discursum ipsorum A. S. T. V. X. Y. Z. potest solutio quæstionis sufficienter inveniri.*

De O.

O. Ponitur in hac arte pro Suppositione, & habet officium affirmandi & negandi eâ conditione, ut intellectus possit exaltari ad investigandum Y. Z., & ut Y. subjiciatur quadrangulo livido, & Z. nigro: & ideo regulatur O. cum reliquis principiis, ad supponendum omne, per quod significetur majus D. ipsius C. in H. Q. N. R., & omne illud, per quod Y. Z. & V. lividum & rubeum plùs diversificentur & contrarientur, ut V. Y. in H. N. Q. R. per triangulum rubeum sint majora.

De P.

P. In hac arte est idem quod Expositio, per quam exponitur Sacra Scriptura secundùm principia hujus artis, quà etiam exponuntur conditiones florum taliter, ut inter unum florem & alium non sequatur contrarietas; & P. est regulatum, qualiter exponat scripturas & flores secundùm majoritatem ipsius D. in C. & ipsius D. in E. F. G. & etiam ipsius D. in creaturis; quia si P. majoritati ipsius H. in D. esset contrarium, H. ipsi P. esset contrarium; hoc autem ipsis N. Q. R. manifestè contrariatur.

De Q.

Q. In hac arte significat Primam Intentionem, cujus officium est significare majorem concordantiam ipsorum H. D. in B. C. A. E. F. G. L. M. N. R.; nam quò majus est Q., eò altius est H. in ipso D., & majus H. ipsius R. sub se intelligit: & ideo Q. sequitur regulam aliorum principiorum, salvis semper suis conditionibus; & cætera principia sequuntur regulam ipsius Q., salvis tamen suis conditionibus: & ideo omnia principia simul concordantiam habent in N. sub D. ipsius C. in E. F. G.

De R.

R. Ponitur pro Secunda Intentione, quæ est principium & medium trianguli rubei, & sequitur regulam ipsius Q., quod est finis trianguli rubei; & cùm R. alteratur in Q. & Q. in R. contra H. N., tunc est contra conditiones aliorum principiorum accidentaliter in S., ubi cum V. Z. concordat contra V. Y.; & ad destruendum hanc alterationem ipsum D. ipsius C. venit in E., & format F. G. in magnis H. Q., sub quo D. sit R. regulatum in magnis H. N. I. K. contra V. Z.

R. est regulatum, qualiter per unam conditionem unius floris vel per duas vel per plures inquirantur particularia Theologiæ in floribus, qui sunt diversorum colorum, ad hoc, ut intellectus habeat inde majora H. N. ad investigandum per diversificationem concordantiæ & æqualitatis in triangulo rubeo; & R. est obligatum ad sequendum regulam ipsius Q. & omnium principiorum.

Completæ sunt Regulæ Principiorum Theologiæ patrocinio Beatæ Virginis MARIÆ sinè labe conceptæ, & auxilio ac gratiâ sui glorioſissimi Filii, in quo Natura divina & humana mirificè sunt unitæ.

FIGURA

TI. L. *Principiorum Philosophiæ* FIG.

B	*Prima Causa.*	F	*Forma Universalis*	K	*Appetitus.*	O	*Mixtio.*
C	*Motus.*	G	*Materia Prima*	L	*Potentia.*	P	*Digestio*
D	*Intelligentia.*	H	*Natura.*	M	*Habitus.*	Q	*Compositio.*
E	*Orbis.*	I	*Elementa.*	N	*Actus.*	R	*Alteratio.*

BO	CD	DE	EF	FG	GH	HI	IK	KL	LM	MN	NO	OP	PQ	QR	
BD	CE	DF	EG	FH	GI	HK	IL	KM	LN	MO	NP	OQ	PR		
BE	CF	DG	EH	FI	GK	HL	IM	KN	LO	MP	NQ	OR			
BF	CG	DH	EI	FK	GL	HM	IN	KO	LP	MQ	NR				
BG	CH	DI	EK	FL	GM	HN	IO	KP	LQ	MR					
BH	CI	DK	EL	FM	GN	HO	IP	KQ	LR						
BI	CK	DL	EM	FN	GO	HP	IQ	KR							
BK	CL	DM	EN	FO	GP	HQ	IR								
BL	CM	DN	EO	FP	GQ	HR									
BM	CN	DO	EP	FQ	GR										
BN	CO	DP	EQ	FR											
BO	CP	DQ	ER												
BP	CQ	DR													
BQ	CR														
BR															

DIVI RAYMUNDI LULLI DOCTORIS ILLUMINATI LIBER PRINCIPIORUM PHILOSOPHIÆ.

DEUS, in quo suprema excellentia veritatis & amoris existit, si te diligimus, in perfectione sumus; si verò te ignoramus, immensum defectum habemus: quia autem perfectionem appetimus, ex *Principiis Philosophiæ* incipimus Artem componere, ut ad te cognoscendum & diligendum majorem perfectionem habere possimus.

DE PROLOGO.

CUm intendamus componere Artem valde compendiosam, per quam dubitantes in aliquâ materiâ Philosophiæ veritatem valeant reperire, colligere volumus *Sedecim Principia*, ex quibus Artem ipsam breviter componamus, quæ sunt hæc, videlicet: *Prima Causa, Motus, Intelligentia, Orbis, Forma Universalis, Materia Prima, Natura, Elementa Simplicia, Appetitus, Potentia, Habitus, Actus, Mixtio, Digestio, Compositio, Alteratio.*

Ut autem ex ipsis breviùs & meliùs secundùm modum, quem tenere intendimus, loqui possimus, appropriamus cuilibet ipsorum unam literam; per quas literas intelligantur & significentur.

Ponimus enim, B. esse Primam Causam, C. Motum, D. Intelligentiam, E. Orbem, F. Formam Universalem, G. Materiam Primam, H. Naturam, I. Elementa Simplicia, K. Appetitum, L. Potentiam, M. Habitum, N. Actum, O. Mixtionem, P. Digestionem, Q. Compositionem, R. Alterationem; ex quibus literis componimus quandam Figuram, in qua *Cameræ* sive *Flores centum viginti* consistunt, ponendo cum ipsis literis quasdam alias literas, quæ sunt de *Arte Compendiosâ inveniendi veritatem;* quarum literarum expositio inferiùs apparebit.

Quicunque igitur volet hanc Artem addiscere, oportebit ipsum perfectè scire prædictum Alphabetum, & etiam Regulas, quas in fine hujus Artis ponemus, in quibus exponentur literæ, quas cum literis alphabeti mi-

ſcere volumus; & etiam dicuntur ibi aliqua neceſſaria huic Arti: quæ literæ ſunt A.S.T.V.X.Y.Z.

Intentio, quâ hanc Artem componimus, circa *quatuor* verſatur, quorum *primum* eſt, ut Deus cognoſcatur & diligatur; *ſecundum* eſt, *ut in univerſalitate ipſius Artis particularia valeant reperiri; tertium* eſt, ut dubitantes in aliquâ materiâ Philoſophiæ ad iſtam Artem recurrant; *quartum* verò eſt, ut per ipſam ad intelligendum in aliis ſcientiis intellectus valeat exaltari.

Quoniam autem intellectus ad lucem intelligendi per diviſionem plurimùm exaltatur, volumus hanc Artem generaliter partiri. Dividitur igitur primò & principaliter in *Duas Partes*, in quarum *primâ* probabimus prædicta principia, & conditionabimus quodlibet ipſorum per ſe; in *ſecundâ* verò conditionabimus ipſa principia, ipſa ad invicem combinando, prout combinantur in prædictâ figurâ.

Primam autem partem in *Sedecim Diſtinctiones* partimur; ex quolibet enim prædictorum principiorum unam diſtinctionem facimus, in quâ ipſum probamus & conditionamus; quarum diſtinctionum quælibet in *duas partes* dividitur; in *primâ* namque probatur ipſum principium, in *ſecundâ* verò conditionatur.

INCIPIT PRIMA PARS QUÆ EST DE Probatione & Conditionibus XVI. Principiorum cujuslibet per ſe.

DISTINCTIO I.

De

Prima Cauſa, ſive de B.

HAnc diſtinctionem, ût dictum eſt, in *duas partes* dividimus, in quarum *primâ*, Primam Cauſam eſſe, probabimus; in *ſecundâ* oſtendemus, qualiter in hac Arte oportet ſignificare diſpoſitionem Primæ Cauſæ & conditiones ejusdem.

De Probatione ipſius B.

PRimam Cauſam eſſe, probare intendimus per *decem rationes*, quarum hæc eſt.

Prima Ratio. Abſentiâ pluralitatis linearum anguli in triangulo minimè convenirent, & absque dignitatibus ens & æternitas nequaquam ſimul convenire poſſent: ſed conſtat, quòd æternitas eſt; quia, ſi non eſſet, ens, antequam foret, haberet dignitatem, quâ eſſet, quod eſt inconveniens. Si igitur æternitas eſt, oportet æternitatem & ens concordantiam ſimul per dignitates habere, absque quibus ita parùm convenirent ſimul, veluti anguli & triangulus abſentiâ linearum. Cùm autem ens, æternitas & dignitates ſint, neceſſarium eſt, quòd in ſimul ſint concordantes in eſſe una eſſentia æterna, quæ digna ſit priùs exiſtere omnibus, in quibus eſt defectus dignitatum; ſi enim non ita foret, ſequeretur, quòd ens & æternitas poſſent absque dignitatibus ad invicem convenire, & etiam anguli & triangulus abſentiâ linearum; & præterea ſequeretur, quòd privatione dignitatum ens & æternitas tam bene in ſimul convenire valerent, velut perfectione dignitatum; hoc autem eſt inconveniens, quo demonſtratur, Primam Cauſam exiſtere. Sequitur

Secunda Ratio. Æternitas in majori concordantiâ ſe habet cum infinitâ magnitudine, quàm cum finitâ & terminatâ magnitudine; cujus ſi eſſet oppoſitum, ſequeretur, quòd æternitas & finitum ac minoritas eſſent ſimul concordantes, & principium & infinitum ac majoritas ſimiliter; hoc autem eſt inconveniens: quo demonſtratur, quòd, in quantum æternitas majorem concordantiam habet cum infinito, quàm cum finito, neceſſarium eſt, infinitum prius eſſe in æternitate, quàm finitum; quod infinitum primum æternum eſt B.

Tertia Ratio talis inducitur. Gloria & pœna opponuntur, & ſimiliter dignitas & culpa: & ideo dignitas & gloria concordantiam habent cum æternitate, cum quâ pœna & culpa diſconveniunt; ſi enim ita non foret, ſequeretur, quòd æternitas & dignitas nequaquam ſimul convenirent, nec etiam pœna & privatio ſimiliter: hoc autem eſt impoſſibile; ob quam impoſſibilitatem demonſtratur, illud ens, in quo gloria, dignitas & æternitas conveniunt abſentiâ pœnæ, culpæ ac privationis, eſſe prius illo ente, in quo culpa & pœna & privatio concordantiam habent; illud autem ens primum eſt B., quod quærimus. Sequitur

Quarta Ratio. Eſſe & perfectio ſimul conveniunt, privatio verò & defectus ſimiliter; ſi autem æternitas cum eſſe & perfectione, privatione ac defectu æqualiter conveniret, ſequeretur, quòd principium & finis ac æternitas unum & idem ſubjectum haberent, in quo æternitas, eſſe & perfectio nequaquam convenirent cum primo, nec defectus & privatio cum ultimo: hoc autem eſt inconveniens; cùm defectus & privatio moveantur ad ultimum contra primum, & eſſe & perfectio moveantur ad primum contra ultimum; quod primum eſt B. æternum, ad quod eſſe & perfectio moventur elongantes ſe à privatione & defectu; contra quod primum defectus & privatio elongantur ab eſſe ac perfectione moventes ſe ad ultimum.

Quinta Ratio hæc eſt. Veritas & eſſe ſimul conveniunt, falſitas verò & privatio ſimiliter; cùm autem eſſe & æternitas ad invicem conveniant, ſequitur, quòd veritas in æternitate falſitatem præcedat, & quòd falſitas ſit extra æternitatem & poſt primum; poſt quod primum eſſe non poſſet, ſi primum eſſet extra æternitatem; quæ æternitas eſt primum, quod inveſtigamus.

Sexta Ratio eſt talis. Si ſimplex nihil eſſet, Compoſitio nihil foret; quoniam verò Compoſitio eſt, oportet ſimplex eſſe: ſi verò ſimplex non præcederet compoſitum, æternitas, quæ eſt ſimplex, nihil fuiſſet, antequam eſſet Compoſitio; & ſic haberet principium: ſi autem Compoſitio principium nequaquam haberet, æternitas non eſſet magis remota à privatione per ſimplicitatem, quàm per Compoſitionem, nec etiam æternitas meliùs conveniret cum majoritate per ſimplicitatem, quàm per Compoſitionem; & ſic ſimplex & compoſitum haberent æqualem dignitatem, & à privatione æqualiter eſſent diſtantia; hoc autem eſt inconveniens, quo probatur, quòd ſimplex præcedat compoſitum; quod quidem ſimplex eſt B. Sequitur.

Septima Ratio. Si ens æternum infinitum eſſet mobile, æternitas moveretur ad principium, & infinitas ad finitum, & principium & finitum immobilia forent; quod eſt inconveniens: quo demonſtratur, quòd ens æternum & infinitum primum eſt immobile, ad quod omne ens principiatum & finitum movetur, absque quo ipſa C. R. darent majus damnum in privatione ipſorum Q. S., quàm F. G. I. N. utilitatem in ipſis Q. S., & malum cum æternitate haberet majorem concordantiam, quàm bonum; & hoc eſt inconveniens manifeſtè. Sequitur

Octava Ratio. Per majoritatem poteſtatis, ſapientiæ, charitatis, virtutis, perfectionis & juſtitiæ neceſſe eſt, primum eſſe; per minoritatem verò ipſarum virtutum oportet eſſe ultimum; ſi enim non ita foret, ſequeretur, quòd minoritas æquè vel meliùs ſe haberet cum æternitate, quàm majoritas, quod eſt inconveniens: quo oſtenditur, quòd B. & majoritas minoritatem præcedunt; quod eſt, ut majoritas in æternitate remotior ſit à privatione poteſtatis, ſapientiæ, charitatis, virtutis, perfectionis & juſtitiæ, quàm in minoritate principium & finis. Sequitur

Nona Ratio. Si ultimus finis nequaquam meliùs conveniret cum æternitate, quàm cum materiâ, forma ex materiâ ad cauſam finalem minimè moveretur, & principium eſſet nobilius, quàm cauſa finalis, & intentio ſecunda, quàm prima; hoc autem eſt inconveniens: quo demonſtratur, quòd cauſa finalis præcedit principium. Unde, ſi in *triangulo rubeo* cauſa finalis eſt in dignitate prior principio, de neceſſitate oportet, quòd in æternitate primum præcedat principium; quia, ſi non, ſequeretur, quòd in triangulo rubeo eſſet cauſa finalis meliùs conditionata & proportionata, quàm in æternitate, quod eſt inconveniens, propter quod B. exiſtit probabile.

Decima Ratio talis eſt. Si in æternitate eſt opus æternum & incorruptibile, æterni-

tas & opus habent inde majorem concordantiam cum majoritate; ſi verò in æternitate non eſt niſi opus corruptibile, æternitas quidem & ipſum opus cum majoritate minorem concordantiam habent: cùm autem majoritas & æternitas ſimul conveniant, & minoritas & corruptio ſimiliter, idcirco oportet neceſſariò in æternitate eſſe opus incorruptibile, quod præcedat opus corruptibile; quod quidem opus incorruptibile eſt B., quod oſtendimus & probavimus per decem prædictas rationes, per quas demonſtratum & ſignificatum eſt, quòd ipſum B. eſt primum mundo per æternitatem & creationem ac per prædictas dignitates.

De Conditionibus ipſius B.

HÆc *ſecunda pars* eſt de diſpoſitione ipſius B. & conditionibus ejus, quæ plurimæ ſunt, de quibus ſolùm *tres* inter cæteras aſſignamus, quarum

Prima Conditio eſt, quòd in ipſo B. exiſtant dignitates, propter quas ſit ſupremum omnium literarum exiſtentium ab A. usque ad S.; quæ dignitates ſunt hæ: *Bonitas, Magnitudo, Æternitas, Poteſtas, Sapientia, Amor, Virtus, Veritas, Gloria, Perfectio, Juſtitia, Largitas, Miſericordia, Humilitas, Dominium, Patientia,* & plures aliæ, quas hìc non ſcribimus, quia prolixitatem evitamus. Quòd autem B. in ſe ipſo habeat omnes prædictas dignitates, oſtenſum & probatum eſt *in Arte Majori*, & in decem ſuprà dictis rationibus; nam absque prædictis dignitatibus nequaquam conveniens eſſet, quòd ipſum eſſet Prima Cauſa ipſorum C. D. E. F. G. H. I. K. L. M. N. O. P. Q. R., nec etiam haberet, cum quo conveniret cum æternitate, quæ quidem æternitas eſt: non autem eſſet abſentiâ prædictarum dignitatum; quemadmodum enim absque ſimplici compoſitum eſſe non poſſet, ſic æternitas abſentiâ prædictarum dignitatum nequaquam eſſe valeret, cum quibus oportet quòd ipſa ſit una ſimplex eſſentia omnium ſuprema & omnibus exiſtentibus prima.

Secunda Conditio eſt, quòd B. ſit perfectio atque finis omnium entium exiſtentium ab A. usque ad S.; quemadmodum enim B. per dignitates ſuas ante omnia entia exiſtit, ſic per ipſas dignitates oportet ipſum eſſe omnium perfectionem & finem, & quòd omnia veniant ad perfectionem & finem, ad quem veniunt per influentiam & perfectionem ipſius B., & quòd omnia ſint ſub ipſo & ſub ejus imperio conſtituta: ſi enim non ita foret, inconveniens quidem eſſet, ipſum B. eſſe Primam Cauſam omnibus, pro quibus literæ, quæ ſunt ab A. usque ad S., ponuntur. Unde in iſtâ conditione continetur, quòd omnia, pro quibus ponuntur prædictæ literæ, videlicet exiſtentes ab A. usque ad S., ſint primâ intentione ſervientia & ſubjecta ipſi B., & quòd ſecundam intentionem habeant ſibi ipſis recipiendo ab ipſo B. influentiam & gratiam.

Tertia Conditio ipſius B. eſt, quòd propter omne id, quod ipſum faciat in C. D. E. F. G. H. I. K. L. M. N. O. P. Q. R., non ſequatur aliquod inconveniens dignitatibus ejus; & præterea, quòd conditiones ipſius B. concordantiam habeant in cameris prædictæ figuræ cum conditionibus reliquarum literarum taliter, quòd inde nequaquam ſequatur aliquod inconveniens contrarium conditionibus convenientibus ipſi B. & reliquis literis; cùm literæ exiſtentes ab A. usque ad S. conditionentur ex gratiâ & influentiâ ipſius B.; & etiam cùm ipſum B. per aliquid aliud nequaquam alterabile nec deſtructibile eſſe poſſit.

DISTINCTIO II.

De

Motu, ſive de C.

HÆc diſtinctio habet *duas partes*, in quarum *primâ* ipſum C. probatur, & in *ſecundâ* conditionatur.

De Probatione ipſius C.

AD probandum, ipſum C. eſſe, inter cæteras rationes *tres* eligimus, quarum

Prima Ratio talis eſt. Probavimus, B. eſſe, & ejus dignitates & conditiones deſignavimus, per quas Immobilitas ejusdem manifeſtabilis eſt; cujus Immobilitatis abſentiâ ipſum omnibus mobilibus Cauſa Prima eſſe non poſſet, nec ſuas dignitates habere, nec conditionari conditionibus, quæ ſibi conveniunt: quoniam autem ipſum B. immobile eſt, oportet ejus Immobilitatem demonſtrabilem eſſe per mobilia mota per ejus influentiam & virtutem, absque eo, quòd ipſum B. mobile ſit in ſe ipſo, vel in ſuis dignitatibus; ſi enim eſſet mobile, ſignificaretur in ipſo imperfectio; cùm per Motum moveantur omnia, quæ ad perfectionem moventur; quam quidem perfectionem, dum moventur, non habent. Cùm igitur conveniens ſit, Immobilitatem demonſtrari per Motum, idcirco neceſſarium eſt ſecundùm dignitates & conditiones ipſius B., Motum eſſe in omnibus, pro quibus ponuntur literæ, quæ ſunt ab A. usque ad S., ut oſtendatur Immobilitas ipſius B., & quòd omnia reliqua præter ipſum ſint mobilia, ut manifeſtabile ſit, ipſum B. per Immobilitatem omnibus mobilibus Primam Cauſam exiſtere. Sequitur

Secunda Ratio. Simplices formæ ad perfectionem moventur movendo formas de Potentiâ in Actum ſecundùm G. H. per O. P. R.; quam quidem perfectionem inquirunt in Q., in quo nequaquam inveniunt ipſam: & ideo movent formas ipſius Q. in R., & ex R. movent alteras formas in numero, quæ ſunt in L., ad O., & ex O. ad P., & ex P. ad Q.; & talem operationem inceſſanter & continuè faciunt; per quam operationem ſignificant ſuam Mobilitatem in I., quod movetur per G. ſecundùm Appetitum ipſius F., quem habet ad Motum ſecundùm diſpoſitionem ſuî ipſius ac ipſorum D. E., nec non omnium eorum, quæ ſunt usque ad S., quæ exiſtunt ſub ipſo.

Tertia Ratio eſt per experientiam, quam habemus ex ſenſibilibus in Ex ac etiam in O. P. Q. R.; unde huic probationi ſufficit experientia & id, quod quinque ſenſus corporales apprehendere poſſunt.

De Conditionibus ipſius C.

HÆc pars in *tres partes* dividitur, ſecundùm quod conditiones ipſius C. in hac Arte ſunt tres, quarum

Prima Conditio eſt, quòd ipſum C. ſit in omnibus, pro quibus poſitæ ſunt literæ exiſtentes ab ipſo D. usque ad S.; quam quidem conditionem probamus tractando de cameris prænominatæ figuræ.

Secunda Conditio eſt, quòd B. moveat D. E. F. G. H. I. K. L. M. N. O. P. Q. R. ſecundùm diſpoſitionem ſuarum dignitatum, concordando C. cum H., vel quòd moveat prædictas literas cum C. exiſtente contra ipſum H., ut in omnibus rebus exiſtentibus ſub ipſo uti poſſit ſuis dignitatibus ſecundùm accidentia contingentia propter operationes, quas habet S. in V. Y. Z.; ſi autem B. movere non poſſet H., niſi ſecundùm regularitatem ipſius C. in H., ſequeretur, quòd ipſum B. nequaquam libertatem haberet ſuper literas exiſtentes usque ad S.: unde defectum haberet, quo non poſſet eſſe omnibus Prima Cauſa.

Tertia Conditio eſt, quòd ipſum C. taliter conditionetur in cameris prænominatæ figuræ, quòd inde nulla irregularitas ſequatur contra D. E. F. G. H. I. K. L. M. N. O. P. Q. R., nec etiam ipſum C. adverſetur ordinationi exiſtenti inter prædictas literas & S. T. V. X. Y.; cùm ita ſit, quòd B. ordinaverit ipſum C. ſecundùm regularitatem & ordinationem prædictarum literarum.

DISTINCTIO III.

De

Intelligentia, ſive de D.

DIſtinctio præſens in *duas partes* dividitur, quarum *prima* eſt de probatione ipſius D., *ſecunda* eſt de conditionibus competentibus ei.

De Probatione ipſius D.

IN hac primâ parte probare intendimus ipſum D. ſolùm per *tres rationes* ſequentes, quarum.

Prima Ratio talis eſt. Ita ſimul conveniunt Intelligentia & intelligere, ſicut eſſentia & eſſe, & ſicut humanitas & homo; ſi autem Intelligentia & intelligere nihil eſſent absque humanitate & homine, ſequeretur, quòd Intelligentia & intelligere nequaquam convenire poſſent absque ignorantiâ & ignorare, quæ duo vel Actu vel Potentiâ exiſtunt in homine, & in homine ignorantia & ignorare eſſent cauſa Intelligentiæ ac intelligere, nec extra hominem in ſubjecto aliquo valerent exiſtere Intelligentia & intelligere absque ignorantiâ & ignorare: hoc autem eſt inconveniens, quo ſignificatur & demonſtratur, D. eſſe absque eo, quòd ignorantia vel ignorare ſit in ipſo D., nec ſecundùm M., nec ſecundùm N.; ſi enim non ita foret, ſequeretur, quòd irregularitas eſſet inter B. S. V. Y. C. E. F. G. &c., quod eſt inconveniens.

Secunda Ratio talis inducitur. Manifeſtum

feſtum eſt, quòd triangulus rubeus conveniret cum majori perfectione, ſi principium & finis abſentiâ medii poſſent ad invicem convenire: quoniam autem principium absque medio ad finem devenire non poteſt, cum minori perfectione convenit; nam, quantùm in medio exiſtit, tantùm diſtat à ſuâ perfectione, quam habet, cùm pervenit ad finem: ſi igitur B. objectum non eſſet alicui creaturæ abſentiâ medii, cùm ipſum per ſuas dignitates ſit objectum conveniens intelligi & amari absque medio, ſequeretur, quòd ipſum B. cum abſentiâ medii primum non eſſet: quoniam verò medium & minoritas ſimul conveniunt, & principium & finis abſentiâ medii conveniunt cum majoritate, idcirco in regularitate ipſius B. & dignitatum atque conditionum ejus ac in majoritate & minoritate prædictis demonſtratur, D. eſſe, quod absque medio pro objecto recipit ipſum B. intelligendo & amando ipſum. Sequitur

Tertia Ratio. Per experientiam certificamur, quòd Nigromantia eſt, quæ eſſe non poſſet abſentiâ Angelorum; cùm inanimatæ ſubſtantiæ nequaquam poſſint eſſe ſubjectæ ipſi arti absque D.; quæ quidem ars per ſermones exercetur: quoniam verò ipſa ars Nigromantiæ eſt, de neceſſitate oportet eſſe illud inſtrumentum atque ſubjectum, ſinè quo ars ipſa non poſſet exiſtere, quod quidem eſt Angelus malignus, qui voluntatem Nigromantici ad perfectionem, quam quærit, perducit, quam ſignificat per ſigna & verba illi rei, quæ deſiderium ejus cognoſcit.

De Conditionibus ipſius D.

IN hac parte continentur *tres conditiones*, quarum

Prima Conditio eſt, quòd D. creatum ſit per B. ſecundùm regularitatem ſuarum dignitatum; & quoniam eſt Prima Cauſa, oportet ipſum præcedere D., & præexiſtere propter infinitatem, æternitatem, poteſtatem & reliquas virtutes: ſi verò D. eſſet æternum, haberet in ſe ipſo æternitatem pro objecto; ſed quoniam æternitas meliùs convenit ad eſſe objectum in B., quàm in D., idcirco neceſſarium eſt, quòd D. pro objecto habeat æternitatem in B., & quòd in ſe ipſo habeat pro objecto principium, ut in omnibus dignitatibus & honoribus ſupra ſe ipſum valeat cognoſcere & amare ipſum B.

Secunda Conditio eſt, quòd D. ſit incorporeum & incorruptibile ac immortale, & præterea, quòd ſint plura D. absque eo, quòd derivata ſint ab univerſali formâ, nec etiam ab aliquâ materiâ primâ, imò ſit quodlibet ipſorum creatum in ſimplici eſſentiâ ſuî ejusdem; ſi enim non ita foret, ipſum D. eſſet ſimile ipſi Q. ac omnibus ejus antecedentibus & conſequentibus, ac etiam ipſum D. haberet irregulatum medium *trianguli rubei*; & ſic ejus principium atque finis absque medio convenire non poſſent ad habendum pro objecto B. & ejus dignitates, nec etiam B. regulariter præcederet ipſum D., quod eſt inconveniens, quo prædicta conditio probatur.

Tertia Conditio eſt, quòd ipſum D. taliter conditionetur in cameris ſuprà dictæ figuræ, quòd non ſit contra ſuas conditiones, nec contra conditiones literarum exiſtentium ab A. usque ad S., nec etiam poſſit eſſe cauſa repugnans diſpoſitioni ipſorum S. T. V. X. Y., præterea nec unquam ſit contra dignitates ipſius B.; hæ enim conditiones omnes conveniunt D. benigno; quoniam habet ipſum B. pro objecto, ipſum intelligendo & amando absque medio, prout ſuperiùs eſt oſtenſum: unde de D. maligno in hac Arte tractare nequaquam intendimus, ut breviùs de principiis ipſius Artis loqui poſſimus.

DISTINCTIO IV.

De

Orbe, ſive de E.

HÆc diſtinctio habet *duas partes*, in quarum *primâ* probatur E., & in *ſecundâ* conditionatur.

De Probatione ipſius E.

PRrima pars in *tres partes* ſubdividitur, quarum *prima* eſt de Duodecim Signis, *ſecunda* de Septem Planetis, *tertia* verò eſt de Influentiâ, quam habent in elementata corpora.

Non oportet autem probare, ipſum E. eſſe; manifeſtum namque ſenſualiter eſt, quòd Firmamentum eſt, quod quidem mobile videmus, & ipſum cauſare noctem & diem; & præterea videmus Solem & Lunam

nam & reliquos Planetas, qui die noctúque circa Terram volvuntur: quoniam verò id, quod oculis corporalibus manifeſtum eſt, probatione non indiget, idcirco nequaquam oportet, quòd prædicta probemus.

De Duodecim Signis.

IN Firmamento exiſtunt Duodecim Signa, quæ ſunt Stellæ Fixæ apparentes, quarum nomina ſunt hæc: *Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo, Libra, Scorpio, Sagittarius, Capricornus, Aquarius, Piſces.* Hæc autem duodecim Signa ſunt partes, per quas Firmamentum eſt diviſum, quod per influentiam ipſius B. virtutem habet in omnibus illis, pro quibus ponuntur literæ exiſtentes ab ipſo E. usque ad S., ſecundùm quod D. virtute ipſius B. ipſum E. movet; ſi enim non ita foret, ſequeretur, quòd C. non eſſet continuè in omnibus literis exiſtentibus ab ipſo B. usque ad S., in quantum Firmamentum ab ipſo D. nequaquam reciperet C. in ipſis F. G. H., & ſic de reliquis; hoc autem eſt inconveniens.

Quatuor Tempora Anni ſunt, quorum quodlibet habet tres Menſes; & prædicta duodecim Signa ſunt in unâ Rotâ, quæ circa quatuor Tempora Anni & duodecim Menſes revolvitur. Unde ſecundùm quod ipſa Rota proportionata eſt in rectitudine & tempore, videlicet præſentiâ & abſentiâ cum literis exiſtentibus ab E. usque ad S., ipſa duodecim Signa repræſentantur ſecundùm complexiones & qualitates, quas influunt, videlicet caliditatem, frigiditatem, humiditatem & ſiccitatem; quemadmodum enim Sol ſplendorem ſuum repræſentat in ſubjectis elementatis tranſeuntibus ejus radiis per O., ſic duodecim Signa accidentaliter repræſentantur calida, ſicca, frigida & humida, prout convenit, quorum quædam mobilia ſunt, & quædam ſtabilia; nam ipſorum operationes in F. G. H. I. & cæteris literis ſe habent per modum operationum naturalium & accidentalium: ſi autem omnia ipſa duodecim Signa eſſent mobilia in naturâ eorundem, ſive ſtabilia, operationes naturales & accidentales penitus delerentur: ſi verò eſſent elementata, & qualitates elementorum haberent, generabilia & corruptibilia forent; hoc autem eſt inconveniens, ſicut inconveniens eſſet, quòd radii ſolares eſſent corpora in Aëre per naturam Solis: verùm, quemadmodum facies manifeſtatur in ſpeculo ſub formâ corporum, ſic duodecim Signa manifeſtant operationes ſuas ſub formâ qualitatum ipſorum elementorum.

De Septem Planetis.

SEptem Planetæ ſunt iſti, videlicet: *Saturnus, Jupiter, Mars, Sol, Venus, Mercurius, Luna;* qui quidem Planetæ ſe habent ad ſeptem Dies Septimanæ, ſicut Signa ad quatuor Tempora Anni & ad duodecim Menſes ſe habent. Et eſt ſciendum, quòd prædicti ſeptem Planetæ ſunt infra Firmamentum, & ſunt concurrentes, & quilibet ipſorum habet ſuum imperium & ſuam propriam Regionem, in quâ exiſtit, & à duodecim Signis formas & impreſſiones recipiunt, ſecundùm quod ſe debent habere in omnibus illis, pro quibus ponuntur literæ exiſtentes ab ipſo E. usque ad S., ſecundùm quod C. eſt ex B. in D., & ex D. in E.; & quemadmodum formæ in ſpeculo accidentaliter repræſentant formas corporeas per F., in quo quidem ſpeculò corpora nequaquam exiſtunt; nam ſi F. in ſpeculo eſſet corpus, eſſet unum corpus in altero absque O., quod eſt impoſſibile, videlicet quòd abſentiâ ipſius O. unum corpus eſſe poſſit in altero; ſic ſeptem Planetæ repræſentantur ſub formâ qualitatum elementalium, & judicantur calidi, frigidi, ſicci & humidi ſecundùm operationes, quas in corporibus inferioribus habent; ſi enim ipſi Planetæ eſſentialiter qualitates elementales haberent, generabiles & corruptibiles eſſent; & ſic corpora corruptibilia influerent in ſuperiora, quod quidem eſt inconveniens ac contra C., quod à corporibus ſuperioribus ad inferiora oportet deſcendere, cujus experientia ſenſibus corporalibus patet.

De Influentiâ, quam Duodecim Signa & Septem Planetæ habent in inferiora corpora.

NOn quidem neceſſarium eſt probare, quòd Sol & Luna habeant dominium & operationem in elementatis corporibus; id namque ſenſibiliter conſtat: omnia enim Signa & Planetæ ſecundùm quod ſuum curſum faciunt, Planetis ſe mutantibus cum Signis (quoniam aliqui Planetarum mobiliores & velociores ſunt aliis) in ſimul influentiam habent & Signa & Planetæ ſecundùm Rotam, in quâ exiſtunt, ac ſecundùm rectitudinem & ſuperficiem Terræ in omnibus illis, pro quibus ponuntur literæ exiſtentes

ab

ab E. usque ad S. Quapropter virtute ipſius B. in D. & ipſius D. in E. ipſa F. G. H., & ſic de reliquis, conſervantur, & generantur in Q., & elementata corpora corrumpuntur in R.; quidam enim Planetarum atque Signorum ad unam complexionem ſe habent, & quidam ad aliam, & etiam quædam membrorum corporum animalium ſe habent ad quædam Signa, & quædam ad alia: & ideo homines recipiunt fata & conſtellationes, ſanitatem, mortalitatem & fortunam, quæ omnia ordinantur, ſecundùm quod B. movet C. per H. vel contra ipſum H. usque ad S., ut ſatisfaciat operationibus corporis ſecundùm H., operationibus verò ipſius S. ſecundùm V. Y. Z., & ſecundùm quod ipſum B. convenit cum ſuis dignitatibus in cameris ipſius A.; quod quidem A. eſt B., & B. eſt A.

Rationes quàm plurimas dicere poſſemus de principiis ipſius E.; prolixum autem eſſet, ſi ad particularia, ex quibus *Scientia Aſtrologiæ* compoſita eſt, vellemus deſcendere; quæ namque ſcientia confuſa eſt; quoniam B. facit contra ipſam, ſecundùm quod convenit ſuis dignitatibus; & etiam quia ejus particularia tot ſunt in triangulis viridi, croceo & rubeo ipſius T., quòd apud nos improbabilia exiſtunt: quapropter ſolùm de prædictis principiis ipſius E. compendiosè tractamus.

De Conditionibus ipſius E.

CONditiones ipſius E. plures exiſtunt: quare multis modis ipſum conditionabimus in cameris ſuprà dictæ figuræ. In hoc autem loco volumus conditionare ipſum ſolùm *in tribus*, quarum *prima* eſt oſtendere, ipſum E. nequaquam eſſe æternum; *ſecunda* eſt, quòd C. habebit finem in ipſo E.; *tertia* eſt, quòd ejus corpora non ſunt animata Animâ Intellectivâ; quæ omnia probare intendimus conſequenter.

Prima Conditio eſt, quòd E. non ſit æternum. Ad probandum, ipſum E. non eſſe æternum, dare volumus *duas rationes* inter cæteras, quarum

Prima eſt talis. Probavimus, ipſum B. eſſe; ſi autem E. eſſet æternum, & B. eſſet Cauſa, & E. effectus, ſequeretur, quòd B. adæquâſſet ipſum E. ſibi ipſi in æternitate: & ſic in ipſis B. E. æternitas eſſet æqualis; hoc autem eſt inconveniens: quemadmodum enim B. per ſuas dignitates ſe habet ante E. in bonitate & magnitudine, poteſtate, ſapientiâ, amore, virtute, veritate, gloriâ, perfectione, cæterisque virtutibus, ſic neceſſarium eſt, ipſum eſſe ante E. per æternitatem; quia, ſi non, ſequeretur, quòd ipſum B. cum majoritate conveniret in prædictis dignitatibus, in quibus præcedit E.; cum minoritate verò conveniret in æternitate: hoc autem eſt inconveniens & contra conditiones ejus; ob quod inconveniens demonſtratur, quòd E. habet principium, & quòd B. ipſum in æternitate præcedit.

Secunda Ratio talis eſt. Si quis autem dicat, E. eſſe ſinè principio in æternitate, & hoc intendat probare; quoniam B. oportet eſſe agens æternè, nec operari ceſſans, ratio ejus deletur in dignitatibus ipſius B., propter quas oportet, quòd ipſum B. præcedat ipſum E., habens in ſe ipſo infinitum opus intrinſecum, per quod eſt æternè operans in ſe ipſo; quod quidem opus præcedit opus extrinſecum, quod habet in E.; & quoniam opus, quod B. habet in ſe ipſo, cum majoritate convenit, & majoritas & eſſe ſimul conveniunt, opus verò, quod ipſum B. habet in E., eſt cum minoritate concordans, (E. enim non poteſt tantum recipere, quantum B. habere poteſt in ſe ipſo) propterea neceſſarium eſt, quòd opus intrinſecum ipſius B. exiſtat ante ipſum E.; ſi autem B. operari non poſſet æternè ac infinitè absque E., ſequeretur, quòd E. eſſet infinitum in magnitudine, quod nequaquam eſt verum; cùm ipſum ſit terminatum in quantitate; & etiam ipſum E. eſſet cauſâ perfectionis ipſius B.; hoc autem eſt inconveniens & contra conditiones ipſius B. ac contra ordinationem ipſorum A. S. T. V. X. Y.; ob quam ordinationem & prædictum inconveniens probatur, ipſum E. habere principium; in quâ probatione demonſtratur, principium eſſe in omnibus illis, pro quibus ponuntur literæ exiſtentes ab E. usque ad S.; nullum enim ipſorum absque E. poſſet habere ſuſtentationem nec eſſe.

Secunda Conditio talis eſt, quòd C. debeat habere finem in ipſo E., cujus probatio manifeſta eſt per probationem prædictam; nam, quidquid habet principium, oportet habere finem ſecundùm H.; quemadmodum enim oportet triangulum habere angulos, ſic finis convenit omni habenti principium. Verùm B., ut uratur ſuis dignitatibus, conſervat ſubjectum, quod habet principium: quoniam verò ipſum B. perfectionem habet in ſuis dignitatibus, oportet, quòd triangulus rubeus ipſius T. ſit in E.; quia, ſi non, ejus opus perfectionem nequaquam haberet, & ipſum E. haberet K. infinitè, & E. moveretur ad perfectionem ipſius K., & nullo tempore veniret ex M. in N.; ex quo ſequeretur inconveniens in medio trianguli rubei; eſſet enim ipſe triangulus in E. compoſitus ex principio & medio absque fine, & B. eſſet imperfectum in ſapientiâ, amore, poteſtate, perfectione; propter quam imperfectionem nequaquam exiſteret ante E.; cùm autem de neceſſitate oportet, quòd B. habeat perfectionem in ſapientiâ, amore ac poteſtate, & etiam neceſſarium eſt, triangulum rubeum habere finem, idcirco demonſtratur, quòd C. habebit finem in E. poſt perfectionem, quam B. poſuerit in E. ex M. in N.

Præterea ſi E. eſſet æternum, nunquam fuiſſet primus homo, nec unquam eſſet ultimus, neque Reſurrectio; nam G. nequaquam ſufficeret ipſi B. ad reddendum corpora omnibus S., quæ cum partibus ipſius G. participationem habuerunt ſub humanâ ſpecie, nec etiam V. Y. Z. convenirent per triangulum viridem ipſius T., nec per rubeum & croceum, nec etiam in X. tantum diſtarent eſſe & perfectio à privatione & defectu, nec liberum arbitrium & eſſe concordantiam haberent cum majoritate & eſſe, nec cum merito & gloriâ, neque culpa & pœna ad invicem convenirent; & præterea nec in A. convenirent ſapientia, juſtitia, perfectio & poteſtas, quæ quidem omnia prædicta eſſent inconvenientia; quæ omnia probavimus *in principiis Artis Compendioſæ inveniendi veritatem:* & quoniam omnia probata ſunt, & omnia prædicta inconvenientia ſequerentur, ſi ipſum E. eſſet æternum, propterea demonſtratur, ipſum habere principium, & quòd C. in ipſo finem habebit.

Tertia Conditio eſt, quòd ipſum E. nequaquam ſit animatum Animâ Rationali; unde ad hoc probandum ſolùm aſſignare volumus *tres rationes*, quarum

Prima Ratio talis eſt. S. in Q. habet liberum arbitrium ſuſcipiendi A. V. Y. Z.; & ideo convenit cum X. ad meritum & ad gloriam, vel ad culpam & pœnam: unde, cùm E. faciat ſuum curſum naturalem circulariter, & ſit incorruptibile, ſi haberet S., oporteret, quòd haberet majorem participationem cum V. Y. contra V. Z. cauſâ habendi meritum & gloriam, quàm S. in corpore corruptibili: quoniam verò S. eſt forma corporis in Q., & movet ipſum corpus ex libero arbitrio, ſi in E. eſſet S., corpus ejus moveret ſuam animam ad naturalem curſum; quæ quidem anima liberum arbitrium nequaquam haberet, & eſſet corpus forma ejus, & eſſet S. nobilius in Q., quod eſt corpus corruptibile, quàm in E., quod incorruptibile corpus exiſtit; hoc autem eſt inconveniens, & contra dignitates ipſius B., quo demonſtratur, quòd E. nequaquam eſt corpus animatum Animâ Rationali.

Secunda Ratio talis eſt. Conſtat, quòd E. participat cum F. G. H. I. K. L. M. N. O. P. Q. R. per quatuor qualitates ipſius I. ſecundùm H., prout ſuprà diximus; ſi autem ita eſſet, quòd in E. eſſet S., S. quidem ipſius Q. reciperet influentiam & naturam ex S. ipſius E.; unde S. ipſius Q. deviaretur à camerâ majoritatis & liberi arbitrii; propter quam deviationem S. ipſius E. naturaliter eſſet contra nobilitatem S. ipſius Q., & eſſet corpus ipſius proficiens ipſi Q.; hoc autem eſt inconveniens, videlicet, quòd E. corporaliter influat beatitudinem corpori ipſius Q., & quòd habeat in ſe S. contra S. ipſius Q., cui auferat ſuam beatitudinem & influentiam, quæ ei provenit ab ipſo B.

Tertia Ratio hæc eſt: Si E. haberet S., neceſſarium eſſet, quòd, veluti corpus ipſius E. influit in F. G. H. I. &c., ſic S. ipſius E. haberet influentiam in S., quod exiſtit in homine; ex quâ influentiâ & dominatione ſequeretur, quòd, ſicut per virtutem ipſius E. redit Q. per R. I. ad G., ita rediret Anima hominis ad aliquam univerſalitatem, ex qua derivata eſſet, & deſtrueretur in illâ tali reditione *quartum & tertium membrum ipſius X.*; hoc autem eſt inconveniens & contra dignitates ipſius B. ac contra regularitatem ipſorum A. S. T. V. Y., quam in hac Arte Principiorum habent.

DISTINCTIO V.
De Formâ Univerſali, ſive de F.

HÆc diſtinctio habet *duas partes*, in quarum *primâ probatur* ipſum F., & in *ſecundâ* conditionatur.

De Probatione ipſius F.

INcipiamus igitur primò probare ipſum; quam probationem facere volumus per *quatuor rationes*, quarum

Prima Ratio talis eſt. Manifeſtum eſt, quòd in Q. nobilius eſt H. in ſecundâ formâ, quàm in ſecundâ materiâ; ſi enim non ita foret, ſequeretur, quòd contrarium eſſet, quòd forma in H. non haberet K., quo ex L. veniret ad N., nec forma eſſet propinquior cauſæ finali in *triangulo rubeo*, quàm materia; quare deſtruerentur principia ipſius H.; quæ deſtructio impoſſibilis eſt ſecundùm H.; ob quam impoſſibilitatem demonſtratur, quòd ſecunda forma majoritatem habet ſupra ſecundam materiam in H.; unde, quemadmodum ſecunda materia eſt ſub G., per quod ordinatur & conſervatur, ex quo etiam derivatur, ſic de neceſſitate oportet, quòd formæ particulares, quæ diverſæ ſunt in ſpeciebus in O. P. Q. R., ſub unâ Univerſali Formâ ſint, à quâ deſcendant, & ad quam dirigantur: quod ſi non ita foret, ſequeretur, quòd materiæ particulares nobiliores eſſent, quàm formæ particulares, in quantum univerſale haberent, & formæ particulares eſſent univerſali privatæ: quoniam autem eſt inconveniens, quòd particularis materia nobilior ſit, quàm forma, demonſtratur idcirco, unam Formam Univerſalem eſſe, ſub qua exiſtant in H. omnes particulares formæ.

Secunda Ratio talis eſt: G. habet naturam paſſivam, propter quam habet K., ut ex ipſo ſint particularia in O. P. Q. R.; & ideo G. eſt ſubjectum ipſi L., ex quo incipit N.; quoniam G. habet in M. particularia prædicta: cùm igitur ita ſit, apparet, quòd de neceſſitate oportet eſſe unum F. univerſale, quod ſit natura activa, quæ habeat K., ut formæ perveniant ex L. in N. per C. H.; & eſt neceſſarium, quòd idem F. habeat in M. formas particulares in O. P. Q. R., ubi conſerventur ſpecies, quas oportet eſſe in M. ipſi F.; ſi enim non ita foret, ſequeretur, quòd in H. O. P. Q. R. G. paſſio haberet concordantiam cum eſſe, majoritate atque perfectione; & in H. O. P. Q. R. actio concordantiam haberet cum minoritate, privatione atque defectu: & propterea ſequeretur, quòd quodlibet Elementorum haberet K. ad paſſionem contra actionem in ſe ipſo; hoc autem eſt inconveniens, quo F. eſt demonſtrabile.

Tertia Ratio, per quam demonſtratur, F. eſſe, eſt per G.; ſi enim F. nihil eſſet, ſequeretur, quòd G. eſſet univerſale abſentiâ paſſionis; quod quidem G. non eſſet ſub univerſali agente, quod eſſet Univerſalis Forma; imò eſſet ipſum G. paſſivum in ſuis particularibus: hoc autem eſt inconveniens ſecundùm H. C., quo demonſtratur F., quod oportet eſſe ſupra G., ut particularia ipſius F. ſint agentia in particularia ipſius G., & quòd ſecundùm H. K. L. M. N. conveniant ad invicem F. G. per actionem & paſſionem per O. P. Q. R.

Quarta Ratio conſiſtit in metaphorâ datâ per opus artificiale: quemadmodum enim forma cameræ vel navis eſt univerſalis forma omnibus formis, ex quibus exiſtit compoſita, ſic in rebus ſuperioribus iſtis principiis inferioribus oportet eſſe unam Formam Univerſalem, ſub quâ omnes formæ particulares naturales regulatæ exiſtant; ſi enim non ita foret, ſequeretur, quòd formæ artificiales eſſent magis naturales ac nobilores, quàm decurrentes per H.; hoc autem eſt inconveniens, quo demonſtratur, quòd, veluti triangulus & anguli neceſſariam concordantiam habent, ſic oportet neceſſariò concordantiam eſſe inter formas particulares & Formam Univerſalem à Materiâ ſeparatam.

Probavimus F., prout ſuperiùs continetur; *quod quidem F. plurimùm utile eſt ad ſciendam Philoſophiam & Medicinam*, & etiam S. poteſt inde habere plura principia ad utendum ſuis potentiis. Quapropter Magiſter hujus Artis præcipit, quòd ipſum F. plurimùm conſervetur ad eſſe objectum S. diligentium iſtam Artem.

De Conditionibus ipſius F.

CConditiones ipſius F. plures ſunt, prout ſignificabimus in cameris ſuprà dictæ figuræ. In hac autem diſtinctione volumus ſolùm de quatuor conditionibus ipſius F. inter alias pertractare, quarum

Prima Conditio talis eſt. Conditionatum eſt ipſum F., quòd ſe habet in ſe ipſo absque triangulo viridi; ſi enim in ſe ipſo differentiam, concordantiam atque contrarietatem haberet, oporteret, quòd eſſet cum Materiâ unum corpus ſubjectum triangulo viridi; ſi autem eſſet in uno corpore, impoſſibile quidem eſſet, aliquod aliud corpus eſſe ſub E.; illud enim corpus occuparet omnia loca exiſtentia ſub E., & etiam illud corpus eſſet corpus unum, & eſſet diviſibile ac generabile & corruptibile; nam in ſe ipſo triangulum viridem contineret: cùm autem hoc totum ſit inconveniens, & contra H. O. P. Q. R., idcirco demonſtratur, quòd triangulus viridis in F. nequaquam exiſtit, & quòd ipſum F. eſt Forma Univerſalis ſimplex ab ipſo G. penitus ſeparata.

Secunda Conditio eſt, quòd ipſum F. in ſe habeat triangulum rubeum, & quòd ſit de Naturâ corporeâ; ſi enim careret principio, eſſet æternum, & B. non haberet dignitates, quibus exiſteret ante ipſum F. in æternitate, ac ſequeretur, æqualitatem eſſe inter B. & F. in æternitate; hoc autem eſt inconveniens, & contra concordantiam ipſorum A. S. T. V. Y. contra V. Z., & etiam contra regularitatem *tertii & quarti membri ipſius X.* & contra cameras ipſius A.

Præterea ſi ipſum F. non eſſet de Naturâ corporeâ, ſequeretur, quòd triangulus viridis & rubeus nequaquam convenirent inter F. G., & etiam F. non haberet K. M. ad formas particulares, nec H. eſſet compoſitum ex F. G. in O. P. Q. R., ubi eſſet C. abſque F. per G., quod eſt inconveniens & contra principia hujus Artis, per quod demonſtratur, quòd F. eſt de Naturâ corporeâ.

Tertia Conditio ipſius F. eſt, quòd ipſum ſit agens & non patiens ab ipſo G. usque ad S., & quòd ſit patiens, in quantum recipit influentiam ab ipſo E., per quam habeat in M. ipſa K. L. N. O. P. Q. R.; ſi enim non ita foret, C. nequaquam haberet, in quo eſſet ſecundùm H. in F., quando F. motum per E. moveret in G. ipſum H. per O. P. Q. R., nec etiam G. eſſet paſſivum ſub F.; quam paſſionem probavimus, prout ſuperiùs apparuit: & præterea non poſſet tranſire virtus ipſius E. ad G., niſi F. reciperet influentiam per ſuum C.; hoc autem eſt ita inconveniens, ſicut inconveniens eſt, eſſe locum vacuum; quo inconvenienti conditionatur ipſum F., prout ſuperiùs continetur.

Quarta Conditio eſt, quòd ipſum F. ſit incorruptibile & inviſibile ſenſualiter, & quòd nequaquam occupet locum, & quòd tempus non alteretur in univerſalitate ipſius F.; quod quidem F. oportet conditionatum eſſe, prout ſuperiùs dictum eſt, & quòd ſit ſupra omnes formas particulares univerſaliter ordinans ſecundùm triangulum croceum, viridem atque rubeum: ſi enim hæc quarta conditio non eſſet in ipſo F., reliquæ conditiones ejus penitus delerentur, quas probavimus; quæ namque deſtructio inconveniens eſt, quo hæc quarta conditio demonſtratur.

DISTINCTIO VI.

De

Materiâ Primâ, ſive de G.

HAnc diſtinctionem in *duas partes* dividimus, in quarum *primâ* probabimus, Primam Materiam eſſe univerſalem omnibus materiis particularibus, quæ ſunt ſubjectæ formis particularibus corporalibus, ex quibus elementata corpora componuntur: In *ſecundâ* verò parte conditionabimus ipſum G.

De Probatione ipſius G.

INcipiendum eſt igitur ipſum probare; quam quidem probationem facere volumus per *quatuor rationes*, quarum

Prima Ratio talis eſt. Secundùm quod in *Diſtinctione Quintâ* diximus & probavimus, quòd F. eſt Univerſalis Forma, demonſtratur, quòd oportet G. eſſe univerſale patiens ipſi F. ac omnibus particularibus formis; quemadmodum enim unam Univerſalem Formam agentem oportet eſſe, ſub qua exiſtant omnes particulares formæ in Q., ſic oportet eſſe unum univerſale patiens, ſub quo exiſtat in Q. ſecunda materia in plures partes diviſa & ſubjecta formis particularibus ſub ſpeciebus exiſtentibus: ſi enim non eſſet ita, impoſſibile eſſet, quòd F. conveniret cum K. M. per triangulum viridem & rubeum, nec etiam H. poſſet convenire cum C. in O. P. Q. R.; & præterea L. nihil eſſet: quoniam autem hoc totum eſt inconveniens, oportet, quòd G. ſit univerſale ſubjectum ipſi F., ex quo formari poſſint plures partes in I. O. P. Q. R.

Secunda Ratio talis eſt. Abſentiâ ipſius G. non poſſet eſſe magis remotum L. ab ipſo Q., quàm M., nec O., quàm P., nec R. haberet, in quo reverteretur ad principium in triangulo rubeo, in quo privaretur medium, propter quod finis non haberet, qualiter venire poſſet ex L. in N., nec ex N. redire poſſet in alium numerum in L., & ipſa K. M. haberent in F. exiſtentiam ſinè ſubjecto: cùm autem omnia prædicta ſint contra H., demonſtratur, quòd G. & eſſe concordantiam habent; quia, ſi non, ſequerentur inde omnia inconvenientia prædicta.

Tertia Ratio eſt. In I. quodlibet Elementorum habet unam qualitatem per ſe, aliam verò per alterum; v. gr. Ignis calidus eſt per ſe, ſiccus verò propter Terram;

unde, ſi G. non eſſet univerſalis Potentia quatuor Elementis, impoſſibile eſſet, quòd aliquod ipſorum Elementorum haberet medium, per quod ab altero aliquam qualitatem reciperet, & quodlibet Elementum eſſet ſimplex corpus habens unam qualitatem tantùm: ſi autem ſic eſſet, deſtrueretur triangulus viridis & rubeus in K.L.M.N.O. P.Q.R., nec H. haberet ſubjectum, in quo conveniret cum C.; hoc autem totum eſt inconveniens & contra H.; ob quod inconveniens demonſtratur, quòd G. eſt univerſalis Potentia quatuor Elementis, quibus ſe habet ſecundùm triangulum viridem & rubeum ac ſecundùm ſuprà dictas literas: & ideo G. ſe habet ad Ignem per modum caloris, & materia ſubjecta ipſi calori eſt calida; quoniam verò G. ſe habet ad Terram per modum materiæ ſiccæ, in materiâ ſiccâ recipit Ignis ſiccitatem in ſuâ materiâ calidâ; ex quo demonſtratur, quòd G. eſt ſubjectum ipſius caloris atque ſiccitatis; & hoc idem ſequitur de Aqua & Aëre ſecundùm qualitates ipſorum, & triangulus viridis & rubeus formantur per C. in I. G.

Quarta Ratio demonſtrata eſt in hac *metaphorâ*, per quam ſignificatur, quòd G. eſt „ Univerſalis Materia, videlicet, quòd Cicer „ judicatur eſſe complexionis humidæ & ca„ lidæ, Roſa verò judicatur eſſe complexionis „ frigidæ: & quoniam materia Aëris ad le„ vitatem ſe habet, & materia Aquæ ad pon„ derоſitatem, & Roſa levior eſt Cicere, id„ circo ſignificatur ſecundùm triangulum „ viridem & rubeum in O. P. Q., quòd ma„ teria Ignis in Roſâ magis remota eſt à vir„ tute, quàm materia Aquæ; quia, ſi non, „ materia Ignis, quæ cum levitate convenit, „ nequaquam impediret ponderoſitatem „ materiæ Aquæ in Roſâ; & ſic Roſa ponde„ roſior eſſet, quàm Cicer, in quo materia „ Aquæ eſt à virtute magis remota, quàm „ materia Ignis; quia, ſi non, Cicer non eſſet „ complexionis humidæ, nec ponderoſitas „ Aquæ impediret in Cicere levitatem mate„ riæ Aëris; quoniam Cicer levius eſſet, „ quàm Roſa. Per prædictam *metaphoram* demonſtratur, G. eſſe univerſale & principium omnibus partibus, ex quibus elementata „ corpora componuntur; nam, quantò „ majorem virtutem habet Aqua in Roſâ, & „ quantò levior eſt Roſa, tantò calor ejus eſt „ à virtute magis remotus, & virtus ipſius „ Roſæ eſt à materiâ Aquæ magis remota: quapropter oportet eſſe aliquod univerſale principium videlicet G., cui calor Roſæ magis propinquus exiſtat, frigiditas verò virtuti; ſi enim G. nihil eſſet, impoſſibile eſſet ſecundùm H., quòd Roſa frigidior & levior eſſet, quàm Cicer.

De Conditionibus ipſius G.

G. *Quatuor Conditiones* habet inter reliquas, quarum hæc eſt

Prima Conditio, videlicet, quòd ipſum G. ſit de Naturâ corporeâ, veruntamen non ſit corpus habens quantitatem continuam, prout habent corpora habentia formas; ſi enim corpus eſſet habens formam unam, impoſſibile eſſet, quòd C. eſſet per F. H. K. L. M. N. O. P. Q. R., nec etiam eſſe poſſent ſpecies, nec ipſarum individua, nec etiam eſſet aliquid naturale: ſi autem ipſum G. non eſſet de Naturâ corporeâ, impoſſibile foret, ipſum eſſe univerſale ipſis O. P. Q. R., quibus eſt univerſale, prout ſuperiùs probavimus.

Secunda Conditio eſt, quòd ipſum G. ſit in ſe ipſo absque triangulo viridi; ſi enim haberet triangulum viridem ſecundùm ſe ipſum, eſſet compoſitum ac in partes diviſum; & ſic eſſet pluralitas Materiarum ſimplicium, & earum univerſale eſſet compoſitum & non ſimplex; & præterea eſſet poſſibile, locum vacuum eſſe, ac Elementa eſſe ſimplicia corpora habentia Materiam ſimplicem absque C. O. P. Q. R. K. L.; hæc autem omnia inconvenientia ſunt, quibus demonſtratur conditio ipſius G.; quod G. eſt quidem unum in ſe ipſo, dividitur tamen in alia, videlicet in I. O. P. Q. R., implens omnia loca, quæ occupantur per I. in O. P. Q. R.

Tertia Conditio ipſius G. eſt, quòd O. incipiat in ipſo, & quòd C. moveatur usque ad S. per G., & quòd R. reddat ipſi G. illud, quod eſt ab N. usque ad S.; nam absque tali C. & opere H. non eſſet ex E. usque ad S., nec F. poſſet habere K. M. ad conſervandum ſpecies, nec etiam L. N. convenirent in C.; & hæc omnia eſſent contra H. & contra principia hujus Artis.

Quarta Conditio ipſius G. eſt, quòd plùs participet cum I., quàm cum O., & cum O., quàm cum P., & cum P., quàm cum Q., & cum R., quàm cum P.; ſi enim non ita foret, impoſſibile eſſet, quòd I. G. eſſent propinquiora ad invicem, quàm G. O. P. Q. R.; quòd ſi non eſſent, deſtruerentur in H. I. quatuor ſimplices Formæ, quæ ſunt Univerſales Formæ omnibus reliquis formis continentibus de qualitatibus ipſarum, nec C. eſſet ſecundùm H. ab E. usque ad S., nec in I. moveretur K. ad finem trianguli rubei per medium ipſius trianguli rubei; in quo medio triangulus viridis exiſtit; & præterea nec in Q. virtus eſſet magis propinqua ipſi F., quàm ipſi G., nec materia ipſius Q. eſſet magis propinqua ipſi G., quàm ipſi F.; hoc autem totum eſt inconveniens, ac contra H. exiſtit.

DISTINCTIO VII.

De

Naturâ, ſive de H.

De Probatione ipſius H.

AD probandum, quòd H. ſit quoddam Univerſale omnibus naturalibus rebus, neceſſarium eſt aſſignare *tres Rationes*, quarum hæc

Prima Ratio inducitur. Quemadmodum in triangulo rubeo conſtituitur cauſa finalis per principium & medium, ſic ex F. G. oportet conſtitui ipſum H., in quo ipſa F. G. componantur, ac etiam uniantur: ſi enim non convenirent in eſſe unum univerſale compoſitum ex ipſorum differentiâ, concordantiâ & contrarietate, nequaquam exiſteret aliquod ſubjectum univerſale, ubi per modum actionis & paſſionis ſibi ad invicem repugnarent, nec etiam haberent, in quo diverſificarentur, & convenirent in K.; & præterea in O. P. Q. R. triangulus rubeus & viridis delerentur: & ſi ſic, quidquid eſt ab E. usque ad S., contra curſum naturalem exiſteret; hoc autem eſt inconveniens, quo demonſtratur, quòd H. conſtituitur per F. G., ut Natura Univerſalis exiſtat. Sequitur

Secunda Ratio. Abſentiâ unius univerſalis naturalis omnibus aliis univerſalibus naturalibus, in quo regulentur omnia particularia exiſtentia ſub F. G. usque ad S., nequaquam conſervari poſſet C. per O. P. Q. R., nec ſpecies ullam conſervationem haberent, nec etiam in F. G. eſſent K. M., nec N. L. haberent C.; & præterea influentia eſſet in privatione, quam habet E. in literis exiſtentibus usque ad S., & etiam deſtruerentur conditiones ipſius D.; hæc autem omnia impoſſibilia ſunt, quibus probatur, H. eſſe medium, in quo omnia alia univerſalia regulantur: quemadmodum enim in decem prædicamentis novem accidentia univerſalia in ſubſtantiâ regulantur, & ſubſtantia eſt ſubjectum, ubi alia novem prædicamenta in regularitate conveniunt, ſic in H. regulantur & perficiuntur omnia univerſalia naturalia exiſtentia ab E. usque ad S., & oportet H. eſſe medium univerſalibus ſuperioribus & inferioribus; nam absque medio univerſali univerſalia ſuperiora & inferiora nequaquam haberent, in quo convenirent, nec in quo regularentur, & nomen Naturæ nequaquam haberet, in quo eſſet.

Tertia Ratio talis eſt. Per experientiam manifeſtè ſentimus & cognoſcimus, quòd, quidquid Natura facit, hoc facit per triangulum rubeum & per viridem & croceum, & quidquid facit in ipſis tribus triangulis, facit ad unam finalem intentionem ſupremam omnium aliarum: quapropter manifeſtatur, quòd omnia opera naturalia deſcendentia ab univerſalibus naturalibus ſub uno fine ſe habent, qui eſt H.; quod quidem H. eſt Natura omnia univerſalia comprehendens: ſicut enim omnia membra corporis animati extrinſeca & intrinſeca ſunt, ut corpus conſtruant, ſic, quidquid eſt ab E. usque ad S., ſe habet ad conſtruendum H.; nam veluti per individua conſervantur ſpecies, ſic per H. conſervatur, quidquid eſt ab E. usque ad S., & è converſo.

De Conditionibus ipſius H.

CONditiones ipſius H. plures quidem exiſtunt, ſed in hoc loco tractare nolumus, niſi ſolùm de tribus ipſarum, quarum hæc inducitur

Prima Conditio, videlicet, quòd H. ſubjiciatur ipſi B.; quod B. poſſit movere C. per totum ipſum H. contra naturalem Motum, ut ſatisfaciat ipſi S., prout convenit cameris ipſius A. & ipſis V. Y. Z.; nam H. ſecundùm operationem naturalem nequaquam poſſet ſufficere ei, ſecundùm quod convenit ipſis V. Y. Z. Unde, quemadmodum B. eſt ſupra H., ſic oportet, quòd C. ſe habeat per B. contra H., ac ſe habeat per B. ſecundùm ipſum H.; ſi enim non ita foret, ſequeretur inconveniens inter A. S. V. Y., & conveniret A. cum V. rubeo & Z.

Secunda Conditio eſt, quòd ipſum H. habeat in ſe triangulum rubeum per B., per quod movetur ipſum C. per O. P. Q. R., & quòd H. non contineat in ſe ipſo ſimpliciter triangulum viridem; quia, ſi ſic, nequa-

quam eſſet unum univerſale principium: ſed ab ipſo deſcendit triangulus viridis ad univerſalia contenta ſub eo, ut C. poſſit eſſe in O. P. Q. R. per L. N., & quòd K. M. convenire poſſint cum F. G. I.

Tertia Conditio eſt, quòd H. ſit de Naturâ corporeâ, ſed tamen non ſit corpus, nec ſit ſinè corpore: ſi enim eſſet corpus, deſtruerentur univerſalia contenta ſub ipſo, ac etiam delerentur opera univerſalium ſuperiorum: ſi autem eſſet ſinè corpore, eſſet locus vacuus, ubi eſſet C. ab E. usque ad S., quod eſt impoſſibile; ob quam impoſſibilitatem ſignificatur, quòd ſicuti ſplendor Solis eſt in corpore, videlicet in Aëre, absque eo, quòd ipſe ſplendor ſit corpus, nec ipſum ſplendorem continens eſt locus vacuus, ſic H. eſt per omnia loca exiſtentia ſub Sphærâ Lunæ, nec tamen eſt corpus, nec ipſa loca ſunt vacua ex ipſo H.

DISTINCTIO VIII.

De

Elementis Simplicibus, ſive de I.

De Probatione ipſius I.

POſitum eſt ſuperiùs, I. eſſe Elementa Simplicia, quæ oportet nos probare eſſe Formas Simplices Univerſales particularibus formis; quam probationem facere volumus per quinque rationes, quarum

Prima Ratio talis eſt. Certum eſt, quòd F. G. ſunt univerſalia, ex quibus deſcendunt particularia in N. Q.; quapropter oportet, quòd ſint Formæ Simplices Univerſales, quæ recipiant ex F. G., & quæ in Compoſitionem in ipſis particularibus intrent; quæ Compoſitio eſſe non poſſet absque conjunctione Formarum ſimplicium in quolibet particularium, nec etiam C. poſſet eſſe per O. P. Q. R.; & præterea non eſſet R. in L. M., nec K. magìs ſe haberet ad unum particulare, quàm ad aliud in Q.; hoc autem totum eſt inconveniens & contrarium ipſi H.; ob quod inconveniens demonſtratur ipſum I., cujus abſentiâ omnia prædicta inconvenientia ſequerentur.

Secunda Ratio ſignificatur per triangulum rubeum; nam, ſicut rem ſumentem principium oportet tranſire per medium, antequam perveniat ad finem, ſic oportet eſſe medium inter F. & Q., & inter R. & G., ut C. movere poſſit O. P. ab ipſo G. ad Q., & quòd per C. ipſius R. redire poſſit ad ipſum G., ut G. plenum ſit formis particularibus, quæ ſunt in L.; & hoc medium oportet eſſe I., videlicet Elementa Simplicia, quibus G. ſe exhibeat per modum ipſius K., & F. det ipſum G. ipſi I., & I. præbeat ſe ipſis O. P. Q., & quòd R. redire faciat ad ipſum I. id, quod extitit compoſitum ex O. P. Q., & quòd I. redeat ad ipſum G. cauſâ conſervandi in L. N. ſpecies, & etiam cauſâ dandi perfectionem ipſis C. K. M. Sequitur

Tertia Ratio. Per ponderoſitatem & levitatem cognoſcimus, quòd aliquæ formæ, ex quibus compoſitum eſt Q., habent K. ad loca ſuperiora, aliæ verò ad loca inferiora: & propterea cognoſcimus Sphæras, in quibus triangulus viridis exiſtit, ex quibus procedit triangulus rubeus in O. P. Q.; ſi enim hoc ita non foret, ſequeretur, quòd ponderoſitas & levitas & triangulus viridis & rubeus ac id, quod ſentimus, eſſent in Z., & ipſorum oppoſitum in Y.; hoc autem eſt inconveniens, quo oſtenditur ipſum I., in quo F. G. habent K., ut quædam formæ ſint ſecundùm H. in locis ſuperioribus, & aliæ in locis inferioribus, ut C. per omnia illa loca ſit movens.

Quarta Ratio ſignificatur in formis ſimplicibus exiſtentibus in ſimplicibus medici-
„nis, ût in herbâ, in quâ eſt caliditas in gra-
„du quarto, & ſiccitas in tertio, & humiditas
„in ſecundo, & frigiditas in primo, quod
„probavimus in *Principiis Medicinæ*; & quo-
„niam caliditas eſt in tali herbâ in altiori
„gradu, oportet, quòd ſit ipſa forma ſim-
„plex, quæ ſit forma formis compoſitis, &
„quòd ſub ipſâ formâ ſint omnes literæ; &
„oportet, quòd tertius gradus & ſecundus &
„primus habeant formas ſimplices, quæ
„conſervent compoſitas, quæ in ipſâ ſpecie
„continentur ſub ipſis: ſi enim non con-
„ſervarent ipſas, deſtruerentur per formam
„ſuperiorem quarti gradûs: & ut inde fiat
„temperamentum in ſimplici medicinâ,
„Ignis ponit in ipſâ ſex partes, & retinet ſibi
„unam ſimplicem partem, & alias ſex com-
„ponit cum gradu tertio, ſecundo & primo,
„& Terra componit partes quatuor, & quin-
„tam retinet, quæ eſt forma ſimplex, & Aër
„ponit in compoſitione tres partes, & reti-
„net unam, quæ eſt forma ſimplex, & Aqua
„componit partes duas, & unam ſimplicem
„ſibi retinet: & ideo ſunt in illâ medicinâ ſimpli-

„ſimplici quindecim partes compoſitæ ſe-
„cundùm numerum convenientem ex uno
„Elemento ad alterum in qualitate, & ſecun-
„dùm gradum quartum, tertium, ſecundum
& primum, & ſunt in illo Q. quatuor formæ ſimplices, per quas ſignificantur & revelantur quatuor Elementa Simplicia, quorum abſentiâ id, quod prædictum eſt, in unâ medicinâ ſimplici ſequi non poſſet, nec eſſet aliquid, quod conſervaret formas compoſitas, nec etiam C. haberet, unde moveretur per O. P. Q. R.

Quinta Ratio eſt, qualiter per opus naturale ſignificantur in triangulo viridi quatuor Elementa; nam, ut Natura operetur per O. P. Q. R. ſecundùm F. G. in L. N., oportet eſſe differentiam & concordantiam & contrarietatem inter unam ſimplicem formam & alteram; quia, ſi non, impoſſibile eſſet, generationem & corruptionem atque C. H. fore in O. P. Q. R.; in quibus O. P. Q. R. formæ ſimplices particulares exiſtunt, quæ ſunt inferiores in ſpecie quatuor Formis Simplicibus Univerſalibus, quæ ſunt quatuor Elementa, quæ ſub ſe ipſis habent formas particulares compoſitas in O. P. Q. R., ubi ſunt in virtute imitando ſuas Formas Simplices recuperando ſuas formas & virtutes extra O. P. Q. R. in medio I. exiſtente inter G. & O. P. Q. R.

De Conditionibus ipſius I.

Prima Conditio ipſius I. eſt, quòd ipſa Elementa ſint quatuor; ſi enim eſſent pauciora, Compoſitio foret ex differentiâ & concordantiâ, vel ex concordantiâ & contrarietate, aut ex differentiâ & contrarietate, ac eſſet ſolùm generatio, vel corruptio; & ſi ſic eſſet, deſtrueretur H. per totum id, quod eſt ab E. usque ad S.; ſi autem eſſent plura, quàm quatuor, eſſet in H. ſuperfluitas; nam generationi & corruptioni ſufficit, quòd Ignis ſit differens & concordans cum Terrâ, recipiendo ſiccitatem ab ipſâ, & cum Aëre, ei calorem præbendo, & quòd ſit contrarius Aquæ; & Aëri quidem ſufficit, quòd ſit differens & concordans cum Igne recipiendo calorem ab ipſo, & cum Aquâ, ei humiditatem præbendo, atque contrarius ipſi Terræ, quæ eſt ſicca: & hic idem ordo ſequitur ex Aquâ & Terrâ ſecundùm qualitates ipſarum. Cùm igitur hoc ſit perfectio ipſi C. in triangulo viridi & rubeo, ſi Elementa eſſent plura, quàm quatuor, ſuperfluitas foret in H., per quam B. & H. diſconvenirent in V. X. Y. Z.; nam B. nequaquam haberet perfectum opus in H.; quæ imperfectio diſconveniret perfectioni ipſius B., quod eſt inconveniens, ex quo demonſtratur, quòd Elementa non ſunt niſi quatuor tantùm.

Secunda Conditio eſt, quòd G. præbeat ſe uni Elemento ſub formâ caliditatis, alteri ſub formâ frigiditatis, & alteri ſub formâ humiditatis, alteri verò ſub formâ ſiccitatis, ut inde formari valeant triangulus viridis atque rubeus, & quòd quodlibet Elementum recipiat atque det, ut poſſit eſſe C., & quòd in O. P. Q. R. ſint operationes ipſorum, quæ absque prædictâ conditione non eſſent.

Tertia Conditio eſt, quòd Elementa Simplicia ſint de Naturâ corporeâ, & quòd non ſint corpora in eorum ſimplicitatibus: quòd ſi eſſent, impoſſibile eſſet, quòd ex ipſis poſſent fieri partes in O. P. Q. R. ſecundùm H. K.; nullum enim ipſorum Elementorum permitteret, ex ſe fieri partes, quæ in Compoſitionem intrarent, nec etiam partes, quæ eſſent inter unum Elementum Simplex & alterum, durare valerent, nec temperamentum ad naturale opus haberent, nec L. N. haberent C., neque Ignis poſſet, nec etiam Aqua vellet ad Terram deſcendere, & inconvenientia quàm plurima ſequerentur, *prout probavimus in Elementali Figurâ in T.*; quibus inconvenientibus demonſtratur, Elementa nequaquam eſſe corpora: ſunt autem corpora in O. P. Q. R., in quibus ſunt mixta, digeſta, compoſita & alterata extra ſuas Formas Simplices & infra ſuas proprietates atque virtutes: ſi enim non ita foret, G. nequaquam eſſet ſimplex, nec I. univerſale, ac etiam quodlibet Elementum haberet ſimplicem Materiam à Materiâ alterius ſeparatam, nec una Materia conveniret cum alterâ in opere naturali, & in quolibet Elemento deſtrueretur K., & in F. deſtrueretur M., & in G. ipſum L., & C. in O. P. Q. R.; hoc autem totum eſt inconveniens, & contra H. exiſtit.

Quarta Conditio eſt, quòd quodlibet Elementum habeat per ſe ipſum ſimplicem qualitatem, & aliam qualitatem ab altero Elemento accidentaliter habeat: ût Ignis, qui calidus eſt de ſe & ſiccus per Terram, & Aër, qui eſt humidus de ſe & calidus per Ignem: ſi autem non ita foret, ſed eſſet Ignis ſiccus per ſe & non per Terram, ſequeretur, quòd ſiccitas ipſius Ignis & ſiccitas ipſius Terræ forent diverſæ,

diverſæ,& Ignis & Terra non haberent in triangulo rubeo principium, quo intrarent in O.P.Q.R., nec etiam Ignis haberet finalem intentionem, nec triangulus viridis inter Elementa poſſet exiſtere, & etiam eſſent octo qualitates, per quas delerentur O.P.Q.R.L.N.K.M.H.; hoc autem eſt inconveniens, quo demonſtratur prædicta conditio, cujus abſentiâ accidentia ipſorum H.C. nequaquam haberent, in quo exiſterent.

DISTINCTIO IX.

De

Appetitu, ſive de K.

De Probatione ipſius K.

AD probandum K. *quinque Rationes* inter cæteras aſſignamus, quarum hæc eſt

Prima Ratio. Probavimus F.G., in quibus F.G. non eſſent C.H. absque K.; nam ipſi F. convenit K. ſecundùm actionem, G. verò ſecundùm paſſionem, ut conſerventur ſpecies, & etiam ut ſit H. ab E. usque ad S. absque ullâ ceſſatione ipſius C., & quòd F.G. ſint univerſalia omni ei, quod exiſtit ſub H., habentia K. ad ipſum M.; quæ quidem F.G. non poſſent habere M., nec eſſent univerſalia ipſis O.P.Q.R. absque K., nec ipſa O.P.Q.R. abſentiâ univerſalium particularia forent, in quibus triangulus viridis & triangulus rubeus eſſent.

Secunda Ratio eſt ex I.; nam per I. habemus experientiam & cognitionem de ipſo K., quolibet Elemento Simplici habente K. ad Sphæram ſuam & ad corpus ſimplex habens materiam, formam atque conjunctionem; absque quo K. Elementa nequaquam haberent C. in O.P.Q.R. per triangulum viridem, rubeum atque croceum, & etiam deleretur H. in I. ac in omni exiſtente ſub I.; præterea I. nequaquam haberet K. ad ſuam perfectionem, nec L. haberet aliquid, quod moveret ipſum ab ipſo G. ad N.; hoc autem eſt inconveniens, quo probatur, K. eſſe.

Tertia Ratio eſt ex O.P.Q.R., in quibus non ceſſant C.L.N.; quæ quidem ceſſatio foret, ſi K. eſſet in privatione, nec eſſet aliquid, quod materiam ſecundam ipſorum O.P.Q.R. reduceret ad G., ſi K. nequaquam exiſteret, & etiam omnia naturalia principia delerentur: hoc autem eſt inconveniens & contra Scientiam Philoſophiæ.

Quarta Ratio eſt ex primâ & ſecundâ intentione: ſenſualiter enim ſentimus, quòd Elementa habent intentionem ſecundam in O.P., & in principio & medio trianguli rubei, ad Q. verò & ad finem ipſius trianguli habent intentionem primam, quam absque K. habere non poſſent: ſi autem eſſent in O.P.Q.R. abſentiâ intentionis & absque K., omnia Elementa ſe haberent ad G., non autem ad F., & eſſet agens, in quo nequaquam exiſteret H., nec in Naturâ eſſet aliud, niſi ſolùm paſſio: hoc autem inconveniens exiſtit.

Quinta Ratio eſt ex B.; nam ſecundùm dignitates ipſius B. oportet ipſum dediſſe K. ipſis Elementis, ut in dignitatibus ſuis Elementa metaphoricè habeant K. ad eſſe ac ad perfectionem contra privationem & defectum: ſi enim non ita foret, B. nequaquam eſſet Cauſa Prima ſecundùm H. ei, quod exiſtit ſub ipſo H.; hoc autem eſt inconveniens & contra A.S.T.V.X.Y.

De Conditionibus ipſius K.

CONditiones ipſius K. ſunt *quinque* inter reliquas, quarum hæc ſequens eſt

Prima Conditio, videlicet, quòd ipſum K. in H. impedire non poſſit B., nec reſiſtere actioni ipſius B., quam habet per omnes literas; nam, ſi per K. impediretur B., ipſum B. nequaquam eſſet ante K. in dignitatibus, quod eſt inconveniens: nam, ſi foret conveniens, impoſſibile eſſet, nos probâſſe B. & conditiones ejusdem; quam probationem fecimus, prout ſuperiùs continetur.

Secunda Conditio eſt, quòd F. habeat K. per modum actionis, & G. per modum paſſionis; ſi enim non ita foret, K. eſſet contra H., & eſſet contra conditiones ipſorum F.G. ac contra conditiones principiorum exiſtentium ab H. usque ad S.

Tertia Conditio eſt, quòd quodlibet Elementum habeat K. ad ſuam perfectionem per modum actionis, & quòd paſſio, quam habet unum Elementum in altero, in O.P.Q.R. accidentaliter ſit propter K., quod movet unum Elementum in materiam alterius, quolibet Elemento appetente perfectionem ſuam, & eam in ſe ipſo ac in altero inquirente; quâ inquiſitione ſunt O.P.Q.R.L.N.; & quoniam quodlibet Elementum habet K. ad ſuî ejusdem perfectionem, & in ſe ipſo paſſionem evitat, appetens ſupra alterum actionem atque dominium, contingit, quòd actio ſe habet ad eſſe & perfectionem, paſſio verò ſe habet ad privationem atque defectum.

Quarta Conditio eſt, quòd quodlibet Elementum habeat K. ad dandum ſuam qualitatem & ad recipiendum qualitatem ab altero; ſicuti Ignis, qui habet K. ad exhibendum ſuum calorem Aëri & ad recipiendum ſiccitatem à Terrâ; & hoc facit, ut habeat ſuas operationes ad inquirendum ſuam perfectionem, ac ut poſſit miſceri, digeri & componi cum aliis Elementis: cùm igitur ita ſit, contingit propter K., quod habet quodlibet Elementum ad dandum & ad recipiendum, quòd Ignis non refutat recipere ſiccitatem à Terrâ, quanquam ſiccitas infundat frigiditatem in materiam ejus; quam receptionem Ignis refutaret, ſi eſſet absque K.; & hoc idem ſequitur de aliis Elementis ſecundùm qualitates & proprietates ipſorum.

Quinta Conditio eſt, quòd K. in O.P.Q.R. reguletur ſecundùm principia exiſtentia ſupra ipſum, & ſecundùm quod ipſum K. eſt in F.G.H.I., reguletur K. exiſtens in individuis particularibus ſpecierum; ſi enim non ita foret, ſequeretur, quòd principia ſuperiora non haberent anterioritatem, nec actionem ſupra inferiora; hoc autem inconveniens exiſtit.

DISTINCTIO X.

De

Potentiâ, ſive de L.

De Probatione ipſius L.

HÆc diſtinctio eſt de formis exiſtentibus in Potentiâ ſecundùm H.; quæ formæ ſub ipſo nomine comprehenduntur, quod eſt L.; quod quidem L. probare volumus per *tres Rationes*, quarum hæc eſt

Prima Ratio. Manifeſtum eſt intellectui humano, quòd imaginativa repræſentat ei in phantaſiâ formas exiſtentes in Potentiâ in plantis ac metallis & animalibus, quæ veniunt in N.; & hoc idem intelligit S. de artificialibus formis, quæ per artificium veniunt ex L. in N.; unde, ſi eſſet Y., quòd L. nihil eſſet, operatio imaginativæ, quinque ſenſuum ac ipſius S. foret in Z., & ipſorum oppoſitum in Y.; & ſequeretur, quòd eſſe & Z. ad invicem convenirent, & ſimiliter privatio & Y.; quod eſt inconveniens, quo probatur, L. eſſe in eſſe.

R. Lulli Oper. Tom. I. Lib. Princip Philoſoph.

Secunda Ratio eſt, quòd, ſi L. nihil eſſet, G. reparare non poſſet individua ſpecierum, quæ corrumpuntur in Q., nec haberet, ex quo ſatisfaceret operationi ipſius I. in O.P.Q.R., & etiam delerentur omnia principia exiſtentia ab ipſo B. usque ad S., neque C. haberet locum, nec medium, ubi moveretur, nec eſſet mobile ſecundùm H.; hoc autem eſt inconveniens.

Tertia Ratio demonſtratur per opus artificiale, videlicet, quòd artifex per ſpeculationem, quam habet in S., & per opus practicale extrahit ex materiâ, quæ eſt ſub H., formas artificiales, quæ ſecundùm H. non exiſtunt in N.; & quoniam illa materia eſt ſub F.G.H.I.K.M., ſequitur, quòd ſecundùm H. ſit L. in G.; quia, ſi non, ſequeretur, majorem proportionem & concordantiam eſſe inter agens accidentale & formam artificialem in Materiâ naturali, quàm inter agens & Formam & Materiam naturales; hoc autem inconveniens exiſtit.

De Conditionibus ipſius L.

CONditiones ipſius L. quàm plures exiſtunt; in hoc autem loco nolumus niſi de *quatuor* ſolùm tractare, quarum hæc eſt

Prima Conditio, videlicet, quòd ipſum L. contineatur ſub triangulo rubeo: ſi enim eſſet extra triangulum rubeum, eſſet æternum, & B. non eſſet in æternitate ante ipſum L., nec triangulus rubeus eſſet in H., niſi per illud, quod exiſtit in N., & quidquid movetur ab ipſis Q.R. usque ad G., deleretur in numero formarum, quæ in R. in privationem deveniunt; & etiam K. nequaquam ſe haberet ad alteram perfectionem, niſi ad Q.R.; hoc autem eſt inconveniens & contra conditiones ipſorum B.C.D. ac ipſorum A.S.T.V.X.Y.; quo inconvenienti probatur, quòd L. in triangulo rubeo continetur, quâ continentiâ primus homo ac ultimus demonſtratur.

Secunda Conditio eſt, quòd in B. non ſit L. ſecundùm H., nec ſecundùm accidens; cùm B. propter ſuas dignitates poſſit eſſe & ſit pura Actualitas in ſe ipſo, & quòd ex ſuâ liberâ voluntate bonificaverit & creaverit mundum: ſi enim L. potentialiter eſſet in B., ipſum L. eſſet æternum in ſpecie, N. verò eſſet accidentale, & B. foret compoſitum ex L.N., & quidquid eſt ab A. usque ad Z., eſſet de eſſentiâ ipſius A.; & ſi ſic eſſet, impoſſibile

eſſet, exiſtere V. rubeum & Z., ac in A. eſſe aliquam cameram; & præterea B. nequaquam exiſteret Prima Cauſa ſuo effectui: hæc autem omnia ſunt inconvenientia & contra regulas & conditiones hujus Artis.

Tertia Conditio eſt, quòd L. conſervetur in G., & quòd veniat ad ipſum G. per F. I. H. R., & quòd redeat in alterum numerum individui, aut in individuum alterius ſpeciei in Q. per actionem ipſorum F. H. I., & quòd G. contineat L. per modum paſſionis: ſi enim non ita foret, K. M. delerentur in F. G. H. I. O. P. Q. R.; hoc autem eſt inconveniens.

Quarta Conditio eſt, quòd B. poſſit accelerare, vel retardare, aut privare L. ad veniendum in N.; ſi enim B. non haberet ſupra L. talem poteſtatem & uſum, deficeret in dignitatibus ad eſſe Prima Cauſa ipſi L. & ejus principiis: quoniam autem probavimus, B. eſſe Primam Cauſam, ideirco conditionatur in illâ probatione ratio ſuprà dicta.

DISTINCTIO XI.

De

Habitu, ſive de M.

De Probatione ipſius M.

HÆc diſtinctio nominatur ſub hac literâ M.; quod M. intendimus probare per *quatuor rationes:* quod M. etiam eſt univerſale ſecundùm H. K. in F. G. I., quæ indigent ipſo M. in O. P. Q. R., ut formæ particulares dirigantur, ſecundùm quod univerſalia habent M. in *triangulo viridi & rubeo.*

Prima Ratio eſt probabilis per medium, quod eſt neceſſarium inter L. & N.; nam abſentiâ medii non poſſet eſſe C. movens ex L. ad N.; & ideo neceſſe eſt, quòd illud medium ſit M.; per quod M. ipſa F. G. H. I. movent C. per O. P. Q. ex L. ad N., & R. reddit ad G. illud, quod primò motum erat ex ipſo: quemadmodum enim ſecundùm Cameram *Juſtitiæ & Liberi Arbitrii* Judex in Habitu habet Juſtitiam, ut eâ uti poſſit in Actu, ſic ſecundùm naturalem curſum oportet, quòd principia naturalia hujus Artis habeant M., per quod K. in univerſalibus dirigi poſſit, & cum quibus K. M. univerſalia ſuas operationes ad particularia valeant inclinare, & quòd particularia univerſalium regularitatem ſequantur: ſi enim non ita foret, ſequeretur, quòd, ſicut per privatum Habitum Juſtitiæ in Judice privaretur liberum arbitrium, per quod ipſe poſſet eſſe juſtus Judex, ac Juſtitiam pro objecto nequaquam haberet, ſic eſſent F. G. H. I. irregulata ad habendum K. in O. P. Q. R. in privatione ipſius M., ac etiam deſtruerentur F. G. H. I. K. O. P. Q. R. in privatione ipſius M.; hoc autem eſt inconveniens, quo probatur, M. eſſe in F. G. H. I.

Secunda Ratio probabilis eſt per corporeïtatem habituatam in I. ſecundùm proprietates ipſorum F. G. H. K.; nam Ignis in I. corporeïtatem habet in Habitu; & ideo eſt de Naturâ corporeâ, & devenit corpus in O. P. Q. R.; & hoc idem ſequitur de reliquis Elementis: quapropter quodlibet Elementum habet K. ad eſſe corpus in I.; quoniam autem nullum ipſorum poteſt eſſe corpus ſimplex, inquirunt illud in O. P. Q. R., in quibus etiam corpora ſimplicia eſſe non poſſunt; & ideo corrumpunt corpora, in quibus componuntur: ſi enim non ita foret, ſequeretur, quòd generatio & corruptio & C. in H. eſſent in privatione; hoc autem exiſtit inconveniens.

Tertia Ratio eſt, qualiter per qualitates M. eſt demonſtrabile, videlicet, quòd, ſicut Fides exiſtit in Habitu in homine Catholico, cum ipſam Fidem pro objecto non habet, & habet in N. aliquam aliam virtutem ipſius V. lividi, ſic ſecundùm curſum ipſius H. Elementa Simplicia habent ſuas qualitates in ſuis ſimplicitatibus per modum Habitûs, ac in particularibus compoſitis ipſis utuntur: & ideo Elementa in ſuis ſimplicitatibus non ſunt agentia; intrant autem in Compoſitionem, quoniam habent K. ad eſſe ad invicem agentia: quapropter eorum operatio evenit & reſultat in O. P. Q. R., ſecundùm quod quodlibet ipſorum ſuam qualitatem habituatam habet in I.; ſi enim ita non eſſet, ſequeretur inde ita inconveniens opus in H., ſicuti in S., ſcil. quòd homo Catholicus eſſet absque Fide, quando in N. Fidem pro objecto non haberet.

Quarta Ratio probabilis eſt per Sphæras Elementorum: nam in eo, quod G. dat ſe in ſubtili Materiâ Igni & Aëri, & in groſſâ Terræ & Aquæ, & Materia Ignis ſubtilior eſt, quàm Materia Aëris, & Materia Terræ groſſior eſt, quàm Materia Aquæ, ideirco ſecundùm diſpoſitionem ipſorum F. G. H. K. in I. quodlibet Elementum ſuam Sphæram habet habituatam: & ideo C. per K. H. ex locis

locis altis ad ima & è converſo movetur, & quodlibet Elementum in Sphærâ alterius ſuam propriam Sphæram habet in Habitu, & intrat in O. P. Q. R. cum formâ extraneâ & cum propriâ & ſimplici virtute atque qua„litate & proprietate, & M. formatur in tri„angulo viridi & rubeo in vaſis, quæ plena „ſunt ex O. P. Q. R.; quæ quidem vaſa duas „portas habent, per quarum unam intrant „individua ſpecierum, & per alteram exe„unt; & C. per omnia illa vaſa movetur exe„undo ex G., & redeundo ad ipſum G. To„tum verò hoc opus oportet fieri ſecundùm „H. M. & alia principia ſuprà dicta; quod quidem opus non eſſet in H., ſi M. non eſſet in I., in quo eſſet habituata Sphæra cujuslibet Elementi.

De Conditionibus ipſius M.

INter cæteras conditiones ipſius M. ſignificare volumus ſolùm *ſeptem Conditiones* ipſius, quarum

Prima Conditio ipſius M. eſt, quòd ſemper ſit inter L. & N. in I.; ſi enim eſſet in ipſo I. in N., vel in L., C. nequaquam haberet naturalem motorem, & deſtrueretur K. in privatione ipſius M.; quâ deſtructione C. nequaquam eſſet per O. P. Q. R., & ceſſaret generatio & corruptio, & triangulus viridis & rubeus non eſſent in H., quod eſt inconveniens; quo revelatur, qualiter C. movet M. ad N.; ad quod N. ipſum M. pervenire, C. facere non poteſt, nec R. poteſt ponere M. in L.; & ideo C. cauſam habet, ut ſit per O. P. Q. R. absque ullâ ceſſatione ipſorum K. I.

Secunda Conditio ipſius M. eſt, quòd non habeat intellectum nec diſcretionem; nam ſi ſic, I. eſſet animatum absque S. habens M.; hoc autem eſt inconveniens: ſi enim animatum eſſet ex S., quod eſſet de Naturâ corporeâ, ipſum S. eſſet corruptibile; hoc autem eſt inconveniens & contra cameras ipſorum A. S. T. V. X. Y.

Tertia Conditio ipſius M. eſt, quòd F. G. H. I. non habeant in Habitu formas futuras in L., nec alias formas, quæ poſitæ ſunt ex L. ad N. præterito tempore; quia, ſi ſic, eſſent quidem absque S. univerſalia F. G. H. I. animata habentia diſcretionem & intellectum; hoc autem eſt falſum, prout probavimus. Cùm igitur ita ſit, ex hoc conditionatur ipſum M. exiſtens in F. G. H. I. ſecundùm tempus præſens ſolùm, ut C. in tempore præſenti ſemper exiſtat.

Quarta Conditio eſt, quòd ipſum M. ſit absque libero arbitrio in F. G. H. I. non habentibus in ſe diſcretionem, voluntatem atque rationem; ſi enim haberet liberum arbitrium, oporteret, quòd implicaretur contradictio ex corpore naturali & non naturali, ac eſſet poſſibile, quòd V. Y. Z. eſſent in F. G. H. I. in N. & in L., & etiam eſſent in privatione in eodem tempore per C. H.; hoc autem eſt inconveniens.

Quinta Conditio eſt, quòd M. ſit in F. & in I. per modum actionis, & in G. per modum paſſionis, ut K. M. conveniant in F. G. I., ubi convenit K. cum F. I. per actionem, & cum G. per paſſionem, prout ſuperiùs dictum eſt.

Sexta Conditio eſt, quòd M. ſe habeat per modum actionis & paſſionis in O. P. Q. R.; ſi enim ſe haberet cum unâ qualitate & non cum alterâ, eſſet in O. P. Q. R. generatio vel paſſio tantùm; hoc autem exiſtit inconveniens & contra C. H.

Septima Conditio eſt, quòd in Q. eveniant individua ſpecierum, ſecundùm quod Elementa habent triangulum rubeum & viridem in O. P. Q. R.; nam ſecundùm illam Habitualitatem diſtinctam per dictos triangulos & per O. P. Q. R. ſunt trianguli ſuprà dicti in individuis ſpecierum exiſtentium ſecundùm H. in formis, qualitatibus, accidentibus, proprietatibus, ſubſtantiis, quantitatibus atque figuris.

DISTINCTIO XII.

De

Actu, ſive de N.

De Probatione ipſius N.

SUb N. appellatur hæc diſtinctio, quam probare volumus per *tres Rationes*, quamquam per ſe ipſam manifeſta ſit; quarum rationum trium hæc eſt

Prima Ratio. Probavimus B. C. D. F. F. G. H. I. K. L. M. eſſe; unde, ſi N. eſſet in privatione, impoſſibile quidem foret, nos oſtendiſſe & probâſſe ſupra dicta principia; ſi enim nihil eſſet in N., quidquid eſt, eſſet in privatione, ac, quidquid probavimus, nihil eſſet; hoc autem exiſtit inconveniens, quo demonſtratur, quòd N. eſt in eſſe.

Secunda Ratio eſt, qualiter per ſenſualitatem certi ſumus, quòd N. eſt; quilibet enim quinque ſenſuum illud in rebus ſenſualibus manifeſtat; quæ quidem ſunt in

ipso N., & quinque sensus corporales oportet necessariò esse in N., postquam res corporeas existentes in N. per ipsos cognoscimus: si enim non ita foret, sequeretur, quòd illud, quod est, nihil esset, &, quod nihil est, aliquid esset; hoc autem est inconveniens.

Tertia Ratio manifestabilis est per S.; intellectualiter enim intelligimus, res corporeas & incorporeas esse: unde, si N. nihil foret, sequeretur, quòd intelligere, recolere & velle nihil essent, nec etiam objecta memorata intellecta & dilecta quidquam existerent; hoc autem existit inconveniens.

De Conditionibus ipsius N.

COnditiones ipsius N. quàm plures existunt, *prout ostendetur in secundâ parte hujus Artis, videlicet in cameris suprà dictæ figuræ;* veruntamen breviter volumus de *quatuor* ipsarum tractare, quarum hæc est

Prima Conditio. Cùm N. & esse atque perfectio simul conveniant, L. verò & privatio atque defectus similiter, oportet idcirco N. taliter conditionatum esse cum esse atque perfectione, quòd in universali B. C. D. E. F. G. H. I. K. L. M. N. O. P. Q. R. in esse atque perfectione consistant; si enim essent in privatione & defectu, impossibile esset, quòd ipsa possent esse universalia particularibus individuis specierum, & essent particularia absque universalibus ac absque principiis; quod existit inconveniens; quo conditionatur ipsum N., ut sint semper in ipso suprà dicta universalia.

Secunda Conditio est, quòd in ipso N. sint F. G. H. I. K. L. M. in O. P. Q. R. essentialiter ac in virtute; quia, si non, sequeretur, quòd F. G. H. I. K. L. M. in uno loco consisterent, & O. P. Q. R. in altero; hoc autem est inconveniens & contra hujus Artis conditiones atque principia; etiam sequeretur, quòd virtus esset sinè subjecto, & compositum absque simplici, atque locus vacuus, & principiatum absque principio, ac inde alia plura inconvenientia sequerentur.

Tertia Conditio est, quòd species, sub quibus existunt in O. P. Q. R. ipsarum individua, sint in N. in F. G. H. I., & quòd conserventur in O. P. Q. R. mediatè, videlicet, per K. L. M.; si enim non ita foret, sequeretur, quòd species non essent in N., si ipsum N. privaretur ex O. P. Q. R.; hoc autem est inconveniens; cùm R. non sit in F. G. H. I., nec in K. L. M., in quantum sunt universalia principia absoluta.

Quarta Conditio est, quòd per C. nequaquam destruatur ipsum N. in Q.; sicuti Plato, qui est in N., quanquam per ipsum C. moveantur in ipso partes ipsorum O. P. ex L. ad N., & ex N. ad L. propter concordantiam ipsorum C. R.; sicuti in cereo ardenti, ubi movetur ignis ex L. ad N. uno igne ex lumine alterum expellente, quod retinere non potest totum ignem ex L. pervenientem ad N., sed ex eò vadit in fumum; & ideo lumen remanet in N. ex materiâ & formâ compositum, in quo C. R. moventur: si enim non ita foret, sequeretur, quod Q. esset mobile in se ipso ex L. ad N., & ex N. ad L.; hoc autem est inconveniens; nam, si esset conveniens, sequeretur, quòd unus & idem homo in uno tempore foret ipse idem, & in altero esset alter homo; quod est inconveniens, & contra A. S. T. V. Y. H. atque conditiones ipsorum.

DISTINCTIO XIII.

De

Mixtione, sive de O.

De Probatione ipsius O.

HÆc distinctio appellatur O.; quod O. volumus per *quinque Rationes* probare, quarum hæc est

Prima Ratio. Si O. non esset compositum ex quatuor Elementis per omnia loca existentia sub Sphærâ Lunæ, oporteret aliquem locum vacuum esse, vel quatuor Elementa essent corpora simplicia, quorum quodlibet simplicem locum haberet à loco alterius separatum: quodlibet autem horum duorum inconveniens existit; non enim est dare locum vacuum; nam si locus vacuus esset, nec G. nec H. I. in illo loco forent; & etiam est inconveniens aliquod Elementorum habere locum, in quo ipsum simplex corpus existit; nam, si sic, impossibile esset, quod ex illis corporibus possent derivari O. P. Q. R.; tam magna foret proportio Materiæ & Formæ Simplicium, & tantum fortificaretur K. ad conservandum illud corpus, ne ejus partes intrarent in Compositionem cum aliis partibus Elementorum ei diversorum ac oppositorum in qualitatibus & in loco: cum igitur ita sit, per prædicta inconvenientia probavimus, O. esse per omnia loca

loca deputata ad collocationem Elementorum.

Secunda Ratio significatur in qualitate, quam unum Elementum ab altero recipit: Ignis enim calidus est de se; nam G. se dat ei sub formâ caliditatis, siccitatem verò recipit à Terrâ, cui dat se G. sub formâ siccitatis: & ideo oportet, quòd subjectum caliditatis & subjectum siccitatis ad invicem misceantur; quia, si non, impossibile esset, Ignem posse à Terrâ siccitatem recipere; cùm oporteat caliditatem & siccitatem esse qualitates simplices absque Mixtione & Compositione ipsarum ad invicem; si enim miscerentur, atque componerentur, I. quidem deleretur, cujus destructio inconveniens existit in H.; quo inconvenienti demonstratur, O. esse.

Tertia Ratio est probabilis per P. Q.; si enim O. non esset in locis naturalibus existentibus extra P. Q., impossibile esset, P. Q. fore: nam ita vehemens esset simplicitas ipsius G. sub I., quòd ob materiam simpli„cem generari non possent P. Q.: & hoc „manifestatur in herbis medicinalibus laxa„tivis, ût in Scamoneâ & Turbit, quæ ita ap„propinquant ipsi G., quòd Natura ipsas „sustinere non potest in P. Q. Cùm igitur ita sit, necessarium est, quòd O. extra P. Q. existat, ut formæ simplices inde magis temperatè veniant in ipsarum subjecta ad componendum P. Q., mortificante qualibet qualitate subjectum alterius secundùm ejus complexionem, & quòd ipsis P. Q. in O. existant materia.

Quarta Ratio significatur in vaporibus & nubibus & pluviâ, & etiam in atomis, quæ existunt in aëre: unde si O. non esset extra P. Q., quidquid prædictum est, simplex existeret, & una res non esset in altera; hoc autem est impossibile, quo demonstratur, O. existere extra P. Q.: tamen ipsum O. est in P. & in Q.; nam in Aëre fit Digestio unius Elementi & alterius, per quam sunt pluviæ & nives & rores, & est P. in Q.; in quibus P. Q. oportet esse O.; nam absque O. ipsum P. non posset nutrire nec conservare Q., nec Q. posset esse compositum ex quatuor Elementis.

Quinta Ratio est de C.: Si enim O. non esset per omnia loca existentia sub Lunâ, impossibile quidem esset, quòd ibi esset C.; nam C. per corpus simplex Motum non haberet; cùm ipsum C. secundùm H. moveri non posset, nec absque Compositione movere potest: unde, si C. non posset esse in omni naturali loco, cessaret H. ac ejusdem particularia, & destrueretur E. in virtute in privatione ipsius C.; hoc autem est inconveniens, quo significatur, quòd in omnibus locis, in quibus sunt G. & H. & C., oportet Mixtionem existere.

De Conditionibus ipsius O.

COnditiones ipsius O. quàm plures existunt: in hoc autem loco nos solùm de *quatuor* ipsarum volumus pertractare, quarum hæc est

Prima Conditio: Oportet O. esse in P. Q. R. ac in omnibus locis naturalibus sub tali dispositione, quòd G. I. ibidem sint tali modo, quòd I. formas simplices nequaquam amittat, quibus ipsum G. existit subjectum, nec ipsæ formæ simplices sint in P. Q., secundùm quod existunt in G.; nam ipsa P. Q. ipsas sustinere non possent: quemadmodum vinum cum aquâ mixtum suum saporem retinet & colorem, ac ejus sapor & color aquam alterant, & aqua in parte colorem & saporem vini mortificat, sic oportet, quòd G. I. sint in O. P. Q. R. conservando formas ipsius I. in G., quæ mortificantur in O. P. Q. in parte per P., & per R. vivificantur; quod R. ipsas reddit & reducit ad simplicitatem ipsius G.; si enim non ita foret, H. & C. delerentur.

Secunda Conditio est, quòd, in quocunque loco sit O., unum Elementum dominetur aliis secundùm dispositionem loci & temporis & trianguli viridis atque rubei, & secundùm complexiones ipsarum Sphærarum, sicuti Ignis, qui dominatur in Sphæra sua & in pipere ac in homine cholerico, quanquam ibidem sit in O.; hoc autem contingit, quoniam in prædictis deliberat & dat se fortiùs ipsum G. ipsi Igni sub forma caliditatis, quàm Aquæ sub forma frigiditatis, & quàm Terræ sub forma siccitatis, ac quàm Aëri sub forma humiditatis: si enim non ita foret, delerentur K. & C. in H.; hoc autem est inconveniens.

Tertia Conditio est, quòd ipsum G. sit quantitas continua per totum O., & quòd O. sit discreta quantitas in specie: nam, si G. in O. esset quantitas discreta, oporteret esse locum vacuum, & posset esse forma sinè subjecto, quod est inconveniens: & si O. esset quantitas continua, esset æqualiter in P. Q. R., & in Aëre absque triangulo viridi non esset spatium inter unum corpus & alterum; hoc autem est inconveniens.

Quarta Conditio eſt, quòd O. ſit locus, ubi collocata ſint naturalia corpora: ſi enim O. collocatum eſſet in loco elementato extra ipſum O., aliquod corpus elementatum exiſteret, quod eſſet ſimplex corpus in H., & in ſe corpus compoſitum contineret; hoc autem eſt contra H. C. & contra reliqua principia hujus Artis.

DISTINCTIO XIV.

De

Digeſtione, ſive de P.

De Probatione ipſius P.

HOc univerſale, quod appellatur P., tam manifeſtum quidem exiſtit, quòd probatione non indiget: veruntamen ſequi volumus ordinationem probationis in principiis hujus Artis, & probare volumus univerſale prædictum medio, quo ejus probatio utilis eſt; & hanc eandem regulam ſecuti fuimus in aliquibus principiis ſuprà dictis, quæ per ſe ipſa manifeſta exiſtunt.

Quatuor ſunt *Rationes*, per quas ipſum P. probare intendimus, quarum hæc eſt

Prima Ratio: videlicet, quòd absque P. forma, quæ exiſtit in L. in triangulo viridi & rubeo, moveri non poſſet, nec etiam poſſet venire ad N., nec C. H. Q. eſſent in G.; hoc autem eſt inconveniens, quo P. quidem demonſtrabile exiſtit.

Secunda Ratio eſt de Digeſtione, quam habet unum Elementum in alio, ſicut Ignis, qui recipiens ſiccitatem à Terra in ſubjecto ſui caloris digerit ſubjectum ſiccitatis, quod eſt materia Terræ, atque digerit materiam Aquæ, quam ei defert Terra recipiens frigiditatem ab Aquâ & ipſi igni exhibens ſiccitatem; & hoc idem ſequitur de aliis Elementis ſecundùm complexiones ipſorum: unde, ſi non eſſet prædicta Digeſtio, impoſſibile quidem eſſet, quòd G. intrare poſſet in Digeſtionem in O. Q. ratione ſuæ *maximæ cruditatis* & propter I., quod habet ad G. tam magnum K., quòd inde ſequi non poſſet generatio nec corruptio absque prædictâ Digeſtione; quâ Digeſtione ſignificatur ipſum P.

Tertia Ratio eſt probabilis per experientiam, quam habemus de aquâ digeſtâ in vinum, & vino in ſanguinem, & pane in furno, & carnibus in ollâ, & vino & pane & carnibus in ſtomacho hominis. Cùm igitur ita ſit, absque P. impoſſibile eſſet R. in rebus prædictis, nec corpus hominis haberet, ex quo ſuſtentationem reciperet.

Quarta Ratio demonſtrabilis eſt per differentiam exiſtentem inter *virtutem & G.*; „nam quantò magìs G. mortificatum eſt in „O. P. Q., tantò major virtus reſultat in Q., „quod compoſitum eſt ex ipſo G.; unde illa „mortificatio ipſius G. in Q. eſt P., quod recipit eſſe ab operationibus ipſorum B. C. D. E. F. G. H. I. K. L. M. N. O. P. Q., absque quo eſſe differentia *virtutis & G.* in O. P. ſecundùm H. nequaquam exiſteret.

De Conditionibus ipſius P.

P. *Quinque Conditiones* habet inter reliquas, quarum hæc eſt

Prima Conditio, videlicet, quòd G. veniat in Digeſtionem in O. Q., non autem formæ ſimplices ipſius I.; nam ſi formæ ipſæ eſſent digeſtæ, forent compoſitæ, & eſſet deſtructum I. & virtus ipſius H.; quâ deſtructione ceſſaret C., & K. O. Q. devenirent in privationem, & non eſſet, ex quo efficeretur Compoſitio; hoc autem eſt inconveniens.

Secunda Conditio eſt, quòd in trianglo rubeo incipiat P. in ipſo G., & quòd ejus medium ſit in O., & quòd finis ſit in Q., & quòd in medio ac in fine ſit G. digeſtum, ut ipſa Digeſtio ſubjecta ſit virtuti ipſorum O. Q. in formâ particulari & in ſecundâ materiâ.

Tertia Conditio eſt, quòd prædicta Digeſtio ſemper ſit graduata ſecundùm gradus, per quos aſcendit & deſcendit C. in P.; nam ſi Ignis ſit in gradu quarto caliditatis, oportet, quòd Terra ſit in gradu tertio ſiccitatis, & Aër in ſecundo humiditatis, & Aqua in primo frigiditatis: & hoc idem ſequitur de aliis Elementis, prout refertur *in libro de gradibus Medicinæ:* ſi autem non ita foret, P. nequaquam eſſet graduatum inter actionem & paſſionem, nec in G. eſſet ordinatio, qualiter ſubjiceretur generationi & corruptioni in O. Q.; hoc autem eſt inconveniens.

Quarta Conditio eſt, quòd ipſum P. ſit in majori majoritate in triangulo viridi & rubeo in plantis, quàm in metallis, & in animalibus, quàm in plantis; quod eſt, quia in plantis H. habet majorem virtutem, quàm in metallis; & in animalibus, quàm in plantis: & ideo G. eſt magìs remotum ab uno Q., quàm ab altero, & magìs digeſtum in uno Q., quàm in altero, & corpus hominis meliùs accipit nutrimentum ex animalibus, quàm ex plantis; quia exiſtunt magìs digeſta.

Quinta Conditio eſt, quòd ipſum P. ſit per omnia O. Q. R.; quia, ſi non, C. nequaquam haberet inſtrumentum, quo eſſet per O. P. Q. R.; hoc autem eſt inconveniens & contra H.; quo inconvenienti ſignificatur, quòd P. eſt in O., ut ſit Q., & eſt in Q., quia I. ſuam perfectionem inquirit cum K. M., & eſt in R., ut in G. L. N. ſpecies reparentur.

DISTINCTIO XV.

De

Compoſitione, ſive de Q.

HÆc diſtinctio appellatur Q.; quod Q. ſignificat compoſita ex materiâ & formâ in *plantis*, *metallis* & *animalibus:* & quia tractare volumus de compoſito animato Rationali Animâ, ideo hanc diſtinctionem in *duas Partes* dividimus, quarum *prima* eſt de compoſito ſenſuali, *ſecunda* verò eſt de ipſo S.

DE PRIMA PARTE.

Quæ eſt de Compoſito Senſuali.

De Probatione Productionis Q.

UNde primò loquamur de primâ parte, quam non oportet probare; nam per ſe ipſam cognoſcitur in tribus ſpeciebus, videlicet, in *plantis*, *metallis* & *animalibus:* veruntamen aſſignabimus *quatuor Rationes*, qualiter Q. deſcendit ab univerſalibus exiſtentibus ſupra ipſum, quæ ſunt F. G. H. I. K. L. M. N. O. P.; quarum rationum quatuor hæc eſt

Prima Ratio. Secundùm quod ſuperiùs tractavimus de [F. G.] [H. I. K. L. M. N. O. P.] ipſa F. G. conſtituunt H.; & H. in G. conſtituit quatuor formas ſimplices, quæ ſunt I.; quod quidem I. habet K. M. ad corpus ſimplex: & ideo L. eſt in G.; cùm poſſibile ſit, Q. eſſe in N. mediante B. C. D. E. O. P.; & ideo Q. devenit in eſſe per ordinationem & opus principiorum, quæ ſupra ipſum exiſtunt.

Secunda Ratio eſt, qualiter C. movetur „per O. P. per ſimplices dimenſiones gra„duum & punctorum: nam unum Elemen„tum, ſecundùm quod P. digerit ipſum, ut „ſit dominans aliis in Q., incipit in ſuâ qua„litate complexionem ipſius Q.; ſicuti Ignis, „qui incipit unum punctum caliditatis, & „alterùm punctum recipit ex ſiccitate à Ter„râ, & tunc facta eſt linea; & alterum pun„ctum caliditatis dat Aëri, & tunc facta eſt „ſuperficies; & poſtea dat alterum punctum „Aquæ, & tunc eſt corpus unum longum, „latum & profundum; & ipſum eſt Q., „quod compoſitum eſt ex materiâ & formâ, „& eſt calidæ & ſiccæ complexionis; quo„niam punctus caloris major eſt aliis pun„ctis, & punctus ſiccitatis major eſt, quàm „punctus Aëris & Aquæ; ex quibus majori„bus & minoribus quatuor gradus forman„tur, quorum quartus eſt Ignis, & tertius eſt „Terræ, & ſecundus Aëris, & primus eſt „Aquæ: & hoc eſt *in ſimplici medicinâ*, quæ „exiſtit calida in gradu quarto, ſicut in pi„pere. Sunt autem aliæ medicinæ ſimpli„ces, quæ ſunt in gradu tertio, & in ſecundo, „& in primo caloris: & *hanc regulam habent reliqua Elementa in Compoſitione de Q.*

Tertia Ratio eſt de calore naturali & de humido radicali; ſicut in homine choleri-co, in quo Ignis exhibet de ſe ipſo duo puncta caloris ad calefaciendum ſubjectum humiditatis, & unum punctum dat ad calefaciendum ſubjectum frigiditatis, & in ſe ipſo recipit in tribus punctis ſubjecti caloris tria puncta ſiccitatis à Terrâ; & hoc totum formatur & fit per O. P. in Q., ut calor naturalis exiſtat, & ut habeat temperatum ſubjectum, in quo operetur; quod ſubjectum exiſtit ex ſex punctis, in quæ Ignis dividitur, & unum punctum retinet, qui eſt forma ſimplex, cui ſubjectum eſt G.; & ille punctus eſt dominus & magiſter & agens omnium reliquorum ad componendum & conſervandum ipſum Q.; in quo Q. exiſtente calidæ & ſiccæ complexionis habet Terra quinque puncta, quorum dat tria ad materiam igneam deſiccandam, & in uno recipit frigiditatem ab Aquâ; alius verò eſt ſimplex habens ſimplicem formam, cui ſubjectum eſt G. ſub formâ ſiccitatis: & hoc idem ſequitur de Aëre & Aquâ, habente Aëre ibi puncta quatuor, & Aquâ tria, quorum quartus Aëris & tertius Aquæ ſunt formæ ſimplices; alia verò puncta exiſtunt compoſita, & ab his formatur ſecunda materia & formæ particulares, ubi compoſitum eſt Q.; quatuor verò formæ ſimplices prædictæ ordinant & dominantur Q., & in ipſis ſunt univerſalia, videlicet,

licet F.G.H.I.K.M., quæ movent C. ex L. ad N. per O. P., ut ſit Q.

Quarta Ratio eſt de *materiâ & virtute:* nam per C. & per operationem ipſorum F. H.I.K.L.M.N.O.P. ex G. trahitur *virtus & materia ſecunda & particularis forma*, ubi compoſitum eſt Q. per ſuprà dictas literas: quapropter Elementa mutant formas ſimplices in Q., & remanet eis virtus, & retinent ſibi quatuor ſimplices formas virtuti ipſius Q. ſubjectas, & G. in Q. ſubjectum eſt ipſis formis ſimplicibus; *materia verò ſecunda* eſt ſubjecta *particulari formæ* & virtutibus compoſitis ſecundùm ordinationem & diſpoſitionem formarum ſimplicium & ipſius G. ac univerſalium exiſtentium ſupra ipſas.

Secundùm quatuor prædictas rationes diximus, qualiter Q. conſtituitur ex univerſalibus exiſtentibus ſupra ipſum: & hoc probatione non indiget; nam id per triangulos viridem & rubeum & croceum & per conditiones principiorum manifeſtatur, ſequendo Artem & Regulas & Conditiones principiorum, quorum conditiones delerentur, ſi eſſet oppoſitum ejus, quod diximus ſuper Q. & ejus principiis.

De Conditionibus ipſius Q.

COnditiones ipſius Q. quàm plures exiſtunt; in hoc autem loco ſolùm de *tribus* ipſarum tractare intendimus, quarum hæc exiſtit

Prima Conditio. Cùm animal in ſe nobiliori modo & in pluribus contineat triangulum rubeum, quàm metallum, vel planta, & planta propinquior ſit animali in H., quàm ipſum metallum, idcirco oportet, quòd in animali magis de virtute exiſtat, quàm in plantis, & in plantis, quàm in metallis: & ideo animalia plantas ſuperant in virtute per ſenſualitatem & imaginationem atque rationem, & plantæ excedunt metalla in vegetativâ potentiâ, quæ magis remota eſt ab ipſo G. in plantis, ac magis infuſa quàm in metallis in ſecundâ materiâ & particulari formâ: & ideo plantæ habent in formâ particulari diverſas figuras, ſicuti folia, flores, branchas, cortices, radices & ſemina, quæ metaphoricè in animalibus ſignificant capillos, pedes, manus, ungues & oculos & naſum & alia membra corporis; quâ ſignificatione demonſtratur, quòd plantæ magis cum animalibus in H. participant, quàm metalla.

Secunda Conditio eſt, quòd in ipſo Q. ſit quodlibet Elementum in virtute propriâ, & quòd in ſecundâ materiâ & in particulari formâ per viſum ſenſibili & in ſecundâ materiâ ſenſibili per palpationem, guſtationem & ponderoſitatem ſenſibile ſit quodlibet Elementum in externâ formâ; ſicuti in lignis, ex quibus navis componitur, & ex quibus reſultat una forma navis; & tamen relinquunt in ipſâ ſuas particulares formas, quæ ſunt ſimplices in quolibet ligno, per quas ſignificantur quatuor formæ ſimplices, quas Elementa retinent in Q., prout ſuperius eſt expreſſum.

Tertia Conditio eſt, quòd in ipſo Q. nullum Elementorum cum altero ſit in uno & eodem gradu; nam ſequeretur inde hoc inconveniens, videlicet, quòd, ſi Ignis & Terra eſſent in quarto gradu, vel tertio, vel ſecundo, vel primo caliditatis & ſiccitatis in uno Q., poſſibile quidem eſſet, quòd humiditas & frigiditas poſſent in altero gradu exiſtere, & frigiditas & ſiccitas in uno gradu, caliditas verò & humiditas in altero gradu: hoc autem eſt inconveniens; cùm quodlibet Elementum per ſe ipſum habeat unam qualitatem, & aliam per alterum, & illam, quam per ſe habet, conveniat eſſe in ipſo majorem in triangulo rubeo, quàm illam, quam per alterum accidentaliter habet: ſi enim non ita foret, deſtrueretur in Q. triangulus viridis atque rubeus; quâ deſtructione deleretur H. in O. P., & non eſſet aliquid, quod per C. tranſire poſſet ex L. ad N., nec K. M. eſſent in F. G. H. I.; hoc autem inconveniens exiſtit.

DE SECUNDA PARTE.

Quæ eſt de S., ſive de Animâ.

HÆc pars in *tres Partes* dividitur, quarum *prima* eſt de probatione, quòd ipſum S. ſit in eſſe, *ſecunda* eſt de conditionibus ipſius S., *tertia* de diſpoſitione, ſecundùm quam S. exiſtit cum corpore.

De Probatione ipſius S.

UNde primò de primâ parte loquemur, quam intendimus per *quinque Rationes* probare, quarum ſequens eſt

Prima Ratio. Manifeſtum eſt intellectui humano, quòd corpus humanum ſequitur curſum principiorum, quæ ſunt generalia ipſi Q., & ſub ipſis regulatum atque terminatum exiſtit, & homo habet voluntatem & intellectum, atque memoriam, cum quibus ſumit objecta ſenſualia & intellectualia absque eo, quòd ſequatur regulam principiorum, quam ſequitur corpus: unde, ſi S. eſſet de Naturâ corporeâ, oporteret neceſſariò, quòd ſequeretur regulam atque curſum ipſorum F.G.H.I.K.L.M.N.O.P.Q.R.; & ſi ſic, nequaquam haberet liberam Voluntatem ad ſumendum & relinquendum objecta, quæ ſumit recolendo, intelligendo & diligendo vel odiendo; hoc autem eſt inconveniens, & contra id, quod manifeſtè exiſtit apparens: quo inconvenienti demonſtratur, quòd S. eſt de aliâ naturâ, quæ eſt diverſa à naturâ corporis.

Secunda Ratio eſt, quòd in ipſo Q. ſe habent quatuor Elementa in triangulo rubeo per K. ad corpus ſimplex, & illam ſimplicitatem inquirunt & appetunt, &, ut ipſam inveniant, componunt Q.; & S. habet ſuam perfectionem in V. livido, & ad ipſum movetur recolendo, intelligendo atque diligendo: veruntamen ipſum V. nequaquam ſufficit ad ſatiandum ipſum S., nec etiam res corporeæ ipſum S. poſſunt ullatenus ſatiare. Unde, cùm perfectio corporis inquiratur per H. in rebus corporeis in triangulo rubeo & ſecundùm regulam & curſum ipſius H., & S. inquirat liberâ Voluntate ſuam perfectionem in aliis objectis extraneis ab objectis Elementorum, & S. in hoc mundo ſatiari non poſſit, idcirco ſignificatur & demonſtratur neceſſariò, quòd S. eſt alterius naturæ extraneæ à naturâ corporis: & ideo ſignificatur, ipſum S. eſſe intellectualis naturæ; quia, ſi non, ſequeretur ſenſualem naturam.

Tertia Ratio eſt, qualiter per V. rubeum demonſtratur, ipſum S. eſſe; nam, ſicut Q. ſe inclinat in R. per oppoſitum ipſius O. & ipſius P., reddente I. partes compoſitas ipſi G. per corruptionem, & ipſum Q. ad privationem inclinatur, ſic per V. rubeum inclinatur S. ad culpam, privationem, minoritatem atque defectum, abſque eo, quòd corpus inclinetur ad corruptionem vel ad privationem ſecundùm H.I.K. Unde, ſi S. eſſet de naturâ ipſius Q., corrumperetur in corruptione ipſius Q., & Q. naturaliter corrumperetur in V. rubeo; hoc autem eſt inconveniens, quo probatur, Q. eſſe unius naturæ, & S. alterius.

Quarta Ratio eſt per triangulum viridem & per tertium membrum ipſius X. Nam, ſi S. eſſet de Naturâ corporeâ, non eſſet tam magna differentia, neque tam fortis concordantia inter unam virtutem & alteram in V. livido, nec eſſet tam magna differentia, nec tam magna contrarietas inter V. lividum & V. rubeum, nec inter Y. & Z., quàm ſi ipſum S. eſt de intellectuali, incorporeâ, in corruptibili ac immortali naturâ: quoniam autem id cum eſſe atque perfectione convenit, per quod eſt major differentia & concordantia unius virtutis cum alterâ, & major differentia & contrarietas inter virtutes & vitia, idcirco de neceſſitate convenit, quòd S. ſit in eſſe habens intellectualem & immortalem naturam; ſi enim eſſet hujus oppoſitum, ſequeretur, quòd eſſe & privatio ſimul, & perfectio & defectus ſimul meliùs convenire, quàm diſconvenire valerent; hoc autem eſt inconveniens.

Quinta Ratio oſtenditur in dignitatibus ipſius B.; quod B. eſt A.; per quas dignitates ipſum B. ſupra ſuum effectum perfectionem nequaquam haberet, ſi S. eſſet de Naturâ corporeâ & mortali; nam B. non poſſet ipſum judicare nec miſereri ejusdem ſecundùm dignitates ſuas, nec ſecundùm majoritatem convenientem triangulo livido & rubeo; hoc autem eſt inconveniens & contra A. T. V. Y., quo demonſtratur, S. eſſe.

De Conditionibus ipſius S.

COnditiones ipſius S. ſunt *quatuor*, quarum hæc ſequens eſt

Prima Conditio: videlicet, quòd ipſum S. habeat principium, ſed non finem; ſi enim careret principio, eſſet æternum, & B. non eſſet prius eo per æternitatem nec per effectum creatum; & ſequeretur, quòd æternitas conveniret cum ſubjecto, in quo accidentaliter V. rubeum & Z. conſiſtunt: hoc autem eſt inconveniens; nam nulla dignitatum ipſius B. ullatenus convenit cum ſubjecto concordante cum V. rubeo & Z., quæ inclinationem habent ad privationem atque defectum, quæ cum æternitate, eſſe ac perfectione nequaquam conveniunt. Præterea ſi S. finem haberet, ſequeretur inde maximum inconveniens, videlicet quòd B. non uteretur ſuis dignitatibus in V. Y. Z., prout convenit ſuæ æternitati, ac etiam eſſet contrarietas inter A. V. Y., & A. V. Z. concordantiam ſimul haberent, quod eſt inconveniens.

Secunda Conditio eſt, quòd omnia S. non ſint ſub uno S., quod ſit eis univerſale ac prima materia, i nò ſit quodlibet S. creatum; ſi enim

enim omnia S. ex uno S. derivarentur, in quolibet ipſorum liberum arbitrium deleretur, ac etiam deſtrueretur V. lividum per naturam ipſius S., quod eſſet univerſalis materia & forma ſuis partibus, & quodlibet S. ita cogeretur ſequi illam naturam, ſicuti Q. cogitur ſequi F. G. H. I. K.; ſi autem ita foret, eſſet defectus in effectu ipſius B. propter defectum dignitatum; hoc autem eſt contra A. S. T. V. Y. Ampliùs, ſi omnia S. ſub uno conſiſterent, corruptibilia eſſent in Q., & haberent appetitum ad ſuum ſimplex, videlicet ad S. univerſale, ad quod redirent, & in ipſo haberent defectum ac privationem V. lividi & recolendi, intelligendi atque volendi, ac eſſent in K. concordante cum privatione, minoritate & defectu, & etiam K. haberet nobilius M. in I., quàm in S.; hoc autem eſt inconveniens, per quod & per multa alia probatur, quòd quælibet Anima exiſtit per ſe mediante divino auxilio.

Tertia Conditio eſt, quòd S. ſit incorruptibile ac immortale, & M. imaginationis poſt mortem corporis retineat per virtutem ipſius B.; ſi enim non ita foret, ſequeretur, quòd B. nequaquam conditionâſſet ipſum S., prout convenit ſuis dignitatibus; & ſic eſſet injurioſum ipſi S., quod uti non poſſet Q., in quo ſervit ipſi B., & etiam S. exiſteret ſuperius ipſo B. per cameram meriti & gloriæ, & B. eſſet inferius ipſo S. per cameram avaritiæ & acediæ; hoc autem eſt inconveniens.

Quarta Conditio eſt, quòd ipſum S. habeat differentiam inter ſuam ſubſtantiam & ſuas potentias, videlicet quòd ipſum ſit unum in ſubſtantiâ, & aliud ſint ejus potentiæ, ſcilicet, Memoria, Intellectus & Voluntas: ſi enim non ita foret, inconvenientia inde quàm plurima ſequerentur; nam obliviſcendo & ignorando reciperet corruptionem, diligendo verò per Fidem ſupra intellectum ex majoritate & minoritate compoſitionem aſſumeret. Quoniam autem B. creavit ipſum S. propter duo principia, prout *in Principiis Theologiæ* eſt probatum; quæ principia ſunt, ut B. per ipſum S. cognoſcatur & ametur, ſi ipſum S. nequaquam foret diverſum à ſuis potentiis, ipſa duo principia non haberent, in quo poſſent differre, & S. intelligendo ſe inclinaret & verteretur ad diligendum vel odiendum absque deliberatione liberæ voluntatis, quæ absque differentiâ voluntatis & intellectus non eſſet; hoc autem eſt inconveniens, quo & etiam prædictis demonſtratur, qualiter S. differt à ſuis potentiis.

De Diſpoſitione, ſecundùm quam Anima exiſtit in corpore.

Quatuor modis inter cæteros nos ſignificare convenit diſpoſitionem, ſecundùm quam Anima exiſtit cum corpore. Quorum *Primus* eſt de quinque ſenſibus corporalibus. *Secundus* eſt de quinque potentiis. *Tertius* de tribus poteſtatibus ipſius animæ. *Quartus* eſt de formâ, ſub quâ corpus exiſtit cum anima. Unde primò tractamus de primo modo.

De quinque ſenſibus corporalibus & primò De Viſu.

Viſus eſt quoddam particulare compoſitum ex virtute ipſius S. & ipſius I. in Q. animato; unde viſus eſt per triangulum in Aëre usque ad objectum, quod ſumit virtus viſiva, & convenit, quòd ipſum objectum habeat colorem & lucem, & quòd ſit lux in triangulo & in oculis; nam absque omnibus iſtis nequaquam poſſet homo videre, nec tenebræ poſſunt exiſtere in loco, ubi omnia prædicta in N. virtutis viſivæ conveniunt.

Virtuti viſivæ maximè convenit, *duo Elementa* eſſe objecta *intus*, & *duo extrà*; & per humidum & calidum illuminatur triangulus & Aër & objectum, continente Aëre calorem & ſplendorem Solis & Ignis in triangulo & in oculis, in quibus eſt *complexio humida & calida*, in qua repræſentatur objectum per triangulum & per colorem atque per formam: intra oculos autem fit receptio in *ſiccitate & frigiditate*, ubi eſt linea, quæ eſt ſiccæ complexionis, ut in ipſâ ſit vacuitas propinquior ipſi N., & quòd frigiditas reſtringat illud, quod ſiccitas in ſe recipit: & ideo fit ordinatio quatuor Elementorum in virtute viſivâ; nam duo ipſorum ad dandum repræſentationem ſe habent, & reliqua duo ipſorum ad recipiendum & retinendum eandem. Quando corpus ſecundùm H. ſuam ordinationem recepit, S. de ſuâ virtute in prædicto inſtrumento virtutem multiplicat: nam, ſicut I. in Q. per O. P. cum virtute ingreditur ſuas ſimplices formas relinquendo, & inde reſultat particularis forma & ſecunda materia, in qua ipſum Q. exiſtit compoſitum, & I. habet aliam naturam in Q. diverſam ab illâ, quam habet in G., ſic propter participationem ipſius S. & ipſius Q. ipſum Q. in virtute augetur recipiendo naturam extraneam, quam recipit ab ipſo S.; ſi enim non ita foret, ſequeretur, quòd in Q. unum Elementum Simplex cum altero poſſet multiplicare majorem virtutem, quàm S. in ipſo Q.; hoc autem eſt inconveniens; cùm S. per gratiam ipſius B. habeat naturam intellectualia objecta ſumendi, à quâ naturâ procedit virtus viſiva, quâ ſumuntur objecta ſenſualia, ut S. poſſit recipere objecta intellectualia: & ideo ex S. & Q. componitur virtus viſiva, quæ eſt ſenſus communis virtuti ambarum ſubſtantiarum, ex quibus homo exiſtit compoſitus.

De Auditu.

Ad audiendum ordinata & proportionata ſunt *duo Elementa extra* corpus, & *duo intra*; nam in *aëre* fit percuſſio, & ducitur per *calorem*, qui habet naturam diverſificandi; ſonus verò retinetur & conſervatur per *Aquam*, quæ eſt retentiva; ſentitur verò in *ſiccitate*, quæ ad vacuitatem ſe habet: & ideo res ſiccæ majorem ſonum atque ſtrepitum faciunt, cùm percutiuntur, quàm res humidæ. Cùm autem natura ordinaverit ſenſuale inſtrumentum ad audiendum, per virtutem ipſius S. procedit virtus in ipſum inſtrumentum: *nam, ſicut in medicinâ, quam Medicus adminiſtrat, virtutes plurium herbarum ad unam curam & ad unum finem ſe habent, quem finem nulla ipſarum herbarum per ſe poſſet habere*, ſic ex virtute ac participatione ipſius S. cum Q. virtus procedit ad audiendum, velut in camerâ, ubi provenit lumen oculis per cereum ardentem; propter quod lumen objecta in ipſâ camerâ exiſtentia videntur.

De Odoratu.

In O. formatur in Aëre P., in quo ſubjectum odoris exiſtit compoſitum, & anhelitus, qui exit cauſâ ducendi interiùs frigiditatem, mortificat eam per humiditatem calefactam, ut temperetur calor cordis & reliquorum membrorum; quem Aërem attrahit intra corpus, ubi in naſo formatur odor per virtutem ipſius S. ac per diſpoſitionem inſtrumenti, per quod anhelitus intrat & exit; qui anhelitus facit temperamentum ex *frigido & humido* extrà, & ingreditur cum *frigido & humido* ad temperandum *calidum & ſiccum*; & ex temperamento facto in vacuo per *ſiccum* deſiccatum per *calidum* illud vacuum eſt plenum per *humidum*, & retinente Aquâ illud, quod P. digeſſit in O. ex odore extrinſeco, formatur in *calido & ſicco* ſenſus odoris cum auxilio ipſius S., quod eſt forma, ut odor ſentiatur: nam, quemadmodum per O. P. in Q. ipſum I. attrahit virtutem ab ipſo G., appropinquando ſuam virtutem ipſi Q., & ipſam removendo ab ipſo G., ſic S. removente ipſum Q. à ſuâ minoritate, & ſe ipſum corpori largiente, ut ſit ejus forma, ex participatione ipſorum amborum Odoratus procedit, ſecundùm quod cum ipſis Q. S. proportio prædictorum Elementorum exiſtit.

De Guſtu.

Ad guſtandum oportet, quòd *Aër & Frigiditas* majores extra corpus exiſtant, quàm *Ignis & Terra*; quod eſt, quoniam calor deſiccat interiùs illud, quod ibi ponit *humiditas*, & id, quod ibi retinet frigiditas, cùm humiditas ibi ponit, quod neceſſarium eſt. Quoniam autem calor deſiccat, Terram evacuat; Aër verò ipſam replet, & Aqua retinet plenum, quod calor conſumit: & propter talem proportionem & concordantiam formatur in gutture Guſtus ſecundùm vacuitatem venarum exiſtentium ſub linguâ, ubi ille ſenſus efficitur in *calido & ſicco* in radice ipſarum in gutture: quapropter, cùm fit repletio, perditur ipſe Guſtus in repletione ſicci ac in O., ubi P. ad perfectionem non pervenit. Cùm igitur ita ſit, S. format prædictum inſtrumentum præbendo ipſi habitum guſtationis; qui habitus eſt ex ordinatione, quam habet I. in O. P. Q. mediante S., quod ex virtute ac diſpoſitione Elementorum format N. in ipſo particulari ſenſu.

De Tactu.

Ad Tactum oportet eſſe exteriùs *frigidum & ſiccum*, quoniam ad durum convenit; *calidum* verò & *humidum* oportet eſſe interiùs, & Tactus in duro per *frigidum & ſiccum* efficitur; ſenſus verò fit in carne interiùs per *calidum & humidum* atque molle: quapropter cor ſenſibilius eſt, quàm alia membra, in quantum magis de *calido & humido* continet, quàm alia membra. Igitur, cùm ita ſit, S. habet proportionem in Q., cùm ipſum ſit forma, per quam Tactus & ſenſus naturam aſſumunt mediante proportione ipſius I. in O. P. Q.; & ideo in unguibus & in calcaneis, in quibus plùs eſt de

frigido & *ſicco*, quàm in manibus, nequaquam eſt tantum de tactu, quantum eſt in ipſis manibus; quod eſt, quia ab ipſis eſt magis remota caro, in quâ ipſe ſenſus efficitur: & propterea, ſecundùm quod loca ſunt diſpoſita in Q. per I. O. P., habet S. in ipſo Q. diverſa objecta; quod Q. recipit beneficium ab ipſo S., ſecundùm quod proportionatum eſt per Elementa, quæ in aliquibus locis ipſius Q. habent unam proprietatem ad recipiendum unum beneficium, & in aliis locis habent aliam proprietatem ad recipiendum alterum beneficium ab ipſo S.; & ideo S. in Q. habet diverſas operationes in quinque ſenſibus corporalibus, prout ſuperiùs ſignificavimus *in diſpoſitione triangulorum ipſius T.* & ordinatione ipſius I. exiſtente in O. P. Q.; ſi enim non ita foret, ſequeretur contrarietas in triangulis ipſius T. cum C. D. E. F. G. H. I. K. L. M. N. O. P. Q. atque cum dignitatibus ipſius B.; hoc autem eſt inconveniens, quod reperiri poteſt per cameras, ex quibus Univerſalis Figura exiſtit compoſita.

De Quinque Potentiis Animæ, & Primò

De Potentiâ Vegetativâ.

POtentia Vegetativa eſt, eò quòd multiplicatur de I. G. in O. P. Q. ſecundùm diſpoſitionem ipſorum E. F. G. H. I. K. L. M. N. in triangulo rubeo, & eſt forma vegetabilibus & infantibus, quousque animatus eſt infans in utero matris; continuò verò, cùm animatus eſt, vegetativa evenit potentia ipſius S.; nam, ſicut lux in lucente corpore per calidum & ſiccum convenit, & in corpore convenit color per humidum & frigidum recipiendo lucem per calidum & ſiccum, ſic convenit, quòd per ſenſualitatem vegetativa ſit potentia ipſius S., ipſo S. præbente ſenſum ipſi animato corpori vegetato: qua propter in potentiâ ſenſuali potentia vegetabilis ita ſe præbet, ut exiſtat potentia ipſius S., ſicut G. in I., ut ſit potentia ipſorum O. P. Q.

Vegetativa autem ſub ſe habet *quatuor virtutes*, quæ ſunt *appetitiva*, *retentiva*, *digeſtiva* & *expulſiva*: quarum *appetitiva* fit per *calidum & ſiccum*; calor enim naturalis humiditatem conſumit, ex cujus conſumptione evenit ſiccitas, quæ in ſui vacuitate repletionem appetit: *retentiva* verò viget per *frigidum* & *humidum*, frigiditate reſtringente plenum humiditate: *digeſtiva* verò fit per *caliditatem* & *humiditatem*; quoniam caliditas & humiditas ſe habent ad vitam: *expulſiva* autem fit per *frigidum* & *ſiccum*; quoniam naturalis calor dividit & diſſolvit in humiditate frigiditatem & ſiccitatem: ſi enim non ita foret, ſequeretur inde inconveniens ex H. K. in triangulo viridi, rubeo & croceo per O. P. Q.; hoc autem eſt inconveniens.

De Potentiâ Senſitivâ.

POtentia Senſitiva eſt forma in animali irrationali; in animali verò rationali eſt potentia ipſius S.; quemadmodum enim Oleaſter, quando inſeritur in Olivario, ex eo recipit formam foliorum, florum & fructûs, nec non coloris atque ſaporis, & formam ſimplicem dimittit, formam Olivarii retinendo, ita ſenſitiva in animali rationali ſuam formam dimittit, & exiſtit ſub S., quod ei dat eſſe in quinque ſenſibus corporalibus, in quibus ſenſitiva ipſi S. exiſtit potentia.

S. autem eſt per totum corpus hominis, & ſenſitiva dat ſe, ut ſit potentia ipſi S. diverſimodè in locis terminatis, ſcilicet in quinque ſenſibus corporalibus; & ipſa loca diverſa in corpore ſunt ad ſentiendum ſecundùm differentiam corporis, & non ſecundùm differentiam ipſius S.; ſi enim S. diverſificaretur propter differentiam quinque ſenſuum corporalium, eſſet diviſibile ac compoſitum & corruptibile in corruptione ipſorum corporalium ſenſuum; quod eſt inconveniens.

In irrationalibus autem ſenſitiva imaginativam ſequitur; in rationalibus verò ſenſitiva nequaquam ſequitur imaginativam absque deliberatione rationis; & ideo ſenſitiva in ipſis exiſtit in majori ſubjugatione, quàm in irrationali: ſi enim non ita foret, impoſſibile eſſet, quòd ipſum S. ipſi V. livido & rubeo ſubjectum eſſet.

De Potentia Imaginativa.

IMaginativa eſt potentia, quæ magis eſt rationi propinqua, quàm ſenſitiva; imaginativa namque particulariter imaginatur ſenſualia, & ex omnibus formatur una communitas, videlicet ex operationibus ſenſitivæ ac ex objectis, quæ recipit, & in fronte dat ſe ipſi S. per potentiam, & in phantaſiâ res imaginatas intellectui repræſentat, ut ratio deliberationem habeat in tribus poteſtatibus ſive potentiis animæ, & ut libera voluntas cum eſſe, merito ac perfectione contra ignorantiam, culpam atque defectum conveniat. Igitur, cùm ita ſit, per hoc ſignificatur, quòd imaginativa ad majorem univerſalitatem ſe habet, quàm ſenſitiva; ſi enim foret hujus oppoſitum, ſequeretur, quòd ratio nequaquam ſe haberet ad majorem univerſalitatem, quàm ſenſualitas; hoc autem eſt inconveniens.

Cum imaginativâ ſumuntur objecta ſenſualia, & intellectui offeruntur, qui ipſa objecta relinquit in M. in imaginativâ, & in N. ſumit objecta intellectualia absque imaginatione, quæ nullo modo ad tam altam univerſalitatem poteſt aſcendere: & ideo imaginativa habet C. in triangulo rubeo in principio in ſenſitivâ; in medio verò habet ipſum C. in ſe ipſâ, & in fine eſt intellectus absque C. ipſius imaginativæ, ad quam deſcendit, cùm ratio de rebus ſenſualibus vult tractare.

De Potentia Rationali.

ILlud, propter quod opus trium poteſtatum ſive potentiarum animæ poteſt deliberationem & argumentationem habere, eſt Potentia Rationalis, quæ eſt potentia ipſius S., ut habeat deliberationem ad recolendum, intelligendum ac amandum, vel odiendum.

Hæc Rationalis Potentia, de quâ loquimur, eſt in eſſe; quia, ſi non, ſequeretur, quòd Intellectus nequaquam haberet, in quo conſervaret M., nec Voluntas K. in univerſali, cùm particulare recipit pro objecto: quoniam verò Ratio exiſtit, ideo K. M. ipſius S. exiſtunt ſubjecta particularibus, quæ Intellectus in præterito tempore intellexit: quapropter eſt Intellectus poſſibilis, & Voluntas libera, qui non eſſent abſentiâ Rationalis Potentiæ; quæ Ratio ad communitatem recolendi, intelligendi ac volendi ſe habet: quemadmodum enim per C. ſenſuale G. ſe habet ſub I., & I. continet triangulum viridem in O. P. Q., ſic Ratio ſe habet per C. intellectuale ſub tribus poteſtatibus ipſius S., absque eo, quòd Ratio triangulum viridem in ſe recipiat, quanquam ipſæ tres poteſtates & ipſe triangulus ſimul conveniant.

Imaginativa autem imaginatur objectum ſenſuale, & Senſitiva ipſum appetit; Ratio verò deliberationem habet, ut cameram juſtitiæ & meriti in S. valeat conſervare.

De Potentia Motiva.

HÆc potentia in *duabus ſpeciebus* conſiſtit, quarum una eſt *ſenſualis* & altera *intellectualis*: *ſenſualis* enim eſt C., quod eſt per O. P. Q. ſecundùm locum & tempus; eſt autem per H. K. M. inter L. N. ſecundùm diſpoſitionem ipſorum F. G. I., & ſecundùm influentiam ipſius E. atque virtutis ipſius D., quod movet ipſum E. *Intellectualis* verò ſpecies eſt ex rebus intellectualibus, ſicut B., quod cum ſuâ virtute movet, quidquid eſt ab ipſo usque ad Z., & D. movet cum virtute ipſius E., & F. G. H. I. K. M. movent in virtute L. ad N.; qui Motus eſt ſenſualis in O. P. Q. R.

C. decurrit per triangulum viridem, croceum & rubeum per Potentiam Vegetativam, per Senſitivam atque per Imaginativam nec non per Rationalem: & ideo Potentia Motiva in multis ſpeciebus ac ſpatiosè conſiderari poteſt in objectis ſenſualibus & intellectualibus per tres poteſtates ipſius S. & per quatuor ſuprà dictas potentias.

De Tribus Poteſtatibus ſive Potentiis Animæ, & Primò

De Memoriâ.

MEmoria eſt poteſtas ipſius S., cum qua ipſum S. inquirit particularia ſenſualia & intellectualia, & ex multis facit unam univerſalitatem, quam retinet & conſervat, ut Intellectus, qui ſe habet ad veritatem, & Voluntas, quæ ſe habet ad bonitatem, prædicta valeant reperire, ac per triangulum viridem & rubeum ipſis uti.

Memoria eſt potentia ipſius S., & ſemper exiſtit in N.; ejus autem opus exiſtit in uno tempore, non autem in altero: quapropter Memoria quandoque habet ſuum opus in L., & quandoque in N.; corpus enim non poteſt tantum beneficium ſuſtinere ab ipſo S., quantum S. ei poteſt largiri ſecundùm ſuas potentias: ſicut ligna, quæ nequaquam poſſunt ſufficere, ut ſint Igni materia, ſecundùm quod Ignis agere poteſt in ipſa: & ideo, cùm corpus indiget quiete dormiendo, vel propter oblivionem objectorum, quæ ſumit Memoria cum labore corporis, oportet Memoriam habere ſuas operationes in L.

De Intellectu.

INtellectus eſt potentia ipſius S., quod ad Y. ſe habet; quod Y. *duobus modis* inquirit: quorum *unus* eſt, cùm ipſum inquirit cum Imaginativâ in rebus ſenſualibus:

alius verò eſt, cùm ipſum inquirit in rebus intellectualibus abſentiâ imaginationis.

Hæc potentia Memoriæ atque Voluntati intellectuale lumen exiſtit, & opus ita intellectualiter ex Memoriâ generatur, velut lux in Aëre ex ardenti candelâ; & ex Memoriâ & Intellectu ita intellectualiter opus Voluntatis procedit, ſicut ſenſualiter Melancholia ex *frigido & ſicco*, ſeu Cholera ex *calido & ſicco*.

Intellectus eſt agens; abſentiâ enim actionis Memoria & Voluntas operari non poſſent; & eſt Intellectus poſſibilis, in quantum poſſibile eſt, operationem Intellectûs in objectis, quæ recipit, augmentari; nec etiam Intellectus per operationem cum majoritate concordantem poteſt corrumpi; quantò enim ejus operatio altior eſt, tantò melior exiſtit: de Voluntate autem & Memoriâ non eſt ſic; ſæpe namque contingit, quòd per nimis recolere, amare vel odire opus Intellectûs corrumpitur: quantò autem Intellectus altiùs intelligit A. V. Y., tantò plùs præparatur Memoria ad memorandum & Voluntas ad amandum A. V. Y. & odiendum V. Z.

De Voluntate.

VOluntas ad bonitatem ſe habet, nec non ad diligendum A. V. Y., & odiendum V. Z.; & quemadmodum Memoria ad inquirendum & retinendum ſe habet, & Intellectus ad intelligendum & illuminandum, ſic ſe habet Voluntas ad bonitatem & libertatem: nam, ſicut I. ſe exhibet in P. Q. in diverſis virtutibus & qualitatibus, & etiam G. in I., ſic S. in virtute ſe præbet Rationalitati, quæ diverſificatur in tribus potentiis ipſius S.: quapropter ex ipſâ diverſificatione habet deliberationem in Voluntate, cognitionem verò in Intellectu, in Memoriâ autem habet memorationem: & ideo Ratio judicat operationem trium potentiarum, & conſentit, & eſt dominans atque agens, & etiam eſt cauſa meriti in ordinatione prædictarum trium potentiarum; in ipſarum verò inordinatione eſt cauſa culpæ & peccati.

Tres prædictæ potentiæ per totum S. exiſtunt, absque eo, quòd propter ipſas S. diverſificetur in ſe ipſo, quamvis ejus opera in ipſis diverſa exiſtant; ſi enim S. in ſe diverſificaretur, ſequeretur, quòd ipſum eſſet corpus, & quòd eſſet diviſibile atque compoſitum, & una ipſarum potentiarum magis ſe haberet in unâ parte ipſius S., quàm altera, quod eſt inconveniens. Unde, quantùm ad corpus, S. virtutem ſuæ Voluntatis magis appropriat cordi, quàm alteri membro; fronti verò, ubi imaginativa intellectui præbet menſuram ſenſualium rerum, magis quàm alteri membro virtutem Intellectûs appropriat; & hoc etiam facit in occipite capitis, ubi Memoria retinet particularia, per quæ Intellectus aſcendit ad univerſalia, & Memoria reddit particularia ad intelligendum.

Breviter locuti ſumus de tribus ſuprà dictis potentiis, *de quibus prolixius loquimur in Libro ipſius S., qui continetur in Arte Majori*: veruntamen ſecundùm Artem iſtorum principiorum poteſt ex ipſis multis modis haberi cognitio in quadrangulis ipſius, per quos poteſt cognoſci modus, ſecundùm quem tres potentiæ ipſius S. ita intellectualiter ad multa opera ſe habent in Rationali Potentiâ, videlicet Conſcientiâ, Æſtimativâ, Contritione, Fide, ac Charitate, &c., ſicut Q. R. in G. I. ad multas ſpecies ſe habent.

De Formâ.

FOrma ipſius S. *duobus modis* conſideratur, quorum *unus* eſt, ſecundùm quod ipſum S. eſt forma corpori; *alius* eſt, ſecundùm quod ipſum S. ſimplicem formam habet: unde primò loquemur de primo modo.

Primus Modus eſt. Quemadmodum vegetativa eſt forma plantis: per ipſam namque augentur, habent folia, flores ramos & fructus, colorem, odorem & ſaporem: ſic S. eſt corpori forma; per ipſam enim Animam ſive S. habet eſſe, ac per ipſam habet quinque corporales ſenſus, atque potentiam vegetativam, ſenſitivam & motivam ac imaginationem & vitam, & abſentiâ ipſius S. nullum prædictorum haberet; ipſum verò corpus eſt inſtrumentum atque materia ipſius S.; cùm prædicta ſint potentiæ Animæ, cum quibus præbet ſuſtentationem corpori.

Secundus Modus eſt, qualiter S. habet formam exiſtentem per ſe, ſub qua habet potentias intellectuales, cum quibus objecta intellectualia ſumit; quæ potentiæ ſunt *Memoria*, *Intellectus* & *Voluntas* & *Ratio*; in qua Ratione exiſtit habitualitas aliarum poteſtatum vel potentiarum deſcendentium à tribus prædictis, quæ ſunt *Perceptio*, *Subtilitas*, *Conſcientia*, *Cogitatio*, *Animoſitas*, *Lætitia*, *Ira*, & aliæ ſimiles iſtis; & ſub iſtis habet S. ipſum L. in V. Cùm autem S. à corpore ſeparatur, ejus forma ſimplex nequaquam corrumpitur, quanquam in corpore corrumpatur forma, quam anima corpori dabat; ſi enim ipſa forma incorruptibilis eſſet, impoſſibile eſſet, corpus eſſe corruptibile ac mortale: & ſi habitualitas, quam anima habet in ſuis potentiis intellectualibus, privaretur, eò quòd recepit per potentias, quas habet in corpore, objecta ſpecierum ſenſualium absque potentiis in individuis intellectualibus remanerent; & ſic S. non haberet potentias absque corpore, quibus poſſet uti rebus corporeis; hoc autem eſt inconveniens & contra A. S. T. V. Y., eſt autem concordans cum V. Z.

Quemadmodum in Q. ſecunda materia per formam oſtenditur, ſic in potentiis corporalibus, videlicet quinque ſenſibus, oſtenditur, S. eſſe forma corpori; & ſicut per ſecundam materiam oſtenditur G., & in Q. oſtenditur F. per particularem formam, ſic forma, quam S. habet per ſe, demonſtrabilis eſt per intellectuales potentias, quas habet in ſe ipſâ.

Quàm plurimas alias rationes poſſemus dicere de formâ ipſius S.; quoniam verò de aliis habemus tractare, breviter fuimus de ipſâ locuti, & ad noſtram materiam revertimur de decimo ſexto principio, quod eſt R., loqui volentes.

DISTINCTIO XVI.

De

Alteratione, ſive de R.

De Probatione ipſius R.

HÆc Diſtinctio eſt de R.; quod R. eſt univerſale principium per ſe manifeſtum; & ideo probatione non indiget; breviter autem ſignificare volumus modum, per quem deſcendat à principiis, quæ ſupra ipſum exiſtunt: *& quoniam ipſum R. in tres ſpecies dividitur, videlicet in Alterationem, quæ eſt ſecundùm H., & Alterationem artificialem, & Alterationem, quæ fit ſecundùm S.*, quod alteratur per ſuas operationes in V. Y. Z. in tertio membro ipſius X. absque eo, quòd alteretur in ſuâ ſubſtantiâ; ideo volumus de *primâ ſpecie* ſolùm tractare, ne elongemus, nec alteremus materiam, quam de Principiis Philoſophiæ nos oportet tractare.

Prima Ratio. Per R. intelligimus in hac Arte *generationem* atque *corruptionem* in tribus principiis ipſius H., quæ ſunt *materia*, *forma* atque *privatio*; hoc autem R. decurrit per triangulum viridem atque rubeum: per viridem decurrit, in quantum C. eſt Motus, qui ſurſum & deorſum movet, ubi formatum eſt O., & in P. exiſtit concordantia inter unum Elementum & alterum ad generationem unius Q. & corruptionem alterius, aut ad generandum Q. ex P. O. absque deſtructione alterius Q.; nam multoties ſufficit O. ipſi P. absque deſtructione ipſius Q. in vegetabilibus & corporibus animatis generantibus maſculum & fœminam, aut per corruptionem & influentiam, quæ cauſantur ab ipſo E., ac propter participationem, quam ipſorum animalitas habuit cum animatis corporibus, ſicuti ſunt vermes, muſcæ, pediculi & anguillæ & ſimilia.

In hoc triangulo viridi non eſt R. in F. G. H. I.; quoniam in illa non cadit corruptio: in quantum autem ipſa ſunt univerſalia ipſis O. P. Q., eſt ipſum R. atque triangulus viridis in ipſis O. P. Q., in quantum in C. aliæ partes ipſorum O. P. Q. in alias alterantur; ſicut I., quod alteratur in O. P. Q., & nequaquam alteratur in ſe ipſo; & ſicut G., quod alteratur in I., in ſe ipſo verò nequaquam.

Secunda Ratio. R. decurrit per triangulum rubeum mediante triangulo viridi; nam R. C. non poſſent eſſe in O. inter L. N. absque ambobus prædictis triangulis: unde, cùm una pars ipſius O. convenit cum uno rubeo, & altera pars convenit cum altero rubeo, tunc exiſtit differentia & concordantia in ambabus partibus; & cùm ipſæ intrant in P., ſecundùm quod una partium eſt major & fortior in H. & in rubeo, quàm altera, tunc P. digeritur ad ipſum Q., & fit ex ipſa parte generatio, ex altera verò paſſio ſive corruptio.

Tertia Ratio. Absque R. non poſſet ſufficere G. ipſi I., nec I. ipſis O. P. Q.; quapropter oportet eſſe R., in quo ſit C. deſcendentibus partibus ex G. I. in O. P. Q., & poſtea ipſis redeuntibus ad G. I.; *unde ipſe deſcenſus ex G. I. in Q. per generationem efficitur, reditus verò ſive reductio ipſius Q. in I. G. per corruptionem*; & hoc absque ulla ceſſatione ipſorum R. H. C., etiam trianguli viridis atque rubei: & ideo eſt R. in quatuor anni temporibus cum ipſis duobus triangulis; & in hyeme aqua efficitur calida;

calida; quoniam à ſe contrarium ſuum expellit: in æſtate verò efficitur frigida; quoniam ignis ex ipſa extrahit ſuas partes, quas in hyeme nequaquam inde poteſt extrahere; quoniam aqua & triangulus rubeus tunc habent majorem concordantiam, quàm in æſtate.

Rationes quàm plurimas de R. referre poſſemus; veruntamen ſufficiunt illæ, quas diximus, quæ per ſe ipſas manifeſtæ exiſtunt.

De Conditionibus ipſius R.

COnditiones ipſius R. ſunt *quinque*, quarum hæc ſequens eſt

Prima Conditio, videlicet, quòd R. non exiſtat in Q. in univerſali, ſed ſolummodo in particulari; nam, ſi in univerſali eſſet, quilibet homo alteraretur in aliud individuum ſpeciei, ac etiam eſſet poſſibile, quòd ſpecies hominis eſſet alterabilis in ſpeciem vegetabilis vel aſini; hoc autem eſt inconveniens.

Secunda Conditio eſt, quòd, ſicut P. per generationem movetur, ita R. moveatur per corruptionem; & quemadmodum P. trahit ex O. materiam ſuæ operationi ſubjectam, ut ſit ſubjecta formæ ipſius Q., quòd ita R. per corruptionem extrahat materiam à forma ipſius Q., & quòd ipſam per indigeſtionem faciat redire ad O., ut ab ipſo O. ad G. poſſit redire; ſi enim non ita foret, impoſſibile eſſet, quòd ex G. procederet I. ad ipſa O. P. Q., ac quòd ex O. P. Q. reverteretur ad G.

Tertia Conditio eſt, quòd, quemadmodum in triangulo viridi P. meliùs cum differentia & concordantia & actione ſe habet, quàm cum contrarietate ac paſſione, ſic R. in ipſo viridi meliùs cum differentia, contrarietate ac paſſione ſe habeat, quàm cum differentia, concordantia & actione.

Quarta Conditio eſt, quòd, ſicut P. in triangulo rubeo ſe habet ad intentionem finalem, ſic R. in ipſo eodem triangulo rubeo ſe habeat ad principium; & ſicuti P. in medio prædicti trianguli generat quantitatem continuam, ut uniat partes, in quibus ſit Q., ſic per oppoſitum R. disgregat partes in ipſo medio, ut Q. poſſit diſſolvi.

Quinta Conditio eſt, *quòd cum una complexione alia in rubeo valeat alterari:* „ſicut „ſi quis velit alterare calidum & ſiccum „in majorem quantitatem, & frigidum „& humidum in minorem quantitatem, „convenit, quòd habeat tres ſimplices „medicinas, quarum una ſit ſicca & „frigida, & altera humida & calida, „& altera calida & ſicca, & ex ipſis fa„ciat aliquod Electuarium ſive aliquam „decoctionem; & tunc homo, cui ipſa „decoctio propinabitur, de frigida com„plexione ad calidam poterit alterari: & „illud idem ſequitur de aliis qualitatibus „ſecundùm prædictum exemplum.

Per gratiam & auxilium ipſius A. explicit prima Pars Principiorum hujus Artis, in qua probavimus & conditionavimus ipſa principia. Deinceps autem nos oportet tractare de ſecunda Parte, quæ eſt *de cameris* ſive *de floribus*, ex quibus *Figura Univerſalis* exiſtit compoſita.

INCIPIT

INCIPIT SECUNDA PARS QUÆ EST DE Conditionibus Univerſalis Figuræ.

HAc Pars eſt de Conditionibus centum viginti camerarum, ex quibus compoſita eſt figura, quæ debet in principio hujus Artis collocari; quæ conditiones *quatuor modis* exiſtunt, quorum *primus* eſt, quòd nulla camera conditionetur contra conditiones ſedecim Diſtinctionum conditionatarum ſuperiùs. *Secundus* eſt, quòd ipſæ cameræ conditionentur ſecundùm diſpoſitionem ipſorum A. S. T. V. X. Y. Z. *Tertius* eſt, quòd quodlibet ſedecim principiorum hujus Artis conditionetur in conditionibus alterius. *Quartus* eſt, quòd concordantia, quam hujus Artis principia in ſuis proprietatibus & conditionibus habent, debet affirmari, contrarietas verò negari. *Per quatuor conditiones ſive modos ſupradictos decurrit hæc ſecunda Pars, quæ eſt fructus & utilitas hujus Artis:* prima verò Pars eſt *arbor* & materia huic ſecundæ Parti; *in hac enim ſecunda Parte particularia debent perquiri*, quæ Philoſophiam diligentes inquirunt.

Camera 1.

[*B. C.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

COnditiones ipſorum B. C. quàm plures exiſtunt, de quibus aliquas breviter referemus, videlicet quòd B. ſit cauſa ipſi C. absque V. Z. per totum id, quod eſt usque ad Z., ad dandum cognitionem & dilectionem ipſis D. S. de dignitatibus ipſius B.; & quòd C. magis ſubjiciatur ipſi B., quàm ipſis D. E. H., & quòd illa major ſubjectio contingat in N. contra E. H., movente B. quandoque ipſum C. contra E. H.: ſi enim major ſubjectio eſſet in L., & nequaquam deveniret in N., B. haberet defectum in ſuis dignitatibus; qui defectus eſſe non poteſt.

Præterea oportet, quòd B. habeat in ſe ipſo aliquas operationes ſecundùm opus intrinſecum, quod convenit ſuis dignitatibus fortiùs, quàm opus extrinſecum, quod ipſum B. habet in rebus, quæ ſub ipſo exiſtunt, in quibus B. operatur cum C., absque eo, quòd C. ſit in ipſo B., vel in dignitatibus ejus; cum virtute autem ipſius B. eſt C., ubicunque vult B.: ſi autem in B. non eſſet opus intrinſecum absque C., pateretur defectum dignitatum, ac etiam haberet in ſe ipſo K.; quod eſt inconveniens.

Præterea ſi B. in ſe opus nequaquam haberet, eſſet nobilius per C. in D. E. F. G. H. I. K. L. M. N. O. P. Q. R. S. T. V. X. Y., quàm in ſe ipſo; hoc autem eſt inconveniens: quo ſignificatur, quòd ipſum B. in ſe ipſo aliquod opus habeat; quod opus eſt prius opere, quod indiget ipſo C., ut literæ, quæ ſub C. exiſtunt, recipiant influentiam ex opere, quod habet B. in ſe ipſo absque alteratione.

Camera 2.

[*B. D.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

COnditiones ipſorum B. D. ſunt, quòd B. præbente ſe pro objecto ipſi D. in cognitione & dilectione ſit D. ſubſtantia per ſe ipſam exiſtens cognoſcens & amans ipſum B. medii cujusvis abſentiâ, & quòd B. ſit cauſa ipſi D., ut D. cognoſcat & amet ſe ipſum & alium in B.; propter quam dilectionem & cognitionem, quam habet D. in B., ipſum D. habeat C. ad movendum E. cauſa regulandi F. G. H. I. K. L. M. N. in O. P. Q. R., & hoc ideo, ut juvet S., quod exiſtit in Q., ut pro objecto habeat A. V. Y., & ut dirigat Q., ut operationibus ipſius S. exiſtat ſubjectum: unde cùm, quicquid ſuperiùs dictum eſt, conveniat ſecundùm dignitates ipſius B., & influentiam, quam ab ipſo B. recipit D., ideo in prædictâ convenientiâ conditionatur præmiſſa camera contra omne particulare, quod ipſi convenientiæ repugnaret.

Camera 3.
[*B.E.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

MAnifeſtum eſt, quòd E. mediante C. ac incorruptibilitate habens actionem in corporibus, quæ exiſtunt ſub ipſo, recipit perfectionem & influentiam ab ipſo B.; quia ſi non, conveniret, aliud eſſe principium in ejus perfectione, actione, motu ac incorruptibilitate; hoc autem eſt inconveniens; cùm probaverimus, B. principium ipſi E. exiſtere: quoniam autem B. eſt principium ipſi E., convenit, B. eſſe utens dignitatibus ſuis in bonificare ipſum E., & quòd E. nequaquam poſſit ponere R. in B., nec in dignitatibus ejus: ſi autem E. per id, quod recipit ab ipſo B., eſſet æquale in recipiendo, quicquid B. poſſet largiri, ipſum B. non eſſet juſtum ſuis dignitatibus in adæquando E. cum æternitate absque *triangulo rubeo*, nec haberet tam magnam poſſibilitatem in ſua poteſtate, quòd ipſum E. delere ac privare valeret, quàm habet, ſi ipſum E. æqualem dignitatem in æternitate cum dignitate ipſius B. nequaquam poteſt recipere; & etiam ſequerentur inde multa inconvenientia, videlicet, quòd, ſi E. careret principio, omnes ſpecies exiſtentes ſub G. eſſent æternæ, ac ipſi B. in duratione forent æquales; hoc autem eſt inconveniens, quo ſignificantur conditiones exiſtentes inter B. E.

Camera 4.
[*B.F.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

FEſt quædam forma univerſalis agens in G. I., quæ habet K. M., cum quibus dirigat formas univerſales & particulares exiſtentes ſub ipſo ſecundùm H. & proprietatem ſuî ipſius, ac ejus, quod recipit ex principiis, quæ ſupra ipſum exiſtunt. Cùm igitur hoc ita ſit, F. habet K. metaphoricè ad principia, quæ exiſtunt ſub ipſo; veruntamen ſecundùm Y. & ſecundùm rem F. habet K. ad ipſum B., quod ejus principium exiſtit: quoniam autem F. diſcretione caret, idcirco conditionatur, quòd habeat K. ad effectum ipſius B. metaphoricè, ut principia exiſtentia ſub ipſo ab ipſo ordinationem recipiant, & quòd ſecundùm Y. & ſecundùm rem habeat K. ad ipſum B.: quemadmodum enim S. habet K. ad V. Y., metaphoricè habendo K. ad ipſum B., per quam metaphoram dirigitur per diſcretionem, quam habet cum K., quod habet ad B.; ſic F. habet K. ad unam rem, ut inde ſequatur utilitas, & ut habeat K. ad ipſum B.; ſi enim F. nequaquam haberet K. ad ipſum B., ipſi B. fieret injuria à K. ipſius F., & illud, quod exiſtit ſub I. G., eſſet cauſa finalis; hoc autem eſt inconveniens.

Camera 5.
[*B.G.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

SEcundùm quod F. conditionatum eſt cum B. in K. per modum actionis, quam habet F. in I. G., conditionatur G. cum B. in K. per modum paſſionis: & quemadmodum E. judicatur in ſuis partibus qualitates habere, quas accidentaliter habet ſecundùm H. in O. P. Q. R., & qualitates ipſæ, videlicet caliditas, frigiditas, humiditas & ſiccitas ſunt ipſius I., & ſecundùm Y. eſſentialiter in E. nequaquam exiſtunt; ſic G. habet K. ad paſſionem, ut concipiat per generationem & corruptionem ſub F. Unde ipſum K. exiſtit in iſtis inferioribus operationibus ſecundâ intentione, primâ verò intentione eſt ad dignitates ipſius B.: ſi enim non ita foret, ſequeretur, B. non eſſe principium, ac ipſum non eſſe finem ultimum ipſi G.; hoc verò eſt inconveniens, quo prædicta conditio deſignatur, quæ reliquis cameris ſuprà dictæ figuræ ſecundùm ipſarum qualitatem & diſpoſitionem univerſalis exiſtit.

Camera 6.
[*B.H.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

COnditiones ipſorum B. H. ſunt, quòd, ſicut H. conſtituitur per F. G. in I., & in K. L. M. N. O. P. Q. R. per I., & ſicut H. eſt prædictis literis univerſalis finis, & etiam eſt medium, per quod ipſæ omnes diriguntur ad habendum K. ad ipſum B. ſecundùm doctrinam, quam dedimus in ſuprà dictis cameris, ſic B. eſt univerſale principium, ac eſt ultimus finis ipſius H., & omnium rerum, quæ ſub ipſo H. ac ſupra ipſum exiſtunt: quapropter ſicut eſt inconveniens, quòd H. operetur contra principia, quæ ſub ipſo ac ſupra ipſum exiſtunt, ita eſt inconveniens & incomparabiliter majus, quòd B. operari non poſſit contra H., ac quòd non operetur quandoque contra naturam in particularibus ipſius H., & in ipſo H.; ſi enim non ita foret, ſequeretur, quòd ipſum H. in dignitatibus ipſi B. foret æquale; quod eſt inconveniens.

Camera

Camera 7.
[*B.I.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

IEſt de natura corporea, & non eſt corpus in G.; quod ſi foret, eſſet G. in quatuor partes diviſum, ex quibus O. P. Q. R. ſecundùm H. K. derivari non poſſent: & quoniam B. eſt principium ipſi I., eſt C. in I., ut ipſum I. in G. O. P. Q. R. contineat triangulum rubeum atque viridem, ad ſignificandum, quòd ipſa I. G. habent R. in O. P. Q., quanquam I. ipſum non habeat in ſe ipſo, nec etiam G. habeat ipſum R. in ſe ipſo; nam per talem ſignificationem fit demonſtratio immobilitatis & inalterationis ipſius B. & dignitatum ejusdem, quod nequaquam poteſt eſſe diverſum nec contrarium in ſe ipſo nec in dignitatibus ſuis, nec etiam poteſt habere in ſe ipſo triangulum rubeum, quanquam ſit per totum id, in quo exiſtit I., & omnia opera operetur, quæ I. ſecundùm H. continet. Igitur cùm hoc ita ſit, ſecundùm id, quod I. repræſentat de B., convenit, ipſum I. conditionari tali modo, quòd B. ſe oſtendat nobilius in ſuis dignitatibus, quàm I.

Camera 8.
[*B.K.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

KConditionatum eſt, prout convenit conditionibus dignitatum ipſius B., ſecundùm quas conditionata ſunt omnia; & ideo K. metaphoricè eſt per totum id, quod eſt ab E. usque ad S. ſecundùm H.; ſecundùm rem verò eſt K. per B., & in B. eſt ejus perfectio: quoniam verò F. G. & alia principia diſcretione carent, non habent cognitionem de ipſo B., nec cognoſcunt, quòd ab ipſo habeant K. Idcirco contingit, quòd literæ, quæ ſecundùm H. habent K., in C. K. perfectionem non habent, habendo K. ad opus naturale; & F. G. H. I. in O. P. Q. R. operari non ceſſant, quoniam in H. complementum ſui K. inquirunt, ad quod moventur mediante K., quod habent ad B.; & ideo B. ipſorum operi principium exiſtit, ac ipſorum opus eſt effectus ipſius B.

Habente S. ſuum K. ad id, quod pertinet ipſi Q., ipſum S. defectum habet in K.; nam Q. nequaquam eſt finis, propter quem K. exiſtit in S.: cùm autem S. habet pro objecto A. V. Y., ipſum K. perfectionem non habet, quoniam S. exiſtit in Q., quod propter culpam eſt corpus corruptibile ac mortale; & ideò nullum K. in hoc mundo perfectionem videlicet finem habere poteſt, ad quem B. ipſum conditionavit.

Camera 9.
[*B.L.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

LEſt conditionatum in G., quòd ſit ſinè occupatione loci & ſinè C, ad ſignificandum, quòd B. per omnia, quæ exiſtunt intra E. & extrà, absque loci occupatione & absque C. eſſentialiter exiſtit; & quemadmodum formæ particulares conditionatæ ſunt in L. ſecundùm C. exiſtens ab L. ad N., ſic conditionatum eſt L. ad repræſentandum B. & conditiones ejusdem tali modo, quòd demonſtretur, in B. non eſſe L., imò quicquid eſt B., ac omnes dignitates ejus exiſtunt in N.: & ideo B. eſt cauſa ipſi E. & omni, quod ab ipſo E. continetur in triangulo rubeo; nec tamen ipſum E., nec res, quas in ſe collocatas tenet, exiſtunt antè in L., quàm in N. in B.: nam ſi ſic, ſequeretur, quòd B. absque L. in N. eſſe præbere non poſſet; hoc autem eſt impoſſibile; nam ſi eſſet poſſibile, ſequeretur, quòd actualitas ipſius B. exiſtens absque L. nequaquam exiſteret priùs, quàm L.; quod inconveniens eſſe dignoſcitur.

Camera 10.
[*B.M.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

COnditiones ipſorum B. M. ſunt, quòd B. in ſuis dignitatibus conditionet M. in F. G. H. I. K. L. N. O. P. Q. R.; nam per ſupremum bonum prædictæ literæ ad habitudinem boni ſe habent, & per magnitudinem ipſius B. ſe habent ad magnum bonum ac ad magnam poteſtatem intenſamque virtutem, & per æternitatem ſe habent ad durationem, per poteſtatem verò ſe habent ad poſſe, per ſapientiam autem ad operari ſe habent ſecundùm triangulum viridem croceum ac rubeum, & per amorem ſe habent ad habendum K. ad opus, quod eſt ſecundùm H., per virtutem verò ipſius B. ſe habent ad habendum virtutem, & per veritatem ad verificandum, per gloriam verò ſe habent ad K., per perfectionem verò ad C., & per juſtitiam ad temperamentum, & per largitatem ſe habent ad participationem unius ipſarum literarum cum altera, per dominium autem & patientiam ſe habet M. ad actionem & paſſionem in ſuprà dictis literis, & per miſericordiam & humilitatem ſe habet S. ad parcendum ac ſe humiliandum. Veruntamen omnia iſta ſe habent in principiis naturalibus per quamlibet dignitatum

ipſius B., ut M. convertatur in N.; cùm ipſæ dignitates in B. nequaquam exiſtant diverſæ; veruntamen H. in ſe ipſo ac in ſuis particularibus ex eis recipit diverſa opera, propter quæ M. diverſificatur & conditionatur in prædictis rebus. Secundùm id, quod ſuperiùs dictum eſt, revelatur qualiter F. G. H. I. K. absque diſcretione, quâ carent, diriguntur ad generandum & corrumpendum individua ſpecierum per triangulum viridem, croceum & rubeum; & etiam qualiter habent K. ad ipſas operationes, recipiendo influentiam à dignitatibus ipſius B., in quibus formatur M., in quo operationes naturales principiis naturæ ſunt objectæ.

Camera 11.
[*B. N.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

EXiſtens B. per ſe purus actus præbet N. omni ei, quod in H. actualiter exiſtit; & ideo ſecundùm dignitates ipſius B. conditionatur ipſum N. in omni eo, quod in N. exiſtit, ut ſumma actualitas ipſius B. in ipſo N. repræſentetur, quæ in ſe ipſa & per ſe ipſam eſt absque triangulo rubeo, cujus absentiâ N. in aliquo, quod exiſtat ſub B., evenire non poſſet; nam ſi ſic, B. nequaquam eſſet principium ipſi N.: quoniam autem B. eſt ipſius N. cauſa, idcirco evenit N. ex F. G. H. I. K. L. per triangulum viridem & rubeum, & quicquid eſt ſecundùm H., diligit eſſe in N., & habere actionem & concordantiam in Q.; cùm majoritas & eſſe meliùs conveniant in N. Q., quàm in F. G. H. I. K. L. M. O. P. R.; quod eſt, quia C. nequaquam altiùs poteſt aſcendere, nec N. removere ab L. Igitur cùm ita ſit, N. in ſe ipſo demonſtrat per id, quod in illo ponit C., quòd B. habet in ſe ipſo aliquod opus, quod absque C. & contrarietate ac absque triangulo rubeo efficitur; quia ſi non, N., quod contingit per C. in triangulo viridi & rubeo, non haberet aliquid, quod ejus cauſa ac principium exiſteret; & ſic B. eſſet cauſa per effectum & non per ſuas proprias dignitates; hoc autem eſt inconveniens, quo revelatur, quòd B. eſt principium ipſi N. ipſius H. per ſe in opere, quod continet in ſe ipſo.

Camera 12.
[*B. O.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

QUemadmodum locus ſequitur locatum, & tempus ſequitur motum, ſic O. & omnia reliqua principia ſub conditionibus ipſius B. ſuas proprias conditiones ſequuntur, & B. exiſtit immobile in ſe ipſo ac in ſuis dignitatibus: quoniam autem F. G. H. I. absque C. ſuas conditiones ſequi non poſſunt, convenit, quòd ex G. in I. & ex I. in O. procedat mixtio ac confuſio trianguli viridîs, rubei & crocei in G., cauſâ dirigendi P. in Q., & etiam cauſâ reſtaurandi C. H. in R. L., ac reparandi N.; & totum hoc opus ſignificat, qualiter O. eſt, ut opus ipſius H. ipſi B. ſit magìs ſimile: & quantò fortiùs multiplicatur opus ipſius H. in O. ad eſſe ſimile ipſi B., tantò fortiùs opus, quod B. habet in ſuis dignitatibus, oſtenditur eſſe diſſimilius operi ipſius H.; velut ſol, qui quantò fortiùs apprehenſibilis eſt à veſpertilione, tantò minùs ab ipſo eſt ejus ſplendor viſibilis; & ideò magìs videt de ſplendore ſolis in nocte in aëre illuminato per ſolem, quàm in die.

Camera 13.
[*B. P.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

PEr P. fit digeſtio ejus, quod procedit ex G. in I. & ex I. in O.: nam quemadmodum aqua progrediens ex O. in P. in vegetabili potentia plantarum & ex ipſa vegetatione progreditur in vinum, & ex vino in ſanguinem in animato corpore, ſic ex G. procedunt partes in I., & ex I. in O., & ex O. in P., & ex P. in Q. Quapropter conditionatur P. ſecundùm prædictum curſum, ut ejus opus ipſi S. objectum exiſtat, ut cognoſcat, quòd ſecundùm dignitates ipſius B., quicquid eſt de P., in digeſtionem venit per triangulum viridem & croceum atque rubeum, prout dignitates ipſius B. concordes exiſtunt ad eſſe unum B., ad quod P. movetur per K. in O. Q., cauſâ recipiendi ſimilitudinem atque metaphoram ab opere intrinſeco ipſius B. absentiâ trianguli rubei atque contrarietatis, majoritatis & minoritatis.

Camera 14.
[*B. Q.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

QUicquid eſt effectus ipſius B. ſecundùm H., ab ipſo B. ſimilitudinem conatur recipere; hoc autem eſt propter maximam concordantiam, quæ inter cauſam & effectum ejus exiſtit, ac etiam propter excellentes dignitates ipſius B., quod ſuo effectui tantam ſimilitudinem præbet, quantam ipſe poteſt recipere; hoc autem eſt propter defectum effectûs, quòd ipſe ab ipſo B. non poteſt plùs recipere. Cùm autem Q. ſit nobilius membrum, quod habet H., & cùm in

in Q. conjungatur beneficium, quod ab ipſo E. inferiora corpora recipiunt, & Q. ſit in triangulo rubeo finis ipſorum F. G. H. I. O. P., & ipſum Q. compoſitum ſit ex particulari forma & ex ſecunda materia, ex quibus formâ & materiâ procedit compoſitum; idcirco conditionatur ipſum Q., ut ſit ſpeculum ipſius B. & conditionum ejusdem, quod B. ſuperat Q. in ſimplicitate atque in omnibus dignitatibus ſuis, per quas eſt cauſa ipſi Q., quæ cauſa conditionata eſt in ſe ipſa abſentiâ ſui effectûs; quia ſi non, impoſſibile eſſet, quòd ipſum priùs exiſteret, quàm ſuus effectus.

Camera 15.
[*B. R.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

QUoniam non tam fortiter convenit effectum ipſius B. eſſe effectum, quemadmodum B. eſſe cauſam, & etiam, quia B. meliùs convenit ad eſſe A., quàm ad eſſe B.; ideo ad indigentiam effectûs R. conditionari oportet tali modo, quòd effectus per R. cauſam ſignificet, videlicet quòd ipſum R. oportet eſſe in I. O. P. Q. per triangulum viridem, croceum & rubeum cauſâ reparandi Q., & etiam conſervandi L. in G., & ut ſit materia ipſi C.; nam absque ipſo R. ipſum C. nequaquam durationem haberet, nec abſentiâ triangulorum principia ipſius H. valerent ſequi convenientes conditiones, ad ſignificandum dignitates ipſius B., quæ dignitates absque C. & R. ac ſinè contrarietate majoritate & minoritate conſiſtunt æternæ, ſunt etiam ad invicem concordantes & in ſe ipſis operantes æternè, ac in ipſarum ſimplicitate atque perfectione ſuperantes in æternitate cæteríſque cameris ipſius A. omnia opera exiſtentia ab ipſo B. usque ad Z.; quanquam R. & C. atque trianguli conentur continuè, quòd H. ſimilitudinem ipſius B. poſſit recipere.

Camera 16.
[*C. D.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

COnditiones ipſorum C. D. ſunt in hac camera concordantes, ſecundùm quod C. in ſua propria diſtinctione conditionatum eſt, & etiam ſecundùm quod D. conditionatum eſt in ſuâ; & C. D. ſimul conveniunt, ut C. diverſificetur in motu virtutis & in motu locali; ipſum D. namque motum habet virtutis contemplando B. absque quadrangulo rubeo ipſius S.; & nequaquam movetur localiter ſecundùm Q., quod absque triangulo rubeo moveri non poteſt; imò movetur absque medio loci, velut S., quod de uno objecto in alterum movet ſuos quadrangulos, vel ſicut lumen in camera, aut quemadmodum virtus viſiva, quæ æqualiter in tempore tam citò ſumit objecta longinqua ſicut propinqua, nec D. movetur ab ipſo B. ſumendo unum objectum, & alterum dimittendo; quia ſi ſic, paſſionem haberet abſentiâ culpæ; nec H. impedit ipſi D. ſuum C.; quia ſi faceret, D. exiſteret contra ſuammet virtutem in influentia, quam H. ſumit ab E., quod E. per D. movetur. Plures autem alias conditiones habet D. in C., prout demonſtrabile eſt in hac camera per A. S. T. V. X. Y. Z. ac per diſtinctiones ipſorum C. D.

Camera 17.
[*C. E.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

CIn E. per motum localem circularem eſt concordans & differens absque contrarietate unius corporis cum altero in E., & E. movet ſuam virtutem in F. G. H. I. K. L. M. N. O. P. Q. R. per triangulum viridem, croceum atque rubeum, & ex C. ipſius E. ac ex C. recipiente influentiam ipſius E. in principiis ipſius H. movetur C., per quod H. movetur ſecundùm prædictam diſpoſitionem & proportionem, & hoc totum probabile eſt ſecundùm regularitatem præmiſſæ cameræ atque principiorum hujus artis, quæ in hoc loco probatione non indigent, nec ea probare convenit, quoniam materia hujus artis nimis inde redderetur prolixa.

Camera 18.
[*C. F.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

FMovet ſuam virtutem per totum id, quod usque ad S. exiſtit, quæ virtus movetur localiter de uno loco in alterum in formis particularibus ac in ſecunda materia; & quicquid movet, movet agendo, & movet G. in I.: veruntamen non movet G. nec ſe ipſum de uno loco in alterum; quod ſi faceret, F. G. eſſent unum corpus motum in loco elementato vel vacuo; hoc autem eſt inconveniens, cùm omnem locum, in quo eſt H., conveniat ex G. plenum exiſtere.

Camera 19.
[*C. G.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

CExiſtit in G. per triangulum viridem croceum & rubeum; & ideo G. in ſua ſimplicitate eſt immobile, movetur autem in

ſuis particularibus compoſitis, in quibus ſemper paſſivè movetur; & ex motu ſuo generatur ſecunda materia, in qua eſt motus localis, qui ſequitur per tempus & locum & quantitatem, ac etiam propter contactum unius corporis cum altero in O. P. Q. R.: motum verò, quem G. habet in virtute, convenit eſſe in altero, in quod procedit virtus ipſius G. per agens extrahens inde ipſam virtutem in ſecunda materia & in particulari forma; quod agens eſt F. in I., & I. in H. ſecundùm diſpoſitionem ipſius E. in F. G. & ipſorum K. M. in I. H.

Camera 20.

[*C.H.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

HAbet C. per particularia, in quibus movetur ſecundùm diſpoſitionem ipſorum E. F. G. I. in K. L. M. N. O. P. Q. R., & à ſuis particularibus non movetur; & ideo, in quantum H. eſt univerſale, exiſtit immobile ac inſeparabile à ſuis principiis, quæ ſunt F. G. I. in K. L. M. N. O. P. Q. R.: ſi autem H. eſſet mobile ac ſeparabile à ſuis principiis, principia ejus exiſterent absque H.; hoc autem eſt inconveniens. Cùm igitur H. ſit mobile per ſua particularia, & immobile à ſuis principiis, ideò ipſum H. conditionatur in *duobus motibus*, quorum unus eſt *motus virtutis*, videlicet cùm H. habet motum in F. G. I. K. L. M. N. O. P. Q. R. abſentiâ loci; & hoc C. compoſitum eſt ex immobilitate ipſorum H. F. G. I., ac ex particularibus, in quibus H. habet C. in F. G. I.: alius verò motus eſt *motus ſecundùm locum* in O. P. Q. R.; & iſtud C. deſcendit ex immobilitate ac mobilitate prædictis.

Camera 21.

[*C.I.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

PEr I. ſignificantur quatuor elementa, in quibus C. in *duabus ſpeciebus* conſiſtit, quarum una eſt *ſecundùm virtutem*, altera verò *ſecundùm locum*; & hæ duæ ſpecies exiſtunt ſub K., & ſunt in L. M. N. O. P. Q. R., prout ſunt ſub E. F. G. H.: nam *prima ſpecies* eſt, cùm ex G. quatuor Elementa procedunt in O. P. Q. R. per triangulum viridem, croceum atque rubeum, & ad ſuas ſphæras aſcendendo moventur, ac etiam deſcendendo alia in ſphæras aliorum. In hac prima ſpecie quatuor Elementa nequaquam ſunt mobilia in G. corporaliter; nam ſi ſic, quodlibet Elementum eſſet corpus ſimplex, uno ipſorum moto in locum & ſphæram alterius; hoc autem eſt inconveniens & contra ſignificationem, quam I. in ſua ſimplici immobilitate ſignificat, videlicet immobilitatem ipſius B.; ad quam ſignificationem ipſum I. conditionatum exiſtit. *Secunda ſpecies* eſt, cùm I. in O. P. Q. R. eſt movens & motum per omnia loca, quæ G. replet; quæ loca continent particularia ipſorum F. G. H. I. in O. P. Q. R.: & in hac ſecunda ſpecie ipſius C. prima ſpecies movetur.

Camera 22.

[*C.K.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

SI C. eſſet æternum, ejus imperfectio atque K. æternitatem haberent; hoc autem eſt inconveniens: quo demonſtratur, triangulum rubeum eſſe de conditionibus ipſorum C. K. Præterea forma ipſorum C. K. in H. exiſtit in N. Q.; quæ forma eſt finis ipſorum reſpectu finis ultimi, qui eſt B., quod eſt principium atque cauſa ipſis C. K.: finis verò & forma, quos C. K. habent in N. Q., ſunt ſecundâ intentione, primam autem intentionem habent ad B. Cùm igitur hoc ita ſit, data eſt doctrina ad inveſtigandum particularia in proportione ipſorum C. K. ſecundùm regulas hujus artis.

Camera 23.

[*C.L.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

COnditiones ipſorum C. L. ſunt, quòd C. ſit antè in virtute ac in triangulo rubeo, quàm L. moveatur ad N.: ſi enim non ita foret, ſequeretur, quòd L. eſſet corpus in G. motum & tactum per alterum corpus, ac mutans ſe de uno loco in alterum; hoc autem eſt inconveniens: quo ſignificatur, quòd L. eſt virtus exiſtens in G., quæ movetur per F. I. H. E. ad N., & quòd L. movetur localiter per O. P. ad Q., & ex Q. revertitur in O. ad G. per R. propter corruptionem, tamen in altero numero.

Camera 24.

[*C.M.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

C. M. conditionantur in triangulo rubeo, viridi atque croceo in F. & in particularibus formis ac in G. nec non in ſecunda materia & G. I.; & ideò M. ſecundùm virtutem & ſecundùm corpus eſt movens & motum in L. N.: quandoque autem movetur antè in virtute ipſius N. ad L., quàm ipſius L. ad N. in R. vel in S., ſecundùm quod S. dimittit & ſumit objecta cum ſuis quadrangulis: quandoque verò eſt M. antè in C. ipſius L. ad N., quàm ipſius N. ad L., velut in arbore, vel in logico, ſeu in quadrangulis ipſius S., ubi rubeus priùs incipit ab L., quàm ad reddendum M. ad L., cùm C. exiſtit in N.; & ideo exiſtit M. in medio ipſorum L. N. ſecundùm H., vel ſecundùm S.

Camera 25.

[*C.N.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

COnditiones ipſius C. ſunt, quòd ſit perfectio ipſi N., & quòd ex N. revertatur ad L. cauſâ inquirendi in N. aliam perfectionem ad ſignificandum, quòd ſupremum N. exiſtit in B., à quo omnes literæ habent perfectionem & influentiam ipſius N.; in quo N. B. non eſt C.: quoniam verò N. absque B. ſinè C. eſſe non poteſt, quod C. ſecundùm locum vel virtutem, vel ſecundùm ambo ſimul convenit eſſe in N. effectum ipſius B., ideo in aliquo N. exiſtente ab ipſo B. usque ad S. nequaquam C. ceſſat. Unde, ſi quæſitum particulare fuerit contra conditiones ipſorum C. N., oportet, ipſum convenire cum Z., & ejus oppoſitum cum Y.

Camera 26.

[*C.O.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

COnditiones ipſorum C. O. ſunt, quòd ipſum C. in generatione incipiat in O., & deſcendat ex F. G. H. I., & quòd moveatur ad P. Q., & quòd in corruptione C. tranſeat per O., antequam ſecunda materia tranſeat ad I. G.; ac etiam, quòd C. ſit in O. in P. Q. R.: quia ſi non, ipſa P. Q. R. nequaquam eſſent in O.; hoc autem eſt inconveniens. Præterea convenit, quòd C. ſit ita in O., velut tempus exiſtit in motu, vel locus in locato, ſeu quemadmodum quinque ſenſus ſunt in O. P. Q. R.; per triangulum enim viridem & rubeum incipit ſecunda materia & forma particularis in O., quod principium absque C. eſſe non poſſet.

Camera 27.

[*C.P.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

COnditiones ipſorum C. P. quàm plures exiſtunt; ſed iſtæ, quas nominamus, ſufficiunt ad inveſtigandum particularia, quæ quæruntur per hanc artem: quapropter dicimus, quòd C. conditionatur in P., & P. in C., ut partes ipſius G. ſint in C. ſe moventes per virtutem ipſorum F. H. I. E. ex uno loco in alterum in corpore, in quo P. exiſtit, absque eo, quòd illud corpus moveatur de uno loco in alterum per P.; ſed augetur per C. & per partes ipſius G., quæ conveniunt in P. cauſâ componendi Q.: *ſicut in medicina ſimplici calida & ſicca, in qua ignis movet humiditatem aëris calefaciendo ſubjectum ipſius humiditatis; & aër movet frigiditatem aquæ, ipſi humiditatem calefactam præbendo; aqua verò movet terram dando ei frigiditatem humefactam ac etiam calefactam; terra verò movet ignem dando ei ſiccitatem frigefactam humefactam & calefactam:* & ideo formatur C. in P., & P. continet in ſe C., & eſt compoſitum ex prædicto motu; quâ compoſitione contingit generatio & corruptio mediante *triangulo viridi atque rubeo*, qui in G. I. O. P. exiſtunt.

Camera 28.

[*C.Q.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

QUeſt mobile de uno loco in alterum, ac in ſe ipſo motum habet ratione proportionis, quam habet C. cum P. R., quæ exiſtunt in Q.; & C. eſt in Q., absque eo, quòd Q. moveatur de uno loco in alterum, cùm in uno loco exiſtit jacendo, ſive ſedendo: quapropter C., quod eſt in Q., exiſtente in uno loco eſt motus virtutis ipſorum F. G. H. I. K. M., & movet alteram virtutem exiſtentem extra Q., videlicet per K., quod habet, ad recipiendum beneficium à rebus exiſtentibus extra Q. in O., ut P. in privationem non veniat; & ideo plantæ nec non animalia habent K. ad ſecundam materiam ipſius G., quod exiſtit in O.: & ſicut Adamas [Magnes], qui non movetur, movet ad ſe ferrum, quoniam habet C. in ſe ipſo per virtutem, habendo majus K. in natura ferri ad G., quàm aliqua alia ſpecies, ſic per C. exiſtens in virtute in Q. in plantis & animalibus res exteriores ad res intra Q. exiſtentes moventur.

Camera 29.

[*C.R.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

COnditiones ipſorum C. R. ſunt, *quòd in R. partes cujuslibet particularis ad univerſale per indigeſtionem moveantur, ſicut per P. deſcenderunt ex univerſali ad particulare;* & ideo C. R. exiſtunt in Q., in quo deſtruunt O. P. *per diſſolutionem & annihilationem ipſius Q. ſeparando partes, ex quibus Q. eſt compoſitum:*

„ velut in corpore cholerico, in quo ignis
„ mortificando aquam cavat terram, & facit in ipſa locum vacuum, in quo recipiatur ejus ſimplex materia; ſed propter ſiccitatem, quam ignis recipit, & propter
„ frigiditatem, quam ſiccitas ab aquâ recipit, & propter proportionem, quam ignis habet

„ habet cum aëre, implet ipſum locum, in „ quo eſt C., quanquam corpus, in quo eſt „ R., non moveatur de uno loco in alte- „ rum: quapropter contingit, quòd, ſicuti objectum ſuâ virtute movet ad ſe res exterio- res, ſic C., quod eſt in corpore, in quo R. exiſtit, movet intra corpus ejus partes ad exte- riora, ut redeant in O., & ex O. redeant ad G.; quod contingit, quoniam in triangulo viridi differentia & contrarietas exiſtunt majores, quàm differentia & concordantia.

Camera 30.
[*D.E.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

COnditiones ipſorum D.E. ſunt, quòd D. moveat E., habente D. ipſum C. in E. in virtute absque motu ipſius D., absque eo, quòd D. habeat neceſſitatem eſſendi cor- pus cauſa habendi C. in E. ad ſignificandum, quòd repræſentante B. ſe ipſi D. ipſum D. exiſtit ſubſtantia incorporea habens virtutem movendi E.; & ideo meliùs manifeſtatur, B. eſſe incorporeum & immobile, ejus virtute movente omnia, & etiam S. meliùs inde ha- bet A. V. Y. in quadrangulo livido, & in no- bilitate ipſius D. habet S. cognitionem de ipſo B., quod eſt cauſa ipſius D.; ac etiam D. habet inde nobiliorem operationem, in quâ majus beneficium recipit ab ipſo B., eò quòd ipſum D. eſt incorporeum & movens E. abs- que eo, quòd ipſum moveatur, quàm habe- ret, ſi in prædictis dignitatibus deficeret.

Camera 31.
[*D.F.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

EX conditionibus ipſorum D.F. eſt, quòd D. exiſtens effectus ipſius B. ac movens E. poteſtatem habeat ſupra F., ut principia inferiora inde concordantiam & differen- tiam habeant, & quòd principia ſuperiora & inferiora inde nobiliora exiſtant: præterea ſi F. habet aliquem defectum virtutis in ſuis formis particularibus, dirigi debeat per D. in diverſificare G. in I. O. P. Q. R.; velut lu- men in camera, quod virtutem viſivam illu- minat, ut pro objecto recipiat formas in ca- mera exiſtentes.

Camera 32.
[*D.G.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

ABſentiâ ipſius C. in E. ipſum G. ab ipſo E. influentiam nequaquam reciperet, neque E. poſſet habere C. absque D.; & ideo in proportione ipſorum C. D. E. ac ipſorum E. F. conditionatur ipſum G., ut ipſi D. paſſi- vum exiſtat; ob quam paſſionem D. ſumit formam in aëre, & habet poteſtatem in G. per triangulum viridem in I. O. P. Q. R.: quapropter D. habet majorem libertatem ad auxiliandum ipſi S., ut habeat A. V. Y. in quadrangulo livido, ac ut habeat V. Z. in quadrangulo nigro.

Camera 33.
[*D H.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

IPſa D. H. in univerſali conditionata ſunt, ſecundùm quod H. recipit influentiam ab ipſo E.; in particulari verò D. habet po- teſtatem, licentiam & influentiam ipſius B. faciendi contra ipſum H. in aliquibus for- mis particularibus, quæ exiſtunt membra ipſius H.; quod H. eſt ſubjectum ipſi D. abs- que alteratione univerſalis naturæ, quam H. recipit ab F. G.: & hæ conditiones ipſorum D. H. ſunt ad ſignificandum ſupremam ex- cellentiam ipſius B. ac uſum, quem ejus di- gnitates habent in omnibus, quæ ſub ipſo H. exiſtunt.

Camera 34.
[*D.I.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

GAbsque I. propinquum eſt privationi, & eſt longinquum ab eſſe; G. autem in I. remotum eſt à privatione ac etiam ab eſſe reſpectu ipſorum O. P. Q.: & quantò magis G. diſtat ab I., tantò magis ipſum I. propinquum eſt ſecundæ materiæ ac parti- culari formæ in O. P., & eſt magis à privatio- ne remotum. Igitur cùm hoc ſit de condi- tionibus ipſorum I. G., cùm D. ſit cauſa, qua- liter per E. ſit I. remotum ab ipſo G., vel ei propinquum; ideo in prædicta cauſa con- ditionatur I. in D., ſalvâ tamen domina- tione, quam B. habet ſupra D. E. G. I.

Camera 35.
[*D.K.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

SEcundùm triangulum viridem S. intelli- git per quadrangulum lividum, quòd F. in N. eſt univerſale formæ particularis, quæ fuit in G. priusquam in N., ac etiam for- mæ particularis, quæ exiſtit in L.; & ideo D. eſt in conditione cum K., ſecundùm quod K. ſuis principiis exiſtit inferius, ac ſecundùm quod D. exiſtit ſupra ipſa principia ipſius K.: per talem namque conditionem contingit, quòd D. dirigit ipſum K. in H. absque paſſio- ne ejusdem; ſi enim D. cogeret ipſum K. in H., eſſet contra C. E.; quâ contrarietate ipſum

ipſum D. ſibi ipſi eſſet repugnans; quod ne- quaquam exiſtit conveniens.

Camera 36.
[*D.L.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

QUemadmodum ſecundùm H. ipſum L. particulare, quod exiſtit in G., move- tur per I. O. P. Q. in N., ſic per virtutem ipſius D., & quoniam D. movet E., ac etiam quia C. ipſius L. in N. movetur per influen- tiam ipſius E., habet L. ſuas conditiones cum D. ſecundùm conditiones prædictorum principiorum: & ideo D. habet in G. I. ipſum L. contra H., & in I. N. multoties ac- cipit formam, ac ſinè diſpoſitione ipſorum F. G. in H. O. P. facit devenire formam na- turalem ipſius L. in N., velut faber cultelli formam ex L. in N. artificialiter movet.

Camera 37.
[*D.M.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

MEſt univerſalis habitus ipſius H. & ejus principiorum, & E. movetur per D., & M. ab ipſo D. recipit influentiam: quapropter ipſum M. conditionatur cum D. ſecundùm conditiones ipſorum D. E., ac ipſorum D. H., & H. M.; & quoniam E. H. M. diſcretione carent, & habent operari per triangulum viridem, croceum atque rubeum in maximo C., ſi contingat, quòd M. ad opus ipſius H. univerſaliter non ſufficiat, conve- nit, quòd D. habens intellectum dirigat H. in habituando ſua principia, ut H. habeat M. in ſuis particularibus, ut ipſum M. & trian- gulus viridis, croceus & rubeus conveniant in C. L. N. O. P. Q. R.

Camera 38.
[*D.N.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

FG. H. I. habent K. ad N., quoniam N. à privatione magis diſtat quàm L.: quo- niam verò in habendo K. ad eſſe N. eſt medium, per quod H. & ejus principia ha- bent K. ad B., per quod habent eſſe, ideo D. N. ſunt in tali conditione, videlicet quòd D. habeat primam intentionem ad B., & ſe- cundam ad ſe ipſum, & quòd H. & ejus prin- cipia habeant primam intentionem ad ſe ipſa, & ſecundam ad ipſum B., quanquam B. ultimus finis ipſius H. ac ejus principiorum exiſtat; ad quem ultimum finem movetur H. cum K. habendo ad ſe ipſum ac ad ipſum N. metaphoricè primam intentionem; D. verò mover E. ad contrarium metaphoræ ipſius H. ac ipſius C. in ejusdem H. principiis exiſtentis.

Camera 39.
[*D. O.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

DO. in tali conditione conſiſtunt, ſci- licet quòd D. habeat C. per O., & quòd non miſceatur cum O., nec etiam ipſum D. in O. collocatum exiſtat, nec in ipſo O. impediat locum particularibus, ex quibus O. eſt compoſitum, ut ſit univerſale ipſorum; nec etiam O. corpus hominis va- leat impedire: quemadmodum enim S. cum corpore non miſcetur, quanquam per totum corpus hominis exiſtat, ſic D. non miſcetur cum O., quanquam ſit in eodem loco, in quo ipſum O. continetur.

Camera 40.
[*D. P.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

COnditiones ipſorum D. P. ſunt ſecun- dùm operationem utriusque ipſorum: nam quemadmodum O. eſt materia ipſi P., & P. eſt medium, per quod O. tranſit ad Q., ſic D. habet ſuam exiſtentiam atque beatitu- dinem & perfectionem in præſentiâ ipſius B.; & ſicut C. eſt in P. ipſius O. ad Q., ſic D. habet C. in E. cauſâ recipiendi ſimilitudi- nem ipſius B. ad operandum & ad bonifican- dum P. in E.

Camera 41.
[*D. Q.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

QEſt univerſale, ad quod omnes literæ exiſtentes ab ipſo D. usque ad S. ha- bent intentionem; nam ipſum Q. eſt finis omnium ipſarum, ac etiam ipſum Q. eſt ſub- jectum, in quo omnes literæ habent K. ad ſi- militudinem ipſius B.; & ideo Q. habet ma- jorem dignitatem, quàm omnes aliæ literæ, & Q. continet in ſe triangulum viridem, cro- ceum & rubeum: & ideo Q., in quo exiſtit S., eſt nobilius, quàm omnes literæ; ad quod Q. ipſum D. intentionem habet movendo E., ac adjuvat ipſum H. ad conſtruendum Q. ab ipſo E. usque ad Q.: quia ſi non, eſſet con- tra C. E., & influentia ipſius E. nequaquam pertingeret usque ad Q., nec D. moveret E. per ſuam totalitatem usque ad Q.; hoc au- tem eſt inconveniens & contra nobilitatem ipſius C. in D. E. Q., ac etiam contra bene- ficium, quod D. recipit ab ipſo B., nec non contra effectum ipſius B. Præterea D. ad- juvat ipſum S., quod exiſtit in Q., ut habeat quadrangulum lividum & rubeum ad A.

V.Y., & quadrangulum nigrum ad V. Z., ſalvando tamen in ipſo S. cameram liberi arbitrii & meriti: nam quemadmodum D. juvat ad conſtituendum Q., ipſi H. ſalvando K. in C. H. I., ſic adjuvat ipſum S. ſalvando libertatem, quæ ipſi S. convenit; quemadmodum enim D. deſtrueret H., ſi in ipſo H. cogeret K., ſic D. deleret dignitates ipſius S., ſi ejus quadrangulos in prædicta camera conſtringeret.

Camera 42.
[*D.R.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

D. R. tot conditiones habent, quoties „inter ipſa D.R. triangulus viridis „exiſtit; & hoc idem ſequitur de triangulo „croceo & rubeo; quapropter impoſſibile „eſt nobis, de omnibus conditionibus inter „D. R. exiſtentibus pertractare: veruntamen ad inquirendum aliquod particulare per ipſorum conditiones ſufficit una conditio, ſecundùm quam ſequatur conveniens vel inconveniens per ipſum particulare in D.R.; ſi enim per unum particulare ſeu per plura particularia inter D.R. una conditio poſſet deleri, omnes reliquæ deleri poſſent; velut ſi conveniret, quòd D. & R. ſimul concordarent in H., ut D. haberet alterationem ex L. in N., quam habet R. in ſuis particularibus, ipſum D. eſſet corruptibile ac mortale; hoc autem eſt inconveniens & contra omnes conditiones ipſius D. Igitur cùm ita ſit, *hæc regula generalis eſt præmiſſæ cameræ ac omnibus cameris univerſalis figuræ.*

Camera 43.
[*E.F.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

Conditiones ipſorum E. F. ſunt, quòd ipſum F. in ſuis particularibus recipiat influentiam ab E., per quam F. meliùs ſe habeat ad G.I.K.L.M.N.O.P.Q.R.: nam quoniam F. diſcretionem non habet, & convenit ad habendum ordinationem ſupra ſuas particulares formas, prout convenit ipſi H., idcirco convenit, quòd E. influat in F., ut F. ab ipſo recipiat beneficium & regulam ſupra principia, quæ exiſtunt ſub ipſo: quemadmodum enim ſartor per naturam imaginationis & intellectûs & voluntatis ſcit, poteſt & vult ex panno facere tunicam, mantellum atque cappucium, ſic F. per beneficium, quod recipit ab ipſo E., & per naturam, quam ſumpſit per gratiam ipſius B., operatur, & habet actionem ſupra G., & ipſum dividit per triangulum viridem, croceum & rubeum in O.P.Q.R., & ordinat O.P.Q.R.I.K.L.M.N., & habet differentiam & concordantiam in O.P.Q.R. in formis particularibus ſimplicibus & compoſitis.

Camera 44.
[*E.G.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

G. Eſt eſſentia & natura omni habenti eſſe; ſub quo G. exiſtit ſubjectum atque potentia ipſi eſſe: quoniam autem G. eſt in ſe ipſo ſimplex, in altero verò compoſitum, ideò G. non poſſet recipere mutationem ex ſimplicitate ad compoſitionem in ſecunda materia & particulari forma absque ſubſidio ipſius E.; nam per C. ipſius E., ac etiam quia omnia particularia ipſius E. influunt in particularia ipſius G., ideo G. eſt potentia paſſiva ad transmutari per alteram ex ſimplicitate ad compoſitionem ſecundæ materiæ, cui G. exiſtit ſubjectum: velut aqua in formam vini transmutari non poſſet, nec vinum in ſaguinem, nec ſanguis in carnem absque P., nec etiam P. eſſe valeret absque beneficio ſolis & lunæ & reliquorum particularium ipſius E.

Camera 45.
[*E.H.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

H. Eſt univerſale diviſum in ſua particularia, ſicut corpus in ſua membra, quanquam ipſum H. nequaquam corpus exiſtat; & per influentiam, quam habet E. in particularibus ipſius H., recipit ipſum H. ab ipſo E. beneficium in ſuis particularibus, velut arbor in ſuis radicibus recipit beneficium à terra & à reliquis elementis; & ideo eveniunt pluviæ, nives, venti atque tonitrua, nec non quatuor tempora anni: & ſic homines ſunt fortunati & conſtellati, ſecundùm quod B. conſentit; & ſecundùm quod triangulus viridis, croceus & rubeus ſunt inter particularia ipſorum E.H., proportionata eſt conditio ipſorum E.H.; & ideo conſtituta eſt Scientia Aſtrologiæ.

Camera 46.
[*E.I.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

Per ſubſidium virtutis ipſius E. ipſum F. diverſificat ipſum G. in quatuor formis univerſalibus, quæ ſunt quatuor elementa: nam ſicut per influentiam virtutis viſivæ formantur in ſpeculo ſpecies ſive figuræ facierum, quod ſpeculum proportionatum eſt ad recipiendum ipſam influentiam, ſic E. tam fortiter influit in G., quòd in materia reſultat operatio ipſius F. ad generandum I. in G.; & hoc I. exiſtit in triangulo viridi; & particularia ipſius E. judicantur ſecundùm qualitates ipſius I., velut radius ſolaris exiſtit in corpore & in aëre, nec tamen per ſe eſt corpus.

Camera 47.
[*E.K.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

K. Meliùs convenit vitæ, quàm naturæ; & quoniam H. per ſe vitam non habet, niſi ſolùm in vegetativa & ſenſitiva, convenit, quòd E. adjuvet ipſum H., ut habeat K., per quod habeat C. ab E. usque ad S.; nam absque ipſo K. ipſum C. non eſſet ex principiis convenientibus ipſi H. Unde velut maſculus & fœmina habent K. in naturali conjunctione ipſius L., ut ſuppoſitum, quod ex ambobus generatur, venire poſſit in N., & ipſum K. exiſtit metaphora, ut ſit generatio infantis, ad ſignificandum metaphoram, quæ eſt K. ipſi H., ut habeat C. ad ipſum B.; ſic E. influit in H., ut habeat K. ad particularia naturalia, ut habeat ipſum K. ad B.

Camera 48.
[*E.L.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

E. Eſt incorruptibile in ſua univerſalitate ac in ſuis particularibus; quâ incorruptibilitate, & etiam, quoniam L. eſt immobile per ſe ipſum, E. verò eſt mobile, ipſa E. L. ſimul conveniunt, ut L. recipiat influentiam in G. per paſſionem, & in F. per actionem, ut ipſum L. conſervetur causâ faciendi reverti individua ſpecierum ad G., ac etiam causâ faciendi reverti partes ipſius Q. per R. ad G., in quo conſervetur ipſum L.: & præterea E. eſt cauſa ipſis F. I., quòd moveant L. ad N. per O.P.Q. in G.

Camera 49.
[*E.M.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

Secundùm quod ſol & alia particularia ipſius E. proportionem habent in rectitudine & propinquitate ac præſentiâ & abſentiâ partibus ipſius terræ, contingit, quòd E. eſt cauſa ipſi M. individuorum ſpecierum, & plantæ, animalia & metalla habent differentiam per triangulum viridem: velut Sclavi, qui albi ſunt, & habent capillos albos & longos, Æthyopes verò propter præſentiam ſolis ſunt nigri; & hoc idem ſequitur etiam de aliis rebus. Unde quemadmodum E. per ſuam influentiam juvat inferiora corpora ad generandum ac etiam conſervandum; ſic ejus influentia juvat ipſa ad habendum habitum: & ideo C. in H. per triangulum viridem exiſtit in omnibus M. florum, foliorum & fructuum, ac etiam in omnibus animalibus, ac in omnibus diverſis figuris ipſorum membrorum.

Camera 50.
[*E.N.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

Et N. conditionantur, ſecundùm quod formæ ipſius H. ab ipſo E. influentiam poſſunt recipere; nam E. per maximam virtutem, quam habet in ſuo C., tantum influit in particularia ipſius H., quòd movet ipſa ex L. ad N., & in ipſo N. ipſum E. in ſua influentia particularibus ipſius H. exhibet complementum: quoniam autem ipſa particularia non poſſunt plùs recipere de influentiâ ipſius E., & C. non privatur in E., convenit, quòd ipſum E. illud, quod complevit, evacuet, (ut ita loquar); quia ſi non, ſequeretur, ejus influentiam eſſe inferiùs absque C.; hoc autem eſt inconveniens, quo ſignificatur, qualiter E. & N. per triangulum viridem & rubeum ſe habent.

Camera 51.
[*E.O.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

Per maximum C. ipſius E. in G., & etiam quoniam F. G. habent maximum K. in I., ipſum I. miſcetur in O., in quo C. ipſorum E.F.G.I. tranſire facit G. in alteram naturam in P.Q.R., ſecundùm quod C. ipſorum E.F.G.H.I.K. habet M. in triangulo viridi & rubeo: velut in maſculo & fœmina, ex quorum conjunctione progreditur O., quod ſumit alterum ſuppoſitum per ipſorum amborum proportionem ac P. per influentiam, quam E. facit in O. per ambos prædictos triangulos.

Camera 52.
[*E.P.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

S. Movet virtutes ſuarum potentiarum per objecta exiſtentia in diverſis locis, habitibus & formis; veruntamen ipſæ potentiæ ab ipſo S. nequaquam moventur, nec etiam S. de uno loco movetur in alterum, quanquam moveat corpus: & ideo per hanc metaphoram ſignificantur conditiones exiſtentes inter E. & P.; influentia enim, quam habet E. in particularibus ipſius P., nequaquam ab ipſis movetur, imò dirigit ipſa, quanquam E. ſit mobile: quemadmodum

enim baliſta movet ſagittam per aërem, in quantum per impreſſionem ſeu impulſum eſt cauſa illius motûs, quamvis ſagitta à baliſta nequaquam tangatur, cùm ipſa habet C. per aërem; ſic virtus ſolis movet in nocte O. ad P., quanquam ſol ſit in abſentia ipſi P., & etiam movet P. ad Q.

Camera 53.

[*E.Q.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

CErebrum eſt *complexionis frigidæ & humidæ;* unde propter frigiditatem, quæ „eſt gravis, conveniens eſt ad recipiendum „fumoſitates, quæ propter caliditatem „aſcendunt, & facit deſcendere fumoſita„tes, quæ propter aërem aſcendere debent; „& humiditas reſiſtit ſiccitati aſcendenti „cum ipſis fumoſitatibus calidis: quapro„pter fit temperamentum in cerebro ac in „locis exiſtentibus ſub ipſo in triangulo vi„ridi. Unde per hanc metaphoram ſignificatur conditio ipſorum E. Q.; nam ſol per præſentiam influit in Q., quod directè reſpicit; & influit in ipſium Q. per lunam, quæ eſt in *ſecunda materia* frigida & humida, & ſol per reverberationem ſuæ qualitatis calidæ & ſiccæ in *ſecunda materia* facit temperamentum in Q. ex ſuî præſentia & abſentia; ex ſuî præſentia quidem in die cum materia calida & ſicca, ex ſuî abſentia verò in nocte cum materia frigida & humida: & hoc idem ſequitur de reliquis partibus ipſius E.; nam ſecundùm qualitates ipſorum influunt in ipſum Q. per triangulum viridem, croceum atque rubeum.

Camera 54.

[*E.R.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

E. Habet C. in R. ob diverſificandum O. in ſuppoſito ipſius P. alterando ſecundam materiam in Q. absque alteratione ipſius G. in ſe ipſo: velut maſculus & fœmina in ipſorum conjunctione ſuam materiam alterant in aliud videlicet Q., quod derivatur ab eis absque ipſorum alteratione: quoniam verò E. majorem influentiam habet, quàm Q. poſſit recipere, ipſum E. alterat Q. per corruptionem, & influit ejus partes in multa ſuppoſita; & *ideo conditiones ipſorum E. R. metaphora ſunt ſecretis, quæ manifeſtantur in Principiis Theologiæ.*

Camera 55.

[*F.G.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

QUemadmodum infans retinet formam patris & matris, ſic conditiones ipſorum F. G. ſunt, quòd Q. ſimilitudinem ipſorum retineat; & ideo Q. habet caliditatem, humiditatem, frigiditatem & ſiccitatem per F., ponderoſitatem verò & levitatem habet per G.: & quoniam F. eſt agens in G. extra ſimplicitatem ipſius G., format F. alterum videlicet ſuppoſitum extra ſimplicitatem ipſius G., & G. paſſionem habet in ipſo altero, cui exiſtit potentia. *Ex quo revelatur ſecretum ipſius B.;* quâ revelatione conditionantur F. G., ut ſint inviſibilia & non imaginabilia in ſuis ſimplicitatibus, & ſint imaginabilia in altero, quod componunt, videlicet Q., quod componitur ex F. G., atque ſentitur in particulari formâ & ſecundâ materiâ.

Camera 56.

[*F.H.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

CConditiones ipſorum F. H. ſunt, quòd H. ſe habeat per F. omni, in quo ipſum H. ſe habet per formam, & quòd F. ſit particulare ipſius H.: quemadmodum enim quinque ſenſus ſub potentiâ ſenſitivâ ſe habent, & potentia ſenſitiva ſe habet ſub imaginativâ, & imaginativa ſub rationali; ſic in H. aliæ formæ ſunt ſub aliis usque ad F., ſupra quod altera forma ſecundùm H. nequaquam exiſtit: & quoniam F. G. recipiunt influentiam ab ipſo E. in H., ideo conditionatur ipſum F., quòd ſit particulare ipſius H.

Camera 57.

[*F.I.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

F. Eſt univerſale ipſi I., in quantum triangulum viridem habet per formas; & etiam G. eſt univerſale ipſi I., in quantum formis exiſtit ſubjectum: & ideo in conditionibus ipſorum F. G. conditionantur F. I.; *quæ conditiones exiſtunt metaphora ad revelandum ſecreta ipſius B. in triangulo viridi, croceo & rubeo ſecundùm regularitatem ipſorum A. S. T. V. X. Y. Z.:* velut maſculus & fœmina habentes quatuor filios, qui in ipſorum hæreditate habent triangulum viridem, croceum & rubeum, absque eo, quòd inter patrem & matrem differentia, contrarietas, majoritas & minoritas cadant.

Camera

Camera 58.

[*F.K.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

CConditionatum eſt K. in particularibus ipſius F. ſecundùm conditiones, quæ ſunt in F. in ſuis particularibus; & ideo F. habet K. in quatuor formis univerſalibus, quæ ſunt I., & etiam habet K. in omnibus formis, quæ exiſtunt ſub I.: quoniam verò formæ exiſtentes ſub I. ſunt in *duabus ſpeciebus*, videlicet in formis ſimplicibus & formis, quæ ſenſu percipiuntur; ideo F. habet majus K. ad formas, quæ ei naturâ propinquiores exiſtunt; velut pater magis diligit filium, qui ipſi magis eſt ſimilis.

Camera 59.

[*F.L.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

IN habitu ipſius F. formæ exiſtunt in L. ſecundùm H., quemadmodum formæ particulares navis in imaginatione Magiſtri per triangulum rubeum ſub forma totius navis exiſtunt; & ideo F. habet C. ad movendum L. ad N., & ad faciendum redire N. in L. per R. in altero numero, & mediante K. ipſum F. format in G. ipſum L., ut quodlibet elementum ſuam propriam Sphæram habeat per O. P. Q. R. ad conſervandum L. in iis, quæ ex ſecunda materia & particulari forma exiſtunt compoſita.

Camera 60.

[*F.M.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

ILlud, propter quod eſſentia eſt natura ipſius eſſe in H., eſt, quoniam F. habet in M. formas univerſales & particulares H.: quapropter, ſi omnia individua ſpecierum delerentur, ſpecies in M. K. ipſius F. remanerent; & quoniam F. habet omnes formas in M., quæ exiſtunt ſub ipſo, quodlibet quatuor elementorum habet ſuam Sphæram in M. K., ac etiam ſuam ſimplicitatem & ſuam qualitatem; non enim amittunt ipſas propter diverſitatem loci nec temporis nec ipſius C.; nam F. conſervat eis ipſas in M.: ſi enim non ita foret, eſſet M. in C. R. inter L. & N. per F. I.; hoc autem eſt inconveniens & contra conſervationem formarum ſimplicium, quas habet I. in O. P. Q. R.; quæ F. I. in ſecunda materia ſenſibili conſervant formas ſenſibiles particulares.

Camera 61.

[*F.N.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

F. Semper exiſtit in N.; ſi enim aliquo tempore eſſet in L., ſequeretur, quòd, ſicut ſecunda materia deleretur in O. P. Q. R. in privatione ipſius G., ſic in privatione ipſius F. omnes particulares formæ penitus delerentur: quoniam autem conveniens eſt, quòd F. ita ſit conſervatio formarum exiſtentium ſub ipſo, quemadmodum G. eſt conſervatio ſecundæ materiæ ipſorum O. P. Q. R., ideo de conditionibus F. eſt, quòd ſemper exiſtat in N.

Camera 62.

[*F.O.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

IN O. præparat F. particulares formas, ut intrent in P. Q., ſicut homo conſtruens navem, antequam ligna ſimul conjungat, format ipſa ad componendum unam univerſalem formam navis, quæ partibus ipſius navis ac etiam ipſi navi ſit forma: & propterea in O. conſervat F. particulares formas, quibus G. præparet ſecundam materiam, ut ſit ſubjecta formis, quas F. conſervat in L., ut veniant in N.: & quoniam F. formas conſervat in ſimplicitate ipſorum I. G., ideo convenit, quòd formæ, quas R. deſtruit in Q., in privationem deveniant, & quòd ipſarum ſubjectum redeat ad I. G., & quòd iterum redeat cum aliis novis formis in Q.

Camera 63.

[*F.P.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

F. Influit in P., ut ſit una forma ex multis formis compoſita, velut artifex conſtruens navem, quam componit ex conjunctione unius ligni cum altero: & ideo exiſtit talis differentia, quam O. P. habent in F.; nam in O. formæ mixtæ ſunt, in P. autem componuntur, & ponuntur in locis convenientibus ad componendum unam formam, in qua ſit compoſitum Q., & diverſa ſubjecta formarum annectuntur in uno, quod illi formæ univerſali ſubjectum exiſtit; & proprias formas amittunt, in quantum ſunt materia univerſali formæ; ſicut potentia vegetativa ſuam formam amittit in animali, in quo ipſa exiſtit potentia.

Camera 64.

[*F.Q.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

SEcundùm quod materia eſt mixta in O. & digeſta in P. ac ſecundùm proportionem ipſorum F.G.I.K.M.E. provenit influentia ipſius F. in particularem formam, in qua Q. habet formam ſub F.; nam ſicut ex imaginatione Artificis conſtruentis navem & ex proportione lignorum præparatorum ad ipſum opus reſultat forma ipſius navis exiſtentis per ſe & compoſitæ ex lignis, absque eo, quòd in compoſitione ſit ipſa imaginatio Magiſtri; ſic ex F. & I. ac ex eorum particularibus formis generatur forma in Q. in ſecunda materia ſecundùm diſpoſitionem ipſorum F.G.I., absque eo, quòd ipſa F.G.I. ſuam ſimplicitatem amittant; ſi enim ipſam ſimplicitatem amitterent, univerſalia in particularibus deſtructibilia & corruptibilia forent, quod eſt inconveniens.

Camera 65.

[*F.R.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

RAlterando materiam ipſius Q. deſtruit formam, & F. ipſam in numero conſervare non poteſt; ſed conſervat in ipſa materia aliam formam exiſtentem in L.: ratio autem, propter quam F. non poteſt conſervare, nec etiam habet K. ad conſervandum in numero formam, quam R. in privationem perducit, eſt, quia proportio principiorum univerſalium ad proportionandum ſubjectum ipſi formæ nequaquam revertitur: & ideo revelatur magnitudo trianguli viridis in C. ipſius H.; cùm in humana ſpecie ſint omnes homines ſibi diſſimiles, & etiam ex eo, quòd Pictor imagines ſibi omnino ſimiles operari non poteſt: ſi autem ſupponatur æternitas in C. affirmando, quòd formæ, quas R. deſtruit, in numero redeant, talis ſuppoſitio eſt contra B. & dignitates ejusdem, ac contra regularitatem, in qua ſunt A.S.T.V.X.Y.Z. *in floribus univerſalis figuræ*, ac etiam eſt contra conditiones omnium literarum exiſtentium ab H. usque ad S.

Camera 66.

[*G.H.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

GH. ſunt conditiones univerſales ſuis particularibus; in quibus conditionibus particulariter conditionantur particularia, & in conditionibus particularium conditionantur ipſa G.H.; & ideo G. per modum paſſionis ſe habet ad H.; particularia verò ipſius H., quæ ipſum H. continet de F., ſe habent per modum actionis: in univerſali verò nec G. per ſe, nec H. per ſe triangulum viridem habet; ſed quantùm ad proportionem & C. ipſorum F.G.H. in particularibus, quæ ſub ipſis exiſtunt, convenit, triangulum viridem eſſe. Igitur cùm ita ſit, prout manifeſtum eſt in differentia & concordantia & majoritate literarum prædictæ cameræ ac ipſorum G.H., *ideo revelatur ſecretum ipſius B. in conditione ipſorum G. H.;* quod G. nequaquam eſt compoſitum nec corruptibile in ſe ipſo nec diverſum, quanquam ſit potentia paſſiva generationi & corruptioni ſubjecta; quam generationem & corruptionem recipit G. in H. & in ſuis particularibus.

Camera 67.

[*G.I.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

FGenerat in G. ipſum I. absque corruptione ipſorum G.I., & etiam G. ſe dat ipſi I., quod ex ambobus procedit in triangulo viridi, absque eo, quòd ipſum I. exiſtat compoſitum, videlicet quòd quodlibet elementum eſt ſimplex; nam in ipſo nequaquam eſt triangulus viridis, qui exiſtit in I., in quantum G. ſe dat uni elemento in qualitate una, & alteri in altera; & triangulus viridis in G. & in I. nequaquam exiſtit, eſt autem ex G. in I., & ex I. in altero, videlicet in O.P.Q.R. Ex quo revelantur dignitates ipſius B. ac etiam opus intrinſecum & extrinſecum; cum quo B. conditionata ſunt G.I. tali modo, quòd ejus nobilitatem & perfectionem ſignificent; quia ſi non, nequaquam eſſent ejus effectus.

Camera 68.

[*G.K.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

GIncеſſanter habet K. ad I., ut in I. ſit ejus ſimilitudo in O.P.Q.R. Ex quo revelatur, qualiter G. habet K. ad B., ut ab ipſo aliqualem ſimilitudinem aſſumat; cùm ſecundùm majoritatem, concordantiam & eſſe atque perfectionem conveniat, quòd effectus habeat aliquam ſimilitudinem ſuæ cauſæ. Igitur cùm ita ſit, ſecundùm quod G. habet K. ad I., & G. habet aliquam ſimilitudinem cum ipſo B. & I. per K., eſt conditionata prædicta camera ad inveniendum particularia, quæ per ipſam quæruntur.

Camera

Camera 69.

[*G.L.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

GEſt ſubjectum ipſis F.H.I., ut L. ſit in potentia in G.; & ideo exiſtit differentia & concordantia inter G.L.; nam G. eſt prima materia, & L. eſt forma, quæ exiſtit in potentia in G. per actionem ipſorum F.H.I., quam habent ſuper G., ut L. ad N. perveniat. Unde cùm G.L. ſint inſenſibilia & incorruptibilia ſub formâ ipſius Q., quod eſt corruptibile atque ſenſibile, *ideirco ſignificatur ſecretum, quod B. in ſuo effectu demonſtrat*, videlicet in inſenſibilitate & incorruptibilitate ipſius effectûs; & ad hoc ſignificandum conditionatur præmiſſa camera & etiam omnes flores ſuprà ſcriptæ figuræ.

Camera 70.

[*G.M.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

QUemadmodum M. eſt habitus ipſius F. per modum actionis, ut F. generet I. & formas particulares, quæ ſub I. exiſtunt, ſic M. eſt habitus ipſius G. per modum paſſionis; & ideo actio & paſſio generationis ſunt continuè habitus ipſius H. per triangulum viridem & rubeum in particularibus; quæ ſub ipſo exiſtunt: eſſet verò poſſibile, quòd ipſa generatio eſſet æterna, ſi inde non ſequeretur inconveniens in dignitatibus ipſius B.; quod B. conditionavit ipſa G.M. ad ſignificandum ſuum opus, prout metaphoricè deſignavimus.

Camera 71.

[*G.N.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

COnditiones ipſius G. ſunt, quòd ſemper exiſtat in N., ſecundùm quod F.H.I. exiſtunt in N.; nam ſi G. non eſſet in N., ipſa F.I. nequaquam haberent ſubjectum, in quo haberent C. in O.P.Q.R., nec E. haberet, in quod influeret; ſed in illo, in quo G. eſt paſſivum ſub E.F.H.I. in O.P.Q.R., eſt L., quod in N. alteratum eſt ex ſuo M.; cum quo M. nunquam eſt L. in N. Et ideo in conditionibus ipſorum G.N. ita ſignificatur ſimilitudo ipſius B., velut in caliditate ignis ſimilitudo ipſorum F.K. ac ipſorum G.K.: quemadmodum enim ignis facit, quidquid facit, recipiendo ſiccitatem & præbendo caliditatem, ſic F. agit in G. cum K. mediantibus E.I., & G. recipit cum K. mediantibus F.I.E.

Camera 72.

[*G.O.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

COnditiones ipſorum G.O. ſunt, quòd O. ſit per totum G., & G. per totum O., absque eo, quòd differentia & compoſitio ſint in G., & quòd triangulus viridis in O. ſit derivatus ex G.; & ideo O., in quo exiſtit triangulus viridis & rubeus, eſt filius ipſius G.; qui filius creſcit in P., & in Q. ad perfectionem pervenit, ad corruptionem verò in R.; à quo R. revertitur ad G.: ſi enim non ita foret, impoſſibile eſſet, quòd C. exiſteret in H.

Camera 73.

[*G.P.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

GCrudum & vivificatum & diviſum eſt in O., digeſtum verò & mortificatum & conjunctum eſt in P., absque eo, quòd ipſum G. in ſua ſimplicitate habeat triangulum viridem; ſi enim ipſum haberet, compoſitionem reciperet, & amitteret ſuam ſimplicitatem, quam ſi amitteret, ipſa F.I. (quæ agunt in ſimplicitatem ipſius G., ex quo in compoſitione opus reſultat) non haberent, in quod agere poſſent, nec G. haberet, in quo haberet paſſionem, & nequaquam generarentur in G. alia diverſa ab ipſo G. in P.; hoc autem eſt inconveniens & contra conditiones ipſorum G.P., quæ habent ſignificare B. ac operationes ejusdem, ſecundùm quod ipſum B. eſt cauſa, & G.P. ſunt ejus effectus.

Camera 74.

[*G.Q.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

GConditionatum eſt in Q. *duobus modis:* quorum *primus* eſt, quòd ipſum G. ſit ſimplex; in quâ ſimplicitate ſuſtinet paſſionem ab operatione ipſorum E.F.I., absque eo, quòd in ipſo G. triangulus viridis exiſtat: *ſecundus* autem eſt, quòd G. eſt in potentiâ ſecundæ materiæ ipſius Q.; quæ ſecunda materia eſt filia ipſius G. cum particulari forma filiâ ipſorum E.F.I.K.: velut Medicus, qui agit contra infirmitatem in ipſius ſimplicitate, & inde reſultat ſanitas, cui ipſum Q. ſubjectum exiſtit per majorem differentiam & concordantiam contra minorem differentiam & contrarietatem.

Camera

Camera 75.

[*G.R.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

CONditiones ipſorum G. R. ſunt, quòd G. non habeat R. in ſua ſimplicitate, ſed in alio extra ſuam ſimplicitatem, ut partes, in quibus eſt R., redeant per R. & corruptionem ad G.: ſicut enim infirmitas guttu-ris in ſimplicitate ipſius G. pomi dulcedinem non corrumpit, ſic R. non exiſtit in ſimplicitate ipſius G., ſed in altero compoſito ex G., videlicet Q.; ſicut amaritudo pomi, quæ eſt in gutture infirmi, in ſimplicitate verò pomi nequaquam. Igitur cùm ita ſit, prout ſuperiùs diximus, ſignificatur, quòd G. recipit ipſas partes ex R. in altero, in quo generatum eſt L.; nam ſi G. ipſas in ſuâ ſimplicitate reciperet, eſſet corpus ex ipſis compoſitum; hoc autem eſt inconveniens & contra C., quod eſt ex L. ad N., & ex R. ad G.

Camera 76.

[*H.I.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

QUemadmodum corpus hominis diverſificatum eſt per quatuor principalia membra, ſic H. diverſificatum eſt in quatuor elementis; & ſecundùm quod F. G. E. K. formant ipſa, formatur H. in ſua univerſalitate & in ſuis particularibus: & ideo H. magìs manifeſtatur in I., quàm in F. G. E.; & H. I. fortiùs manifeſtantur in O. P. Q. R. K. M., quàm in ſe ipſis; & etiam H. magìs manifeſtatur, quàm I.; velut ſuperficies magìs manifeſtatur in colore, quàm in materia, & materia magìs manifeſtatur in forma, quàm in colore.

Camera 77.

[*H.K.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

CONditiones ipſorum H. K. ſunt, quòd, quemadmodum ignis totam ſuam operationem perficit cum calore, ita H. ſuum opus faciat cum K., ut K. M. conveniant in H., prout conveniunt in F. G. I. O. P. Q. R.; ſi enim H. K. contrariarentur in C., ipſum C. in principiis & particularibus ipſius H. deleretur; hoc autem eſt inconveniens & contra Sphæras ipſius I., ac contra perfectionem, ad quam I. per K. ex ſimplicitate ad compoſitum movetur; quod K. movetur in H., ſecundùm quod conditionibus principiorum naturalium convenit. Igitur cùm ita ſit, propter vehementem concordantiam ipſorum H. K. triangulus rubeus & viridis tam fortiter differunt in plantis, animalibus & metallis.

Camera 78.

[*H.L.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

H. L. conditionantur in conditione & proportione ipſorum E. F. G. I. K. M.; nam ſicut C. decurrit per literas, habet L. ipſum C. in H., ut veniat ad N., vel ut ex N. habeat H. ad faciendum redire ſecundam materiam ad G.; in quâ reverſione generatur L.; & ideo ipſa E. F. G. I. K. M. ita ſe habent ad H. L. in principio, ſicut imaginatio ad intellectum ſe habet in theorica, dum ei repræſentat res ſenſuales, & in practica L. reducitur in N., ſecundùm quod ordinatum eſt in H., velut intellectus accipit formas, prout imaginativa ei repræſentat eas.

Camera 79.

[*H.M.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

CUm A. & majoritas ſimul conveniant, & H. & M. ac minoritas ſimiliter, idcirco S. intelligit conditiones ipſorum H.M.: quemadmodum enim cameræ ipſius A. ſunt in A. res eſſentiales actuales, & non habituales, ſic in H. convenit M. eſſe aliquem habitum propinquum ipſis L.N.; quâ propinquitate devenit M. in H., ut C. ſit ex L. ad N., & ut M. ſit medium trianguli rubei, per quod C. decurrat in H. à principio rubei usque ad finem, & à fine redeat ad principium per R.; quapropter H. habet triangulum viridem in M.; in quo M. revolvitur ejus operatio ſecundùm K. F. G. I. E.: & quemadmodum voluntas in triangulo croceo ſequitur intellectum, ſic H. ſequitur M. ſecundùm triangulum croceum, viridem & rubeum.

Camera 80.

[*H.N.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

IPſa H. N. taliter conditionantur, quòd H. ſemper exiſtit in N.; ſi enim exiſteret in L., non eſſet aliquid, quod particularia conſervaret, nec quod haberet ſpecies in M.: quoniam autem H. & N. in ſimul ſemper exiſtunt, H. eſt univerſale principium particularibus ſub ipſo exiſtentibus, quæ exiſtunt in L., & moventur per L. & M. ipſius H. ad N., & ex Q. redeunt ad L.; & ideo *res naturales* exiſtunt in H. N.; *innaturales* autem moventur ex L. ad N. per M.; & quæ ſunt *contra naturam*, ſunt in triangulo viridi & rubeo in particularibus exiſtentibus ſub H. N. in Q. R.

Camera 81.

[*H.O.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

IN univerſali quicquid eſt O., eſt ſecundùm H. E. F. G. I. K. C.: quoniam verò ſub H. ſunt particularia, in quibus triangulus croceus & rubeus exiſtunt, ideo H. in O. & O. in H. eſt in conditione ſecundùm univerſalitatem & particularitatem. Unde, ſi trianguli in privatione forent, ipſa H. O. abſque particularibus univerſalia eſſent; ſi verò trianguli exiſterent in particularibus abſque H. O., particularia eſſent abſentiâ univerſalium; hoc autem eſt inconveniens; in quo ſignificatur, qualiter ſub conditionibus univerſalium particularia exiſtunt.

Camera 82.

[*H. P.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

C. In P. exiſtere non poteſt abſque E. F. G. I. K. M. O.; nec abſque C. ipſa F. I. haberent actionem in G., nec G. in P. haberet paſſionem: quapropter H. P. intrant in conditionem ſecundùm prædicta principia; quæ conditio eſt, quòd H. non ſit abſque P., nec P. abſque H. in particularibus exiſtentibus ſub F. G. I., quæ habent C. ex L. ad N., & ex R. ad L.; & etiam quòd F. G. I. non ſint in P. abſque K. M. O. H., nec P. in ipſis F. G. I. H. exiſtat; quia ſi ſic, nequaquam exiſteret aliquod ſimplex, à quo derivaretur compoſitum.

Camera 83.

[*H.Q.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

CONditiones ipſorum H. Q. ſunt, quòd Q. ſe habeat ad naturam particularem, & H. exiſtat ejus univerſale, ut I. poſſit exiſtere in Q. in triangulo viridi, croceo & rubeo; & quòd in Q. dividatur H., abſque eo, quòd ipſum H. in ſua univerſalitate habeat triangulum viridem, croceum & rubeum, ad ſignificandum dignitates ipſius B., quæ majorem concordantiam habent cum majoritate, eſſe & perfectione, quàm H. & particularia ejusdem. Igitur cùm ita ſit, *eſt maximum ſecretum, quod conditio præſcriptæ cameræ deſignat*, prout ſuperiùs eſt expreſſum.

Camera 84.

[*H.R.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

CONditiones hujus cameræ ſunt, quòd H. & R. in univerſali ſimul conveniant, & quòd in particulari R. conveniat cum aliquo particulari vel aliquibus ipſius H., cum alio verò vel aliis contrarium exiſtat, ut ſint actio & paſſio, generatio & corruptio ſub H. R., ad ſignificandum maximam diſtinctionem & concordantiam ac eſſe & perfectionem, quæ exiſtunt in opere intrinſeco ipſius B., ac etiam minorem differentiam & concordantiam ac eſſe & perfectionem, quæ exiſtunt in effectu ipſius B.

Camera 85.

[*I.K.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

CONditionata ſunt I. K., quòd C. abſentiâ K. nequaquam exiſtat in I., ut conſervetur H. in F. G.; & per K. diverſificatum per viridem in I. in ipſo I. quatuor Sphæræ differunt, & elementa ſimplicia habent C. in O. P. Q. R., ut quodlibet ipſorum inquirat ſuam perfectionem ac etiam ſuam corporeitatem, absque eo, quòd aliquod eorum in ſe ipſo ſit corpus: velut G., quod in ſe ipſo nullo modo habet triangulum viridem, quanquam habeat ipſum in altero, videlicet in ſecunda materia. Et ideo metaphoricè I. K. C. ſignificant dignitates ipſius B., in quo nullatenus eſt C.; ſed eſt in ipſo perfectio, quâ ipſum B. eſt cauſa ipſis I. K.; quæ I. K. ſignificant ipſum B., in quantum ab ipſo aliquam ſimilitudinem recipiunt, quæ eſt concordans cum majoritate; & per minoritatem, cum quâ conveniunt, diſſimilitudinem inde recipiunt.

Camera 86.

[*I.L.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

QUemadmodum præſentia ſolis in O. compoſito ex particularibus exiſtentibus ſub I. habet ſuos radios ad habitudinem eſſendi corpus in altero, videlicet in O., ſic I. L. conditionantur, ſecundùm quod G. ipſi L. ſubjectum exiſtit, ſecundùm quod triangulus viridis, rubeus & croceus ſunt in C., quod I. habet in O. P. Q. R.: & quemadmodum vitrum, ſive cryſtallus, vel glacies habet claritatem, ultra quam aër recipit ſplendorem à ſole, ſic L. recipit formam in G. ab ipſo F., ſecundùm quod I. & G. conveniunt in K.: & ſicut ſplendor diverſificatur in diverſificatione vitri & aëris, ubi vitrum compoſitum & terminatum exiſtit, ſic L. diverſificatur in G., ſecundùm quod G. in ſpeciebus ſe habet ſub I. Igitur cùm ita ſit, ſecundùm ſimilitudinem prædictæ metaphoræ inveſtigari poteſt particulare conveniens ipſi I. & L.

Camera 87.

[*I.M.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

SEcundùm metaphoram per M. ſumit unum elementum operationem alterius pro objecto: quemadmodum enim virtus viſiva per objectum abſentiâ coloris operari non poſſet, ſic unum elementum non poſſet habere C. contra alterum absque M. Et ideo ſecundùm H. ſpecies exiſtentes ſub ipſo H. terminantur in numero ac in M.; cujus M. abſentiâ forent numero infinitæ, & eſſet C. absque triangulo rubeo in operatione ipſius I.: ſed velut ſol cameram ſecundùm quantitatem & qualitatem feneſtrarum ingreditur, ſic I. per triangulum viridem ad M. movetur in altero: quapropter exiſtit differentia ipſius M. in plantis, animalibus & metallis, & ex ipſa differentia & concordantia unum M. procedit ab altero, velut ex equo & aſinâ procedit M. ipſis in ſpecie exiſtens diſſimile.

Camera 88.

[*I.N.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

SEcundùm quod I. exiſtit in G. filius ipſius F. ſecundùm formam, & filius ipſius G. ſecundùm materiam, ſemper exiſtit in N.; in quantum verò I. tranſit ad O. P. Q., ubi compoſitum ex forma ſenſibili & ſecundâ materiâ eſt filius ipſius I., contingit, quòd unum elementum habet ſuum filium magis remotum ab N., quàm alterum: quapropter unum elementum in N. aliis eſt dominans; quodlibet elementum tamen in ipſo N. ſuas ſimplices formas conſervat, quanquam ſub ipſo ſuppoſito omnia in compoſitione conſiſtant: & ideo elementum, quod in N. dominatur aliis, quod venit ex O. ad Q., habet majus K. ad N., quàm ad O. P.: alia verò, quæ exiſtunt ſub ejus dominio, habent magis odio illud Q., quàm O. P.; quamobrem inclinant Q. ad R. cum formis ſimplicibus, ut formam exiſtentem in N. poſſint deſtruere.

Camera 89.

[*I.O.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

QUemadmodum I. intrat in alterum eſſe in O. (quod O. in ſe ipſo non habet totum id, quod habet I.; habet tamen plùs in ſe, quàm habeat ipſum I., videlicet habet mixtionem: & ideo ex I. generatur aliud absque alteratione ipſius I. in G., ad ſignificandum B.), ſic O. ingreditur in alterum eſſe in P.; quod P. habet plùs, quàm O.; & mediante P. intrat O. in alterum eſſe in Q., quod habet plùs, quàm P.: & ideo I. O. ſunt aliud in P. Q., deſtructâ tamen formâ, quam I. O. habebant, antequam eſſent in P. Q. Igitur cùm ita ſit, ſecundùm quod ſuperiùs dictum eſt, I. O. conditionantur.

Camera 90.

[*I.P.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

AGens F. in G. format calorem in ſubjecto ipſius G. appropriato formæ, quæ eſt calor; & ideo generatur elementum ex forma & ſubjecto, videlicet ignis; & ſic de aliis elementis, quæ vocantur I.; quod I. eſt digeſtum in G.; quæ digeſtio eſt P., quod P. eſt *prima digeſtio univerſalis reſpectu ſecundæ*, quæ eſt O.; in quo O. eſt P. ante Q. Et ideo N. ſemper eſt in primo P., & ex O. & Q. eſt P. in L. ſub F. G. H. I. Quapropter N. ipſius ignis in aqua, in qua eſt Q., eſt accidentale ſub forma aquæ calefactæ, eſſentiale verò eſt ſub I. P.: quia ſi non eſſet eſſentiale ipſis I. P., ipſum N. non eſſet in C. I. O. H. K. L. M.; hoc autem eſt impoſſibile & contra conditiones hujus Artis.

Camera 91.

[*I.Q.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

IEſt magis remotum ab ipſo G. in Q., quàm in O. P.; cùm ipſa O. P. magis propinqua ſint ipſi L., quàm Q.: veruntamen I. G. non habent majorem longinquitatem nec propinquitatem per O. P. Q.; nec ex hoc ſequitur contradictio; quæ contradictio inde ſequeretur, ſi I. in Q. non eſſet ſimplex, & G. in I. non eſſet compoſitum, & ſimplex in ſe ipſo; & etiam ſi I. in eſſe in Q. eſſet aliud absque forma ſenſibili & ſecundâ materiâ per formam demonſtrabili. Igitur cùm ita ſit, ſignificatur, qualiter K. ipſius I. eſt ad finem perfectionis ſuæ ſimplicitatis, & eſt ad O. P. Q. in medio & principio; & ideo triangulus viridis inter I. Q. exiſtit primâ & ſecundâ intentione.

Camera 92.

[*I.R.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

QUemadmodum ſpecies ipſius S. nequaquam ſunt alterabiles, quanquam, ſecundùm quod ejus quadranguli diverſas operationes habent, in operationes ipſarum ſpecierum triangulus viridis cadat, per quem ſpecies differunt in objectis, ſic I. non diverſificatur in R., quanquam ibi ſit triangulus viridis & rubeus: ſed ſicut potentiæ ipſius S. diverſificationem accipiunt, ſic quatuor Elementa diverſificationem accipiunt in G., & etiam G. in ipſis: & velut ſpecies ipſius S. ſimul conveniunt & contrariantur in objectis, ſic Elementa triangulum viridem habent in R. Igitur cùm ita ſit, *per hanc metaphoram revelantur ſecreta ipſius B., & etiam manifeſtatur, qualiter ex univerſalibus particularia deſcendunt.*

Camera 93.

[*K.L.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

COnditiones ipſorum K. L. ſunt, quòd K. ſe habeat ad eſſe, & L. ad privationem, & quòd L. per K. ſe habeat ad eſſe, per R. verò ad privationem, & Q. per K. ſe habeat ad privationem, & per R. ad eſſe: ſi tamen inde non ſequatur contradictio in triangulo viridi & rubeo; ſinè quibus triangulis inde contradictio ſequeretur.

Camera 94.

[*K.M.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

MEmoria eſt habitus ipſius S., & inter memoriam & A. V. Y. eſt habitudo & concordantia, qualiter memoria recolere debeat A. V. Y.: unde cùm memoria non recolit A., vel recolit unam cameram ipſius, non autem alteram, ſeu recolit unam cameram ipſius V. lividi, non autem alteram, tunc habet K. metaphoricè ad recolendum A. & ejus cameras ac etiam V. Y.; & K. ipſius S. perfectionem habere non poteſt in objecto, quod ſumit. Igitur cùm ita ſit, ſecundùm prædictam metaphoram demonſtratur conditio ipſorum K. M. ſecundùm H., videlicet quòd H. habeat C. in K., movente ſe K. ex uno M. in alterum, & quòd B. perfectio ejus exiſtat: & quoniam in M. ipſum K. ipſius H. perfectionem non invenit, ideo C. in K. O. P. Q. R. minimè ceſſat.

Camera 95.

[*K.N.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

IPſa K. C. ſe habent ad N. per O. P. Q., & in Q. exiſtit perfectio ipſius N., & etiam alteratio ipſius K.; nam quàm primùm forma per K. & per reliqua principia ex L. venit ad N., ipſum K. alteratur in Q., & tranſit Q. in R., & habet novum appetitum ad generandum alteram formam ex materia ipſius Q. Et ideo K. nequaquam eſt ſtabile, quanquam forma ipſius Q. immobilis ſit in N., dum durat ejus ſubjectum: quapropter G. eſt subjectum ipſi I., ut ſuam perfectionem inquirat, ad quam habet K. C., absque eo, quòd K. N. conveniant ſinè C., cujus abſentiâ ſimul convenirent, ſi I. ſuam perfectionem invenire ac attingere poſſet.

Camera 96.

[*K.O.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

IN conjunctione maſculi & fœminæ ſe habet K. ſecundùm H. ad ſecundam intentionem; in generatione verò ſuppoſiti filii amborum ſe habet ad primam intentionem: ſi enim non ita foret, triangulus rubeus, qui eſt effectus ipſius B., cum differentia, concordantia, eſſe ac perfectione in ſuis extremis minimè conveniret; hoc autem eſt inconveniens: quo ſignificatur, quòd I. habet K. ad O., videlicet ad ſpatium & locum, qui à ſuperficie terræ usque ad lunam exiſtit; quoniam habet K. ad P. ſub terra & in radicibus & ſtipitibus arborum ac in ipſarum branchis, nec non in ſtomachis animalium & mineris metallorum, ut ſit Q.

Camera 97.

[*K.P.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

QUantò K. eſt majus in P., quàm in O., tantò eſt minus in Q., quàm in P.; quanquam ipſum K. ſe habeat ad Q. primâ intentione, & ad P. ſecundâ intentione in triangulo rubeo: ſi enim non ita foret, ſequeretur, K. eſſe magis propinquum ipſi R. in P., quàm in Q.; hoc autem eſt inconveniens, quo ſignificatur imperfectio ipſius I. in O. P. Q. R.

Camera 98.

[*K.Q.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

SOl & ignis in illuminare aërem ſimul conveniunt, calefaciente igne ipſum aërem cum ſua caliditate lucente, & ſole in ſuo ſplendore repræſentante ſe aëri: & ideo ſol habet majorem concordantiam cum igne, quàm cum aliquo alio elemento; propter quam majorem concordantiam ſol in ſuo ſplendore calidus eſt in igne, & ignis ſuam caliditatem multiplicat in ſplendore ſolis. Igitur cùm ita ſit, per iſtam metaphoram conditio præmiſſæ cameræ deſignatur, videlicet quòd, ſicut ſol ſe habet ad caliditatem in igne, & tamen calorem in ſe ipſo non habet, ſic K. ſe habet ad Q., & non habet compoſitum; ſi enim haberet compoſitum, non eſſet ipſius I.: & quemadmodum ignis in aëre per ſolem ſuum calorem multiplicat,

ſic K. multiplicatur in propinquitate ipſius Q., velut C. lapidis, qui fortiùs movetur, quò magìs ad ſuum centrum accedit: & ſicut ſol per ſuam abſentiam in igne caliditatem mortificat, ſic per oppoſitum K. in Q. mortificatur in ſua majori quantitate; quia in ipſo Q. illud ſimplex, ad quod movetur, non invenit: ſi enim non ita foret, impoſſibile eſſet, ſecundùm H. in K. Q. eſſe C. per triangulum viridem & rubeum; hoc autem eſt inconveniens.

Camera 99.

[*K.R.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

IPſum K. eſt inſtrumentum, in quo H. ab ipſo E. recipit influentiam & virtutem; & ideo C. compoſitum eſt in H. ex E. K.: ſi enim non ita foret, ſequeretur, quòd corpora ſuperiora ipſius E. inferiora in O. P. Q. R. corporaliter tangerent, & etiam, quòd F. I. G. eſſent corpora; hoc autem eſt inconveniens, quo ſignificatur conditio ipſorum K. R., videlicet quòd, ſecundùm quod K. recipit ab ipſo E., & infundit illud, quod recipit, in F. G. H. I. O. P. Q., conditionatum eſt R. cum K. in alterare R. ipſum Q. per corruptionem & ad eſſe ſubjectum novo K., quod habet C. ad generationem, ut forma exiſtens in L. veniat in N. in materia, ex qua R. privat formam, quæ exiſtit in N.

Camera 100.

[*L.M.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

IGnis habet M. diei *per calidum & ſiccum* ac per ſplendorem ſolis, aqua verò M. noctis per *frigidum & humidum* in præſentia lunæ, quæ in qualitate aquæ frigida & humida judicatur. Igitur cùm ita ſit, ſecundùm quod accidentaliter pluit in die, & in nocte ſufflat ventus calidus, exiſtit differentia inter ignem & habitum, quem ipſe habet in die, ac inter aquam & habitum, quem ipſa habet in nocte: & ideo, ſecundùm quod M. continet de triangulo viridi & rubeo, conditionatur cum L. in adducere ipſum ad N. ſecundùm tempus & differentiam ſpecierum: cùm autem ſint multæ ſpecies & M. & accidentia, idcirco L. pluribus modis conditionatur cum M.

Camera 101.

[*L.N.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

LEt N. ſunt oppoſita in particularibus formis & tempore; L. enim venire non poteſt in materiam formæ, quæ exiſtit in N., abſque deſtructione primæ formæ; neque forma, quâ materia privatur, reverti poteſt in numero in N., neque exiſtere in L. in eodem numero, in quo erat in N.: quoniam verò K. movet L. ad N., propterea eſt concordantia ex L. N. in K. in triangulo rubeo; in quâ prædictâ concordantiâ & contrarietate ipſa L. N. conditionantur.

Camera 102.

[*L.O.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

XEſt figura ex contrariis & concordantibus mediatè & immediatè compoſita; & ideo X. ſignificat O., quod compoſitum eſt ex triangulo viridi: unde, ſignificante ipſo X. ipſum O., ſignificat L. in triangulo viridi, in quo exiſtit cum O., videlicet quòd, quemadmodum in effectu ipſius B. permixtæ ſunt cameræ [*Privationis & Eſſe*] atque [*Perfectionis & Defectûs*], quæ exiſtunt in X., ad ſignificandum, Eſſe & Perfectionem eſſe in B. Privationis & Defectûs abſentiâ, ſic in permixtione ipſorum F. G. I. H. K. in O. exiſtat L. in privatione & defectu reſpectu perfectionis & eſſe, quæ exiſtunt in N., ad ſignificandum, quòd ipſum N., quod eſt in Q., cum eſſe & perfectione concordet, & quòd L. conveniat in O. cum privatione & defectu.

Camera 103.

[*L.P.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

LIn P. magìs à privatione diſtat, quàm in O.; quia ſi non, nequaquam eſſet magìs propinquum ipſi eſſe in Q., quàm in P.; hoc autem eſt inconveniens, quo ſignificatur, quòd, quemadmodum L. accedit ad eſſe in P., ita elongatur ab eſſe in oppoſito ipſius P.: quapropter ſignificatur, quòd E. F. G. H. I. K. ſunt motores longinqui ex L. ad N. in O., & quòd E. F. G. H. I. K. ſunt motores propinqui in P.: ſi enim non ita foret, impoſſibile eſſet, quòd C. priùs eſſet in O., quàm in P., ac in P., quàm in Q., & etiam inter F. G. H. I. & P. Q.; hoc autem eſt inconveniens.

Camera 104.

[*L.Q.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

COnditiones ipſorum L. Q. ſunt, quòd in triangulo rubeo L. ſit principium ipſius Q., & quòd reverſio ipſius L. incipiat in Q., & quòd finis ſit ad alterum numerum ipſius L. ac ipſius Q., & medium ſit per O. P. Unde, ſecundùm quod conditionata ſunt in triangulo rubeo, oportet ipſa conditionare in

in viridi & croceo, videlicet quòd L. Q. habeant differentiam & concordantiam per generationem, cùm L. venit in N., & quòd habeant differentiam & contrarietatem, cùm Q. eſt in R.: *& ideo ſecundùm triangulum croceum ex duabus formis procedit tertia*, & exiſtit in potentia in ipsâ materiâ ſecundùm proportionem formæ privatæ ex ipſo Q., & formæ, quæ venit in N.; & in formam tertiam alteratur numerus formæ habentis C. ad corruptionem, & in concordantia ejus, quæ venit in N., exiſtit G. ſubjectum alteri formæ per generationem. Ex quo ſignificatur nobilitas ipſius B.; & formæ ſunt de tribus in tres in tempore, quod conditionibus ipſorum L. Q. convenit.

Camera 105.

[*L.R.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

SEcundùm quod ſuperiùs conditionatum eſt L. cum Q., conditionatur cum R.; *nam quodlibet principium ſecundùm hanc Artem conditionatur cum quolibet:* & ideo R. habet majorem concordantiam cum L. in numero trium formarum, quàm in aliquo altero numero, videlicet quòd forma inclinata ad corruptionem, & illa, quam habet C. ex L. ad N. per generationem, proportionem habent, ut in ſubjecto ſecundæ formæ venientis in N. ſit tertia forma in L.; & ideo C. exiſtit in R. ſecundùm proportionem trium prædictarum formarum: quapropter contingit, quòd in materia fumi eſt magìs proportionaliter in potentia in ſpecie forma, quam dimiſit, quàm altera forma, quæ illius ſpeciei nequaquam exiſtat.

Camera 106.

[*M.N.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

SI accidens nihil eſſet, inter M. & N. nulla differentia exiſteret, nec etiam M. eſſet inter L. & N.; & ideo ſecundùm accidentia conditionantur M. & N.; quæ conditiones apparent in literis præmiſſæ cameræ, nec non in literis exiſtentibus ab ipſo A. usque ad S.; quæ apparentia eſt in conditionibus ipſarum literarum ſecundùm hanc Artem: velut apparet in S., quod multa ſcit in M., & unum ſolum intelligit in N.: & velut apparet in tertia forma, quæ exiſtit in M. & corruptio primæ formæ & generatio ſecundæ, quæ exiſtit in N.

Camera 107.

[*M.O.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

IGnis aëri caliditatem præbet, & recipit ſiccitatem à terra; & ideo eſt mixtus in terra & aëre, & judicatur ſecundùm qualitatem, quam recipit, & non ſecundùm eam, quam præbet; nam in ſubjecto caliditatis recipit ſiccitatem, & ſuam caliditatem præbet ſubjecto humiditatis. Igitur cùm ita ſit, per ſimilitudinem, in qua eſt ignis cum terrâ & cum aëre in O., deſignatur conditio, quæ inter O. M. exiſtit: nam ſecundùm quod I. eſt alterum in O. & alterum in ſe ipſo, & G. eſt alterum in Q. ac etiam alterum in ſe ipſo, & I. eſt alterum in P. & alterum in Q., diverſificatur M. in O. in pluribus ſpeciebus; & prædictæ alteritates ſignificant proprietates ipſius B., ſecundùm quod effectus habet ſimilitudinem ſuæ cauſæ, ſalvante cauſâ in ſe ipſa ſuas ſupremas dignitates.

Camera 108.

[*M.P.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

IN P. ignis habet M. ad dandum duobus modis caliditatem ſubtilem ſubjecto humiditatis ipſius aëris, videlicet quia ignis eſt ſubtilis in materia per ſe, & terra præbendo ſiccitatem ſubjecto caloris ignis ipſum ignem deſiccat, & ſubjectum ipſius caliditatis inſpiſſat; & ideo terra habet M. in P. ad inſpiſſandum materiam: & quoniam ignis in ſe mortificat frigiditatem, quam terra in ipſum apportat, ideo apparet, quòd ipſe duobus modis aëri præbeat ſubtilem materiam; & per id, quod ad ipſum affert terra, quam recipit, manifeſtum eſt, aërem eſſe groſſæ materiæ: quapropter ignis habet in P. ipſum M. duplex, ſecundùm quod recipit & præbet; & hoc idem ſequitur de aliis elementis ſecundùm qualitates ipſorum.

Camera 109.

[*M.Q.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

SEcundùm proportionem, quâ eſt M. in F. G. I., conditionantur ipſa M. Q.: quemadmodum enim ſub F. ſunt formæ ipſius I. in M., & ſub G. exiſtunt ſubjecta formarum ipſius I. in M., ſic in Q. eſt M. ſub formis atque ſubjectis univerſalibus in ſubjectis particularibus & formis. Et ideo alii homines ſunt pingues, & alii macilenti, & quidam flores albi, & alii rubei: & hoc

idem ſequitur de M., quod exiſtit in Q. ſecundùm proportionem ipſius S. & corporis animati, ubi habituati ſunt quinque ſenſus corporei, & ubi privatur habitus virtutis viſivæ in homine cæco propter defectum ſui corporis.

Camera 110.
[*M.R.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

SEcundùm H. impoſſibile eſt, in R. eſſe M. ipſorum F. G. I.; nam ſi poſſibile foret, ipſum R. in univerſalibus ac in ſpeciebus exiſteret, & nequaquam eſſet aliquid, quod particularia conſervaret: in particularibus autem eſt M. in R., velut viſus unius oculi, qui in privatione viſûs alterius augmentatur; vel ſicut homo, qui unius ſcientiæ habitum obliviſcitur addiſcendo vel docendo aliam ſcientiam. Igitur cùm ita ſit, in prædicta metaphora, in qua conditionantur M. R., ſignificatur nobilitas ipſius B. & dignitatum ejusdem.

Camera 111.
[*N.O.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

O. Semper exiſtit in N.; ſed particularia ipſius O. habent C. ex L. ad N., & ex O. ad P. Q. R.: & ideo eſt O. ſicut mare, ex quo aqua reſolvitur in vapores, & poſtmodum ad ipſum revertitur in pluvia, fluminibus & fontibus; & tamen ipſum O. exiſtit in ſe ipſo in ſe continens ſua particularia, & etiam eſt in P. & in Q. & in R.; etiam ipſa P. Q. R. ſunt in O. Quapropter O. in univerſali locum non habet, in quo ſit in L.; in quo L. exiſtit in particularibus ſecundùm operationem ipſorum O. P. Q. R. L. N.: cùm autem F. G. I. ſemper exiſtant in N., ipſa F. G. I. per totum O. exiſtunt absque permixtione unius ipſorum in alterum, quantùm ad univerſale H.; & etiam exiſtunt in particularibus in O., quantùm ad ipſorum particularium compoſitionem & motum; quæ particularia habent C. ex L. ad N. Ex quo ſignificatur, quòd B. eſt in omnibus locis ipſius O., absque eo, quòd locum occupet; cùm ipſum B. cum majoritate conveniat, & ipſa F. G. I., quæ in O. locum non occupant, in quantum ſimplicia, cum minoritate conveniant.

Camera 112.
[*N. P.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

COnditiones ipſorum N. P. ſunt, quòd in P. formæ ſimplices ipſius I. exiſtant in N., ubi componitur forma ſenſibilis, cui P. operatur ſubjectum ex partibus ipſius G. in I.; quæ forma ſenſibilis & ejus ſubjectum per ipſum P. operata per formas ſimplices in G. habent C. ex L. in N.: & ideo P. naturam habet, quæ movet formam ſenſibilem ex L. ad N., & ipſi formæ præparat ſubjectum motum ex L. ad N.; & formæ ſimplices ipſius I. mediantibus F. K. generant in P. formam, quæ ex L. venit in N.

Camera 113.
[*N.Q.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

Q. Procedit ex F. G. I. K. H., quæ ſemper exiſtunt in N., in quantum ſunt univerſalia: & ideo Q. recipit ſimilitudinem ſuorum univerſalium, in quantum exiſtit in N. Quoniam verò Q. eſt particulare corruptibile, accidentaliter exiſtit in N., & ad privationem movetur, quoniam venit ex L.: quapropter ipſa N. Q. conditiones habent, ſecundùm quod ſunt ſub conditionibus ſuorum univerſalium; contra quas conditiones ipſa N. Q. non habent, in quo valeant convenire.

Camera 114.
[*N.R.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

COnditiones ipſorum N. R. ſunt, quòd ipſum R. diſſolvat ſubjectum formæ, quæ exiſtit in N.; quâ diſſolutione forma in privationem deducitur, & ipſa F. G. I. K. in ipſo ſubjecto incipiunt alteram formam, quæ veniat in N.; ſi verò ipſum ſubjectum non eſt paratum ipſam formam recipere, R. diſſolvit illam materiam, & miſcet ipſam in O., ubi exiſtit tam diu diviſa in partes ad invicem ſeparatas, quousque illæ partes intrant in P. per triangulum viridem & rubeum: & ideo ipſum ſubjectum reverti non poteſt ad eſſe unum ſub unico N.; imò ipſæ partes alteratæ per R. ſe habent ad quàm plurimas formas ex L. venientes in N. ad diverſa ſubjecta.

Camera 115.
[*O. P.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

COnditiones ipſorum O. P. ſunt, quòd O. ipſi P. exiſtat materia, & quòd P. absque O. eſſe non poſſit, nec O. absque P., & quòd in triangulo rubeo O. ſit propinquius principio, quàm P., & ipſum P. ſit fini magis propinquum, quàm O., ſalvo tamen O. exiſtente in Q. Igitur cùm ita ſit, per prædicta ſignificatur, qualiter I. miſcetur in O., & qualiter ipſorum partes conjunguntur in P., procedentibus ex O. in P. tot partibus, quòd ex eis componitur ipſum Q.: velut magiſter faciens cameram ex materia digerit ipſam operando in lignis & lapidibus, & ipſam cameram ex ipſis partibus componit tam diu, quousque tota materia ſub una forma ipſius cameræ conſiſtat.

Camera 116.
[*O.Q.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

COnditiones ipſorum O. Q. ſunt, quòd ipſum Q. ſit collocatum in O., & quòd ab ipſo O. beneficium ſumat: quemadmodum enim piſcis eſt collocatus in aqua, & ab ipſa recipit beneficium & vitam, ſic Q. oportet eſſe in O., ubicunque ſit; ac oportet, quòd beneficium ab ipſo recipiat, velut corpus hominis ab aëre beneficium recipit: quod beneficium, quod Q. recipit ab O., eſt ratione participationis, in qua exiſtit cum ipſo O., ac etiam ratione ipſius C., quod exiſtit in Q. per triangulum viridem, croceum & rubeum. Et quoniam Q. exiſtit in O., & O. in Q., & etiam eſt extra Q. abſentiâ alterationis ſuî ipſius, velut pars plumbi exiſtit in plumbo liquefacto, & totum eſt plumbum, propter hoc ſignificatur nobilitas ipſius B.

Camera 117.
[*O.R.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

AD inveſtigandum conditiones ipſorum O. R. neceſſariæ ſunt conditiones iſtarum camerarum [E. F.] [E. G.] [F. K.] [F. G.] [G. K.] [G. I.] [I. K.] [I. O.], ac etiam neceſſarii ſunt ad hoc triangulus viridis, croceus & rubeus. Cameræ enim ipſorum E. F., ac ipſorum E. G., ſignificant, quòd E. influit in F. G. tam fortiter, quòd habent inde K.: & ideo cameræ ipſorum F. K., & ipſorum F. G., & G. K., & G. I. ſignificant, quòd I. habet K., ut ſit in O., ut O. ſit materia ipſi P., & P. ipſi Q., & Q. ipſi R., ut opus ipſius H. valeat conſervari. Quapropter I. exiſtit per viridem in O., & ſimplicitas ipſius I. remanet in natura ipſorum F. G. K.; quâ naturâ ſimplicitas ipſius I. in quatuor formis ſimplicibus univerſalibus conſervatur, & diviſum eſt ipſum G. in O., ubi G. exiſtit ita diverſum, ſicut corpus hominis eſt in ſuis membris diverſum; & ſimplicitas ipſius G. ac ejusdem continua quantitas ita conſervantur in ſe ipſis, velut quantitas continua in partibus diverſorum membrorum corporis, quod ex materia & forma exiſtit compoſitum.

Camera 118.
[*P.Q.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

COnditiones ipſorum P. Q. ſunt per triangulum viridem, croceum & rubeum ſub E. F. G. H. I. K. L. M. N. O. R.: quapropter in fœmina eſt P. ſpermatis maſculi, ut ſit Q.; in plantis verò eſt P. ſeminis in terra & radicibus, branchis, foliis & floribus, ut ſit fructus. Unde quemadmodum Magiſter ædificans navem habet inſtrumenta, quibus ipſam ædificat, ſic P. eſt inſtrumentum, in quo ædificatur Q.: & quemadmodum corpus animalis conſervatur per cibaria, quæ comedit, ipſis cibariis in naturalem digeſtionem intrantibus, ſic per P. conſervatur Q. in plantis & etiam in metallis.

Camera 119.
[*P.R.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

IPſa P. R. tales conditiones habent, videlicet quòd in P. formæ ſimplices ipſius I. non exiſtant in R., ſed in ipſo R. ſint earum ſubjecta, ut P. eſſe poſſit: velut ignis, qui ſua caliditate calefacit ſubjectum humiditatis ipſius aëris causâ mortificandi G. in ipſo; quo G. nimis ad ſimplicitatem ſuæ humiditatis ſe habet: quapropter ignis inclinat aërem ad alteram naturam humiditatis, & materiam ipſius aëris calefacit & digerit; quâ calefactione ſubjectum frigiditatis aquæ mortificat, in quo aqua cum ſubjecto calefacto humiditatem recipit. Et quoniam aqua frigiditatem dat terræ, ignis mortificando ſubjectum ipſius aquæ in ſubjecto terræ ſiccitatem mortificat, quæ in ipſo ſubjecto frigiditatem recipit: & ideo terra digeſta in ſubjectum caliditatis ignîs ingreditur, in quo ipſe ignis recipit ſiccitatem; & ideo alteratur ſubjectum ignis, non autem forma. Hoc idem ſequitur de reliquis elementis ſecundùm qualitates ipſorum: & ſic formæ ſimplices ſunt agentes, patientia verò ſunt ipſarum ſubjecta, & ex ambobus procedit filius, videlicet forma ſenſibilis & ſecunda materia, ex quibus Q. exiſtit compoſitum.

Camera 120.
[*Q.R.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

COnditiones ipſorum Q. R. ſunt, quòd Q. ſit materia ipſi R., velut unum lignum eſt materia multis formis, cùm Magiſter

giſter operatur ex eo quàm plures formas diverſas: & quemadmodum ipſum lignum per alterationem ſuam formam amittit, oportet, quòd Q. amittat ſuam formam per R.: ſicut autem materia ligni remanet ſub pluribus formis, ſic materia ipſius Q. remanet ſub pluribus formis, quæ exiſtunt in L., cùm ipſum Q. formam primam amiſit. Idcirco ſignificatur, quòd in deſtructione ipſius Q. & ejus generatione formæ ipſius I. nequaquam ſunt in privatione: quia ſi ſic, non eſſet aliquid, quod materiam ipſius Q. aliis formis conſervaret, nec quod formam exiſtentem in L. moveret ad N., nec etiam aliquid, quod poneret Q. in R., & etiam C. deleretur in H.

Explicit Ars Principiorum Philoſophiæ gratiâ & benedictione ipſius B., per quæ exaltatur & illuminatur intellectus humanus ad naturales quæſtiones faciendas & etiam ſolvendas, ſecundùm quod in viginti quæſtionibus exemplificare conſequenter intendimus.

DE XX. NATURALIBUS QUÆSTIONIBUS

Quæ ſunt

Secundùm Artem

Principiorum Philoſophiæ

1. *Quæſtio.* Utrùm I. habeat C. K. ad ſuam perfectionem, ſeu ad perfectionem ipſius B.?

Solutio. Hæc ſolutio ſignificatur per has cameras [B.I.] [D.E.] [E.I.]. Per primam enim cameram mediante T. ſignificatur, quòd B. & majoritas ſimul conveniunt, & I. & minoritas ſimiliter; cùm ipſum B. ſit cauſa, & I. ſit effectus. In camera verò ipſorum D.E. ſignificatur, quòd D. movet E., ut E. moveat I.: ex quo demonſtratur in camerâ ipſorum E.I., quòd in triangulo rubeo nobiliora ſunt ipſa C.K., ſi I. ad perfectionem ipſius B. movetur, quàm ſi moveatur ad ſuammet perfectionem: ſi enim non ita foret, ipſa D.E. exiſterent contra B., nec B. eſſet cauſa ipſi I. per C.; hoc autem eſt inconveniens & contra dignitates ipſius B.: quo inconvenienti demonſtratur, quòd I. movetur ad B. principaliter ac primâ intentione; ſecundâ verò intentione movetur ad ſuam perfectionem. Cùm autem I. diſcretionem non habeat, ejus motus naturalis in medio rubei ad ſuam perfectionem exiſtit, in fine verò ad ipſum B.

2. *Quæſtio.* Utrùm G. moveatur in I., vel I. in G., vel quodlibet ipſorum moveatur in altero?

Solutio. Ad ſolvendum iſtam quæſtionem convenit, quòd formemus has cameras [F.I.] [F.G.] [G.K.] [I.K.] [F.M.] [G.M.] [I.M.], ac eſt neceſſarium, quòd homo ſequatur conditiones ipſarum mediantibus A.S.T.V.X.Y.Z. ſecundùm ordinationem hujus Artis; ſecundùm quam ordinationem camera ipſorum F.I. ſignificat, quòd I. per F. moveatur in G.; cùm ipſum F. immobile ſit in eſſentia, mobile verò in virtute, per quam movet I. in G., igne recipiente ſiccitatem & præbente caliditatem, & aëre recipiente caliditatem & præbente humiditatem &c.: quæ datio & receptio fiunt de ſubjectis formarum ipſius I. in G., & fiunt à formis in ſubjectis formarum, in quibus G. eſt mobile, quia ejus partes exiſtunt continuæ: quod G. ab ipſo F. movetur; quod F. eſt primus motor, qui exiſtit ſub E., & I. eſt ex forma & materia: ideo G., in quantum ad ſuas partes, movetur in I. in virtute & opere abſque motu locali; in quo loco G. exiſtit immobile. Quoniam verò G. habet K. ad I., & I. ad G., & quia M. eſt habitus ipſorum F.G.I. per triangulum viridem & rubeum, idcirco ſignificatur & demonſtratur, quòd G.I. movent ſe, & quòd unum ipſorum movetur in altero; quo motu reſultat C. ſecundùm H. ex I.G. in O.P.Q.R.; quod C. eſſe non poſſet, niſi I. G. eſſent mobilia, videlicet quodlibet ipſorum in altero.

3. *Quæſtio.* Utrùm F. G. habeant C. in ſimplicitatibus ſuis, an non?

Solutio. Per iſtas cameras [F.G.] [O.P.] [Q.R.] ſignificatur ſolutio: præmiſſæ quæſtionis; nam F.G. ſunt univerſalia ipſis O.P.Q.R., & O. nequaquam mobile eſt in loco; ſed in ejus partibus eſt C. de uno loco ad alterum, & P.Q.R. mobilia ſunt in loco, ac eorum C. eſt in tempore. Unde, ſi F.G. mobilia forent in ſuis ſimplicitatibus, moverentur in loco & in tempore, & eſſet locus vacuus, nec univerſalia ſupra particularia virtutem haberent ad ſignificandum nobilitatem ipſius B.; hoc autem eſt inconveniens, quo ſignificatur, quòd F.G. immobilia exiſtunt, in quantum ſunt ſimplices ſubſtantiæ per ſe ipſas exiſtentes abſque occupatione

patione loci ipſorum O.P.Q.R.; mobilia verò ſunt in opere ac virtute; quâ mobilitate recipiunt influentiam ab ipſo E., & C. eſt in O.P.Q.R., & ſpecies exiſtentes ſupra individua retinent & recipiunt ſimilitudinem ipſorum F.G., in quantum immobiles permanent.

4. *Quæſtio.* Utrùm ignis moveatur ad terram, vel terra ad ignem, terrâ ipſi igni ſiccitatem præbente?

Solutio. Diſcurrente S. cum quadrangulo livido per iſtas cameras [I.K.] [I.M.] [L.N.] cognoſcitur ſolutio præmiſſæ quæſtionis: ignis enim habet in habitu dare caliditatem aëri; & ſi non haberet M. ad recipiendum ſiccitatem, exiſteret contrarietas inter K.M.; quâ contrarietate impoſſibile eſſet ſecundùm H. ipſum C. eſſe ex L. ad N.: & ideo neceſſarium eſt, quòd ignis habeat K. ad ſiccitatem, ut dare & recipere poſſit beneficium: & hoc idem ſequitur de terra & reliquis elementis. Quapropter oportet terram moveri ad ignem, & ignem ad terram, ut inter K.M. triangulus rubeus exiſtat inde nobilior in K.M.C. ipſorum I. H., & ut L. citiùs ſit inde in N.

5. *Quæſtio.* Utrùm elementa habeant C. in ſuis Sphæris in P.Q.R.?

Solutio. In ſignificatione iſtarum camerarum [F.G.] [I.O.] [K.M.] conſiſtit ſolutio præmiſſæ quæſtionis: videlicet quòd F.G. ſunt cauſa, quòd quodlibet elementum habeat in H. ſuam propriam Sphæram in differentia unius loci ab altero; nam generante F. in G. quatuor formas ipſius I. cuilibet elemento ſuam Sphæram aſſignat: & ideo aliquæ Sphæræ ſunt ſupra alias in G. ac etiam in loco, & elementa habent K.M. ad ſuas Sphæras. Quoniam verò I. eſt per O, & P.Q.R. exiſtunt in Q., neceſſarium eſt, quòd, ubicunque ſunt elementa compoſita in P.Q.R., quodlibet ipſorum habeat K.M. ad ſuam Sphæram, ut ibi conſervetur ejus natura: & ideo in P.Q.R. quodlibet elementum habet ipſum C. ad ſuam propriam Sphæram; quæ Sphæra exiſtit in H. in quolibet elemento; quanquam quodlibet elementum in Sphæra alterius ſecundùm locum exiſtat: & propterea aliæ Sphæræ conſiſtunt in aliis ſecundùm K.M. in elementis, non autem ſecundùm locum; velut G., quod compoſitum eſt in I., in ſe ipſo verò ſimplex exiſtit.

6. *Quæſtio.* Utrùm calor ignis moveat in ſuo ſubjecto terram contra aërem, vel utrùm in ipſo ſubjecto moveatur ipſa terra contra aërem?

Solutio. Per iſtas cameras [F.I.] [G.O.] [K.M.] ſignificatur ſolutio præmiſſæ quæſtionis per T.X. ſcil. mediantibus triangulo croceo & rubeo: caliditas enim movet ſuum ſubjectum ad intrandum in O. in G. in ſubjecto aëris calefacto, ſecundùm quod K.M. conveniunt in F.I.: & ideo in motu, quem facit calor ex ſuo ſubjecto ad ſubjectum humiditatis, movetur terra in motu ignis, velut molendinum in C. ipſius aquæ movetur, & ſanitas in practica Medici: & F. movet formam ignis, cujus ſubjectum in motu formæ movetur.

7. *Quæſtio.* Utrùm ſit differentia inter caliditatem ignis, & illam, quam aër recipit ab ipſo, an non?

Solutio. Secundùm differentiam ipſorum F.I. ac ipſorum G.I., & ſecundùm quod triangulus rubeus & viridis ſunt in K.M., ſignificatur ſolutio præmiſſæ quæſtionis: nam F. generat in G. formam ignis, quæ ad calorem ſe habet, & ad calefaciendum in K.M., ut ipſius B. dignitates ſignificet; & illa eadem forma movetur in aëre, ut ipſum calefaciat: quapropter ita eſt caliditas forma una in ſubjecto ignis, & altera in ſubjecto aëris calefacti, ût eſt G. in uno Q. ab altero diverſum in ſpecie.

8. *Quæſtio.* Utrùm triangulus viridis eſt in elementis per modum formæ, aut per modum materiæ?

Solutio. In differentia ipſorum F.G., quæ per modum actionis ſe habent & per modum paſſionis in K.M., ſignificatur ſolutio præmiſſæ quæſtionis: triangulus enim viridis diverſus eſt in eo, quòd per unum modum ſe habet ad formas, & per alterum ad ſubjecta ipſarum formarum; & formæ per ipſum viridem decurrunt per unum modum, & ſubjecta per alterum: ſi enim non ita foret, ſequeretur, quòd inter formas ſimplices & materiam non exiſteret medium, & etiam privaretur C. in privatione medii, & in privatione ipſius C. privaretur principium & finis trianguli rubei; hoc autem eſt inconveniens.

9. *Quæſtio.* Utrùm omnes partes ipſius G. in I. & ipſius I. in O. ſint continuæ, vel diſcretæ?

Solutio. Per triangulos ipſius T. & per I.O.P.Q.R. ſignificatur ſolutio præmiſſæ quæſtionis: videlicet quòd, ſi partes ipſius G. in I. & ipſius I. in O. affirmarentur eſſe

continuæ vel diſcretæ absque O., partes ipſorum I. G. eſſent diſcretæ; quæ partes eſſent corpora ſimplicia, in quibus deſtrueretur C. ipſius H., & K. M. ipſorum F. G. I.: & ideo ſecundùm triangulum viridem, croceum & rubeum ſignificatur, quòd partes ipſius G. in I. & ipſius I. in O. ſunt continuæ & diſcretæ. Et per hoc ſignificatur, quòd partes ipſius G. magìs continuæ ſunt in I., quàm in O., & partes ipſius I. magìs continuæ ſunt in O., quàm in P. Q. R.: & ideo ipſæ partes magìs diſcretæ ſunt in P., quàm in O., & in Q., quàm in P., in R. verò magis continuæ, quàm in Q.

10. *Quæſtio.* Utrùm G. & O. habeant differentiam, an non?

Solutio. Si inter G. & O. nulla differentia exiſteret, G. non eſſet in una forma ſub I., & in altera ſub O.; nec F. generaret in G. quatuor formas univerſales formis, quæ multæ & diverſæ ſunt in O.; nec etiam K. M. convenirent ita bene in F. I. G. O.: præterea non eſſet C. ex O. ad G., nec ex G. ad I., mediante ipſo I.; hoc autem totum eſt inconveniens & contra H. I. L. N. P. Q. R. nec non contra actionem, paſſionem, generationem & corruptionem.

11. *Quæſtio.* Utrùm influentia ipſius E. veniat ad corpora inferiora cum materia, ſeu cum virtute?

Solutio. Conveniret, quòd F. eſſet corpus, & G. haberet augmentum in O., & I. eſſet compoſitum, ſi E. cum materia ſuî ipſius in corpora inferiora influeret, & ipſum E. eſſet in partibus corruptibilibus; hoc autem eſt inconveniens: quo ſignificatur, quòd E. influit per virtutem absque materiâ ab ipſo ſeparatâ. Et ideo F. recipit inde ſimilitudinem, in quantum in G. virtualiter operatur, quanquam ipſum F. nequaquam exiſtat materia: & ſimiliter G. recipit influentiam ab ipſo E., & virtutem ab F. in materia: I. verò ab ipſo G. recipit materiam, & ab F. formam, ab E. verò influentiam; & ideo ipſum I. deſcendit ad O. P. Q. R. cum omni eo, quod recipit à principiis, quæ ſupra ipſum exiſtunt.

12. *Quæſtio.* Utrùm locus ſit res per ſe exiſtens, an non?

Solutio. Si locus eſſet res per ſe exiſtens, neceſſarium eſſet, ipſum habere, in quo collocatus foret; ac etiam in differentia locorum eſſet infinitus numerus; hoc autem eſt inconveniens: quo ſignificatur, quòd, quemadmodum duodecim Signa ipſius E. & ſeptem Planetæ judicantur in qualitatibus ipſius I., ſic locus eſt res exiſtens in altero, videlicet in pleno, & plenum ita exiſtit in vacuo, ſicut tempus in C., & radii ſolares in corpore, velut in aëre: per hoc verò deſignantur Dignitates ipſius B.

13. *Quæſtio.* Utrùm B. habeat in ſe operationem, an non?

Solutio M. ipſius ignîs ad calefaciendum ſe habet; in quo calefacere non exiſtit differentia ſecundùm ſimplicitatem ipſius M.: quoniam autem ei fit repugnantia per aquam, vel aërem, vel per terram ad utendum ſuo M., ideo in altero eſt ita differentia inter calorem & calefacere, velut diverſificatur aër in corporibus collocatis in ipſo. Igitur cùm ita ſit, per prædictam metaphoram ſignificatur, quòd B. habet opus in ſe ipſo: quia ſi non, ſequeretur, quòd I. meliùs ſe haberet in ſuis qualitatibus & ipſarum operatione, quàm B. & dignitates ejusdem; hoc autem eſt inconveniens: quo ſignificatur, quòd, quemadmodum ignis per caliditatem ſe habet ad calefaciendum, ita B. ſe habeat per bonitatem ad bonificandum & per magnitudinem ad magnificandum & per æternitatem ad æternificandum & per poteſtatem ad poſſificandum & per ſapientiam ad cognoſcendum & per voluntatem ad amandum & per perfectionem ad perficiendum: quia, ſi ipſum B. in ſe ipſo prædicta non haberet, non haberet dignitatem, per quam priùs exiſteret, quàm ſuus effectus.

14. *Quæſtio.* Utrùm inter B. & ejus effectum ſit aliqua ſimilitudo, an non?

Solutio. Si inter B. & ejus effectum aliqua ſimilitudo non eſſet, effectus nequaquam haberet K. ad ipſum B., nec inter B. S. V. Y. contra V. Z. tam vehemens concordantia foret: *quoniam autem oportet attribui ipſi B., quicquid eſt ſecundùm majoritatem camerarum ipſius A.*, idcirco de neceſſitate convenit, quòd ejus effectus habeat aliquam ſimilitudinem ſuæ cauſæ; in qua ſimilitudine ipſum B. fortiùs eſt cauſa ſuo effectui, quàm in diſſimilitudine ipſius B. & ejus effectûs; cùm illa ſimilitudo, quam effectus habet cum ipſo B., ſit major beatitudo, quam ipſum B. ſuo effectui præbere poſſit, & quam effectus à cauſa poſſit recipere.

15. *Quæſtio.* Utrùm B. indigeat ſuo effectu, an non?

Solutio. Ipſi E. nullo modo neceſſaria ſunt F. G. I. H.: quoniam verò E. eſt, & quoniam habet virtutem, quòd ex præſentia ſuî procedat beneficium corporibus exiſtentibus ſub F. G. I. H., ideo ſequitur, ipſum eſſe neceſſarium corporibus inferioribus. Unde per hanc metaphoram ſignificatur ſolutio præmiſſæ quæſtionis; nam in præſentiâ ipſius B. beneficium habent res, quæ ſunt ejus effectus, absque eo, quòd B. ipſis indigeat: quia ſi ſic, ipſum B. non haberet Dignitates, per quas priùs exiſteret, quàm ſuus effectus; nec S. tam bene ſe haberet per quadrangulum lividum ad A. V. Y., nec per nigrum ad V. Z.

16. *Quæſtio.* Quæ eſt nobilior potentia ipſius S., vel voluntas, vel intellectus?

Solutio. Quoniam voluntas pro objecto recipit A. V. Y. cum quadrangulo livido, & V. Z. cum quadrangulo nigro, idcirco ſignificatur, quòd voluntas eſt nobilior potentia, quàm intellectus: quoniam autem intellectus ſe habet ad veritatem, cùm objecta ſumit, eſt lumen ipſi voluntati; & quantò major eſt operatio intellectûs, tantò meliùs eſt conveniens cum veritate & perfectione; per exceſſum autem vel defectum voluntatis intellectus ſæpe impeditur in intelligendo: ideo ſignificatur, quòd intellectus eſt nobilior potentia, quàm voluntas. Igitur cùm ita ſit, ſecundùm triangulum viridem, rubeum & croceum declaratur, ipſas potentias eſſe in nobilitate per naturam æquales, ut æqualiter ſint effectus ipſius B. in triangulo rubeo: propter ſubjectorum autem differentiam eſt una nobilior alterâ in prædictis triangulis.

17. *Quæſtio.* Utrùm intellectus valeat intelligere absque imaginatione, an non?

Solutio. M. exiſtit in quinque ſenſibus particularibus ſæpe absque opere imaginationis; ſi autem M. non eſſet in ipſis, imaginatio imaginari nequaquam valeret. Unde ſecundùm triangulum viridem, rubeum & croceum ſignificatur ſolutio præmiſſæ quæſtionis: ſi enim M. ſe habet ad opus abſentiâ imaginationis, & in triangulo rubeo absque M. imaginatio eſſe non poteſt, in fine verò trianguli rubei imaginativa imaginari poteſt absque M. particularîs ſenſûs, de neceſſitate convenit, quòd intellectus intelligere poſſit in A. V. Y. abſentiâ imaginationis: ſi enim non ita foret, intellectus eſſet cum minoritate concordans, & imaginatio cum majoritate; hoc autem eſt inconveniens.

18. *Quæſtio.* Quid meliùs ſe habet ad operationem, vel calor ignîs ad calefaciendum, vel intellectus ad intelligendum?

Solutio. In igne ſimplici calor & calefacere ſe habent æqualiter ad eſſe & ad N.; & ideo I. non eſt absque C.: quoniam verò ſubjectum eſt ex O. P. Q. R., eſt major caliditas & major operatio unius caliditatis, quàm alteriùs: quapropter formatur triangulus croceus inter calorem & ejus opus per triangulum viridem & rubeum: & propterea calor & calefacere ſunt unum & idem in igne; in patiente verò eſt caliditas unum, & calefacere aliud, aliud autem eſt res calefacta. Et hoc idem & incomparabiliter meliùs ſequitur de intellectu & intelligere, quæ unum & idem exiſtunt: ſed quoniam intellectus quandoque ita impeditur ad intelligendum, ſicut calor ad calefaciendum, idcirco accidentaliter ſecundùm tertium & quartum membrum X. in Juſtitia B. fit differentia inter intellectum & intelligere & intellectum habentem M.: ſi enim non ita foret, ſequeretur, quòd I. S. nequaquam ſignificarent B., ſecundùm quod ejus dignitatibus & operationibus convenit.

19. *Quæſtio.* Utrùm intellectus meliùs conveniat ad intelligendum ſe ipſum, vel ad intelligendum voluntatem ipſius S.?

Solutio. Quoniam B. æqualiter eſt cauſa intellectui & voluntati ipſius S., ut S. cognoſcat & diligat ipſum B., idcirco ſecundùm juſtitiam & voluntatem ipſius A. neceſſarium eſt, triangulum rubeum in voluntate ac intellectu conſiſtere, ut in ipſis ſit major differentia majórque concordantia, ad ſignificandum, quòd in B. æqualiter conveniunt bonitas, infinitas, æternitas, poteſtas, ſapientia & voluntas. Quapropter S. intelligit, quòd in B. tantum convenit poteſtas ad operandum, & perfectio ad perficiendum, & infinitas ad infinitandum, quantum ſapientia ad cognoſcendum, & voluntas ad amandum: ſi enim non eſſet ita, eſſet impoſſibile, quòd ipſum ante ſuum effectum exiſteret.

20. *Quæſtio.* Utrùm virtus, quam habet S. ad ſumendum objecta extra corpus, exiſtat in corpore, an non?

Solutio. Si virtus, quam habet S. ad ſumendum objecta cum ſuis quadrangulis, extra corpus exiſteret, ſequeretur, quòd eſſet virtus absque ſubjecto, ſive quòd totum S. non eſſet in corpore; hoc autem eſt inconveniens: quo ſignificatur, quòd, quemadmodum E. influit in Q. in metallis exiſtentibus

bus ſub terra, & eſt extra Q. in I. O. P., absque eo, quòd in ipſo conveniat triangulus viridis, ſic totum S. exiſtit in corpore, & habet ſuam totam virtutem in ſe ad ſumendum objecta, quæ ſumit in corpore, quanquam extra corpus exiſtant: quapropter ſignificatur, quòd B. habens in ſe ipſo ſuam virtutem eſt cauſa effectûs, quem operatur, & ſuſtinet.

Expliciunt viginti quæſtiones prædictæ virtute ipſius B.

De CXX. Quæſtionibus, quæ per Principia Philoſophiæ ſolvuntur.

1. B. C. *Quæſtio.* Utrùm in voluntate ipſius B. fuerit C. tempore, quo creavit ipſa D. E. G.?
2. B. D. *Quæſtio.* Utrùm gloria, quam D. habet in B., multiplicetur per multiplicationem ſervitii, quod D. facit ipſi B.?
3. B. E. *Quæſtio.* Utrùm E. fortiùs ipſi S. ſignificet ipſum B. per ſuam incorruptibilitatem, vel per influentiam, quam ab ipſo recipiunt F. G. H. I. K. L. M. N. O. P. Q. R.?
4. B. F. *Quæſtio.* Utrùm F. ſignificet fortiùs ipſum B. per actionem, quam habet in G., quàm G. per paſſionem, quam habet in F.?
5. B. G. *Quæſtio.* Utrùm G., in quantum eſt imaginabile in I. O. P. Q. R. extra ſe ipſum, ſignificet, quòd S. poſſit intelligere ipſum B. in diſtinctis Suppoſitis per operationem intrinſecam, quæ in divinis dignitatibus reperitur?
6. B. H. *Quæſtio.* Utrùm H., quod procedit continuè per C., fortiùs nobis demonſtret in B. unam Perſonam, quàm aliam?
7. B. I. *Quæſtio.* Utrùm I., in quantum habet K. ad unitatem & trinitatem per conjunctionem materiæ & formæ, ſignificet fortiùs B., quàm in quantùm I. eſt per O. in compoſitione quaternitatis?
8. B. K. *Quæſtio.* Utrùm F. G. H. I. habeant majus K. ad ipſum Q., quàm ad B.?
9. B. L. *Quæſtio.* Utrùm mundus fuerit ſecundùm L. in B., antequam foret C. in E. F. G. I.?
10. B. M. *Quæſtio.* Utrùm M. juſtitiæ fuerit in B., cùm S. cujuslibet eſt in actu ipſorum V. Z.?
11. B. N. *Quæſtio.* Utrùm N. ipſorum E. F. G. fuerit in æternitate ipſius B. absque L.?
12. B. O. *Quæſtio.* Utrùm I., quod eſt in O., ſignificet fortiùs, proprietates diſtinctas in B. exiſtere, quàm Q., quod eſt in O.?
13. B. P. *Quæſtio.* Utrùm P. fortiùs ſignificet diſtinctas proprietates, quàm eſſentiam?
14. B. Q. *Quæſtio.* Utrùm Q. habeat majorem ſimilitudinem ipſius B., quàm F. G. I.?
15. B. R. *Quæſtio.* Utrùm B. habuerit in ſua magnitudine R., in quantum creavit locum & plenum de O. G.?
16. C. D. *Quæſtio.* Utrùm C. in D. formet tempus, vel ſit cauſa temporis ſecundùm diem & noctem?
17. C. E. *Quæſtio.* Utrùm C. in E. ſit ita fortiter cauſa tempori, ſicut eſt in P. Q. R.?
18. C. F. *Quæſtio.* Utrùm C. ſit in F.?
19. C. G. *Quæſtio.* Utrùm C. ſit in G. absque I. O. P.?
20. C. H. *Quæſtio.* Utùm C., quod eſt contra H., habeat principium de F. G.?
21. C. I. *Quæſtio.* Utrùm calor ignîs, qui aërem calefacit, moveatur de ſuo ſubjecto in aërem?
22. C. K. *Quæſtio.* Utrùm K. ſit majus in C., quod movetur deorſum, vel quod movetur ſurſum?
23. C. L. *Quæſtio.* Utrùm in G. ſit motus in L.?
24. C. M. *Quæſtio.* Utrùm M. habeat C. ab ipſo L. ad ipſum N., vel è converſo?
25. C. N. *Quæſtio.* Utrùm N. ſit in C., & è converſo?
26. C. O. *Quæſtio.* Utrùm O. ſit in C. ſinè G. P.?
27. C. P. *Quæſtio.* Utrùm C. in P. moveat virtutem, vel ſubſtantiam?
28. C. Q. *Quæſtio.* Utrùm C. ſit majus, ubi Q. propinquius eſt cauſæ finali?
29. C. R. *Quæſtio.* Utrùm C. eſt majus in R., quàm in P.?
30. D. E. *Quæſtio.* Utrùm ſit H. ipſi D. movere ipſum E.?
31. D. F. *Quæſtio.* Utrùm F. recipiat influentiam ab ipſo D.?
32. D. G. *Quæſtio.* Utrùm D. ſit collocatum in ipſo G.?
33. D. H. *Quæſtio.* Utrùm H. poſſit reſiſtere operi ipſius D.?
34. D. I. *Quæſtio.* Utrùm I. poſſit ipſi D. dare gloriam, vel pœnam?

35. D. K.

35. D. K. *Quæſtio.* Utrùm K. moveat D. per V. Y. contra V. Z.?
36. D. L. *Quæſtio.* Utrùm D. moveat L. ad ipſum N.?
37. D. M. *Quæſtio.* Utrùm in D. exiſtat M. absque N.?
38. D. N. *Quæſtio.* Utrùm N. ſe habeat ita ad D., ſicut intelligere ad intellectum & velle ad voluntatem in S.?
39. D. O. *Quæſtio.* Utrùm D. ſit in O., cùm recipit formam ipſius Q.?
40. D. P. *Quæſtio.* Utrùm D., quod accipit corpus in aëre, formet illud corpus per P.?
41. D. Q. *Quæſtio.* Utrùm Q. poſſit impedire locum ipſi D.?
42. D. R. *Quæſtio.* Utrùm R. ſit in voluntate ipſius D.?
43. E. F. *Quæſtio.* Utrùm F. recipiat influentiam ab ipſo E. in ſe ipſo, vel in ſuis individuis?
44. E. G. *Quæſtio.* Utrùm influentia ipſius E. ſit magis in ipſum G., quàm in ipſum F.?
45. E. H. *Quæſtio.* Utrùm H. poſſit derivari ab ipſis F. G. absque E.?
46. E. I. *Quæſtio.* Utrùm I. ſit propinquius ipſi E., quàm ipſi Q., vel è converſo?
47. E. K. *Quæſtio.* Utrùm E. habeat K. ad ſe ipſum, ſecundùm quod I. habet ipſum H. ad ipſum B.?
48. E. L. *Quæſtio.* Utrùm L. priùs recipiat influentiam ab ipſo E., quàm ab ipſis F. G.?
49. E. M. *Quæſtio.* Utrùm E. habeat M. intellectualiter?
50. E. N. *Quæſtio.* Utrùm E. habeat majus N. in ſe ipſo, quàm extra ſemet ipſum?
51. E. O. *Quæſtio.* Utrùm O. exiſtat in ſeptem planetis ipſius E.?
52. E. P. *Quæſtio.* Utrùm E. habeat N. per totam ſuperficiem terræ ad influendum ipſum P.?
53. E. Q. *Quæſtio.* Utrùm Q. ſit ultimus finis influentiæ ipſius E.?
54. E. R. *Quæſtio.* Utrùm R. æqualiter conveniat per generationem & corruptionem cum influentia ipſius E.?
55. F. G. *Quæſtio.* Utrùm F. G. ſint corpora?
56. F. H. *Quæſtio.* Utrùm H. producat plùs de virtute ſubſtantiæ ad operationem per hoc, quod continet de F., quàm de G.?
57. F. I. *Quæſt.* Utrùm F. ſit durabile in I.?
58. F. K. *Quæſtio.* Utrùm F. habeat K. per primam intentionem ad ſuam perfectionem vel perfectionem ipſorum G. L. Q., vel è converſo?
59. F. L. *Quæſtio.* Utrùm forma particularis ſit propinquior ipſi F. in L., quàm in Q.?
60. F. M. *Quæſtio.* Utrùm M. in F. ſit incorruptibile?
61. F. N. *Quæſtio.* Utrùm N. ipſius F. ſit interdum ceſſans, vel utrùm ſit uno tempore majus altero?
62. F. O. *Quæſtio.* Utrùm F. ſit intra terminos ipſius O., vel extra?
63. F. P. *Quæſtio.* Utrùm F. habeat C. in P.?
64. F. Q. *Quæſtio.* Utrùm deſtructo Q. remaneret H. ipſius Q. in M. ipſius F.?
65. F. R. *Quæſtio.* Utrùm R. habeat majora C. N. per F., quàm per G.?
66. G. H. *Quæſtio.* Utrùm H. impleat locum per G., vel per F.?
67. G. I. *Quæſtio.* Si triangulus viridis & rubeus in privatione exiſterent in I., utrùm I. foret in M. ipſius G.?
68. G. K. *Quæſtio.* Utrùm K. ſit majus in H. per G., quàm per F.?
69. G. L. *Quæſtio.* Utrùm G. ſit majus ſubjectum ipſi L., quàm ipſum F.?
70. G. M. *Quæſtio.* Utrùm M. ipſius G. ſit alterabile de paſſione in actionem?
71. G. N. *Quæſtio.* Utrùm paſſio ſit N. ipſius G.?
72. G. O. *Quæſtio.* Utrùm G. ſit collocatum in O., vel è converſo?
73. G. P. *Quæſtio.* Utrùm P. dividat ipſum G.?
74. G. Q. *Quæſtio.* Utrùm virtus ipſius G. ſit major in Q., quàm in ſe ipſo?
75. G. R. *Quæſtio.* Utrùm R. ſit antè in N. per G., quàm per F.?
76. H. I. *Quæſtio.* Quis angulorum trianguli viridis conveniat meliùs ipſi N. ipſius H.?
77. H. K. *Quæſtio.* Quis angulorum trianguli rubei conveniat meliùs ipſi N. ipſius K. in H.?
78. H. L. *Quæſtio.* Utrùm L. exiſtat in H. N.?
79. H. M. *Quæſtio.* Utrùm in M. ipſius H. exiſtat N.?
80. H. N. *Quæſtio.* Utrùm N. ipſius H. ſit aliquo tempore ceſſans ſeu, corruptibile?
81. H. O. *Quæſtio.* Utrùm H. habeat ita magna K. N. in O., ſicut in P.?

82. H. P.

82. H. P. *Quæſtio.* Utrùm P. ſit principium ipſius O. in H. I.?
83. H. Q. *Quæſtio.* Poſito, quòd Q. foret in privatione, utrùm N. exiſteret in H. per M.?
84. H. R. *Quæſtio.* Utrùm P. ſit propinquius ipſi H., quàm R., vel è converſo?
85. I. K. *Quæſtio.* Quodnam quatuor elementorum habeat majus K.?
86. I. L. *Quæſtio.* Utrùm hoc, quod de I. non exiſtit in N., ſit elementum ſimplex?
87. I. M. *Quæſtio.* Utrùm M. ipſius I. ſe habeat meliùs per formam, quàm per materiam?
88. I. N. *Quæſtio.* Utrùm N. exiſtat in I. absque O. P. Q. R.?
89. I. O. *Quæſtio.* Utrùm I. exiſtat in O. per ſuas Sphæras?
90. I. P. *Quæſtio.* Utrùm totum I. exiſtat in P., & è converſo?
91. I. Q. *Quæſtio.* Utrùm I. habeat majorem virtutem in Q., quàm in ſe ipſo?
92. I. R. *Quæſtio.* Quodnam quatuor elementorum redeat per C. priùs ad G.?
93. K. L. *Quæſtio.* Utrùm L. ſinè C. habeat K. in N.?
94. K. M. *Quæſtio.* Utrùm M. ſit ſinè K.?
95. K. N. *Quæſtio.* Utrùm K. poſſit eſſe ſinè N.?
96. K. O. *Quæſtio.* Utrùm O. habeat K. per ſe tantùm ſinè medio?
97. K. P. *Quæſtio.* Utrùm majoritas conveniat meliùs cum K. in Q., quàm in P.?
98. K. Q. *Quæſtio.* Utrùm Q. ſit finis ipſius K.?
99. K. R. *Quæſtio.* Utrùm in R. ſint plura K., vel non?
100. L. M. *Quæſtio.* Utrùm L. ſit major occaſio ipſi N., quàm M., vel è converſo?
101. L. N. *Quæſtio.* Utrùm L. & N. poſſint participare ſinè M.?
102. L. O. *Quæſtio.* Utrùm O. ſit compoſitum de L. P.?
103. L. P. *Quæſtio.* Utrùm L. & P. participent absque N.?
104. L. Q. *Quæſtio.* Utrùm ſubjectum formæ ipſius Q. ſit illud, per quod L. erat in principio trianguli rubei?
105. L. R. *Quæſtio.* Utrùm R. ducat L. ad ipſum G., ut ſit G. ſubjectum ipſi L. per M. ipſorum F. I.?
106. M. N. *Quæſtio.* Utrùm M. ipſius ignîs ſe habeat ad majus N. in locis altis, quàm in imis?
107. M. O. *Quæſtio.* Utrùm M. ſit theorica, per quam O. exiſtit, vel utrùm ſit practica?
108. M. P. *Quæſtio.* Quodnam iſtorum ſit ſuperius in igne, videlicet vel O., vel P.?
109. M. Q. *Quæſtio.* Utrùm Q. ſit N. ipſius M.?
110. M. R. *Quæſtio.* Utrùm R. moveatur per M., vel per potentiam?
111. N. O. *Quæſtio.* Utrùm O. ſit N. ipſius I.?
112. N. P. *Quæſtio.* Utrùm N. ipſius P. ſe habeat magis ad generationem, quàm ad corruptionem?
113. N. Q. *Quæſtio.* Utrùm N. ipſius Q. ſit ita naturale, ſicut N. ipſius P.?
114. N. R. *Quæſtio.* Utrùm N. ipſius R. ſe habeat ad unam operationem, vel ad plures?
115. O. P. *Quæſtio.* Utrùm ad N. ipſius H. ſit magis neceſſarium ipſum P., quàm ipſum O.?
116. O. Q. *Quæſtio.* Utrùm O. ſe habeat ad materiam ipſius Q., & P. ad formam?
117. O. R. *Quæſtio.* Utrùm R. habeat majorem concordantiam cum O., quàm cum P.?
118. P. Q. *Quæſtio.* Utrùm P. habeat majus K. ad ſuum N., quàm ad N. ipſius Q.?
119. P. R. *Quæſtio.* Utrùm N. ipſius P. poſſit eſſe absque N. ipſius R.?
120. Q. R. *Quæſtio.* Utrùm H. habeat aliquam extremitatem finitam, ita, quòd non poſſit extendi ultra Q. R.?

Deinceps autem oportet nos tractare de Regulis, quæ huic operi conveniunt.

De Regulis Principiorum Philoſophiæ, & Primò

De A.

IN iſtis Principiis A. & B. ſunt unum & idem; quod A. eſt quædam Figura ſignificans Deum, in qua continentur hæ ſedecim Dignitates, videlicet *Bonitas*, *Magnitudo*, *Æternitas*, *Poteſtas*, *Sapientia*, *Amor*, *Virtus*, *Veritas*, *Gloria*, *Perfectio*, *Juſtitia*, *Largitas*, *Miſericordia*, *Humilitas*, *Dominium*, *Patientia*: quæ ſedecim Dignitates ſedecim Cameræ ipſius A. ſecundùm hanc Artem vocantur; & ſunt conditionatæ cum Cameris ipſorum B. C. D. E. F. G. H. I. K. L. M. N. O. P. Q. R. tali

tali modo, quòd nullum inconveniens in cameris ipſius A. & prædictis literis exiſtat, & quòd quodlibet particulare affirmandum ſit, quo concordantia inter A. & prædictas literas ſequatur, quodlibet verò particulare negandum ſit, quo in ipſis aliquod inconveniens ſequi poſſet.

De S.

S. Eſt quædam Figura ſignificans Animam Rationalem, & continet in ſe *tres Quadrangulos*, cum quibus ſumit objecta utendo ſuis potentiis, quorum Quadrangulorum *unus eſt lividus*, alius *niger*, alius *rubeus*. *Quadrangulus lividus* habet in ſe ſecundùm hanc Artem proprietatem recolendi, intelligendi & amandi objecta, quæ ſumit ſecundùm B. & dignitates ejus & ſecundùm veritatem ipſorum C. D. & reliquorum Principiorum. *Quadrangulus* autem *niger* eſt, ut S. recolat, intelligat & odiat inconvenientia Principiorum hujus Artis, & etiam odiat omne, ex quo contrarietas inter Principia hujus Artis ſequatur; & illud ideo, quoniam ipſe Quadrangulus niger deputatus eſt ad odiendum V. Z.; ſervit enim Quadrangulo livido, qui aſſignatus eſt ad amandum A. V. Y. *Quadrangulus* autem *rubeus* habet officium ſupponendi & credendi Principia hujus Artis & eorum conditiones ac opera, ut Quadrangulus lividus & niger inde poſſint intellectum exaltare ad inveſtigandum Y. & Z., & ipſe Quadrangulus rubeus obliviſcitur & ignorat, & diligit, vel odit rem ſuppoſitam, ut Quadrangulus lividus & niger inde meliùs operari valeant, attribuendo ipſi B. majores dignitates, ejus autem effectui majorem neceſſitatem.

De T.

T. Eſt Figura Principiorum, in qua Quadranguli ipſius S. inveſtigare incipiunt Y. Z.; quæ Figura eſt compoſita ex *quinque Triangulis*, quorum unus eſt *lividus*, alius *viridis*, alius *rubeus*, alius *croceus*, alius *niger*. *Triangulus lividus* compoſitus eſt ex A., Creatura & Operatione: & ſignificat, quòd oportet omnem quæſtionem eſſe vel de Deo, vel de Creatura, vel de Operatione; & ideo ſolutionem in ipſo triangulo dari oportet. *Triangulus viridis* compoſitus eſt ex Differentia, Concordantia & Contrarietate. Officium autem ejus in hac Arte eſt, quòd Concordantia & Differentia Principiorum, nec non ipſarum Conditionum amentur; Contrarietas verò & Differentia ipſarum conditionum plurimùm odiantur; niſi tamen inde ſequatur inconveniens in B. H. *Triangulus autem rubeus* compoſitus eſt ex Principio, Medio & Fine: & eſt conditionatus tali modo, quòd Principia hujus Artis nequaquam contraria ſint ipſi B., nec Triangulus ſuam qualitatem, nec ſuam naturam amittat, & quòd Principia cum Triangulo, nec non cum reliquis Triangulis conveniant in ſuis conditionibus, & quòd ipſe Triangulus rubeus contra alios Triangulos nequaquam exiſtat. *Triangulus croceus* compoſitus eſt ex Majoritate, Minoritate & Æqualitate: & eſt conditionatus, quòd ſit cum reliquis Triangulis & Principiis hujus Artis concordans tali modo, quòd inde in B. nulla minoritas ſequatur, & quòd ipſum B. ſit in majori nobilitate, quàm ejus effectus, & quòd omne id, per quod ipſum B. in majori dignitate noſcatur, debeat affirmari, & etiam quòd Principia, quæ ſunt ab ipſo B. usque ad S., decurrant per ipſum croceum ſecundùm qualitatem, quæ Majoritati, vel Æqualitati, ſeu minoritati exiſtit conveniens. *Triangulus* autem *niger* compoſitus eſt ex Affirmatione, Dubitatione & Negatione: & eſt conditionatus, quòd debeat negari & affirmari & dubitari tali modo, quòd Principia nequaquam irrita ſint, nec contra ſuas conditiones; & quòd S. poſſit inde meliùs pro objecto ſumere A. V. Y. cum Quadrangulo livido, cum nigro autem V. Z.; & quòd ab ipſo B. usque ad S. inde ſequatur major concordantia omnes conditiones ad invicem comparando, & Triangulum nigrum cum aliis Triangulis & cum ipſius S. Quadrangulis concordando.

De V.

V. Eſt quædam *Figura duplex*, quæ ex virtutibus & vitiis eſt compoſita, cujus officium eſt in hac Arte ſignificare virtutes & vitia. Et ſciendum, quòd V. lividum ſignificat virtutes, quæ ſunt *ſeptem*, videlicet: *Fides*, *Spes*, *Charitas*, *Juſtitia*, *Prudentia*, *Fortitudo*, *Temperantia*: V. verò *rubeum* ſignificat vitia, quæ ſimiliter *ſeptem* ſunt, videlicet: *Gula*, *Luxuria*, *Avaritia*, *Acedia*, *Superbia*, *Invidia*, *Ira*, quæ mortalia peccata dicuntur. V. *lividum* conditionatum eſt ad ſerviendum ipſi B per S., & ut exaltet in ipſo V. ſuos Quadrangulos ad inveſtigandum Principia hujus Artis, ut meliùs poſſit cognoſcere ac amare B., & dignitates ejusdem. V. verò *rubeum*

beum eſt in hac Arte, ut ejus individua mortificentur, & plurimùm odiantur, & ut concordantia deſtruatur, in quâ ſequatur multiplicatio vitiorum; quæ vitia impediunt ipſum S., dum diſcurrit per ipſa cum Quadrangulo livido; propter quod impedimentum habet culpam, & ignorat ipſum B. ac ejus effectum. Præterea B. & V. conditionantur in hac Arte *ſecundùm decem conditiones, quæ continentur in Libro Gentilis & trium Sapientum*, qui diſputaverunt ſecundùm regulam, ad quam Domina Intelligentia ipſos direxerat.

De X.

X. Eſt quædam Figura, quæ appellatur *Figura Prædeſtinationis*, quæ ex *ſedecim cameris* eſt compoſita, in quibus hæ dictiones ſcribuntur, videlicet: *Sapientia, Prædeſtinatio, Perfectio, Meritum, Poteſtas, Gloria, Eſſe, Scientia, Juſtitia, Liberum Arbitrium, Defectus, Culpa, Voluntas, Pœna, Privatio, Ignorantia*, quæ cameræ ejus dicuntur. Et ſciendum, *quòd ipſum X. eſt figura contrariorùm & concordantium mediatè & immediatè*, videlicet, quòd ejus cameræ cum medio & ſinè medio cum principiis hujus Artis concordantes exiſtunt, ſecundùm quod S. ipſa recipit pro objecto. Præterea ſciendum, quòd ipſum X. dividitur in *ſex membra* & in *quatuor figuras*; quorum membrorum *primum* componitur ex *Sapientia, Perfectione, Prædeſtinatione* & *Eſſe*; & per iſtud membrum decurrit *prima figura* affirmans contra *ſecundam*, quæ decurrit per *ſecundum membrum*, quod compoſitum eſt ex *Juſtitia, Perfectione, Libero Arbitrio* & *Eſſe*, affirmando Liberum Arbitrium contra Prædeſtinationem. *Tertia figura* eſt de dubitatione, quæ per *primum* & *ſecundum membrum* decurrit, ac etiam per *tertium*, quod componitur ex *Eſſe, Perfectione, Privatione* & *Defectu*. *Quarta figura* eſt determinativa, & determinat per *quartum membrum*, quod componitur ex *Merito, Gloria, Culpa* & *Pœna*; & etiam per *quintum*, quod componitur ex *Poteſtate, Scientia* & *Voluntate*; ac etiam per *ſextum*, quod componitur ex *Poteſtate, Ignorantia* & *Voluntate*: nec non etiam determinat per reliqua membra ſecundùm concordantiam Principiorum hujus Artis & ſecundùm A. S. T. V. X. Y. Z. Conditiones autem, quas habet X. in iſtâ Arte, ſunt, quòd ad ſolvendum quæſtiones ſeu ad inveſtigandum particularia fiant quatuor prædictæ figuræ per prædicta membra & etiam per conditiones Principiorum mediatè, vel immediatè, ut Y. & Z. valeant reperiri.

De Y. & Z.

IN hac Arte Y. ſignificat *Veritatem*, & Z. *Falſitatem*, quod Y. diligi debet, Z. verò odiri. Officium autem Y. concordantiam habet cum conditionibus Principiorum; Z. verò cum ipſis habet contrarietatem. Et ſciendum, quòd Y. & V. lividum ſimul conveniunt; Z. autem & V. rubeum ſimiliter; & ideo Y. ſignificat V. lividum, Z. verò V. rubeum.

De B.

QUoniam B. eſt primum & ſupremum Principium, omnia reliqua Principia regulantur ad ſerviendum ipſi B., nec non ad oſtendendum Dignitates ejusdem; & ideo quodlibet Principium oſtendit ipſum B. ipſi S. per T. V. X. Y. Z. ſecundùm ſuam qualitatem, quoniam eſt ejus effectus, & B. eſt Cauſa. *Quapropter in conditionibus ipſius B. conditionata ſunt omnia reliqua Principia, cujus conditionibus negandum ac odiendum eſt omne inconveniens, quod ſequatur per aliquam conditionem ejus effectûs.*

De C.

REgula & officium ipſius C. in hac Arte ſunt, quòd ſit Principium omnibus Principiis excepto B., & quòd Motus ſit tali modo, quòd aliorum Principiorum nulla conditio deſtruatur, nec S. T. V. X. Y. Z. inde habitum ſuum amittant, nec aliqua conditio ipſorum Principiorum, quibus cameræ ſuprà ſcriptæ Figuræ conditionatæ ſunt, inde cum privatione conveniat.

De D.

D. Regulatum eſt, ut ſerviat ipſi B., & moveat E., ut H. C. conveniant in F. G. I. K. L. M. N. O. P. Q. R.: & præterea oportet, quòd D. moveat S. ad A. V. Y. contra V. Z., ſalvando cameram meriti & liberi arbitrii; & quòd ipſi D. ſit meritum id, quod facit in Principiis, quæ ſub ipſo exiſtunt, & quòd nequaquam ſit contra ſuas conditiones in aliquo altero Principio.

De E.

E. Regulatum eſt ad movendum, quicquid eſt usque ad S. ſecundùm triangulum viridem, croceum & rubeum; in quo motu quælibet conditionum reliquorum Principiorum conſervari oportet: & ideo ſi aliquod particulare quæratur, quod habeat concordantiam cum omnibus conditionibus ipſius E. in aliis Principiis, eſt affirmandum; ejus autem oppoſitum eſt negandum.

De F.

F. Eſt Forma Univerſalis, quæ habet officium ſupra formas particulares ſimplices & compoſitas; & per ipſam regulantur & conſervantur particulares formæ in G., quæ ſunt univerſales in O. P. Q. R. per univerſalitatem ipſorum F. G.; quod F. format in O. P. Q. R. formas particulares ſub I., quæ ſunt formæ ſimplices & univerſales formis compoſitis, quæ ſunt in O. P. Q. R.

De G.

G. Regulatum eſt, ut ſit paſſivum ſub ipſo F. ac ſub ipſo I., & quòd ſit indiviſibile in ſe ipſo, diviſibile tamen in altero, videlicet in I. O. P. Q. R.; in I. autem ſit indiviſibile reſpectu diviſionis, quam habet in O. P. Q. R.; & ſit viſibile per formam, & ſenſibile per ponderoſitatem & levitatem; & ſit diligibile in R., & odibile in P. Q.

De H.

H. Eſt in Regula, ſecundùm quam regulatur à B., & ſecundùm quod B. conditionavit ipſum in F. G. I. K. L. M. N. O. P. Q. R.: & ideo decurrit per Regulam aliorum Principiorum in T.; propter quem diſcurſum eſt quandoque in aliquo particulari ſeu in pluribus contra conditiones aliorum Principiorum, exceptis conditionibus ipſius B., contra quas cum aliquibus aliis Principiis convenire non poteſt.

De I.

I. Regulatum eſt ad eſſe ſemper ſimplex in ſe ipſo, & compoſitum in altero, & ut ſit generatum ſub forma ipſius F. in G., & in quantum materia ipſius G.; & oportet ipſum I. eſſe per Triangulum viridem, croceum & rubeum in altero, videlicet in O. P. Q. R.; & etiam oportet, quòd habeat K. M., & quòd habeat in altero formas ſimplices & compoſitas; quæ formæ gradatæ ſunt in ſimplicitate & compoſitione; & ideo Triangulus viridis, croceus & rubeus exiſtunt in I.

De K.

K. Secundùm hanc Artem regulatum eſt, quòd omnia Principia habeant ipſum ad B., habendo ipſum K. ad ſuam perfectionem, reſpectu ſecundæ intentionis & primæ: ſcilicet habeant K. ad ſuam perfectionem ſecundâ intentione, ad B. verò primâ intentione, & hoc ſecundùm Triangulum rubeum; ſed ſub ultimo fine habeant K. in medio ſecundùm Triangulum viridem & croceum.

De L.

L. In iſtis Principiis eſt in principio Triangulus rubei; ejus verò perfectio exiſtit in fine in N., & continet in medio ipſum C. ſecundùm K. M. & Triangulum viridem & croceum in I. O. P. Q. R.; & G. eſt ſubjectum ipſi L. per paſſionem, & L. ipſi F. per opus.

De M.

M. Diverſificatur per F. G. H. I. K. &c.; convenit autem cum C. ſecundùm Triangulum viridem, croceum & rubeum. Quapropter, ſi quæratur aliquod particulare ipſius H., debet recurri ad M. & ad prædictos Triangulos, nec non ad hujus Artis Principia; & ipſum M. ac ejus conditiones debent cum aliis Principiis & ipſorum conditionibus concordari.

De N.

N. Eſt finis Trianguli rubei & ceſſatio ipſius L., quod venit ex principio differentiæ & concordantiæ: in N. enim incipit C. per differentiam & contrarietatem in R.; in quo principio incipit differentia & concordantia; in medio verò duorum prædictorum principiorum eſt L., quod eſt diverſum & contrarium ipſi N. ſecundùm numerum: & ideo utendum eſt ipſo N., ſecundùm quod jacet in ſuis conditionibus cum conditionibus reliquorum Principiorum.

De O.

O. In hac Arte convenit loco vacuo & pleno ac ipſi C., & I. incipit in O., & habet ſuum medium in P.; perfectionem verò ſui operis habet in Q.; corruptio verò ipſius Q. incipit in R.; & I. P. Q. R., ubicunque ſint, exiſtunt in O.: & ideo diverſificatur O. in I. P. Q. R.; & I. diverſificatur in G. P. Q. R.; & P. diverſificatur in O. Q.; & Q. diverſificatur in O. R. Quapropter utendum eſt ipſo O. in hac Arte, ſecundùm quod alia Principia diverſificantur in aliis in O., & O. in ipſis, cujuslibet conditiones ſalvando.

De P.

P. Dividit O. in Triangulo viridi, & facit diviſionem differentiæ & concordantiæ à differentia & contrarietate, & concordat differentiam & concordantiam cum eſſe, & differentiam & contrarietatem cum privatione: & ideo formatur Triangulus rubeus & croceus in viridi, ſecundùm quod P. adminiſtrationem habet per F. G. I. K. M. in O.: & ideo utendum eſt ipſo P. in hac Arte ſecundùm prædictam regularitatem.

De Q.

Q. *Eſt ſubjectum ad inquirendum particularia naturalia, ſequendo Regulam, in qua ipſum eſt regulatum per Principia, quæ ſupra ipſum exiſtunt:* ſi verò quis illam Regulam non ſequatur, impeditur ad inveſtigandum ſive inveniendum particularia, nam eſt contra inſtrumentum, cum quo perquiri oportet. *Et hæc ſit Regula generalis ad inquirendum particularia in Q.*, ſecundùm quod Q. conditionatum eſt ſub F. G. H. I. K. L. M. N. O. P., & ſecundùm quod R. facit reverti Q. in O., ut C. habeat ſpatium, in quo ſit in Triangulo viridi, croceo & rubeo.

De R.

R. Eſt inſtrumentum faciens redire C. ad O. I. G. F., ut F. G. I. in O. de novo generent Triangulum rubeum, per quem venit C. ex F. usque ad Q.: quoniam verò per R. fit reverſio ipſius C., & quoniam ipſum Q. eſt finis, ideo R. regulatùm eſt ſub F. G. H. I. K. L. M. N. O. P. Q.; *quæ Regula ſequenda eſt ad inveſtigandum particularia, quæ deſiderantur reperiri in Y. virtute & patrocinio ipſius B.*


Expliciunt Regulæ hujus Artis & etiam Principia Philoſophiæ in divina benedictione.

TL. 1

FIGURA
Principiorum Iuris

Fig.

B	*Forma.*	F	*Jus ſpeciale.*	K	*Jus civile.*	O	*Jus nutritivum*
C	*Materia.*	G	*Jus naturale*	L	*Jus conſvetudinale*	P	*Jus comparativum*
D	*Jus compoſitum*	H	*Jus poſitivum*	M	*Jus theoricum.*	Q	*Jus antiquum.*
E	*Jus commune.*	I	*Jus canonicum.*	N	*Jus practicum.*	R	*Jus novum.*



(1)

DIVI RAYMUNDI LULLI
DOCTORIS ILLUMINATI
LIBER
PRINCIPIORUM JURIS.

DEUS, qui es Dominus glorioſus habens Juſtitiam in æterna poteſtate, ſapientia & amore, intentione te cognoſcendi, diligendi, & tuæ omnipotenti magnitudini ſerviendi, incipimus *Artem Principiorum Juris* confidentes tuâ benedictione, gratiâ & patrocinio.

DE PROLOGO.

PRæſens Ars dividitur in *duas Partes principales*, quarum prima dividitur in *tres Diſtinctiones*; *Prima* eſt de Diſpoſitione Figuræ Juris: *Secunda* de Conditionibus artis: *Tertia* de Intentione, quâ hæc Ars eſt de novo inventa.

Prima Diſtinctio ſub ſe continet ſedecim Principia, quibus tota præſens Ars diſcurrit, quæ ſunt: *Forma, Materia, Jus compoſitum, Jus commune, Jus ſpeciale, Jus naturale, Jus poſitivum, Jus Canonicum, Jus Civile, Jus conſuetudinale, Jus theoricum, Jus practicum, Jus nutritivum, Jus comparativum, Jus antiquum, Jus novum.* Unicuique principiorum propter diſcretionem unam literam attribuimus, ut breviùs per artem loquamur, & ut ex illis literis componamus Figuram, quæ conſtruitur ex *centum viginti Cameris*. Formæ præbemus B., Materiæ ſub forma C., Juri ex B. C. compoſito D., Juri Communi E., Speciali F., Naturali G., Poſitivo H., Canonico I., Civili K., Conſuetudinali L., Theorico M., Practico N., Nutritivo O., Comparativo P., Antiquo Q., & Juri Novo donamus R. Qui autem vult procedere per hanc artem, neceſſarium eſt eum ſcire Alphabetum & regulas artis, quæ determinantur in fine.

Secunda Diſtinctio eſt de conditionibus Artis: hæc diſtinctio in *tres Conditiones* dividitur. *Prima Conditio* eſt, quòd ſingulæ literæ prædicti Alphabeti conditionentur ſecundùm conditiones, quas habent A. S. T. V. X. Y. Z. *in Arte Compendioſa inveniendi veritatem. Secunda Conditio* eſt, quòd una litera conditionetur cum alterâ in qualibet camera figuræ Juris. *Tertia Conditio* eſt de conditionibus, quæ ſunt generales & ſpeciales omnibus cameris.

Tertia Diſtinctio eſt de Intentione, quâ Ars iſta eſt reperta; hæc autem in *quinque Partes* dividitur. *Prima Pars* eſt intentione,

quâ omnia particularia ipsius D. conveniant in sedecim prædictis principiis & eorum conditionibus, & etiam concordent omnia se habentia ad unum finem. *Secunda Pars* est intentione, quâ in breviori tempore & brevioribus sermonibus Jus addiscatur, & etiam definiantur quæstiones & causæ; ampliùs ut inde magis ditentur pauperes Scholares in Jure studentes. *Tertia Pars* est intentione, ut Jura, Decretales & Leges convenientes huic arti necessariis principiis valeant demonstrari. *Quarta Pars* est, qualiter est ars ista reperta intentione examinandi Jura contraria supà dictis principiis. *Quinta Pars* est, qualiter per hanc artem sciantur fieri quæstiones & solvi quærendo particularia in universalibus, quæ sunt principia & doctrina hujus artis.

INCIPIT
PRIMA PARS
QUÆ EST
DE

Dispositione & Conditionibus
& Intentione hujus Artis.

DISTINCTIO I.
De
Dispositione Figuræ Juris.

VT formetur Figura Juris, oportet taliter combinare literas, quæ sunt ab A. usque ad S., ut unaquæque litera participet cum altera, & ut inde sequantur 120. cameræ quælibet diversa ab altera & quælibet concordans cum altera: deinde opus est probare, quòd unaquæque litera sit principium hujus artis.

De Probatione Principiorum Juris.

De B.
Sive de Forma Juris.

VElut *in Principiis Philosophiæ* continetur, sub unâ formâ universali naturali consistunt species & earum individua, ac eadem forma se habet universaliter ad unum quodque naturale, sic in his Principiis Juris se habet B., ut omne, quod est in jure, sub forma subsistat: & quidquid existit in jure, se habet ad unum universalem finem, qui est B.; & illud B. se habet ad omne illud, quod est ab A. usque ad S., ut B. se habeat ad ipsum A., cui A. per omnes literas figuræ serviatur; quia, si non esset ita, sequeretur inconveniens inter B. C. D. E. F. G., quo inconveniente sequerentur multa inconvenientia in literis, quæ sunt à G. usque ad S., eò quòd principia essent fruſtra in medio ipsius D., si non se haberent ad unam intentionem finalem; hoc autem est inconveniens & contra conditiones ipsorum A. S. T. V. X. Y. Z., quod inconveniens est impossibile, quâ impossibilitate probatur ipsum B. esse unum principiorum istius Artis.

De C.
Sive de Materia Juris.

CEst sub B. materia universalis, ut D. existat; quod D. non potest esse absente C., sub quo C. consistit omne, quod convenit ipsi S. & humano corpori, ut ex toto quoddam universale formetur, in quo B. continetur: ex ipsis autem B. & C. componitur D., cui serviunt omnes literæ, quæ sunt à D. usque ad S., quæ sub D. esse non possent absente C., nec esset concordantia inter A. T. V. X. Y. & inter V. & Z.; quod est inconveniens: quo C. esse demonstratur.

De D.
Sive de Jure.

SIcut in triangulo rubeo componitur ens ex esse & esse per operationem Elementalis

talis Figuræ, sic D. constituitur ex ipsis B. C.; quia, sinè B. C. non haberet D., in quo esset; nec absente D. haberent B. C., in quo essent unum suppositum universale omnibus particularibus scientiæ Juris: præterea omnes literæ ab A. usque ad S. essent contra esse, & concordarent cum privatione ac injuriâ: quod est inconveniens & contra A. S. T. V. X. Y.

De E.
Sive de Jure Communi.

EEst Jus commune conjunctum ex plurimis F.; sinè quo E. multa F. non possent dirigi ab ipso D., nec unum F. posset habere succursum ab altero, nec etiam supra se ipsum haberet majus: ampliùs sequeretur, quòd Elementalis Figura haberet majorem concordantiam cum majoritate & cum Y., quàm S. cum V. livido, & participaret meliùs cum A., quàm S. Y.; quod est inconveniens, cùm S. conveniat cum majoritate, sed corpus humanum cum minoritate.

De F.
Sive de Jure Speciali.

FEst Jus speciale individuum ipsius E., quod E. non posset existere sinè plurimis F., nec V. Y. haberent, cum quo resisterent ipsis V. Z.: præterea cameræ ipsius X. essent confusæ, nec A. T. convenirent esse objecta ipsius S., prout convenit in majoritate quarti membri ipsius X.

De G.
Sive de Jure Naturali.

GEst Jus Naturale, quod se habet ad differentiam & concordantiam in triangulo rubeo, ut sequatur per medium concordantia inter principium & finem. Hoc G. conservare oportet ipsum D. in B. C. taliter, ut V. lividum concordet cum A. contra V. rubeum, & ut Y. Z. sint contraria; sicut enim sub humanâ specie oportet individua subsistere, ut conservetur per naturam, sic sub G. oportet esse multa individua, in quibus D. conservetur naturaliter tali modo, ut non sequatur inconveniens inter S. A. T. V. X. nec convenientia ipsorum Y. Z. contra cameram [Justitiæ & Liberi Arbitrii.]

De H.
Sive de Jure Positivo.

HEst Jus Positivum & voluntarium per Papam & Imperatorem antiquè statutum. H. istud existit, ut concordantia in speciebus ipsius S. taliter conservetur, ut S. concordet cum A. V. Y. contra V. Z.; quia propter inordinatum S. diminutum est G. in S. per V. Z., velut calor naturalis per defectum humidi radicalis: *quam ob rem velut Medico per opus artificiale præbetur, ut sit adjutor naturæ*, sic est H., ut ipsi G. præbeat auxilium contra V. Z.: *sicut verò accidentaliter quandoque contingit, quòd Medicus per ignorantiam agit contra naturam*, sic per quorundam ignorantiam, qui statuerunt D., positum est H. in quibusdam rebus contra D. G.; & ideo illud H. diversum est & repugnans ipsi H. convenienti cum D. G., & est contra triangulum rubeum & concordantiam ipsorum A. S. T. V. X. Y.

De I.
Sive de Jure Canonico.

IEst Jus Canonicum se habens ad S., qualiter possit esse forma corporis, ut simul valeant pervenire ad æternam beatitudinem. Hoc I. sumsit principium in Decem Præceptis, quæ A. præbuit in lege veteri & in potestate, quam JESUS Christus Romanæ Ecclesiæ in S. Petro donavit. Principium ipsius I. respicit finem, propter quem A. mundum creavit; medium sunt operationes ipsius S., cùm taliter operatur, quòd principium & finis per medium simul non repugnent, & quòd A. T. V. X. Y. Z. non recipiant alterationem, prout in principiis hujus artis jacent formæ, figuræ & conditiones eorum.

De K.
Sive de Jure Civili.

KEst Jus Civile statutum per Imperatorem, quod est necessarium, ut serviat ipsi I. gladio, justitiâ & timore, ut S. conveniat cum A. V. Y. contra V. Z., & ut corpus obediat ipsi I.: ulteriùs, ut K. taliter concordet cum I., ut ex opere ipsorum I. K. fiant differentia & concordantia contra V. Z.: cùm verò malis Rectoribus destruitur & confunditur differentia ipsorum I. K., tunc oportet, quòd in destructione differentiæ deleatur concordantia, quâ destructione &

corruptione generantur differentia & contrarietas contra I. K.: quam ob rem mundus est in labore & in tribulatione, & E. F. G. H. declinantur ad cameram [Defectûs & Privationis].

De L.
Sive de Jure Consuetudinali.

L. Est Jus Consuetudinale; quæ consuetudo duravit à longo tempore, principium verò habuit secundùm conditionem & finem loci, cui illa consuetudo fuit necessaria in principio. Tale L. taliter debet concordari cum I. K., ut non sequatur differentia & contrarietas inter E. F. G. H.: nam quia est possibile, quòd conditio loci aliquâ necessitate alteretur in aliam conditionem, idcirco L. sic imitari debet concordantiam ipsorum E. F. G. H. I. K. velut arundo ventum, & ex benignitate ipsorum I. K. debet fieri gratia ipsis F. L., ut per extraordinariam & necessariam conditionem loci & temporis ab ipsis F. L. possit fieri gratia illi loco, dum illa conditio duret: sicut verò aquæ, quæ egrediuntur è mari, redeunt ad mare, sic L. debet redire ad I. K., quando potest consistere in eorum participatione, secundùm quod L. ab ipsis I. K. diversum esse indiget.

De M.
Sive de Jure Theorico.

M. Est Jus Theoricum habens triangulum rubeum in operatione ipsius S., quæ invisibilis est oculis corporeis, & est Jus Practicum in operatione ipsius S. operantis suas species ad A. V. Y., in comparatione verò operationis corporeæ refertur ad opus theoricum. Istud M. est lux, principium & directio ipsius N.; N. verò debet esse obediens ipsi M., quemadmodum K. debet servire ipsi I.: cùm autem N. convenit cum A. V. Y., debet I. convenire cum K.

De N.
Sive de Jure Practico.

N. Est Jus Practicum, quod est magis propinquum fini trianguli rubei, quàm M.; nam M. est magis propinquum principio: quia, si non, motus operationis non esset in medio, & absentiâ medii principium non veniret ad finem; quod est inconveniens, quo N. demonstratur.

De O.
Sive de Jure Nutritivo.

O. Est Jus Nutritivum, & est in E. F. per differentiam & concordantiam ipsorum B. C. G. H. I. K. L. M. N., ut D. possit esse contra injuriam ipsorum V. Z. in Q. vel R., ac ut D. moveatur de principio ad finem per medium; & quoniam motus ipsius D. non posset esse sinè O., & etiam principium & finis existerent sinè medio, propterea oportet, quòd O. conveniat inter principium & finem multiplicatâ convenientiâ ipsorum B. C., ut ipsum D. generetur in S.

De P.
Sive de Jure Comparativo.

P. Est Jus Comparativum; nam quoddam Jus convenit cum justitiâ, alterum verò cum misericordiâ; & ideo necessarium est, quòd P. sit medium, quo justitia & misericordia sint taliter objecta ipsi S., ut S. se habeat ad A. V. Y. contra V. Z., & ut non destruantur differentia & concordantia ipsorum E. F. nec ipsorum I. K.; quæ differentia & concordantia perverterentur in differentiam & contrarietatem, si P. concordaret cum negatione & privatione contra affirmationem & esse.

De Q.
Sive de Jure Antiquo.

Q. Est Jus Antiquum, quod probare non oportet, nam certi sumus experimento, quòd istud Q. est in esse, & est constitutum, secundùm quod triangulus rubeus se habebat in tempore præterito, & prout antiqui, qui statuerunt Q., cognoverunt, qualiter debeat convenire cum tempore futuro.

De R.
Sive de Jure Novo.

R. Est Jus Novum, quod est conveniens secundùm mutationem trianguli rubei, qui triangulus rubeus accidentaliter recipit alterationem mutatione temporis, loci & conditionum in principio, medio & in fine; & ideo oportet R. existere, ut semper finalis intentio ipsius D. possit convenire cum B. C. E. F. G. H. I. K.: si verò Q. haberet tam magnam potestatem, quòd R. non posset

posset esse, sequeretur, quòd D. non posset convenire cum B. C. E. F. G. H. I. K. in mutatione trianguli rubei; quod est inconveniens, quo probatur R. esse.

Probavimus suprà dicta sedecim Principia; ulteriùs nos convenit probare qualiter Principia hujus artis conditionantur: priùs verò nos oportet tractare de secundâ & tertiâ Distinctione.

DISTINCTIO II.
De
Conditionibus hujus Artis.

HÆc Distinctio dividitur in *tres Conditiones*, prout dictum est suprà.

De Prima Conditione.

Prima Conditio est, quòd omnes literæ alphabeti hujus Artis Juris concordentur cum A. S. T. V. X. Y. Z., quæ sunt de alphabeto *Artis Compendiosæ inveniendi veritatem*; nam de necessitate convenit, hanc concordantiam esse, ut D. possit convenire cum omnibus prædictis literis, & ut sit contra Z. & injustitiam sive injuriam; & hac convenientiâ conditionari oportet in quâlibet camerâ figuræ, prout conditionavimus cameras ipsorum A. S. T. V. X. Y. Z.

De Secunda Conditione.

Secunda Conditio est, quòd quamlibet literam, quæ est ab A. usque ad S., conditionemus taliter unam cum altera combinantes, ut D. possit convenire cum B. C. & cum omnibus literis, quæ sunt ab ipso usque ad S.; nam ratione differentiæ & concordantiæ, quæ in triangulo rubeo diriguntur ad unum finem in literis, quæ sunt ab A. usque ad S., D. diversum esse oportet, quibus differentiâ & concordantiâ triangulus rubeus movetur ad majus D.; sinè quo triangulo rubeo in differentia & concordantia D. non haberet, in quo moveretur de minori ad majus, nec in quo elongaretur à suo opposito, & appropinquaret ipsis A. V. Y.: unde quemadmodum Chäos habet dispositionem differentiæ & concordantiæ, cui ordinalis materia est potentia per actionem universalis formæ naturalis & per supra cælestia corpora, sic D. diversificatur per E. F. G. H. usque ad S. dispositione ipsorum B. C.; ut inde S. se habeat ad majorem concordantiam cum A. V. Y., & ut meliùs possit recipere operationem, quam A. habet in ipso, & in reliquis creaturis ad ipsum amandum & cognoscendum.

De Tertia Conditione.

Tertia Conditio est de *Conditionibus generalibus & specialibus: Conditio generalis* est, quæ se habet ad omnes cameras: hæc autem conditio composita est ex convenientiâ, quæ est inter A. S. T. V. X. Y. B. C. D. E. F. G. H. I. K. L. M. N. O. P. Q. R. contra V. Z. *Conditio specialis* est, cùm in quibusdam suprà dictis literis conditionatur camera ad cameras, & secundùm istas cameras [E. A. V. Y.] [I. V. Z.] [M. A. V. Y.], *quæ sunt secundùm alphabetum Artis Compendiosæ inveniendi veritatem*, ad quas cameras D. à B. usque ad S. in triangulo rubeo movetur. Igitur cùm hoc ita sit, cum auxilio nostri Domini DEI omnipotentis proponimus conditionare unam cameram cum altera in cameris figuræ, prout in sequentibus procedemus, cùm tractaverimus de tertia Distinctione.

DISTINCTIO III.
De
Intentione, quâ ista Ars, est de novo inventa.

HÆc Distinctio in *quinque Partes* dividitur, prout superiùs est relatum, & primò tractabimus

De Prima Parte.

Prima Pars est, quòd particularia ipsius D. reducantur ad propria & terminata principia, ut possint concordari ad unum finem, ad quem *tres cameræ præcedentis tertiæ conditionis* moventur. Quare dicimus, quòd D. diversificatur in multis particularibus in quâlibet literarum, quæ sunt ab A. usque ad S., & non valent omnes simul recoli nec intelligi ab S.: & propterea oportet, quòd S. ordinet taliter suas species in particularibus ipsius D., quæ inquirit, quòd illa concordet unum cum altero tali modo, ut inde non sequatur inconveniens in cameris figuræ Juris, neque sint contra A. V. Y., & ut sint oppositæ ipsis V. Z.: si autem particularia, quæ S. investigat in præmissâ concordantiâ, non sequuntur intentionem finalem, propter quam B. C. formant D., tunc oportet esse medium, quo sit concordantia inter princi-

pium & finalem intentionem, propter quam D. decurrat per E.F.G.H.I.K.L.M.N.O.P.Q.R.: ſi verò principium & finalis intentio conveniunt & concordant, oportet, quòd illa particularia conveniant cum A.V.Y. contra V.Z.: cujus ſi foret contrarium, ſequeretur, quòd illa particularia convenirent cum V.Z. contra A.V.Y.

De Secunda Parte.

Secunda Pars conſiſtit in hac arte, ut per ipſam S. breviùs poſſit accipere & monſtrare D. & cauſas & quæſtiones & illas definire: præterea, ut in illa primò practica capiat principium, ut S. cum D. valeat ſervire ipſi A., & practicare in ipſis V.Y. contra V.Z.: & etiam ut pauperes Scholares, qui carent libris & expenſis, breviori tempore poſſint attingere quietem & divitias corporales & ſpirituales. Quoniam autem D. eſt diverſum in infinitis objectis, artis abſentiâ opus eſt ipſi S. ſcriptoribus multorum particularium & multorum librorum, præterea opus eſt multis gloſſis & multis opinionibus diverſis & ſibi mutuò repugnantibus, & inſuper concordantia particularium, quæ non applicantur ad artem, nec reducuntur ad propria determinata principia, eſt dubia, & eſt magni laboris ac tædioſa, denique homo eſt propinquus morti, antequam aliquid ipſius D. convenienter didicerit, quapropter oportet, quòd cum arte & ipſius principiis abbrevietur medium ipſius D. conveniens inter principium & finem.

De Tertia Parte.

Tertia Pars eſt oſtendere rationibus neceſſariis & arte caſus ipſorum I.K., & eorum contraria reducere ad inconveniens concordando caſus ipſorum I.K. cum principiis hujus artis, & eorum contraria reducendo ad inconveniens principiorum: præterea applicare caſus ad concordantiam principiorum & conditionum camerarum; ſi enim caſus ipſius D. convenit cum principiis hujus artis & cum conditionibus camerarum, oportet ipſius oppoſitum diſconvenire cum A.T.V.X.Y. & concordare cum V.Z. Quamobrem Doctor hujus artis vult, ut, quando inter unum caſum ipſius I. vel ipſius K. contigerit dubitatio, quilibet caſuum applicetur ad principia & cameras hujus artis, & ut ille caſus affirmetur, qui concordat cum principiis & conditionibus camerarum figuræ ipſius D. Igitur cùm hoc ita ſit, debet Artiſta concordare differentiam trianguli viridis cum fine trianguli rubei & majoritate trianguli crocei intentione, quâ valeat concordare differentiam, concordantiam & majoritatem cum finali intentione principiorum ipſius D. contra differentiam, contrarietatem & minoritatem, quæ ſunt contraria concordantiæ ipſorum A.S.T.V.X.Y. cum literis exiſtentibus ab A. usque ad S.: denique cavere, ne in majoritate differentiæ & contrarietatis ulla literarum alteri repugnet.

De Quarta Parte.

Quarta Pars eſt inventa, ut examinentur caſus ipſorum I.K., qui ponuntur contra principia & conditiones camerarum ipſius D.: nam, quia in S. cecidit ignorantia per privationem & defectum ipſius D., fortè contingit accidentaliter aliquem caſum ipſorum I.K. eſſe contra D. propter aliquam gloſſam ſeu expoſitionem, quæ repugnet majori differentiæ & concordantiæ ipſorum A.S.T.V.X.Y., & quæ conveniat cum minori differentia & concordantia præmiſſarum literarum, ſeu quòd implicetur contradictio, unde ſequatur contrarietas ipſorum I.K. & ipſorum B.C.D.E.F.G.H.I.K.L.M.N.O.P.Q.R.; quâ contrarietate ſequatur oppoſitio inter A.S.T.V.X.Y.: quoniam autem eſt impoſſibile, quòd D. poſſit eſſe contra A.V.Y. & injuria contra V.Z., propterea artiſta poteſt invenire in I.K., utrùm caſus ſint ſecundùm finem concordantem principiis ipſius D., tali modo, ut A.S.T.V.X.Y. & literæ, quæ ſunt ab A. usque ad S., ſimul non diſcordent. Igitur cùm hoc ita ſit, vult Doctor hujus artis, quòd prædicta inquiſitio fiat ſupra majoritatem differentiæ & concordantiæ vel differentiæ & contrarietatis in triangulo rubeo ſecundùm literas, ex quibus componitur alphabetum hujus artis, & quòd major differentia & concordantia cum literis alphabeti affirmetur, major verò differentia & contrarietas negetur in eo, ubi implicaretur contradictio juſtitiæ & injuriæ.

De Quinta Parte.

Quinta Pars in hac arte conſiſtit intentione, *quâ ſciantur particularia in univerſalibus inveſtigari & inveniri:* hujus verò artis univerſalia ſunt A.S.T.V.X.Y.Z. & cameræ ac conditiones eorum. Modus autem & ars inquirendi particularia eſt, ut concordetur caſus ipſorum I.K. cum A.S.T.V.X.Y. & cum conditionibus camerarum contra V.Z.: & ut ſemper negetur inconveniens, conveniens verò, unde ſequetur concordantia & majoritas in præmiſſis literis, affirmetur; ſi autem contingit, quòd inde ſequatur conveniens minoris concordantiæ, unde non ſequatur inconveniens, patet ſecundùm principia hujus Artis eſſe licitum, quòd illa minor convenientia affirmetur, ipſius verò contrarium negetur. Igitur cùm hoc ita ſit, ſecundùm præmiſſam artem & doctrinam poſſunt fieri & ſolvi quæſtiones convenientes ſcientiæ ipſius D., ſciendo tamen diſcurrere in ipſo per literas hujus artis cum ſpeciebus ipſius S., prout convenit conditionibus hujus artis.

Tractavimus de tribus Diſtinctionibus, per quas tota iſta ars decurrit, probavimus etiam principia artis, nunc autem nos oportet conditionare cameras Figuræ, quæ taliter conditionandæ ſunt, ut particularia ipſius D. inde valeant reperiri. Præterea convenit in quâlibet camerâ ipſorum A.S.T.V.X.Y.Z. præbere diſtinctionem, ut conditionetur ſecundùm conditiones convenientes ſuprà dictis literis.

Si una camera ad invenienda particularia non ſufficit, capiatur altera, & ſi in camerâ non ſufficit conditio, quam poſuimus in ipsâ, conditionetur eadem camera ſecundùm particulare, quod inquiritur, & ſecundùm concordantiam ipſorum A.S.T.V.X.Y. contra V.Z. Ut conditionentur cameræ, non oportet, ut ſimus contra principia, imò magis neceſſarium eſt, ut concordemus cum ipſis.

Eſt etiam quandoque conditionanda una camera cum A., altera cum A.S.T., aliæ autem cum uno vel duobus vel etiam pluribus triangulis ipſius T. & quadrangulis ipſius S.; & de ipſis V.X.Y.Z. hoc idem agamus & de unâ camerâ cum alterâ: *verùntamen omnes literæ & omnes cameræ conveniunt conditionibus unius cujusque cameræ;* hunc enim modum nos oportet habere in cameris conditionandis, ut abbreviemus noſtrum ſermonem, & ut detur doctrina, quâ inquirantur particularia metaphoris, quas præbemus conditionando cameras.

INCIPIT SECUNDA PARS QUÆ EST DE Conditionibus Camerarum.

Camera 1.

[*B.C.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

DEUS voluit ordinare, qualiter B.C. poſſint convenire in D., & exiſtere in D., ut S. in triangulo rubeo poſſit intelligere & amare finem, propter quem A. dedit principium creaturis, videlicet ut cognoſceretur & amaretur; quapropter oportet, quòd B. ſit quædam forma, & quòd C. ſit materia, ad hoc, ut omnes creaturæ ſubjiciantur intentioni finali, propter quam B. exiſtit, & ut ex B.C. formetur quoddam D. univerſale compoſitum ex B.C., ut inde poſſit deſcendere ac derivari ipſum G., quod valeat dividi in E., ac ut E. dividatur in F., ulteriùs ut S. conveniat cum A.V.Y. contra V.Z., & ut in membro tertio ipſius X. eſſe & perfectio elongentur à privatione & defectu, & in quarto membro camera [Meriti & Gloriæ] recipiat exaltationem contra cameram [Culpæ & Pœnæ], nam ſi particulare ipſius I. vel ipſius K. convenit cum prædictâ ordinatione, de neceſſitate oportet, quòd concordet cum Y., & ipſius oppoſitum conveniat cum Z.; cujus ſi foret contrarium, ſequeretur, quòd principia hujus artis repugnarent ipſi Y., & quòd convenirent cum Z.; hoc autem eſt impoſſibile, quâ impoſſibilitate camera conditionatur. *Hæc conditio eſt Regula generalis omnibus conditionibus aliarum camerarum.*

Camera 2.

[*B.D.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

CONditiones hujus cameræ ſunt, quòd B. ſit forma, per quam demonſtratur in

in D. jurisdictio, quam A. habet in C., ut utatur camerâ [Juſtitiæ & Miſericordiæ]: unde ſi Decretales vel Decretum ſeu Lex habeant differentiam & concordantiam, per quas ſequantur differentia & concordantia ipſorum B. D. A., prout dictum eſt ſuprà, ſequetur finis, propter quem C. accepit principium, & propterea Y. conveniet cum I.K.: ſi autem in I.K. particulare conſiſteret, unde ſequeretur confuſa & contraria differentia & contrarietas contra ordinationem ipſorum B. D., oporteret, ſi illud particulare conveniret cum Y. contra Z., quòd A. foret contra D.V.Y., & S. concordaret cum Y.Z. contra A. & cum A. in quodam D., concordante D. cum ſuo oppoſito, quod eſt impoſſibile.

Camera 3.
[*B.E.*] [*A. S.T.V.X.Y.Z.*]

VElut actus, habitus & potentia conveniunt in triangulo rubeo, ſic ſimiliter concordant B.D.E.F.; quia B. diverſificatur in E.F. ſe concordando in majori univerſalitate in E., quàm in F.; quod eſt, quia F. eſt ſub E., E. autem & F. ſub B. exiſtunt: unde ſi particulare habeat majorem concordantiam cum majoritate quàm cum minoritate ſecundùm prædictam ordinationem, ſequitur, quòd ſit in Y.; ſi enim ejus oppoſitum eſſet in Y., ipſum autem in Z., ſequeretur, quòd A. Y. in majori concordantia ſibi mutuò repugnarent, & quòd in minori convenirent; quod eſt inconveniens, quo camera conditionatur.

Camera 4.
[*B.F.*] [*A. S.T.V.X.Y.Z.*]

BEt F. habent concordantiam ſupra E. G. in triangulo viridi & rubeo, nam eò quòd D. eſt in diverſis F. derivatis ab E. in G. ſecundùm naturam, quam acceperunt de B. in C., concordantia eſt inter B. F.; quâ concordantiâ G. & E. ſe habent æqualiter inter unum F. & alterum. Unde ſi particulare fortiùs convenit cum prædicta ordinatione quàm ipſius oppoſitum, vel ſi ipſius oppoſitum eſt contra prædictam ordinationem, oportet, quòd negetur, ut ordinatio affirmetur.

Camera 5.
[*B.G.*] [*A. S.T.V.X.Y.Z.*]

SI exiſteret eſſentia ſinè eſſe, eſſentia eſſet magìs propinqua privationi & defectui, & magìs remota ab eſſe & perfectione, præterea A. & eſſentia creata in minori concordantia convenirent, & in majori concordantia ſibi mutuò repugnarent; quod eſt inconveniens, quo metaphoricè camera conditionatur; quâ conditione demonſtratur, quòd G. oportet habere concordantiam & naturam cum B., ſinè qua concordantia & naturâ in triangulo rubeo G. poſſet eſſe ſinè B. & B. ſinè G., nec A. poſſet convenire cum S.V.Y. contra V.Z: ſi autem particulare convenit cum ſuprà dictis conditionibus, concordabit cum Y.: *& hæc eſt Regula generalis omnibus conditionibus ipſius B. in C.D.E.F. G.H.I.K.L.M.N.O.P.Q.R.*

Camera 6.
[*B.H.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

BUno modo ſe habet ad G., alio modo ad H.: modus, per quem ſe habet ad G., eſt, ut unum & alterum F. ſe habeant in æquali D. per naturam: quoniam autem S. ſubjectum eſt ipſi D. & injuriæ, idcirco A. concordare facit B.H. contra G., ut unum F. puniat & caſtiget alterum; ſi autem particulare eſt contra præmiſſam ordinationem, convenit cum Z., ipſius autem oppoſitum cum Y.: ſi verò particulare ipſius H. repugnet ipſi B. in triangulo rubeo, oportet, quòd B. & G. conveniant ad invicem contra H., quod H. falsè vocatur D., quia concordat cum injuriâ, & eſt contra B., quod in C. eſt principium ipſius D. in triangulo rubeo per totum G., quod eſt medium inter principium & finem.

Camera 7.
[*B.I.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

SIntelligit, quòd natura ſehabet in arbore per unam intentionem ad flores, per alteram verò ad fructus: quoniam autem fructus in natura conveniunt cum majoritate, ſed flores cum minoritate, quia in triangulo rubeo fructus concordant cum intentione finali, & flores cum medio, idcirco natura ſe habet in fructibus per primam intentionem, in floribus verò per ſecundam. Igitur cùm hoc ita ſit, per hanc naturalem metaphoram demonſtratur, quòd B.I. ſimul habeant majorem concordantiam quàm B.K.: unde cùm B.K. conveniant in corpore ipſius S., oportet, quòd concordent in eodem S.: quia ſi non, ſequeretur inconveniens inter A.V.Y., & conveniret A. cum V.Z., quod eſt inconveniens, quo particulare, quod eſt contra

contra concordantiam ipſorum B.I., convenit cum Z. ejus verò oppoſitum cum Y.

Camera 8.
[*B.K.*] [*A. S.T.V.X.Y.Z.*]

SI in S. non eſſet culpa, non eſſet D. in H., & poſſet eſſe in G.: ſi autem abſentiâ culpæ diverſificaretur D. in G.H., eſſet culpa in A. contra perfectionem camerarum: quoniam verò eſt inconveniens, in A. eſſe culpam, propterea demonſtratur per idem inconveniens, quòd B. ſe habet per unum modum ad H., & per alterum ad G.; quo modo datur demonſtratio concordantiæ, quæ eſt inter B.K., quâ concordantiâ B.K. ſunt contra culpam, quod eſt, quia A. exaltavit F. ſupra G., ut ſub ipſo F. multa ſubſiſtant in E., ut culpa & injuria confundantur, D. autem & meritum roborentur. Igitur cùm hoc ita ſit, in hac prædicta univerſali ordinatione poterit reperiri particulare probabile ſecundùm conditiones & qualitates cameræ.

Camera 9.
[*B.L.*] [*A. S.T.V.X.Y.Z.*]

QUoniam differentia in triangulo rubeo uno modo ſe habet ad concordantiam & alio modo ad contrarietatem, ideo B. ſe habet ad unam ſpeciem per L., & ad alteram per E.; & propterea formatur differentia unius F. cum altero, cùm unum F. differat & concordet cum L., alterum cum E. in I.K.; hæc autem diverſa concordantia unius F. cum altero ſub B., quod ſe habet accidentaliter ad unam terram per unam conditionem & ad aliam terram per aliam in triangulo rubeo, variatur variatione conditionum inter unum locum & alterum per dominium temporale vel ſpirituale ſeu diſpoſitione terrarum, quæ ſunt expoſitæ bello, vel quarum una eſt in majori libertate aut ſervitute quàm altera. Unde, ſi L. concordaret cum B. ſecundùm A.S.T.V.X.Y. contra V.Z., B. non exiſtente contra D. in I.K., conveniret idem L. in D. cum ipſo H.; ſi autem L. tam magnam concordantiam recuperaſſet, quòd inde ſequeretur majus D. in E.I.K., oporteret, quòd reverteretur ad majorem concordantiam ipſorum G.H. E.F.I.K., ut B. inde meliùs ſe haberet ad particularia exiſtentia ſub eodem, & ut E. per hoc eſſet univerſalius, & meliùs poſſet concordare ſua particularia.

Camera 10.
[*B.M.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

EX majori differentiâ poteſt fieri major concordantia vel major contrarietas; ſi autem B. diverſum eſt in conſervando differentiam inter M.N., poteſt inde ſequi major differentia & concordantia ipſius D. cum M.N. contra majorem differentiam & contrarietatem inter M.N., ut B. inclinet ipſum C. ad eſſe ſubjectum ipſis M.N. in majori differentiâ & concordantiâ, ut in oppoſito ipſius D. deleatur major differentia & contrarietas ipſorum M.N., & ut camera [Juſtitiæ & Fortitudinis] per hoc habeat majorem concordantiam in M.N.

Camera 11.
[*B.N.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

MAjor eſt affirmativa, quæ affirmat per operationes ipſius A., quàm negativa, quæ negat per privatam poteſtatem in opere creaturæ: ſi autem M. hæc intelligit, N. verò negat, fit concordantia ipſius B. & ipſius M. in G., & contrarietas inter B.N. in H., quod eſt contra G.; quod G. concordat cum prædictâ propoſitione, in quâ conditionabimus cameram, ut N. conveniat cum B. concordante M. cum illa propoſitione, ut S. inde habeat majorem cognitionem operationis ipſius A., ad quod A. dirigitur B. in N., ut D. conſervetur, quod habet A. ſuper Creaturas, & ut D. in M.N. poſſit convenire cum B. in C.

Camera 12.
[*B.O.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

AFfirmatio ipſius D. habet majorem virtutem per intellectualia, quàm per ſenſualia, quod eſt, quia D. ſe habet ad majorem convenientiam in intellectualibus, quàm in ſenſualibus, & quia intellectualia propinquiora ſunt ipſi Y. & magìs remota à Z. & privatione quàm ſenſualia. Igitur cùm hoc ita ſit, B. dat melius & nobilius nutrimentum ipſi O. in intellectualibus quàm in ſenſualibus, & conveniens eſt C. eſſe nobilius ſubjectum ipſi D., & propterea ſequitur, quòd in triangulo rubeo C. incipit in M., & medium eſt N., ut finis ſequatur, videlicet D., quod D. ſit concordantia inter A. S.T.V.Y. contra V.Z.: propterea S. intelligit, quòd B. nutrit D., prout diverſificat ipſum C. ad eſſe ſubjectum ipſi D. per literas exiſtentes à D. usque ad S.; & ideo majus O.

est magìs diversum & contrarium majori opposito ipsius D., quàm minus O.: cujus si foret contrarium, sequeretur, quòd B. & O. essent contra D.; quod est inconveniens, in quo camera conditionatur. Igitur cùm hoc ita sit, si Artista & Jurista volunt exaltare suum intellectum, ament hanc cameram & ejus conditiones.

Camera 13.
[*B.P.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

CReatura non potest alterare ipsum A. nec ejus operationem, & propterea B. est forma universalis, per quam dirigitur D. in C. causâ comparandi majus D. ad ipsum A. suprà creaturas, quàm D., quod unum F. habet contra aliud; & ideo B. & P. habent majorem concordantiam in A., quàm in S., & in S., quàm in corpore ipsius S.: præterea B. conservat D. per P. in unâ creaturâ uno modo & in aliâ altero, quapropter D. diversificatur in P., quia P. diversificat C., ut sit subjectum diversis D., ut unum concordari possit cum majori differentiâ & concordantiâ in triangulo rubeo, quàm aliud D., quod non tam bene convenit cum A., nec cum S., nec etiam est tam nobile in triangulo rubeo. Igitur cùm hoc ita sit, prædictâ arte, quâ conditionatur camera, potest inveniri particulare, quod inquiritur.

Camera 14.
[*B.Q.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

ILlud, per quod inferius bonum esset supremum bonum, oportet esse in A.; illud autem, per quod A. esset inferius bonum, oportet esse in inferiori bono; quia, si non ita foret, sequeretur, quòd non conveniret A. esse supremum bonum, nec conveniret creaturam esse inferius bonum; quod est inconveniens, in quo camera conditionatur metaphoricè; nam si in Q. esset aliquid, quo esset contra A., esset impossibile, quòd conveniret cum B.; id autem, per quod B. disconveniret cum Q., oportet esse in opposito ipsius D.

Camera 15.
[*B.R.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

BEst forma sub se habens tot particularia ipsius D., quot habet in potentiâ ad alterandum triangulum rubeum in diversis operationibus ipsius S.: quoniam autem convenit, ut S. in tertio & quarto membro ipsius X. possit uti libertate in triangulo rubeo, propterea oportet, quòd B. habeat in potentiâ multiplicare D. in R., prout convenit operationi ipsius S. in R. Igitur cùm hoc ita sit, propter hoc convenit, quòd sit differentia & concordantia inter B. R., ut in triangulo rubeo non possit comprehendi operatio ipsius A.

Camera 16.
[*C.D.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

COncordantia, quam C. habet ad esse subjectum ipsi D., est per B., cum quo C. D. conveniunt: id autem, per quod S. convenit cum A., est, ut concordet cum D. amando Y. & odiendo Z.: & si S. disconvenit cum A. in judicio per ignorantiam, oportet, quòd judicium conveniat cum D. per scientiam: & si omnia, quæ suprà dicta sunt, inter se disconveniunt, sequitur, quòd A. & D. disconveniant, & oppositum ipsius D. & A. simul conveniant, item quòd S. concordet cum judicio & ignorantiâ; quod est inconveniens, quo demonstratur, quòd C. convenit cum D., ut B. sit forma illi, per quod inter judicium & scientiam sit concordantia contra V. Z.

Camera 17.
[*C.E.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

EXistente C. materiâ ipsi D., cùm B. formatin E. plurima F., quæ se habeant ad unum triangulum rubeum, fit differentia & concordantia ipsorum C. E., ut S. possit destruere per E. F. ipsum D. in specialibus ejusdem, ut A. S. amantes & scientes V. Y. fortiùs possint convenire contra V. Z., & ut liberum arbitrium inde possit convenire cum majoritate, ut C. E. subjiciantur majoritati meriti & gloriæ, quæ est contra majoritatem culpæ & pœnæ.

Camera 18.
[*C.F.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

SI totum C. foret necessarium ipsi D. unius F., D. nihil esset in E., & F. in dominio esset æquale ipsi A.; quod est inconveniens: si autem C. non subjiceretur multis F. in K. S. non haberet tam magnam concordantiam cum majoritate meriti & gloriæ; præterea si C. conveniret multis F. in I. absque eo, quòd illa essent sub uno F. solùm, quod F. non esset sub E., I. K. essent æqualia in D., & inde esset minor concordantia in triangulo rubeo & in A. S. contra V. Z., etiam in B. C. esset contrarietas, quia B. conveniret ad unum finem, C. autem ad plurimos; quod est inconveniens.

Camera 19.
[*C.G.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

SEcundùm quod triangulus rubeus se habet ad concordantiam ipsorum B. C., se habet C. ad G., cùm B. G. concordant; & si S. non posset disconvenire cum H., esset contrarietas inter B. C. in G., si B. exaltaret unum D. ad alterum D. in H., cum quo H. haberet G. contrarietatem, & unum D. esset contra alterum; quod est inconveniens: si autem ipsum S. de necessitate inclinaret B. ad V. Z., ut esset concordantia inter C. G., B. esset oppositum ipsi D. in C. G., quod est inconveniens.

Camera 20.
[*C.H.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

ID, per quod convenit esse concordantiam inter C. H., est, ut S. diligat D., & timeat ipsius oppositum: id autem, per quod C. G. conveniunt, est, ut B. faciat C. subjectum ipsi G.; & propterea differentia & concordantia sunt inter G. H. in B. C.: & si contigerit, quòd unum H. in C. habeat actionem contra quoddam G., oportet, quòd teneatur major concordantia ipsorum C. H. vel ipsorum C. G., ut S. per hoc possit habere majorem concordantiam cum A. V. Y., & ut magìs repugnet ipsis V. Z., ut inde sequatur major contrarietas meriti & gloriæ contra culpam & pœnam.

Camera 21.
[*C.I.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

CSe habet pro objecto uno modo ad ipsum I., & altero ad ipsum K.; quoniam autem I. habet majorem concordantiam cum majoritate, quàm K., propterea D. est in I. intentione primâ, in K. verò secundâ; & ideo C. magìs subjicitur ipsi I., quàm ipsi K.; est enim K., ut D. conservetur in I.: unde cùm contingit, quòd F. ipsius I. & F. ipsius K. formant unum E. conveniens cum G. H., tunc C. I. tam magnam habent concordantiam cum majoritate, quòd influentia inde procedit ad concordandum C. K., quâ concordantiâ ipsorum C. K. ipsum D. in I. melìus conservatur.

Camera 22.
[*C.K.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

BDividit C. in tres partes, *Personas* & *Res* & *Actiones*, ut sit subjectum ipsi K.; quoniam autem majoritas melìus convenit in dignitate cum quâdam illarum trium rerum, quàm cum alterâ, propterea D. se habet ad majorem concordantiam in K. uno modo quàm altero, absque eo, quòd inde sequatur contradictio; quia si sequeretur contradictio, C. subjiceretur æqualiter ipsi K. in illis tribus rebus præmissis, & eædem in dignitate essent æquales, & esset impossibile, quòd O. haberet, ex quo nasceretur, & quòd D. in triangulo rubeo eum posset nutrire; quod est impossibile ac oppositum ipsi B. formanti majus D. ad intentionem finalem trianguli rubei, quàm ad principium vel ad medium in K.

Camera 23.
[*C.L.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

CEst materia & subjectum ipsi L. tanto tempore, quanto medium movet D. de principio ad finem; & post finem, in quo D. finit suum cursum, oportet reverti ipsum L. in communitatem ipsius E., ut F. inde magìs conveniat cum G. H. I. K.: si autem non conveniret, quòd L. reverteretur ad suum majus, postquam habuit perfectionem in triangulo rubeo, esset concordans cum injuriâ, cum quâ esset contra B. C. D. E. F. G. H. I. K.; quod est inconveniens.

Camera 24.
[*C.M.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

CEt M. habent majorem concordantiam in I. quàm in K., quia S. propinquius est ipsi I. quàm ipsi K.; & propterea M. magìs convenit cum B. quàm N.: quoniam autem judicium non convenit tam fortiter cum scientiâ per M. quàm per N., ideo C. magis subjicitur ipsi D. per N. quàm per M., quod est, quia S. subjicitur in suis potentiis ipsis Y. Z., quæ Y. Z. faciunt majorem demonstrationem ipsius D. in N. quàm in M.: & propterea quandoque contingit, quòd C. subjicitur duobus contrariis D. absque eo, quòd inde sequatur contradictio; nam si inde sequeretur contradictio, sequeretur, quòd B. repugnaret ipsi D. in M. vel in N.; quod est inconveniens.

Camera 25.

[*C.N.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

C. N. habent majorem concordantiam, quando S. habet majorem concordantiam cum majoritate operationis quàm cum minoritate; & ideo, quantò fortiùs dirigitur S. ad A.V.Y., tantò magìs multiplicatur D. ipsius S. in C.N., & plùs concordantiæ consistit inter M. & N. contra cameram [Acediæ & Defectûs], ut in camera [Justitiæ & Charitatis] meliùs convenire possint esse & perfectio contra culpam & privationem: unde, si particulare ipsius D. convenit cum prædictâ ordinatione, concordabit cum Y.

Camera 26.

[*C.O.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

SI C. nihil esset, O. non haberet, ex quo nutrimentum acciperet; & si O. non esset subjectum, unde B. formaret H., C. in G. non sufficeret esse subjectum ipsi O.: si autem O. esset D. sinè camerâ [Meriti & Liberi Arbitrii], C. non concordaret cum B. in O., & B. conveniret cum opposito ipsius D. in O.; quod est inconveniens, quo demonstratur, quòd O. oportet habere concordantiam cum C. à principio trianguli rubei usque ad finem, ut D. habeat, unde moveatur de potentiâ ad habitum & de habitu ad actum & de actu ad habitum, ubi per B. C. taliter conservetur, ut non redeat in potentiam, neque possit nutrire suum oppositum contra C. O. Igitur cùm hoc ita sit, O. in C. nutrimentum accipit, secundùm quod B. C. G. H. I. K. L. M. N. habent differentiam & concordantiam contra differentiam & contrarietatem.

Camera 27.

[*C.P.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

SEcundùm quod B. C. conveniunt ad formandum D. in E. uno modo, & in F. altero, & faciunt hoc idem de G. H. I. K., subjicitur C. ipsi P. per unum modum in E., & per alterum in F.; & hoc idem faciunt in G. H. I. K.: quam ob rem opus est, ut P. dividatur in multa D., ut D. uno modo sit majus, altero verò minus, prout C. meliùs supponitur esse materia uni D. quàm alteri: quod si non ita foret, sequeretur, quòd D. esset æqualiter in E. F. G. H. I. K.; & si sic, conveniret cum suo opposito contra majorem dignitatem, quam unum D. habet supra aliud in suprà dictis literis, ubi majoritas in triangulo rubeo meliùs concordat cum una litera quàm cum altera.

Camera 28.

[*C.Q.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

C. D. se habent ad majorem concordantiam in R. quàm in Q., quia in medio trianguli rubei D. fortiùs opponitur intentioni finali in R. quàm in Q.; cujus si foret contrarium, sequeretur, quòd D. conveniret cum C., nec moveretur de principio ad Q. & de Q. ad R., & D. eò magìs elongaretur à fine, quò magìs removeretur à principio trianguli rubei; quod est inconveniens & contra concordantiam & regularitatem, quas B. C. D. habent in triangulo rubeo; nec B. haberet C., in quo D. per triangulum rubeum moveretur.

Camera 29.

[*C.R.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

B. Non supponit C. ipsi D., nisi cum conditione, videlicet ut D. possit habere majorem concordantiam cum majoritate in R. quàm in Q.: nam si B. C. formarent majus D. in Q. quàm in R., & C. R. majorem haberent concordantiam in minoritate quàm in majoritate, sequeretur, quòd C. foret contra B. O., & quòd R. esset oppositum ipsi D.; quod est inconveniens, quo camera conditionatur, quòd C. non subjiciatur ipsi R., nec B. concordet Q. cum privatione sinè multiplicatione ipsius D.

Camera 30.

[*D.E.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

SIcut intellectus reponit in memoriâ particularia, quæ accipit, & ex illis formatur quædam universalitas memoriæ, ad quam C. recurrit ad recuperandum particularia, sic B. ex multis F. format E., ut D. in potentia se habeat ad plurima F.; & ideo contingit valde magna concordantia inter C. E. sub B. D.: *nam velut Artista in hac arte universali segregat particularia ipsorum A.S.T.V.X.Y.Z., ut accipiat multa T. diversarum scientiarum, deinde ex A.S.T.V.X.Y.Z. congregat quandam universalitatem, in qua particularia perscrutetur*, sic B. ex F. G. H. I. K. format unum E., in quo Jurista possit reperire multa

multa D., deinde dividit illa per F. G. H. I. K., ut reperiat particularia, quæ inquirit per D. E.

Camera 31.

[*D.F.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

PRincipia ipsius D. in K. tria sunt, *honestè vivere, alterum non lædere, D. suum unicuique tribuere conveniens cum F.*: unde, si in E. lædatur F., vel è converso, oportet, quòd D. conveniat in E. vel in F. taliter cum tribus suprà dictis principiis, ut S. concordet cum A.V.Y. contra V.Z. Unde si in Judice affirmatio & negatio conveniant ad dubitationem impediendo D. per medium trianguli rubei, oportet quòd Judex recurrat ad prædicta principia, & quòd concordet D. in F. secundùm majorem concordantiam, quam S. inde possit habere cum A. V. Y. contra majorem concordantiam ipsorum S.V.Z.; nam hoc modo poterit Judex removere dubitationem ab affirmatione & negatione, & conservare D. in E. F. G. H. I. K.

Camera 32.

[*D.G.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

A. Habet D. æqualiter in G., ut per distinctionem suarum divinarum Personarum & suorum operum habeat æqualem concordantiam in D. G.; unde, cùm S. negat majoritatem in aliquâ camerarum ipsius A., & in altera affirmat majoritatem, tunc S. est contra D. G., & convenit cum V. Z.; & ideo convenit D. H. ad puniendum S. in G. per cameram [Culpæ & Ignorantiæ]. Igitur cùm hoc ita sit, prædictâ metaphorâ, potest Jurista punire ipsum S., si est contra D. G., per oppositum ipsorum H. I. K. in C. scilicet in F.

Camera 33.

[*D.H.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

H. Non potest nutrire D. in O. per differentem & contrariam allegationem personarum contra differentem & concordantem allegationem, quæ cum D. convenit; quod si non ita foret, sequeretur, quòd oppositum ipsius O. nutriretur & conveniret per B. in C. contra D.; quod est inconveniens & contra concordantiam, quâ D. accepit principium in H., ut S. concordet cum A.V.Y. contra V.Z., quæ V.Z. non possit O. nutrire in allegatione differentiæ & concordantiæ contra V.Z.

Camera 34.

[*D.I.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

PRincipium ipsius D. in I. est, ut A. cognoscatur & ametur, medium autem est in operationibus ipsius S., unde D. subsistat medium, quo finis sequitur; quod D. oportet esse differens & concordans cum omnibus literis existentibus ab A. usque ad S. Unde si particulare concordabit cum prædictâ ordinatione, conveniet cum Y., quantò autem fortiùs concordabit cum præmissâ ordinatione, tantò fortiùs existet in Y. contra Z., & dubitatio erit magìs remota ab affirmatione & negatione, & V. lividum erit magìs remotum ab V. rubeo, præterea triangulus rubeus fortiùs concordabit cum majoritate in camera [Esse & Perfectionis] contra cameram [Privationis & Defectûs].

Camera 35.

[*D.K.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

D. In K. conditionatur in concordantiâ ipsius S. cum A.V.Y. contra V.Z., & quòd I. habeat majorem dominationem in D. quàm K. in prima intentione, K. verò majorem quàm I. in secundâ; quia D. se habet ad I. primâ intentione, ad K. verò secundâ: unde, si D. consistit in contradictione inter I. K., oportet inquirere, cum qua meliùs convenit ille casus, vel cum prima intentione vel cum secunda; attribuatur autem D. majori concordantiæ ipsius I. vel ipsius K. Igitur cùm hoc ita sit, hac conditione, quâ conditionatur camera, demonstratur principium, secundùm quod Prælatus & Princeps debent habere in suo ministerio differentiam & concordantiam in I. K.

Camera 36.

[*D.L.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

D. In L. necessariò differt ab I. K., oportet etiam, quòd cum ipsis concordet; quod est, quia C. non habuit perfectam dispositionem sub B., ut imitari potuisset regulam ipsorum I. K.; & propterea licitum fuit, quòd L. diversificaretur ab I. K. sub ista tamen conditione, ut non sit oppositum ipsis I. K., ut, quando C. erit in dispositione, (quia B. semper appetit recuperare perfectionem ipsius L.), fiat regressio ad regulam ipsius I. vel ipsius K. absentiâ differentiæ, & ut relinquat formam, in quâ per indigentiam

manebat. Igitur cùm hoc ita ſit, ſecundùm hoc ſequitur, quòd D. in L. ita ſe habet ad caſum per indigentiam, ſicut caſus in Phyſica; & ſicut natura recuperat ſuas partes & illud relinquit, quod caſu vel fortunâ contingit, ſic convenit, quòd I. K. recuperent L., ut conſuetudines ſatisfaciant juri per cameram [Operationis & Perfectionis]: quod ſi non ita foret, ſequeretur, quòd D. eſſet in L. contra I. K. G. H. V. Y.; quod eſt inconveniens.

Camera 37.

[*D.M.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

D. Se habet in M. per concordantiam ipſius S. cum ipſis A. V. Y., ut G. H. I. K. medium exiſtant, quo conſcientia cum juſtitiâ, prudentiâ & fortitudine taliter concordetur, ut D. poſſit diſcurrere per triangulum rubeum, quousque fiat concordantia ipſorum M. N. in concordantiâ conveniente inter A. S. V. Y. G. H. I. K., quâ concordantiâ conditionamus cameram ſecundùm ſuprà dicta principia.

Camera 38.

[*D.N.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

D. Diverſificatur in N. ſecundùm diſtinctionem exiſtentem inter M. N. & ſecundùm differentiam ipſorum E. F. G. H. I. K. L. O. P. Q. R. Unde conditiones hujus cameræ ſunt, quòd N. poſſit eſſe differens ſecundùm differentiam præmiſſi alphabeti, & quòd ſecundùm concordantiam literarum unum N. concordetur cum altero: ſi autem D. implicet contradictionem inter M. N., oportet, quòd eligatur id, per quod D. in O. convenire poſſit cum majoritate in concordantia ipſorum A. S. V. Y. & alphabeti, quod eſt à D. usque ad S.

Camera 39.

[*D.O.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

D. Nutritur in O. per conjunctionem & concordantiam, quæ eſt inter B. C., quæ eſt convenientia ipſorum A. S. T. V. X. Y. Z. in E. F. G. H. I. K. L. M. N. O. P. Q.; nam ſicut unus homo generat & nutrit alium, & una natura generat & nutrit aliam in triangulo rubeo ſecundùm concordantiam prædicti alphabeti, & ſicut triangulus croceus habet locum in nutrimento & generatione naturæ, ſic idem croceus habet locum in D. O.: ampliùs ſicut triangulus viridis habet locum in naturali nutrimento, ſic D. O. habent locum in viridi, ſalvo tamen, quòd unum D. in O. non ſit contra aliud; nam ſi unum D. poſſet eſſe contrarium alteri, poſſet unum D. convenire cum injuria, & cum illa unum & idem exiſtere; quod eſt inconveniens & impoſſibile.

Camera 40.

[*D.P.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

D. In P. poteſt diverſificari ab A. usque ad S.; debet tamen fieri comparatio inter unum & alterum per totum alphabetum exiſtens ab A. usque ad S.: deinde oportet, quòd Artiſta faciat comparationem unius P. cum altero ſecundùm triangulum rubeum, croceum & nigrum, conſervans D. in P. meliùs conveniente majoritati & concordantiæ ipſius S. cum A. V. Y. contra majoritatem differentiæ & contrarietatis ipſorum V. Z. Igitur cùm iſtæ ſint conditiones, ſecundùm quas D. conditionatur in P., ſecundùm has conditiones poſſunt inveniri particularia, quæ inquiruntur.

Camera 41.

[*D.Q.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

Regula generalis hujus artis eſt, quòd D. conveniat in medio trianguli rubei, prout in eodem rubeo eſt concordantia principii & finîs: quoniam autem D. concordat cum camera [Meriti & Gloriæ] mediante camerâ [Juſtitiæ & Liberi Arbitrii], & S. ſecundùm ſuprà dictas cameras accepit eundem rubeum uno tempore in uno objecto, & altero accepit ipſum in alio, propterea fit concordantia ipſorum D. O., quâ formatur differentia ipſorum Q. R.; & B. nutrit O. in C., prout D. dirigitur in eodem rubeo, ut S. per ſuprà dictas cameras taliter poſſit diſcurrere, ut inde valeat convenire cum A. V. Y. contra V. Z.: ſi autem D. haberet majorem concordantiam cum majoritate in Q. quàm in R., demonſtratur, quòd O. non venit ad perfectionem, & oportet, quòd D. tanto tempore decurrat per Q., quousque O. ad perfectionem venire poſſit, quâ D. fortiùs conveniat cum majoritate in R. quàm in Q. in eo, in quo multiplicaretur inter illa contradictio. Unde, quoniam hæc principia ſunt, quibus demonſtratur, Q. convenire cum privatione, R. verò cum contradictione,

dictione; propterea his principiis poteſt inveniri particulare, quod inquiritur, ſi conveniat cum ſuprà dictis principiis.

Camera 42.

[*D.R.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

TOt ſunt operationes ipſius S. in triangulo viridi, rubeo, croceo & nigro, quòd D. in O. non habet ſufficiens C., ut B. totum D. formare poſſit: & quoniam A. comprehendit omnes operationes ipſius S. per juſtitiam & dominium, oportet, quòd C. ſit materia ipſi R., ut id, quod non poteſt ſtare in Q., poſſit capi & manere in R. Unde ſi artiſta vult inquirere particulare ſecundùm qualitatem & concordantiam ipſorum D. R., oportet, quòd recurrat ad ſuprà dicta principia, quibus demonſtrantur principia, per quæ D. & R. inſimul concordant.

Camera 43.

[*E.F.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

E. In triangulo rubeo ſe habet ad majoritatem, F. autem ad minoritatem, ex multis enim F. formatur D. in E.; & ideo E. G. habent majorem concordantiam quàm F. G., quâ majori concordantiâ E. habet majorem jurisdictionem ſuper F., quàm F. ſuper G.: & ideo oportet, quòd F. habeat majorem paſſionem ad conſervandum E., quàm E. ad conſervandum F. ſingulare, ut in E. potentialiter exiſtat D. multorum F.: ſi autem particulare, quod quæritur, ſit oppoſitum ſuprà dictis principiis, oportet ipſum eſſe contra cameram ipſorum E. F. A. S. T. V. X. Y. Z.

Camera 44.

[*E.G.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

E. Et G. conveniunt in triangulo rubeo, ut poſſint concordari F. G. H. I. K. ſinè contrarietate ipſorum I. K. in E. G.: & ſi G. H. I. K. conveniant contra F., oportet, quòd concordentur in E., ut in E. G. reſtauretur damnum, quod D. accepit in F., quod convenit cum camera [Juſtitiæ & Fortitudinis] & cum camera [Patientiæ & Charitatis] & cum ſecunda intentione, quæ eſt famula primæ in camera [Perfectionis & Eſſe.]

Camera 45.

[*E.H.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

I. In E. H. convenit cum majoritate, K. verò cum minoritate: ſi autem F. in triangulo rubeo multiplicat majorem concordantiam inter A. S. T. V. Y. contra V. Z. in K. quàm in I., oportet, ut judicetur D. pro ipſis F. K., quia multiplicatur major concordantia ex F. in E. H. G. K., quàm in E. H. G. I.

Camera 46.

[*E.I.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

D. In E. I. ſe habet ad majora G. H. in triangulo rubeo, quàm D. in E. K.; & propterea F. ipſius I. non debet deſcendere ad minoritatem, F. autem ipſius K. debet aſcendere ad majoritatem in I.: veruntamen ſecundùm V. lividum influentiæ ipſius D. in E. I. debet F. ipſius I. deſcendere & beneficiare D. ipſorum F. K., quod habet quandoque indigentiam & neceſſitatem perfectionis, quia propinquum eſt cameræ [Defectûs & Privationis]: & quoniam camera ſic conditionatur, ideo ſecundùm ipſius conditionem particulare, quod inquiritur, inveſtigatur in ipſa: veruntamen, ſi ſecundùm conditionem, cum qua conditionavimus cameram in particulari, Y. non ſufficit ſecundùm artem, camera conditionari poteſt ſecundùm qualitatem literarum, ex quibus eſt conſtructa, & ſecundùm qualitatem particularis, quod inquiritur; cùm quælibet camera figuræ ipſius D. poſſit conditionari ſecundùm multas conditiones ad inveniendum Y. ipſius D.

Camera 47.

[*E.K.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

E. K. diverſificant unum F. à multis, & illud aſcendit ſuprà E.; quod E. eſt medium ipſius F., in quo deſignatur ſuperius, & medium multorum F., in quibus deſignatur inferius; F. autem, quod eſt ſuprà E., ſe habet ad primam intentionem, & ipſa F., quæ ſunt ſub E., ſe habent ad ſecundam: & propterea E. in triangulo croceo exiſtit æqualiter inter primam intentionem & ſecundam. Unde ſi F., quod eſt ſuprà E., vult eſſe ſupra F., quod eſt ſub E., oportet, quòd E. G. H. K. juvent ſuperius contra inferius, cùm I. ſit ſuperius F.: ſi autem ſuperius F. vult deſtruere E., oportet, quòd ipſum E. cum G. H. I. K. ſit contra ſuperius F.: & ſi E. eſt contra ſuam majoritatem oportet, quòd ſit contra G. H. I. K. V. Y.; veruntamen metaphoricè loquimur, in quantum fingimus unum D. eſſe contra aliud.

Camera

Camera 48.

[*E.L.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

E. Habet majorem propinquitatem cum ipsis G. H. I. K. quàm cum L.; & ideo omnia F., quæ continentur sub E., habent concordantiam cum majoritate, & omnia F., quæ continentur sub L., habent concordantiam cum minoritate; propter quam majoritatem S. potest meliùs convenire cum D. in G. H. I. K. quàm in L. tantùm; quod est, quia L. est infirmitas ipsius D., quod non potest sequi regularitatem, quam habet D. in G. H. I. K. Igitur cum hoc ita sit, suprà dicta principia sunt conditiones hujus cameræ, quas oportet conservare in concordantiâ ipsarum cum particulari sive particularibus, quod vel quæ inquiruntur.

Camera 49.

[*E.M.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

IN triangulo croceo & in principio trianguli rubei E. M. se habent ad majoritatem & concordantiam sed E. N. ad minoritatem & concordantiam; in fine autem rubei secundùm causam finalem E. N. se habent ad majoritatem & concordantiam, & E. M. ad minoritatem & concordantiam: quapropter in triangulo viridi fit differentia & concordantia de ipsis E. M. & E. N. ac M. N. absque contrarietate. Unde, si D., quod quæritur, convenit cum Y. contra Z., de necessitate oportet ipsum convenire cum suprà dictis principiis, per quam necessitatem potest haberi cognitio de ipso secundùm principia, in quibus conditionata est ista camera.

Camera 50.

[*E.N.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

N. Habet majorem concordantiam cum majoritate in E. quàm in F.; cùm E. sit majus quàm F., quia continet sub se multa F.: & quia I. habet majorem nobilitatem quàm K., idcirco ipsa E. N. habent majorem concordantiam in I. quàm in K. secundùm ipsa G. H.; & ideo D. meliùs convenit in E. ac in F. in ipsis G. H. I. quàm in ipsis G. H. K.; & hoc est ideo, quia ipsum D. habet majorem nobilitatem in N. ipsius L., quàm in N. ipsius K., & in F., ipsorum E. I. quàm in F. ipsorum E. K.. si enim foret hujus oppositum, sequeretur inde propinquitas ipsorum I. V. Z., & longinquitas ipsorum K. V. Z.

Camera 51.

[*E.O.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

O. Et D. suscipiunt nutrimentum in C., secundùm quod B. ipsorum G. H. conservat E. in F. per differentiam & concordantiam ipsorum A. S. V. Y. cum I. K. contra V. Z., & secundùm quod B. conservat plura F. in E. habentibus ipsis F. unam intentionem ad ipsum E. in triangulo rubeo: & quoniam F. absque E. non posset se habere ad cameram [Perfectionis & Esse], oportet, quòd E. O. habeant concordantiam cum ipsa camera contra cameram [Defectûs & Privationis]: quoniam autem in rubeo est differentia ipsorum I. K., oportet esse differentiam inter E. O.; nam per unum modum se habent E. O. in I., & per alterum in K.: & quia necessarium est concordantiam esse inter ipsa I. K., sequitur, quòd I. adjuvet E. O. ipsius K., & quòd K. adjuvet E. O. ipsius I.: & hoc idem sequitur de G. H., in quibus est differentia secundùm ipsa I. K.; ac etiam debent habere concordantiam convenientem in ipsis I. K.

Camera 52.

[*E.P.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

P. Existens in E. diversificatur in differentiâ ipsius E.; quod E. diversificatur in differentiâ ipsorum I. K.: cùm autem debeat esse concordantia inter I. K. secundùm G. H., & quia E. ipsius I. indiget E. ipsius K., & è converso, idcirco P. se habet per unum modum ad unum E., per alium verò ad alterum. Igitur cùm hoc ita sit, conditionamus hanc cameram in conservatione prædictorum principiorum, & volumus, quòd P., quod magis accedit ad cameram [Perfectionis & Esse], eligendum sit, ut inde possit esse major concordantia inter ipsa E. P. contra cameram [Defectûs & Privationis].

Camera 53.

[*E.Q.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

CUm P. ingreditur ipsa Q. R. in E., oportet, quòd S. investiget in T. secundùm A. V. Y. majorem differentiam & contrarietatem ipsorum Q. R.; & quòd eligendum sit Q. in E., si R. non habet tam magnam concordantiam in ipso E. sicut Q., & si Q. non tam fortiter convenit cum E. sicut R., eligendum est ipsum R.: si verò Q. habet majorem concordantiam cum E., & R. cum F., convenit ipsum Q. cum majoritate in majoritate, quam E. habet supra F.; & R. conveniet cum minoritate in minoritate, quam F. habet infra E.

Camera 54.

[*E.R.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

IPsa E. R. ad invicem differunt in differentiâ ipsorum G. H. I. K.: quapropter si R. fortiùs conveniat cum E. quàm Q. secundùm majorem differentiam & concordantiam ipsorum G. H. I. K., eligendum est ipsum R. suprà Q., ut ipsum E. habeat majorem concordantiam cum ipso F.: si verò R. ipsius I. conveniat cum majoritate, & R. ipsius K. cum minoritate, eligendum est R. ipsius I., ut majoritas existens in E. ipsius I. non incurrat injuriam: & hoc idem sequitur de R. ipsius K.: si autem non ita foret, sequeretur, quòd existente D. in E. posset esse concordantia justitiæ & superbiæ, charitatis & invidiæ; hoc autem est inconveniens.

Camera 55.

[*F.G.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

F. In G. non potest convenire contra E., cùm E. & G. ad invicem concordent; quæ concordantia se haberet ad privationem, si F. in G. esset contra E.; præterea F. in G. non potest convenire cum majoritate contra H.; quia si sic, contrarietas foret inter ipsa G. H., quâ contrarietate sequeretur, concordantiam esse inter V. lividum & rubeum & Y. Z.; hoc autem est inconveniens, in quo conditionatur præscripta camera.

Camera 56.

[*F.H.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

H. Generat O. in F. uno modo secundùm I. & altero secundùm K.; & hoc idem facit G. Unde si contingit, quòd necessarium sit investigari & haberi concordantiam ipsorum F. H., investigetur secundùm præmissa principia & secundùm illud, quod significant literæ præmissæ cameræ; veruntamen conserventur semper cameræ sua forma & conditiones.

Camera 57.

[*F.I.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

COnditiones hujus cameræ volumus esse super istud principium, videlicet quòd F. & I. habeant magnam concordantiam in triangulo rubeo; quâ magnâ concordantiâ cameræ suprà scriptæ figuræ se habeant cum majori concordantiâ in ipso rubeo, ut possint habere majorem contrarietatem contra V. Z., ex quo sequitur major concordantia inter A. S. T. V. Y.: *& sciendum est, quòd hoc principium est generale ad conditionandum omnes cameras suprà scriptæ figuræ.*

Camera 58.

[*F.K.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

SI Artista velit conservare per K. ipsum D. in F., oportet ipsum procedere secundùm differentiam & concordantiam ipsorum A. S. T. V. X. Y. B. C. D. E. F. G. H. I. K. L. M. N. O. P. Q. R., ac oportet ipsum esse contra differentiam & contrarietatem, quam habent ipsa V. Z. cum dictis literis: hoc enim principium dirigit ad inveniendum D. ipsius F. in K.; & cum prædicto generali principio concordari & conditionari potest quælibet 120. Camerarum, ex quibus composita est suprà dicta figura.

Camera 59.

[*F.L.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

QUemadmodum E. oportet sustinere aliquam passionem propter F., quod est suprà ipsum, cui F. privatio est propinqua, sic E., quod convenit cum G. H. I. K., oportet sustinere aliquam passionem propter L., quod est sub ipso: sed cùm secundùm P. conveniat majoritas & minoritas ipsius D. propter differentiam subjectorum & objectorum, idcirco oportet esse differentiam & concordantiam inter F. ipsius E. & F. ipsius L.: unde si F. ipsius L. indigeret tam magno subsidio, quòd inde corrumperetur F. ipsius E., esset contra D., si F., quod convenit cum majoritate, deveniret in privationem causa restaurandi F., quod convenit cum minoritate, & sequeretur, quòd L. in dignitate excederet E.; hoc autem est inconveniens, in quo præmissa camera conditionatur.

Camera 60.

[*F.M.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

F. Et M. conditionari debent in majori concordantiâ, quæ esse possit inter N. S. V. Y. ad cognoscendum & diligendum A., & odiendum V. Z., ut inde possit nutriri

major concordantia inter M. & N., ad cognoſcendum & amandum A.V.Y., ac ad cognoſcendum & odiendum ipſa V.Z., & ut in F. poſſit nutriri majus O., ut F. meliùs conveniat cum majoritate in camerâ [Meriti & Gloriæ], ac ut magis elongetur à camerâ [Culpæ & Pœnæ], & ideo inveſtigator ipſius D. debet eligere illud D., quod cum iſtis conditionibus meliùs eſt concordans.

Camera 61.

[*F.N.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

F. Et N. habent majorem concordantiam in dignitate ipſius I., quàm ipſius K., quod eſt, quia I. eſt intentione primâ, & K. intentione ſecundâ; & F. ſe habet ad ipſum N., ſecundùm quod ipſa M. N. ſe habent cum A.V.Y.: & ſi ipſa F.N. habent paſſionem propter E., oportet, quòd E. illud, quod abſtulit ipſi F., reſtituat ſuo tempore ipſi F.: ſi verò ipſa F.N. ad invicem contrarientur in G., & concordent in H., oportet, quòd O. & H. habeant concordantiam in I. vel in K.: & hoc idem ſequitur de aliis conditionibus, cum quibus conditionari poteſt præſcripta camera.

Camera 62.

[*F.O.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

O. Nutritur in F., ut ipſum F. & ignorantia ſimul non conveniant, & ut F. cognoſcat & amet ipſum D., ac cognoſcat & odiat ipſa V.Z., ac etiam ut ipſum F. timeat A. & ipſa I.K.E. Igitur cùm hoc ita ſit, ſecundùm prædicta principia cognoſci poteſt, qualiter O. recipit nutrimentum prædictorum principiorum in F., ut poſſit depurari à camerâ [Ignorantiæ & Culpæ], ad quam ſequitur camera [Defectûs & Pœnæ.]

Camera 63.

[*F.P.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

P. In F. & F. in P. ſe habent dupliciter in duplicitate ipſorum G.H. in I.K.; & ideo P. poteſt comparari ſecundùm differentiam ipſius F.; quæ comparatio debet fortificari ſecundùm majorem differentiam & concordantiam trianguli rubei in V.Y. contra V.Z., ut inde poſſit ſequi major concordantia ipſorum E.F. in G. vel in H. vel in I. vel in K., vel in ipſis G.H.I.K. ſimul.

Camera 64.

[*F.Q.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

SI unum F. habet majorem concordantiam cum Q., & per ipſam majorem concordantiam eſſet minor concordantia inter ipſa E.F.R., ipſum P. eſt minus ſecundùm F.Q., & eſt majus ſecundùm F.R.; & hoc converti poteſt ad contrarium: quoniam verò E. convenit cum majoritate, & F. cum minoritate, idcirco fieret contra D., ſi eligeretur minor concordantia, ac fieret contra O.P., ſi F. haberet majorem propinquitatem in ipſis ad V.Z. per majorem concordantiam quàm per minorem.

Camera 65.

[*F.R.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

SI eſſet impoſſibile, quòd R. eſſet in eſſe, eſſet impoſſibile, quòd Q. eſſet in privatione; ſi verò ambæ prædictæ impoſſibilitates exiſterent, O. nequaquam haberet ſubjectum, in quo eſſet; nec etiam F. eſſet in tam magnâ concordantiâ cum E., ût eſt; & præterea inter ipſa G.H.I.K. non poſſet eſſe tam magna differentia & concordantia in rubeo; & ſic ſequeretur, quòd impoſſibilitas ipſius R. & ipſius Q. eſſet oppoſita ipſi D.; & ſic implicaretur concordantia ipſius D. & injuriæ: ſi verò Q. non conveniret cum privatione, & ipſa O.R. concordarent in F., multiplicaretur in confuſione differentiæ concordantia ipſius D. in G.H.I.K., nec etiam O. ſufficeret ipſi B. ad formandum ipſum D. Unde, ſi artiſta hoc intelligat, poteſt intelligere principia, per quæ eſt major concordantia inter F. & R. quàm inter F. & Q., propter quam majorem concordantiam ipſum R. convenit cum majoritate, & Q. cum minoritate.

Camera 66.

[*G.H.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

FActâ quâdam injuriâ contra G., oportet eſſe H. ad deſtruendam culpam & ad habendam differentiam & concordantiam cum ipſo G. mediante O.; & ipſa G.H. oportet habere P., ut in triangulo rubeo & croceo fiat comparatio, ſecundùm quam D., majoritas & concordantia meliùs conveniant inter G.H., ut I.K. & M.N. meliùs poſſint ad invicem concordari; quâ majori concordantiâ A.V.Y. & S. meliùs poſſint ad invicem

invicem convenire contra V.Z.: ſi verò oportet eligi G. vel H., eligatur illud, ex quo valeat ſequi majus D. contra V.Z. ad meliùs conſervanda ſuprà dicta principia.

Camera 67.

[*G.I.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

SIcut P. eſt concordans inter ipſa G.I. reſpectu concordantiæ convenientis inter S.V.Y., ſic ſimiliter eſt conveniens inter S. & corpus, ut ſit ipſis concordantia contra V.Z. Igitur cùm hoc ita ſit, oportet, quòd ad ſolvendum quæſtiones vel ferendam ſententiam conſervetur ſuprà dicta concordantia, contra quam eſt concordantia ipſorum V.Z.

Camera 68.

[*G.K.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

G. K. ſunt in triangulo rubeo in majori concordantia per V.Y. quàm per V.Z.; & quantò major eſt ipſa concordantia inter G.I. ac inter I.K., tantò fortiùs concordat ipſa G.H., & per majorem concordantiam ipſorum G.H. ſequitur major concordantia ipſorum M.N.; & propterea V.Z. per hoc magis propinqua ſunt cameræ [Culpæ & Privationis]. Igitur cùm hoc ita ſit, manifeſtatur Artiſtæ, cùm inveſtigabit aliquod particulare, quòd debeat ſequi & conſervare concordantiam, quæ ſequitur in G.H.K. per ſuprà dicta principia.

Camera 69.

[*G.L.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

L. Oportet ſuſcipere nutrimentum in G. ſecundùm diſpoſitionem & concordantiam ipſorum G.H.I.K.: ſi enim non ita foret, ſequeretur, quòd L. nequaquam haberet concordantiam cum ipſo G., aut quòd G. haberet contrarietatem cum H.I.K.; hoc autem eſt inconveniens, quo oſtenditur, qualiter L. conveniat cum G., & an ſit fortius in rubeo per G. quàm per H., aut per H. quàm per G., aut cum quo meliùs conveniat videlicet aut cum I. aut cum K., & etiam qualiter ſe habeat cum O.P. in ipſis M.N.Q.R. contra V.Z. ad conſervandum ſuprà dicta principia.

Camera 70.

[*G.M.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

EX materiâ exiſtente inter G.M. nutritur ipſum D. in O.N.; quapropter oportet eſſe concordantiam inter ipſa G.M.: & quoniam G.H. differunt & concordant ad invicem, oportet, quòd M. habeat concordantiam cum G. tali modo, ut inde nequaquam ſequatur aliquod inconveniens contra ipſa G.H. in N., nec etiam in ipſis I.K. Igitur cùm hoc ita ſit, ſecundùm ſuprà dicta principia oſtenditur Juriſtæ, qualiter fortificari debeat M. tali modo, ut, antequam perveniat ad ipſum N., cognoſcat concordantiam convenientem inter ipſa G.M. ſecundùm ſuprà dictas conditiones.

Camera 71.

[*G.N.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

S. Intelligit, quòd non eſt aliqua ſcientia, quæ tantùm decurrit per triangulum nigrum, quantùm ſcientia ipſius D.; & ideo O. in G. nutrit magnam concordantiam inter N. & ipſum triangulum; quâ concordantiâ fit injuria ipſi D., quando abſentiâ artis practicatur, cùm ars ſit ipſius G.: quare neceſſarium eſt, concordantiam eſſe inter ipſa G.N. per artem, ut in rubeo D. habeat medium, quod moveatur per nigrum à principio ipſius rubei usque ad finem contra cameram [Dubitationis & Ignorantiæ].

Camera 72.

[*G.O.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

O. In G. recipit nutrimentum in triangulo rubeo ſecundùm concordantiam, quam S. naturaliter habet cum A.V.Y. per creationem & per gratiam: & per differentiam & concordantiam ipſorum G.H.I.K. diverſificatur O. in G.H.I.K., ut poſſit ſequi finis trianguli rubei; quam differentiam oportet eſſe concordantem cum differentiâ & concordantiâ ipſorum G.H.I.K. Unde, cùm hæc ſint principia, ex quibus conditionamus prædictam cameram, oportet procedere ſecundùm conditiones ipſius cameræ, & præcipuè ſecundùm quod P. ſe habet in G.O.H.I.K.M.N.Q.R. per majorem differentiam & concordantiam in triangulo rubeo.

Camera 73.

[*G.P.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

P. In G. diverſimodè ſe habet ſecundùm diverſam concordantiam ipſorum G.H.I.K., cum quibus oportet ipſum convenire ſecundùm triangulum croceum & rubeum:

beum: & oportet, quòd S. eligat majorem differentiam & concordantiam, ut magìs poſſit diſtare à majori differentiâ & contrarietate ipſius V. lividi contra Y, & V. rubei contra Z.; quòd etiam S. meliùs conveniat cum camera [Perfectionis & Liberi Arbitrii], & quòd eſſe & privatio in eo ſint in majori oppoſitione, ut operationes ipſius S. meliùs concordent cum A. & ejus cameris.

Camera 74.

[*G.Q.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

ITa facit Q. ſuum curſum in triangulo rubeo, ſicut facit natura in corporibus elementatis in ipſo rubeo: veruntamen ſub tali conditione, quòd R. habeat concordantiam cum G. H. I. K. in ipſo rubeo; in aliquibus enim Q. tam fortiter convenit cum ipſis G. H. I. K., quòd non eſt neceſſarium, R. ei eſſe oppoſitum. Quapropter ſecundùm hanc artem ſequitur, quòd ad inveſtigandum particulare P. ſit inſtrumentum causâ faciendi operationem, utrùm Q. vel R. habeat majorem concordantiam cum ipſis G. H. I. K., ac etiam utrùm Q. quærat ſuum curſum ſecundùm modum, per quem O. nutrit R. in G. H. I. K.

Camera 75.

[*G.R.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

QUemadmodum ſecundùm naturalem curſum, quem habet natura in plantis & metallis & animalibus, formæ exiſtentes in potentiâ deveniunt in actum mediante infirmitate formarum exiſtentium in actu, cùm ad corruptionem inclinantur, ſic R. exiſtens in triangulo rubeo potentialiter ſecundùm G. venit in actum propter defectum & infirmitatem ipſius Q., cui deficit C., quando B. vult illud C., quod erat ordinatum ſubjectum ipſi Q., inclinare ac ſubmittere ipſi R.; quod R. convenit cum G. ad conſervandum D. in ipſis E. F. G. H. I. K. L. M. N. O. P.

Camera 76.

[*H.I.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

SI fiat quæſtio, ad quam oportet reſpondere per ipſa H. I., neceſſarium eſt, quòd recurratur ad ſignificationem literarum præmiſſæ cameræ, & quòd fiat concordantia inter quæſtionem & literas tali modo, ut ipſa H. I. nequaquam ſibi ipſis adverſentur, ſed concordent in concordantia ipſorum A. S. T. V. X. Y. contra V. Z. Unde ſecundùm hanc regulam poterit reſponderi quæſtioni ſecundùm Y., *quæ Regula ſit generalis reliquis cameris ſuprà ſcriptæ figuræ convenientibus cum tali quæſtione.*

Camera 77.

[*H.K.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

SI fiat quæſtio, ad cujus reſponſionem ſit neceſſaria præmiſſa camera, debet fieri reſponſio ſecundùm modum hujus demonſtrationis, videlicet quòd S. intelligit, quòd H. I. habent concordantiam cum G. K.; & ideo oportet, quòd H. K. habeant concordantiam mediatè per concordantiam ipſorum I. G. Unde, ſi particulare fuerit contra concordantiam ipſorum H. I., formatur inde inconveniens contra concordantiam ipſorum I. G.; quæ concordantia indeſtruibilis eſt. *Et hic modus poteſt teneri in demonſtrationibus dandis per reliquas literas, quæ ſunt ab A. usque ad S.*

Camera 78.

[*H.L.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

SI ipſa H. L. conveniant ſolutioni quæſtionis, oportet, quòd recurratur ad literas exiſtentes in præmiſſâ camerâ cum H. L., & reſpiciatur, cum quâ ipſarum literarum quæſtio meliùs conveniat: & cum litera ſive literis, cum quibus ipſa quæſtio & ſolutio meliùs conveniunt, fiat demonſtratio ſuper H. L.; & hoc, ſi ipſa H. L. habeant majorem concordantiam cum ipſâ quæſtione ac ſolutione quàm aliæ literæ, quæ ſunt ab A. usque ad S.: *hæc enim Regula eſt generalis ad omnes cameras ſuprà dictæ figuræ.*

Camera 79.

[*H.M.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

SI quæſtio debeat ſolvi per M., in camerâ [Juſtitiæ & Miſericordiæ] cum reliquis cameris ipſius A. inveſtigetur, utrùm in affirmatione vel negatione ſit major diſtinctio & concordantia, quæ conveniat in ipſâ camerâ ſecundùm diverſas Perſonas & ſimplicitatem & unionem cauſæ: & ſi affirmatio vel negatio ipſius quæſtionis meliùs conveniat cum majori diſtinctione & concordantia ac ſimplicitate & unione, oportet, quòd conveniat

veniat cum majoritate & differentiâ ac concordantiâ ipſorum H. M. in N. & in triangulo rubeo. *Et hæc Regula ſit generalis in reliquis cameris ſuprà dictæ figuræ procedentibus ſecundùm datum exemplum.*

Camera 80.

[*H.N.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

SI ſolutio quæſtionis cadat ſuper H. N., inveſtigetur cum T., quæ camera vel quæ cameræ ipſius V. meliùs conveniat vel conveniant in H. N. contra majorem differentiam & majorem contrarietatem ipſius V. lividi & rubei, aut ſecundùm quam cameram vel cameras ipſius V. lividi exiſtat major differentia & concordantia ipſorum H. N. in triangulo rubeo contra majorem differentiam & concordantiam ipſius cameræ vel camerarum in V. rubeo; & eligatur affirmatio vel negatio, per quam ſequitur major concordantia ipſorum H. N., & ſecundùm quam dubitatio ſit magìs remota ab affirmatione & negatione, ac ſit magìs propinqua cameræ [Defectûs & Privationis.]

Camera 81.

[*H.O.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

SI reſponſio alicujus quæſtionis fortiùs conveniat cum concordantia ipſorum H. O. X. quàm cum aliis literis, eligatur ex ipſo X. illa camera vel illæ cameræ, per quam vel quas multiplicari poterit in triangulo rubeo major concordantia meriti & gloriæ ſive minor concordantia culpæ & pœnæ; aut illud affirmetur vel negetur, per quod in tertio membro ipſius X. perfectio & eſſe magìs diſtent à defectu & privatione; & quòd in quinto membro ipſius X. ſapientia, poteſtas, voluntas & eſſe majorem concordantiam multiplicent inter ipſa H. O.

Camera 82.

[*H.P.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

SI meliùs conveniat dubium alicujus quæſtionis elongari ab affirmatione vel negatione per H. P. quàm per alias literas, in præmiſſa camera inveſtigetur, cum qua literarum ipſa H. P. meliùs conveniant in eſſe medium, per quod ipſa quæſtio meliùs queat ſolvi: unde ſi meliùs convenerint cum ipſo S. quàm cum aliqua reliquarum literarum, decurratur per ſpecies ipſius cum triangulis ipſius T.; & inveſtigetur, cum qua ſpecierum ipſius S. meliùs conveniet ipſa reſponſio, ac in quo triangulo meliùs conveniet ipſa ſpecies, ut habeatur major concordantia ipſius ſpeciei & trianguli: veruntamen ſemper concordetur ipſis S. T. illud, per quod differentia & concordantia meliùs ſe habent contra differentiam & contrarietatem.

Camera 83.

[*H.Q.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

SI reſponſio alicujus quæſtionis ſeu inquiſitionis aut accuſationis (& ſic de aliis convenientibus ſcientiæ Juris) meliùs ſe habeat cum H. Q. T. quàm cum aliis literis præmiſſæ cameræ, inveſtigetur major concordantia & differentia ipſorum H. Q. T. contra majorem contrarietatem & differentiam H. Q. T. vel H. T. vel Q. T.; & conſervetur major differentia & concordantia triangulorum ipſius T.; ac vitetur omne inconveniens, quod valeret ſequi contra ſuprà dicta principia.

Camera 84.

[*H.R.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

SI indigeatur præcipuè ipſis H. R. Y. Z. ad reſpondendum alicui quæſtioni, ſive ad utendum ipſo D. in aliqua ſententia vel in aliqua cauſa vel in alio ad ſcientiam ipſius D. pertinente, debet concordari in ipſis H. R. major concordantia & differentia, ex quibus poſſint formari major contrarietas & differentia inter Y. Z. contra minorem contrarietatem & differentiam ipſorum H. Q.: ſi verò ex ipſa majori differentia & concordantia & majori differentia & contrarietate ſequeretur aliquod inconveniens in ipſis H. R., quo haberent concordantiam cum Y. Z. contra V. Y., reſpondeatur utendo ipſo D. ſecundùm minorem differentiam & concordantiam ipſorum H. R. Y. contra minorem differentiam & contrarietatem ipſorum V. Z., ubi nullum ſequitur inconveniens contra concordantiam ipſorum H. R. Y.

Camera 85.

[*I.K.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

CUm ipſa I. O. P. ſimpliciter concordantiam habeant cum majoritate, & K. O. P. cum minoritate, & illud ideo, quia H. & V. lividum habent majorem concordan-

tiam

tiam per I. quàm per K., idcircò oportet, quòd ex ipsis I. E. G. H. procedat nobilius privilegium ipsi F., quàm ex K. E. G. H.: veruntamen si F. existens per K. in ipsis G. H. habeat majorem concordantiam cum O. P., quàm F. existens per I. in ipsis G. H., & hoc ad hoc, ut A. S. V. Y. meliùs possint simul convenire, oportet, quòd K. in illo casu excedat in suo O. P. super O. P. ipsius I.

Camera 86.

[*I. L.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

COnditiones hujus cameræ sunt, quòd I. se habeat sub tali B. cum L., quòd inde non possit corrumpi forma ipsorum I. K. in O. G. H. contra concordantiam ipsorum E. F.; ignorantia enim non nutrit O. in N., ut excusetur aliquid per ignorantiam in casu, in quo D. declinat ad privationem, per quam E. habet propinquitatem cum camerâ [Defectûs & Privationis]; nec etiam ipsa I. L. possunt concordari, nec sibi invicem adversari in casu, in quo sequitur privatio ipsius O. in concordantia conveniente inter ipsa I. K.

Camera 87.

[*I. M.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

QUantò fortiùs S. diligit & intelligit A. ac ejus cameras, tantò magis C. paratum est ad esse subjectum ipsi B., ut D. conveniat cum esse & perfectione in ipsis I. M.: & hoc idem sequitur de ipsis S. N. O., quantò enim S. magis intelligit & diligit V. lividum, ac intelligit & odit V. rubeum, tantò major est concordantia ipsorum I. M., ex quâ majori concordantiâ potest produci nobilius N.: & ideo conditiones præmissæ cameræ sunt, quòd O. conservetur in triangulo rubeo (si tamen inde sequitur suprà dicta differentia & concordantia & majoritas) ut D. per hoc valeat habere majorem concordantiam cum camera [Perfectionis & Esse.]

Camera 88.

[*I. N.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

NAtura ipsius I. est, quòd removeat dubitationem ab affirmatione & negatione, ut ipsa M. N. possint meliùs simul convenire in ipsâ affirmatione vel negatione: quapropter O., in quo conservatur natura ipsius I. & concordantia ipsorum M. N., facit ipsa I. N. ad invicem convenire in E. F. G. H. K. Igitur cùm hoc ita sit, conditiones prædictæ cameræ sunt, quòd omnes suprà dictæ literæ ita inter se concordent in rubeo ad unum finem, videlicet ad concordantiam ipsorum I. N., sicut chordæ in Clavicymbalo secundùm artem musicam concordant ad unum finem.

Camera 89.

[*I. O.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

OEt symonia ad invicem sibi repugnant; quod est, quia O. & V. lividum simul conveniunt, symonia verò & V. rubeum simul concordant. Igitur cùm hoc ita sit, super prædictis principiis oportet concordantiam esse inter ipsa I. O. contra omne id, quod est contra suprà dicta principia: *unde quemadmodum explicavimus de concordantia, quæ convenit inter ipsa I. O. in symonia, sic Artista per hoc exemplum potest formare plura particularia ad præbendam demonstrationem de concordantiâ conveniente inter ipsa I. O.* tali modo, quòd ipsa I. O. nequaquam inde disconveniant cum A. V. Y., nec concordent cum V. Z., nec etiam inde sequatur inconveniens in literis existentibus ab A. usque ad S.

Camera 90.

[*I. P.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

CUm A. & majoritas simul conveniant, & S. & minoritas simul concordent, idcirco D. in P. se habet ad majoritatem per ipsum A., ad minoritatem verò per S.: quapropter conditiones præmissæ cameræ sunt, quòd B. inclinet universalitatem ipsius D. ad ipsum A., particularitatem verò ad ipsum S., taliter tamen, ut inde non sequatur inconveniens, per quod S. haberet majus D. in A., quàm A. in S.; nec per hoc fiat contrarietas inter ipsa in P.: propterea conditiones præmissæ cameræ significantur per I. P. in primo & secundo membro ipsius X.; si enim ipsa I. P. se habeant ad majoritatem per A. & ad minoritatem per S., si tu habes D. in N., quantò magis convenit, quòd A. habeat D, in camera [Prædestinationis & Liberi Arbitrii]; si enim non ita foret, sequeretur, quòd homo posset habere majorem concordantiam cum D. in triangulo rubeo, quàm A. cum justitia & perfectione in magnitudine & æternitate; hoc autem est impossibile; per quam impossibilitatem revelatur, quòd camera [Prædestinationis & Liberi Arbitrii] habet

habet concordantiam cum camera [Esse & Perfectionis] contra cameram [Privationis & Defectûs.]

Camera 91.

[*I. Q.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

QUoniam O. per unum modum convenit cum I., per alterum verò cum K., idcirco I. per unum modum convenit cum Q., per alterum verò cum R.: quapropter in triangulo rubeo Q. potest convenire cum I., & R. cum K., & è converso: & hoc idem potest contingere de I. K., videlicet quòd simul in uno tempore conveniant cum Q. vel cum R. Igitur cùm hoc ita sit, secundùm prædictam concordantiam potest inveniri particulare, quod quæritur.

Camera 92.

[*I. R.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

PEr magnam influentiam, quam habent B. C. in comprehendendo D. in I., sequitur concordantia ipsorum I. R. in E. F., ad significandum magnam concordantiam, quam habent B. C. in ipso D. ad multiplicandum I. in R. per O.; ut propter hoc ipsum D., magis possit elongari à suo opposito, & ut inter A. S. V. Y. sit major concordantia, ac ut Y. Z. per hoc sint in majori contrarietate.

Camera 93.

[*K. L.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

ITa se habet necessitas in L., sicut L. necessariò se habet sub E.; & ideo K. L. debent convenire in P., prout E. F. conveniunt in ipsis G. H. I.: & hoc idem sequitur de concordantiâ ipsorum I. L. secundùm P., ubi necessitas perfectionis & misericordiæ conveniunt inter I. L. E. & K. L. E.: quapropter dicitur, quòd necessitas in ipsis Q. R. non habet legem.

Camera 94.

[*K. M.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

KEt I. habent concordantiam in M.: si verò K. disconveniat cum M. ipsius I. contra E. F. G. H., est inconveniens, quòd D. ipsius K. conveniat cum esse & perfectione contra D. ipsius I., & è converso: quamobrem oportet, quòd habeatur C., in quo B. D. convenire possint ad concordandum, ut K. M. non adversentur ipsis I. M., nec inter ipsa I. K. consistat ulla contrarietas: veruntamen si ipsa contrarietas per aliquod accidens eveniat, debent O. P. convenire cum majoritate affirmationis vel negationis in majoribus E. F.

Camera 95.

[*K. N.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

IN dubitatione D. ipsius I. non potest movere D. ipsius K., & è converso: unde inquiri debet Y. causâ inveniendi D., quod conveniat cum O., ut sit concordantia inter I. K., ut K. N. concordent in M. I., & per quam concordantiam K. I. conveniant in M. N. tali modo, ut Y. in triangulo rubeo per hoc magis repugnet ipsis V. Z., & ut S. inde habeat majorem concordantiam cum A. & V. livido.

Camera 96.

[*K. O.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

ONutrit D. in G. æqualiter inter fideles Christianos & infideles, veruntamen diversificat ipsum D., quia K. L. habent inde majorem concordantiam in V. Y. quàm in V. Z.; & ideo in P. differt unum M. ab altero, & unum N. ab altero; & C. est magis subjectum ipsi B. in ipsis V. Y. quàm in V. Z., nam D. meliùs se habet ad differentiam & concordantiam quàm ad differentiam & contrarietatem.

Camera 97.

[*K. P.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

OConvenit cum majoritate in camera [Esse & Liberi Arbitrii], cum minoritate autem in camera [Privationis & Liberi Arbitrii]: quapropter D. majus est in ipsis E. F. G. H. per primam cameram, minus verò per ultimam; & ideo D. habet nobilius C. per cameram magis remotam à servitute & privatione ac etiam P. habet inde majorem concordantiam cum ipso K.

Camera 98.

[*K. Q.*] [*A. S. T. V. X. Y. Z.*]

SI ipsa K. Q. habent majorem concordantiam cum Y. in affirmatione vel negatione in camera [Justitiæ & Scientiæ] quàm ipsa R. Q., oportet, quòd I. R. sint magis propinqua ignorantiæ & dubitationi quàm K. Q.; & ideo ipsa K. Q. hoc modo debent præ-

prævalere ipsis I. R. & è converso: propterea, si testimonium sit contra majora O. P. in P. Q. quàm in P. R. aut in P. R. quàm in P. Q., necessarium est, ipsum testimonium esse magìs propinquum dubitationi, & magìs remotum ab affirmatione & negatione; quod est, quia habet majorem propinquitatem ad oppositum ipsius D. in E. F. G. H.: præterea si sententia sit contra rubeum, oportet ipsam convenire cum camera [Privationis & Defectûs]; quia, si non, sequeretur, quòd D. in rubeo haberet concordantiam cum defectu & privatione; hoc autem est inconveniens, quo ostenditur, concordantiam, quam habet K., esse majorem vel minorem cum Q. vel cum R.

Camera 99.

[*K.R.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

APpellatio convenit in concordantia ipsorum A. V. Y. contra cameram [Culpæ & Ignorantiæ], si ergo contra dictam concordantiam fiat aliqua injuria, ipsa injuria convenit cum culpa & pœna: idcirco O. debet nutrire D. ad conservandam concordantiam ipsorum K. R. in A. V. Y.; & ideo appellatio nequaquam potest esse contraria ipsis E. F. G. H. I. K. in camera [Justitiæ & Scientiæ]: quapropter appellatio debet habere valorem in camera [Dubitationis & Justitiæ.]

Camera 100.

[*L.M.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

IN M. debet investigari, utrùm L. particulariter & universaliter conveniat cum Judiciis, Procuratoribus, Advocatis, Tutelis, Libellis, Testibus, Sententiis, Appellationibus, & sic de aliis pertinentibus ad I. K.: *& quemadmodum in conditionibus hujus artis continetur, quòd omnes literæ ab A. usque ad S. simul debeant convenire*, sic prædicta ad invicem debent convenire in ipsis L. M.: si verò L. esset contra M. ipsorum I. K. in prædictis rebus, illud L. esset contra G. H., quapropter Q. debet alterari in R., ut L. alteretur in I. vel in K.

Camera 101.

[*L.N.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

IN credentiâ, quæ habetur de beatissimâ Trinitate ipsius A., in honesta vita & Matrimonio, Accusatione, Inquisitione, Denunciatione, Inhibitione, ac in omnibus reliquis convenientibus ipsi I. debent temperari L. N., si conveniant, tali modo, ut prædicta possint ad invicem convenire in ipsis L. N. sequendo ordinationem & processum literarum prædictæ cameræ & etiam literarum existentium ab A. usque ad S.; & si L. N. haberent in ipsis aliquod inconveniens contra præmissam cameram, oportet, quòd ipsa L. N. concordentur per oppositum illius inconvenientis cum literis ipsius cameræ in prædictis rebus, *hæc enim regula est generalis in toto, quod continetur de ipso D. in ipsis I. K. ab A. usque ad S.*

Camera 102.

[*L.O.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

SI O. nutrit L., ut conveniat cum I. K., concordantia ipsorum L. O. regulatur, secundùm quod debet regulari concordantia ipsius O. cum E. F.: & si esset hujus oppositum, debet fieri oppositio inter ipsa L. O., secundùm quod in P. ipsa I. K. se habent in majori universalitate in E. F. quàm L.: si verò L. O. habeant majorem concordantiam cum majoritate in rubeo cum E. F. G. H. in K. quàm in I., vel è converso, debet procedi secundùm majorem concordantiam majoritatis in ipso rubeo, & ut O. per hoc magìs elongetur à camera [Ignorantiæ & Defectûs.]

Camera 103.

[*L.P.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

IN P. debet fieri comparatio inter unum L. & alterum in triangulo croceo, viridi, rubeo & nigro; & postea debet eligi illud L., quod meliùs convenit cum regularitate ipsorum triangulorum in præmissa camera: quando autem L. ipsius G. & L. ipsius H. ad invicem sibi repugnant, in P. investigetur, quodnam ipsorum L. faciat majorem differentiam & contrarietatem contra V. Z., ut major differentia & contrarietas eligatur, ut inde meliùs concordari possint V. Y. contra V. Z.

Camera 104.

[*L.Q.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

IN triangulo rubeo D. fuit ante in Q. G. H. quàm in L.; & ideo L. non convenit cum esse & perfectione contra majoritatem ipsius trianguli; fuit enim D. in ipso triangulo in

in L. cum conditione, videlicet in sua infirmitate, quâ cessante oportet, quòd ipsa G. H. redeant ad Q. in ipso triangulo, & quòd societas ipsorum L. Q. in ipso triangulo cesset; si enim hujus oppositum esset verum, sequeretur, quòd G. H. haberent majorem concordantiam cum ipsis L. Q. quàm cum Q. I. K.; hoc autem est inconveniens & contra finem prædicti trianguli.

Camera 105.

[*L.R.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

RSe potest habere in rubeo & viridi ad L. vel ad G. H.; si autem se habeat ad L., oportet, quòd conveniat cum G. aut H.: & quando per ipsa L. R. venerit finalis ratio in rubeum, oportet, quòd L. mutetur in I. vel in K., & quòd amittat suum cursum, postquam ejus finis venerit ad perfectionem per ipsa L. R.: si autem aliquis faciat hujus oppositum, repugnabit majoritati ipsius D. in literis præmissæ cameræ & in rubeo, ac etiam faciet existere contrarietatem in literis, quæ sunt ab A. usque ad S.: quaproptet oportet ipsum D. ei esse contrarium: & hoc idem sequitur, si L. impediat I. K. ad habendum majorem concordantiam in R. quàm in Q., & in G. quàm in F., & in G. quàm in H.

Camera 106.

[*M.N.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

EX majori M. sequitur majus N., & ex majoribus M. N. sequitur major propinquitas ipsorum A. S. V. Y. & major longinquitas ipsorum Y. Z.: quapropter Jurista debet concordare majoritatem cum M. N. in literis existentibus ab A. usque ad S.: si verò huic majoritati aliquod D. fuerit contrarium in G. H. I. K., oportet, quòd illa contrarietas sit propter infirmitatem ipsius G. vel ipsius H. in I. vel in K.; quare illa infirmitas curanda est cum L. in N. O., quibus illa infirmitas deveniet in privationem, & sanitas in esse.

Camera 107.

[*M.O.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

ORecipit nutrimentum in M., suas operationes verò habet in N.; & ideo quantò majorem concordantiam M. O. habent cum majoritate, tantò majores sunt operationes ipsius O. in N., ac tantò major concordantia inde resultat inter M. N.: quapropter M. tam fortiter nutrit O., & habet tot operationes in N., quòd exinde sequitur R. in I. vel in K., aut sequitur inde concordantia ipsorum I. K. in Q. Unde si particulare, quod investigabitur, conveniat cum præmissis principiis, habebit concordantiam cum præscripta camera, ejus autem oppositum erit contra V. Y.

Camera 108.

[*M.P.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

OPortet priùs esse P. in M. quàm in N. sensuali, ut ipsa M. N. intellectualiter utantur ipso P. per D., quod est ab A. usque ad S.: cùm verò M. P. elegerint nobilius D., oportet, quòd N. intellectuale moveatur ad sensuale, secundùm quod M. N. P. habuerunt majorem concordantiam intellectualem ad concordandum N. P. sensualia: si verò huic operationi aliquod D. adversum existat, M. debet investigare ab A. usque ad S., ex qua litera procedat ipsa contrarietas, & postea debet ipsam mortificare cum P. O., ut inde sequatur major concordantia in suprà dicta camera.

Camera 109.

[*M.Q.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

SI Q. non sufficit ipsi M., ut possit convenire cum N., potest M. investigare O., in quo R. possit nutriri, & in quo M. N. valeant conservari; veruntamen nullo modo est licitum, quòd R. sit in F. absque E., nec debet esse in E. absque concordantia ipsorum G. H. I. K.: si tamen propter culpam ipsius I. vel ipsius K. non concordaret R. cum N., quamvis haberet concordantiam cum M., tunc est licitum, quòd I. possit tractare in G. H. illud, quod convenit ipsis M. R. seu ipsis M. E.: & hoc idem sequitur de K.; si enim non ita foret, sequeretur, quòd concordantia esset in camera [Liberi Arbitrii & Privationis]; quod est inconveniens & contra cameram [Meriti & Gloriæ.]

Camera 110.

[*M.R.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

QUemadmodum O. recipit nutrimentum ex G. H. I. K. ad nutriendum R. in M., sic G. conservat in se ipso D. in concordantia ipsorum G. H. I. K. M. N.; & ideo quando M. R. conveniunt contra Q., recurrendum est ad ipsum E., & investigandum, utrùm

utrùm habeat majorem concordantiam cum Q. quàm cum R.; & illud, ex quo possit sequi major concordantia inter G.M., est eligendum & affirmandum, ut N. inde habeat majorem concordantiam in M. cum G.H.I.K.

Camera III.

[*N.O.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

SI Judex indigeat testibus, & ipsos non possit habere, recurrat ad præmissam cameram, ac ad literas existentes ab A. usque ad S., & concordet ipsa M. N. in sua sententiâ theoricali; sed tamen nutriat O., per quod M. N. ad invicem possint convenire: si autem cogatur judicare, antequam se possit juvare per ipsum O, oportet, quòd O. ex prædictis cameris assumat nutrimentum, ut possit convenire cum N. ad conservandum D. in G. ac F. in E., quanquam ipse Judex sciat in M., illud, quod judicat, esse contra D. in N.

Camera 112.

[*N.P.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

SI Advocatus non valeat probare per testes, probet per literas existentes ab A. usque ad S. in præmissa camera, ut Judici detur conscientia, per quam nutriat O. ad tentandam compositionem ambarum partium absque sententia: si verò Advocatus habeat testes, videat, utrùm habeant concordantiam literarum alphabeti hujus artis; & si contingat ab ipso fieri libellum, oportet, quòd ipsum faciat secundùm concordantiam ipsarum literarum; si autem faciat appellationem, oportet, quòd appellet tali modo, quòd nequaquam sit contra præmissam cameram nec etiam contra concordantiam literarum existentium ab A. usque ad S., *& hæc sit regula generalis in concordantia ipsorum O.P.*, ut N. valeat concordari cum M., quod convenit cum P.; si verò Actor erraverit in causa per defectum Advocati & libelli, oportet, quòd Advocatus patiatur damnum Actoris, ut O. possit conservare ipsum D. in C., & ut ipsum E. habeat dominium in F., ac ut in Advocato nutriatur camera [Justitiæ & Prudentiæ.]

Camera 113.

[*N.Q.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

ACtor non habet ullam actionem contra suum adversarium; nec ille, qui accusatus est, habet ullam defensionem contra concordantiam, quam habent N.Q. in præmissa camera & in literis existentibus ab A. usque ad S.; & ideo oportet, quòd petitiones & defensiones hujus scientiæ sint secundùm prædictam concordantiam, contra quam est impossibile esse differentiam & concordantiam contra aliquam petitionem vel defensionem: si verò N. Q. conveniant cum M. R., & ipsum R. cum petitionibus & defensionibus, secundùm hanc artem debet recurri ad præmissam cameram ac ad literas existentes ab A. usque ad S.; & postea debet eligi major concordantia, ut inde sequatur major concordantia inter M. N.

Camera 114.

[*N.R.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

SI in Q. nullus esset defectus, nec in R. perfectio, impossibile esset, quòd N.R. simul possent convenire in rubeo: si autem in Q. esset perfectio, per quam posset fortificari concordantia ipsorum N. R., esset inconveniens, quòd N., quod concordat cum R., posset convenire cum M.: si verò Q. esset sufficiens ad concordantiam ipsorum M. N. absque R, ipsum R. esset superfluum, nisi forsitan esset causâ fortificandi Q. in ipsis M. N.

Camera 115.

[*O.P.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

SEcundùm P. majoritas & A. habent concordantiam in ipsis G.H., minoritas verò & creatura; & ideo S. debet nutrire O. in P., per quod O. S. puniat se ipsum in corpore per actionem, si se ipsum diligeret plùs quàm A.; & etiam oportet, quod se ipsum det contritioni, patientiæ & conscientiæ, quæ inferant passionem, ac ex quibus formetur concordantia ipsorum P.O. in omnibus cameris existentibus ab A. usque ad S. in prænominata figura: *& hæc regula est metaphora æqualitati, quam unum S. debet habere cum altero inter P.O. in V.Y. contra V.Z. secundùm H.G.*

Camera 116.

[*O.Q.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

OHabet jus contra suum oppositum in omnibus literis existentibus ab A. usque ad S.; & propter concordantiam ipsorum O. Q. ipsum Q. habet jus in omnibus iisdem literis, excepto tamen, quòd inde nunquam sequatur aliquod inconveniens ex O.R. contra concordantiam literarum existentium in præmissa camera ab ipso Q. usque ad Z.: & hoc idem sequitur de R.

Camera 117.

[*O.R.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

OSe habet ad R., quoniam Q. sufficere non potest ad concordantiam majoris boni in D., seu majoris mali in V.Z.: quapropter oportet concordantiam esse inter O. R. ad eligendum majus bonum, & evitandum majus malum: & ideo O. convenit cum Q. vel cum R. ad nutriendum diversas essentias diversarum significationum, cùm accidat, quod diversa opera habeant diversa D., per quæ debet diversificari sententia, secundùm quod quædam M. N. habent unum opus in G. vel in H. vel in I. K., & alia M. N. ibi habent alterum opus.

Camera 118.

[*P.Q.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

IPsa P. Q. concordentur in primâ & secundâ intentione ac etiam in habitu, potentiâ & actu & in omnibus speciebus ipsius S. ac in triangulis ipsius T.; quæ concordantia fiat de P. Q., ut prima intentio conservetur in majoritate, & secunda in minoritate: & hoc idem sequitur de majoritate & minoritate in potentia, habitu & actu, secundùm quod convenit ipsi D. existenti ab A. usque ad S.: si autem talis concordantia inter ipsa P. Q. non possit fieri absque destructione ipsorum S. T., fiat secundùm concordantiam ipsorum P. R. S. T. Præterea cum ipsis P. Q. debet investigari differentia & concordantia in camera [Perfectionis & Justitiæ], differentia verò & contrarietas in camera [Privationis & Defectûs]: si verò cum ipsis P. Q. illud, quod investigatur, non possit inveniri, investigetur cum P. R., & cameræ [Differentiæ, Concordantiæ] tribuatur affirmatio, cameræ verò [Differentiæ, Contrarietatis] tribuatur negatio, dubitatio autem removeatur cum camera [Perfectionis & Justitiæ.]

Camera 119.

[*P.R.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

PRincipium, propter quod in hac scientia inventus est Judex, est propter differentiam potentiarum ipsius S., ex quibus formantur quatuor quadranguli in figura ipsius S., prout in literis hujus artis refertur; nam per istam differentiam fit differentia & concordantia memoriæ & intellectûs contra memoriam & voluntatem, quæ concordant contra memoriam & intellectum: quapropter oportet, quòd Judex comparet inter memoriam & voluntatem, ne voluntas ipsum inclinet ad cameram [Ignorantiæ & Voluntatis]: unde si secundùm prædicta principia Judex fuerit suspectus, potest disconvenire vel ab ipso Q. vel ab ipso R. vel ab ipsis Q. R. simul. Præterea P. R. debent habere majorem concordantiam in nobilioribus objectis quàm in ignobilioribus; sed si per ipsam potest haberi major per Q. quàm per R., debet relinqui concordantia ipsorum P. R., & debet concordari P. Q. in majori concordantia.

Camera 120.

[*Q.R.*] [*A.S.T.V.X.Y.Z.*]

SEcundùm G. neque per Q. neque per R. sequitur, quòd F. debeat alterare E. ad minoritatem: quoniam autem A. est majus quàm E., ideo aliquod suppositum ipsius A. potest alterare E. in triangulo rubeo secundùm Q. & R. Præterea, quemadmodum ignis & aqua æqualiter se habent ad differentiam & contrarietatem, sic in G. ipsa Q. R. se habent ad concordandum æqualitatem inter unum proximum & alterum: veruntamen si aliquod ipsorum vel Q. vel R. fuerit contra præmissa principia, oportet, quòd conveniat cum camera [Defectûs & Privationis.]

Explicit præsens Ars, quam per virtutem & gratiam ipsius A., quod est omnium bonorum perfectio, compilavimus ex principiis scientiæ ipsius D. T. Veruntamen, quoniam difficile esset Scholaribus hanc artem addiscere in absentia *Artis Compendiosæ inveniendi veritatem*, idcirco volumus de ipso D. facere viginti quæstiones, ac etiam ipsas per artem solvere; quando & volumus componere aliquas regulas huic arti necessarias, ut altiùs absentiâ artis Scholares ipsam possint addiscere: *si quis autem ipsam perfectissimè scire voluerit, oportet, quòd addiscat prænominatam Artem, sub qua & ista & Ars Principiorum Medicinæ ac aliquæ aliæ continentur* ad gloriam & laudem ipsius A.

DE XX. JURIDICIS QUÆSTIONIBUS,

In quibus exemplificatur modus solvendi alias quæstiones.

Quæ sunt:

Secundùm Artem & Regulas

Principiorum Juris.

1. *Quæstio.* Utrùm S. secundùm D. æqualiter teneatur frui beatissimâ Trinitate intelligendo amando & recolendo?

Solutio. S. sumit pro objecto differentiam & concordantiam in triangulo croceo, & postea decurrit cum suis potentiis per B. C. D. E. F. G. H. I. K. L. M. N. O. P. Q. R., & invenit in G., quòd æqualiter teneatur frui beatissimâ Trinitate cum intellectu & voluntate; si enim teneretur magìs velle quàm intelligere beatissimam Trinitatem ipsius A. in G., sequeretur, quòd in G. magis exaltaretur voluntas ad diligendum literas existentes ab A. usque ad S. quàm intellectus ad diligendum ipsas; hoc autem est inconveniens & contra officium ipsius Judicis, qui conveniret cum injuria, si magis teneretur amare literas alphabeti, quàm ipsas cognoscere, cùm principia significata per ipsas literas æqualiter sint in G., ut suprema Trinitas cognoscatur & ametur, quæ æqualiter se habet ad esse objectum amatum & cognitum per S.: quoniam verò homines hujus mundi sunt occupati diversis officiis, idcirco in hoc excusatur intellectus; veruntamen voluntas tenetur amare & credere supremam Trinitatem in eo, quod intellectus non sufficit vel non potest intelligere.

2. *Quæstio.* Utrùm D. Catholici possit participare cum Infidelibus?

Solutio. B. format D. in C., quod C. est subjectum ipsis B. D. in omnibus literis existentibus ab ipso usque ad S., ut sit concordantia inter A. S. M. N. Y., & ut S. V. Y. sint contra V. Z.: quoniam verò Infideles sunt contra A. V. Y., & sunt concordantes cum V. Z., si secundùm D. prædicta participatio esset licita absque perditione, ipsa I. K. essent contra B. C. D. in E. F. G. H., & A. V. Y. possent convenire cum V. Z.; hoc autem est inconveniens, quo potest videri solutio.

3. *Quæstio.* Utrùm summus Pontifex sive Papa teneatur magìs conservare Sanctam Ecclesiam, quàm ipsam augmentare?

Solutio. In triangulo rubeo Papa & ejus Successores magìs tenentur in principio ad conservationem Sanctæ Ecclesiæ; in causâ verò finali magìs tenentur ad multiplicationem ejusdem: & quoniam in triangulo croceo rubeus se habet ad majorem dignitatem in fine quàm in principio, idcirco Papa magìs tenetur propter finem quàm propter principium; si enim esset hujus oppositum, cameræ figuræ ipsius D. & conditiones earum delerentur, & A. S. T. V. X. Y. essent contra principia hujus artis, nec D. conveniret cum G. H. I. K., nec multiplicatio ipsius O. nec ipsa L. Q. R. haberent, in quo convenirent in B. C. D. G.; hoc autem est omnino inconveniens.

4. *Quæstio.* Utrùm Misericordia & Justitia meliùs conveniant in I. quàm in K., vel è converso?

Solutio. S. intelligit in T. per triangulum croceum & rubeum, quòd I. se habet ad primam intentionem, & K. ad secundam; & ideo misericordia & justitia habent majorem concordantiam in I. quàm in K.: quia si non, meliùs simul convenirent per minoritatem quàm per majoritatem; hoc autem est inconveniens, & est contra B. C. D. H. I. K. L. M. N. O. P. Q. R. A. V. Y.

5. *Quæstio.* Cùm necessitas non habeat legem, in quo magìs est licita, vel in I. vel in K.?

Solutio. Oppositum ipsius D. est magìs periculosum in I. quàm in K.; quod est, quia S. habet majorem concordantiam cum A. in I. quàm in K., & ideo B. magìs multiplicat O. P. in ipso I. quàm in ipso K.: veruntamen quia K. & N. non possunt habere tantam libertatem sicut I. & M., quæ habent majorem concordantiam cum misericordia, idcirco necessitas magìs est coäcta in K. quàm in I.: unde S. sumit solutionem quæstionis in triangulo croceo.

6. *Quæstio.* In quo potest homo magìs excusari per ignorantiam, vel in I. vel in K.?

Solutio. D. magìs est oppositum injuriæ in minori ignorantia quàm in majori; ignorare autem Articulos fidei est major ignorantia, quàm ignorare conditiones ipsius K.: & ideo ignorantia magìs periculosa est in I. quàm in K.: quapropter in tali casu ignorantia longè magìs remota est ab excusatione in ipso I. quàm in ipso K. In alio

alio verò casu non pertinente in I. ad Articulos Catholicæ Fidei ignorantia magìs propinqua est excusationi in ipso I. quàm in ipso K.; venia enim habet majorem concordantiam cum I. quàm cum K., & ipsum K. submittitur ipsi I.

7. *Quæstio.* Utrùm appellatio sit magìs necessaria in I. quàm in K., aut è converso?

Solutio. Secundùm G. ipsa E. F. meliùs debent convenire in I. quàm in K.; quod est, quia S. magìs appropinquat ipsi A. per I. quàm per K.: quapropter si F. ipsorum G. I. habet perfectionem sibi convenientem, in G. H. magìs est necessaria appellatio in K. quàm in I.: quoniam verò major injuria potest esse contra D. in I. quàm in K., & quia F. ipsius E. non tantum timet nec amat in I. quàm in K., idcirco accidentaliter extra G. magìs necessaria est appellatio in I. quàm in K.

8. *Quæstio.* Utrùm Electio Prælatorum sit magìs necessaria per Theologiam quàm per scientiam Juris, vel è converso?

Solutio. A. S. V. Y. habent majorem concordantiam in I. quàm in K., & B. format majus D. in C. per I. quàm per K., ac F. ipsius E. in I. est majus quantùm ad G. H., quàm F. ipsius E. in K., & in triangulo rubeo D. se habet ad medium, & Theologia ad finem, finis autem & majoritas simul conveniunt, minoritas verò & medium simul concordant: quod si non ita esset, ipsum K. & D. & medium essent primâ intentione, & I. & Theologia & finis essent secundâ intentione; hoc autem est inconveniens.

9. *Quæstio.* Utrùm habitus scientiæ Theologiæ meliùs se habeat ad habitum monachalem, quàm ipsum D., vel è converso?

Solutio. Per metaphoram, per quam solvitur suprà dicta quæstio, etiam potest solvi hæc quæstio & plures similes huic, *cùm in hac arte una solutio possit esse principium ad solvendum quàm plurimas quæstiones.*

10. *Quæstio.* Utrùm D. habeat majorem necessitatem in M. quàm in N., vel è converso?

Solutio. B. C. habent majorem concordantiam ad formandum D. in G. M. quàm in G. N.; quod est, quia M. est magìs conveniens ad esse medium concordantiæ ipsius S. cum A. V. Y. quàm N.: quoniam verò H. O. simul conveniunt ad conservandum D. & mortificandum injuriam, idcirco D. est de majori necessitate accidentaliter in N. quàm in M.

11. *Quæstio.* Utrùm D. sit de majori necessitate in Q. quàm in R., vel è converso?

Solutio. O. per B. nutritur in C. propter defectum ipsius Q., quod non sufficit ad esse medium, per quod B. perveniat ad finem; & ideo R. in tali casu excedit Q.: sed quando R. non est tam sufficiens causa ad ducendum D. per medium trianguli rubei ad finem, ût est Q., tunc Q. est majoris dignitatis quàm R., ac est majus universale quàm ipsum R.; cùm autem O. sit conditionatum ad multiplicandum D., oportet responderi prædictæ quæstioni per triangulum viridem, prout superiùs est significatum.

12. *Quæstio.* Utrùm D. meliùs conveniat cum G. per I. quàm per K., vel è contra?

Solutio. B. format D. in C. I. per charitatem, devotionem & contemplationem, quam habet S. in A., & ut se habeat V. Y. contra V. Z., & B. formet D. in C. K. propter charitatem & timorem & usum ipsorum V. Y. contra V. Z.; quapropter D. meliùs convenit cum G. per I. quàm per K.

13. *Quæstio.* Utrùm E. F. magìs teneantur conservare D. in I. quàm in K., vel è converso?

Solutio. Illud, propter quod D. convenit inter E. F. in K., est ratione corporis; illud verò, propter quod D. convenit inter ipsa E. F. in I., est ratione ipsius S.; & ideo in majoritate ipsius S. & in minoritate corporis significatur solutio prædictæ quæstionis; veruntamen F. ipsius I. in reditibus sui E. facit oppositum.

14. *Quæstio.* Utrùm E. F. habeant majorem concordantiam in G. quàm in H., vel è converso?

Solutio. Secundùm regulam hujus artis differentia & concordantia magìs possunt multiplicari per charitatem quàm per timorem; quod est, quia charitas, majoritas & dignitas simul conveniunt, similiter timor & minoritas simul; quoniam verò charitas habet majorem participationem cum G., & timor cum H., ideo E. F. habent majorem concordantiam in G. per charitatem, per timorem verò in H.; ex quo revelatur principium ipsius H.

15. *Quæstio.* Utrùm sit major necessitas judicare per G. quàm per H., vel è contra?

Solutio. B. habet majorem proportionem ad generandum D. in C. per G. quàm per H. secundùm A.V.Y.: veruntamen, ut F. vehementiùs sit contra V. Z., ipsum O. causâ conservandi D. in G. fortiùs cogit & inclinat Judicem ad judicandum per H. quàm per G.; & ideo Judex debet diligere justitiam per G., & odire injuriam per H.

16. *Quæstio.* Utrùm oporteat Judicem magìs recolere D. quàm ipsum intelligere, vel è converso?

Solutio. Recolere & intelligere conveniunt cum Y., sed recolere & velle conveniunt cum charitate; & ideo B. potest formare in G. majus D. per recolere & velle in N. ipsius Judicis quàm per recolere & intelligere in M.: quapropter D. in Judice se habet ad majorem concordantiam per recolere & velle quàm per recolere & intelligere; in M. enim D. & justitia conveniunt secundà intentione, in N. autem D. & justitia conveniunt primâ intentione, quo revelatur finis & principium, quos D. habet in M. & in N. & in Judice & in justitia.

17. *Quæstio.* Cui magis est credendum vel Actori vel Reo?

Solutio. S. discurrit cum suis potentiis per T. V., & postea sumit pro objecto literas figuræ ipsius D. & conditiones hujus artis, & invenit in T. in triangulo viridi, croceo & rubeo, quòd de bonis mobilibus S. in G. potest convenire cum fide & spe & charitate in Actore per depositum & mutuum: in bonis autem immobilibus fortior est Reus per H.; & ideo affirmatio est fortior in G. in bonis mobilibus quàm negatio; hæc verò fortior est in H. in bonis immobilibus quàm affirmatio.

18. *Quæstio.* Utrùm sub habitu ipsius B. fortiùs debeat subjici K. ipsi I. quàm I. ipsi K.?

Solutio. B. format sub se in C. ipsum D. distinctè & concordanter per literas existentes ab A. usque ad S.: unde si B. consentiret, quòd Vasalli Principum se haberent ad habitum ecclesiasticum, & cum I. essent contra K., esset B. forma oppositi ipsius D.; quod est inconveniens ac contra distinctam concordantiam, quam B. format in G. & in H. inter I. K., ut inter ipsa sit distincta concordantia contra confusionem & contrarietatem.

19. *Quæstio.* Utrùm Monachus Canonista secundùm D. possit audire lectionem manè, antequam audiat missam?

Solutio. In triangulo rubeo se habet D. secundâ intentione, & Sacramentum Altaris primâ intentione: unde si B. priùs formaret D. minori intentione quàm majori, esset oppositum sibi ipsi per omnes literas existentes ab A. usque ad S., & etiam significaret, quòd medium trianguli rubei conveniret cum majoritate, & causa finalis cum minoritate.

20. *Quæstio.* Utrùm B. formet in C. æquale D. per intelligere & diligere justitiam, vel per intelligere & odire injuriam, aut per amare & ignorare D., aut odire & ignorare injuriam?

Solutio. In amare & intelligere D. dat B. magìs de C. ipsi D. secundùm G. O. quàm in intelligere & odire injuriam; cùm amare conveniat cum primâ intentione, & odire cum secundâ; & ignorare & diligere ipsum D. non tantùm habet in C., quantùm amare & intelligere; nec ignorare & odire injuram tantùm habet in C., quantùm habet ignorare & amare D.: quapropter Judici revelatur, qualiter debeat judicare distinctè, secundùm quod significavimus per prædictam metaphoram.

De Regulis Principiorum Artis Juris & Primò

De A.

QUoniam necessarium est scire, quid quælibet litera posita in arte ipsius D. significet, & etiam qualiter id, quod ibi ponitur, meliùs & faciliùs possit addisci, idcirco de his volumus tradere brevissimè aliqualem notitiam: sciendum est igitur, quòd A. est quædam Figura significans DEUM, quæ in *tres Partes* sive figuras distinguitur, quarum *prima* est de Divina Essentia, *secunda* de Beatissima Trinitate, *tertia* de Rationibus. Ponitur hæc Figura in hac arte, quia per primam figuram facimus simul convenire omnes literas existentes ab A. usque ad S. ad significandum, essentiam ipsius A. esse unam simplicem, quæ habet D. in omnibus creaturis, ad quam B. C. in G. dirigunt ipsum D., quoniam ipsa essentia est supremum bonum. Cum secunda verò facimus convenire

venire ipsam artem ad significandum in A. tres Proprietates Personales distinctas, videlicet Patrem & Filium & Sanctum Spiritum; ad quam significationem significandam obligatæ sunt omnes literæ existentes ab A. usque ad S.; & totum illud, quod impedit significationem Beatissimæ Trinitatis, est contra D. Cum tertia verò figura facimus distinctionem, concordantiam & æqualitatem inter Dignitates sive Virtutes ipsius A.; & secundùm distinctionem & concordantiam & æqualitatem facimus convenire D. omnibus literis existentibus ab A. usque ad S.; & totum id, quod est contra dignitates ipsius A. & contra ipsarum distinctionem & concordantiam & æqualitatem, concordamus cum camera [Privationis & Defectûs]. Dignitates autem ipsius A., quæ dicuntur Virtutes, sunt *sedecim*, videlicet *Bonitas*, *Magnitudo*, *Æternitas*, *Potestas*, *Sapientia*, *Amor*, *Virtus*, *Veritas*, *Gloria*, *Perfectio*, *Justitia*, *Largitas*, *Misericordia*, *Humilitas*, *Dominium & Patientia.* Sciendum est insuper, quòd A. ponitur in qualibet camera figuræ ipsius D., ut quælibet camera concordetur cum ipso A. & etiam cum S. V. Y. contra V.Z., ut quodlibet particulare ipsius D. possit inveniri secundùm prædictam concordantiam.

De S.

S. Est quædam Figura significans Animam Rationalem, quæ habet *tres Potentias*, videlicet *Memoriam*, *Intellectum* & *Voluntatem*, quæ tres potentiæ diversificantur per operationem in quatuor speciebus; & ideo componuntur ex eis *quatuor Species*; quarum *prima* est, cùm S. sumit objectum memorando, intelligendo & diligendo ipsum: *secunda est*, cùm sumit ipsum memorando, intelligendo & odiendo, ac obliviscendo & ignorando. Ipsum autem S. ponitur in hac arte, quia cum prima specie ipsius debent accipi objecta congruentia ipsi D., ut inde possint habere pro objecto A. V. Y.; cum secunda verò specie debent accipi objecta existentia contra ipsum D., causâ fortificandi primam speciem: cum *tertia* verò supponitur, creditur atque dubitatur, ut ipsum D. investigari possit, & ut possint formari duæ prædictæ species: *quarta* species destrui debet; nam propter ignorantiam & defectum composita est ex tribus prædictis speciebus, & debet addi cuilibet sua pars. Ponitur autem ipsum S. in qualibet camera figuræ ipsius D., ut cum ipso S. investigetur D. in concordantia ipsorum A. V. Y. & in T. X. Y. Z., ut ipsum S. conveniat cum A. V. Y. D. contra V. Z., prout significatur in qualibet camerarum prædictæ figuræ.

De T.

T. Est quædam Figura continens Principia universalia, quæ sunt in *quinque triangulis*, quorum *primus* est lividus, & est compositus de DEO, Creaturâ & Operatione: *secundus* est viridis, & est compositus ex differentiâ, concordantiâ & contrarietate: *tertius* est rubeus, qui est compositus ex principio, medio & fine: & de isto rubeo sæpè fit mentio per totum librum: *quartus* est croceus, qui est compositus ex majoritate, minoritate & æqualitate: *quintus* verò est niger, & est compositus ex affirmatione, dubitatione & negatione. Ponitur autem ipsum T. in arte ipsius D., ut cum ejus triangulis possint fieri inquisitiones, quæ conveniunt ipsi D. Cum triangulo enim livido debet investigari omnis quæstio, videlicet de quocunque angulo sit, ut sciatur, de quo sit quæstio. Triangulus viridis debet misceri cum cæteris triangulis, ut per ipsum possit fieri responsio in omnibus aliis. Triangulus rubeus debet duci per cæteros triangulos, ut possit inveniri, in quem angulum ipsius rubei cadat D. in cæteris angulis. Cum croceo debet investigari major differentia & concordantia ipsorum A. S. V. Y. D. contra majorem differentiam & contrarietatem ipsorum V. Z.; & debet investigari D., quod significet æqualitatem Divinarum Personarum, ac æqualitatem memoriæ, intellectûs & voluntatis in S. ad formandum D. contra injuriam. Cum nigro debent fieri affirmationes, dubitationes & negationes ad investigandum D.; & semper illud D. est affirmandum, quod est majus; & majus D. debet magìs removeri à dubitatione & negatione quàm minus; & major injuria debet magìs concordari cum privatione & secunda specie ipsius S. quàm minor, quando ex ipsis implicatur contradictio ipsius D. Ponitur autem ipsum T. in omnibus cameris præ-

prænominatæ figuræ, ut sit instrumentum ipsi S. ad investigandum cum principiis universalibus particularia ipsius D. secundùm dispositionem camerarum ipsius figuræ, ac etiam secundùm dispositionem ipsorum A. S. V. X. Y. Z.

De V.

V. Est quædam Figura composita ex *septem Virtutibus* & ex *septem vitiis*, quæ sunt peccata mortalia; & ideo in *duas Figuras* dividitur, quarum *prima* est de Virtutibus, quæ scribitur cum colore livido, & vocatur V. lividum; *secunda* est de vitiis, quæ scribitur cum colore rubeo, & vocatur V. rubeum. Cum prima figura investigatur D., ut detur pro objecto primæ speciei ipsius S., & ut per ipsum D. ipsa A. S. V. Y. habeant concordantiam contra V. Z.; quod D. magis conveniens cum tali concordantiâ magis debet affirmari quàm D. non tantùm vel adhuc minùs conveniens cum ipsa concordantia. Cum secunda figura debet investigari injuria, ut præbeatur pro objecto secundæ speciei ipsius S., & ut major injuria magis removeatur à majori D. quàm à minori, ut sit major differentia in operatione actuum ipsius S. inter Y. Z. ac inter D. & injuriam secundùm prædictam ordinationem.

Præterea sciendum est, quòd V. ponitur in omnibus cameris prænominatæ figuræ, ut inde meliùs possit reperiri D. & concordari S. cum A. V. Y. contra V. Z.; & ideo quando Judex ad dandam sententiam fuerit impeditus per confusas opiniones causatas ex pluribus legibus vel decretalibus, recurrat ad principia ipsius D., quæ sunt ab A. usque ad S., & concordet cum ipsis V. lividum contra V. rubeum secundùm majorem concordantiam ipsorum A. V. Y. contra V. Z., secundùm quod continetur in conditionibus ipsius artis.

Præterea sciendum est, quòd quando V. ponitur cum Y., intelligitur de livido, quod significat virtutes; cùm verò ponitur cum Z., intelligitur de rubeo, quod significat vitia. Si autem injuria significetur ipsi Judici in forma ipsius D., recurrat ad principia artis ipsius D. & ad conditiones ejus; & inveniet, ex quo illa falsa significatio sumit principium.

De X.

X. Est quædam Figura contrariorum & concordantium, quæ composita est ex centum viginti cameris, in quibus scribuntur istæ dictiones, *Sapientia*, *Prædestinatio*, *Perfectio*, *Meritum*, *Potestas*, *Gloria*, *Scientia*, *Ignorantia*, *Justitia*, *Liberum Arbitrium*, *Esse*, *Defectus*, *Culpa*, *Voluntas*, *Pœna & Privatio*: ex prædictis autem cameris fiunt minores figuræ ad investigandum ipsum D. per concordantiam & contrarietatem ipsarum camerarum immediatè vel mediatè; quarum figurarum *Prima figura* est de *affirmatione*, per quam affirmatur contra negationem causâ inveniendi D. per ipsas cameras per fidem vel per demonstrationem. *Secunda figura* est de *negatione*, per quam contra affirmationem negatur, ut intellectus meliùs possit investigare D., quod, cùm sibi revelatum fuerit, neget contra V. Z. illud, quod est demonstrabile vel credibile. *Tertia figura* est de *dubitatione*, per quam dubitatur inter D. & ejus oppositum, ut inde sequi possit figura quarta. *Quarta figura* est *determinativa* & *quæstionum dissolutiva*, per quam debent concordari cameræ ipsius A. & species ipsius S., & fieri contrarietas inter V. Y. contra V. Z. in T. & in ipso X. ad probandum taliter D., ut quælibet prædictarum literarum conservetur in sua forma: & hoc idem fieri debet ad conservandum formas literarum existentium ab A. usque ad S., secundùm quod conditionatæ sunt in suis cameris.

Prætetea sciendum est, quòd *mediatè* & *immediatè*, de quibus facta est mentio, significant, qualiter cameræ ipsius X. ad invicem conveniunt vel opponuntur per media: sicut sapientia & prædestinatio, quæ simul conveniunt mediante perfectione; justitia verò & sapientia videntur opponi mediantibus prædestinatione & libero arbitrio & perfectione in tertia figura ipsius A.: sinè medio autem opponuntur esse & privatio, gloria & pœna &c., sinè medio conveniunt esse & perfectio, sapientia & justitia, meritum & gloria, culpa & pœna &c.

Et

Et præterea sciendum est, quòd X. habet *sex membra*, quorum *primum* est *de affirmatione*; *secundum de negatione*; *tertium* compositum est *ex esse* & *perfectione*, *privatione* & *defectu*; *quartum* est compositum *ex merito* & *gloriâ*, *culpâ* & *pœnâ*; *quintum* verò compositum est *ex potestate*, *voluntate* & *scientiâ*; *sextum* ex *potestate*, *voluntate* & *ignorantiâ*. Ex prædictis membris fiunt *duo contradictoria*, quorum unum est contra aliud supra quatuor consequentias causâ inveniendi D. secundùm concordantiam & contrarietatem, quam duo media membra continent in se ipsis, removendo in *tertio* esse & perfectionem à privatione & defectu; in *quarto* verò debent elongari gloria & meritum à culpâ & pœnâ; *in sexto* verò potestas & voluntas ab ignorantia.

Et est sciendum, quòd figura X. vocatur figura Prædestinationis, quoniam de prædestinatione fit magna & subtilis quæstio, cujus solutio est subtilissima & plurimum necessaria; & quia figura est valde subtilis & plurimùm utilis ad hanc artem, ideo est conveniens, quòd nuncupetur figura Prædestinationis: ponitur autem X. in similibus cameris prædictæ figuræ, ut investigetur D. secundùm dispositiones & conditiones ipsius figuræ & camerarum ejusdem; & ex omnibus prædictis dispositionibus & conditionibus fiat quædam universalitas considerabilis, in qua intellectus possit investigare & invenire particularia ipsius D.

De Y. & Z.

Y. Est quædam Figura significans veritatem, & Z. est alia significans falsitatem, cum quibus investigatur D. & injuria faciendo contrarietatem inter Y. Z. in V. T. X. causâ investigandi D. secundùm dispositionem ipsorum, & oppositum ipsius D., & etiam causâ comparandi D. ad V. Y., ipsius autem oppositum ad V. Z., & causâ concordandi A. S. V. Y. D. contra injuriam & V. Z., & causâ conservandi conditiones camerarum ipsius figuræ D. Ponuntur autem ipsa Y. Z. in singulis cameris prædictæ figuræ, ut contrarietas meliùs possit separari à cameris, in quibus convenit concordantia, & etiam concordantia à cameris, in quibus contingit contrarietas, & ut D. in S. magis appropinquet ipsi Y., & removeatur ab ipso Z.

Præterea sciendum est, quidnam in hac arte fiat ex literis, quæ sunt ab A. usque ad S. Ex B. primò fit quædam universalitas, sub qua se habent plura D., ut sub ipsa possint reperiri particularia ipsius D., quæ per ipsam diriguntur ad unum finem. Ex C. verò fit universale subjectum ipsi B., ut ex ipsis B. C. valeat considerari unum universale D. habens sub se plura D., quæ omnia simul conveniant secundùm concordantiam ipsorum B. C. Ex E. fit quædam communitas causâ conjungendi plura F., quæ se habent ad unam finalem intentionem in ipso E.; in quo E. conservetur cuilibet F. suum D.; quæ conservatio magis distat à privatione in ipso E. quàm in ipso F. Per F. conservatur ipsum E., ut plura F. conveniant cum pluribus F. in E. Per G. autem intelligitur D., quod naturaliter convenit, ut fortificetur D. in charitate. Per H. intelligitur Jus Positivum contra culpam & injuriam ad fortificandum D. extra G. in camera [Justitiæ & Perfectionis]; ut in G. sit concordantia ipsorum G. O. atque charitatis & perfectionis. Per I. fit concordantia inter D. & V. lividum; ut sit concordantia inter A. S.; ut corpus sub nobiliori formâ consistat. Per K. fit concordantia ipsorum V. Y. contra V. Z. propter timorem; ut sit differentia & concordantia inter Principes & Prælatos; ut Prælati se habeant ad contemplationem, & Principes ad defensionem; & ut sit concordantia inter timorem & amorem. Per L. fit particularis satisfactio in aliqua parte ipsius E., in qua propter aliqua accidentia non potest esse D. in tota sua universalitate. Per M. fit principium & lumen ipsi N.; ut N. dirigatur in medio rubei, ut possit esse finis. Cum N. concordat principium & finis in medio trianguli rubei, ut D. de principio possit pervenire ad finem. Cum O. dirigitur D., ut potentia deveniat ad actum in R. vel in Q. contra culpam & ignorantiam. Cum P. fit comparatio inter unum D. & aliud; & eligitur illud D., quod meliùs conve-

E nit

nit cum V. Y. contra V. Z.; ut inde inter A. S. ſit major concordantia. Per Q. fit rememoratio & cognitio & regularitas ſecundùm concordantiam ipſorum G. H. I. K. causâ generandi obedientiam, timorem, prudentiam & conſcientiam. Per R. reſtaurantur damna irrecuperabilia per Q., ac per ipſum multiplicatur charitas inter A. S. ac dignitas ipſius V. lividi, nec non per ipſum malificatur V. rubeum.

Et hæc de viginti Quæſtionibus & Regulis ad laudem & gloriam omnipotentis DEI ejusque Beatiſſimæ Matris MARIÆ ſemper Virginis dicta ſufficiant.

Amen.



(1)

DIVI RAYMUNDI LULLI DOCTORIS ILLUMINATI LIBER PRINCIPIORUM MEDICINÆ.

DEUS, qui es ſuprema virtus, de qua omnes aliæ virtutes recipiunt principium & perfectionem, cum gratia & auxilio tuo & intentione te honorandi & tibi ſerviendi incipit Ars *Principiorum & Graduum Medicinæ*, quâ humanus Intellectus, ſequendo modum Artis Compendioſæ inveniendi veritatem, exaltatur ad intelligendum ſecreta medicinalia & naturalia.

DE PROLOGO.

QUoniam omnis ars habet ſua principia, ideo nos incipimus iſtum Librum de Principiis Medicinæ, per quæ habebimus cognitionem aliorum principiorum: quem Librum dividimus in *Decem Diſtinctiones*, quarum *Prima* eſt de Diſpoſitione totius Libri. *Secunda* de Triangulo Rubeo. *Tertia* de Triangulo Viridi. *Quarta* de Triangulo Croceo. *Quinta* de Inveſtigatione Graduum. *Sexta* de Generatione & Corruptione. *Septima* de Febribus. *Octava* de Urinis. *Nona* de Pulſibus. *Decima* de Metaphora.

DISTINCTIO I.
De Diſpoſitione totius Libri.

CAPUT I.
De Diſpoſitione Arboris.

NAturale eſt intellectui, quòd ipſe per demonſtrationem factam per viſum & per auditum meliùs intelligat Artem, quàm per auditum ſolùm; ideo nos in principio hujus Libri formamus unam Arborem ſecundùm hunc modum, ad hoc, ut Flores demonſtrent veritatem hujus, quod docemus humanum intellectum: quæ Ar-

bor appellatur *Arbor* Principiorum Medicinæ.

Radix Arboris est una Rota composita ex literis significantibus quatuor Humores; & ideo dividitur in *quatuor partes*. *Prima* enim pars est de Cholera. *Secunda* de Sanguine. *Tertia* de Phlegmate. *Quarta* est de Melancholia. In quolibet Quadrangulo demonstratur operatio ipsius Humoris, & Febris, quæ ex ipso oritur, & major accessio ipsius Febris, & mixtiones Elementorum, & alia, quæ in conditionibus Arboris continentur. Unde ad faciendas & formandas demonstrationes, quæ isti Arti conveniunt, supponimus,

A. esse Caliditatem,
B. Siccitatem,
C. Humiditatem,
D. Frigiditatem.

Et ex istis literis prædictæ Rotæ Quadrangulos Rotæ componere volumus, secundùm quod Humores miscentur, & secundùm quod inter se agunt & patiuntur, quod in prædicta Rota, quæ est Radix prædictæ Arboris, tibi demonstratur.

Ex hac Radice *duæ Branchæ* procedunt, quarum

Prima Brancha est de Principiis Medicinæ, secundùm quod relatum est per antiquos Medicos, qui nos præcesserunt; quæ Brancha in *tres partes* dividitur, quarum prima est *naturalis*, secunda *innaturalis*, tertia *contra naturam*. Prima seu *naturalis* dividitur in *septem partes*, sive in *septem Flores*, secundùm quod res naturales sunt septem, scilicet *Elementa*, *Complexiones*, *Humores*, *Membra*, *Virtutes*, *Operationes* & *Spiritus*: in quolibet enim dictorum Florum una istarum rerum naturalium distribuitur. Huic autem Branchæ *quatuor Flores* adduntur continentes quatuor res annexas prædictis rebus naturalibus, videlicet *Ætates*, *Colores*, *Figuras* & *Differentiam inter Masculum & Fœminam*: in quolibet enim istorum Florum est una istarum rerum, quæ ad invicem prædicantur de rebus naturalibus. Secunda autem pars, quæ est de *rebus innaturalibus*, habet *sex Flores*, secundùm quod sunt sex res innaturales, scilicet *Aër*, *Exercitium*, *Cibus* & *Potus*, *Somnus* & *Vigilia*, *Evacuatio* & *Repletio*, & *Accidentia Animæ*; sicut *Gaudium*, *Ira*, *Tristitia*, & similia. Tertia verò pars, quæ est de *rebus contra naturam*, habet *tres Flores*, secundùm quod res contra naturam sunt tres, scilicet *Morbus*, *Causa Morbi* & *Accidens Morbi*; quælibet enim ipsarum rerum suum Florem habet.

Secunda Brancha, quæ est de novo inventa, & est addita ad exponendum primam artificialiter & metaphoricè, dividitur in *duas partes*, quarum prima dividitur in A. B. C. D.; secunda dividitur in tres Triangulos, qui sunt de principiis *Artis Compendiosæ inveniendi veritatem*, & in unum Quadrangulum *Figuræ Prædestinationis*, quæ continetur in suprà dicta Arte. Prima autem pars in quatuor partes dividitur, secundùm quod quatuor literas continet; quælibet enim litera facit unam partem. Secunda verò pars dividitur in quatuor partes, secundùm quod in ipsa tres Trianguli & unus Quadrangulus continentur; quilibet enim Triangulus facit unam partem, & Quadrangulus aliam.

A. autem in quatuor Gradus dividitur, qui denotantur per quatuor primas Figuras Algorithmi sic 4. 3. 2. 1.; & hoc idem sequitur de B. C. D. Unde ad demonstrandum prædictos Gradus oportet in generali Sedecim Simplices Medicinas seu Herbas eligere, quarum quælibet det significationem omnium aliarum herbarum sub eadem Complexione existentium; & oportet, ut quælibet ipsarum medicinarum simplicium vel sedecim herbarum significetur & intelligatur per literam ei appropriatam & proportionatam pro distinctione, ad hoc, ut meliùs & breviùs possint fieri demonstrationes per eas: sed quia hæc litera I. assimilatur primæ Figuræ Algorithmi, ideo ex prædictis figuris esse non debet, nec X., quia pro denario numero sumeretur. Quarum medicinarum simplicium & literarum positarum pro eis congrua ordinatio & nominatio talis est.

Supponimus enim, & dicimus, E. esse unam speciem simplicis medicinæ, in qua sit A. in quarto Gradu, B. in tertio, C. in secundo, & D. in primo.

Et supponimus, F. esse aliam speciem simplicis medicinæ, in qua sit A. in tertio, B. in secundo, D. in primo.

G. verò supponimus aliam speciem simplicis medicinæ, in qua sit A. in secundo, B. in primo.

H. aliam, in qua sit A. in primo.

K. supponimus aliam speciem simplicis medicinæ, in qua sit B. in quarto Gradu, D. in tertio, A. in secundo, C. in primo.

L. supponimus aliam speciem, in qua sit B. in tertio, D. in secundo, A. in primo.

M. esse

M. esse aliam speciem, in qua sit B. in secundo, D. in primo.

N. esse aliam speciem, in qua sit B. in primo Gradu.

O. verò ponimus esse aliam speciem, in qua sit C. in quarto Gradu, A. in tertio, D. in secundo, B. verò in primo.

P. aliam speciem, in qua sit C. in tertio, A. in secundo, D. in primo.

Q. aliam speciem, in qua sit C. in secundo, A. in primo.

R. aliam speciem, in qua sit C. in primo.

S. aliam speciem, in qua D. sit in quarto, C. in tertio, B. in secundo, A. in primo.

T. aliam speciem, in qua sit D. in tertio, C. in secundo, B. in primo.

V. aliam speciem, in qua sit D. in secundo, C. in primo.

Y. aliam speciem, in qua sit D. in primo.

Per istas autem literas decurrit ista Ars, quibus ignoratis Ars minimè potest intelligi; ex quibus literis oportet fieri Flores suprà dictæ Arboris, ita, quòd ex qualibet litera fiat unus Flos; & oportet esse diversos Colores appropriatos prædictis literis & numeris, quibus distinguantur Gradus, ut literæ & ipsarum Gradus in simul conveniant ad faciendas demonstrationes. Idcirco nos appropriamus *colorem rubeum* ipsis A. E. F. G. H., & similiter numeris significantibus Gradus caliditatis. *Colorem* autem *nigrum* appropriamus istis B. K. L. M. N., & similiter numeris significantibus Gradus siccitatis. *Colorem* autem *lividum* seu *cæruleum* appropriamus istis C. O. P. Q. R., & similiter numeris significantibus Gradus humiditatis. *Colorem* autem *viridem* appropriamus istis D. S. T. V. Y., & similiter numeris significantibus Gradus frigiditatis.

Trianguli & Quadrangulus debent in suprà dicta Arbore taliter ordinari.

Ex *Triangulo Rubeo* debent fieri tres Flores; in uno ipsorum scribatur *principium*, in alio *medium*, & in alio *finis*. *Ex Triangulo Viridi* alii tres Flores, scilicet *differentia*, *concordantia*, *contrarietas*. Et similiter ex *Triangulo Croceo* alii tres Flores fieri debent, in quorum uno scribatur *majoritas*, in alio *æqualitas*, & in alio *minoritas*.

Quadrangulus divisus est in quatuor Flores, qui sunt *esse*, *privatio*, *perfectio*, *defectus*, in quorum uno debet scribi cum *colore cæruleo* perfectio, in alio cum *colore viridi* defectus, in alio esse cum *colore rubeo*, & in alio privatio cum *colore nigro*.

Quicunque hanc Artem scire & intelligere desiderat, oportet eum scire suprà dictum Alphabetum, & ipsum in memoria retinere; & etiam oportet ipsum transferre Flores Arboris mutabiles & insertos in alios Flores, ut alios ipsorum Florum cum aliis demonstrativè miscere & formare, augmentare, diminuere & æqualificare possit ad declarandum, qualiter Medicus debet suas medicinas componere.

CAPUT II.

De Conditionibus Arboris.

CONditiones Arboris sunt *sex*, quarum *Prima Conditio* est, ut, si in E. sit A. in quarto Gradu, B. sit in ipso in tertio, C. in secundo, & D. in primo; quod contingit secundùm cursum naturalem necessariò esse; quia quodlibet Elementum habet ex se qualitatem unam tantùm, aliam verò ab alio Elemento recipit: Ignis enim calidus est per se, siccitatem autem recipit à Terra; & Aër est humidus per se, caliditatem verò recipit ab Igne; & Aqua est tantùm frigida per se, humiditatem autem recipit ab Aëre; & Terra est tantùm sicca per se, & frigiditatem recipit ab Aqua. Unde, cùm hoc ita sit, sequitur, quòd in quolibet corpore elementato & Complexione una quatuor qualitatum sit major & dominans super alias; quia si ita non esset, sequeretur, quòd aliquod Elementum non haberet plùs intentionem sibi ipsi, quàm aliis: & ideo, qui prædictam conditionem negare vellet, naturalia principia negaret; propter quam negationem non esset dignus affirmare Principia Medicinæ. Unde per exemplum datum de principiis naturalibus, qualiter Elementa se habent cum Gradibus in A. E., potest etiam cognosci, qualiter se habent Gradus in aliis medicinis, sive in literis positis pro eis alias Complexiones habentibus, vel in quibus aliæ qualitates dominantur.

Secunda Conditio est de Gradibus intelligibilibus & insensibilibus, ut intelligantur in medicinis qualitates ingradatæ, quæ non sunt in eis sensibiles; sicut in H. non est sensibilis Gradus B. C. D.; unde oportet, quòd H. commisceatur cum F.; ex qua commixtione Gradus tertius ipsius F. convertitur

tur in quartum, & Gradus primus ipsius H. convertitur in secundum.

Tertia Conditio est, quòd Quadrangulus habeat *duas Conditiones*, quarum *prima* est, quòd esse & perfectio cum majoritate conveniant, & privatio ac defectus cum minoritate; *secunda* Conditio est, quòd esse & minor imperfectio, sicut privatio & major imperfectio, conveniant.

Quarta Conditio est, quòd Gradus & Trianguli sequantur Quadrangulum, & postea omnes simul sequantur ordinationem Radicis Arboris; cui ordinationi prima Brancha cum suis Floribus sit subjecta.

Quinta Conditio est, quòd omnes decem Distinctiones hujus Libri dirigantur secundùm dispositionem Arboris & prædictas conditiones.

Sexta Conditio est, ut semper perfectè scias habere cognitionem de *prima intentione* & *secunda*, ut cognoscere scias, qualiter quodlibet Elementum habeat ad se primam intentionem, & secundam ad alterum; quæ prima intentio semper ad causam finalem se habet, & secunda se habet ad materiam, & ad his similia: sicut A. existens in E. habet primam intentionem ad destruendum D., ideóque dat se ipsum ipsi C. per secundam intentionem, ut D. recipiendo C. recipiat A., quod ipsius D. subjectum mortificet; & illud idem sequitur de aliis Elementis. Unde, si hoc bene intelligis, intelliges, qualiter quartus Gradus est in qualibet re per primam intentionem, & tertius per secundam, & tertius per primam respectu secundi, & secundus per primam respectu primi.

CAPUT III.

De Intentione, secundùm quam Gradus & Trianguli sunt in ista Arte.

QUoniam intentio Medicinæ est ad conservandam in humano corpore sanitatem, & ad destruendam infirmitatem, & res medicinales & herbæ, quæ sunt ejus instrumenta, Gradus habent secundùm dispositionem Triangulorum, *idcirco convenit, quòd Medicus sciat per mixtionem medicinarum simplicium & herbarum augmentare, diminuere & æqualificare alios Gradus cum aliis, & sciat principiare, & cognoscere principium, medium & finem Graduum; & convenit, quòd sciat differentiare, concordare & contrariare Gradus ad invicem tali modo, quòd sua artificialis operatio & operatio naturalis ad conservandam sanitatem & destruendam infirmitatem conveniant & concordent:* sicut enim martellus & tenaculæ sunt instrumenta in arte fabrili, ita Gradus & Trianguli sunt instrumenta Medicinæ; & sicut corpus humanum est subjectum Artis Medicinæ, ita Gradus ipsorum A. B. C. D. subjectum & materia Artis Triangulorum existunt; qui Trianguli ita movent ad causam finalem artificialiter Gradus, sicut materia formas de potentia in actum ad causam finalem movet naturaliter. Unde oportet in ista Arte, quòd in Triangulis investigemus Gradus medicinalium rerum ad tollendam dubitationem & contrarietatem actionum, & quòd Gradus sequantur Triangulos, & è converso.

CAPUT IV.

De Intentione, secundùm quam in ista Arte tractamus de Quadrangulo & Radice Arboris, & de Generatione & Corruptione.

CUm Medicus semper fortificare intendat esse cum perfectione, ideo, quia defectus & privatio sunt suæ intentioni contraria, & cùm esse & perfectio conveniant cum Generatione, privatio autem & defectus cum Corruptione, idcirco in hac Arte mixtus est Quadrangulus, ut cum ipso possit fieri investigatio & inventio Graduum & Triangulorum secundùm dispositionem Radicis suprà dictæ Arboris.

Radix Arboris est composita de A. B. C. D., ad demonstrandum, qualiter humores secundùm actionem & passionem ipsorum in infirmitate miscentur; nam unus est modus in mixtione humoris, qui peccat per Choleram, alius in mixtione humoris, qui peccat per Sanguinem, alius in mixtione humoris, qui peccat per Phlegma, alius verò in mixtione humoris, qui peccat per Melancholiam: & ideo in Quadrangulis sive quatuor partibus ipsius Radicis cum auxilio Quadranguli & Graduum potes cognoscere, quomodo & qualiter misceantur humores, & in qua die debeat esse fortior accessio sive Paroxismus, & ad quid ipsi humores habeant intentionem, & similiter per quem modum natura & morbus ad invicem contrarientur, atque pugnent, & qualiter humores ad Generationem exaltentur, & ad Corruptionem inclinentur & disponantur.

CAPUT

CAPUT V.

De Intentione, secundùm quam tractamus in ista Arte de Febri & Urina & Pulsu & Metaphora.

CUm Febris sit morbus magis universalis, & ista Ars compendiosa facta, ut per ipsam Scholares pauperes, qui in continuando Studium Medicinæ vexantur propter inopiam, possint ab ipso labore in brevi tempore removeri, *cumque universalia principia sint principia & demonstrationes principiis particularibus*, idcirco solùm de Febribus & non de morbis aliis in generali tractamus. Vitamus autem tractare de aliis morbis, ne Artem compendiosam reddamus prolixam; *nam per unum principium habetur cognitio alterius*, & per artem potes facilè descendere de universali ad particulare.

Et quia per accidentia Medicus habet cognitionem causæ ipsius morbi, & per causam cognoscit morbum, ideo tractamus de Metaphora, de Pulsibus & de Urinis, quæ sunt signa & accidentia declarantia causam morbi; & oportet, quòd secundùm causas & accidentia moveantur Trianguli & Gradus cum diversis virtutibus & operationibus existentibus in herbis & rebus medicinalibus contrariis causæ morbi ad destruendum ipsum morbum. Unde quemadmodum Urina, Pulsus & Metaphora sunt accidentia & signa, per quæ causa morbi manifestatur, ita Trianguli & Gradus & virtutes herbarum & rerum medicinalium sunt accidentia vel signa, per quæ manifestatur causa sanitatis, sequendo ordinationem Graduum & Triangulorum, & conservando conditiones Arboris.

De Metaphora autem in hac Arte tractamus ad hoc, ut sit ars ad exaltandum intellectum in ista Arte & in aliis Artibus: *per Metaphoram enim corroboratur intellectus ad intelligendum; nam per istam uno eodémque tempore super diversas species gyratur.* Et ratio, quare prima Brancha suprà dictæ Arboris in hac Arte metaphoricè intelligitur per secundam Brancham, est, ut Studentes in Medicina & in aliis Artibus per secundam Brancham in intellectu & memoria habere possint ea, quæ de prima Brancha jam audiverunt, & didicerunt ab Authoribus Medicinæ.

„ Præterea cùm Metaphora sit ligamen „ & nexus operationis trium potentiarum „ Animæ, quæ ad unum finem memorando, „ intelligendo & diligendo se habent, & hoc „ propter maximam intensionem, quam in„ tellectus facit, quando unum audiens „ aliud intelligit, *ideo est in hac Arte Metaphora, ut per hoc, quod secundùm Gradus & Triangulos & alias Distinctiones in hac Arte dictum est, possint etiam intelligi ea, quæ de aliis scientiis existunt, sicut de Theologia, Jure & Philosophia naturali & aliis, per quas intellectus exaltatur in intelligendo:* & ut hoc meliùs intelligas, exemplificare volumus breviter in Scientia Medicinæ.

Tu vides, quòd Magnes attrahit Ferrum; & scis, quare? Ratio est: quia Terra est in Magnete magis propinqua simplicitati, quàm in Ferro, vel in aliqua alia specie, & quia Ferrum plus continet de Terra, quàm de aliis elementis, ideo Terra existens in ipso Ferro movetur ad suum simplex in Magnete existens; & hoc tibi manifestatur, ut exaltes tuum intellectum ad intelligendum metaphoricè, qualiter & quare Scammonia, in qua A. & B. sunt prædominantia, attrahit & purgat Choleram; veruntamen volo ex hoc breviter rationem assignare: Cholera namque abundans in corpore movetur ad Scammoniam in corpore receptam, & Scammonia movetur ad Choleram; idque faciunt causâ inquirendi punctum simplicem, de quo in *quinta & sexta Distinctione* hujus Libri loquemur: & quia discomponitur Cholera, & separatur à potentia vegetativa, & Scammonia non intravit compositionem cum vegetativa tui corporis, ideo natura non potest sustinere simplicitatem duorum punctorum simplicium, qui in A. & B. simul conjunguntur; propter quod natura Scammoniam & ipsam Choleram purgat & simul expellit. Unde si per Magnetem & Ferrum scis intelligere istam similitudinem, scis exaltare tuum intellectum per Metaphoram.

Præterea Turbit, in quo dominantur A. B., purgat suum contrarium; & scis, quare? Ratio hujus est: quia ipsa A. B. in ipso Turbit attrahunt ad se A. B., quæ sunt composita cum Phlegmate, ideo compositio ipsius Phlegmatis dissolvitur & destruitur, & ad simplicitatem accedit, & hoc propter elongationem ipsorum A. B. ab ipso; quia natura odit dissolutionem humorum temperatorum, & non vult in se sustinere discordantiam humorum dissolutorum, ideóque ipsum Phlegma dissolutum expellit, retinens de A. B., quantum potest, causâ fortificandi

illud, quod superabundantia ipsorum C. D. destruebat, antequam Turbit assumptum ipsa expellit.

Unde per hoc medicinale exemplum potest metaphoricè in Theologia intelligi, *quòd virtutes in medio duorum extremorum conveniunt, vitia autem in ipsis extremis.*

Præterea sicut major est numerus ex diversis simul numeris compositus, ita per istam Metaphoram potest alia Metaphora significari *in Scientia Medicinæ:* videlicet cùm Medicus plures medicinas simplices simul componit, magis securè operari potest.

Et similiter hæc Metaphora medicinalis significat aliam Metaphoram *in Scientia Juris Civilis*, scilicet quòd, quando Judex vult concordare ad unum finem plures diversas leges & casus, difficiliùs potest finis formari.

Et similiter ista Metaphora Juris aliam significat *in Scientia Naturali:* scilicet quantò magis A. B. C. D. in diversis speciebus diversificantur in demonstrando colores generatos per ipsa, tantò fortiùs negant, colorem esse in simplicibus Elementis.

Unde de gradu in gradum, de exemplo in exemplum, & de uno principio in aliud possem prolixè loqui de Metaphora, de qua in sua Distinctione prolixiùs discurremus: *unde virtus hujus Artis per Metaphoram maximè decurrit; & hoc ideo, quia Elementa & Scientiæ universales sua secreta & suas operationes intellectui abscondunt & revelant valde subtiliter; propter quam obscuritatem oportet, quòd exaltetur intellectus ad intelligendum metaphoricè, ut ei prædicta secreta revelentur,* & ut homo per elevatum intellectum sciat facere & solvere quæstiones.

DISTINCTIO II.

De

Mixtione Graduum secundùm Triangulum Rubeum.

CAPUT VI.

De Principio.

De E.

CUm ista secunda Distinctio, ût superiùs dictum est, sit de Triangulo Rubeo, qui compositus est ex principio, medio & fine, & principium in omnibus meditationibus finem præcedat, ideo de principio exemplificando primò de E. loquemur.

A. in E. est principium ipsorum B. C. per modum operationis, & hoc, recipiendo ab ipso B., & dando ipsi C.; principium verò ipsius D. in E. sunt B. C. per modum operationis & sustentationis: per operationem, in quantum C. se dat ipsi D., & B. recipit de D.: per sustentationem autem, quia ipsa B. C. ipsum D. adjuvant contra A.: & quia A. convenit cum majoritate in E., in quantum est in quarto gradu, idcirco oportet A. esse principium ipsi B., quod est in tertio gradu, & ipsi C., quod est in secundo; nec convenit, quòd A. sit principium ipsius D., quod est ejus contrarium; cujus quidem D. principia sunt B. C.: & si D. esset principium in E. ipsi B., tunc majus esset principiatum per minus in majori, quod est A., contrario minori, quod est D.; hoc autem est impossibile, & contra suprà dictas conditiones Arboris.

De Mixtione E. F.

CUm verò facta est Mixtio ex E. F., tunc quartus gradus ipsius E. est principium tertii gradûs ipsius F., & tertius gradus ipsius E. est principium secundi gradûs ipsius F., & secundus gradus ipsius E. est principium primi gradûs ipsius F., & primus gradus ipsius E. est principium intellectualiter alicui parti intellectæ ingradatæ, quæ continetur de D. in F.; sed quia D. existens in F. non sufficit ad essendum in gradu, ideo non potest sensibiliter habere principium: unde, si de principio intellectuali vis facere principium sensuale, debes addere H. ipsis E. F., ut de F. H. fiat æqualitas cum ipso E.; in quo E. habet D. principium sensuale.

De Mixtione E. G.

IN Mixtione autem factâ ex E. G. est A. existens in E. principium A. B. ipsius G.; & C. ipsius E. non potest esse principium sensuale C. ipsius G., nisi addatur eis F. vel H.; & si E. G. addatur F. H., oportet secundùm conditiones quadranguli, quòd A. ipsius E. sit principium A. ipsorum F. G. H.; nam convenit, quòd major virtus sit principium minoris virtutis.

De Mixtione E. H.

IN Mixtione facta ex E. H. tunc A. ipsius E. est principium ipsius A., quod est in H.; quod A. de H. est in tam parva quantitate, quòd non potest esse principium alterius gradûs sensibilis absque mixtione alterius herbæ vel medicinæ ejusdem qualitatis & complexionis.

De Mixtione E. K.

IN Mixtione verò factâ ex E. K. quartus gradus ipsius E. est principium secundi gradûs ipsius K., & quartus gradus ipsius K. est principium tertii gradûs ipsius E., & secundus gradus ipsius E. est principium primi ipsius K., & tertius gradus ipsius K. est principium primi ipsius E.: & ita oportet esse secundùm prædictas conditiones Arboris; & hoc est ideo, quia quilibet gradus, secundùm quod est major, convertit suum similem gradum in qualitate vel humore ad speciem, in qua est major: & *per hanc proprietatem quædam complexiones & qualitates convertuntur in alias.*

De Mixtione E. L. E. M. E. N.

SEcundùm quod suprà significatum est, principium esse inter E. K., potes intelligere principium inter E. L., & inter E. M., & inter E. N.: *& quia regula superiùs dicta sufficit, & est principium ad cognoscendum alia principia,* & quia componimus & exemplificamus istam Artem, quantò compendiosiùs possumus, idcirco de principiis existentibus inter E. L. nolumus ulteriùs in hoc Capitulo pertractare.

De Mixtione E. O.

MIxto & simul composito E. cum O., sequitur, quòd quartus gradus ipsius E. est principium tertii ipsius O., & quartus ipsius O. secundi ipsius E., & tertius ipsius E. primi ipsius O., & secundus ipsius O. primi ipsius E.: & quia quodlibet principium convertit ad se ipsum qualitatem suæ causæ, propterea ponimus in simul illarum virtutes & operationes unam in aliam, secundùm quod convenit: & sic corrumpendo unam speciem generatur alia species, in qua aliâ vice conveniunt & concordant.

Natura, regula, ordinatio & conditio hujus Artis compendiosæ est, ut unum principium sit principium pluribus aliis principiis; ideóque per exemplum, quod dedimus de principio in E. O., potest haberi demonstratio de principiis ipsorum E. P. Q. R., sequendo artem & modum prædictorum principiorum.

De Mixtione E. S.

IN Mixtione verò de E. S. quartus gradus ipsius E. principium est primi gradûs ipsius S., & quartus gradus ipsius S. est principium primi gradûs ipsius E., & tertius ipsius E. est principium secundi ipsius S., & tertius gradus ipsius S. est principium secundi ipsius E. Unde cùm A. & D. sint contraria, idcirco principium ipsius E. in S. & principium ipsius S. in E. sunt contraria; propter quam contrarietatem principium ipsorum B. C. A. in S. & principium ipsorum B. C. D. in E. contrariantur; & illud ideo, quia quodlibet principium existens in tertio, secundo, primo gradu meliùs convenit cum specie, quæ est in quarto gradu: & cùm omnia ista principia sint inter se ad invicem contraria secundùm primam & secundam intentionem, ideo est major contrarietas principiorum in mixtione ipsorum E. S., quàm in aliis quibuscunque principiis naturalibus; propter quod subjectum ex talibus principiis compositum est minùs durabile, quàm aliud.

Secundùm quod ostensum est suprà in Mixtione ipsorum E. S., possunt intelligi principia in mixtione ipsius E. T. V. Y.; & per hoc, quod exemplificavimus de principio ipsius E., in K. O. P. potes intelligere principium ipsius K. in O. P., & ipsius O. in P., & è converso; nam hæc omnia principia artem & regulam suprà dictorum principiorum sequuntur.

Dictum est de principiis quarti, tertii, secundi & primi gradûs; ex quibus dictis possunt cognosci principia omnium Triangulorum, Quadranguli & Florum secundæ Branchæ Arboris sequendo conditiones Arboris.

CAPUT VII.

De Medio.

De E.

SEcundùm cursum naturalem materia simplex ignîs & materia simplex terræ est medium compositioni A. B. existentium in ipso E.; & ideo miscente se materiâ igneâ & terrestri ignis debet esse in qualitate calidâ & siccâ; cui qualitati nec C. D. nec ipsorum

ipsorum materia medium existit; quia A. & D. contrariantur, & B. C. similiter: unde, si C. D. essent medium conjunctionis ipsorum A. B., sequeretur, quòd contrarium esset causa & principium sui contrarii; hoc autem est impossibile, & contra cursum naturæ, ac etiam contra conditiones Quadranguli & Triangulorum.

Illud verò, quod est proportio & medium conjunctioni ipsorum A. C. in E., est materia ignea & materia aërea, quæ propter convenientiam ipsorum A. C. simul conveniunt: & ideo C. debet esse de qualitate humidâ & calidâ; contra quam proportionem & medium sunt proportio & medium, quæ sunt inter B. & D.

Medium autem, quo mediante inter C. D. in E. existit proportio, est simplex materia aërea & aquea, quæ miscentur per concordantiam ipsorum C. D.; & propter hoc D. debet esse de complexione frigidâ & humidâ; cui complexioni concordantia ipsorum A. B. contrariatur: medium verò ipsorum D. B. in E. sunt duæ materiæ scilicet terrestris & aquea, quæ per concordantiam ipsorum D. B. miscentur; ex qua mixtione ipsum B. de complexione frigidâ & siccâ efficitur.

Secundùm quod invenimus suprà dicta media, sic manifestatur secretum ordinalis materiæ, quæ est potentia ad essendum subjecta suprà dictis mediis: quæ ordinalis materia compositè subjecta est mediis existentibus simul in ipsa; quæ media sunt per qualitates distincta, id est, per media & complexiones concordantes & contrarias; & ex omnibus simul componitur E., in quo componuntur & concordant media & qualitates suprà dictæ.

Ordinalis [prima] materia est potentia materiæ ipsius A. & materiæ ipsius B. & materiæ ipsius C. & ipsius D.; & est divisa, in quantum est generalis & universalis; & subjecta ipsorum A. B. C. D. sunt particularia & specialia, & sunt universalia & generalia particularia individuis specierum naturalium conservatarum in suis individuis generabilibus & corruptibilibus: ex quo tibi revelatur, quomodo *quatuor elementa sunt media inter ordinalem* [primam] *materiam & individua specierum.*

De Mixtione E. F.

QUando fit Mixtio ex E. F. in aliqua Decoctione, vel in aliquo Electuario, tunc materia subjecta ipsi A. existenti in E. & materia subjecta ipsi A. existenti in F. conjunguntur & miscentur, antequam alia media; & illud ideo, quia quartus & tertius gradus sunt majoris quantitatis in illa Decoctione, quàm secundus & primus gradus: & quia forma ipsorum A. B. est antè, & habet majorem materiam in E. F., quàm forma ipsorum C. D., idcirco minor forma est passiva sub majori forma, & à majori forma judicatur & denominatur qualitas, per hoc, quia est magìs propinqua agenti & causæ finali, quàm minor forma; & ipsa minor est magìs propinqua ad non esse vel ad privationem & defectum, quàm major forma.

Secundùm istud principium potes cognoscere medium in principiis ipsorum E. G. H.; & per cognitionem, quæ habetur de mediis in speciebus ipsius A., potes habere cognitionem de naturali operatione, cujus medicinalis operatio est instrumentum; si tamen Medicus suprà dictas conditiones Arboris sciat sequi.

De Mixtione E. K.

QUando fit aliqua Decoctio de E. K., materia subjecta quarto gradui ipsius E. & secundo ipsius K. est ibi medium & subjectum; nam A. B. in ipsis E. K. cum majoritate concordant: & illud idem sequitur de materia subjecta quarto gradui ipsius K. & tertio gradui ipsius E.; ideóque antè componuntur A. B. in E. K., quàm A. C., & quàm C. D., & quàm B. D.; & sub forma ipsorum A. B. sunt suprà dictæ formæ, scilicet A. C., C. D. & D. B.

Secundùm quod exemplificatum est medium ipsorum E. K., per suprà dictum medium exemplificari potest medium ipsorum E. L. M. N.; & per medium cognitum inter A. B. potes cognoscere morbos & eorum curam & incurabilitatem, sequendo conditiones Arboris; nam si operaris contra ipsas conditiones, tota ista Ars erit tibi contraria; propter quam contrarietatem tu es contrarius *Arti Medicinæ & naturæ* [*naturali Philosophiæ*], *cujus Medicina est filia.*

De Mixtione E. O.

IN Triangulo Rubeo sunt *tres species medii* scilicet *conjunctionis, mensurationis, extremitatum*, secundùm quod continetur in *Arte Compendiosa inveniendi veritatem:* in hac verò Arte maximè *primam speciem*, h. e., *medium conjunctionis* accipimus, ut sit inter duas res diversas

diversas conjunctio. Unde sicut exemplificavimus, quòd prima materia est medium qualitatibus, quæ conveniunt, quando duæ qualitates in una herba vel medicina simplici dominantur, ita concordantia qualitatum est medium, ut materiæ diversæ in simplicitate conjungantur in essendo una materia composita per concordantiam qualitatum; & hoc potes intelligere in ipsis E. O. P. Q. R. per similem modum exemplificationis, quem intellexisti in E. F. G. H. K.

De Mixtione E. S.

SI conjungis & misces E. S., qualitates, quæ sunt contrariæ in quarto gradu, in contrarietate æquales manent; sed illa qualitas, quæ est in E. in tertio gradu, concordat cum illa, quæ est in S. in secundo gradu; & illa qualitas, quæ est in tertio de S., concordat cum illa, quæ est in secundo de E.; & illa, quæ est in quarto de E., cum illa, quæ est in primo de S.; & similiter qualitas existens in quarto de S. cum qualitate existente in primo de E.: & illud idem sequitur de contrarietate, quæ est inter B. D. E. & C. D. S.; ideóque factum est unum medium conveniens meliùs cum temperamento & in esse in medio duorum extremorum contrariorum & duorum concordantium, quàm omne aliud medium factum de A. B., vel de D. B., vel de A. C., vel de C. D.: & hoc idem sequitur de K. O. Unde hæc *secunda species* medii assimilatur temperamento & puncto æqualiter distanti à duobus extremis, & virtuti in medio duorum vitiorum æqualiter existenti. Unde, cùm hoc ita sit, sequendo prædictas conditiones Arboris poteris habere cognitionem medii in suprà dicta specie, & poteris conservare sanitatem in illa specie, & morbum mortificare, si scias prædictum medium deducere de potentia in actum.

Si autem misces E. T., vel E. V., seu E. Y., tunc A. magìs & meliùs erit medium inter unum extremum & alterum, quàm quando ipsum A. est medium inter duo extrema in Mixtione factâ ex E. S.; & hoc est ideo, quia A. tunc habebit majorem igneitatem & majus B., quàm habeat, quando miscetur S. cum E.: & illud idem sequitur de Mixtione factâ ex K. O. Unde hæc species medii est *tertia species*, quæ continetur *in Arte Compendiosa inveniendi veritatem*, quæ convenit lineæ & continuationi febris, vel alterius morbi. Unde hanc speciem medii potes multiplicare, vel diminuere, si scis conjungere & dividere Flores Arboris secundùm suas conditiones.

Ita etiam hæc species medii extremitatum per totum spatium inclusi inter unam extremitatem & aliam cum Decoctione & cum morbo convenit, sicut convenit virtus & substantia Decoctionis, quando ipsa penetrans pervenit ad locum, in quo continetur infirmitas; sicut aër illuminatus existens inter spatium oculorum & objecti est causa, ut oculi possint videre objectum. *Unde, si tu scis bene istam Artem, poteris secundùm proportionem Florum Arboris tam fortiter ordinare medium, quòd virtus & materia Decoctionis in majori quantitate possit penetrare ad loca, in quibus continetur infirmitas;* & hoc tibi in tractatu hujus Libri plenariè significatur & declaratur.

CAPUT VIII.

De Fine.

De E.

SEcundùm quod *in Arte Compendiosa inveniendi veritatem* demonstravimus, finis habet *tres species*, scilicet *privationem, terminationem & causam finalem:* in hac autem Arte maximè *de causa finali* tractamus: & ideo dicimus, quòd in E. quartus gradus secundùm finalem causam existit, & tertius & secundus & primus sunt in ipso E. secundùm materiam; secundùm autem comparationem ipsorum tertii, secundi & primi ipsum B. existens in E. se habet ad formam, & C. D. se habent ad materiam; & hoc, quia in una specie aliqui gradus aliis majores & nobiliores existunt: per hoc enim, quòd in E. ignis magis, quàm alia elementa, ad causam finalem se habet, revelatur intellectui humano *naturale agens*, id est, *punctum simplex*, de quo *in quinta & sexta Distinctione* loquemur; quod punctum in E. movet per generationem formam de potentia in actum, & per corruptionem movet ipsam formam de actu ad privationem: quod agens naturale est ignis habens appetitum naturalem, ut sua simplex materia & sua simplex forma habeant simplicem conjunctionem & simplex corpus absque compositione alicujus alterius elementi: & quia ignis est magis prope illud, ad quod movetur, in E., quàm in F. G. H. K. L. M. N. O. P. Q. R. S. T. V. Y., ideirco magis appetit stare sub specie E., quàm sub aliis speciebus significatis per suprà dictas literas: & ideo B. C. D. moventur per A. ad causam fina-

finalem, quam ignis inquirit; ignis verò movetur per influentiam corporum cœlestium, quæ moventur secundùm finalem rationem, quam materia universalis & forma universalis appetunt, quæ sunt exemplar materiis & formis particularibus, causa conservandi species in eorum individuis, secundùm quod probatur in *principiis naturalibus*, h. e., Principiis Philosophiæ.

Per rationem naturalem potest intelligi, quòd ignis in sua Sphæra simplici non est agens; ideóque causâ inquirendi suam perfectionem ad alias Sphæras descendit: & cùm ejus simplicitas meliùs conveniat cum B., quàm cum C. D., ideo recipit priùs à terra ipsum B., quàm âb aëre C., & priùs, quàm sit contra D.; & propter hoc retinet ex terra B. in tertio gradu in E., & C. in secundo, & D. in primo; & etiam ipsa B. C. D. ad suam intentionem & naturam convertit propter magnum dominium, quod A. habet in ipso E. Unde, cùm hoc ita sit, per suprà dictum exemplum demonstratur, quòd A. est priùs intentione in E., quàm sit B. C. D.; & priùs est ipsum A. in suo simplici puncto, quàm B. in E.; & postea priùs capit B., quàm C., & priùs C., quàm D.; & ideo ignis plùs in E. retinet de se ipso, quàm de B. C. D., & plùs de B., quàm de C., & plùs de C., quàm de D.

Secundùm quod suprà dictum est, significatur Medico intentio & ratio finalis ipsorum A. B. C. D.; ex quo potest Medicus, si facit aliquam Decoctionem, in qua ponat E., considerare, ad quam finalem intentionem dirigitur in E. quartus, tertius, secundus & primus gradus; quo intellecto & cognito potest Medicus dirigere suam intentionem, ad sanitatem secundùm dispositionem morbi & Decoctionis, in qua ponit E.

De Mixtione E.F.G.H.

SI fiat Mixtio de E. F. G. H., tunc secundùm cursum naturalem A. existens in E. erit finalis intentio ipsius compositionis; & hoc idem sequitur, si fiat Mixtio ex E. F. tantùm, vel E. G., seu ex E. H.: & si fiat Decoctio sive Mixtio ex F. G. H. absque E., tunc A. erit finalis intentio in F.: & illud idem sequeretur, si fieret Mixtio ex F. H. Unde, cùm hoc ita sit, sequitur, quòd Medicus potest per talem demonstrationem cognoscere, ad quam intentionem species in Decoctione dirigantur secundùm qualitatem graduum, in quibus existunt.

De Mixtione E.K.

SI verò fiat Mixtio ex E. K., tunc sunt in illa mixtione duæ principales finales intentiones; nam gradus, qui fortiùs conveniunt cum A., conveniunt ad multiplicandum A., & gradus, qui fortiùs conveniunt cum B., multiplicabunt B. Unde, si morbus sit maximè compositus ex C. D., oportet administrari patienti aliquod Electuarium, quod sit de complexione ipsorum A. B., ut A. C. simul conjungantur, & B. D. similiter; per quam conjunctionem incipit morbus declinare, dividendo se in plures species, in quibus natura habebit majorem deliberationem ad conservandam sanitatem, quàm habebat in una sola specie vel duabus tantùm; & secundùm quod morbus fortiùs inclinabit versùs A. C., vel versùs B. D., subsidio confectionis medicinalis debet Medicus succurrere alteri parti, ejus qualitates multiplicando, ad hoc, ut per contrariam qualitatem mortificet morbum in partibus, in quibus erit magis abundans.

Secundùm suprà dictum exemplum potes cognoscere, quomodo se habet finalis intentio in Mixtione ipsorum E. L. M. N., vel ipsorum L. M. N., vel ipsorum M. N.; *nam unum principium est demonstratio & doctrina aliorum.*

De Mixtione E.O.

INtellectis & scitis suprà dictis rationibus in Mixtione E. K. potes cognoscere finalem intentionem, quæ est inter E. O., quando ex eis fit aliqua Decoctio; ideo aliud exemplum assignari non oportet; nam de eis sequitur eadem demonstratio, quæ sequitur de E. K., salvo eo, quòd A. se habet uno modo cum B., alio verò modo cum C.

De Mixtione E.S.

QUoniam E. S. ad invicem contrariantur, si miscentur in aliqua Decoctione, in ea existent duæ æquales finales intentiones ad invicem contrariæ. Unde, si tu Medice vis habere cognitionem morbi, utrùm sit propter abundantiam A., seu propter abundantiam D., facias aliquam Confectionem solùm compositam de E. S., vel accipias de speciebus, quæ sunt sub E. S., quæ non sunt ita excellentes in gradu; quibus administratis cognoscere poteris morbum, utrùm sit ex dominio E., vel ex dominio S.; & si per E. S. non potes hoc cognoscere, fac Confectionem de E. L., vel de S. F., & sic de aliis; & quia intentiones istorum sunt contrariæ, necessariò convenit, quòd morbus se habeat ad unam intentionem, & sanitas & natura ad aliam.

De Mixtione E.O.S.

SI verò simul misces E. O. S., tunc O. finalem intentionem ipsorum E. S. ad suam formam convertet, & tenebit ita sub se ipsa E. S., sicut una complexio vel qualitas existens in quarto gradu sub se tenet tertium, secundum & primum gradum; & illud ideo, quia E. S. sunt contraria, & O. cum ipsis E. S. habet concordantiam, propter quam ipsum O. habet majorem virtutem & operationem in Decoctione, quàm E. S.

Diximus de fine & de aliis angulis Trianguli rubei; & per hoc, quod de eis dictum & declaratum est, possunt multa principia intelligi, quæ aliis principiis possunt esse principia, ac etiam multa bona notabilia, secundùm quod exemplificabimus breviter in sequenti Paragrapho.

Secundùm rationem naturalem ignis est priùs in se ipso, quàm in alio, ac est major in se ipso, quàm in alio; & hoc idem sequitur de aliis elementis: & ideo ignis priùs incipit habere intentionem & appetitum sibi ipsi, quàm alteri; propter quod in principio compositionis E. est ignis in uno puncto simplici; postmodum se adjungit terræ, ex ea recipiens B., quo recepto est in duobus punctis, quæ faciunt lineam; & postea se adjungit aëri, cui præbet A., & tunc est linea cum latitudine, in qua est superficies; postea verò descendit ad aquam mortificans D. in B., quod ipse ignis recipit, ac etiam mortificans ipsum D. cum A., quod ipse dat aëri, qui postea dat C. calefactum ipsi aquæ; & tunc est corpus ipsius E. compositum & completum; in quo E. illud punctum simplex, de quo *in quinta & sexta Distinctione* loquemur, est in septem partes divisum. Unde, cùm hoc ita sit, sequitur, quòd per istud principium potes cognoscere alia principia, quæ cum ipso conveniunt.

De Principio non potest homo venire sinè medio ad finem; & propter hoc A. non potest transire ad destruendum suum contrarium sinè medio, quod est B. C.: *per quod significatur, quòd tu, qui incipis hanc Artem addiscere, non potes destruere ignorantiam hujus Artis, quam habes, sinè medio; quod medium sunt conditiones suprà dictæ Arboris, per quas tuus intellectus transire debet, si vis venire ad finem sciendi hanc Artem; quæ Ars est speculum Medicinæ.*

Sicut A. est in majori gradu in E., quàm in F., & in F., quàm in G., & in G., quàm in H., ita Cholera est major & calidior in uno homine cholerico, quàm in alio cholerico. Unde, si Cholera est in te naturaliter in tertio gradu, & tu vis eam reducere ad secundum gradum, vel ad primum, manifestum est, quòd facias contra principium tuæ complexionis & contra finalem intentionem ejusdem; quia natura longè meliùs convenit cum principio & cum finali intentione, quàm cum medio, per quod intendis tertium gradum naturalem ad gradum secundum accidentalem reducere: idcirco manifestè facis contra tuam sanitatem & contra suprà dictas conditiones Arboris. Unde præcipit & consulit ista Ars, quòd intelligas tuam qualitatem & naturalem complexionem in suo gradu, & habeas proportionatum medicinale medium ad conservandum illud, ad quod te causa finalis movet.

Si famem & sitim sustines, natura priùs incipit & conatur destruere suum contrarium, quàm suum simile: ideo, si amas tuam sanitatem, aliquoties habeas famem & sitim, ut natura habeat tempus & opportunitatem destruendi suum contrarium ex superfluitate cibi & potûs generatum. Unde, si es infirmus ex nimia repletione, antequam possis finem & perfectionem sanitatis attingere, oportet te transire per medium, scilicet per abstinentiam & temperantiam.

Secundùm quod quatuor tempora sunt diversa in Anno, ipsa A. B. C. D. habent principia in E. F. G. H. K. L. M. N. O. P. Q. R. S. T. V. Y.; & propter hoc oportet, quòd des Triangulo rubeo in quolibet Anni tempore illud, quod convenit cum principio, medio & fine dictarum literarum; & oportet, quòd tempore æstivo comedas aliqua calida & sicca, & aliquoties calorem sustineas, secundùm quod convenit ad fortificandum A.; & idem sequitur de aliis literis & de tempore, cum quo ipsæ conveniunt.

Multa alia principia & bona notabilia possemus dicere, secundùm quod per Triangulum ex principio, medio & fine compositum ista Ars demonstrat; sed quia debemus tractare de aliis, ideo terminamus præsentem Distinctionem, & incipimus tertiam Distinctionem.

DISTINCTIO III.

De

Mixtione Graduum ſecundùm Triangulum Viridem.

CAPUT IX.

De Differentia.

De E.

CUm hæc tertia Diſtinctio, ût ſuperiùs dictum eſt, ſit de Triangulo viridi, qui compoſitus eſt ex differentia, concordantia & contrarietate, oportet nos per ſe de qualibet iſtarum tractare. Incipiamus ergo à differentia explicando de E.

Cùm in E. ſint quatuor literæ, ſcilicet A. B. C. D., & A. ſit in quarto gradu, B. in tertio, C. in ſecundo, D. in primo, & cùm materia ſubjecta ipſi A. ſit diverſa à materia ipſorum B. C., & materia ipſius C. ſit diverſa à materia ipſorum A. D., & materia ipſius D. ſit diverſa à materia ipſorum C. B., & materia ipſius B. ſit diverſa à materia ipſorum A. D., ex hoc demonſtratur differentia in E. exiſtens; per quam demonſtrationem potes tu Medice habere cognitionem de operationibus ipſorum A. B. C. D. in E.; per quam cognitionem potes ipſum E. cum prædictis conditionibus Arboris concordare.

De Mixtione E. F.

SI tu Medice miſces E. F. in aliqua Confectione, cognoſcere debes, in quo virtutes ipſorum E. F. differunt; & poſtea debes ipſas virtutes concordare cum differentia, quæ eſt in eorum gradibus; propter quam differentiam & propter majoritatem ipſius E. contingit, quòd A. ipſius E. movet A. ipſius F. ad virtutem & proprietatem ipſius E.; & ideo A. ipſius E. differt ab A. ipſius F. ſecundùm reſpectum actionis & paſſionis, ac materiæ & cauſæ finalis; ad quam materiam ſe habet A. ipſius F.; ad cauſam finalem verò ſe habet A. ipſius E.; & hoc idem ſequitur de B. D.

Per ſuprà dictum Aphorismum & naturale medicinale principium potes cognoſcere differentiam, ad quam E. G. H. ſe habent: & hoc ipſum ſequitur de F. G. H. Unde, ſi F. eſſet in majori abundantia ad multiplicandam virtutem & proprietatem ipſius E., loco ipſius F. poni debet G., vel H.: ſi autem contingat, quòd F. non ſufficiat ad ſerviendum ipſi E., adhuc addere debes cum illis G., vel H.; & ſi per E. F. nimis diverſificares curam ab illa qualitate, per quam vis curare infirmum, tunc loco E. ponas F., & loco F. ponas G., vel H.

De Mixtione E. K.

TU ſcis, quòd differentia eſt inter A. B. C. D., quæ ſunt in E., & B. D. A. C., quæ exiſtunt in K.; nam ſub A. ipſius E. ſubſiſtunt B. C. D., ſub B. verò ipſius K. ſubſiſtunt D. A. C. Unde, ſi ex ipſis E. K. ſolis facis aliquam medicinam, tunc E. ad unam curam ſe habet, & K. ſe habet ad aliam; & cùm cura ad unum finem tantùm ſe debeat habere, debes juvare ipſum E., vel ipſum K. cum alia medicina, vel herba, quæ meliùs conveniat cum E., vel cum K., ut K. ſub ſe contineat ipſum E., vel E. ipſum K., ſecundùm quod uni ſoli fini convenit: nam ſicut morbus ſe habet ad unum finem, ita convenit, quòd cura ſe habeat ad unam rationem finalem fini morbi contrariam.

Secundùm quod inter E. H. ſignificavimus differentiam, potes cognoſcere illam differentiam, quam formamus per conjunctionem ipſorum E. L. M. N., vel per mixtionem ipſorum K. F. G. H. Unde, ſi ſuprà dictam differentiam ſcis cognoſcere, & ſequeris ſuprà dictas conditiones Arboris, poteris ita dirigere operationem ipſorum E. F. G. H. K. L. M. N., ad quam finalem rationem volueris; ſicut potes gyrare equum bene frenatum, ad quam partem volueris.

De Mixtione E. O.

SEcundùm Exemplum ipſorum E. K. potes cognoſcere differentiam, quæ eſt inter E. & O.: & debes ſcire, quòd E. ſe habeat cum K. ſecundùm unum modum, cum O. verò ſecundùm alterum; nam K. & O. ad invicem contrariantur; propter quam contrarietatem E. ſe habet ad unam finalem rationem, ſi miſceatur cum K.; ad aliam verò ſe habet, ſi miſceatur cum O. Unde, ſi E. K. O. ſimul miſces, oportet, quòd addas F. ipſi E., ad hoc, ut ipſum E. ſuâ fortitudine augmentatum poſſit gyrare & convertere K. O. ad ſuam intentionem; & convenit, quòd cum L. mortifices O., vel cum P. mortifices K.

De Mixtione E. S.

E. S. ſunt contraria & diverſa ad invicem: contraria ſunt propter A. D., diverſa verò propter B. C.; nam in quantum E. ſe habet per unum modum cum B., & per alium cum C., & D. ſe habet cum B. C. per modum contrarium modo ipſius A., ſunt E. S. contraria & diverſa: contraria enim ſunt per modum calefaciendi & infrigidandi; diverſa autem per modum dandi & recipiendi. Unde propter hoc E., in quantum eſt diverſum ab ipſo S., habet intentionem ad unum finem diverſum ab intentione ipſius S.: in quantum verò E. S. contrariantur, finis unius eſt contrarius fini alterius. Unde, ſi miſces E. S. tantùm, de duabus finalibus intentionibus diverſis & contrariis reſiſtentiam generabis, uno fine impediente alium per attemperatam quantitatem ipſorum E. S. Unde, ſi vis, quòd E. S. convertantur ad unum finem tantùm, oportet dare F. ipſi E., vel T. ipſi S., ut una operatio ſe habeat per modum actionis, & altera per modum paſſionis.

Per prædictum Exemplum cognoſcere potes, in quo differt E. ab ipſis T. V. Y., & in quo differt S. ab F. G. H.; *cùm unum principium ſit demonſtratio aliorum.* Unde, ſicut per E. differentiam demonſtravimus in K. O. S., ita potes demonſtrare per K. in ipſis E. O. S., vel per O. in E. K. S., vel per S. in E. K. O.

A. non calefacit D., ſed calefacit materiam primam ipſius D. in aqua exiſtente in olla poſita ſuper ignem: & per hoc potes cognoſcere differentiam, quæ eſt inter D. & materiam ipſi ſubjectam; quæ materia eſt potentia ad recipiendum formam ipſius A., & ad retinendum in ſe potentialiter ipſum D.; & hoc idem ſequitur de B. C.: *& per iſtam cognitionem potes invenire ſecreta naturalia, ſub quibus materia prima abſconditur intellectui humano & ſenſuali potentiæ.* Per prædicta verò ſecreta potes cognoſcere differentiam, quæ eſt inter formam ſubſtantialem & accidentalem; quæ forma ſubſtantialis eſt D. in ſua propria materia; forma verò accidentalis eſt A. in materia appropriata ipſi D. mediante materiâ ipſorum B. C.

Per hoc potes cognoſcere differentiam *cum medio* & *ſinè medio*: *ſinè medio* enim eſt differentia, quæ eſt inter D. & ſuam materiam; *cum medio* autem eſt, quando materia ipſius D. eſt ipſi A. ſubjecta per accidens. Unde per iſtam cognitionem, quam habes de differentia exiſtente cum medio & ſinè medio, tibi revelatur differentia, quæ eſt inter primam materiam & ſecundam, & inter primam formam & ſecundam; nam prima materia eſt ſubjectum ipſius D. ſinè medio, & ſubjectum & ipſum D. ſunt prima & ſimplex materia & ſimplex forma aquæ; ſecunda verò materia & forma ſunt ſubjectum ipſius D., quod recipit compoſitè formam ipſius A., cui formæ ſubjicitur: & illud idem ſequitur de B. C. & de eorum ſubjectis.

Differentia eſt inter conjunctionem ipſius A. & ſuæ ſimplicis materiæ, ad quam ipſum A. movetur, ac inter conjunctionem, ſuper quam A. B. C. D. ſimul moventur; nam conjunctio ſimplex & prima eſt conjunctio primæ materiæ ſimplicis cum prima ſimplici qualitate, causâ eſſendi corpus ſimplex abſque ulla compoſitione: compoſitio autem, ſuper quam moventur A. B. C. D., eſt conjunctio, quæ conjungit ſecundam materiam compoſitam & ſecundam formam compoſitam, in quibus ſunt compoſita quatuor elementa; & iſtud corpus eſt elementatum & generabile & corruptibile; *in quo corpore quatuor elementa ita moventur ſenſualiter, ſicut movetur intellectus intellectualiter ſuper ſpecie, quando illius particularia recipit pro objecto.*

Secundùm hoc, quod ſuprà diximus, revelatam habes materiam primam, quæ eſt potentia & ſubjectum materiæ ipſorum A. B. C. D., & eſt generale ſubjectum & materia, de qua per differentiam & concordantiam ipſorum A. B. C. D. formantur partes in ſpeciali, quæ ſunt quatuor elementa, ex quibus fiunt partes, quæ ſunt individua ſpecierum, *quod in Capite ſeptimo ſignificavimus, & in Diſtinctione de Metaphora intendimus declarare.*

Si bonus Naturalis & bonus Medicus eſſe deſideras, ſecundùm quod ſuprà dictum eſt, oportet te de differentia perfectam cognitionem habere, quâ habitâ neceſſarium eſt, quòd per Flores ſuprà dictæ Arboris diſcurras; ex quo diſcurſu poteris habere cognitionem de multis principiis, in quibus tibi revelabitur differentia artificialiter, ſecundùm quod ipſa revelata eſt per artem

ſuperiùs dictam; de qua revelatione multa principia dicere poſſem, ſi tantum occupatus non eſſem in inveſtigando ſecreta aliorum principiorum.

CAPUT X.

De Concordantia.

De E.

CONcordantia naturalis conſiſtit in E. inter A. B., inter A. C., & inter C. D., & inter D. B.; & ideo ſequitur, in E. eſſe concordantiam quarti, tertii, ſecundi & primi gradùs: in ſimplici enim materia ipſius A. ſe habet B. ad calidam materiam deſiccandam; & ideo A. B. tam fortiter concordant, quòd ignis complexionis calidæ & ſiccæ efficitur; & A. ſe habet ad calefaciendam materiam ſimplicem ipſius C.; propter quod aër complexionis humidæ & calidæ efficitur; C. verò ſe habet ad dandam humiditatem ſimplici materiæ aquæ; ex quo aqua complexionis frigidæ & humidæ efficitur; D. autem ſe habet ad frigefaciendam ſimplicem materiam terræ; & ideo terra eſt complexionis ſiccæ & frigidæ. Unde, cùm hoc ita ſit, ſequitur, quòd, ſecundùm quod prima litera meliùs ſe habet ad materiam aliarum, major concordantia exiſtit inter primam literam, quàm inter alias, & inter primam materiam, quàm inter alias. Ex quo tu Medice potes cognoſcere, per quam concordantiam majorem vel minorem eſt morbus curabilis; & potes etiam cognoſcere, quòd ſub A. duæ materiæ exiſtunt; una enim eſt materia ſimplex, quæ cum ipſo A. eſſentialiter convenit; alia verò eſt materia, quæ cum A. convenit accidentaliter, ipſa recipiente qualitatem ab illo. Unde cùm hoc ita ſit, potes per iſtam Artem de materia prima & de ſecunda cognitionem habere.

De Mixtione E. F.

SI facis Mixtionem de E. F., tunc quartus gradus ipſius E. concordat cum tertio gradu ipſius F., & tertius gradus ipſius E. concordat cum ſecundo gradu ipſius F., & ſecundus ipſius E. cum primo ipſius F., & primus ipſius E. concordat cum aliqua parte ipſius D. exiſtente in F.; quæ pars non eſt ſufficiens in F. ad eſſendum in gradu. Unde, cùm hoc ita ſit, ſequitur, quòd ex hoc potes habere cognitionem de duabus ſpeciebus concordantiæ, quarum prima eſt antè in E. F., quàm altera; nam antè concordat quartus & tertius gradus ipſius A. in E. F., quàm quartus ipſius A., & ſecundus ipſius B.; & illud idem ſequitur de aliis gradibus: idcirco demonſtrantur *duæ ſpecies concordantiæ*, quarum prima alteram antecedit. Unde per cognitionem, quam habes de his duabus ſpeciebus concordantiæ, potes cognoſcere, quæ virtus priùs contra morbum exiſtit, ac etiam, quæ virtus priùs & meliùs cum natura & cum ſanitate concordat.

Per Exemplum, quod de concordantia dedimus in E. F., potes cognoſcere concordantiam inter E. G. H., vel inter F. G. H., vel inter G. H.; & potes cognoſcere, ſi facis Mixtionem de E. F. G. H., quòd antè concordant E. F., quàm E. G. H., & antè F. G., quàm G. H.; hoc autem eſt ratione majoris concordantiæ, quæ antè convenit cum eſſe, quàm minor concordantia; minor verò antè convenit & concordat cum privatione, quàm major.

De Mixtione E. K.

SI facis Mixtionem de E. K., tunc illud, quod E. continet de K., convenit cum eo, quod K. continet de ſe ipſo; & illud, quod K. continet de E., concordat cum hoc, quod E. continet de ſe ipſo; quæ concordantia fiet ſimul ac in eodem tempore: poſtea verò facies concordantiam de hoc, quod eſt de C. D. in E. K.; & propter duas ſpecies concordantiæ formabuntur duo fines & duæ curæ diverſæ; nam E. appetitum habebit ad unam curam, K. verò ad alteram: ſed quia eſt ſæpe neceſſaria una iſtarum curarum, anteqùam alia, ideo debes concordare aliquam aliam ſpeciem cum E., vel cum K., ut E. moveat ipſum K. ad ſuum appetitum, vel K. moveat ipſum E. ad ſuum appetitum; quem motum facit E. de K., ſi ipſi E. addas F.; vel ipſum motum facit K. de E., ſi ipſi K. addas L.

Per ſuprà dictum Exemplum potes cognoſcere concordantiam, quam formamus de E. L. M. N., vel de K. F. G. H.

De Mixtione E. O.

SEcundùm Exemplum, quod dedimus de concordantia, quæ eſt inter E. K., potes habere cognitionem de concordantia, quæ eſt inter E. O.; & etiam per ipſum potes habere cognitionem de differentia, quæ eſt inter concordantiam ipſorum E. K., & concordantiam ipſorum E. O.: nam E. convenit cum K. per modum paſſionis, & K. cum E. per modum actionis; O. verò convenit cum E. per modum paſſionis, & E. cum O. per modum actionis. Unde per hanc concordantiam potes habere cognitionem de concordantia, quæ eſt inter K. S., & inter S. O., quæ conveniunt & concordant per ſimilem modum concordantiæ ſuperiùs dictæ inter E. K., & inter E. O.

De Mixtione E S.

MAnifeſtum eſt & certum, quòd E. S. contrariantur ad invicem; veruntamen neceſſariò oportet, quòd in aliquo conveniant & concordent; nam ſi iſtud non eſſet, impoſſibile eſſet, quòd in E. eſſet D., nec in S. eſſet A.: ſed quia convenit, in E. eſſe D., & in S. eſſe A., idcirco manifeſtum eſt, quòd E. S. conveniunt & concordant in aliquo, quod eſt medium inter A. D.; nam ſi ſinè medio concordarent, impoſſibile eſſet, A. D. eſſe contraria: medium verò, quo mediante ipſa concordant, ſunt B. C.: in quantum enim materia ipſius A. ſe habet ad recipiendum B., & materia ipſius B. ſe habet ad recipiendum D., & materia ipſius C. ſe habet ad recipiendum A., & materia ipſius D. ſe habet ad recipiendum C., formatur ex B. C. medium concordantiæ exiſtentis inter E. S.; quæ concordantia exiſtit materia contrarietati, quæ exiſtit inter E. S.; quæ contrarietas ſe habet ad formam & ad primam intentionem; ipſa verò concordantia ſe habet ad materiam & ad ſecundam intentionem; & hoc idem ſequitur de K. O., & de E. T. V. Y., & de S. F. G. H.

Scis, quare E. S. concordent in Decoctione, quam facis? Ad hoc, ut poſſint contrariari. Unde primò concordant, ut E. poſſit expellere A. à ſubjectione ipſius S., & ut S. poſſit expellere D. à ſubjectione ipſius E.: quando verò E. recuperavit A. ab S., & S. recuperavit D. ab E., E. & S. fortiſſimè contrariantur. Unde, cùm hoc ita ſit, manifeſtatur cura, quæ fit per res concordantes & per contrarias, concordantibus ſe habentibus ad materiam, & contrariantibus ſe habentibus ad formam.

Per Principia ſuprà dicta ſecundùm hanc Artem de concordantiâ demonſtrata potes intelligere multas bonas demonſtrationes & multa bona notabilia de concordantia, ſecundùm quod in aliquibus conſequentibus paragraphis exemplificare volumus.

Veritas eſt, quòd febris continua generatur de phlegmate, quod eſt frigidum & humidum. Unde, ſi velles ipſam febrem curare per contraria ſinè concordantia, adminiſtrares patienti ipſa E. K. contra D. C.: ſed quia per accidens extranei caloris innaturalis & contra naturam non deberes dare ipſa E. K. contra febrem continuam, ne multiplices calorem innaturalem, ideo convenit, quòd adminiſtres patienti cibos & aliquas medicinas ſimiles ipſis C. D.; ut ſint medium, ſuper quo C. D. poſſint naturaliter convenire in calore naturali; propter quam convenientiam calor innaturalis & accidens poteſt deſtrui, transeuntibus cibis & medicinis frigidæ & humidæ complexionis per medium, quod eſt calor innaturalis & extraneus, hoc eſt, febris, quæ eſt mala complexio innaturalis calida & ſicca, habens principium ex humore frigido & humido propter inordinationem ipſorum C. D. Igitur cùm hoc ita ſit, ſequitur, quòd per ſuprà dicta exempla potes cognoſcere, quæ infirmitas debet curari per qualitates ſimiles ejus principio.

Secundùm ſimplices Sphæras elementorum concordat & convenit, Sphæram aëris eſſe poſt Sphæram ignis; Sphæra verò aquæ participat cum Sphæra aëris & cum Sphæra terræ; & ideo ignis eſt ſupremum elementum, & terra infimum: in corpore autem elementato non eſt ita; nam A. B. participant contra diſpoſitionem ſuprà dictæ ordinationis Sphærarum; A. C. verò in corpore elementato participant ſecundùm ordinationem & diſpoſitionem dictarum Sphærarum, & maximè Sphæræ aëris, quæ ſub Sphæra ignis exiſtit: & ideo in corpore elementato loca Sphærarum ſunt mixta per naturalem concordantiam, deſcendente A. ad B., & aſcendente B. ad A., & deſcendente A. ad C., & aſcendente C. ad A., & deſcendente C. ad D., & aſcendente D. ad C., & deſcendente D. ad B., & aſcendente B. ad D.: & quia A. deſcendit in B. C., & B. aſcendit ad A. D., concordant A. B.; cùm A. ſit ſupremum elementum, & B. infimum, & cùm C. D. ſint in medio: propter quam concordantiam ſequitur, quòd A. deſcendit ad D., & D. aſcendit ad A., & C. deſcendit ad B., & B. aſcendit ad C.; nam alio modo non poſſent ipſa elementa concordare, nec etiam contrariari, nec in elementato corpore miſceri.

Unde cùm hoc ſit ita manifeſtatum & declararum ſecundùm gradus ipſorum A. B. C. D. in E. F. G. H. K. L. M. N. O. P. Q. R. S. T. V. Y., idcirco potes tu Medice concordare res medicinales ad mortificandum fumoſi-

tates

tates & removendum humores superfluos & subtiles & grossos in ascendendo & descendendo; si tamen benè sciveris concordare A.B.C.D. in suprà dictis literis existentibus ab E. usque ad Y.; ac etiam potes intelligere ordinationem, secundùm quam in hac Arte ordinavimus participationem ipsorum A.B.C.D., secundùm quod convenit mixtioni quatuor elementorum in corpore elementato.

Per concordantiam tibi significatam de A. B. C. D. in E. F. G. H. K. L. M. N. O. P. Q. R. S. T. V. Y. potes concordare contra infirmitatem Flores primæ Branchæ Arboris, qui sunt *res naturales, innaturales & contra naturam*, cum Quadrangulo & Floribus secundæ Branchæ ipsius Arboris, cum quibus scies concordare conditiones convenientes Floribus Quadranguli ac Floribus ipsarum duarum Brancharum Arboris: si verò talem concordantiam ignoraveris, adibis practicam absque theorica.

A. C. sunt principia conservativa vitæ; & illud ideo, quia ignis generat A. in aëre, & aër generat C. in aqua: & quia aqua generat D. in terra contra A., & terra gĕnerat B. in A. contra C., ideo B. D. sunt contraria vitæ. Idcirco Medice potes concordare superiores Flores Quadranguli cum A. C. in E. F. G. H. K. L. M. N. O. P. Q. R. S. T. V. Y.; & potes etiam in suprà dictis literis concordare inferiores Flores ipsius Quadranguli cum B. D.

Scire autem debes, quomodo differt concordantia in se ipsa secundùm diversas Decoctiones composita ex sequentibus literis vel aliquibus ipsarum, quæ sunt E. F. G. H. K. L. M. N. O. P. Q. R. S. T. V. Y.; quæ differentia tibi significatur in diversâ purgatione causatâ ex commixtione dictarum literarum: quæ diversa purgatio habet plures & diversas species; potest enim fieri aut per decoctionem seu medicinam laxativam, aut per urinam, aut per phlebotomiam, vel per sudorem, vel per vomitum, aut per apostema, aut per evaporationem, aut per febrim, aut per consumptionem malorum & superfluorum humorum factam per digestionem caloris naturalis, vel per emissionem ventositatis, & sic de aliis speciebus purgationis & evacuationis istis similibus.

CAPUT XI.

De Contrarietate.

De E.

SEcundùm quod ostenditur & demonstratur in *Arte Compendiosa inveniendi veritatem & in Figura Prædestinationis*, contrarietas quandoque est sinè medio, quandoque cum medio: contrarietas sinè medio est, quando A.D. in E. contrariantur simpliciter, calefaciente A. simplicem materiam ipsius D., & mortificante D. ipsum A. in simplici materiâ ejusdem A.: contrarietas cum medio est, quando A. calefaciens materiam C., & mortificans B. in frigiditate, quam materia terrestris recipit ex D., contrariatur ipsi D.; D. verò contrariatur ipsi A., in quantum mortificat ipsum A. in materia ipsius C., recipiente materiâ ipsius D. ipsum C., & tribuente se D. materiæ ipsius B. ad destruendum B. in A. Unde, si non esset medium existens inter A.D., tanta esset eorum contrarietas, quòd inter materiam A. & materiam D. nullum temperamentum posset oriri; quæ materiæ cum medio ipsorum B. C. sunt una materia subjecta formæ ipsius E.

Per hoc suprà dictum principium potes habere cognitionem & modum curandi morbum per suum contrarium: nam uno modo A. D. contrariantur per C.; alio verò modo contrariantur per B.; alio autem per semet ipsa: & ideo, si febris est tertiana, quæ ex ipsis A. B. generatur, debes dare infirmo C. D.: sed quia in tertiana A. est majus, quàm B., convenit, quòd des plùs de D. contra A., quàm de C. contra B.

De Mixtione E. F.

SI facis Mixtionem de E. F., tunc A. ipsorum E. F. est contrarium eorum D., & è converso; & hoc idem sequitur de B. C.: sed quia in ipsis E. F. est A. in majori quantitate, quàm D., ideo in mixtione E. F. est A. agens, & D. patiens: hoc idem sequitur de mixtione factâ de E. G. H., seu de F. G. H.

De Mixtione E. K.

IN *præcedenti decimo Capitulo in paragrapho* E. K. declarata & significata est concordantia inter E. K.; per quam concordantiam significatur eorum contrarietas; & hoc idem sequitur de E. L., vel de K. F.

De Mixtione E. K. O.

SI tu misces E. K. O., tunc E. est medium inter contrarietatem, quæ est inter ipsa K. O.: sed quia A. est in O. in tertio gradu, & B. in E. pariter in tertio; & cum actio conveniat cum majori nobilitate, & passio cum minori, idcirco A. se inclinat ad contrariandum ipsi K. & juvandum O. contra ipsum K.: propter quod Electuarium compositum ex E. K. O. inclinat ad generandum A. C. & destruendum B. D.

De Mixtione E. O. K. S.

IN Confectione composita ex E. O. K. S. sunt E. O. contra K. S., & K. S. contra E. O.; quod demonstratur in concordantia, quam habent E O. cum esse, & K. S. cum privatione; quia vita sustentatur per A. C., & mors generatur per K. S. Unde, si in dicta confectione talis contrarietas non existeret, impossibile esset, vitam convenire cum A. C., & mortem cum B. D.

De Mixtione E. K. S.

SI misces E. K. S., sequitur contrarium ejus, quod sequitur in Mixtione ipsorum E. K. O.: & ideo non est necessarium aliud exemplum ponere, nisi quòd sumatur contrarium Paragraphi ipsorum E. K. O.

De Mixtione E. O.

IN Mixtione factâ ex E. O. existit contrarietas inter A. B. C. D.; quæ contrarietas significata est in Paragrapho E. K.: *cùm unus Paragraphus sit demonstratio alterius, & etiam unus Paragraphus sit principium alterius secundùm istam Artem.*

De Mixtione E. S.

COntrarietas existens inter E. S., si illa simul misces, significata est per Paragraphum ipsorum E. S. positum in decimo Capitulo præcedenti; nam secundùm quod E. S. in ipso concordant, potes intelligere, in quo contrariantur.

Secundùm Exemplum datum de contrarietate in E. K. O. S. potes cognoscere contrarietatem, quæ est inter K. O. S., sequendo regulam & artem conditionum Arboris, atque recipiendo significationes declaratas per suprà dictos Paragraphos.

Si tu intellexisti, qualiter in prædictis Paragraphis significata est naturalis contrarietas, quam unum elementum habet contra aliud, intelligere poteris contrarietatem, quæ tibi demonstratur in sequentibus notabilibus.

Scire debes, quòd A. B. C. D. multis modis contrariantur, videlicet per *virtutem*, per *ponderositatem*, per *levitatem*, per *subtilitatem* & per *spissitudinem materiæ*, per *colorem*, per *saporem*, per *odorem*, per *habitum*, & per multas alias qualitates. Unde, si tu istam Artem, & Artem, cujus hæc est filia, perfectè sciveris, scire poteris, in quali materia A. B. C. D. contrariantur in suprà dictis qualitatibus; de quo breviter volumus dare exemplum in Cicere & Argento Vivo.

Cicer & Argentum Vivum judicantur esse de natura ipsius C.; quod C. majus est in argento vivo, quàm in cicere, & B. D. sunt in majori ponderositate in argento vivo, quàm in cicere: & cùm C. B. contrarientur simpliciter, & cùm D. mediatè sit contra C., per hoc, quia D. convenit cum B., & cùm C. sit contra D., in quantum C. concordat cum A., ideo in argento vivo facta est major contrarietas de virtute ad materiam, quàm in cicere; & materia resistit fortiùs cum sua ponderositate & spissitudine virtuti in argento vivo, quàm in cicere: & ideo convenit, quòd C. sit in altiori gradu virtutis in argento vivo, quàm in cicere; si enim ita non esset, virtus non posset resistere maximæ ponderositati aquæ & terræ in ipso argento vivo existentium. Igitur cùm hoc ita sit, per istud exemplum significatur prima seu ordinalis materia subjecta formæ, & tibi revelatur naturale secretum existens inter *materiam & virtutem*; cujus secreti revelatio tibi data est, ut sit principium ad investigandum alia naturalia principia, quæ per istud potes cognoscere.

Item Rosa judicatur habere complexionem frigidam, Cicer verò humidam; veruntamen major ponderositas est in cicere, quàm in rosa; & illud ideo, quia terra habet in cicere plùs de materia, quàm in rosa, & plùs de virtute in rosa, quàm in cicere: aër verò plùs de virtute habet in cicere, quàm in rosa, & plùs de materia in rosa, quàm in cicere. Ex quo manifestatur contrarietas ipsorum B. C. existentium in cicere & in rosa; per quam contrarietatem tibi revelatur elementum simplex & elementum compositum, virtute concordante cum elemento simplici, & virtute contrariante elemento composito; si autem hoc ita non esset, impossibile esset secundùm naturalem cursum, quòd in cicere esset plùs de humiditate & ponderositate, quàm in rosa.

„ Si tu Medice intellexisti suprà dictos „ Paragraphos significantes virtutem & le„ vitatem & ponderositatem in herbis medi„ cinalibus, cum quibus convenit curare in„ firmitates, *scies rectè proportionare virtu„ tem & materiam secundùm quantitatem vir„ tutis & ponderis in Syrupis & in Electuariis &*

„*in Decoctionibus & in Emplastris:* si verò „prædictam contrarietatem ignores, tua „practica casu fortuito incedet.

Scis, quare aqua est calida in hyeme & frigida in æstate? Hoc contingit, quia ignis habet majorem potestatem contra aquam in æstate, quàm in hyeme; aqua verò majorem potestatem contra ignem in hyeme, quàm in æstate: & ideo ignis de aqua longè meliùs in æstate suas partes recuperat, quàm in hyeme; per quam recuperationem aqua est magis propinqua suæ simplicitati in æstate, quàm in hyeme: & ideo quantò magis aqua est propinqua suæ simplicitati, tantò magis est frigida; quantò verò à simplicitate magis remota, tantò magis est calida.

Igitur cùm hoc ita sit, per prædicta exempla potes cognoscere contrarietatem, quæ est revelata secundùm differentiam temporis & loci; & revelatum secretum simplicis elementi ignis habentis suum locum in alto; & secretum simplicis elementi aquæ habentis suum locum inferiùs; cùm aqua sit in hyeme magis calida, quàm in æstate, expellens calorem extra se & ponens illum in sua extremitate, in qua cum aëre participat, hoc est, in superficie aquæ, quam calidam in hyeme sentis; & hoc ideo, quia A. à locis inferioribus fugit, in quibus D. habet majorem potentiam & virtutem, videlicet in corpore ipsius aquæ; D. verò impellit ipsum A. superiùs, ut conveniat cum C., quod convenit cum A.

Per suprà dictum exemplum tibi revelatur, qualiter febris continua, quæ generatur per frigus, est calor innaturalis similis calori aquæ in hyeme, cujus frigus per calorem innaturalem elongat à se A. per medium, hoc est, febrem continuam.

Multa sunt exempla & notabilia, quæ possemus dicere de naturali contrarietate; sed quia de aliis tractare intendimus, idcirco volumus incipere quartam Distinctionem.

DISTINCTIO IV.

De

Mixtione Graduum secundùm Triangulum Croceum.

CAPUT XII.

De Majoritate, Æqualitate & Minoritate.

De E.

CUm ista Ars sit multùm breviter demonstrata, *& quia per majoritatem possumus habere cognitionem de minoritate & æqualitate, & è converso,* idcirco volumus simul dare cognitionem de majoritate, minoritate & æqualitate in E.: & hoc idem de F. G. H. K. L. M. N. O. P. Q. R. S. T. V. Y.

Certum est, quòd in E. est A. in quarto gradu, B. in tertio, C. in secundo, D. in primo; & per hoc est tibi demonstrata majoritas & minoritas in E.; æqualitas autem ipsius E. est, quia terra existens in ipso E. dat tria puncta ipsius B. ipsi igni, qui dat tria puncta ipsius A. ipsi B.; ignis verò dat aëri duo puncta ipsius A., & facit subjecta duo puncta ipsius C. ipsi A.: ignis dat unum punctum ipsius A. contra aquam, & aqua unum ipsius D. contra ignem: & hoc idem sequitur suo modo de F. G. H.

De Mixtione E. F.

SI misces E. F., cognoscere debes, majoritatem fore in E., & minoritatem in F.; cùm in F. sit A. solùm in tertio gradu, B. in secundo, C. in primo: propter quod in F. deficit D. esse sensualiter in gradu; quod D. considerari debet intellectualiter esse minus uno puncto, quàm D. existens in E.: & per hoc revelatur differentia existens inter gradum sensualem in E. & punctum intellectuale ipsius D. in F.

De Mixtione E. G.

IN E. est majus A. duobus gradibus, quàm in G.; similiter B. est majus duobus gradibus in E., quàm in G.; C. verò est minus duobus punctis in G., quàm in E.: & quia in G. deficiunt duo puncta ipsi C., idcirco oportet gradum intellectualem esse minorem gradu sensuali.

De

De Mixtione E. H.

IN E. majus est A. tribus gradibus, quàm in H.; & B. ipsius H. est minus tribus punctis, quàm B. ipsius E.; & C. ipsius H. est minus tribus punctis, quàm C. ipsius E.; & D. ipsius H. est minus tribus punctis, quàm D. ipsius E. Unde A. est in gradu sensuali in H., B. C. D. verò sunt in gradibus intellectualibus; qui gradus intellectuales sunt majores & minores, secundùm quod demonstratum est per suprà dictum numerum.

A. est majus uno puncto in H., quàm B.; & B. est majus alio puncto, quàm C.; & C. est majus altero puncto, quàm D. Unde, cùm hoc ita sit, per hanc majoritatem & minoritatem potes intelligere majoritatem & minoritatem, quæ est inter F. G. H.; & potes etiam intelligere, quomodo D. est minus tribus punctis in H., quàm A.

De Mixtione E. K.

SI misces E. K. in aliquo Electuario, in illo Electuario erit E. majus, quàm K., in uno gradu ipsius C.; & K. erit majus, quàm E., in duobus gradibus ipsius D.: quod demonstratur ex eo, quòd E. continet A. in quarto gradu, B. in tertio, C. in secundo, D. in primo; & K. continet B. in quarto, D. in tertio, A. in secundo, C. in primo. Unde, cùm in ipso Electuario sit A. propter E. in quarto gradu, in K. verò non sit nisi in secundo, ideo majus est E. in A., quàm K., duobus gradibus: sed quia K. habet D. in tertio gradu, & E. non habet ipsum D. nisi in primo, ob hoc sequitur, quòd duo gradus, quos K. habet de D., destruunt illos duos gradus de A. in E., & K. est majus, quàm E., in uno gradu de B.: sed quia E. in se continet de D. unum gradum, ideo E., quantùm ad D., debet esse æquale ipsi K.: quia autem E. continet de B. tres gradus, & K. continet de B. quatuor, K. est majus uno gradu in B., quàm E.: sed quia E. continet duos gradus de C., & K. non continet de C. nisi unum, idcirco unus gradus C. de E. consumitur ab uno gradu B. de K., in quo K. erat majus, quàm E. Unde, cùm hoc ita sit, per hoc inter E. & K. tibi significatur æqualitas.

De Mixtione E. L.

IN E. sunt decem gradus, & in L. non sunt nisi sex; unde E. est majus, quàm L., quatuor gradibus: si autem vis æqualificare L. ipsi E., addas N. ipsi L.; ex qua additione convertetur tertius gradus ipsius L. in quartum, & secundus in tertium, & primus in secundum; & C. non existens sensualiter in gradu ad primum gradum deveniet.

De Mixtione E. M.

E. Est majus, quàm M., septem gradibus sensualibus; M. enim non habet nisi tres gradus sensuales, E. verò decem: unde, si vis facere æqualitatem inter E. M., addas N. Y. ipsis E. M.; sic enim N. convertet tres gradus ipsius M. in sex; Y. verò mortificabit quartum in E., & convertet ipsum in tertium; propter quam conversionem non remanebunt in E. nisi sex gradus: talis autem diminutio & multiplicatio per sensuales & intellectuales gradus efficitur, quando fit Mixtio de E. M. N. Y.

De Mixtione E. N.

CUm E. habeat decem gradus sensuales, N. verò solùm unum, si misces ipsa E. N., & vis N. æqualificare ipsi E., debes adjuvare N. cum L.; & tunc erit ibi æqualitas, secundùm quod in Paragrapho ipsorum E. L. manifestè declaravimus.

Secundùm quod de majoritate, minoritate & æqualitate exemplificatum est in E. L. M. N. Y., potest intelligi de K. F. G. H. R.; est enim idem ordo secundùm Artem, qui est inter ipsa E. L. M. N. Y.: & hoc idem sequitur de F. L. M. N., atque de L. F. G. H.

De Mixtione E. O.

SEcundùm quod de E. K. exemplificatum est de majoritate, minoritate & æqualitate, tibi revelatur majoritas, æqualitas, minoritas in E. O.: & idem similiter sequitur de E. P. Q. R., & etiam de O. F. G. H.: & etiam illud idem sequitur de F. P., de G. Q., & de H. R.

De Mixtione E. S.

SI misces E. S., F. T., G. V., H. Y., vel si misces E. T., sive S. F., & sic de aliis literis, in quibus A. D. existunt in prædominio, idem sequitur in majoritate, minoritate & æqualitate, quod sequitur de A. B. in E. F. G. H. K. L. M. N.: sed quia A. D. sunt contraria ad invicem, & A. B. solùm sunt differentia, idcirco contrarietas majoritatis & minoritatis & æqualitatis longè major existit in E. S., quàm in E. K., ac in E. T., quàm in E. L., & sic de aliis literis: per majorem autem contrarietatem revelatur, majorem con-

cordantiam esse inter A. B. in E. K., quàm inter A. B. in E. S.

De Mixtione K. O.

ILlud, quod sequitur de E. S. in majoritate, minoritate & æqualitate, sequitur etiam de K. O.; & sicut E. se habet ad K., ita K. se habet ad S., & similiter O. ad S. in majoritate, minoritate & æqualitate: & ideo non est necessarium de iis dare aliud exemplum; potest enim intelligi per suprà dicta principia, si illa intellexisti.

Tu intelligis, *quòd de rebus majoribus fieri potest majus temperamentum, vel intemperamentum;* quia majus temperamentum fieri potest de A. B. C. D. in quarto gradu, quàm in tertio, secundo, primo; & etiam majus de tertio, quàm de secundo & primo; & etiam majus de secundo, quàm de primo: & per hoc metaphoricè tibi revelatur, in humana specie majus temperamentum esse per generationem, majus verò intemperamentum per corruptionem; & hoc tibi revelatur ad hoc, ut intelligas, quòd corpus humanum ratione Animæ est magìs nobile cæteris corporibus, & minùs nobile cæteris creaturis ratione culpæ & peccati.

Si tu Medice velis intelligere revelationem Sanctissimæ Trinitatis nostri Domini DEI, intellige, quòd, si illud, quod est major contrarietas inter E. S., quàm inter E. K., foret concordantia, tunc major esset differentia, concordantia & æqualitas inter E. S., quàm inter E. K.: & scis, quare? Quia E. S. sunt magìs diversa & contraria, quàm E. K: sed quia convenit, quòd in DEO sit major concordantia & æqualitas, quàm in creatura, ideo convenit, quòd ipsa concordantia & æqualitas sit de majori differentia divinarum Personarum sinè omni contrarietate.

„ Quando tu Medice vis inquirere majoritatem & minoritatem, & vis æqualificare majoritatem cum minoritate, inclina „ majoritatem ad minoritatem, & minoritatem ad majoritatem eleva tantum, quousque habeas æqualitatem: si verò velis „ destruere æqualitatem, inclina quosdam „ gradus ad alios secundùm artem & modum in Paragraphis præcedentibus tibi „ manifestatum.

Actio convenit cum majoritate, & passio cum minoritate: & quia A. in E. ex B. recipit tres gradus, & A. dat duos ipsi C., formatur inter tertium & secundum gradum æqualitas & temperamentum actionis & passionis; & per hoc totus triangulus croceus tibi significatur: propter quam significationem debes multiplicare gradus qualitatis passivæ sub gradibus qualitatis activæ, ad hoc, ut inter agens & materiam fiat temperamentum de majoritate & minoritate operationis.

„ Si vis multiplicare B., debes multùm „ comedere & parùm bibere; & scis, quare? „ Quia C. generatur bibendo, & B. come„ dendo: & hoc idem sequitur de A. B., & „ de C. D.; nam A. B. meliùs conveniunt „ cum comedere, quàm cum bibere, & C. D. „ cum bibere, quàm cum comedere. Unde, si tu vis cum igne & naturali calore majoritatem consumere, scias uti prædicto principio.

In E. est A. in quarto gradu, actio verò ipsius B. est in tertio, actio verò ipsius C. in secundo: & quia A. in E. uno gradu est magìs altum, quàm illud, quod recipit & dat, ideo ignis est major in semet ipso per unum gradum, quàm in eo, quod à terra recipit; & est major in se ipso per duos gradus, quàm in eo, quod dat aëri; per tres verò gradus est major in se ipso, quàm in eo, cum quo resistit aquæ: quæ suprà dicta majoritas est simplicitas ignìs, in qua ipse se gubernat & sustinet, & de qua procedit superfluitas ipsius A. ad recipiendam & dandam actionem & passionem, secundùm quod suprà diximus.

Per illud, quod in E. tibi significatum est de majoritate in simplicitate ignìs, significatur similiter in K. O. S. simplicitas terræ, aëris & aquæ. Unde per istud principium potes cognoscere, quomodo elementa in speciebus formas diligant · salvando suam simplicitatem. Cùm autem species non existunt proportionatæ ad essendum subjectæ simplicitatibus elementaribus, tunc quodlibet elementum appetit aliam formam in alia materia, ubi possit ejus simplicitas gubernari & conservari, & etiam ubi ipsa elementa possint habere operationem concordando & contrariando unum alteri: & propter hoc ipsa elementa quasdam formas generant, & alias corrumpunt.

DIS-

DISTINCTIO V.

De

Demonstratione Modi, secundùm quem Gradus debent investigari.

CAPUT XIII.

De Modo Investigandi Numerum Graduum.

IN prima Distinctione supponimus, *quatuor gradus* esse in rebus medicinalibus; in hac parte ipsos quatuor gradus probare intendimus per necessarias rationes: postmodum verò ostendemus artem, secundùm quam debent investigari gradus tam in humana specie, quàm in rebus medicinalibus; ad quorum evidentiam oportet nos sumere prius posita principia.

Primò enim accipimus & dicimus, elementa esse quatuor, scilicet ignis, aër, terra, aqua; quod probatione non indiget; nam per antiquos Philosophos sufficienter est probatum. Dictorum autem elementorum ignis est calidus de se, siccitatem verò recipit à terra; terra est sicca de se, & frigiditatem recipit ab aqua; aër verò est humidus de se, & caliditatem recipit ab igne; aqua verò est frigida de se, humiditatem autem recipit ab aëre. Unde per experientiam & per corporales sensus manifestè cognoscimus, aliquas herbas esse magìs calidæ complexionis, quàm alias; aliquas verò magìs frigidæ complexionis, quàm alias: de calidis autem cernimus, aliquas habere plùs de calore, quàm de frigiditate, de frigidis verò aliquas habere plùs de frigiditate, quàm de calore: hoc idem sequitur de siccitate & humiditate.

Igitur ex prædictis principiis sumamus principium & radicem ad probandum, *quatuor gradus* esse: nam convenit, quòd illa proportio, quæ sentitur in E. in majori quantitate de A., quam de B., necessariò sit aliqua mensura, quam *gradum* appellari convenit, per hoc, quia demonstrat, in E. esse A. superius, & B. inferius: & si ipsa A. B. essent æqualiter in E., oporteret necessariò, quòd ibidem etiam C. D. essent æqualiter; & illud ideo, quia A. convenit cum C., & B. cum D.: sed quia ignis longè meliùs convenit cum caliditate, quàm cum siccitate, & B. C. ad invicem contrariantur, & similiter A. D., necessarium est, quòd, si E. est complexionis calidæ & siccæ, A. sit superius, & B. sit inferius: unde convenit, quòd quantitas, per quam A. est superius, & B. inferius, sit gradus; qui gradus uno modo se habet ad A., & alio modo ad B.: & ideo in E. oportet A. esse in uno gradu, B. verò in altero. Cùm autem A. C. simul conveniant in E., & B. D. similiter, necessarium est, quòd C. in E. sit in uno gradu, & D. in alio; & quia A. est ibi in majori gradu, quàm B., convenit, quòd C. sit in E. in majori gradu, quàm D.: si enim ita non esset, C. D. in E. essent contra suprà dicta principia; hoc autem secundùm naturalem cursum est impossibile; propter quam impossibilitatem demonstratur, quòd necessariò in E. sunt quatuor gradus, quos investigamus.

Si tu dicis, quòd possibile sit, B. in E. esse in quarto gradu, tunc tu affirmas, quòd sit possibile, D. esse in E. in tertio gradu: quòd si esset, conveniret, quòd A. non esset in E., nisi in secundo gradu; & sic E. judicaretur complexionis siccæ & frigidæ contrariæ complexioni calidæ & humidæ; hoc autem est contrarium experientiæ & sensibus sensualibus.

Si dicis, A. esse in E. in quinto gradu, sequeretur per talem affirmationem, quòd in E. quinque elementa existerent; quod est contra suprà dicta principia: si autem dicis, A. esse in E. in tertio gradu, sequeretur, quòd D. non esset ibi sensualiter in gradu; sed quia D. in E. sensualiter est in gradu, ideo oporter, quòd A. in quarto gradu ibidem existat; per quem quartum gradum significatur tertius, secundus & primus.

Manifestum est tuis corporalibus sensibus, quòd in quibusdam herbis est plùs de A. B., quàm in aliis; quemadmodum in E., in quo est plùs de A. B., quàm in F., & in F., quàm in G., & in G., quàm in H.: & ideo est tibi manifestatum, quòd in E. est A. in uno gradu, & in F. in altero, & in G. in altero, &

in H. in altero: & ideo habes quatuor gradus de A.

Et si dicis, A. in quinto gradu consistere in aliqua herba, in qua sit plùs de A., quàm in E., tunc affirmas, quòd in H. sit B. in gradu sensuali; sed quia hoc esse non potest, manifestum est, quòd A. non ascendit suprà quartum gradum, nec descendit infra primum gradum sensualem: illæ verò portiones ipsorum B. C. D., quæ existunt in H., sunt gradus intellectuales, qui sunt in tam modica quantitate, quòd non sufficiunt esse gradus sensuales; in quibus gradibus intellectualibus est B. in tertio, C. in secundo, & D. in primo secundùm ordinationem prædictorum graduum majorum sensualium in E. F. G.

Cùm terra, aër & aqua sint elementa existentia per se ipsa, & cùm sentiantur aliquæ herbæ, quæ habent magis de qualitate ipsius B., quàm ipsorum A. C. D., & aliæ etiam reperiantur, quæ habent plùs de C., quàm de A. B. D.; & aliæ plùs de D., quàm de A. B. C., idcirco in exemplo, quod suprà dedimus de gradibus ipsius E., manifestatur, quòd quodlibet ipsorum B. C. D. motum habeat à primo gradu usque ad quartum; quos gradus primum, secundum, tertium & quartum habet quodlibet elementum per se ipsum, quando est in compositione in individuis specierum secundùm suprà dicta principia.

CAPUT XIV.

De Modo Investigandi Gradus Medicinarum secundùm Dicta Authorum & Principia Naturalia.

Dicta Authorum inter se possunt esse contraria; principia verò naturalia non possunt contrariari naturæ. Unde, cùm inter Antiquos reperiantur diversæ opiniones in qualitatibus & complexionibus herbarum & medicinarum simplicium, ideo oportet investigare, quæ dicta ipsorum meliùs conveniunt cum principiis naturalibus, & quæ illis sunt contraria; & postea convenit affirmare secundùm conditiones istius Artis ea dicta, quæ meliùs conveniunt cum principiis naturalibus.

Avicenna dicit, quòd in Agno casto est A. in primo gradu, & B. in secundo; Platearius verò scribit, quòd A. B. in ipso existunt in tertio gradu: unde Avicenna erravit secundùm principia naturalia; quia, cùm A. sit in altiori gradu, quàm B., in herba, quæ est de complexione calida & sicca (& hoc est ideo, quia ignis est de complexione calida & sicca, terra verò de complexione frigida & sicca) idcirco necessarium est, quòd, si Agnus castus vel alia res est complexionis calidæ & siccæ, in illo sit A. in altiori gradu, quàm B.; quia si ita non esset, conveniret, quòd herba esset contra principia naturalia, quod est impossibile.

Platearius verò erravit in eò, quòd dixit, duas qualitates ipsius herbæ in eodem gradu consistere: cùm ita sit, quòd A. B. vel duæ aliæ qualitates in eodem gradu esse non possunt, ùt suprà diximus. Unde cùm Avicenna & Platearius ambo conveniant in definiendo, prædictam herbam esse complexionis calidæ & siccæ, & cùm sit verisimile, quòd propter experientiam, quam de illa habuerunt, debeamus tenere, quòd sit calida & sicca, idcirco investigare oportet, in quo gradu caliditatis, & in quo siccitatis existat; nam si B. est in ipsa in primo gradu, oportet, quòd A. sit in secundo; & si B. est in secundo, oportet, quòd A. sit in tertio; si verò B. sit in tertio, oportet, quòd A. sit in quarto: unde hujusmodi investigatio fieri debet tentando unam literam cum altera secundùm Alphabetum istarum literarum E. F. G. H. K. L. M. N. O. P. Q. R. S. T. V. Y., miscendo unam literam cum alia *secundùm artem mixtionis, quæ superiùs in Capite duodecimo continetur:* si enim in Agno casto sit B. in primo gradu, & A. in secundo, & misceantur cum G., sequitur temperamentum: si verò sit ibi B. in secundo gradu, & A. in tertio, vel B. in tertio, & A. in quarto, sequeretur inde major, vel minor operatio.

Avicenna dixit, quòd in Argento Vivo existunt C. D. in secundo, vel in tertio gradu; Platearius autem ponit, in ipso existere C. in quarto gradu; alii verò Authores illud ponunt in quarto gradu de C. D.: & quia Avicenna erravit, in quantum illud posuit in secundo vel tertio gradu de C. D. æqualiter, & quia Platearius posuit, C. dominari ibi in quarto, & alii posuerunt, C. D. in quarto dominari, verisimile videtur & secundùm experientiam, quam de illo habuerunt, quòd argentum vivum sit in quarto gradu de C., vel de D.: unde ad probandum, utrùm sit in quarto de C., vel de D., oportet miscere cum argento vivo E. K.: & si argentum vivum se magìs inclinet ad A., quàm ad B., est manifestum, quòd sua qualitas est in quarto gradu de C., & in tertio de A.: si verò se inclinabit plùs ad B., quàm ad A., est manifestum, quòd sua qualitas est in quarto de D., & in tertio de C.

Avi-

Avicenna dixit, quòd Aristolochia est in tertio de A., & in secundo de B.; Platearius autem scribit, quòd est in secundo de A.: & quia Avicenna secutus fuit naturam ponendo A. in majori gradu, quàm B., in ipsa complexione, in qua A. B. à prædominio existunt, Platearius verò non secutus fuit naturam, ideo debemus magìs consentire dictis Avicennæ in prædicta herba, quàm dictis Platearii.

Cùm Avicenna & Platearius sint concordes, quòd in Balsamo sit A. B. à prædominio in secundo gradu, ideo tenere debemus, quòd balsamus sit calidæ & siccæ complexionis: debemus verò investigare, utrùm in balsamo sit B. in primo, vel secundo gradu; & si est B. in primo, oportet, quòd A. sit in secundo; & si B. est in secundo, oportet, quòd A. sit in tertio: ad cujus notitiam poterimus devenire addendo & miscendo S. cum ipso balsamo, & respiciendo majorem, vel minorem contrarietatem; nam si in balsamo est A. in secundo, non tantum contrariabitur ipsi S., quàm si sit ibi A. in tertio gradu. Unde, secundùm quod contrarietas major vel minor existit, potes cognoscere, in quo gradu B. in ipso balsamo, & in quo gradu A. dominatur.

Item Avicenna dixit, quòd in Fumo Terræ dominatur D. in primo gradu, & B. in secundo; Constantius autem dicit, ipsum esse frigidum & siccum, non ponendo gradum; Platearius verò posuit, in ipso dominari A. in primo gradu, & B. in secundo: sed quia Avicenna secutus est naturam vocabulorum, & Constantius inter A. B. aliquem gradum non definivit, & Platearius naturam vocabulorum non sequitur, ideo conveniens est affirmare fumum terræ secundùm complexionem ab Avicenna positam.

Secundùm quod exemplificavimus de dictis prædictorum Authorum in aliquibus medicinis & herbis, quomodo debent investigari Gradus in medicinalibus rebus, potes habere cognitionem investigandi naturam herbarum & aliarum rerum medicinalium, secundùm quod exemplificavimus in suprà dictis principiis.

CAPUT XV.

De Communibus Principiis Naturalibus, cum quibus debent investigari Gradus in medicinalibus rebus.

Multa sunt principia naturalia, per quæ qualitates medicinalium rerum possunt investigari & percipi, de quibus principiis hìc aliqua nominamus, videlicet *virtus, materia, color, sapor, odor, locus, ponderositas, levitas, tempus, subtilitas, grossities, habitus, lenitas, asperitas, sonus, caliditas, frigiditas, siccitas, humiditas, quantitas,* & multa alia, quæ esset longum enarrare; & breviter dabimus exemplum in aliquibus: veruntamen in *undecimo Capitulo* hujus Libri per aliqua exempla eorum demonstratio est declarata; per quæ exempla est ostensa contrarietas; per quam contrarietatem qualitates medicinarum possunt cognosci.

De Virtute & Materia.

Granum Piperis est minoris quantitatis, quàm Radix Zingiberis; sed quia A. est magìs pungens & acutum in pipere, quàm in Zingibere, per hoc demonstratur, quòd ignis, qui est calidus per se, & siccus per accidens, meliùs convenit cum *quantitate virtutis*, quàm cum *quantitate materiæ:* si enim tam bene conveniret A. cum quantitate materiæ, sicut cum quantitate virtutis, Zingiber esset in altiori gradu caliditatis, quàm piper; & quoniam A. est in altiori gradu in pipere, quàm in Zingibere, quanquam materia Zingiberis sit quantitate major, quàm materia piperis, ideo revelatur per contrarium sensum, quòd D. in aqua, quæ frigida est per se, & humida per accidens, secundùm comparationem ipsius A. fortiùs & meliùs convenit cum *majori quantitate materiæ*, quàm cum *majori quantitate virtutis;* & ideo in cucurbita est materia ipsius D. in majori quantitate, quàm in opio; & hoc ideo, quia opium est siccum & frigidum, cucurbita autem frigida & humida: unde, si D. meliùs conveniret cum virtute, quàm cum materia, esset majus in cucurbita, quàm in opio; cujus manifestè videmus oppositum; cùm ita sit, quòd D. sit in cucurbita in secundo gradu, & in opio in tertio. Per hoc tibi revelatur, quòd secundùm comparationem aquæ simplicis tantùm D. meliùs conveniat cum virtute, quàm cum materia; cùm ipsum in opio sit in tertio gradu, & in cucurbita sit tantùm in secundo; quanquam in cucurbita habeat majorem materiam, quàm in opio: veruntamen ratione C. meliùs convenit D. in cucurbita cum materia, quàm cum virtute.

Per hoc, quod suprà diximus, tibi revelatur natura aëris & terræ; cùm ita sit, quòd aër conveniat cum aqua, & terra cum igne:

& ideo

& ideo potes intelligere, quòd C. est in majori gradu in corpore, quod est humidæ & calidæ complexionis (quanquam illud corpus minoris quantitatis existat) quàm in corpore, quod est frigidæ & humidæ complexionis; B. autem est in altiori gradu in corpore, quod est calidæ & siccæ complexionis, hoc est, in E., quàm in corpore, quod est siccæ & frigidæ complexionis, hoc est, in K.; licèt corpus, quod est siccæ & frigidæ complexionis, possit esse materialiter majoris quantitatis, quàm corpus, quod est calidæ & siccæ complexionis.

Si tu intellexisti istud principium, potes intelligere demonstrationem factam de *pleno & vacuo:* videlicet quòd plenum meliùs convenit cum materia aëris & aquæ, vacuum autem convenit cum materia ignis & terræ; & ideo potes habere majorem virtutem ipsorum A. B., quàm ipsorum C. D., sub minori materia & minori corpore: propterea subtilis materia convenit cum A. B., grossa verò convenit cum C. D. Veruntamen quando A. C. sunt in majori virtute in aliqua specie, quàm B. D., tunc ipsa A. C. sub majori materia existunt, quàm D. B., sicut in corpore melancholico: cujus ratio est, quia de aqua & terra formatur magis grossa & magis plena materia in minori corpore, quàm de igne & aëre, quorum materia est magis subtilis, & in majori corpore existit. Et per hoc significatur, quòd subtilior est illa virtus, quam aër habet per se, quàm illa, quam habet in participatione aquæ; & similiter subtilior est illa virtus, quam ignis habet per se, quàm illa, quam habet per terram, ac etiam illa, quam habet in aëre.

De Loco & Ponderositate.

SI intellexisti suprà dicta principia, tibi revelatus est locus, qui meliùs convenit cum vácuo, quàm cum pleno; & quia ignis & terra meliùs conveniunt cum vácuo, quàm cum pleno, ideo significatur, quòd ignis & terra sunt locus aëri & aquæ, & quòd ignis est elementum supremum, & quòd terra est infimum, ac etiam, quòd herba in locis inferioribus & humidis crescens est ponderosior, quàm herba nascens in locis altis & siccis. Et per hoc tibi revelatur, quòd A. B. cum levitate conveniunt in herbis nascentibus in locis calidis & siccis; C. D. verò conveniunt cum ponderositate in herbis nascentibus in locis frigidis & humidis.

Per istud principium tibi revelatur, qualiter ignis recipiendo B. ex terra consumit aquam: propter quod facit de terra vas vacuum, ut repleatur de A. C. D.: cùm verò ignis non habeat tantam potentiam in herba frigidæ & humidæ complexionis, quantam habet aqua, tunc aqua illam herbam tenet ita plenam de C. D., quòd A. non potest expellere grossam materiam ipsorum C. B. D.; & ideo illud corpus est magis ponderosum, quàm corpus, quod est calidæ & humidæ, vel calidæ & siccæ complexionis.

„ Quemadmodum in ferrea catena vel „ lorica sunt catenatæ partes ad invicem, ita „ in scientia demonstrativa ex quibusdam „ principiis eruuntur alia principia, & quæ„ dam principia sunt revelatio aliorum prin„ cipiorum: idcirco revelatio suprà dicto„ rum principiorum tibi sufficit ad alia prin„ cipia cognoscenda, per quæ potes investi„ gare & cognoscere qualitates & gradus „ medicinarum.

CAPUT XVI.

De Modo Investigandi quatuor Gradus in Humana Specie.

CUm plures sint viæ, per quas possumus investigare, in qua dispositione sunt gradus in humana specie, aliquas ex prædictis viis recitabimus in consequentibus Paragraphis, sequendo naturam & conditiones Florum suprà scriptæ Arboris.

Per Flores Quadranguli elevatur noster intellectus ad considerandum magnam & excellentem perfectionem ac temperamentum, quod altissimus Deus Creator omnium donavit humano corpori super omnia corpora elementata; quod corpus cum omnibus creaturis participat, ut ejus Anima sit forma nobilioris materiæ: ex quo significatur, quòd, quantum ad materiam & formam necessarium est, omnes gradus ipsorum A. B. C. D. in humano corpore actualiter & potentialiter sint; si enim non essent, sequeretur, quòd E. F. G. H. K. L. M. N. O. P. Q. R. S. T. V. Y. magis & meliùs convenirent & concordarent cum esse & cum perfectione, quàm corpus humanum; hoc autem est impossibile, & contra prædictas conditiones Florum; cùm ita sit, quòd omnes suprà dictæ literæ non habeant tam nobilem formam, sicut corpus humanum, nec ad tam nobilem finem ordinentur: & quia esse & perfectio meliùs conveniunt in majori

jori & nobiliori forma & materia, quàm in minori, ideo significatur, quòd quodlibet ipsorum A. B. C. D. est per se in humano corpore in quarto, tertio, secundo & primo gradu, secundùm actum & secundùm potentiam.

Ex majori differentia potest fieri major concordantia contra majorem contrarietatem ad generandam majorem æqualitatem ac majus temperamentum. Unde si in humano corpore non essent omnes gradus A. B. C. D., non esset in ipso tam magna differentia neque concordantia contra intemperamentum, sicut est; & si non esset, non significaretur ita bene sancta distincta pluralitas divinarum Personarum concordantium & æqualium remotâ omni contrarietate. Et quia illud est affirmandum, per quod meliùs intelliguntur ac humano intellectui significantur, ideo omnes gradus ipsorum A. B. C. D. sunt demonstrabiles in humana specie esse, in qua ipsa A. B. C. D. majus temperamentum habent, quàm in alia specie; sunt enim ibi quatuor gradus actu & potentiâ secundùm diversas complexiones humanorum corporum.

Certum est, quòd esse convenit cum majoritate in E., & cum minoritate in H.; & etiam esse meliùs convenit cum majoritate in mixtione ipsorum E. K. O., quàm in mixtione ipsorum E. S. Unde cùm Filius DEI assumpserit humanam naturam, si omnes gradus ipsorum A. B. C. D. sunt in humana natura, meliùs cum esse convenit humana natura, quam Filius DEI assumpsit; & conveniret meliùs cum non esse, si in ipsa humanitate non essent omnes prædicti gradus: & quia esse & perfectio simul conveniunt, & non esse & defectus similiter, ideo revelatur, quòd in humano corpore omnes quatuor gradus quatuor elementorum existunt. *Et per hanc demonstrationem revelatur secretum Quadragesimæ, quam JESUS Christus sustinuit in deserto, quando quadraginta diebus jejunavit, ad significandum quadraginta mensurationes graduum,* qualibet quatuor complexionum habente in humano corpore decem puncta producta per additionem quatuor, trium, duorum & unius; quod jejunium tibi datum est ad mortificandam superfluitatem quadraginta punctorum suprà revelatorum.

Veritas est, quòd in E. F. G. H. K. L. M. N. O. P. Q. R. S. T. V. Y. gradus quartus, tertius, secundus & primus nequaquam de una specie in aliam mutantur, nec alterantur; nam in E. semper est A. in quarto, B. in tertio, C. in secundo & D. in primo: veruntamen in corpore animali rationali potest esse A. in quarto, B. in tertio, C. in secundo & D. in primo; & hoc idem sequitur à contrario sensu: & ideo quidam homines sunt cholerici, alii sanguinei, alii phlegmatici, & alii melancholici. Unde si in humana specie non possent esse suprà dictæ complexiones, impossibile esset, quòd in ullo humano corpore una complexiò posset alterari in alteram; & quia hoc fieri potest, & sæpe contingit, ideo demonstratur, quòd, cùm in humano corpore est una complexio actualiter in quarto gradu, aliæ tres complexiones ibidem sint potentialiter in quarto gradu: quia si non, impossibile esset, ipsas complexiones posse devenire in actum; sed quia, secundùm quod suprà dictum est, tibi manifestatum est, quòd, si una complexio est in actu in quarto gradu, aliæ tres sunt in potentia, idcirco tibi revelatur, quòd gradus, qui sunt in potentia & intelligibiles sub gradibus, qui sunt in actu, sunt in nobiliori dispositione, quàm gradus intelligibiles, qui sunt in F. G. H. L. M. N. P. Q. R. T. V. Y., qui non sunt in potentia ad veniendum in actum esse gradus sensuales. Unde per hoc tibi significatur, materiam subjectam humanæ formæ esse nobiliorem, quàm materiam subjectam aliis formis corporum inanimatorum.

A. C. concordant ad generandum calorem naturalem, per quem vita in animalibus conservatur; B. D. verò concordant ad generandum infirmitatem, quæ est contraria vitæ. Unde quando A. C. sunt in quarto gradu, sunt magis contraria morti, quàm quando sunt in tertio, secundo vel primo gradu: B. D. verò sunt magis contraria vitæ in quarto, quàm in tertio, secundo & primo. Ex quo sequitur, quòd, si in humana specie possunt esse A. B. C. D. in quarto, tertio, secundo & primo gradu differenter tamen per differentiam actûs & potentiæ & temporis, magis manifestatur divina Justitia, quæ per culpam primi peccati facit majorem contrarietatem inter vitam & mortem secundùm cursum naturalem, quàm faceret, si quartus, tertius, secundus & primus gradus in humana specie in qualibet complexione esse non possent.

Si in humano corpore non essent quatuor gradus in potentia, cùm homo come-

deret cibos, quorum complexio est in quarto gradu, tunc essent ei tam contrarii vel concordantes, quòd sub quarto destruerentur complexiones, quæ sunt in tertio & in secundo & in primo contrariæ quarto: veruntamen quia quælibet complexio habet in humano corpore quartum potentialiter sub illa complexione, quæ actualiter habet dominium, & quæ quartum habet in actu, ideo cùm homo bibit, vel comedit aliquam speciem, cujus complexio est in quarto gradu, tunc natura currit ad superfluitatem cum quarto gradu, qui venit de potentiâ in actum contra materiam & virtutem, quæ sunt actualiter in quarto contrariæ spiritui vitali & naturali.

Quantò nobilius est, quod stat inferiùs, tantò nobilius est, quod stat superiùs. Unde, si A. in quarto gradu dominatur ipsis B. C. D., & B. C. D. habent quartum gradum in potentia, inde quartus gradus ipsius A. nobilior est, & habet majus dominium. Et quantò illud, quod est in actu & in potentia, est nobilius, tantò meliùs homo est proportionatus ad liberum arbitrium: & quia illud, per quod liberum arbitrium meliùs existit in homine, est affirmandum, ideo tibi revelatur, quòd quartus, tertius, secundus & primus gradus ipsorum A. B. C. D. sunt in homine.

Sub intelligere est imaginari, & sub imaginari est sentire, & sub sentire est vegetare; & per hoc tibi significatur, quòd omnes suprà dictæ operationes sunt nobiles in nobilitate ipsius intelligere; quia est finis illarum: & nobilitas ipsius intelligere est major in intellectu, quàm in potentiis, quæ sub ipso existunt. Unde si in corpore sanguineo est actualiter C. in quarto gradu, & sub illo quarto gradu est actualiter A. in tertio & D. in secundo & B. in primo, & sub hac actualitate est in potentia quartus gradus ipsorum A. D. B., & secundus & primus gradus ipsius A., & tertius & primus ipsius D., & tertius & secundus ipsius B., & tertius, secundus & primus ipsius C., manifestum est, quòd potentia & actualitas per hoc meliùs conveniunt cum esse; quod esse tibi significatur per hoc, quod stat inferiùs magis nobiliter sub vegetativa, sensitiva & imaginativa; & tibi demonstratur, quòd in humano corpore est majus temperamentum per actum & potentiam, quàm in alio corpore elementato. Unde, considerando istam proportionem & conditiones Florum Arboris tibi significatur, quòd in humano corpore sunt gradus, secundùm quod suprà dictum est.

Sicut A. in F. non est in quarto gradu, ita in aliquo homine cholerico est A. solùm in tertio, secundo & primo gradu; & sic de B. C. D.: veruntamen in homine est A. in quarto gradu in potentia, quod esse non potest in F.: & hoc idem sequitur de aliis complexionibus.

Multas alias rationes tibi possemus dare de gradibus, quos investigavimus & invenimus, & actu breviter demonstravimus: veruntamen, quia vitamus prolixitatem, supersedemus ad præsens. *Et consulimus tibi, quòd tuæ memoriæ bene commendes, qualiter se habeat dispositio graduum in humano corpore; nam hoc scire tibi Medice est valde necessarium, ad hoc, ut scias regulare tuam operationem & practicam:* quæ dispositio tibi demonstrata est, secundùm quod suprà diximus.

DISTINCTIO VI.

De

Generatione & Corruptione.

CAPUT XVII.

De Generatione & Corruptione in E.

Quatuor modis convenit nos investigare *generationem* & *corruptionem*, videlicet *in E.*, & in *mixtione ipsorum* E. F. G. H. K. L. M. N. O. P. Q. R. S. T. V. Y., „ & in *animalibus*, & in *metallis*: in quatuor „ enim prædictis rebus humano intellectui „ sunt abscondita secreta generationis & cor„ ruptionis; cui intellectui suprà dicta se„ creta per istam Artem sub brevibus sermo„ nibus revelantur, sequendo conditiones Florum suprà dictæ Arboris.

Ad investigandam & intelligendam generationem & corruptionem in E. convenit, quòd recurras *ad secundam Distinctionem,*

nem; & convenit, quòd scias dispositionem graduum, qui sunt in ipso E.; videlicet quòd A. in E. sit uno gradu majus & superius, quàm B., & duobus, quàm C., & tribus, quàm D.: & ideo in E. dividitur A. in quatuor partes, quarum prima & suprema est in quarto gradu, secunda autem est in æquali quantitate ipsi B., quod desiccat in tertio gradu materiam subjectam ipsi A.; tertia verò pars est in æquali quantitate ipsi C., calefaciente igne in secundo gradu materiam subjectam ipsi C.; quarta verò pars est in æquali quantitate ipsi D., calefaciente igne materiam subjectam ipsi D. in E.

Prima pars ipsius A. est simplex & agens, & non patiens; nam si esset patiens, conveniret, quòd id, in quo esset ejus operatio, esset in quarto gradu actionis & passionis; hoc autem est contradictio: unde in illo quarto gradu est simplex materia invisibilis, quæ habet naturalem appetitum ad conservandam speciem ipsius E.; *& in ipso quarto gradu est universalis forma naturalis, quæ est incorporea, & est exemplar aliis formis corporeis particularibus generabilibus & corruptibilibus.*

In principio generationis ipsius E. quartus gradus ipsius A. generat unum punctum simplex; quod punctum descendit ad terram causâ recipiendi unum punctum de B.; propter quam receptionem punctum generatum dividitur in sex partes, quarum tres sunt subjectæ ipsi B.; idcirco B. in tres gradus dividitur: duas verò partes puncti generati dat quartus gradus ipsius A. materiæ ipsius C.; & ideo C. est in illa materia in secundo gradu: sextam verò partem dat A. existens in quarto gradu materiæ subjectæ ipsi D.; & ideo D. in ipso E. non est nisi in primo gradu tantùm. Unde cùm hoc ita sit, per hoc revelatur punctus septimus, id est, quartus gradus potens dominus & rector, qui cum influentia septem Planetarum movet alios gradus in E. in principio ad generationem, & in fine ad corruptionem.

In principio, secundùm quod suprà dictum est, in E. est generatio in uno puncto ipsius A., & postea in alio puncto ipsius B.; & tunc est generata & completa linea, quæ constat ex duobus punctis: postmodum autem fit generatio alterius puncti, qui est de C.; & tunc ex tribus punctis generata est linea habens superficiem: postea verò generatus est quartus punctus de D.; & tunc est generatum & completum corpus habens longitudinem, latitudinem & profunditatem, in quo ista generatio est in simul facta. Veruntamen secundùm naturalem appetitum quarti gradûs ipsius A. in E., secundùm quod meliùs convenit cum uno gradu, quàm cum alio, nominavimus primum & ultimum secundùm modum loquendi.

Secundùm quod suprà diximus de generatione, significatur corruptio; quemadmodum enim in appetitu naturali ignis priùs convenit cum uno puncto, quàm cum alio, ita in corruptione incipit priùs corrumpere illud punctum illius elementi, cum quo minorem concordantiam habet.

Quemadmodum ad videndum est necessarium instrumentum, videlicet oculus corporalis & aër ac objectum illuminatum, ita generatio & corruptio suprà dicta debet habere instrumentum compositum de tempore & loco & principio, scilicet semen & influentiam corporum cœlestium, & naturalem appetitum ad conservandam speciem ipsius E., & ad inquirendum simplicem conjunctionem primæ materiæ & ejus simplicis formæ; propter quam inquisitionem formæ potentiales moventur per generationem ad actum, & formæ actuales inclinantur ad corruptionem, secundùm quod quartus gradus ipsius A. existentis in E. convenit cum suprà dictis instrumentis.

Secundùm Exempla, quæ dedimus de generatione & corruptione in E., potes cognoscere generationem & corruptionem aliarum specierum, quæ sunt sub potentiâ vegetativâ; quæ species sunt illæ, quæ secundùm hanc Artem significantur per literas Alphabeti.

CAPUT XVIII.

De Generatione & Corruptione in Mixtione ipsorum E. F. G. &c.

PEr divinam ordinationem factum est, quòd herbæ, radices, semina, plantæ, & sic de aliis, habent diversas virtutes: unde si tu misces E. F., vel misces E. K., & sic de aliis speciebus, secundùm quod sunt gradus & virtutes ipsorum A. B. C. D., in illa mixtione & secundùm proportionem virtutum per tres Triangulos & Quadrangulum hujus Artis generatur, aut corrumpitur aliquis humor vel virtus in corpore infirmi, cui administras decoctionem, quam facis de herbis, quas misces; & de isto potes habere cognitionem secundùm exempla, quæ tibi

dedimus *in Triangulo rubeo in secunda Distinctione.*

Sicut in E. se habet A. ad unum finem, ita in mixtione facta de E. F., vel de E. K. diversæ virtutes & diversi gradus ad unum finem se habent, corrumpente quolibet id, ad quod secundùm suum finem per semet ipsum se habebat, ac inclinantibus se simul ad alterum finem generatum per communitatem diversorum finium.

Terra generando B. in materia ipsius A. corrumpit proportionem, quam habent A. C., igne generante A. in materia ipsius C.; ignis verò recipiendo in semet ipso generationem ipsius B. corrumpit proportionem terræ & aquæ; & ignis generando A. in materia ipsius C. est contra proportionem ipsorum C. D. in materia aëris & aquæ: & hoc idem sequitur de aliis elementis, secundùm quod tibi significatum est in *undecimo Capitulo de contrarietate.*

Si misces E. K. O. S., secundùm quod exemplificatum est superiùs, intelligere potes, quòd in quarto gradu ipsorum E. K. O. S. componitur & generatur unus finis, & corrumpitur particularis finis, quem quælibet litera habet per semet ipsam. Unde quando contingit, quòd aliqua litera secundùm tempus aut juvamen corporum cœlestium alias literas superet, tunc ipsa movet alias ad suum finem, & communem finem corrumpit: & quantum una litera separat alias, illas reducit ad proprium particularem finem, qui sibi convenit in natura: & si materia non possit omnibus aliis literis esse subjecta, tunc una expellit alteram; & sic formæ actuales & potentiales, quæ existunt in materia corrupta sub specie, in corruptionem deveniunt, quod per prædictos Triangulos & Quadrangulum potes intelligere.

Si simul misces E. S., tunc efficitur temperamentum omnium graduum sub quarto existentium, & illud temperamentum se habet ad unum finem: veruntamen quarti gradus ipsorum E. S., qui sunt simplices, & sunt suprà prædictum temperamentum, & qui nihil aliud sunt, quàm septimum punctum dominans, quod est revelatum in E. *Capitulo decimo septimo*, suas partes recuperant corrumpendo temperamentum generatum per sex puncta sub septimo existentia; & ideo in quarto gradu, id est, in septimo puncto se habet E. ad generandum A., & S. ad generandum D.

Si misces F. L., aut F. P., aut F. T., quemadmodum quartus gradus stat suprà sex puncta composita, ita tertius gradus ipsius F. stat suprà duo puncta, quæ habet de se conjuncta cum duobus, quæ habet ex terra; & stat suprà unum punctum, quem habet de se conjunctum uni, quem habet ex aëre: & hoc idem sequitur de litera L. mixtâ cum ipso F.: & ideo tertius gradus ipsius F. & tertius ipsius L., vel P., vel T. sunt diversa puncta, quæ sunt subjecta temperamento, & existunt materia generationi, & sunt quatuor tertii gradus, qui sunt sub quatuor quartis gradibus agentibus & efficientibus illorum, qui sub ipsis existunt; & quilibet habet appetitum ad suam simplicem naturam, & in illa materia habent in simul appetitum ad unum finem compositum ex punctis compositis: & hoc idem sequitur, si misces G. M. Q. V.; ac etiam sequitur illud idem de mixtione facta ex H. N. R. Y.; quia omnes istæ mixtiones sequuntur ordinationem ipsorum E. K. O. S. Et secundùm hanc ordinationem potes intelligere, quomodo in humana specie punctum simplex actuale dominans aliis punctis compositis potest esse in tertio vel secundo gradu ipsorum A. B. C. D., & quarti gradus sunt in potentia; & ideo complexiones conveniunt in humana specie uno tempore cum majoritate, alio verò tempore conveniunt cum minoritate.

Si tu bene intelligis suprà dictos gradus & ipsorum mixtionem, intelliges, qualiter elementa simplicia exeunt Sphæris suis, & miscentur cum aliis, & etiam quomodo elementa sunt simplicia quodlibet in Sphæris aliorum, & qualiter in ipsis composita, & etiam qualiter hanc operationem faciunt, ut possint esse agentia, ut meliùs cum esse conveniant; cùm ita sit, quòd esse & operatio sint remota à privatione, esse verò & non operatio sint propinqua privationi: & quia compositio est propinqua privationi, ideo elementa simplicia appetitum habent ad simplicem operationem, quæ est remota à privatione: & ideo quodlibet intrat in Sphæras aliorum; nam in semet ipsis simplicem operationem habere non possunt. Unde, si hoc bene intelligas, intelliges principia generationis & corruptionis, & naturalem appetitum quatuor elementorum simplicium, ac ipsorum mixtionem, motum & compositionem.

CAPUT

CAPUT XIX.

De Generatione & Corruptione in Animalibus.

SEcundùm quod tractavimus de quarto gradu in Animalibus *Distinctione quintâ*, revelatur secretum generationis & corruptionis in Animalibus: sicut enim quartus gradus ipsorum K. O. S. est sub quarto gradu ipsius A. in E., & in homine cholerico quartus gradus ipsius A. est in actu, & alii quarti ipsorum B. C. D. sunt in potentia, ita in conjunctione masculi & fœminæ sunt duo quarti gradus, qui sunt in actu, & sex sunt in potentia; & quia illi, qui sunt in potentia, appetunt actualitatem, ut meliùs possint convenire cum esse, & à non esse recedere, ideo ex spermate, quod procedit ex masculo, & concipitur à fœmina, exit & nascitur unus gradus in actum, qui habet sub se tres gradus quartos potentiales; & per influentiam masculi & fœminæ, & propter maximum appetitum, quem gradus, qui sunt in potentia, habent ad esse, generatur noviter unus quartus gradus, qui habet appetitum ad conservandam humanam speciem; & habet sub se alios gradus potentiales, qui habent eundem appetitum; & de toto isto appetitu formatur unum suppositum, quod masculo & fœminæ in specie assimilatur.

Tu scis, quòd ignis visibilis existens in ardenti cereo est in actu, alia verò elementa ibi sunt invisibilia, & sunt sub illa forma ignîs visibilis; & de igne, quem vides, & de aliis elementis, quæ non vides, & de igne potentiali existente in candela subjecta igni ardenti exit & nascitur aliud suppositum, quod est fumus; qui fumus est ignis, qui movetur de generatione ad corruptionem; quia in lumine comprehendi non potest in simul cum igne, qui venit de potentia in actum. Unde, si hanc demonstrationem intelligis, intelliges, qualiter ex masculo & fœmina corpus infantis venit in actum, qui erat in potentia in ipsorum materia: & quia materia, ex qua generatur infans, non potest cum materia patris & matris in simul capi, & quia prædicti gradus maximum habent appetitum ad esse, & appetunt distare à non esse; & etiam quia hanc generationem influentia corporum supracœlestium juvat, ideo adjutorio divinæ potentiæ aliud suppositum generatur & conservatur, ac in ipso est naturalis motus, per quem potentiales formæ moventur ad actum. Unde secundùm quod in patre & matre est dispositio graduum, aut secundùm cibos, quibus utuntur, vel secundùm proportionem & tempus corporum supracœlestium & quatuor elementorum recipit infans complexionem quarti, tertii, secundi, primi gradûs.

Si tu intellexisti prædicta principia, tibi revelatur causa, propter quam masculus & fœmina, dum generant infantem, delectantur; quæ causa est, quia quartus gradus existens in potentia in materia masculi & in materia fœminæ reducitur in actum: propter quam actualitatem in masculo & fœmina sentitur delectatio: ex quo metaphoricè significatur, quòd esse est appetibile, non esse verò irascibile. Igitur cùm hoc ita sit, per hoc revelatur, quòd generatio convenit cum concupiscentia, corruptio verò cum irascibilitate.

Secundùm quod intellexisti de generatione, potes intelligere de corruptione; nam quamdiu durat C. seu humiditas subjecta operationi ipsius A., & quamdiu durat A. subjectum operationi ipsius B., & quamdiu durat D. subjectum operationi ipsius C., & quamdiu B. durat subjectum operationi ipsius D., tamdiu in ipso supposito generatio conservatur & augmentatur: cùm autem materia deficit suprà dictis operationibus, tunc incipit corruptio, propter quam suprà dictæ operationes in privationem deveniunt, privando formam, & mutando se per generationem in aliam formam; hoc autem totum significatum est in suprà dictis Triangulis.

Quemadmodum generatio fit per additionem, ita corruptio formatur per diminutionem; & quemadmodum generatio formatur & conservatur per comedere & bibere, hoc est, per nutrimentum, ita per famem & sitim, hoc est, propter nutrimenti defectum formatur corruptio; & sicut ex elementorum conjunctione & mixtione venit generatio, ita ex ipsorum disjunctione venit corruptio; & sicut generatio conservatur per operationes potentiarum, videlicet *appetitivæ*, *retentivæ*, *digestivæ*, & *expulsivæ*, ita corruptio venit ex privatione prædictarum potentiarum.

Per hoc, quòd in humana specie quarti gradus ipsorum A. B. C. D. de potentia moventur in actum, & de actu in potentiam, secundùm quod homines diversarum complexionum existunt, tibi revelatur, majorem generationem temperamenti & intemperamenti esse in humano corpore, quàm in alio

corpore; & propter majus temperamentum est magis nobilis creatura cæteris creaturis; & propter majus intemperamentum est minùs nobilis: propter quod intemperamentum revelatur originale peccatum; & etiam ipsum intemperamentum revelatur post mortem ipsius humani corporis; nam de ipso non potest sequi aliquod opus, quemadmodum sequitur de aliis corporibus, quæ sunt bona ad usum hominis.

Multæ sunt species generationis in animalibus, velut generatio objectorum, secundùm quod narratur *in Magna Lectura Artis Compendiosæ inveniendi veritatem*; & etiam sicut generatio quinque sensuum sensualium, & sicut generatio membrorum corporis; secundùm quod tractatur *in Libro de Animalibus*. Veruntamen, quia de ipsis est longa materia, & ad materiam hujus Libri non pertinet, ideo de ipsis hìc tractare non volumus.

Per hoc, quod intellexisti de prædicta naturali generatione in animali rationali, potes intelligere generationem in irrationalibus; & potes etiam intelligere generationem pulicum, pediculorum, muscarum, anguillarum & vermium, & aliorum istis similium; quæ generatio fit per influentiam corporum cœlestium & per influentiam materiæ animatæ inclinatæ ad corruptionem; quia tam est vicina ac conjuncta animalitas illi materiæ, quòd per magnum appetitum, quem formæ animales habent veniendi in actum, & quia materia animata est potentia ad illas formas, per corruptionem suprà dicta animalia generantur.

Secundùm quod dictum est de generatione in prædictis animalibus irrationalibus, potes intelligere de vegetabilibus; propter hoc enim, quòd elementa sunt mixta in partibus derivatis ex seminibus divisis in atomos, quæ moventur & miscentur per aërem, generantur semina ex partibus consimilibus; & hoc propter magnam influentiam corporum cœlestium contingit, & propter partes mixtas concordantes in specie, & etiam propter appetitum naturalem existentem in generali forma, quæ septimo puncto simplici est exemplar, secundùm quod dictum est in *quinta Distinctione*, & adhuc clariùs dicetur infrà *in Decima Distinctione*.

CAPUT XX.

De Generatione & Corruptione in Metallis.

MAnifestum est, quòd *primus Motus* est *triplex*, videlicet *circularis*, *sursum* & *deorsum*; & istis tribus motibus elementa moventur ad corpora elementata in tribus speciebus, scilicet in *Vegetabilibus*, *Animalibus* & *Metallis*; in quibus tribus speciebus elementa se movent & moventur generando & corrumpendo formas individuorum specierum; in quibus speciebus elementa sunt aliud, quàm sint in se ipsis extra suprà dictas species.

Motus circularis est Firmamenti & septem Planetarum & dierum ac horarum atque punctorum: motus verò, qui fiunt sursum & deorsum, sunt motus *levitatis* & *ponderositatis elementorum* & naturalis appetitûs ipsorum. Unde isti motus sunt in *duabus speciebus*, videlicet in *naturali* & *innaturali*: *naturalis* est, sicut ignis, qui sursum movetur; *innaturalis* autem est, sicut lapis, qui sursum movetur. Unde cùm hoc ita sit, per suprà dictos motus tibi significatur, qualiter elemenra se movent & moventur in vegetabilibus & in animalibus in superficie terræ, ubi fit digestio radicum & arborum & seminum atque spermatis, ut species conserventur.

Digestio & generatio metallorum fit in corpore terræ vel intra terram secundùm dispositionem prædictorum motuum, habente qualibet specie metallorum suum proprium planetam. Unde sicut corpus humanum sustentationem recipit per hoc, quod sumit interiùs de rebus exterioribus comedendo & bibendo, ita metalla generantur in corpore terræ per hoc, quod descendit ex superficie per ponderositatem & per innaturalem motum levitatis ignis & aëris.

Quemadmodum piscis extra aquam non potest habere vitam, ita metalla, quando sunt in superficie terræ, per rubiginem ad corruptionem moventur; & per generationem in aliam speciem convertuntur, sicut sunt elementa in animalibus. Unde sicut corpus humanum se inclinat ad non esse per febrem, per apostema & per paralysin & per alios morbos perducentes ad mortem, ita metalla ad corruptionem per rubiginem inclinantur. *Illud autem, propter quod vides rubiginem in ferro, & non vides in auro, est, quia ferrum est magis corruptibile, quàm aurum; cujus*

cujus auri rubiginem non potes sentire nisi cum igne, cum quo purificas aurum.

Illud autem, propter quod unum metallum in speciem alterius metalli converti non potest, est, quia naturaliter generatio metallorum fit per digestionem in corpore terræ; sicut in corpore animalis naturaliter per digestionem sanguinis fit caro, & per digestionem cibi & potûs in corpore receptorum fit sanguis. Illud verò, propter quod alicui metallo similitudo alterius metalli dari potest, est, sicut pictor in materiâ ligni figuram hominis artificialiter potest generare; quæ figura cum tali materia disconvenit: per quam inconvenientiam revelatur, quòd forma, quam Alchimista extraneæ materiæ dat, brevi tempore in corruptionem perducitur.

Cùm igitur in naturali appetitu conservatio humanæ speciei magis ametur, quàm conservatio aliarum specierum (& illud ideo, quia gradus ipsorum A. B. C. D. in ipsa existunt nobiliùs, quàm in aliis) idcirco natura submittit alias species ad inserviendum humanæ speciei: & quia metalla sunt necessaria humanæ naturæ, ideo natura divinâ ordinatione metalla generat, quibus solummodo humana species indiget; ex quo revelatur nobilitas humanæ speciei.

Ratio autem, propter quam in metallis tardiùs contingit corruptio, quàm in vegetabilibus & animalibus, est, quia tardiùs & à longinquiori principio in metallis fit generatio, quàm in animalibus & vegetabilibus. Unde, si hoc intelligis & recipis hoc, quod metaphoricè istud principium significat, intelliges, quòd generatio Filii DEI proveniens à DEO Patre est incorruptibilis; cùm careat omni principio, quanquam ipse Filius sit generabilis.

Secundùm quod compendiosiùs potuimus, de generatione & corruptione locuti fuimus in suprà dictis principiis, per quæ multa alia principia generationis & corruptionis potes intelligere.

DISTINCTIO VII.

De

Febribus.

CAPUT XXI.

De Febribus in Genere.

AD tractandum de Febribus convenit recolere Radicem suprà dictæ Arboris; quæ Radix divisa est in quatuor partes; in quarum partium qualibet unus istorum humorum describitur, qui sunt Cholera, Sanguis, Phlegma, Melancholia: unde iste numerus factus est secundùm simplicitatem elementorum, & retinet formam istius figuræ.

A.	C.
C.	D.
D.	B.
B.	A.

Veruntamen quia elementa per alium modum in corporibus elementatis miscentur, idcirco, secundùm quod ipsa elementa miscentur in corporibus elementatis, in circulari figura miscemus literas; *quæ figura febres demonstrat, & per ipsam potes habere cognitionem de laudabili crisi febrium & de terminatione illarum, vel de morte infirmi:* & per dictam cognitionem prognosticare potes, utrùm infirmus sit curandus, vel ex ipsa febre mori debeat.

Si Circularis Figura, quæ est Radix suprà dictæ Arboris, contineret in se suas literas secundùm ordinem, quo continentur in Quadrangulari Figura, sequeretur, quòd ignis priùs misceretur cum aqua, quàm cum terra; cùm Sphæra aquæ sit inter ignem & terram: sed quia ignis est de qualitate calida & sicca, ideo necessariò oportet, quòd elementa misceantur in corpore elementato secundùm mixtionem literarum positarum in circulari figura; secundùm quam mixtionem potes habere cognitionem de febribus.

Cùm species febrium sint multæ & diversæ, & quia de ipsis febribus valde compendiosè loqui volumus in ista Arte, idcirco solùm de *septem speciebus* febrium tractamus, videlicet *de quartana simplici*, *de quartana duplici*, *de tertiana simplici*, *de tertiana duplici*, *de quotidiana*, *de febre continua lenta*, & *de continua acuta* Unde secundùm quod per istam Artem potes cognoscere febres in septem suprà dictis speciebus, sic potes habere

bere cognitionem de aliis ſpeciebus febrium.

Ad cognoſcendum cauſas febrium convenit, quòd recurras ad *triangulum rubeum* & *ad viridem* & *croceum*, & quòd habeas cognitionem de quarto gradu ſimplici actuali & agente atque formali, ſecundùm quod diximus in *Capitulo decimo ſeptimo*; per hanc enim cognitionem tibi revelabitur, qualiter quartus gradus, qui erat agens per appetitum & formam, corrumpitur & deſtruitur per febrem; & ſic ſub ſe alios gradus ordinatos ad unum finem tenere non poteſt: propter quod quilibet gradus ipſorum A. B. C. D. appetit finem, qui ſibi convenit: unde unus non regitur neque ordinatur per alterum; & ideo forma naturalis deſtruitur, & ipſa A. B. C. D. absque ulla ordinatione miſcentur; in qua mixtione & inordinatione tibi revelatur cauſa ipſius febrîs, quæ eſt per deſtructionem quarti gradûs actualis nobilioris, qui in potentia ſub ſe alios quartos gradus continebat, ut operatio graduum, qui erant in tertio, ſecundo & primo, reduceretur ad finem quarti gradûs actualîs magìs nobilîs & formalîs.

Cùm B. D. ſint cauſa mortis, & A. C. ſint cauſa vitæ, & febris & mors ſimul conveniant, & melancholia ſit de B. D., ideo primò tractabimus de febre, quæ convenit cum melancholia.

CAPUT XXII.

De Febre Quartana ſimplici.

QUartana incipit in camera ipſorum B. D., quæ continetur in circulari figura in quadrangulo de melancholia; finitur verò in aliis cameris in eodem quadrangulo contentis; & per hoc venit de quarto in quartum diem; natura enim reſiſtit magìs & fortiùs in tribus cameris inferioribus, quàm in ſuperiori. Melancholia verò in ſuperiori camera fortiùs reſiſtit naturæ; quæ reſiſtentia per experientiam ſentitur; propter quod formatur ſenſualiter operatio ipſius melancholiæ in camera ſuperiori, quæ format quartam diem; & operatio naturæ formatur in tribus cameris, quæ formant ſanitatem.

In camera ipſorum B. D. quartus gradus ſimplex naturalis ipſius B. inordinatur propter ſuperinfluentiam trium punctorum ipſius B., & trium ipſius D.; quæ puncta in materia ipſis B. D. ſubjecta miſcentur; quæ ſuperinfluentia in ſex prædictis punctis comprehendi non poteſt; & ideo deſtruit duo puncta de A. & unum de C.; propter quam deſtructionem ipſorum A. C., quæ privantur naturali operatione, materia ipſorum corrumpitur; propter quam corruptionem omnes quatuor gradus disjunguntur, & appetunt, aliam formam eſſe in materia, quam propter diſſolutionem & diviſionem corrumpunt; & per hoc in illa die generatur & formatur febris quartana.

In camera ipſorum B. A. natura, quantum poteſt, concordat tria puncta ipſius A., ut materia ſubjecta ipſi A. tria puncta ipſius B. ordinatè recipiat: in camera verò ipſorum A. C. natura ordinat, qualiter materia ipſius C. duo puncta de ipſo A. temperatè recipiat: & in camera ipſorum C. D. ordinat natura, qualiter materia ipſius D. ſit ſubjecta ad recipiendum unum punctum ipſius C. Unde ſi natura ante quartam diem prædictam ordinationem facere non poteſt, tunc influentia ipſorum B. D. in quarta die revertitur, & deſtruit hoc, quod natura contra influentiam ipſorum B. D. ordinaverat. Unde cùm hoc ita ſit, ſecundùm quod per *ſextam Diſtinctionem* potes intelligere, per iſta potes cognoſcere cauſam, propter quam febris quartana venit de quarto in quartum diem.

Per ſuprà dicta potes habere cognitionem de *groſſitie* & *ſubtilitate* materiæ elementalis: nam quantò groſſior eſt materia, tantò tardiùs revertitur febris quartana; & ſcis, quare? Quia natura habet majus ſpatium & tempus in cameris ipſorum B. A. & ipſorum A. C. & ipſorum C. D., quantò una materia magìs repugnat ad transeundum in aliam: & ideo tibi demonſtratur, quòd, ſi ignis in Sphæra ſua eſſet corpus ſimplex ſeparatum ab aliis elementis, non poſſet transire per aquam, quæ exiſteret corpus ſimplex in ſua Sphæra; neque etiam ignis haberet participationem cum terra, nec haberet, ex quo poſſet recipere B.; neque etiam terra haberet ſuam operationem in igne: & illud idem ſequeretur de C. D.

Quemadmodum ſeptimana ſeptem diebus ſuum curſum complet, ita quartana facit ſuum curſum in quatuor cameris in quadrangulo de melancholia: unde ſicut prima dies & octava ſunt principium ſeptimanæ, ita B. D. ſunt principium febrîs quartanæ: & ſicut prima dies fuit ante octavam, ita B. exiſtit ante ipſum D. ad incipiendam quartanam; & hoc eſt ideo, quia B. eſt in quarto gradu, D. in tertio, ſecundùm quod formatur in K. Unde cùm hoc ita ſit, per hoc potes habere cognitionem, quòd quartana incipit in camera ipſorum B. D., & in quarta die pervenit ad cameram ipſorum C. D., & in ſeptima die mutatur in cameram ipſorum A. C.; in decima verò die eſt in camera ipſorum B. A., & in decima tertia die revertitur ad cameram ipſorum B. D.; & in illa die eſt fortior, quàm in præcedentibus; quia ipſa camera eſt compoſita ex B. D., ex quibus iſta febris cauſatur: & hoc idem ſequitur de numero conſequenti.

Si ſcis capere utilitatem ex prædictis & Paragrapho ipſorum E. K., qui eſt in *octavo Capitulo*, poteris cognoſcere, qualiter morbus & natura in una die & in uno puncto conveniunt, ut ſint ad invicem ſummè contraria: & per hoc cognoſcere potes diem laudabilîs criſîs & terminationis ipſius febris, ſive mortis: nam ſicut morbus in diebus, in quibus eſt fortior, habet majorem intentionem ad non eſſe, ita convenit, quòd natura in diebus, in quibus eſt fortior, habeat majorem intentionem ad eſſe, quàm in aliqua alia die: unde ſi natura non vincatur in majori acceſſione, & cùm totus morbus in ipſam facit totam ſuam poteſtatem, & poteſtas naturæ eſt major, quàm poteſtas morbi, tunc unum totum vincit alterum totum, vel è converſo: veruntamen quando natura non ponit totam ſuam poteſtatem contra morbum, tunc morbus non poteſt vincere totam naturam; & ſcis, quare? Quia natura non habet in actu totam poteſtatem, quæ illi remanet in potentia; & hoc idem ſequitur de devictione, quam natura facit ſupra morbum.

Per ea, quæ ſuperiùs intellexiſti, potes exaltare tuum intellectum ad intelligendum, qualiter morbus & natura tam diu decurrunt per cameras prædictæ figuræ, quousque contingit, quòd ambo tam fortiter ponunt omnes ſuas vires, unus contra alium, ut omnes vires ipſorum in actum deveniant, & nihil ex ipſis remaneat in potentia: & cùm actuales vires unius vincuntur per alterum ejus contrarium, tunc homo moritur, vel morbus terminatur.

Si tu Medice vis curare infirmitatem, laborare te convenit, quòd tuus intellectus tanto tempore per Triangulos decurrat, quòd ſcias conſervare vires, quas natura habet in potentia, ad hoc, ut morbus antea habeat omnes ſuas vires in actu, quàm natura omnes ſuas; & etiam ut natura æquè magnas vel majores vires in actu habeat, quàm morbus, & quòd aliquæ vires in potentia naturæ remaneant; quæ potentiales vires ſunt radix & auxilium viribus actualibus.

CAPUT XXIII.

De Febre Quartana duplici.

QUartana duplex incipit in camera ipſorum B. D., & mutatur ad cameram ipſorum A. C., & ex A. C. revertitur ad B. D.; & per hoc eſt pejor in B. D., quàm in A. C. Unde ſi tu hoc benè intelligis, quod ſuprà diximus, poteris intelligere qualiter morbus habet majorem poteſtatem in B. D. in actu & in potentia, quàm in A. C.; & natura habet majorem poteſtatem in actu in A. B., & majorem in potentia in A. C.: nam quantò majorem poteſtatem morbus deducit de potentia in actum contra naturam, tantò majorem poteſtatem natura conatur deducere de potentia in actum conſervando poteſtatem in actualitate: veruntamen quia febris eſt duplex, ideo natura à morbo tam ſæpe vexatur, quòd propter longam continuationem ejus ſubjectum corrumpitur, & non poteſt habere ſuprà dictam ordinationem contra morbum.

Illud, propter quod quartana ſimplex & duplex ſunt diverſæ, eſt per hoc, quia media ſunt plùs mixta & parata in quartana duplici, quàm in ſimplici, ut unus humor transeat in alios; & quia natura non habet tantum ſpatium quieſcendi, neque ordinandi ſuas vires contra morbum, ideo febris duplex eſt major & moleſtior, quàm ſit ſimplex; & quantò eſt major, tantò natura majores vires debet habere in actu & minores in potentia: & per hoc natura eſt magìs diſpoſita, ut vincatur à morbo in duplici, quàm in ſimplici.

Natura conſervat medium, per quod A. B. ſimul conveniunt; & hoc idem facit de medio ipſorum A. C., & ſimiliter de medio ipſorum C. D., & etiam de medio ipſorum D. B.; & hoc tibi ſignificatum eſt in *Capitulo ſeptimo*: morbus verò facit totum contrarium illius, quod operatur natura; unde in deſtructione ſubjecti qualitatum multiplicatur morbus; & ideo in quartana duplici humores plùs miſcentur & dividuntur, quàm in ſimplici; miſcentur enim plùs, ut poſſint eſſe plùs contrarii; dividuntur verò, in quantum materia ipſorum corrumpitur, ne ſit

subjecta formæ. Unde cùm hoc ita sit, secundùm quod intellexisti de cura quartanæ simplicis, potes cognoscere curam quartanæ duplicis.

CAPUT XXIV.

De Febre Tertiana simplici.

TErtiana incipit in camera ipsorum A. B. scilicet in quadrangulo, qui est de cholera, & tertiâ die mutatur in cameram ipsorum C. D., & quintâ die ad cameram ipsorum A. B. revertitur; & ideo est pejor in quinta die, quàm in tertia; & die nonâ, quàm septimâ; & decimâ tertiâ, quàm undecimâ: & hoc idem sequitur de alio numero, secundùm quod tibi significatum est in *Capitulo de quartana simplici*, quod tibi potest esse principium significativum, qualiter in tertiana simplici cognoscatur dies, quæ est de terminatione vel de morte.

Cùm cholera sit calida & sicca, & febris tertiana causetur ex cholera, & ejus formam & complexionem retineat, intelligere potes de tertiana, secundùm quod intellexisti superiùs de quartana; & per hoc tibi significatur, quòd ignis est elementum levius velocius & subtilius & magis operativum, quàm aqua, in quantum sæpiùs operationem facit cum terra in generando, & faciendo reverti paroxismum tertianæ simplicis, quàm facit aqua cum terra in generando & faciendo redire paroxismum quartanæ simplicis: & hoc idem tibi significatur de quartana duplici, & de tertiana duplici; & idcirco natura non habet tantum spatium ad ordinandum cameras contra morbum in quadrangulo ipsius choleræ, quantum habet in quadrangulo melancholiæ. Unde per hoc potes intelligere, quòd tertiana convenit cum triangulo per velocitatem & per subtilitatem materiæ, & quartana convenit cum quadrangulo per tarditatem & grossitiem materiæ.

Tam fortiter & tam sæpe A. in tertiana accedit ad suam simplicem materiam, & se cum illa conjungit, quòd impedit operationem ipsius B., quam habet in desiccando materiam ipsius A.; propter quod impedimentum non potest D. transire ad refrigerandam materiam ipsius A., & per hoc naturalis operatio in privationem devenit, & formatur alia operatio extranea, per quam multiplicatur cholera, & per consequens tertiana. Unde debes administrare infirmo subtilem materiam, quæ sit de complexione ipsorum D. C., ut propter subtilitatem ad materiam ipsorum A. B. meliùs possit transire.

Ratio, quare in febre tertianâ materia subjecta ipsi B. est superfluè desiccata, est per hoc, quia D. non potest illuc transitum facere, nec etiam potest transire ad materiam ipsius A., neque materiam ipsius B. de materia aquæ potest implere, quæ materiam aëris ipsi C. subjectam recipit. Unde, si tu vis adjuvare materiam ipsius B., convenit, quòd administres infirmo tantum de C. D., quòd materia ipsorum C. D. possit per B. & per A. decurrere ac transire; quod B. juvare poteris, secundùm quod suprà dictum est, si perfectè intellexisti triangulos hujus Artis & conditiones suprà dictæ Arboris.

CAPUT XXV.

De Febre Tertiana duplici.

FEbris tertiana duplex incipit in camera ipsorum A. B., & postea mutatur ad cameram ipsorum A. C.; in tertio verò die mutatur ad cameram ipsorum C. D., & postea mutatur ad cameram ipsorum D. B., & revertitur ad cameram primam ipsorum A. B. in quinta die, in qua fortior est, quàm in aliis diebus præcedentibus: & hoc idem sequitur de nona die, in qua ipsa febris est fortior, quàm in septima: & sic de alio numero qui sequitur; per quem numerum cognoscere poteris majorem actionem & accessionem.

Tertiana duplex inter diem & noctem per quasdam cameras decurrit, alias verò cameras dimittit secundùm horas & puncta: unde in istis cameris, quas ipsa febris relinquit, operatur natura, & ordinat, qualiter sit contra ipsam febrem in cameris, per quas ipsa decurrit; & C. D. quiescunt, ut vires recuperent; & quia natura non habet tam longum tempus, nec tam longum spatium contra morbum in cameris, quando febris est duplex, quàm habet, quando febris est simplex, & non valent A. B. tantum quiescere, quàm cùm ipsa febris est simplex: per hoc tibi demonstratur, quòd febris duplex fortiùs cum majoritate & cum non esse convenit, quàm simplex; & per istam cognitionem tibi revelatur, quòd materia ipsorum A. B. in tertiana duplici magis distat à forma naturali infirmi, & magis appropinquat ad formam alteram, quàm in tertiana simplici; & in duplici est materia subtilior & velocior, quàm

quàm in simplici; & si hoc ita non esset, sequeretur, quòd A. B. non haberent tantam operationem & frequentationem per majoritatem, quantam habent per minoritatem; hoc autem est impossibile & contra principia naturalia.

Per suprà dictam impossibilitatem tibi revelatur in urina, quòd per tertianam duplicem A. B. plus dissolvunt de materia ipsorum C. D., quàm per simplicem; & ideo urina efficitur magis rubea, & magis spissa, & minùs subtilis per duplicem, quàm per simplicem: & per hoc sub colore sanguinis & aquæ corporalibus oculis color ignis, qui est claritas, & etiam color terræ, qui est nigredo, fortiùs absconditus est in tertiana duplici, quàm in simplici. Unde, si tu hoc intellexisti, *per id, quod intelligis in hoc principio, potes intelligere defectum particularium sensuum sensualium, & exaltationem intellectûs, qui exaltatur ad intelligendum suprà sensus corporales.*

Scis, quare tertiana non durat tantùm, quantùm durat quotidiana? Contingit per hoc, quia tertiana duplex semper in duabus cameris prædictæ Rotæ percutit & invadit, secundùm quod diximus; quotidiana verò invadit & percutit in omnibus suprà dictis cameris: & quia natura fortior est in omnibus, quàm in quibusdam, ideo febris quotidiana longior est, quàm aliqua tertiana.

Multa tibi dicere possemus de tertiana duplici, & multa principia possemus invenire; veruntamen per tertianam simplicem, secundùm quod demonstravimus, & per suprà dicta principia te poteris dirigere ad intelligendum tertianam duplicem.

CAPUT XXVI.

De Febre quotidiana.

QUotidiana est febris omnium dierum, quia quotidie patientem invadit: differt autem à tertiana duplici, in quantum ipsa potest esse de quadrangulo phlegmatis, de quo non potest esse tertiana duplex; & plùs accipit de cameris, quàm tertiana duplex; & etiam sub colore urinæ sensuali abscondit plùs de colore intellectuali, quàm tertiana duplex; & ipsa quotidiana fortiùs dissolvit materiam, & per longiorem continuationem magis contrariatur naturæ. Unde secundùm pulsum & urinam, & secundùm quod dies & nox in quatuor partes dividuntur, ut quodlibet ipsorum A. B. C. D. tempus sibi appropriatum habeat, potes cognoscere, per quem quadrangulum suprà dictæ figuræ febris quotidiana decurrat:

CAPUT XXVII.

De Febre continua lenta, & de continua acuta.

COntinua febris est, quæ omnes cameras quadrangulorum figuræ circularis comprehendit; tantùm autem differt continua ab acuta, quia acuta est in omnibus cameris æqualiter suprà naturalem operationem; & continua est major in quibusdam cameris, quàm in aliis; & per hoc febris continua acuta est major, quàm continua lenta.

Tam fortiter & tam frequenter Natura vexatur & vincitur in omnibus cameris suprà dictæ figuræ, quòd anima non potest esse forma ipsi corpori, ut corpus potentiis animæ iustrumentum esse possit; & per hoc patientes febrem continuam & acutam in vanum & sinè distinctione loquuntur. Unde per hoc tibi significatur, quòd, cùm „aliquis patiens tertianam vel quotidia„nam vanè loquitur, tunc est signum fe„brîs continuæ & acutæ, quæ ponunt suas „radices in tertiana, vel in quotidiana; & „est signum transmutationis ipsius tertia„næ vel quotidianæ in continuam, ut con„tra naturam magis vigorosa esse possit: & „illud idem significatur in tertiana, in qua „nulla fit purgatio, quia accedit ad conti„nuam, in qua non fit aliqua purgatio us„que ad terminationem; & illud ideo, „quia Natura non habet ibi posse purgan„di, quousque ex toto morbum devicit.

De quotidiana continua & acuta brevissimè locuti fuimus, quia de quartana & tertiana sufficienter tractavimus. Unde per principia tradita de quartana & tertiana potes Medice dirigi ad cognoscendum & curandum alias species febrium, si sequeris conditiones suprà dictæ Arboris, si tibi per divinam potestatem in hoc licentia data fuerit, & auxilium ad juvandum.

DISTINCTIO VIII.
De Urinis.

IN generali sunt *quatuor* differentes Urinæ, per quas *quatuor generales colores* elementorum demonstrantur. Unde sicut A. existens in E. tenet sub se B. C. D., ita unus color tenet sub se alios colores; veruntamen propter morbos & propter dissolutionem humorum formantur multi colores in speciali, ad significandum particulares infirmitates: *& quia per universalia potes descendere ad particularia, ideo nos tractamus in universali de quatuor differentiis urinarum, quæ per diversitatem choleræ, sanguinis, phlegmatis & melancholiæ causantur & significantur.*

CAPUT XXVIII.
De Urina significante Dominium Choleræ.

SIcut per tactum pulsûs potes cognoscere duos humores, qui se demonstrant per duas diversas percussiones, quas pulsus facit in tuis digitis, ita in febre tertiana simplici ignis & terra demonstrant suos colores: nam in eo, quòd urina est clara & rubea, ignis demonstrat, quòd habeat claritatem; quam claritatem demonstrat in nigredine terræ, secundùm quod potes videre in igne, qui ex Pyrite in nigrum igniarium excutitur; in quâ nigredine ipse ignis meliùs demonstrat suam claritatem. „Ex quo tibi revelatur „secretum coloris ignîs & terræ, videlicet, „quòd ignis habet claritatem, & terra habet „nigredinem.

Color rubeus in urina apparens tibi demonstrat sanguinem, qui convenit cum aëre; qui aër se demonstrat in colore sanguinis; & aqua se demonstrat in materia; sicut contingit in vino, in quo est multa aqua; propter quam multitudinem color & materia ipsius vini se inclinant ad colorem album. „Unde, si hoc bene intelligis, „poteris intelligere, quòd, sicut quatuor ele„menta per A. B. C. D. denotata se demon„strant in suis operationibus, ita in urina „demonstrantur operationes ipsorum ele„mentorum per prædictos colores.

Quantò major est color rubeus in urinâ, tantò minor est ibi claritas: & hoc ideo, quia subjectum ipsius A. fortiùs impletur materiâ ipsius B.; & ideo ignis non habet, in quo tam fortiter suam claritatem manifestare possit, nec terra suam nigredinem, quam semper in ignea claritate manifestat: propter quod in urina spissa & rubea significatur magìs esse de corrupta materia, quàm in urina rubea simul & clara.

Sicut de Deo non potest haberi demonstratio nisi per ejus operationes, ita de quatuor elementis non potest haberi cognitio nisi per ipsorum operationes: & ideo debes recolere triangulum viridem, in quo differunt, concordant & contrariantur ipsorum operationes, & diversimodè manifestantur secundùm diversitatem quinque particularium sensuum: quemadmodum enim A. in E. demonstratur per saporem, ita in urina demonstratur per colorem. *Unde, si hoc principium perfectè intelligis, per ipsum poteris exaltare intellectum ad intelligendum alia quàm plura principia, per quæ poterunt manifestari secreta, quæ elementa habent in suis operationibus.*

CAPUT XXIX.
De Urina significante Dominium Sanguinis.

URina causata ex dominio ipsorum C. A. est rubea in colore, & spissa in substantia: & quia C. est contra B., non potest B. esse subjectum ad repræsentandum splendorem ipsius A., nec A. potest manifestare nigredinem ipsius B.; & ideo in rubedine se demonstrat C. in colore & in materia, & A. se demonstrat in materiâ tantùm. „Unde, si „hoc bene intelligis, poteris intelligere, „quòd C. sub se habet A., in quantum in „urina C. demonstratur per colorem & per „materiam, & A. demonstratur solùm per „materiam sinè colore: & per hoc potes „sentire colorem & materiam visibiliter.

In urina, quæ est à prædominio ipsorum C.A., manifestatur A. in materia & virtute, & D. in materia tantùm; quæ materia est spissa, & subjecta ipsi C.; & ideo talis urina est rubea & spissa. „Unde, si hoc intelligis, pote„ris intelligere, qualiter elementa diversifi„cantur in materia & virtute: quantò magìs enim

„enim urina est rubea & spissa, tantò plùs „continet de materia cujuslibet elementi; „veruntamen C. A. sunt ibi in majori vir„tute, quàm B. D.: & ideo debes curare „infirmum cum subtili materia & multipli„catione virtutis ipsorum B. D.

In privatione operationis ipsorum C. A. destruitur eorum virtus, & in destructione virtutis corrumpitur materia: & per hoc potes intelligere, quòd, quantò materia est spissior, tantò magis motus cordis impeditur, & etiam virtus operativa ipsorum C. A.: & ideo per phlebotomiam minuere debes materiam, ut non cesset motus, per quem C. A. habent virtutem operativam; per quam virtutem renovatur virtus operativa ipsorum B. D.

CAPUT XXX.
De Urina significante Dominium Phlegmatis.

URina, quæ est ex dominio ipsorum C. D., abscondit in se colorem ipsorum A. B., si sit alba & spissa, & in parte contineat aliquid de rubedine in similitudine loturæ carnium crudarum: si verò sit alba & spissa absque participatione alicujus alterius coloris, demonstratur per eam, quòd ipsum D. sit majus: si autem sit alba & spissa ad nigredinem trahens, tunc D. cum B. convenit in materia, & cum C. disconvenit in virtute, in quantum fortiùs manifestat illud, quod sequitur per suam actionem, quàm illud, quod sequitur per suam passionem.

Per colorem autem compositum ex multa albedine & pauca rubedine, & per colorem compositum ex multa albedine & pauca nigredine potes cognoscere, qualiter D. se habet cum C. contra A., & se habet cum B. contra A.; quia C. B. conveniunt cum A.; propter quam concordantiam D. est contra B., quando ostendit rubedinem; & est contra C., quando ostendit nigredinem. Unde, si hoc bene intelligas, potes intelligere, qualiter potest quid existere per B. C. cum A. contra D., causando in urina rubedinem sinè albedine, aut claritatem & citrinitatem sinè nigredine. „Unde, si „hoc intelligas, perfectè intelliges, qualiter „poteris facere curam *per simile* vel *per con„trarium*; *per simile* enim, in quantum A. „convenit cum B. C., & B. C. conveniunt „cum D.; *per contrarium* autem, in quan„tum A. per medium potest resistere ipsi „D. concordando se cum B. C., ut concor„dantiam ipsorum D. C. B. possit destruere: si autem hoc non intelligas, recurre ad gradus & triangulos, nec non ad conditiones suprà dictæ Arboris, quibus mediantibus tibi patebit via ad hoc intelligendum.

CAPUT XXXI.
De Urina significante Dominium Melancholiæ.

URina Melancholiæ significans dominium B. D. est alba & clara; alba enim est propter D., clara verò propter hoc, quia aqua continetur per terram, quæ est ei vas siccum, adhoc, ut C. in aqua mortificetur. „Unde, si hoc bene intelligas, „intelliges, qualiter terra aquam continet „contra C.; & per hoc, quod intelliges, „poteris frangere vas cum C. A., si cum tuo „intellectu scias discurrere per gradus & „per triangulos præcedentes: sicut enim sol illuminando aërem format diem, ita B. D. concordando in materia formant noctem, quæ est in colore nigro & spisso. Ex quo metaphoricè manifestatur in consimili colore urina, quæ est nigra & spissa; quæ nigredo ita manifestatur per multitudinem materiæ terrestris & aqueæ, sicut in cholera manifestatur per multitudinem splendoris ignei. Unde, si hoc intelligas Medice, & vis curare ipsum infirmum, convenit, te multiplicare virtutem in A. C. per subtilem materiam ipsorum A. C., ut eorum virtus possit intrare in grossam materiam ipsorum B. D.

Multoties autem contingit, quòd urina propter aliqua accidentia non demonstrat veritatem ægritudinis; ideo debes recurrere ad pulsum, & ad colorem faciei & oculorum infirmi, & etiam ad dispositionem & colorem corporis ejus, nec non ad omnia alia signa, quæ possunt subtiliter perscrutari, ut urina te non inducat in errorem & deceptionem qualitatis morbi, quæ sub colore abscondit infirmitatem.

DISTINCTIO IX.
De Pulsibus.

SPecies pulsuum in generali sunt *quatuor* ad demonstrandum operationem ipsorum A. B. C. D.; quæ operatio incipit in corde, quod mittit ipsa A. B. C. D. per omnes partes corporis, dando ipsis partibus A. causâ fortificandi in ipsis naturalem calorem, & ad se attrahendo ipsum D., ne nimia abundantia ipsius A. ibi existentis ipsum cor possit destruere.

CAPUT XXXII.
De Pulsu significante Dominium Choleræ.

QUando A. B. dominantur in aliquo corpore, pulsus ipsius corporis facit in omnibus quatuor digitis tangentis ipsum duos ictus; & illud ideo, quia in compositione choleræ ipsa A. B. existunt à prædominio, quorum quodlibet facit unum ictum; sed unus ictus præcedit alterum, & unus est major altero, & unus non percutit in loco, in quo percutit alter; nam percussio ipsius A. est major, & antè fit, quàm percussio ipsius B.; ambæ verò percussiones immediatè & subitò fiunt una post aliam, & sunt acutiores, & velociores, & etiam cum majori vacuitate arteriæ, quàm percussiones factæ in pulsu corporum aliarum complexionum.

Per motum cordis A. dat unam percussionem ipsi C., ad hoc, ut C. transeat ad ipsum D.; & C. dat unam percussionem ipsi D., ad hoc, ut ipsum A. transire possit in ipsum D.; & D. dat unam percussionem ipsi B., ad hoc, ut transeat ad A.; B. verò dat unam percussionem ipsi A., ad hoc, ut in illo ponat D. Unde ex omnibus istis percussionibus non sentiuntur nisi solummodo duæ, videlicet percussiones ipsorum A. B.; & hoc ideo, quia sunt majores percussiones aliis in ipsa cholera.

Secundùm quod cor magìs indiget D. ad refrigerandum A., accelerat prædictas percussiones; unde per frequentiam & velocitatem percussionum & per triangulos potes habere certam cognitionem de pulsu: & quando urina significat choleram in magna actione existere; & tamen pulsus est debilis, tunc tibi significatur, quòd cor amisit suam virtutem & suas vires, & A. B. quasi destruxerunt subjectum ipsorum C. D.

Cùm aliquis patitur febrem tertianam, tam sæpe C. D. transeunt per A. B., quòd A. corrumpit materiam ipsius D., & D. corrumpit materiam ipsius A., & C. corrumpit materiam ipsius B., & B. materiam ipsius C.; & propter corruptionem materiæ corrumpitur forma; & sic septimum punctum ipsius A. appetit aliam formam in ipsa materia, ut ordinatè & sinè resistentia sub se possit tenere alia puncta: veruntamen, si punctum simplex habet potestatem contra morbum, tunc tam sæpe una litera percutit aliam, quousque quælibet recuperat suam virtutem, fortificante qualibet suam materiam per suam percussionem, ac etiam per percussionem alterius.

CAPUT XXXIII.
De Pulsu significante Dominium Sanguinis.

PUlsus hominis sanguinei est magnus & plenus & suavis, & facit duas percussiones; una est propter C., alia propter A.: & propter spissitudinem materiæ istæ percussiones non possunt esse tam veloces, nec tam propinquæ una alteri, quemadmodum in pulsu hominis cholerici: ideo morbus causatus ex sanguine non est curabilis in tam brevi tempore, sicut morbus causatus ex cholera, nec etiam destruit tam citò suum subjectum, sicut cholera. Percussio autem facta ab ipso C. est major, quàm percussio ipsius A.: veruntamen percussio ipsius A. est acutior & subtilior, quàm percussio ipsius C.

CAPUT XXXIV.
De Pulsu significante Dominium Phlegmatis.

PHlegma est fortius propter D., quàm propter C.; cùm D. sit in ipso in quarto gradu, & C. non sit ibi nisi in tertio: & ideo D. in pulsu hominis phlegmatici facit majorem percussionem & pleniorem & duriorem, quàm C.: percussiones quoque ipsorum D. C. non sunt ita veloces, nec ita frequentes, & percussio ipsius B. est acutior & durior & prior, quàm percussio ipsius D.: percussiones etiam ipsorum B. D. sunt frequentiores, quàm percussiones ipsorum C. A. in corpore sanguineo; sunt tamen tardiores, & una magìs remota ab altera, quàm percussiones ipsius choleræ. Secundùm regulam & dispositionem eorum, quæ diximus de pulsu hominis cholerici, potes intelligere de pulsibus aliarum complexionum, secundùm quod convenit illarum qualitatibus.

CAPUT XXXV.
De Pulsu significante Dominium Melancholiæ.

MElancholia, cùm dominatur, facit in pulsu duas percussiones sensibiles: major percussio est de B., & minor de D.;

DISTINCTIO X.
De Metaphora.

CAPUT XXXVI.
De Metaphora 1. Appetitûs in Febri calida.

METaphora significat unam rem pro alia, quemadmodum infirmus, qui est propinquus morti, & est frigidus, & desiderat frigiditatem, & inquirit in lecto, quomodo possit invenire & sentire frigiditatem: unde tunc tibi significatur, quòd sensus frigiditatis est destructus per magnam abundantiam caloris; & ideo Natura in appetitu, quem habet infirmus inveniendi frigiditatem, significat, quòd vellet recuperare sensum, quem perdidit, videlicet sensum frigiditatis, quam infirmus habet, & tamen ipsam non sentit.

De Metaphora 2. Appetitûs in Febri frigida.

CUm febris venit cum frigore, & infirmus appetit calorem, & est calidus per febrem, tunc metaphoricè infirmus appetit calorem contra frigiditatem, quanquam in ipso sit magìs de A., quàm de D.: unde suus appetitus significat, quòd calor naturalis corrumpitur, & quòd D. intrat in A. causâ corrumpendi naturalem calorem; & ideo infirmus sentit D., & non sentit A., & appetit A. contra D.

Secundùm illud, quod superiùs dictum est, infirmus desiderat cibaria contraria vel concordantia sanitati; nam sicut infirmus frigiditatem desiderat, quanquam in ipso sit caliditas; ita septimum punctum simplex, de quo locuti fuimus *Distinctione de generatione & corruptione*, facit ipsum appetere cibaria contraria sanitati vel infirmitati, secundùm quod ipsum punctum conatur resistere infirmitati, aut in ipsa materia appetit alteram formam.

De Metaphora 3. Numeri septenarii & duodenarii.

PEr septem dies septimanæ, & per septem planetas significantur septem puncta, in quæ dividitur A., quod est in quarto gradu; & per septem puncta ipsius A., & per tria puncta ipsius B., & per duo puncta ipsius C., & per unum punctum ipsius D. existentia in E. tibi significantur duodecim Apostoli & JESUS CHRISTUS, qui est ipsorum Caput; sicut septimum punctum simplex, quod est forma aliis duodecim in E. vel in K. & O.: & etiam per septimum punctum simplex, quod non intrat in compositionem cum aliis punctis, significatur septima dies, quâ DEUS requievit; quæ dies est forma aliis sex diebus septimanæ, quemadmodum septimum punctum simplex ipsius A., quod est forma aliis sex punctis, quæ miscentur cum B. C. D.

De Metaphora 4. Incarnationis.

PRæterea per suprà dictum nobile punctum simplex, quod est forma aliis punctis in elementato corpore, metaphoricè tibi reve-

revelatur, quòd Filius DEI humanam carnem assumpsit; ut humanitas, quam assumpsit, sit finis & complementum omnibus creaturis; & etiam ut Filius DEI illi humanitati complementum existat: & per illam humanitatem tota divina Essentia est complementum creaturis. Et per contrarietatem punctorum, quæ sunt contra septimum punctum, per quam contrarietatem incurrunt corruptionem & defectum, tibi significatur, quòd omnes homines, qui sunt contrarii humanitati, quam Filius DEI assumpsit, in magno defectu existunt.

De Metaphora 5.
Unitatis & Trinitatis DEI.

PRæterea in omni loco & in omni corpore elementato septimum punctum simplex appetit corpus simplex habens differentiam *materiæ*, *formæ* & *conjunctionis* absque corruptione & contrarietate; & ad inquirendum illud tale corpus die ac nocte moveri non cessat, & ad ipsum finem movet omnia alia puncta, quæ sunt similiter sub ipso, & quibus ipsum est forma. Ex quo secundùm metaphoram revelatur Unitas & Trinitas nostri Domini DEI, qui est simplex forma sinè materia; & habet in se distinctionem Personarum absque distinctione Essentiæ; & est complementum omnium complementorum, ac omnium perfectionum concordantia & simplicitas.

De Metaphora 6.
Elementorum Simplicium & Compositorum.

PEr suprà dictum punctum simplex natura conservat suas species, & adducit formas de potentiâ in actum; & per suprà dictum punctum conservatur sanitas, & revelatur resurrectio; sinè quâ ipsum nobile punctum non posset habere id, quod appetit, nec ad illud posset attingere. Et insuper per ipsum punctum revelantur elementa simplicia & eorum operationes & Sphæræ ac elementa composita, quæ in punctis existentibus sub ipso consistunt. Ulteriùs per ipsum punctum tibi significatur sanitas & morbus, & multa alia, quæ enarrare prolixum accideret, per suprà dictum nobile punctum metaphoricè revelantur. Unde quicunque est amator scientiæ, sciat habere ipsius cognitionem.

De Metaphora 7.
Virtutum & Vitiorum.

GRadus & Trianguli ac conditiones suprà dictæ Arboris tibi revelant, qualiter una virtus conjungitur cum altera, & unum vitium cum altero; & quomodo virtutes & vitia ad invicem sunt contraria. *Et etiam per exempla, quæ tibi in hoc libro sunt data, potes habere cognitionem de scientia Theologiæ, & de Jure, & de naturis (naturali Philosophia,) & de Medicina: nam sicut suprà dictum punctum est complementum sanitatis, ita commixtio graduum & florum Arboris & ipsorum conditiones sunt metaphoricè demonstratio suprà dictarum scientiarum:* sicut enim arbor onerata fructibus metaphoricè significat homini, quòd ipse facere debeat bona opera, & avis volans per aërem significat Crucem nostri Domini JESU Christi, & per leprosum & asinum significatur homini, quòd, in quantum nollet esse leprosus, nec asinus, tantum non debeat consentire peccato propter amorem DEI, qui potest ipsum facere leprosum vel asinum, ita secunda Brancha Arboris metaphoricè significat primam Brancham: nam per exempla, quæ de secunda Brancha assignavimus, revelantur secreta primæ Branchæ. *Et ideo finalis intentio hujus Artis est, quòd intellectus per unum principium exaltetur ad alterum principium artificialiter intelligendum:* nam per alium modum isti contrarium intellectus non haberet artem ad unum principium per alterum intelligendum & cognoscendum.

De Metaphora 8.
Motûs Circumferentiæ & Purificationis Centri.

FIrmamentum movetur circa terram, & corpus hominis est nobilius cæteris corporibus elementatis; & hoc ideo, quia operatio elementorum est in ipso nobilior. & „per hoc metaphoricè tibi revelatur, qualiter nobile punctum septimum in extremitatibus corporis movet alia puncta, quibus „est forma; & in corde se subtiliat, & purificat quantum potest, ut sit simplex.

De Metaphora 9.
Jejunii.

PRæterea per ipsum septimum punctum demonstratur & significatur una dies septimanæ, in qua homo debet jejunare, & parum debet comedere & bibere, ut prædictum septimum punctum possit rectificare & ordinare alia puncta, quæ propter superfluitatem cibariorum discordant & inordinantur ab esse materia, cum qua septimum punctum sit ipsorum forma. Et hoc idem sequitur de temperamento, quod oportet illum habere, qui sanitatem amat, & quicunque vult, quòd punctum simplex sit forma aliis punctis.

De Metaphora 10.
Temperamenti & Productionis in DEO & Incarnationis.

EX hoc, quòd quartus gradus ipsorum A. B. C. D. movetur de potentiâ in actum, & de actu in potentiam in humanâ specie tantùm, tibi revelatur metaphoricè, quòd majus temperamentum sit in humano corpore, quàm in aliquo alio corpore, quarto gradu actuali tenente alios quartos gradus in potentiâ proportionaliter; ut quartus gradus sit forma aliis gradibus actualibus, quos ipse quartus facit sibi similes. Et per istam metaphoram tibi revelatur divinum secretum similis operationis naturalis, quæ existit in sanctissima Trinitate nostri Domini DEI: nam sicut quælibet creatura conatur naturaliter, quantum potest, facere sibi ipsi similem, ita convenit, quòd in divinâ essentiâ sint diversæ operationes, & quòd in ipsâ sit aliquis, qui faciat sibi ipsi similem in infinitâ virtute, potestate, sapientiâ, amore & essentiâ: nam si hoc ita non esset, creatura & ejus operatio & ejus appetitus concordarent cum esse & majoritate ac perfectione; & DEUS concordaret cum minoritate, imperfectione & privatione, quod est impossibile & contra Quadrangulum & conditiones suprà dictæ Arboris. Per quam impossibilitatem tibi revelatur secretum Incarnationis Filii DEI, qui assumpsit humanam carnem causâ faciendi creaturam sibi similem, h. e. humanitatem, quam assumpsit, quæ est ad suam similitudinem, in quantum est melior & potentior & sapientior & amabilior, & habet plus virtutis & justitiæ, quàm omnes aliæ creaturæ.

De Metaphora 11.
Primæ Materiæ.

PEr mixtionem & conjunctionem materiæ subjectæ ipsis A. B. C. D. in E. F. G. H. K. L. M. N. O. P. Q. R. S. T. V. Y. metaphoricè revelatur primordialis materia, de quâ locuti sumus *Distinctione tertiâ Cap. 9. de mixtione E. S. parag. secundum hoc*, quæ est potentia & subjectum ac materia universalis & communis particularibus & specialibus materiis ipsorum A. B. C. D.; quæ particulares ac speciales materiæ metaphoricè revelantur per particulares & speciales materias ipsorum E. F. G. H. K. L. &c. quæ quatuor suprà dictæ materiæ sunt generales, universales, communes & potentiæ ipsi materiæ subjectæ formis individuorum naturalium specierum; quæ individua sunt sensualia ad hoc, ut metaphoricè significent primam materiam & ejus partes, quæ sunt subjectæ formis elementalibus insensibilibus & intelligibilibus, de quibus generantur individua sensualia, & ad quæ per corruptionem redeunt, secundùm quod tibi significatum est in conditionibus Arboris & in mixtione graduum & triangulorum atque in formis potentialibus ipsorum A. B. C. D.: nam cum A. calefacit materiam ipsius D., tunc D. est in potentia in sua materia, & è converso: & hoc idem sequitur de B. C. & B. A. & de A. C. & de C. D. & de B. D. Et per hoc tibi revelatur, quòd materiæ, in quibus prædictæ literæ potentialiter existunt, sunt in particularibus: & per hoc tibi revelantur elementa, & etiam insimul revelatur prima materia subjecta particularibus materiis, in quibus A. B. C. D. potentialiter & actualiter existunt.

De Metaphora 12.
Veneni.

IN aliquibus herbis reperiuntur aliquæ species, quæ humano corpori sunt venenum; in quo veneno elementa sunt valde propinqua suæ simplicitati: & ideo, cùm contingit, quòd ipsum venenum ingreditur humanum corpus, contrariatur naturæ elementorum compositorum; & hoc ideo, quia ad se attrahit suum simile destruens suum dissimile: & quia Theriaca mortificat venenum, quæ theriaca est facta de veneno, ideo tibi metaphoricè significatur, quòd medicinæ laxativæ propinquiores sunt simplicitati elementorum, & sunt plùs remotæ à compositione, quàm aliæ medicinæ non laxativæ; & ideo natura humani corporis ipsas non potest sustinere, nec ipsas convertere in potentiam vegetabilem, propter quod ipsas à se expellit. Unde per hoc tibi significatur, quòd venenati possunt curari cum medicinis laxati-

laxativis, si eis statim succurratur; quia ipsis laxativis concordantibus & convenientibus cum veneno natura expellens medicinas laxativas potest cum ipsis expellere ipsum venenum; & ipsæ medicinæ multùm juvant in educendo ipsum venenum, nam cum ipso conveniunt & miscentur. Hæc autem cura fit per ordinationem *Trianguli viridis* & suprà dicti *Quadranguli* secundùm experientiam medicinarum laxativarum, quæ, cùm recipiuntur in corpus, junguntur malis humoribus, qui in corpore, in quo sunt, non appetunt stare in compositione.

De Metaphora 13.

Quadragesimæ.

EX hoc, quòd vides in Vere arbores florescere, nodos emittere & folia producere, & quòd eis prodest, ipsas putare, & circa ipsas fodere, tibi revelatur metaphoricè, quòd homines in Vere debeant phlebotomare & sæpe balneare, sed parum comedere & bibere, ut transitus & mixtio materiarum ipsorum A. B. C. D. unius in alteram non impediatur, & ut loca sint instrumenta disposita & ordinata ad transitum & mixtionem adhoc, ut sit ordinatus fructus per totum annum ad conservandam sanitatem, qui fructus tibi metaphoricè significatur in fructibus arborum & seminum. Unde cùm hoc ita sit, idcirco per dispositionem & ordinationem divinam & naturalem tibi metaphoricè revelatur, quòd in Quadragesima debeas jejunare, & parum comedere, & etiam, quòd Quadragesima est in maximè convenienti tempore anni, excipiendo tamen cibos sanitati contrarios.

De Metaphora 14.

Intemperantiæ & Diætæ.

SEnsualiter sentimus, quòd homo vel equus ex nimis veloci cursu subitò defatigatur, ac etiam videmus, quòd artifex nimis properans in opere non tam bene operatur, sicut si operaretur suaviter & discretè. Per hoc tibi metaphoricè revelatur causa, propter quam natura non potest sustentare longam vitam in homine, qui superfluè bibit & comedit, & utitur nimio coitu, & sic de aliis; nam per ea compellitur natura nimis properare in suis operationibus, propter quam properationem ipsa natura non habet tam nobilem operationem, quemadmodum haberet, si in suis actibus haberet temperamentum. Ex quo metaphoricè significatur, quòd patiens debeat observare diætam in sua infirmitate, ut evacuentur loca, per quæ A. B. C. D. debent transire.

De Metaphora 15.

Appetitûs Naturalis & Innaturalis.

SI es infirmus, & habes appetitum comedendi vel bibendi aliquid, quod sit de complexione ipsorum E. vel S., & ipso sumto tibi proficit, tunc natura tibi significat metaphoricè, quòd appetitu naturali appetit: si verò prædicta res sumta tibi nocet, tunc natura per appetitum innaturalem significat, quòd amiserit virtutem & operationem, per quam res, quam appetit, ei prodesset: & hoc idem sequitur per tactum & per sensum, si de hoc, quod desideras, facis unguentum vel emplastrum, quæ applicas locis vel partibus, per quæ sustines passionem, sentiendo dolorem vel aliquam aliam infirmitatem.

De Metaphora 16.

Viginti quatuor Horarum Diei.

IN E. quartus gradus dividitur in septem puncta, & tertius gradus in septem; secundus verò in sex, & primus in quatuor: & ideo E. dividitur in viginti quatuor puncta; per quæ tibi metaphoricè significantur viginti quatuor horæ diei & noctis, ad significandum, quòd quodlibet punctum secundùm naturalem appetitum habet suam horam: & illud idem sequitur de K. O. S.: & secundùm prædictas literas potes intelligere de literis, quæ sub ipsis existunt, videlicet F. G. H. L. M. N. P. Q. R. T. V. Y.; & divisio suprà dictorum punctorum intelligitur secundùm operationem elementorum & secundùm triangulos. Illud verò, propter quod septimum punctum simplex ipsius A. in E. est majus, quàm septimum punctum simplex ipsius B., est ideo, quia septimum punctum ipsius B. est in potentia, ad essendum in quarto in K. vel in alia specie; septimum verò punctum ipsius A. est in actu; & septimum ipsorum A. B. & sextum ipsius C. & quartum ipsius D. in hac divisione intelliguntur simplicia, de quibus solum septimum ipsius A. est operativum in actu, alia verò sunt in potentia. Ex quo primordialis materia revelatur, in quantum est generationi & corruptioni potentia; ut puncta, quæ sunt in potentia, deveniant in actum.

De

De Metaphora 17.

Unitatis Essentiæ in divinâ Distinctione.

PRæterea in E. illud, quod recipit A., est in tertio gradu, & quod dat ipsi C., est tantùm in secundo: veruntamen non diversificatur A. in se ipso in differentia operationis tertii & secundi; quod si esset, sequeretur, quòd in E. essent quatuor A., quorum unum esset in quarto gradu, aliud in tertio, aliud in secundo, & aliud in primo; hoc autem est impossibile, & contra naturalem cursum, & contra conditiones Arboris. Unde, si hanc metaphoram perfectè intelligas, tibi significabit, quòd in DEO divina Essentia non est diversa in Patre & Filio & Sancto Spiritu, quanquam unaquæque divinarum Personarum diversificetur ab aliâ: nam sicut A. per totum E. est in quarto, tertio, secundo & primo gradu sinè differentiâ suî ipsius, ita & multò meliùs absque omni comparatione divina Essentia est per totum Patrem, Filium & Sanctum Spiritum una divina Essentia tantùm absque aliquâ differentiâ suî ipsius, quanquam Personæ sint diversæ & distinctæ.

De Metaphora 18.

Resurrectionis.

QUando vides, quòd ignis, qui est sub ollâ, movet aquam, quæ bullit in ollâ, sinè motu ipsius ollæ, tunc metaphoricè tibi significatur, quòd, sicut A. B. C. D. moventur in corpore ollæ ab igne comburente ligna, ut perveniant ad aquam existentem in olla, ita per hoc, quod venit ad humanum corpus ex eo, quod recipit gustando, odorando, palpando, moventur A. B. C. D. in ipso corpore sinè destructione materiæ, quæ est subjecta formæ ad essendum corpus humanum; quam materiam & formam ipsum corpus habebit post resurrectionem, quæ nequaquam consumitur propter diminutionem pinguedinis, neque multiplicatur vel augetur propter ejus augmentum.

De Metaphora 19.

Nutrimenti.

CUm tu vides, quòd aqua nutrit & multiplicat vegetabilia, tunc metaphoricè tibi significatur, quòd per similem modum sanguis nutrit corpora animalium: & quemadmodum pluvia generatur ex vaporibus procedentibus à terrâ, & compositis ac dissolutis in aëre, ita etiam sanguis generatur ex rebus extrinsecis ingredientibus corpus: & quemadmodum aqua pluviæ exit ab aëre, ita per hoc tibi demonstratur, quòd calor naturalis exit à sanguine decurrente per omnes partes corporis, ut possit transire & nutrire calorem naturalem utentibus A. B. C. D. suis operationibus.

De Metaphora 20.

Tentationis & Meriti.

EX eo, quòd homines, qui sunt magìs beneficiati bonis temporalibus vel virtutibus, sunt magìs parati ad habendum vanam gloriam, tibi metaphoricè significatur secundùm conditiones Triangulorum & Quadranguli, quòd nec bona temporalia, nec bonum virtutis absque gratiâ supremi Regis possunt hominibus convenire: & quantò plùs boni homo in se habet, tantò minùs illi convenit ipsum bonum; & hoc ideo, quia bonum est majus, & homo est minus secundùm majoritatem boni: & ideo quantò magìs homines abundant bonis temporalibus aut virtutibus, magìs tentantur per vanam gloriam; propter quam majorem tentationem magìs parati sunt ad habendum meritum per fortitudinem & per humilitatem. Si consideres, quòd DEUS permittit te tentari à Dæmone de aliquo peccato, cui peccato bene scit DEUS te non consensurum, tunc tibi revelatur, quòd meritum consistit in operatione potentiæ, h. e. in actu; nam per potentiam sinè actu tu non resisteres tentationi dæmonis: & ideo omne meritum convenit cum esse & perfectione potentiæ. Unde si hoc intelligas, tibi revelatur, quòd in tentatione gloria DEO tribuitur.

De Metaphora 21.

Creationis.

SI A. posset totam materiam ipsi B. subjectam destruere, B. non haberet, in quo esset, & sic esset in privatione; & A. esset sicut DEUS, nam posset destruere illud, quod destrui non potest nisi solùm per divinam potestatem. Unde, si perfectè intelligas hanc Metaphoram, per ipsam poteris intelligere, quòd, si homo haberet potestatem creandi creaturas, sequeretur, quòd esset sicut DEUS, & quòd non esset creatura; & illud ideo, quia haberet potestatem, quæ soli DEO convenit. Si autem bene intelligas hanc meta-

phoram, per ipsam tibi significabitur alia metaphora; videlicet quòd si homo haberet potestatem creandi creaturas, & per hoc esset DEUS, quantò magis est aliquis in divina Essentia, qui generando infinitam potestatem est DEUS: & si hoc ita non esset, & homo esset DEUS, si crearet creaturam, sequeretur, quòd majus esset creare creaturam, quàm generare infinitam potestatem; hoc autem est impossibile & contra conditiones Triangulorum & Quadranguli; propter quam impossibilitatem & contrarietatem tibi metaphoricè revelatur in DEO beatissima Trinitas.

De Metaphora 22.

Perfectæ Voluntatis.

SI tua voluntas concordat cum esse, perfectione, majoritate contra non esse, defectum, minoritatem, si haberes potestatem, per quam posses esse melior & nobilior, quàm omnes aliæ creaturæ, tua voluntas vellet, quòd esses melior, quàm omnes aliæ creaturæ; igitur per ipsam voluntatem & potestatem te faceres meliorem & nobiliorem omnibus aliis creaturis. Unde, si hoc bene intellexisti, per hoc tibi revelatur, quomodo divina potestas & voluntas vult, quòd una creatura sit melior & nobilior omnibus aliis creaturis: quia si non hoc vellet, sequeretur, quòd tua voluntas plùs concordaret cum esse, perfectione & majoritate contra non esse, defectum & minoritatem, quàm divina voluntas; hoc autem est impossibile & contra conditiones Triangulorum & Quadranguli. Per quam impossibilitatem & contrarietatem tibi revelatur Incarnatio Filii DEI, & etiam nobilitas & melioritas, quam humana natura JESU Christi habet super omnes alias creaturas. Per quam revelationem tibi metaphoricè revelatur Processio Personæ Sancti Spiritus, quæ est in divinâ Naturâ: nam si DEUS vult, quòd per hoc, quia natura humana JESU Christi est unita Personæ Filii DEI, ipsa sit melior & nobilior omnibus aliis creaturis, quantò magis vult, & debet velle, quòd à Persona Patris & Filii procedat una Persona, quæ sit nobilior & melior, quàm omnes aliæ creaturæ: & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd voluntas DEI esset magis concordans cum esse, perfectione & majoritate in exaltando unam Creaturam super omnes alias creaturas, quàm in exaltando suam naturam super omnes alias naturas; hoc autem est impossibile & contra omnes conditiones superiùs nominatas.

De Metaphora 23.

Cholerici & Sanguinei.

IN K. est B. contra C., & D. est contra A.; & quia B. est in quarto gradu, & D. est tantùm in tertio, A. C. simul concordant contra B. D.; & ideo C. habet remedium, quòd non tam fortiter consumatur ab A., sicut consumitur in O. Et per hoc tibi metaphoricè significatur, quòd homo cholericus accidentaliter magis durat, quàm sanguineus; & hoc propter concordantiam, quæ est in A. C., contra B. D. Et per hoc tibi metaphoricè demonstratur, quòd, secundùm quod C. sufficit esse subjectum operationi ipsius A., Spiritus vitalis in humano corpore durat; & quòd A. non consumit tam fortiter C. in K., quemadmodum in O., cùm A. in O. sit in tertio gradu, & in K. sit in secundo.

De Metaphora 24.

Mortificationis & Vivificationis.

PIrum, in quo B. D. existunt à prædominio, tibi significat metaphoricè, quòd in tempore Æstatis mortifices A. cum ipsis B. D.: quia quantò magis multiplicas B., multiplicas D.; & multiplicando D. mortificas A.; nam A. recipiens ipsum B. recipiendo B. recipit ipsum D.: & quia B. recipit D., ipsum B. mortificat operationem ipsius A. in C.; unde tantò major est D.: & hoc idem tibi significatur de aliis temporibus anni; quia in Hyeme debes mortificare D. cum C. A.; nam quantò magis multiplicas C., tantò magis multiplicas A. per hoc, quia aër est de qualitate ipsorum C. A.: & hoc idem tibi significatur de tempore Autumni, in quo debes mortificare B. cum ipsis D. C.; nam in quanto majori gradu D. existit, tantò magis C. augmentatur, quâ augmentatione mortificatur B. in se ipso, ac etiam in operatione, quam habet in A.: si verò cupis mortificare C. in Vere, multiplica A. B.; quia in multiplicatione ipsius A. multiplicas B., & in multiplicatione ipsius B. mortificas C. in se ipso, ac etiam in operatione, quam habet supra D. „Unde cùm hoc ita sit, per hoc „tibi manifestatur, quomodo debes vivificare „ supra dictas qualitates; & etiam tibi „ significatur, quòd quatuor tempora anni sunt

„ sunt sicut quatuor species medicinarum „ simplicium, in quibus existunt quatuor „ gradus ascendentes & descendentes per „ mixtionem & dissolutionem ipsorum A. B. „ C. D. in quatuor suprà dictis temporibus.

De Metaphora 25.

Ascensùs & Descensùs.

IN tempore Æstatis B. est majus, quàm in tempore Hyemis, & hoc est propter multiplicationem ipsius A.: veruntamen non sequitur, quòd D. sit majus in Æstate, quàm in Hyeme; quanquam D. sit tantò majus, quantò magis B. multiplicatur: quia si hoc esset, D. majus esset in Æstate, quàm in Hyeme; hoc autem non est verum, quia D. existit sub A. in specie Æstatis, sicut in specie ipsius E. primus gradus D. est sub quarto ipsius A. Et propter hoc tibi metaphoricè significatur differentia inter unam curam & alteram, & inter unam multiplicationem & alteram; *nam temperatè fit cura ascendente & descendente uno gradu ad alterum, ût de quarto ad tertium, & de tertio ad secundum, & de secundo ad primum.* Alia verò cura fit descendente uno A., quod sit in quarto, de quarto ad secundum, vel de tertio ad primum. „Et per hoc tibi metaphoricè signi„ficatur, quòd cum magno D. potes mortifi„care magnum A., & è converso: & ideo in Æstate nascuntur cucumeres & cucurbitæ & aliæ medicinæ simplices, quæ habent magnam quantitatem ipsorum D. C.; ut cum ipsis mortificentur A. B. tempore Æstatis: & hoc idem sequitur de aliis temporibus, & de aliis curis. Hæc autem cura non est tam secura sicut prima contenta in *præcedenti Capite*, quod incipit. *Pirum in quo B. D.:* quia in ipsa est major contrarietas & differentia; & ideo subjectum sustinet majorem passionem, & ejus concordantia magis convenit cum minoritate & privatione per hoc, quia quodlibet elementum est magis contrarium alteri in sua actione & passione. *Unde, si tu Medice multùm amas scientiam & Artem Medicinæ, suprà dictæ duæ metaphoræ tibi multùm sint acceptabiles, & tuæ memoriæ fortiter imprimantur.*

De Metaphora 26.

Ordinis Medicandi.

IN Radice Arboris graduum tibi metaphoricè designatur in tarditate transitûs ipsius A. in C., & ipsius C. in D., & ipsius D. in B., & ipsius B. in A., quòd in principio morbi priùs ordines phlebotomiam, quàm vomitum, & vomitum, quàm decoctionem aut laxativum; & hoc ideo, quia natura se potest inde citiùs juvare contra morbum.

De Metaphora 27.

Sanandi Appetitum per Aquam.

QUoniam homo bibens aquam magis comedit secundùm naturalem cursum, quàm bibens vinum, per hanc metaphoram tibi significatur, quòd hominem, qui non habet appetitum, & patitur per A. B., vel per B. D., in principio suæ comestionis facias bibere aquam, ut in ipso possis multiplicare D. C.

Per suprà dictas metaphoras & per Arborem in principio hujus libri designatam tibi metaphoricè significatur, qualiter facere scias & debeas sedecim Electuaria concordantia cum qualitatibus & gradibus ipsorum E. F. G. H. &c. & artificialis compositio cujuslibet Electuarii fortificat medicinam, quæ est cum ipso concordans; & etiam, ut, ubicunque sis, & quocunque vadas, teneas Electuaria præparata, ut cum ipsis possis practicare secundùm mixtionem & compositionem Triangulorum & Quadranguli.

De Metaphora 28.

Medicinæ, quam scis vel nescis.

COntra repletionem tibi metaphoricè per hanc Artem significatur hæc cura secreta, quam non convenit ut sciat infirmus, ne ipsam curam despiciat, per quam potest à repletione sanari, secundùm quod significatur sequentibus verbis. Quando contingit, quòd homo sit infirmus propter repletionem, & quòd in illo naturalis calor sit suffocatus per superfluitatem ciborum vel potûs, divide illud, quod inter diem & noctem consuevit comedere vel bibere, in septem partes ponderis; & teneas illum in regimine diætæ per septem dies, quotidie demendo unam partem vel duas vel plures illius ponderis tam cibi quàm potûs usque ad diem septimam. *In illa verò parte cibi, quæ administratur, debes ponere secretè quendam pulverem de simplicibus qualitatibus, qui non sit medicinalis, nec pungens, nec naturam constringens:* si autem infirmus septimâ die nondum se sentiet melioratum, continua hanc

diætam etiam octavâ & nonâ die, & sic de die in diem, quousque sentiat se minùs debilitari: postea verò redde & augmenta illi quotidie unum vel duo pondera cibi, quousque fuerit reversus ad pristinum statum: „& „tunc potes cognoscere, quomodo medium „ Trianguli rubei se habet cum A. B. C. D. se„cundùm Triangulum croceum & viridem „& Quadrangulum: & tunc respice ad pon„dus nutrimenti, quod convenit cum „medio secudùm conditiones Quadrangu„li, & pone qualibet die in cibo de suprà dicto pulvere; nesciat tamen infirmus, de quo ipse pulvis sit factus, *nec tu es obligatus secundùm hanc artem facere hunc pulverem magìs de una re, quàm de alia*, sed per colorem vel alio modo fac materiam hujus pulveris esse ignotam infirmo; & per talem curam potes curare infirmitatem, & hæc cura est secura & proficua, & conservat sanitatem: *& ista cura sit tibi charior omnibus aliis per hoc, quia melius convenit cum septimo puncto, cui puncto DEUS dedit dominium suprà naturam compositam:* „& dicas, quòd pondus suprà dicti „pulveris convenit esse una uncia, vel secun„dùm pondus nutrimenti, quod convenit „cum suprà dicto medio. Unde, si intelligis, quæ superiùs diximus, per ea tibi metaphoricè demonstratur, quòd, sicut in scientia Medicinæ & in naturalibus septimum punctum dominatur aliis punctis, ita in scientia Juris Justitia exaltat bonum commune super bonum speciale, & generali submittit speciale, & vult, quòd speciale habeat patientiam & humilitatem, & quòd generale habeat perfectionem & dominium.

De Metaphora 29.


Salamandræ Philosophicæ.

CUm Salamandra vivat in igne, per hoc tibi metaphoricè significatur, quòd ita C. ipsius Salamandræ temperatè recipit A., respirando ignem, sicut homo recipit aërem, respirando aërem; quæ respiratio Salamandræ claudit igni ejus introitum, sicut fenestra clausa ab una parte cameræ claudit vento ejus introitum per fenestram apertam in alia parte cameræ. Unde, si hanc metaphoram bene intelligas, intelliges artem, quomodo impedias in infirmo, ne aliæ qualitates nimiùm recipiant ab aliis.

De Metaphora 30.

Astrolabii Nocturni.

SI facias de cupro vel de ære vel de alio metallo vel de papyro unam Rotam, quæ Sphæra noctis vocari potest, & est instrumentum, per quod horæ noctis possunt cognosci, quod instrumentum fit secundùm sequentem figuram, poteris per istam figuram metaphoricè percipere, in qua hora noctis A. B. C. D. fortiùs dominentur; nam quælibet ipsarum literarum secundùm motum firmamenti habet majorem potestatem in uno quadrangulo noctis, quàm in alio: & si hoc cognoscis, poteris scire horam, quæ convenit ad dandum medicinam, secundùm quod convenit cum qualitate literarum & cum horis: & si studes, vel es in itinere, per hanc Sphæram poteris cognoscere horam noctis.



Per

Per foramen, quod est in medio minoris rotæ respice stellam polarem, claudendo unum oculum, ut illam meliùs videre possis; & per horas viginti quatuor in ipsa Sphæra significatas respice majorem fratrem, quæ est stella circa ipsam polarem decurrens, nec moveas tuum caput, nec manus, cum quibus tenes Sphæram: & secundùm rectitudinem, in quam ipsa stella incidet, poteris cognoscere, quæ hora est noctis, & quot horæ transierunt, & quot horis dies ventura distat; dummodo scias cursum & ordinationem stellæ, secundùm quod in Rota significatur, videlicet quòd stella, quæ appellatur major frater, apparet in medietate Junii post occasum solis in camera, in qua scribitur Junius, manè verò oriente sole cessat apparere, vel absconditur in camera, in qua scribitur October; quia tunc nox habet tantùm novem horas: post Junium verò transit & apparet post occasum solis in camera Julii, ubi nox habet decem horas; & manè cessat apparere in camera Novembris: & post Julium transit & apparet in camera Augusti: & sic per totum alium numerum consequentem, quousque revertitur ad cameram Julii in capite anni. Intellige autem, quòd crux minoris rotæ foraminibus composita rectè coram tua facie debet situari, & teneas Sphæram tali modo, quòd reddat tuis oculis æqualem quantitatem aëris inter majorem circulum & minorem rotam in medio majoris existentem, & hæc de prædicta conditione ipsius Rotæ.

Multa quidem alia principia possemus enarrare secundùm hanc *Artem Metaphoricam*, sed quia habemus loqui de principiis Philosophiæ, Juris & Theologiæ, convenit nos dare finem Principiis Medicinæ, quæ sunt perfecta cum adjutorio & benedictione nostri Domini DEI.

Glossa Discipuli.

AD *majorem intelligentiam suprà positi Astrolabii nocturni convenit nos addere necessarias quasdam animadversiones, quarum*

Prima: *quòd præfatum Astrolabium secundùm numeros mensibus subscriptos determinatum sit ad certam elevationem poli; unde pro differentia elevationis poli ab utente substituendi sunt alii numeri longitudinem noctis designantes.*

Secunda: *cùm hoc instrumentum sit valde triviale, multis adhuc versantibus in metaphorica nocte hujus profundissimæ scientiæ, nec scientibus prospicere per foramen centri, ad contemplandum metaphoricam illam stellam polarem, circa quam omnia astra hujus libri volvuntur, videbitur ridiculum hoc planisphærium; quos rogamus, ut depositâ omni præventione legant priùs* Librum sequentem de Principiis Philosophiæ, Librum de Regionibus Sanitatis, Librum Artis Compendiosæ Medicinæ, Librum de Astronomia, *quibus perlectis & intellectis aliter judicabunt.*

Tertia: *cùm totus hic liber sit metaphoricus, ideo in hac figura est Rota in medio Rotæ, h. e. sub quolibet sensu literali, absconduntur plures sensus occulti continentes revelationem ac demonstrationem secretorum naturalium, prout ipsemet Illuminatus Doctor sparsim in hoc libro affirmat: ad quæ secreta eruenda convenit scire demonstrationem metaphoricam Raymundi, quam habet D. Author* Volumine 3. contemplationum: *hujus fundamentum continetur in* Arte Compendiosa Modo decimo quinto.

Quarta: *qui negant D. Raymundum quidquam de Alchimia scivisse vel scripsisse, hos ad hunc librum convocamus continentem in se totum Magisterium Analyseos & Syntheseos realis & naturalis tam solidis & firmis demonstrationibus stabilitum, quibus plus de vera Alchimia detegitur, quàm quidquid hactenus à Professoribus hujus Artis in suis libris nobis communicatum fuit. Neque dicant, Divum Authorem ea, quæ in hoc libro tradit, solummodo*

modo mentis ratiocinio attigisse, ad praxin verò nunquam descendisse: nam (præterquam quòd ridiculum esset, velle alium docere, quod ipsemet nescias) talia experimenta hoc libro exponuntur, quæ, nisi oculis videantur & manibus contrectentur, nequeunt cognosci. Nec porrò obstat, quòd Distinct. 6. Cap. 20. hujus libri Ill. Doctor videtur contradicere Arti Alchimiæ; legant illum locum Perspiciliis Raymundinis *armati, quæ in introitu hujus primi Tomi subministravimus, & contrarium invenient.*

Denique solus hic liber nobis sufficit, quo tanquam lydio lapide omnia Argumenta Adversariorum examinare possumns: aut enim ea, quæ in illo continentur, intelligunt, aut non? si primum, experimento probent, & certi sumus, quòd nobiscum sentient: si secundum, humiliter petimus, habeant nos excusatos, quòd nequeamus dictis illorum assensum præbere.

MISSIONERS DELS SAGRATS COR
BIBLIOTECA

862